GONZÁLEZ DE SANTALLA, Tirso (S.I.)

Selectarum disputationum ex universa theologia scholastica : : tomus tertius attingens primam secundae, et tertiam partem D. Thomae... / authore RR.P. Thirso Gonzalez de Santalla, Societatis Iesu... -- Salmanticae : Apud Lucam Perez..., 1680

[32], 750 p., @4, 2@-3@6, A-Z8, 2A-2X8, 3A8, 3B1 ; Fol.

Texto a dos col . -- Apostillas marginales

1. Escolasticismo 2. Eskolastizismoa I. Título

R-5626 Enc. perg. -- Ex-libris autogr. en h. de guarda: "Este libro e del P[adr]e Fr. Lorenzo Julio Religioso Irlandes de la prov[inci]a d Irlanda"

SELECTARVM DISPVTATIONVM EX VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA.

TOMVS TERTIVS

ATTINGENS PRIMAM SECVNDAE, ET TERTIAM PARTEM D. THOMAE.

CVM TRIBVS INDICIBVS.

I. *QVAESTIONES IVXTA VARIOS THEOLOGIAE TRACtatus distribuit.*
II. *DISPVTATIONES, AC SECTIONES DEMONSTRAT.*
III. *RES NOTATV DIGNAS SERIE ALPHABETICA percurrit.*

AVTHORE

RR. P. THIRSO GONZALEZ DE SANTALLA, SOCIETATIS IESV, SACRÆ THEOLOGIAE DOCTORE, AC MAGISTRO, ET IN SALMANTICENSI ACADEMIA ANTECESSORE PRIMARIO.

SALMANTICAE:

Apud LVCAM PEREZ, Vniverſitatis Typographum. ANNO Dñi. 1680.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

DD AMBROSIO

IGNATIO SPINOLA ET GVZMAN, HISPALENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO VIGILANTISSIMO



ARENTVM indolem ingeniaque, non corporis modo, sed mentis quoque fœtus referre, (Ambrosi Præsul amplissime) vel tenuis hic lucubrationum mearum labor gratissimo sat est experimento comprobare. Quippe cum ingenti tua benevolentia me totum iam ptidem arctissimè devinxeris, tuo etiã cultui, obsequioque, devoveri expetunt ipsæ. Quidni verò expetant selectę hæ Sacrę Theologię disputationes Sacrum pariter, ac lectissimum Mecœnatem, cuius sub auspicio, non solum in lucem, verum etiam in splendorem micantissimum prodeant. Sive enim, quam à maioribus ducis, claritatem inspexero, sive etiam propriis factis, moribusque iam partam, faustum hoc omen capere, & laboris mei fœlicitati sic licet adblandiri. Ego tamen tuorum facinora proavorum (Guzmanos loquor, Davilas, Spinolas, aliaque huius notæ tot retrò sæculis ingentia nomina) silens omnino præteribo, ne postquam epistolæ modũ excessero, ausus videar Iliadem nuce concludere, ac tantæ lucis impetum temeraria acie sustinere. Et sanè splendida eorum fax, nullisque, nisi tuis oculis, invisa, alieno radio indicari non patitur. En ipso in limine tuarum laudum summã attigisse coactus sum, in eum quippe animum evasisti, quẽ humana nequeant implere, quiq; tantorum natalium splendorẽ veluti ab editiori fastigio audeat despicere: at quis non videat eorum ornamentis eo te altius attolli, vel invitum, quo pedibus illa supponere studiosius contendis? Ab hoc culmine in Cœlum eniti cæperunt virtutis tuæ, illudque iam modo attingant, vel certè haud procul absint, necessè est, tantæ moli incumbentes. Illæ te primum, multum diùque luctantem, Ovetensis Ecclesiæ Pastorem agere iusserunt; postmodum Valentinæ destinarunt; tandem, vt viam avunculi tui Cardinalis de Spinola (ò quibus iam ab ipso gestis peractam!) ingredereris, Compostellana, ac deinde Hispalensis, quæ modo te fruitur, sedes excepere: quo Dei consilio, quanto Ecclesiasticæ disciplinæ bono, oviumque tuarum subsidio, immò & totius Ecclesiæ exemplo, nemo est, qui nõ novit. Promptum mihi erat per omnes gloriæ tuæ semitas prolixius ire, & egregia facta recolere, quibus tot infulis affulsisti, vt vel inde constaret qualẽ te Hispalensium regimini intentum suspiciant cuncti, & pene stupeant vniversi; nec enim à te ipso defecisti, *Et tu quid vis rectissime geres, si non recesseris à te ipso.* (Plutar. Epist. ad Traian.)

Sed quia præſentium gloria vehementius vel in admirationem rapit, vel ad æmulationem accendit, ea tantum ſufficiat adumbraſſe. Primum ergo in ſe oculos provocat, quæ apud te etiam primum locum obtinuit, videlicet tua, tuorumque honeſtas, ac vitæ ratio in omnem rectitudinẽ aptata; longo enim experimento probe noſti, *Quod ſi primum te compoſueris, ſi omnia diſpoſueris ad virtutem, recte tibi procedent vniuerſa.* (Ibid.) & quidem ita eſt Præſul præſtantiſsimè; ordo namque ille, quo Palatium tuum regitur, à religioſi cœtus obſervantia vix quidquam videtur abhorrere. In primis lucis exorientis initia divinarum rerum mediationi definita ſunt: huic tu per integram horam inſiſtis; ac te coram per dimidiã horam incumbunt domeſtici tui, adſuntque deinde tibi rei ſacræ operanti, ac demũ ad ſua quiſque munera obeunda divertunt. Tu verò in genua provolutus ali interes Miſſæ Sacrificio, grateſque habes benigniſsimo domino, quod auguſtiſsima corporis ſui præſentia pectoris tui penetrale dignarit. Reliquũ temporis diœceſis tuæ regimini tribuitur, donec ſol in meridiem devolutus dapes te, ac frugaliſsimam menſam admoneat; nec tamen illi accumbis prius quã te iuxta pauperum vnus aſsiſtat, ſuo quoque victu reficiendus, & ſtatura demum pecunia donandus. Sæpè etiã hac in pauperes indulgentia illuſtrior eſt menſæ tuæ dignitas; quacunque enim quinta feria, nec non diebus Beatæ Virgini Sacris, non vnus, ſed duodecim pauperes ſunt, quos menſa tua excipis, quibuſque famulos inter tuos miniſtras, erogatiſque de more numis, hilares dimittis; ac ijs demum ita piè peractis, poſtremus prandio tuo locus accedit. Hæc ante meridiani temporis ratio, pomeridiano verò in veſperum vrgente, familia tua ſtipatus Eccleſiam adis, altaribus ſolita oratione inviſendis. Ad octavum deinde horologij ſonum, tecum omnes, etiam infimæ ſortis, famuli conveniunt, ac Divæ Virginis auxilium, Roſarij primũ, poſteaque litaniæ eius recitatione propitiatur: hanc ſacra excipit lectio, quæ feria ſexta addita etiam diverberatione abſolvitur. Suus dehinc diætæ locus, ſuus etiam lecto præſcriptus eſt; hic tamen licet omnino nulli, quin exactũ prius diẽ in examen revocet, mentemque materie inſtruat meditationis in craſtinum futuræ; in has leges adſtricti elabuntur dies tui; iamque in eis illam vitam ordiris, quã tua in ſyderibus facta diſponunt. Fœlicẽ ter, & amplius, cui Palatij tui limina patuere, cuique pro ſacri Præſulis aula virtutũ omniũ contingit gynæceum. Nec mirere, mihi, tuæ Dominationis cultori obſervantiſsimo, hæc minutatim adeò innotuiſſe; nec enim vlli vel extero ignoroque teſtatiſsima nõ eſt frugi hæc vitæ tuæ ſeries: *Nam qui magno Imperio prediti, in excelſo ætatem agunt, eorũ facta cuncti mortales nouere.* (Saluſt. in Catilin.) Quare qui faſtigiatæ inſtat vrbis, ſupercilioris Eccleſiæ verticibus incũbitis, quot caligantes oculi non ſunt, totidẽ teſtibus neceſsũ eſt, obnoxiã vitam ducatis. Quid, quòd tuæ perfectionis ſtudium intra domeſticos parietes hærere non patitur, amatque aſſuetum vitæ tramitem exilire, & in divinarum rerum arcana liberiorem ſpiritum effundere. Ipſe ergò quotannis ad Tyrocinij noſtri domum divertens per dies decem ſpiritualibus Protoparentis noſtri exercitijs vacas, curiſque alijs procul amandatis animũ cæleſti pabulo recreas, divini ſpiritus aurꝛ habenis prope modum laxatis. Interim noſtrę gratitudinis officia pateris nulla, quin imò velut è noſtris vnus, haberi

cundæ non exhiberet amœnissimam frontem. Cœlum mehercule puduit argentis solis fulgoribus nocere ijs, qui vmbra misericordiæ tuæ tegebantur, ext a ærumnarum ictus constituti. Nec Cœlum solum, sed mors quoque ipsa peperisse visa est tuis pauperibus, quippe cum currus effræni mullarum æstro agitatus in egenos ad fores tuas conglobatos periculosissimo impetu irruisset, reliquis in fugam effusis, supra pueros duos subito metu pallantes rotatus est, iamque indigna morte contriti oppressique credebantur, cum ecce illæ si se erigunt, & arrepto cursu suam incolumitatem atteſtantur, de qua adstantium nullus grates Deo non retulit, quod cunctis per gratam pijssimi Præsulis charitatem tristi vllo casu fædari passus non fuerit. Nec pauperibus tantum, sed alijs quoque amplioris fortunæ hominibus profuit ingens tua pietas; plures nãque, vt à suis Parochis audivimus, cum ægritudine laborarent, omni alio medicamine fortiori, accepto panis frustulo, qui egenis impertiebatur, saluti restituti sunt, fructusque vberes experti existimationis de tua misericordia conceptæ.

Iam verò, illustrissime Archipræsul, de hac Hispalensis populi egestate, cui intra vnius supra dimidium anni spatium quingentorum millia ducatorum insumpsisti, sic effari licebit. *Data est Prouinciæ in Principis nostri laude penuria, steriles facti sunt agri, vt vbertas Domini posset agnosci, minus esset acceptissimum donum, si non præcessisset incommodum. Gaudete Prouinciæ, malisque vestris potius gratiam referte, quando talem probastis animum Principis, vt nullis cedat aduersis. En pietas mirabilis, quæ vbique nostris repugnat incommodis* (Cassiodor. lib. 12. variar. c. 28.) Nullis planè cessisti præsul optimè, immò, & de omnibus victoriam reportasti, nec enim sola fames pietate tua profligata est, sed pestifera lues, iam iam omnium cervicibus imminens, tuis quoque finibus prohibita; vtque eam longius arceres, pias orationes instituisti, datisque Pastoralibus litteris, omnes adhortatus es, vt Numinis iracundiam animorum expiatione exarmarent. Cunque eo temporis infamis Scenicorum turba esset advocanda, consueta Scænæ spectacula datura, vt veluti in suo fonte ingruentem iam iam vitiorum colluvionem præfocares, mille vias inijsti; ac primo in eam mentem Hispalenses Senatores adigere conatus es, vt advenire Scænicos nequaquam paterentur, nedum Cœli furor in omnium flagitia irascebatur, novis iterum criminibus provocatus, acrius desæviret, oblatis etiam in tanta pecuniæ charitate decem ducatorum millibus in eorum cõmoda, quorum maximè intererat iste Scænicorum adventus, ac præsertim in Nosocomiorum subsidium, cuius sub pietatis larva impietas hæc dissimulari consuevit. Nec parvere tamen consilio tuo quorundam Senatorum animi, ad comædiarum voluptatem iuvenili quodam æstu obstinati, quapropter, vt comica hæc spectacula interdicerent, à Regijs Castellæ Senatoribus enixissimè postulasti; censuere tamen, & ij, Hispalensium votis obluctari minime oportere. Quare causæ tuæ sanctitas labare videbatur, ac spe omni destitui; præsertim cum Scænici Vlyssipone evocati, plurimorum dierum confecto itinere Hispalim iam tunc adventassent. Ecquis autem impietati huic ferventissimam pietatem tuam cedere pateretur? Ego quidem, qui eo etiam tempore nullu tuo conciones habere cæperam, adversus hanc Comædorum pestem, quo potui spiritus ardore, detonui, monui-

que

que, eorum dulcedine deliniri Dæmonis hamos hominum saluti insidiantes, caveterentque proinde, ne iratum Cœli brachium destinatum læthiferi ensis ictum graviori etiam impetu discuteret, ni sui Præsulis votis, Dei nutum apertissime præferentibus, annuere statuissent. Ita quidem animis in meliorem sententiam revocatis, Scenicorum expulsio vno omnium Senatorum ore decreta, litterisque à Regio Senatu, cuius calculum vnice desiderabatur, expetita est. Ipse vix gaudio par litteras rursum, rursus præces, authoritatemque tuam apud eundem Senatum adiecisti, ac in spem firmissimam accensus, illius suffragium expectabas, vt scenalis simul ac vitiorum turba procul deturbaretur. Prodijt tandem è Regio Senatu responsum, adhuc tamen illi expedire visum est, ne consuetudini, quæ circa hæc spectacula invaluerat, quidquam derogaretur, nisi forte recentes aliquot rationes occurrerent obijciendæ. Quis crederet te Præsulem amplissimum, totidem iam repulsis affectum, conatus omnes animo etiam indignanti non abiecturum? Quis alterius, & fortasse gravioris repulsæ, aleam subiturum? Subijsti tamen libentissimè, dedistique iam tertio precatorias litteras, additis etiam alijs rationum momentis, quæ ab illo, quo flagras, hominum salutis desiderio sponte sua fluxere. Hispalensium quoque animos insperato hoc nuntio conterritos languentesque accendisti, vt repetitis iterum litteris Regios Senatores ad piam adeo mentem flectere tentarent. Interim verò, quia res in ancipiti versabatur, Hispalensis Senatus Assistentem convenisti, rogastique, vt ab Scenicis discessum impetraret, pecunijs etiam, si parerent, tuo nomine oblatis. *Ecquid enim*, me coram aiebas, *diuitiæ mihi æstimentur, nisi vt frænetur impietas, & adversus Deum imminentia flagitia cohibeantur*? Quis inhians adeo divinæ gloriæ non miretur studium? Illud meherculè non laudes tantum, sed lachrymas etiam supremi illius Senatoris expressit, quare suam operam pollicitus, cum Scenicis etiã pactus est, vt acceptis duobus ducatorum millibus Hispali excederent. Cęterum Cœlo visum est nefas, quod pauperibus sibique proinde destinatum argentum, scelestæ eriperent manus; quare dum illi moras nectunt, sibique vtiliores conditiones iniusto fœderi apponere contendunt, ecce adfuit expetitum adeo Regij Senatus suffragium, tuis ac Hispalensium votis faventissimum; vtpotè quo Scenici statim abire iubebantur; explosique dicto citius sunt pecunijs vacui, dirisque mandãtes male auspicati consilij exitum, longosque itinerum labores in casum toleratos. Ita quidem elusit, illusitque omnes versuti Dæmonis astus victrix tua pietas, ita infandus vitiorum turbo tuis procul finibus relegatus est, ita suis Hispalim civibus, ita florentissimam Vrbem Hispanique Iominis parentem, & Regi, & Regno incolumem servasti; ita quippe Numinis iræ placatæ sunt, & teterrima tabes per omnem viciniam grassata, finitimis etiam vrbibus rapidissima eius flamma vastatis, nullam tuæ ditionis Vrbem, nullum pagum aggredi ausa est; profecto, vt omnium vna mens est, misericordiam tuam reverita, qua vallata omnia, ac præmunita erant. Tandem vt constaret, quam tuis monitis consulto parvissent, quamque à tuis virtutibus fœlicitatem expectare fas sit, illico in Hispalensium commoda terra, mareque coniurata sunt. Mira in primis segetum vbertas proximam sterilitatem, aut compensavit, aut obruit:

fidem

fidem fere exſuperat quantum comiſſa ſibi ſemina glebæ fæcunditas cumulaverit; illa quidem toties ſuis cultoribus replicata multis retro annis negaverant arva, nunc verò, vti tuæ beneficentiæ imbribus irrigata, libentiſsimè reſtituerunt: Vnde ingens frumenti copia, & exiguo prætio comparabilis eſurientia prius ora, ac inſignis demum tuæ miſericordiæ fores occluſit. Maria quoque, & venti creditas ſibi ab Indicis litoribus opes, onerarijs primum navibus, deinde tota claſſe devectas, in Bæticam oram emiſſerunt, eiſque quidquid penuriæ, aut curarũ ſupererat cumulatiſsima fœlicitate abſterſum eſt. Omnia denique Hiſpalenſibus è ſententia contigere, ex quo tecum ſanctè, & piè ſentire cęperunt, ſummaque votorũ adepti ſunt ex quo ſtatuerunt vota tua complere, modoque grates cœlitibus referunt, tibique magnopere ad gratulantur, cuius ope, conſilio, ac beneficio vivunt tot calamitatibus erepti,

Ego verò Præſul ampliſsime, quem in hæc tempora aflictis adeo rebus Dei providentia diſpenſavit, ne, quam omnibus humanitatem exhibes ſcriptis meis denegaveris, oro, atque obſecro: ſcio illa tibi (pro eo, quo nos omnes devincis, amore) alioqui non ingrata, haud parum inaceſcere, quod à tuis laudibus exordia ſumpſerint. Peccavi, fateor, in modeſtiam tuam, quam ingratiſsimis laudibus oneravi. Ecquid autem tua mihi non diſsimulet indulgentia? Et ſanè non eſt cur tantopere renuas optima quæque de te apud ſcripta mea legere, qui non potes non optimè apud omnes audire. Malui, (nec pœnitet) de tuis virtutibus, vt vt potui, benè mereri, quam tuæ ſolum modeſtiæ morem gerere: dabit tamen vel illa veniam, quod dictis reticuero grandiora, patienturque & reliqua virtutum tuarum ornamenta levi ſe adeò, ac incompto calamo perſtricta. Tu verò, Præſul clariſsimè, Hiſpaniæ noſtræ honor, decuſque immortale, vive diù, Præſulibus innormam, pauperibus in Patrem, virtutibns in Patronum, flagitijs in vindicem, ac tandem vive Cęlo, vt æternum vivas. Salmanticæ 12. Decemb. ann. 1679.

Illuſtriſsimæ Dominationis tuæ obſequentiſsimus.

THYRSVS GONZALEZ,
è Societate IESV.

AV

AVTHOR LECTORI S. D.

MIRABERIS fortè quisquis in noua hæc Theologicarum disputationum Volumina incideris, quid tandem opere pretium duxerim post tot clarissimos Doctores, qui de omnibus, & singulis rebus Theologicis tam præclarè scripserunt, lucubrationes meas in lucem emittere, & multitudinem librorum augere, quæ iam adeò excreuit, vt qualecunque opus Theologicum prodeat, nemini videatur emolumento futurum, plerisque fastidio. Quod si me insuper noueris, & vitæ genus, ad quod vocatus sum, fortè etiam indecorum, & à munere meo alienum esse censebis huius genij laboribus incumbere. Quippè cum duodecim fere ab hinc annis renuntiauerim Scholæ, & Scholasticæ Theologiæ studium omne dimisserim, vt me totum ad procurandam animarum salutem conuerterem, perque Vrbes, & Oppida continuo excurrerem prædicans verbum Dei: parum, inquies, decere virum spiritualibus hisce expeditionibus, & Euangelicæ prædicationi iam deditum, ad antiquas Theologiæ speculationes mentem, & operam reuocare, quæ (scilicet nihil momenti habent ad correctionem morum; & laudabilius quidem fore, si ea quæ retro iam reliqueram obliuiscens, ministerium vocationis meæ, ac detestatum persequerer animarum lucrum.

Sed enim, vt nihil sit in his meis scriptis pretiosum, aut vlla commendatione dignum; pro me tamen hæc habeo, quæ paucis, & ingenuè respondeam. Adductum me primum esse ad ea in publicam lucem proferenda, authoritate amicorum, quibus multum defero, & debeo: crebra deinde plurium studiosorum flagitatione, quam non assentatoriam, sed seriam fuisse, vel ex eo facile conijcere poteram, quod plurima ex his, quæ ad manum habebam pessimè exarata, diluciais ipsi caracteribus excripserint, ea solum spe, vt obscurum, & pæne obliteratum exemplar obtinerent. Propositum mihi præterea esse multiplicem huius rei fructum. Nam cum decreuerint opuscula quædam moralia in lucem dare, quæ ad promouendam honestatem morum conferre possint, expedire visum est, has Theologiæ Scholasticæ disputationes præmitti, vt illis authoritatem conciliarem, quam doctrina moralis ex speculatiua Theologiæ fu, & peritia mutuatur: non enim facile creditur præstare posse in moralibus, nisi qui fuerit in speculatrice Theologia, tum studendo, tum docendo versatus, & in hoc sciendi genere, aliquod etiam non contemnendum sui specimen dederit. Visum quoque est eiusmodi studiorum meorum, & Magisterij olim habiti testimonium, cedere posse in maiorem aliquam ministerij mei commendotionem; atque inde etiam in maius proximorum bonum: præsertim verò cum post Hispaniæ Prouincias fere iam peragratas, modo exteras cogitem: ex quibus maior certè sperari potest fructuum colligendorum vbertas, si priusquam ad eas perrexerim, aliqualem mei notitiam hæc volumina deferant. Sic enim fiet, vt Academiæ, & litteratæ Vrbes, hominem doctrina typis vulgata iam notum facilius excipiant, Missionumque ministeria magis in honore habeant, atque hinc demum vberior ipsarum fructus existat. Oportere etiam videbatur, vt siquidem in Societate nostra, eo potissimum fine, iuxta vocationem, & institutum, Scholastico negotio nauamus operam, vt animarum commodis litteræ inseruiant, aliquod eius rei exemplum, præter cætera, extaret in his prisini mei studij monumentis; palamque omnibus fieret, eos quoque à nobis ad Missiones, & ministeria salutis animarum destinari, qui non solum lectionibus publicis, sed cæ-

tis etiã libris Theologiã docuerint. Quo circa non paruum operis noſtri emolumentũ erit, ſi aliqui deinceps Theologiæ Magiſtri hoc exẽplo excitati efficiant ipſi glorioſius, & illuſtrius, quod nos inchoauimus. Atque hæc ſunt præcipua rationũ mometa, quæ me ad ſuſceptæ huius editionis conſilium impulerunt. Cur vero id nõ anteà egerim, videlicet cum primum ab ſchola diſceſſi? Ingenue fateor, timor in cauſa fuit; ne cui forte viderer, non ſine aliqua vana cupiditatis nota repetere, quæ ſinceriſſimo diuinæ gloriæ ſtudio, ſin deſpexiſſem, reliquiſſem vtiquè. Modo autem extra hanc ſuſpicionem conſtitutus ſum, cũ poſt tot annos nullus iam pateat, quem ſperare, aut quærere poſsim, ad ſcholam reditus. Neque vero indecorum, aut ab officio, & inſtituto vitæ genere alienum exiſtimare debui, ſcholaſticis his diſputationibus euulgandis operam dare, licet enim ad concitandos mentis affectus, & componendos mores non directe pertineant, ad hunc tamen ſcopum obliquè reuocantur: & non nihil è ſalute animarum ſore mihi perſuaſi, ſi ea ratione, quã aiebam, editis his voluminibus miniſterium meum magis commendaretur. Illud per ſanctè aſſero, nè momentum quidem temporis, quod miniſterio impendere debuiſſem, intercepiſſe me, vt eiuſmodi ſtudijs indulgerem, aut limandis, & perpoliendis ſcriptis denuo ad laborarem. Ea tãtũ profero, quæ olim in exedra Theologica auditoribus meis tradideram, vel ad vſitatas in ſchola propugnationes accuratius elaboraueram.

Quo magis ego Lectorum beneuolentiam exopto, vt venia dignentur, ſi quæ hic breuiùs, ſi quæ diffuſiùs, quàm par erat, trado, ac ſine illo ordine, ſine illo decore, & ornatu, quem publicæ lucis theatrum expectat. Non enim opus abſolutum exhibeo, nec ab initio typis deſtinatum. Sed malui potius in eo vltimam adhuc manum deſiderari, quàm, vt ipſius adhibendæ labor & cura, expeditionum mearum curſum remoraretur. An autem aliquod Theologiæ ſtudioſis commodum, vel ſic facturum ſim, vt quidem multi, pro ſuo fortaſſe in me ſtudio, & ſibi, & mihi pollicentur, aliorum iudicium eſto. Id vnum ego dicere audeo, neminem poſſe mihi iure ſuccenſere eo ſolum nomine, quod poſt tot ſcripta de rebus Theologicis, tamque præclara volumina, noua cudere velim. Nam peruetuſta iſta querela eſt, & nullo non ſæculo audita; quam ſi ſcriptores veriti eſſent, tacuiſſet Theologia ſummis diuitijs, queis illam viri ingenio, & eruditione præſtantiſſimi cumularunt; carerent omnes ſcientiæ tanta bonorum Authorum luce, qui quotidie nouo ſplendore prodeunt. Non igitur quia multi ſunt editi libri, proſcripti ſunt edendi; ſed vtile eſt (vt Auguſtinus ait primo de Trinitate cap. 3.) plures à pluribus fieri libros diverſo ſtilo etiam de quæſtionibus eiſdem. Quia non omnia omnium ingenio æqualiter ſapiunt. Nec item omnia perfectè ſinguli conſequuntur: alius aliam difficultatem diligentius, & fœlicius euoluit; itaque prodeſt ex vno libro poſſe ſupplere, quod in alio deeſt, & quaſi lumen, quod ex vno lucet, clarius, & illuſtrius reddere adhibito lumine alterius.

Sed his, quæ iam olim compoſita erant, ſubnectenda cenſui, ea, quæ in cauſa fuere, vt hoc opus tardius aliquantulum publicam lucem viderit, aliaque, quæ ſi tacitus præterirem, merito iudicaretur, aut præfationem hanc ſibi non cohærere, aut huic operi conuenire non poſſe. Igitur cum parata iam omnia eſſent, vt in Galliam illud excudendum remitterem, accidit, vt Salmantica ann. 1679. menſe Septembri vita fungeretur ſapiẽ-

tiſsimus, iuxtaq; religioſiſsimus Magiſter meus R. P. M. Ioānes de Barbiano in Salmāticenſi Academiā Primarius Theologiæ Profeſſor; & ego tunc à futuro ſucceſſu prorſus alienus, ſacras alias expeditiones in Aſtures, Cātabros, & Luſitanos meditabar; ſed arcana Numinis Prouidentia aliter de me decernere voluit; nam eo temporis Scholaſtica arma, quæ tandiu ſuſpēderam, iterùm reſumere eorū arbitrio iuſſus ſum, qui inſtar Numinis mihi ſunt. Ipſi ſanè effecerunt, vt omiſſis ſacris illis expeditionibus, in florētiſsima hac Academia Magiſterij lauream ſuſciperem, & in eadem publice docerem. O faxint ſuperi, ne ſic pœnas ignauiæ luam, quod creditum mihi munus non prout par erat, implerim! Faxint, vt laurea hæc non Miſsionum terminus, ſed ornamentum ſit, vt maiori cū fructu iterū ad Apoſtolicū munus reuertar, & in illo (vt exopto, & futurum ſpero) vitā mortalem finiam! Inſperatus adeo euentus in cauſa fuit, vt in mentē veniret, operæ pretium me facturū, ſi hoc opus Salmanticæ typis mandarem; vbi nimirū & plura denuo ſcribere poſſem, & iam ſcripta amplius digerere, atque illuſtrare. Quod tamen, licet conatus ſim, cumulate præſtare non potui; quia præter alia Hiſpalēſis Miſsio, cui per aliquot menſes anno præterito 1679. in cubui, & ſuccedens poſtea longa ægritudo inchoatam æditionem intercipere coegit.

Iam vero in his ex tota Theologia ſelectis diſputationibus præcipuæ eius difficultates enodantur: præſertim vero multiplex concordia dilucide explicatur, nempe libertatis creatæ cum efficacia gratiæ, & infallibilitate ſcientiæ, & prouidentiæ Diuinæ: Omnipotentiſsimæ Dei poteſtatis ad flectenda libere hominum corda in omni euentu poſsibili, etiam per vnicum auxilium, cum libertate hominis ad fruſtranda ſingula: diuinæ libertatis cum immutabilitate: ſummæ independentiæ Dei à creaturis cum eo quod repugnaret repugnante qualibet: viſionis omnium poſsibilium in Deo cum ipſius incomprehenſibilitate: libertatis Chriſti ad non accaptandam mortem cum rigoroſo mortis ſubeundæ præcepto: immunitatis Deiparæ non ſolum à peccato originali, ſed à debito proximo illud cōtrahendi, cum vera redemptione ob meritum Paſſionis Chriſti: poſsibilitatis puræ omiſsionis liberæ cum impoſsibilitate eiuſdem peccaminoſæ: oppoſitionis eſſentialis gratiæ cum peccato habituali, quod expellit, & nō cum actuali, quo expellitur: & demum concordia veritatis Catholicæ, quod Verbum aſſumpſerit naturam humanam, & non aſſumpſerit perſonam, cum eo quod hæc in creatis nihil poſitiuum addat ſupra naturam.

Vbi etiam multiplex diſcordia latè aperitur; videlicet præfinitionis diuinæ ex ſe, & ab intrinſeco efficacis, ſiue antecedentis, ſiue ſubſequēntis Scientiam Mediam, cum libertate creata: electionis efficacis antecedentis ad gloriam cum eo quod hæc ſit corona meritorum: decreti efficacis intentiui finis à ſolo Deo ponendi cum alio decreto adæquatè eiuſdem executiuo: peccati ſimpliciter infiniti in ratione offenſæ cum eo quod fides docet de inæqualitate peccatorum: præfinitionis efficacis pœnitentiæ ante præuiſum abſolute peccatum cum ſanctitate Dei, aliiſque prædicatis; Præſeruationis Deiparæ à peccato originali cum eo quod in Adamo peccauerit, & debitum illius contraxerit: & denique diſcordia peccati totaliter, & adæquate remiſsi quoad reatum culpæ, & tamen remanentis, quoad reatum pœnæ Purgatorij, præſertim damni.

Totum

Totum opus in tres partes, vel tomos diuiditur, quorum hic tertius, & primus nunc in lucem prodeunt, secundus vero Deo fauente citò emittetur. Ne enim longiores moras trahirem, placuit hos duos priùs vulgare; quia secundus adhuc vltimam manum desiderat, quam illi adhibere non potui variis occupationibus distentus, & longa aegritudine impeditus. Eorum priori lectissimas disputationes de Essentia, & Attributis, de Scientia necessaria, deque Dei potentia, & æternitate complector; integrum deinde tractatum de Scientia futurorum contingentium, præsertim Media, facilemque, & breuem concordiam Prædestinationis, & gratiæ efficacis cum nostra libertate beneficio Scientiæ Mediæ, plenamque omnium enodationem, quæ Ioannes Baptista Gonet, aliique è Thomistis recentibus aduersus illam scripsere. Quibus tandem finem dabit integer tractatus de Voluntate Dei. In secundo agam de Prædestinatione, & necessitate Scientiæ Mediæ ad illam, insuper de Præfinitionibus, de que omnipotentissima Dei potestate ad flectenda hominum corda per auxilia intrinsece indifferentia; ita vt metaphysicè repugnet euentus, in quo per media indifferentia nequeat Deus trahere voluntatem nostram in consensum salutarem. Imò latè ostendam, posse per vnicum auxilium indifferens, variatis circunstantijs, in omni euentu possibili facere, vt liberè conuertatur. Subnectamque præterea selectas quæstiones de Trinitate, & Statu puræ naturæ. In hoc tertio disputationes instituo ex 1. 2. & 3. parte depromptas, quas in suos indices digessi.

Quibus adiicere placuit iustam disputationem de Diuinitate Christi, in qua per argumenta sensibilia hoc nostræ Sanctæ Fidei primum fundamentum luce meridiana clariùs demonstratur, quia ad conuersionem Gentilium, Iudæorum, & Mahumetanorum vtilissima est. Contra hos vero specialiter adiungo demonstrationes, quibus vsus sum ad eorum perfidiam conuincendam; vt Ministri Euangelici ad manum arma habeant, quibus Pseudoprophetæ Mahumeti pernicioſissimam sectam expugnare valeant. Experientia enim didici, studio opus esse, & diligentia non vulgari ad publicè redarguēda pernicioſissimi impostoris praua dogmata, & multos Dei seruos, zelo animarum feruentes, Maurorum conuersioni operam ideò non nauare, quia in promptu non habent notitias ad id necessarias, & sine magno studio, & labore acquiri non possunt, quibus vt subsidium feram, eas in præsenti opere subministro.

His animaduersis benè nobiscum actum erit, si noster labor in animarum cesserit salutem, satisque ampla mercede pensabitur, si saltèm in libris nostris animus placuerit. Vale.

LICENTIA R. P. DIDACI DE LA FVENTE Hurtado, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Castellana.

EGO Didacus à Fonte Hurtado, Provincialis Societatis Iesu in Provincia Castellana, potestate ad id mihi facta à Reverendo Admodum Patre Nostro Ioanne Paulo Oliva, Præposito Generali, facultatẽ facio, vt opus cui titulus est: *Disputationes Selecta ex vniuersa Theologia Scholastica, in quibus præcipuè eius difficultates enodantur*, in tres partes divisum, à P. Thyrso Gonzalez, Nostræ Societatis, Vespertinæque Cathedræ Theologiæ in Vniversitate Salmanticensi Moderatore compositum, & eiusdem Societatis graviũm Doctorumque hominum iudicio approbatum, typis mãdetur: in quorum fidem has litteras manu nostra, & Secretarij nostri subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Burgis die decima octava Ianuarij, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo.

Diego de la Fuente Hurtado.

Emmanuel Rodriguez.
Secretarius.

LICENTIA R. P. PETRI HIERONYMI DE Cordova, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Castellana.

PETRVS Hieronymus de Cordova, Societatis Iesu in Provincia Castellana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendo Admodum P. Nostro Ioanne Paulo Oliva, Præposito Generali, facultatem facio, vt tomi tres, quibus titulus est: *Disputationes Selecta ex vniuersa Theologia Scholastica, in tres partes diuisa*, cum additis appendicibus, & Disputatione de Divinitate Christi, à P. Thyrso Gonzalez, Nostræ Societatis, Doctore Theologo Salmanticensi, & in Academia Salmãtina Theologiæ Primario Professore compositi, & eiusdem Societatis graviũm Doctorumque hominum iudicio approbati, typis mandentur: in quorum fidem has litteras manu nostra, & Secretarius nostri subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus in nostro Segovienſi Collegio, die duodecima mensis Decẽbris, anno millesimo sexcẽtesimo septuagesimo nono.

Petrus Hieronymus de Cordova.

Paschasius de Casanueua.
Secretarius.

CEN-

& Aldana, nobilitate iuxtà ac eruditione ſpectatiſsimi, Togati quondàm in Maiori Sanctæ Crucis Valliſ-Oletano Collegio, modo in Eccleſiâ Salmantina Sacræ Scripturæ interpretem agentis, & in Alma Academia poſt alios Scholaſtici pulueris triumphos eiuſdem Expoſitiuæ Theologiæ Anteceſſoris exultiſsimi, ad ſacraſque infulas iàm electi.



Acturus ſatis pro viribus muneri, quod mihi iniunxit Illuſtriſsimus Dominus D. Franciſcus de Seixas & Loſſada, Magnus apud Salmãtinos Eccleſiæ iuxta, ac litterarum Antiſtes, & noſtri olim Collegij Sanctæ Crucis decus, lumenque purpureum; Diſputationes Selectas in vniverſam Theologiam, Authore Reverendiſsimo P. Magiſtro Thyrſo Gonçalez de Santalla, è Societate Ieſu, iam dudum acclamatiſsimo, Primarioque Theologiæ Anteceſſore in hac principe Academia ſedulò legi, ac relegi, captus (quid enim diffitear?) ac delinitus præſtantis doctrinæ illecebris. Nec enim Author is eſt, qui malè recoctam crambem faſtidiẽti lectorum palato obijciat; aut in quem merito intonare poſsis vocem illam deliciarum: *Quouſque eadem?* (1) Nam cum omnes propemodum differendi virtutes ex ſe ſe beatiſsima extulerit vbertate, non (2) vt ille ait, pluvias aquas colligit, ſed vivo gurgite exundat. Oratio maſcula; ſed nõ hiſpida: minime hircoſa; ſed nec vnguentata; nullis picturata floſculis, nullis fracta lenocinijs: Quid enim ſtili veneres conſectetur, qui venerem nullibi non inſectatur? vir ſanè totus ad pugnam compoſitus, (3) *arma, tubas audire calens*, coloratus, & pulverulentus, qui vultu, inceſſuque ſpeciem quandam ſeverioris diſciplinæ, ac morum gravitatem præſeferat: vir tandem, (vt ſuis illum coloribus repræſentem) (4)

Quo iuſtior alter, nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.

Ite nunc inertes animæ, & quicumque ex Tertulliani (5) caperata fronte id vnum aut queri, aut quærere didiciſtis: *Quid Athenis, & Hieroſolymis? Quid Academiæ, & Eccleſiæ?* Ite nunc, & Thyrſum, ſi quo polletis iudicio, emenſi, proferte audacter, an illius inſtitutio de Stoà Zenonis ſit; an vero de porticu Salomonis? Diſputat quidem, & mirum eſt, quo iudicij pondere, quantaque ingenij alacritate in Lycæo: theatrali favore, & plauſu cavea perſultat: grande illud ſophos, ac papæ! Doctorum ſubſellia ingeminant; ſed

(1) *Seneca lib. de tranquillitate, cap. 2.*

(2) *Pindarus, apud Quintil. lib. 10. Inſtitut. cap. 1.*

(3) *Statius 4. Thebai.*

(4) *Virgil. 1. Æn.*

(5) *Tertull. lib. de Præſcript. c. 7.*

Quid ergo Athenis, & Hieroſolymis? Quid Academiæ, & Eccleſiæ? ::: Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt.

sed non hæc nostrum levat aura cygnum, qui alias palmas, alios triumphos, aliamque longè ad oram meditatus, (6)

(6) Lucanus lib. 10.

media inter prælia semper
Stellarum, cælique choris, superisque vacauit.

Astris inhæret, dum in astra tollitur: & œstro quodam amoris divini percitus, vt totus mortalium saluti incúbat, palmaris gladiator missionem petit. Hinc vniversas Hispaniæ vrbes, oraſque peragrat, & vbi sacræ eloquentiæ habenas laxat, (7) *Tanta dulcedine captos afficit ille animos*, ijsque rursus stimulis, atque terrore percellit, vt non immeritò Regnare in concionibus dicatur, *Maiorque videri, nec mortale sonans.* Tot ergo, & plusquam Herculeis laboribus exantlatis, monstris vitiorum perdomitis, purgatoque Hispaniæ, an Augiæ dixerim? stabulo, antiquo includitur ludo, in ardua tandem Parnasi iuga receptus, vbi sacris Camenis iura dicat, Hercules videlicet Musagetes. Omnes in vnum Thyrsum congesti honores, Phœbea laurus, Delphicę cortinę, primaria Theologiæ sedes: quibus profecto nuncium remisisset, nisi ex ijsdem catus præsagiret, quamvis fucatis, & levibus, non parum tamen muneri Apostolico, & sacris expeditionibus, quas subinde animo versat, authoritatis, & ponderis accesurum: & indefessus animarum cultor lætiorem segetem abundè sibi polliceretur: qui apprimè norit, subacta gleba manibus Imperatorijs, sata hilariùs adolescere, (8) *Gaudente, vt fas est credere, terra vomere laureato, & triumphali aratore.* Nec alio mentis ardore correptus, aliam ve adornaturus spartam, cum pridem ausus fuisset, non, quod ille, *omne æuum*, sed vniversam ferme Theologiam *tribus explicare chartis, doctis, Iupiter! & laboriosis:* quod fœlix, faustumque sit, atque in augustæ Triadis honorẽ, tria hęc volumina emittit, proh! quantis doctrinæ stellata gemmis! quantisque ingenij lita luminibus! His ergo animum oblecta, nec istam sectari facem graveris, quicúque litteras amas, & à partium longè semotus studijs sedulam impẽdis operam veritati è latebris eruendæ: quam hìc fidenter spondeo; suadeoque, vt radiorum nova elegantia vibrantem avidis votis excipias: (9)

(7) Iuvenalis lib. 3. Satyr. 7.

Virg. lib. 6. v. 50.

(8) Plinius Hist. Nat. lib. 18. cap. 3.

Catullus epig. 1.

(9) Lucanus lib. 9.

Nam cui crediderim superos arcana daturos,
Dicturosque magis, quàm sancto vera Catoni.

Qua gemma, claudo, & consigno. Salmanticæ è Musæo nostro, pridie Idus Octobris. Anno Domini 1679.

D. Didacus de la Cueua & Aldana.

LICEN-

LICENCIA DE EL ORDINARIO.

DON Francisco de Seixas y Lossada, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Obispo de Salamanca, de el Consejo de su Magestad, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è impriman los tres tomos intitulados, *Disputationes Selectæ ex vniuersa Theologia Scholastica in tres partes diuisæ*, compuestos por el Reverendissimo Padre Maestro Thyrso Gonçalez de Santalla, de la Compañia de Iesus, y Cathedratico de Prima de Theologia de esta Vniversidad, atento à que de la censura de Don Diego de la Cueva y Aldana, Canonigo Magistral de Escritura de Nuestra Santa Iglesia Cathedral, y Cathedratico de Sagrada Escritura en dicha Vniversidad, consta no tener cosa, que disuene à nuestra Santa Fè, ni à las buenas costumbres. Dada en Nuestros Palacios Episcopales de la Ciudad de Salamanca à treinta de Enero de mil seiscientos y setenta y nueve años.

FRANCISCO. *Obispo de Salamanca.*

Por mandado del Obispo mi señor,

Iuan Fernandez de Mourillon.
Secretario.

CEN-

CENSVRA RR. ET SS. P. M. Fr. IOSEHI SAENZ DE Aguirre, Benedictinæ Congregationis Hispaniarum Generalis Magistri, Regij ac Supremi S. Inquisitionis Senatus Censoris, & à Secretioribus Consilijs ipsius, in Salmanticensi Academia Professoris Laureati, & Cathedræ Sancti Thomæ Antecessoris meritissimi, insignis Collegij D. Vincentio Sacri iterùm Abbatis vigilantissimi, ex præscripto Regij Castellæ Senatus.

IVSSV Regij, ac Supremi Castellæ Senatus vidi *Disputationes Selectas ex Vniuersa Theologia Scholastica in tres partes diuisas*, Authore RR.P.M. Thyrso Gonzalez de Santalla, Societatis Iesu, Doctore Theologo, in Salmanticensi Academia, & Primariæ Cathedræ meritissimo Antecessore. Eas autem inveni dignissimas, quæ *Selectæ* inscribãtur, & audiant: quoniam in his nihil vulgare, aut protritum, vel ex alienis scriptis, vt fieri plerumque solet, vsurpatum: nihil non solidum, aut robustum, & vetetum Theologorum decretis cohærens; quorum nonnulla Recentioribus inviſa, nova luce donat, & quasi postliminio in Scholas revocat. Subtilitas Authoris non minùs in scriptis apparet, quàm viva voce in certaminibus publicis; & ea quidem pondere plena, ac longè dissimilis aranearum telis, in quibus, vt cum Seneca loquar, nihil præter subtilitatem est. Quod ad stylum attinet, is certè gravis est, nervosus, & Theologo dignus; non tricis, aut cavillis logicalibus impensus, sed põderi rerum, de quibus disceptatur. Nihil à me deprehẽsum, quod vel latum vnguem dissideat ab orthodoxæ Ecclesiæ doctrina aut probatis moribus: nihil denique, quod prælo, luce, & laude publica dignum non sit. Ita attestabar ex animi sentẽtia, Salmanticæ in Collegio S. Vincentij IV. Nonas Martij, anno Reparatæ Salutis M. DC. LXXVIII.

Fr. Iosephus Saenz de Aguirre.

FACVLTAS REGII SENATVS.

REgius, & Supremus Castellæ Senatus potestatem fecit R.P.M. Thyrso Gonzalez de Santalla, Societatis Iesu, in Salmanticensi Academia Primario Antecessore, edendi *Disputationes Selectas ex Vniuersa Theologia Scholastica in tres partes diuisas*, ipsius iussu examinatas, & probatas à R.P.M. Fr. Iosseph Saenz de Aguirre: vt constat ex authenticis litteris apud Gabrielem de Arestí & Layrazabal, Regiæ Cameræ à Secretis. Die 9. Septembris, anno Reparatæ Salutis 1679.

APPRO-

APPROBATIO RR. ET SS. P. M. Fr. MICHAELIS DE Fuentes, Olym Ciſtercienſis Familiæ Generalis Vigilantiſsimi, nunc in Salmanticenſi Academia Primariæ Cathedræ Anteceſſoris præſtantiſsimi.

IVSSV Præclariſsimi, & Nobiliſsimi D.D.D. Mathiæ de Rada, Equitis Calatravenſis, Vniverſitatis noſtræ Cancellarij, Iudiciſque ordinarij, Catholicæ Maieſtatis à Conſilijs; &c. Vidi, & magna animi voluptate evolvi *Diſputationes ſelectas in vniverſam Theologiam, in tres partes diviſas*, quas ſummo ingenio, elegantique ſtylo, (gravi tamen, nõ pulchro, aut phaleraro) & methodo clariſsima, & conciſa, ordinavit, elaboravitque RR. P. M. Thyrſus Gonzalez, ex Societate Ieſu, eiuſdemque Vniverſitatis Regius, Primariuſque Anteceſſor; in eiſque nil deviũ, aut erroneum inveni à Fide, aut bonis moribus, ſed omnia probabilia, & nervosè probata; licet nõ pauca minus pervia, neque trita ab Authoribus, imo ſpecialiter ab ipſa excogitata, & ingeniosè. Sed quod magis mirandum; vt inter varia, & tot itinera per plures annos, Hiſpania fere tota pervagata, in ſalutem fidelium omnino intento, & zelo ferventiſsimo prædicationi incumbenti, continuiſque in audiendis confeſsionibus aliiſvè muneribus totaliter diſtracto: adhuc vivacitas acuminis, ad iſtas ſubtiliſsimas, atque Scholaſticas quæſtiones non ſit, nec leviter remiſſa, aut parum hebetata, imò videatur magis expedita: ita vt de illo, ſicut de Aod aſſeruit Scriptura (Iudicum 3.) poſsim dicere meritò, *Quod vtraque manu pro dextera vtebatur, & quod fecit ſibi gladium ancipitem, & accinctus eſt eo ſubter ſagum*, nempe clariſſimæ Societatis Ieſu. Sic ſentio, ſalvo ſemper, &c. Salmanticæ in hoc noſtro Collegio D. Parentis Bernardi, die 3. Martij, anno Domini 1678.

M. Fr. Michael de Fuentes.

FACVLTAS D. CANCELLARII.

NOS D.D. Mathias de Rada, Calatravenſis Ordinis Eques, Scholaſticus, & Cancellarius S. Eccleſiæ, & Vniverſitatis Salmanticenſis, à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis, &c. Libentèr facultatem impertimur RR. P. Magiſtro Thyrſo Gonzalez de Santalla, è Societatis Ieſu in hac Academia Primario Anteceſſori, vt in lucem edat Diſputationes Selectas ex vniverſa Theologia Scholaſtica in tres tomos diviſas, quas antea in hac Vniverſitate è ſuggeſto diſcipulis tradidit, quoniam ex præſcripto noſtro examinatæ, & probatæ ſunt à RR. P. M. Fr. Michaele de Fuentes, Ciſtercienſis Familiæ olym Generali, & nunc Primario in Salmanticenſi Vniverſitate Anteceſſore. In quorum fidem has litteras dari iuſsimus, die 6. Maatij, anno 1678.

Doct. D. Mathias de Rada.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM PERTINENTIVM AD VARIOS THEOLOGIÆ TRACTATVS SECVNDVM ORDINEN D. THOMAE.

AD TRACTATVM DE Trinitate.

An persona in creatis addat aliquid positivum supra naturam? disp. 27. pag. 320.

An subsistentia in creatis identificetur cum actione creativa? disp. 26. pag. 304.

An multiplicata personalitate creata multiplicetur persona? pag. 253.

An in Deo detur subsistentia communis, & an multiplicetur ratio habentis Deitatem? disp. 24. sect. 2. pag. 280.

Quæ incommunibilitas sit de conceptu personæ? disp. 22. pag. 252.

Quomodo in divinis pluralitas nominis substantivi attendatur secundum formam significatam, disp. 24. sect. 7. pag. 288.

Cur hoc nomen *Deus* non sit nomen suppositi, sicut hoc nomen *homo*? disp. 24. sect. 3. pag. 288.

An Spirator sit individuum quoddam per se subsistens commune duabus personis? disp. 24. sect. 8. pag. 290.

An manifestis argumentis convincatur Christum esse Filium Dei naturalem, & secundam Trinitatis personam, disp. 46. per totam à pag. 507. ad 533. per errorem tipographi ponitur disp. 43.

Quomodo probandum sit contra Mahumetanos dari in Deo plures personas, disp. vltim. sect. 6. à pag. 587. item contra Iudæos à pag. 589.

Quomodo probanda sit Christi divinitas contra Mahumetanos, & Iudæos? vbi nuper à pag. 507. ad 533. & disp. vlt. sect 5. pag. 579.

Quo pacto sine vxore proprie Deo Filius conveniat? contra Mahumetanos, & Iudæos disp. vltim. sect. 7. pag. 592.

Quomodo in Deo dentur Pater, Filius, Spiritus Sanctus? pag. 610.

Cur in Deo dentur tres personæ, neque plures, neque pauciores? pag. 611.

An rationibus naturalibus possit probabiliter persuaderi Trinitas Personarum in Deo? pag. 609.

Quomodo exponendum sit mysteriũ Trinitatis symbolis, & similitudinibus? pa. 608.

Quomodo stultum sit negare mysterium Trinitatis, quia demonstrari non potest? contra Mahumetanos, & Iudæos, disp. vltima sect. 10. pag. 603.

Quomodo Prædicatores Evangelici persuadere debent infidelibus, verum esse mysterium Trinitatis? pag. 611.

Quomodo Deus visionibus, & miraculis veritatem huius mysterij persuaserit? disp. vltim. sect. 9. à pag. 599.

Arriani nunquam claruerunt miraculis, pag. 640.

AD TRACTATVM de Beatitudine.

An beatitudo possit consistere in delectationibus gustus, & tactus? contra Mahumetanos, disp. vlt. sect. 4. à pag. 573.

AD TRACTATVM de Peccatis.

An sit possibilis pura omissio peccaminosa? dipt. 1.

An peccatum sit simpliciter infinitum in ratione offensæ? disp. 2. pag. 29.

In quo consistat peccatum originale? disp. 3. p. 50.

An

An hæc duo inter ſe cohæreant, aliquem peccare in Adamo, & tamen non cõtrahere maculam peccati originalis? diſp. 4. pag. 64.

Quæ alia huc ſpectantia, in tractatu de peccationibus B. Virginis.

An & quomodo reatus pœnæ, & reatus culpæ diſtinguantur? vbi an ſit probabilis hæc propoſitio: *Peccatum veniale nequit eſſe totaliter, & adæquatè remiſſum manente reatu ad aliquam partem pœnæ Purgatorij?* diſp. 8. pag. 104.

An peccatum mortale ſit totaliter, & adæquatè remiſſum, dum manet reatus ad aliquam partem pœnę Purgatorij, præſertim damni? diſp. 9. pag. 127.

AD TRACTATVM de Iuſtificatione.

An gratia habitualis eſſentialiter opponatur cum peccato mortali, à quo expellitur? diſp. 10. p. 137.

An opponatur ſaltem cum peccato habituali, quod expellit, & eodem modo ſit philoſophandum de vtroque? ibidem, pag. 148.

An actus cõtritionis ſit forma ſanctificãs? diſp. 12. ſect. 6. à pag. 182. vſque ad 187.

AD TRACTATVM de Fide.

An myſteria noſtræ fidei ſint evidẽter credibilia? lege diſp. de divinit. Chriſti à p. 507. vſque ad 533. Item diſp. vltim. pag. 587. vbi ponuntur notæ, quibus comprobatur, Religionem Chriſtianam eſſe veram. Item p. 550. §. 2. vbi probatur, Religionem veram debere habere argumenta evidentia credibilitatis. Itẽ p. 570. §. 10. vbi demõſtratur veritas Religionis Chriſtianę ex mirabili converſione Gentilium ſpectantium Martyrum tormenta. Item diſp. vlt. ſect. 9. p. 599. vbi ex divinis viſionibus, & revelationib⁹ demonſtratur veritas Religionis Chriſtianæ. Hoc ipſum ſuadent mirabiles converſiones Maurorum, & infidelium ad Religionem Chriſtianam in hora mortis à pag. 555. vſque ad 570. vide pag. 564. mirabilem converſionem Regis de Fez.

An ad omnem aſſenſum fidei ſupernaturalis debeat præcedere evidentia credibilitatis, diſp. de div. Chriſti ſect. 2. p. 508.

Quomodo lex Chriſti non ſit contraria legi Moyſis, ſed eius adimpletio, diſp. vlt. ſect. 11. §. 8. à p. 618.

An & quomodo lex vetus abrogata ſit per legem novam ſine vlla contradictione? à pag. 619. ad 622. contra Iudęos.

Quomodo lex Mahumeti non potuerit ſuccedere legi Chriſti: à p. 621. ad 625.

Demonſtratur cõtra Mahumetanos, neque vetus, neque novum teſtamentum eſſe adulterata, diſp. vlt. ſect. 3. p. 133. ad 144.

AD TRACTATVM de Incarnatione.

An Chriſti divinitas manifeſtis argumentis demõſtretur? vide diſp. 46. (per errorem 43.) à p. 507. vſque ad 533. Probatur Chriſti divinitas contra Mahumetanos, diſp. vlt. ſect 5. pag. 579. & contra ipſos, & Iudęos ſect. 6. pag. 587.

An Meſsias promiſſus Iudæis in veteri teſtamento debuerit eſſe Deus? à p. 584. in fine vſque ad 587. contra Iudæos, & Mahumetanos.

An Chriſti divinitas demonſtretur ex veteri teſtamento? contra Iudæos, & Mahumetanos, vide à pag. 589.

Quomodo ex viſionibus, & miraculis cõſter Chriſtum eſſe Deum, & B. Virginem eſſe Matrem Dei, diſp. vltim. ſect 9. à p. 599. vſqve ad 603. Ibi ſtupendũ, & recens miraculum B. Virginis del Pilar.

Quomodo exponendum ſit myſterium Incarnationis ex S. Tho. diſp. vlt. ſect 11. à p. 611. Explicantur ſymbolis, & ſimilitudinibus, pag. 614.

Demõſtratur contra Mahumetanos Chriſtum mortuum eſſe, diſp. vlt. ſect 12. p. 627. Demonſtratur reſurrexiſſe contra eoſdẽ, & contra Iudæos, diſp. 46. (per errorem 43.) ſect. 8. pag. 525. Cur Deus factus ſit homo? p. 629. §. 3. Cur factus ſit homo paſsibilis, & mortem Crucis ſubire voluerit, p. 631. §. 4. Cur Evangeliſta non dixerit, Verbum homo, ſed Verbum caro factum eſt? pag. 596.

Quia in hoc tomo continetur integer tractatus de Incarnat. quærendæ ſunt quæſtiones Scholaſticæ in indice diſputationũ, & ſectionum à diſp. 11. vſque ad 28. incluſive.

Specialiter autem hic explicatũ invenies conceptum perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ, diſp. 22. à p. 248. & in quo ſenſu verum ſit ſubſiſtentiam Verbi ſupplere ſubſiſtentiam humanitatis: aut reddere ſubſiſtentem humanitatem, nam hæc locutio in quodam ſenſu ſatis frequenti in Scholis, eſt falſiſsima.

An

An ex mysterio Incarnationis colligatur personam creatam addere aliquam entitatem positivam supra naturam? Vide à p.320.vsque ad 331. Vbi latè probo partem negantem: & ostendo illam esse expressam D. Thomæ. Et ad hoc comprobandum vide etiam disp. vlt. sect. XI. §.6.p.614.

An & cur proprium sit personæ infinitæ alienam suppositare naturam? disp.23. à p.254.vsque ad 277. An subsistentia in creatis identificetur cum actione creativa? disp.26.p.304.

AD TRACTATVM
De merito Christi.

An Christus meruerit per actus præceptos? disp.29.à p.341.ad 351.& disput. 30.à p.351.ad 363. invenies duplicem modum peculiarem explicandi concordiam impeccabilitatis Christi cũ eius libertate in acceptanda morte.

Disputatione 31.à p.363.ad 371. ostenditur contra Thomistas hanc concordiam non sufficienter explicari per distinctionem sensus compositi & divisi.

AD TRACTATVM
De perfectionibus B. Virginis.

An hæc duo inter se cohæreãt, Deiparam peccasse in Adamo, & tamen non contraxisse maculam originalem? disput.4. à p.64.ad 75.pars negativa latè defenditur.

Quo pacto B. Virgo, admisso quod peccaverit in Adamo, præservata sit à peccato originali? disp.5.p.75.

An B. Virgo peccaverit in Adamo, & debitum proximũ peccati originalis contraxerit? disp.6.p.78.

Quomodo B. Virgo propter meritum Passionis Christi potuerit liberari à debito proximo peccati originalis? disput.7. pag.89.

AD TRACTATVM
De Pœnitentia Virtute.

An detur virtus specialis pœnitentiæ à reliquis distincta, & quodnam sit eius motivum? disp.32.à pag.371.ad 386.

De actibus imperatis à virtute pœnitentiæ, nempè contritione, attritione, & proposito non peccandi, vide duodecim quæstiones in indice disputationum, disp.33. & in tomo à pa.386.vsque ad 401.

De præcepto contritionis, vide disp.34. pag.401.

An remissa culpa possit manere reatus ad pœnam? Vide disp.8. à p.104.ad 127. & disp.9.à p.127.vsque ad 137.

AD TRACTATVM
De Pœnitentia Sacramento.

Quibus partibus essentialiter constituatur Sacramentum Pœnitentiæ? disput.35. pag.406.

An absolutio Sacramentalis validè possit conferri absenti? disp.36.sect.1. p.409.

An valida sit absolutio collata reo præsenti, qui per litteras exposuit sua peccata confessori absenti? p.410.

An moribundus, qui verbis aut nutibus confessionem petijt, vel signa pœnitentiæ dedit, si testis sit, qui deponat, absolvendus sit? p.411.

An qui confessionem non petijt, nec dedit signum pœnitentiæ, possit Sacramentaliter absolvi? p.416.

An attritio sufficiens ad iustificationem intra Sacramentum, debeat oriri ex dilectione Dei? disp.37.p.422.

An possit defectu doloris dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe? disp.38. p.425. & disp.43. sect.6. pag. 481.& disp.44.p.493.per totam.

An possit dari Sacramentum validum, & informe, in aliquo casu? disp.43.sect.7.

An peccatum commissum in instanti Baptismi, sit materia cõfessionis? d.39 p.430.

An peccata solum existimata sint materia sufficiens huius Sacramenti? d.40.p.433.

An peccata dubia sint materia necessaria confessionis? disp.41.p.436.

An circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem sint materia necessaria confessionis? d.42.p.447.

An qui ex verecundia tacet aliquod mortale, teneatur aliorum cõfessionem iterare, disp.43.à pag.464.vsque ad 493.

An qui confitetur peccatum mortale cum dolore, & proposito reipsa inefficacis quod tamẽ bona fide ipse putat esse efficax, faciat confessionem invalidam, & reiterandam? disp.44.p.493.

Quale examẽ debeat præcedere ante cõfessionem? disp.45.p.504.

INDEX

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM;

QVÆ IN HOC TERTIO TOMO SELECTARVM DISPVTATIONVM EX VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CONTINENTVR.

DISPVTATIO I.

Ad quæst. 71. 1. 2. art. 5.

AN sit possibilis pura omissio peccaminosa? pag. 1.

Sect. 1. Status quæstionis, & Authorum placita, ibid.

Sect. 2. Eligitur, & probatur sententia negans, pag. 3.

Sect. 3. Præcluduntur effugia nostræ rationis, pag. 5.

Sect. 4. Infertur ex dictis posse defendi repugnantiam puræ homissionis peccaminosæ, quamvis absolute admittantur possibilis pura omissio libera, pag. 9.

Sect. 5. Solvuntur obiectiones contendentes non repugnare puram omissionem peccaminosam, si semel in genere non repugnat pura omissio libera, pag. 11.

Sect. 6. Solvitur difficultas quædam contra nostram rationem, pag. 15.

Sect. 7. Specialis alia difficultas, pag. 17.

Sect. 8. Enumerantur casus in quibus potest admitti pura omissio libera, pag. 19.

Sect. 9. Nova ratione ostenditur impossibilitas puæ omissionis peccaminosæ, pag. 21.

Sect. 10. An absolute verius sit repugnare omnem puram omissionem? pag. 23.

Sect. 11. Quid sentiat D. Thomas de pura omissione peccaminosa, pag. 27.

DISPVTATIO II.

Ad quæst. 73. articul. 5.

An peccatum mortale sit simpliciter infinitū in ratione offensæ, vel malitiæ, p. 29.

Sect. 1. Authorum placita, & quæstionis sensus, ibid.

Sect. 2. Ostenditur peccatum non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ ratione singulari, ibid.

Sect. 3. Probatio secunda ex eo, quod offensa nihil includit infinite displicens Deo, pag. 31.

Sect. 4. Instauratur præcedens ratio, & ostenditur summum bonum non posse formaliter gravificare malum, pag. 32.

Sect. 5. Tertia probatio ex eo, quod alioqui satisfactio Christi non esset superabundans, pag. 35.

Sect. 6. Probatio quarta ex inæqualitate peccatorum, pag. 36.

Sect. 7. Probatio quinta ex eo, quod peccatum non est simpliciter infinitum in ratione demeriti, pag. 39.

Sect. 8. Possit ne peccatum mortale mereri omnem pœnam possibilem, quin sit simpliciter infinitum in ratione offensæ? p. 42.

Sect. 9. Vrgetur paritas peccati venialis, p. 43.

Sect. 10. Ostenditur Deum non esse subiectū mortale offensæ, pag. 44.

Sect. 11. Quo pacto possit à Deo trahere offensæ superioritatem ordinis, quin trahat infinitatem, pag. 45.

Sect. vltim. Præcaventur reliquæ obiectiones p. 48.

DISPVTATIO III.

Ad quæst. 82.

De natura peccati originalis, vbi defenditur antiquata sententia D. Augustini constituentis peccatum originale in reatu, pag. 50.

Sect. 1. Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ celebriores de cōstitutione peccati originalis, ibid.

Sect. 2. An, & quomodo peccatum originale sit voluntarium parvulis, & quid sit illos in Adamo peccasse? pag. 52.

Sect. 3. An & quale pactum Deus iniverit cum Adamo? pag. 55.

Sect. 4. Nostrum iudicium de sententia constituente peccatum originale per privationem gratiæ, pag. 56.

Sect. 5. Exponitur sententia Augustini constituentis peccatū originale in reatu, p. 58.

Sect. 6. Ostenditur, sententiam Augustini nō dif-

differre à ſententia Catherini recte explicata, pag. 60.
Sect. 7. Vindicatur à cenſura ſententia Catherini, & exponitur error Pelagij circa peccatum originale, pag. 61.
Sect. 8. Solvuntur argumenta à ratione contra ſententiam Auguſtini, pag. 62.

DISPVTATIO IV.

Ad quæſt. 82. 1. 2. & quæſt. 27. 3. part.

An hęc duo inter ſe cohæreant, Deiparam peccaſſe in Adamo, & tamen non contraxiſſe maculam originalem? pag. 64.
Sect. 1. Authorum placita, & ratio difficultatis, pag. 65.
Sect. 2. Reijcitur primus modus conciliandi illa duo traditus à Patre Suarez, ibid.
Sect. 3. Reijcitur ſecundus modus traditus à Patre Vazquez, pag. 66.
Sect. 4. Reijcitur tertius alius modus traditus à Patre Vazquez, pag. 68.
Sect. 5. Noſtra ſententia negans illa duo inter ſe cohærere, pag. 70.
Sect. 6. Solvitur difficilis obiectio: vbi non nulla de quidditate peccati habitualis, pag. 72.

DISPVTATIO V.

Quo pacto B. Virgo, admiſſo, quod peccaverit in Adamo, præſervata fuerit ob paſsionem Chriſti ab ipſa macula originali? pag. 75. (ibid.
Sect. 1. Sensus quæſtionis, & dubitandi ratio,
Sect. 2. Expeditur difficultas, ibid.
Sect. 3. Solvuntur obiectiones, pag. 77.

DISPVTATIO VI.

An Beata Virgo peccaverit in Adamo, & debitum proximum peccati originalis cõtraxerit? pag. 78.
Sect. 1. Quid ſit debitum peccati originalis; vbi an ſit idem, ac peccaſſe in Adamo? ibid.
Sect. 2. Authorum placita, pag. 80.
Sect. 3. Oſtenditur Beatam Virginem non peccaſſe in Adamo, nec debitum peccati contraxiſſe, pag. 81.
Sect. 4. Solvuntur obiectiones, pag. 83.
Sect. 5. Quomode ſalveturVirginem fuiſſe redemptam, ſi non contraxit debitum peccati? pag. 86.

DISPVTATIO VII.

Quomodo Beata Virgo propter meritum Paſsionis Chriſti potuerit liberari à debito proximo peccati originalis? pag. 89.
Sect. 1. Sententia Patris Granado reijcitur, & ſingulari ratione oſtenditur, non potuiſſe præfiniri Chriſtum vt Redemptorem ante permiſsionem peccati, ibidem.
Sect. 2. Examinatur ſententia Patris Alderete, pag. 93.
Sect. 3. Impugnatur ex dictis ſententia Patris Ioannis Perlini, pag. 96.
Sect. 4. Singularis ſententia P. Antonij de Peñaloſa, ibid.
Sect. 5. Sententia Illuſtriſsimi Salazar: vbi an ante prævisum peccatum Adæ fuerit præfinita abſolute exiſtentia omnium poſterorum, qui peccaverunt in ipſo? pag. 98.
Sect. 6. Defenditur ſpeciali modo ſententia Cardinalis de Lugo, pag. 101.
Sect. 7. Alia via expeditur difficultas, p. 102.

DISPVTATIO VIII.

Ad quæſt. 86. 1. 2. artic. 3. de reatu pœnæ, & ad quæſt. 86. 3. p. art. 4. Vtrum remiſſa culpa remaneat reatus pœnæ.

An, & quomodo reatus pœnæ, & reatus culpæ diſtinguantur? Vbi examinatur, an hæc propoſitio: *Peccatum veniale nequit eſſe totaliter, & adæquatè remiſſum quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquã pœnam Purgatorij ipſi debitam*: ſit cenſura aliqua digna: vel an potius ſit probabilis, immo, & vera? pag. 104.
Sect. 1. Rationes, quę ſuadent, illam propoſitionem non eſſe vlla cenſura dignam, ſed potius eſſe probabilem, pag. 105.
Prima ratio, pag. 108.
Secunda ratio, pag. 108.
Tertia ratio, pag. 109.
Quarta ratio, ibid.
Tridentinum nihil definire contra noſtram propoſitionem, dag. 111.
Sect. 2. Repelluntur cenſuræ noſtrę propoſitionis, pag. 112.
Ex noſtra propoſitione nihil ſequi cõtra veritatem Purgatorij, & contra modum illum probandi ex principijs certis, p. 114.
Nihil ex noſtra propoſitione ſequi contra praxim iuſtorum confitendi venialia, ibid.
Ex noſtra propoſitione nihil ſequi contra indulgentias; & ſtudium eas lucrandi, p. 117.
Nihil ſequi contra noſtram propoſitionem ex Sacramento Extremæ Vnctionis, ibid.
Inſinuantur fundamenta à ratione, pag. 118.
Sect. 3. Epilogus, pag. 119.
Sect. 4. Oſtenditur à ratione non poſſe peccatum veniale adæquate, & totaliter remitti quoad reatum culpę manente reatu ad aliquam Pœnam Purgatorij, præſertim damni, ibidem.
Sect. 5. An, & quomodo ſit macula quædam levis reatus pœnæ temporalis manens, dimiſſa culpa mortali? pag. 125.

DISPVTATIO IX.

Ad quæſt. 86. 1. 2. art. 1. & 86. 3. p. art. 4.

An

An sit probabile peccatum mortale non esse totaliter, & adequatè remissum quoad reatum culpæ manente reatu ad aliquam pœnã Purgatorij, præsertim damnip. 127.
Sect. 1. Multiplex probatio nostræ sententiæ affirmantis, ibidem.
Sect. 2. Vlterior nostræ sententiæ probatio, pag. 132.
Sect. 3. Solvitur quædam obiectio contendẽs à paritate peccati venialis posse remitti mortale quoãd culpam, manente reatu ad totam pœnam, pag. 135.

DISPVTATIO X.

Ad quæstionem 110. 1. 2. in qua D. Thomas agit de gratia quantum ad eius essentiam.

De oppositione gratiæ habitualis cum peccato. In qua ostenditur gratiam posse cõponi cum peccato actuali, quo expellitur, non autem cum habituali, quod expellit, pag. 137.
Sect. 1. Nostræ sententiæ probatio, quod divinitus possit componi gratia cum peccato actuali, pag. 138.
Sect. 2. Suadetur iterum, quod gratia habitualis nequeat habere essentialem oppositionem cum peccato actuali, quo expellitur, pag. 141.
Sect. 3. Solvuntur aliæ obiectiones contra nostram sententiam, pag. 144.
Sect. 4. An necesse sit eodem modo philosophari de peccato actuali, & habituali quoad oppositionem gratiæ cum peccato. Vbi pars negativa defenditur, pag. 148.
Sect. 5. Solvuntur aliæ obiectiones contra nostram sententiam, pag. 150.
Sect. 6. Instauratur ratio nostræ sententiæ, pag. 157.

DISPVTATIO XI.

Ad quæst. 1. 3. part. de convenientia Incarnat.

An Deus ex se fuerit necessitatus moraliter ad Incarnationem? Vbi de necessitate ad optimum, pag. 159.
Sect. 1. Multiplex necessitas, & status quæstionis aperitur, ibid.
Sect. 2. Ostenditur Deum saltem ex suppositione necessitari moraliter ad aliqua, p. 160.
Sect. 3. Confirmatur nostra conclusio, & præcluduntur adversariorum effugia, p. 162.
Sect. 4. Ostenditur Deum esse moraliter necessitatum ad productionem vniversi, & alicuius vniouis hypostaticæ, pag. 164.
Sect. 5. Solvuntur obiectiones, pag 166.

DISPVTATIO XII.

Ad quæst. 1. 3. part.

An purus homo possit condigne satisfacere pro peccato proprio?
Sect. 1. Si contritio sit forma sanctificans, purus homo potest satisfacere condignè pro peccato proprio quoad culpam, pag. 170.
Sect. 2. Impugnatur sententia Patris Ripaldæ pag. 172.
Sect. 3. Solvitur alia obiectio, vbi an possit culpa mortalis remitti, quin tollatur reatus pœnæ æternæ? pag. 173.
Sect. 4. Ostenditur non posse hominem satisfacere pro mortali quoad culpam, quin satisfaciat pro æterna pœna, pag. 175.
Sect. 5. Præcluditur quoddam effugium, & natura odij inimicitiæ magis explicatur, pag. 178.
Sect. 6. An absolute purus homo possit condigne satisfacere pro peccato mortali proprio quoad culpam? pag. 180.
§. 1. Expenditur Scoti ratio, ibid.
§. 2. Nostra sententia, vbi speciali ratione ostenditur actum contritionis esse formam sanctificantem. pag. 182.
§. 3. Præcaventur obiectiones desumptę ex Concilio, pag. 186.
Sect. 7. An ex dictis sequatur; posse purum hominem perfectè satisfacere pro peccato mortali proprio? prg. 187.
§. 1. Defenditur ratio patris Vazquez, & solvitur prima difficultas, ibid.
§. 2. Secunda difficultas contra illam rationem, & prima illius solutio, pag. 188.
§. 3. Secunda eius difficultatis solutio, p. 190.
§. 4. Vltima eiusdem difficultatis enodatio, p. 191.

DISPVTATIO XIII.

Ad quæstionem primam 3. partis.

An purus homo possit satisfacere ad æqualitatẽ pro peccato mortali alterius? p. 192.
Sect. 1. Status quæstionis est Authorum sententiæ, ibidem.
Sect. 2. Impugnatur sententia recurrens ad infinitatem peccati, pag. 193.
Sect. 3. Aliæ rationes de impotentia puri hominis ad satisfaciendum pro mortali insinuantur, ibidem.
§. 1. Defenditur ratio Eximij Doctoris, ibid.
§. 2. Expenditur alia ratio, pag. 196.
§. 3. Ratio P. Vazquez, pag. 198.

DISPVTATIO XIV.

An saltem purus homo possit mereri condigne alijs remissionem peccati mortalis? pag. 201. (ibid.
Sect. 1. Eligitur, & probatur sententia negans
Sect. 2. Solvuntur obiectiones. pag. 202.

DISPVTATIO XV.

An purus homo possit satisfacere pro peccato veniali? pag. 204.

INDEX DISPVTATIONVM,

Sectio 1. Authorum placita, ibid.
Sectio 2. Nostra sententia varijs assertionibus proponitur, pag. 205.
Sectio 3. Continuatur materia præcedens. Vbi multa de remissione venialium, & ostenditur venialia remitti in alia vita per satisfactionem, pag. 208.

DISPVTATIO XVI.
De sufficientia satisfactionis Christi ad redimendum genus humanum, pag. 212.
Sectio 1. Stabilitur communis, & vera sententia, ibid.
Sectio 2. Solvuntur obiectiones, pag. 213.

DISPVTATIO XVII.
De infinitate satisfactionis Christi, p. 214.
Sectio 1. Vnde, & quomodo satisfactio habeat infinitatem, pag. 215.

DISPVTATIO XVIII.
An satisfactio Christi habuerint omnes conditiones strictæ iustitiæ? pag. 212.
Sectio 1. De prima conditione satisfactionis iustitiæ, vt sit ad alterum, ibid.
Sectio 2. De secunda conditione, quod scilicet satisfactio non fiat ex bonis creditoris, pag. 218.
Sectio 3. De alia conditione, quod satisfactio sit ex propijs, & non ex gratuitò acceptis à creditore, pag. 221.
Sectio 4. De alia conditione, nempe quod fiat ex non debitis alio titulo, pag. 222.
Sectio 5. De alijs duabus conditionibus satisfactionis ex iustitia, p. 223.

DISPVTATIO XIX.
An Deus per satisfactionem Christi fuerit obligatus ex iustitia stricta ad remissionem peccati? 225.
Sectio 1. Sensus quæstionis, & Authorum placita, ibid.
Sectio 2. Impugnatur sententia Patris Ripalda, pag. 226.
Sectio 3. An obligatio ex iustitia lædat Dei dominium? pag. 227.
Sectio 4. Nostra sententia, obligationem ex iustitia optimè componi cum Dei dominio perfecto, pag. 231.
Sectio 5. Solvuntur obiectiones, pag. 232.
Sectio 6. Concluditur Deum ex iustitia accepisse satisfactionem Christi, pag. 235.

DISPVTATIO XX.
An Christus satisfecerit Deo obligatus ex iustitia, pag. 237.
Sect. 1. An peccatum mortale sit stricte iniuria Dei? Defenditur pars affirmativa, ibid.
Sectio 2. Resolvitur quæstio, pag. 240.

DISPVTATIO XXI.
Ad quæst. 1. 3. *partis articulo* 3.
De causa finali incarnationis, vbi an Christus venisset, Adamo non peccante, ibid.
Sectio 1. Status controversiæ, ibid.
Sectio 2. Sententia S. Thomæ, eiusque fundamenta, pag. 241.
Sectio 3. Sententia Scoti, eiusque fundamenta, pag. 242.
Sectio 4. Sententia Patris Suarez, pag. 243.
Sectio 5. Ostenditur Christum fuisse præfinitum ante permissionem peccati, pag. 244.
Sectio 6. An absolute Christus venisset Adamo nõ peccante? Statuitur pars affirmans, pag. 245.
Sectio 7. Modus specialis cõciliandi illa duo & quod Christus non venisset Adamo non peccante, & quod nihilominus sit præfinitus ante omnes creaturas, pag. 246.
Sectio 8. Resolvuntur aliqua dubia, pag. 248.

DISPVTATIO XXII.
Ad quæst. 2. 3. *partis articul.* 7.
De vnione hypostatica secundum se, ibid.
Sectio 1. Quid sit hæc vnio, & quomodo facta, ibidem.
Sectio 2. An hæc vnio sit intrinseca Verbo? pag. 246.
Sectio 3. Quo pacto salvetur Verbum assumpsisse naturam, & non personam, pag. 250.
Sect. 4. Notantur aliqua ad intelligendum mysterium Incarnationis, pag. 251.
Primum, An personalitas Verbi reddat subsistentem humanitatem? ibid.
Secundum, An subsistentia Verbi suppleat subsistentiam propriam humanitatis? ibid.
Tertium, An personalitas Verbi supponitet humanitatem in eodem sensu, in quo illã supponitaret propria personalitas, quatenus est aliquid superadditũ naturę? p. 252.
Quartum, An personalitas Verbi reddat naturam humanam incommunicabilem alteri, vt supposito? ibid.
Quintum, Quæ incommunicabilitas sit de ratione personæ? ibid.
Sextum, An in creatis multiplicetur persona multiplicata personalitate? pag. 253.

DISPVTATIO XXIII.
An sit proprium personæ infinitæ ob eius infinitatem alienam posse suppositare naturam? pag. 254.
Sect. 1. Singulari ratione probatur sententia affirmans, ibid.
Sect. 2. Infertur ex dictis, cur in Christo non detur persona creata, & quomodo illa sit persona composita, pag. 257.

Sect

*Sect.*3. Alia ratione ostenditur proprium esse solius personę infinitæ alienam terminare naturam, pag. 258.
*Sect.*4. Ratio persuadens non posse personam creatam alienã suppositare naturã, p.265.
*Sect.*5. Solvuntur obiectiones, pag.266.
*Sect.*6. Solvuntur aliæ obiectiones, p.291.
*Sect.*7. Reliquæ obiectiones, pag. 273.
*Sect.*8. Ratio à priori, cur suppositum creatum nequeat alienam suppositare naturam, pag. 275.

DISPVTATIO XXIV.

Ad quæst. tertiam 3. partis articul. 6.

An si tres divinæ Personæ assumerent eandem humanitatem, resultaret triplex homo, an vnus dumtaxat? pag.277.
*Sect.*1. Probatur vera sententia, quod foret triplex homo, ibid.
*Sect.*2. Solvitur prima obiectio, cur licet sint tres personæ habentes Deitatem, non sint tres Dei, & ostenditur, quod non multiplicatur in Deo ratio habentis Deitatem, pag. 280.
*Sect.*3. Solvitur secunda obiectio, & exponitur suppositio huius nominis *Deus*. Exponitur, cur hoc nomen *Deus* non sit nomen suppositi: *homo* autem sit nomen suppositi, pag. 282.
*Sect.*4. Solvitur tertia obiectio, & ostenditur contra Cardinalem de Lugo, quod hic numero *homo* non significat *aliquod* habens hanc humanitatem, sed hoc numero habens humanitatem, & idem est de hoc numero *Deo*, qui non supponit pro aliquo habente Deitatem, sed pro hoc numero habente Deitatem, pag. 283.
*Sect.*5. Solvitur alia obiectio, & ostenditur ex vna humanitate cum triplici subsistentia creata non resultare nisi vnum hominem, p. 286.
*Sect.*6. Solvitur quinta obiectio, & exponitur, quo pacto Christus sit homo eiusdem speciei nobiscum, pag. 287.
*Sect.*7. Solvitur sexta obiectio, & exponitur, quomodo vnitas, vel pluralitas nominis substantiui attendatur secundum formam significatam, pag. 288.
Sect 8. Septima, & præcipua obiectio, cuius occasione ostenditur, quod *spirator* est individuum quoddam per se subsistens commune duabus personis, sicut hic numero *Deus* est individuum per se subsistens commune tribus, pag. 290.
*Sect.*9. Alia obiectio, cuius occasione disseritur de Christi prædestinatione, an scilicet, & quatenus hic numero homo prædestinatus sit, vt esset Filius Dei? pag.296.
*Sect.*10. Exponitur nostra sententia de prædestinatione Christi, pag.299.
*Sect.*11. Solvitur vltima obiectio, pag. 301.

DISPVTATIO XXV.

An si vna Persona Diuina assumeret tres humanitates, esset vnicus homo, an triplex? pag. 303.
Sect. Vnica Probatur fore vnum tantum, ibid.

DISPVTATIO XXXI.

An subsistẽtia in creatis identificetur cum actione creativa rerum, pag. 304.
Sect 1. Proponitur sententia Patris Bernal, ibidem.
*Sect.*2. Ostenditur contra Bernal subsistentiã creatam non consistere in actione creativa, pag. 305.
*Sect.*3. Proponitur, & impugnatur sententia Patris Bernal, quod possit assumi humanitas retinens propriam subsistentiam, p. 307.
*Sect.*4. Respondetur ad fundamenta Patris Bernal, pag. 310.
*Sect.*5. Solvitur quædam obiectio, cuius occasione disquiritur, an Incarnatio Verbi debeat realiter identificari cum productione humanitatis? pag. 311.
*Sect.*6. Solvuntur rationes, quibus P. Bernal probat humanitatem Christi eadem invisibili actione fuisse productam, & vnitam Verbo, pag. 312.
*Sect.*7. Solvuntur argumenta alia, quibus Recentiores contendunt non aliter posse humanitatem suppositari à Verbo, quam si Verbo vniatur eadem actione, qua producitur, pag. 315.

DISPVTATIO XXVII.

Ad quæst. 3. 3. *partis.*

An suppositum increatis addat aliquid positivum supra naturam? pag. 320.
*Sect.*1. Quid sit suppositum. Quid persona, ibidem.
*Sect.*2. Referuntur sententiæ de constitutione suppositi increatis, ibid.
*Sect.*3. Impugnatur sententia communis affirmans suppositum in creatis addere aliquid positivum supra naturam, pag. 322.
*Sect.*4. Ostenditur suppositum, & personam in creatis nihil positivum addere supra naturam, pag. 324.
§.1. In primis ostenditur hanc esse sententiam D. Thomæ, ibid.
§.2. Probatur sententia authoritate Conciliorum, & Patrum asserentium Verbum assumpsisse humanitatẽ cum omnibus suis proprietatibus, pag. 325.
§.3. Probatur vlterius nostra sententia alijs Patrum authoritatibus, pag. 327.

Sect. 5. Probatur noſtra ſententia rationibus, pag. 328.
Sect. 6. Infertur ex dictis, an, & quomodo humanitas ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, & hæc ſuppleat ſubſiſtentiam creatam? pag. 330.
Sect. 7. Solvuntur obiectiones, pag. 331.

DISPVTATIO XXVIII.
Ad quæſt. 16. 3 *part. art.* 1.
An Chriſtus vt homo ſit perſona, p. 335.
Sect. 1. Senſus quæſtionis, & Authorum placita, ibid.
Sect. 2. Oſtenditur illam propoſitionem eſſe falſam, ſi ſumatur reduplicative, & ſupponat pro complexo ex Verbo, & humanitate, importando vtrunque in recto, pag. 336.

DISPVTATIO XXIX.
Ad quæſt 19. 3 *part. artic.* 3. & 4.
An, & quomodo Chriſtus meruerit per acceptationem mortis, alioſque actus præceptos? pag. 341.
Sect. 1. Proponitur ſtatus quæſtionis, ibid.
Sect 2. Prima concordia impeccabilitatis Chriſti cum libertate in acceptanda morte, quia præceptum fuit diſpenſabile, ibid.
Sect. 3. Noſtra ſententia, & natura huius præcepti, ibid.
Sect 4. Præcipua difficultas contra noſtram ſententiam, & prima eius ſolutio, p. 242.
Sect. 5. Secunda eiuſdem difficultas ſolutio, pag. 246.
Sect. 6. Solvuntur obiectiones, pag. 247.
Sect. 7. Solvitur vltima obiectio, vbi an Chriſtus habuerit obligationem naturalem redimendi homines? pag. 350.

DISPVTATIO XXX.
Secunda concordia impeccabilitatis Chriſti cum libertate in acceptanda morte, pa. 351.
Sect. 1. Noſtra ſententia, ibid.
Sect. 2. Oſtenditur non coherere in Chriſto præceptum indiſpenſabile cum principijs proximis ad omittendum actum præceptum, niſi adſit in humanitate facultas ad impediendam vnionem hypoſtaticã, ibid.
Sect. 3. Proponitur modus ſalvandi libertatem Chriſti ſimul cum præcepto indiſpenſabili, pag. 355.
Sect. 4. Prima difficultas contra noſtram ſententiam petita ab impeccabilitate ipſius Chriſti, ibid.
Sect. 5. Solvitur ſecunda difficultas petita ab impeccabilitate ipſius humanitatis, p. 356.
Sect. 6. Tertia difficultas petita à ratione ſuppoſiti, pag. 358.
Sect. 7. Reliquæ difficultates, pag. 362.

DISPVTATIO XXXI.
An per diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi recte explicetur concordia libertatis cum præcepto indiſpenſabili, & inimpedibili? pag. 363.
Sect. 1. Exponitur ſententia Thomiſtarum ibidem.
Sect 2. Refellitur præcedens ſententia, pag. 364.
Sect. 3. Præcluduntur effugia adverſariorum, pag. 365.
Sect. 4. Alio argumento refellitur ſententia Thomiſtarum, pag. 368.
Sect. 5. Diluitur obiectio quædam, pag. 369.

DISPVTATIO XXXII.
De natura, & eſſentia virtutis Pœnitentiæ, pag. 371.
Sect. 1. An pœnitentia ſit proprie virtus? ibid.
Sect. 2. An pœnitentia ſit virtus Specialis? pag. 372.
Sect. 3. An pœnitentia ita ſit virtus ſpecialis, vt diſtinguatur à reliquis? pag. 373.
Sect. 4. Referuntur Doctorum ſententiæ circa motivum virtutis ſpecialis pœnitentiæ, pag. 374.
Sect. 5. Datur ſpecialis virtus pœnitentiæ in omni actu eſſentialiter ſupponens peccatum à pœnitente commiſſum, pag. 375.
Sect. 6. Solvuntur aliæ obiectiones, & amplius explicatur motivum pœnitentiæ, pag. 378.
Sect. 7. De ſubiecto virtutis pœnitentiæ, pag. 382.
Sect. 8. De obiecto materiali pœnitentiæ, pag. 383.
Sect. 9. An pœnitentia ſit virtus moralis, an Theologica, pag. 384.
Sect. vlt. An pœnitentia ſit ſpecies iuſtitiæ? pag. 385.

DISPVTATIO XXXIII.
De actibus imperatis à virtute pœnitentiæ, nempè cõtritione, attritione, & propoſito non peccandi, pag. 380.
Sect. 1. An contritio perfecta debeat eſſe ex motivo charitatis? ibid.
Sect. 2. An & quomodo contritio ſit deteſtatio efficax omnium peccatorum, pa. 387.
Sect. 3. An & quomodo contritio debeat deteſtatari peccatum ſuper omnia? pag. 388.
Sect. 4. An & quomodo contritio perfecta deteſtetur malum culpæ ſupra malum pœnæ æternæ? pag. 391.
Sect. 5. An ex motivo charitatis poſsit quis deteſtari vnum peccatũ mortale ſine alio, pag. 393.

Sect.

Sectio 6. An ex motivo charitatis possit quis detestari vnum peccatum veniale sine alio,p.396.
Sectio 7. An contritio perfecta debeat esse amor Dei formalis, & amorem formalem supponere,ibid.
Sectio 8. An ad contritionem iustificantem extra Sacramentum sufficiat virtualis detestatio peccatorum?ibid.
Sectio 9. An contritio perfecta sine proposito expresso,non peccandi de cætero sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum?p.397.
Sectio 10. An contritio sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum debeat esse de omnibus peccatis in particulari?pag.398.
Sectio 11. An in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat dilectio Dei sine expressa contritione?ibid.
Sectio 12. Quid sit attritio,& in quo à contritione perfecta differat?p.400.

DISPVTATIO XXXIV.
De præcepto contritionis, p.401.
Sectio 1. An statim post commissum mortale teneamur elicere contritionem?ibid.
Sectio 2. Quo tempore obligetur peccator præcepto contritionis?p.404.

DISPVTATIO XXXV.
Quibus partibus essentialiter constituatur Sacramentum Pœnitentiæ?p.406.
Sect. vnica. Quibusdam sententijs parum probabilibus reiectis, probatur vera, & communis sententia de partibus essentialibus huius Sacramenti,ibid.

DISPVTATIO XXXVI.
Continens aliquas quæstiones de absolutione Sacramentali, pag.409.
Sectio 1. An absolutio Sacramentalis possit conferri absenti?ibidem.
Sectio 2. An valida sit absolutio collata reo præsenti, qui per litteras exposuit sua peccata confessario absenti?pag.410.
Sectio 3. An moribundus,qui verbis,aut nutibus confessionem petijt, vel signa Pœnitentiæ dedit,si testis sit,qui deponat,absolvendus sit?pag.411.
Sectio 4. An qui confessionem non petijt, nec dedit signum pœnitentiæ, possit Sacramentaliter absolvi?p.416.

DISPVTATIO XXXVII.
An attritio sufficiens ad iustificationem in hoc Sacramento debeat oriri ex dilectione Dei?p.422.
Sectio 1. Proponuntur fundamenta Cardinalis Sfortiæ affirmantis,ibid.
Sectio 2. Proponitur sententia communis negans,p.423.
Sectio 3. Solvũtur fundamenta Sfortiæ,p.424.
Sectio 4. Quomodo exponenda sit sententia Cardinalis Sfortiæ, si quis velit illam defendere,p.425.

DISPVTATIO XXXVIII.
An possit defectu doloris dari Sacramentũ Pœnitentiæ,validũ,& informe? p.426.
Sectio 1. Authores sententiæ affirmantis, & varij modi illam defendendi,p.427.
Sectio 2. Præfertur sententia negans,& varijs rationibus probatur,p.428.

DISPVTATIO XXXIX.
An peccatum commissum in dispositione Baptismi sit materia confessionis?p.430.

DISPVTATIO XL.
An peccata solum existimata sint materia sufficiens huius Sacramenti?p.433.

DISPVTATIO XLI.
An peccata dubia sint materia necessaria confessionis?p.436.
Sectio 1. Status quæstionis,& Authorum placita,ibid.
Sectio 2. Præmittuntur aliquæ assertiones ante resolutionem quæstionis,p.439.
Sectio 3. Resolvitur quęstio affirmative,p.443.
Sectio 4. Solvuntur obiectiones,p.445.
Sectio 5. An confessus peccatum vt dubium,si postea comperiat esse certum, teneatur iterum confiteri?p.446.
Sectio 6. Ad quid teneatur, qui certus est se peccasse, & dubius an confessus sit,ibid.

DISPVTATIO XLII.
An circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem sint materia necessaria confessionis?p.447.
Sectio 1. Eligitur sententia negans,p.448.
Sectio 2. Solvuntur aliæ obiectiones,p.449.
Sectio 3. Solvitur obiectio contendens explicandas esse circunstantias notabiliter aggravantes,quia hæc sententia est tutior,& in Sacramentis conferendis,vel suscipiendis tutior pars est eligenda, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, vbi examinatur sensus primæ propositionis damnatæ ab Innocentio Vndecimo, & multa disseruntur de integritate confessionis,pag.450.
Sectio 4. Resolvuntur varij casus,p.462.

DISPVTATIO XLIII.
An qui scienter ex verecundia tacet in con-

confessione peccatum mortale, teneatur aliorum confessionem iterare?p.464.
Sectio 1. Motivum discutiendi pro dignitate hanc quæstionem, vbi multa circa praxim audiendi confessiones rusticorum, qui peccata tacuerunt, ibid.
Sectio 2. Proponitur sententia Castilenti, qui excusat à confessionibus reiterandis pueros, rusticos rudes, & puellas, qui ex pudore peccata aliqua mortalia in confessionibus tacent: ostenditurque nullum ex Authoribus, quos pro se citat, illam opinionem tradidisse; sed omnes manifestissimè tradidisse oppositum, p.468.
Sect. 3. Ex communi contensu Theologorum certum est, esse invalidam, ac proinde reiterandam omnem confessionem, in qua pœnitens ex verecundia tacet aliquod peccatum mortale, p.472.
Sect. 4. Probatur ex Concilio Tridentino esse nullam, & reiterandam omnem confessionem, in qua ob verecundiam tacetur peccatum mortale, p.474.
Sect. 5. Ostenditur à ratione esse nullam, & invalidam, ac proinde repetendam omnem confessionem, in qua pœnitens malitiosè tacet aliquod mortale, p.478.
Sect. 6. Solvitur primum argumentum a paritate contendens, esse validam confessionem, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod mortale, cuius occasione ostenditur, esse certo nullam confessionem factam sine vllo vero dolore, p.e 81.
Sect. 7. Solvuntur alia argumenta contendentia esse validam confessionem, in qua ob verecundiam tacetur mortale, à paritate aliorum eventuum, in quibus iuxta sententiam probabilem datur confessio valida, & informis, p.485.
Sect. 8. Solvuntur argumenta petita à natura iudicij, quibus contenditur validam esse confessionem, in qua ob verecundiam tacetur mortale, p.489.
Sect. Vltim. Concluditur ex dictis esse penitus improbabilem opinionem asserentem, esse validam confessionem, in qua pœnitens ob verecundiam, vel pusillanimitatem tacet aliquod mortale: & ostenditur, quod quamvis haberet aliquam probabilitatem speculativè, non posset iam in praxim deduci post Bullam Innocentij XI. p.491.

DISPVTATIO XLIV.

An qui confitetur peccata mortalia cum dolore, & proposito reipsa inefficaci, quod tamen ipse bona fide putat esse efficax, faciat confessionem validam, & consequenter non reiterandam, an invalidam, & reiterandam? p.495.
Sect. 1. Præsupponitur ad quæstionem, propositum efficax saltem esse necessarium ad fructum huius Sacramenti; & esse reiterandam confessionem quoties constet fuisse invalidam, ibid.
Sect. 2. Referuntur Authores affirmantes cõfessionem in illo eventu esse validam, & proponitur eorum fundamentum, p.494.
Sect. 3. Ostenditur, esse nullam confessionem, in qua pœnitens non affert dolorem efficacem cum proposito absoluto non peccandi de cætero, p.495.
Sect. 4. Solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ, & declaratur: quomodo non oporteat fideles esse nimium solicitos in repetẽdis confessionibus, & exponitur, cur Sacramentum pœnitentiæ nequeat esse validum, & informe, p.501.
Sect. 5. Assignantur casus, in quibus peccatores habere possunt prudens fundamentum ad reiterandas confessiones bona fide factas, p.502.

DISPVTATIO XLV.

De examine, quod ante confessionem præmitti debet.
Quæ attinent ad examen breviter perstringenda sunt, p.504.

DISPVTATIO XLVI.

Demonstratur rationibus Divinitas Christi Domini, p.507.
Sect. 1. Insinuantur aliqua veteris testamenti testimonia pro Divinitate Christi, ibid.
Sect. 2. Introductio disputationis, eiusque maxima vtilitas, p.508.
Sect. 3. Primum caput probandi Divinitatem Christi ex miraculis, quæ fecit in huius veritatis confirmationem, p.510.
Sect. 4. Roboratur præcedens ratio ostendendo Deum non posse facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ, p.512.
Sect. 5. Repelluntur frivolæ evasiones, quibus infideles eludere conabuntur argumentum petitum à miraculis Christi, p.516.
Sect 6. Secundum caput probandi Divinitatem Christi ex vindicta, quã Deus sumpsit de Iudæis, quia illum crucifixerunt, pag.518.
Sect 7. Quartum caput probandi Divinitatẽ Christi ex mira correspondentia inter vetus, & novum testamentum, p.522.
Sect. 8. Quintum caput probandi Divinitatem Christi ex eius resurrectione, p.525.
Sect. 9. Sextum caput probandi Divinitatem Christi ex mirabili mundi conversione, pag.527.
Sect. 10. Septimum caput probandi Divinitatem


tem Christi ex permanentia Christianæ Ecclesiæ, quam fundavit, p. 529.
Sect. vltim. Reliqua capita probandi Divinitatem Christi breviter insinuantur, p. 531.

DISPVTATIO VLTIMA.
Consectaria ad præcedentem. Demonstrationes aliquæ cõtra Mahumetanos, p. 533.
Sect. 1. Brevis notitia de Mahumetanorum erroribus, & qua arte Mahumetus suam sectam invexerit, ibid.
Sect 2. Quo pacto Mahumetana secta introducta sit, p. 536.
§. 1. Qualiter Arabum historici sui Prophetæ vitam, & gesta narrent? p. 541.
§. 2. Aliæ notitiæ de Mahumeti vita, & moribus, p. 543.
Sect. 3. Mores, & instituta Mahumetanorum, pag. 547.
§. 1. Prima demonstratio contra Mahumetanos, p. 549.
§. 2. Secunda demonstratio, p. 550.
§. 3. Tertia demonstratio, p. 551.
§. 4. Quarta demonstratio, p. 552.
§. 5. Quinta demonstratio, p. 554.
§. 6. Sexta demonstratio. Vbi referuntur mirabiles conversiones Maurorum in hora mortis, p. 555.
§. 7. Septima demonstratio, vbi miræ vocationes Mahumetanorum ad fidem Christi enarrantur, p. 562.
§ 8. Mirabilis conversio Regis de Fez, postea postea Balthasaris de Loyola, Societatis Iesu, p. 564.
§. 9. Alia exempla, p. 568.
§. 10. Conversio mirabilis multorum infidelium spectantium martyrum atrocissima tormenta ad eam fidem amplectendam, pro qua tam dira videbant tormenta homines pati, clarissimum est veritatis Christianæ Religionis argumentum, p. 570.
§. 11. Singularis Dei providentia, quam Author expertus est in Maurorum conversione, satis probat, Religionem Christianam esse necessariam ad salutem viam, p. 571.
Sect. 4. Convincitur secta Mahumetana falsitatis ex eo, quod ponat homines beatitudinem in delectationibus carnalibus gustus, & tactus, p. 573.
Sect. 5. Demonstratur Christi Divinitas contra Mahumetanos; & primo ex dictis ipsius Alcorani, p. 579.
§. 1. Insinuantur breviter notæ, quibus dignoscitur Religionem Christianam esse veram, p. 587.
Sect. 6. Ostenditur contra Mahumetanos pluralitas personarum in Deo, & Divinitas Christi, 1. ex ipso Alcorano. 2. ex divinis Scripturis; quas Mahumetus admittit, pag. ibid.
Sect. 7. Solvitur crasa quædam Mahumeti obiectio; & explicatur quo pacto sine vxore proprie Filius Deo conveniat, p. 592.
Sect. 8. Cur Evangelista non dixit, *Verbum homo, sed caro factum est*, p. 596.
Sect. 9. Ostenditur contra Mahumetanos pluralitas personarum in Deo, & Christum esse Filium naturalem Dei, verumque dum ex divinis testimonijs visionum, & miraculorum, p. 599.
Sect. 10. Probatur Trinitas personarum contra Mahumetum: & ostenditur illum stulte negasse hoc mysterium, quia demonstrari non potest. Eius cum Simone Mago similitudo. Vbi quomodo Augustinus inductus fuerit ad deserendum errorem, in quo erat, quod videlicet nihil credi debeat, quin firma prius ratione probetur, p. 603.
Sect. 11. Proponitur colloquium, quod Author habuit cum Mauro arguto, & inter suas erudito, qui nolebat Christianæ fidei nomen dare, quia capere non poterat, quomodo Deus sit Trinus in personis, & quomodo potuerit fieri homo. Vbi symbolis, & similitudinibus explicantur mysterium Trinitatis, & Incarnationis, p. 608.
§. 2. Rationes probabiliter suadentes pluralitatem Personarum in Deo, p. 609.
§. 3. Exponitur, quomodo in Deo detur Pater, & Filius, & insuper Spiritus Sanctus, pag. 610.
§. 4. Cur in Deo dentur tres Personæ, neque plures, neque pauciores, p. 611.
§. 5. Quomodo exponendum sit mysterium Incarnationis ex S. Thoma, ibid.
§. 6. Explicatur mysterium Incarnationis variis similitudinibus, p. 614.
§. 7. Quomodo Prædicatores Evangelici persuadere debent in fidelibus vera esse mysteria nostræ fidei, p. 615.
§. 8. Demonstratur legem Mahumeti non succesisse legi Christi, sicut lex Christi succesit legi Moysis. Vbi exponitur, quomodo lex Christi non sit opposita legi Moysis, sed eius adimpletio, & perfectio, & convincuntur Iudæi contendentes Sacramentum circumcisionis, & ceremonialia legis antiquæ debere in æternum durare, quia sunt à Deo instituta, p. 618.
§. 9. Demonstratur legem Christi non potuisse abrogari per legem Mahumeti, quamvis lex Moysis sit abrogata per legem Christi, p. 621.
Sect. 12. Demonstratur contra Mahumetanos, Christum mortuum esse, & resurrexisse: indeque evidenter ostenditur, Alcoranum men-da-

mendacijs,& fabulis plenum esse,pag.624.
§.2. Crucis miracula clare probant,Christũ in ea mortem sustinuisse,p.627.
§.3. Cur Deus factus sit homo, & pro hominibus pati voluerit,p.629.
§.4. Exponitur ex Patribus,cur Deus voluerit fieri homo passibilis, & mortem Crucis subire,p.631.
Sect.13. Demonstratur contra Mahumetanos; neque vetus, neque novum testamentum esse adulteratum,& inde evincitur, Alcoranum vtrique testamento contradicens esse librum mendacem,& Diaboli suggestione compositum.p.633.
§.2. Demonstratur, vetus testamentum non esse depravatum à Iudæis, vt Mahumetani fabulantur,p.634.
§.3. Demonstratur novum testamentum non esse corruptum : & inde convincitur, doctrinam Alcorani ipsi contrariam, esse falsam. Vbi recensentur hæreses præcipuæ contra Trinitatem, & Incarnationem; & Concilia generalia, in quibus damnatæ sunt,p.636.
Sect.14. Evidentes contradictiones in Alcorano contentæ manifeste probant, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed Diaboli ministrum. Vbi,cur Mauris vinam prohibuerit,p.644.
§.2. Cur tot in Alcorano reperiantur contradictiones,p.648.
§.3. Ostenditur inexcusabiles esse Mahumetanos, qui legentes Alcoranum, & percipientes,quæ docet, non deserunt Mahumeti legem,p.649.
§.4. Colloquium inter Patrem Ignatium de las Casas,& Mahumetanum quendam: ex quo probatur Mahumetanos solo rationis ductu posse cognoscere Alcorani falsitates,pag.650.
Sect.15. Impura Mahumeti vita clare probat, eum non fuisse Dei Prophetam, sed sagacem regnorum deprædatorem,p.651.
§.2. Ideo Diabolus Mauris persuadet, Mahumetum fuisse virum sanctum,vt eius vitia sub larva virtutum imitantes, in infernum cum ipso detrudantur, p.656.
Sect.16. Pluralitas vxorum,& eas repudiandi licentia, quam lex Mahumeti præscribit, clare demonstrat,eam non esse legem Dei, pag.658.
§.2. Facilitas repudiandi vxores, quam Mahumeti lex concedit, clare ostendit, eam non habere Deum Authorem,p.663.
Sect.17. Demonstratur nullam ex proprietatibus legis Domini assignatis à Davide convenire legi Mahumetanæ,p.667.
§.1. Ostenditur legem Mahumetanam non esse immaculatam,quia multa iniusta præcipit,& multa turpissima vt licita permittit,ibidem.
§.2. Demonstratur legem Mahumeti nõ esse immaculatam, quia virginitatem prohibet; & omnibus imponit obligationem nubendi, cum ad vigesimum quintum annum pervenerint,p.672.
§.3. Ostenditur Alcoranum non esse legem, & testimonium Dei, quia testimoniũ Domini fidele; Alcoranum vero plenum est erroribus,mendacijs, & fabulis, pag.676.
§.4. Confutatur fabula Alcorani asserentis, Angelum Gabrielem apparuisse B.Mariæ Virgini discedenti è domo parentum in terram orientalem, & tunc illi anuntiasse Christi miraculosam conceptionem, vbi recensentur laudes,quæ in Alcorano de B. Virgine dicuntur,p.682.
§.5. Anuntiationem factam esse in domo Virginis, probatur contra Mahumetanos ex miraculosa illius translatione in Lauretanum,p.683.
§.6. Exploditur fabula Alcorani affirmantis, B.Mariam Christum peperisse,cum iuxtà palmam consisteret; & alia fabulosa narrantis,p.684.
§.7. Error Alcorani contra Mathematicam, pag.685.
§.8. Errores Alcorani contra Philosophiam naturalem,p.686.
§.9. Errores Alcorani contra Dei misericordiam,ibid.
§.10. Error Alcorani contra Dei providentiam trahentem homines ad veram fidem, & pietatem per miracula,p.687.
§.11. Error Alcorani contra Dei providentiam permittentem,vt amici sui in hac vita tribulationes patiantur, vt in alia coronentur,p.688.
§.12. Error Alcorani contra providentiam Dei permittentem homines fideles à Diabolo tentari,p.689.
§.13. Confirmatur doctrina præcedens exẽplà recenti Mahumetanæ fœminæ, quam à suscipiendo Baptismo Dæmon ei apparens deterrebat,p.690.
§.14. Error Alcorani contra Dei iustitiam,& misericordiam,p.691.
§.15. Quomodo Mahumetani fabulentur Mauros ab infero extrahi,p.691.
§.16. Pernicioſus alius error Alcorani contra Dei iustitiam affirmantis, homines per confessionem Mahumetanam,sine bonis operibus, & cum magnis criminibus fore salvandos,p.692.
§.17. Errores alij Alcorani contra humen rationis,p.692.

§. 18.

§.18. Error Mahumetanorum circa corpora,& animas defuntorum,p.693.
§. 19. Error Alcorani affirmantis Diabolos credentes Mahumeto fuiſſe ab in inferno liberatos,p.693.
§.20. Error Alcorani circa durationem inferni,p.693.
§.21. Error Alcorani contra Dei ſanctitatem,& hominis libertatem,p.694.
§.22. Quomodo perurgendi ſunt Mahumetani,qui interroganti,quando ſint ad fidem Chriſtianã convertendi? Reſpondent: Quãdo Deus voluerit. Vbi exemplis,& aptis ſimilitudinibus explicatur,prædeſtinationem,& præſcientiam Dei non auferre noſtram libertatem,p.695.
§.23. Demonſtratur Alcoranum non eſſe teſtimonium Dei, quia fabulis ridiculis plenum eſt,p.698.
*Sect.*18. Oſtenditur legem Mahumeti non eſſe à Deo, quia lex Domini convertens animas, à quo procul abeſt lex Mahumeti,p.700.
§. 1. Quales ſint Mahumetanorum ſancti, pag.700.
§.2. Oſtenditur legem Mahumeti carere medijs perveniendi ad ſanctitatem, & primo de Maurorum Zalã, ſeu oratione, pag. 701.
§.3. De Mahumetanorum lotionibus, & lavacris,p.702.
§.4. De Mahumetanorum ieiunio,p.702.
§.5. Concluditur ex dictis, quam impudenter Mahumetus dixerit, ſuam legem eſſe ſupra omnes,p.703.
*Sect.*19. Quamvis Mahumetus in Alcorano dicat ſibi non eſſe à Deo datam poteſtatem faciendi miracula: tamen aliqua, teſtibus carentia,in ſui commendationem finxit,p.703.
§.1. Miracula,quæ de Mahumeto narrãt Sarraceni,p.704.
Sect. Vlt. Aliqua obſervanda circa praxim convertendi Mahumetanos,p.704.
§.1. Quantum expediat publicas ad Mahumetanos conciones habere,p.704.
§. 2. Quomodo Mahumetani convocandi ſunt,ad has conciones publicas audiendas, pag.706.
§.3. Quod pro Maurorum converſione preces,eleemoſinæ,ieiunia,& alia pia opera à Chriſtianis exercenda ſunt, vt prædicatio effectum ſortiatur. Vbi ſingularia huius rei exempla ab Hiſpalenſibus exhibita recenſentur,p.706.
§. 4. Singulare exemplum puellæ ſexennis orantis pro Mahumetanorum converſione.p.709.
§.5. Quantum expediat, quod Mahumetani ad fidem converſi,magna cum ſolemnitate baptizentur,p.710.
§.6. Quomodo expugnãda ſit obſtinatio Mahumetanorum, qui veritatem Religionis Chriſtianæ cognoſcentes, Baptiſmum ſuſcipere detrectant,vel differunt,p.712.
§.7. Quid conſulere debeat Chriſti prædicator Mauris, quibus perſuadere non potuit,vt Baptiſmum peterent,p.713.
§. *Vltim.* Inſinuantur verba Scripturæ, quæ pro themate concionum contra Mahumetanos,eligi poſſunt. Et quomodo ex dictis expleri poſſint,p.714.



ERRATA CORRIGENDA: LITTERA *P.* PAGINAM: *C.* columnam: *L.* lineam significat.

IN Prologo ad lectorem p. 1. lin. 13. detestatum, lege destinatum. Ibidem l. 21. decreverint, decreverim. In ipso opere, p. 3. c. 1. l. 16. posi, posit. P. 8. c. 2. l. 47. gerendum, generandum. P. 24. c. 1. l. 1. non potest beatos cognoscere aliqua ratio, non potest beatus cognoscere aliquam rationem. Ibidem l. 16. auten, si autem. P. 76. c. 2. l. 44 denominatio, denominare. P. 89. c. 1. l. 16. merita, merito. P. 97. c. 1. l. 44. placere, placeret. P. 47. c. 1. l. 13. incomposibilis, compossibilis. P. 151. c. 2. l. 39. ratio disparitas, nam voluntas nostra, ratio disparitatis, nam voluntatem nostram. P. 152. c. 1. l. 4. sed &, sed est. Ibidem l. 20. qua, quia. P. 160. c. 2. titul. sect. suppositionem, suppositione. P. 163. c. 2. l. 17. miticula, miracula. P. 165. c. 1. l. 47. inclinaret, inclinare. P. 196. c. 2. l. 12. persone odio habetis, personæ odio habentis. P. 200. c. 2. l. 25. prohibito suo, pro libito suo. P. 210. c. 1. fine elicit, eluit. P. 210. c. 2. l. 16. perseverantiam, perseverantia. P. 212. c. 2. l. 41. consistente, consistentem. P. 260. c. 1. l. 10. si, sit. P. 266. c. 1. l. 38. resultante, resultare. P. 298. c. 1. l. 30. probabit convenit, probavit convenire. P. 336. c. 1. l. 47 incarnatio, incarnato. P. 344. c. 2. fine moris, mortis. P. 412. c. 2. l. 4. extremo, externo. P. 465. c. 1. l. 13. excipi, excepi. P. 510. c. 2. l. 44. per, pro. Ibidem l. 51. ego, ago. P. 519. c. 1. l. 13. fluit, flevit. P. 528. c. 1. l. 14. omnia generari, omni generi. P. 550. c. 1. fine complectabar, complectebatur. P. 570. c. 1. l. 36. studium, stadium. P. 584. c. 1. l. 34. magni, Magi. P. 573. c. 2. l. 38 fidari. fœdari. P. 649. in titul. *in* Alcoranum, Alcoranum. P 674. c. 1. l 33. Alzar, Alcazar. P. 675. c. 2. l. 6. complect, complector. P. 680. c. 1. l. 8. venialia, venalia. P. 685. c. 2. titul. Mathematicam, contra Mathemat. P. 686. c. 1. l. 40. eclypsum, eclypsim, ibid. c. 2. l. 8. resucitaturos, resurrecturos. P. 688. c. 1. l. 2. ad fides, ad fidem. P. 689. c. 1. l. 16. de reta, in Deum fide, de recta in Deum fide. P. 681. c. 1. l. 1. honore, horrore. P. 694. c. 2. fine futurum. furtum. P. 702. c. 1. l. 8. quam, quas, ibid. c 2. l. 12. homines, hominum. P. 703. c 2. l 7. momentis, monentis. P 705. c. 1. l. 25. noctæ, notæ. P. 706. c. 2. l. 35. initio, inito. P. 708. c. 2. fine fundebatur, fundebat. P. 711. c. 2. ad finem, orantum, ornatum.

Alia facilia correctu, quorum error statim legenti innotescit, omisimus. Salmanticæ, die 23. Martij, Anno 1680.

Magister *D. Petrus Mendez*,
Humaniorum litterarum primarius Professor, & Corrector ex præscripto Domini Cancellarij.

APPENDIX AD DISP. IX.

In eius proœmio per incuriam omissa est additio notatiunculæ lectorem remittentis ad proximum octavæ Disputationis proœmium: eadem scilicet est de totali, vel non totali remissione peccati mortalis ac venialis ratio; atque propterea opinionem quoque illam eo dumtaxat animo proponimus, ac disputamus, vt viri docti iudicent, an toleranda sit.

DIS-



DISPVTATIO PRIMA,

AN SIT POSSIBILIS PVRA OMISSIO peccaminosa?

AD QVÆSTIONEM SEPTVAGESIMAM primam, 1. 2. art. 5.

SECTIO PRIMA.

Status quæstionis, & Auctorum placita.



QVEST An voluntas vrgente præcepto positivo obligante ad aliquid faciendum, possit suspendere actum, ad quē cognoscit se hic, & nunc obligatam esse, quin hoc præstet per actum positivū, quo vel amet non observationē præcepti, seu nolit observationem, vel amet aliud obiectū incompossibile cum observatione præcepti: vt si quis videns hic, & nunc vrgere præceptum audiendi sacrum efficaciter amet venationem incompossibiliē cum auditione sacri. Quare nomine puræ omissionis in præsenti non intelligimus omissionem puram ab omni actu intellectus, & voluntatis, etiam indeliberato habente rationem simplicis complacentiæ; sed omissionem puram ab omni actu libero efficaci, directe, vel indirecte imperante omissionē: etenim quamvis ex parte actus primi præcedat aliqua simplex complacentia ergā venationem, vel ludū, quæ sit occasio omittendi sacrum, si tamen voluntas omittit sacrum, quin omissionem illā inducat aliquo actu positivo, qui directè, vel indirectè amet efficaciter illam omissionem, eamque inducat per modum effectus: dicetur violasse præceptum audiendi sacrum per puram omissionem, quia scilicet non elicuit actum præceptum, quando videbat instare præceptum.

2 In ipso autem quæstionis vestibulo suppono, falsam esse sententiam Gabrielis in 2. dist. 41. q. vnica, dub. 3., Caietani 1. p. q. 63. art. 5. sub fine, Petri Hurtado disp. 62. de Incarn. sect. 3., qui admittunt voluntatem posse pure omittere actum præceptum, quando videt se ad eliciendum eius obligari, & tamen non posse peccare peccato omissionis, nisi omissionem inducat aliquo actu positivo; arbitrantes enim putam omissionem non esse voluntariā, ac proinde non posse esse peccaminosam. Et hac via componit Caietanus impeccabilitatem Angeli pro primo instanti cum libertate quoad exercitium; quia quamvis Angelus in primo instanti potuerit habere omissionem actus præcepti, non tamen potuit habere omissionem, quę esset peccatum, *Quoniam*, inquit, *non potuit tunc habere actum malum, qui requiritur, vt omissio sit peccatum.* Et P. Hurtadus hac etiā via cōponit impeccabilitatē Christi

Impugnatur sententia Caietani asserentis omissionem liberā actū præcepti non esse peccatū.

cum libertate ipsius ad non acceptandam mortem præceptam; quia nimirum, Christus solum habuit libertatem ad fugiendā mortem per puram omissionem, quæ nec voluntaria, nec libera esse potest, ac proinde, nec peccaminosa: non autem per actū positivum. Hanc sententiam reliqui omnes Theologi aversantur, & meritò: vt enim inquit Eximius Doctor tom. 1. in 3. part. disp. 38. sect. 3. §. *Alij respondent. Quomodo intelligi potest, quod aliquis sciens, & volens non faciat, quod sibi præceptum est, cum possit, & nihilominus non peccet? & sane videtur haec sententia manifestè pugnare cum illo* Iacobi testimonio: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

Iacob. 4.

3 Tota ergo difficultas præsens ad hoc punctum revocatur, an voluntas cum videt se vrgeri præcepto ad eliciendum actum, possit actum illum cohibere, quin ponat actionem aliquam cum eo incompossibilem? nam si potest, profecto poterit peccare peccato puræ omissionis.

4 Divisi sunt in hac quæstione Doctores. Pro parte affirmativa citantur à P. Amico tom. de fine vltimo hominis disp. 3. sect. 3. S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 3. & quæst. 71. art. 5. Richardus, Durandus, Aureolus, Egidius, Hervæus, Argētina, Rubio, Okamus, Marsilius, Gabriel Maior, Palacios, Almainus, Curiel, Mediña, citat autem præter dictos pro eadē sententia Salas tom. 2. tract. 13. disput. 2. sect. 5. Bassolum, Cartusianū, Herreram, Adrianū, Altisiodorens. Navarrū, Nisse, Viguerium, Hispalensem, Antoninum, Flavium, Angestum, Petrum Soto, Aquariū. Ex nostris pro ea militant Suarez tom. 1. Metaph. disp. 19. sect. 4. n. 8. & de actibus humanis, tract. 2. disp. 1. sect. 5. & tract. 5. disp. 3. sect. 2. Valentia tom. 2. disp. 2. q. 1. & disp. 6. q. 1. punct. 2. Granados disp. 3. de peccatis, n. 4. Ruiz disp. 37. de provid. sect. 1. n. 13. Amicus, & Salas iam citati P. Meratius tom. 1. tract. de peccatis disp. 3. sect 1. Tanner. tom. 2. disp. 4. q 4. dub. 1. n 9. Theophilus Raynaudus in Morali disciplina dist. 2. num. 33. & 210. Ripalda disput. 70. de ente supernaturali, vbi puram omissionem meritoriam, quod longè difficilius est, latè propugnat, Arriega disput. 8. sect 6. & apud ipsum Hurtado. Item Oviedo controvers. 10. de anima, Pater Antonius Perez in manuscriptis de peccatis, & alij quos videre non vacavit.

Affirmativæ sententiæ Auctores.

5 Sententiam negantem tuentur Magister in 2. dist. 35. cap. 11. Albertus, Bonaventura, Capreolus, Medina, Conradus, Zumel, Alensis, Henricus, Bachonius, Abulensis, & alij apud Salas vbi supra, faveteque ei non obscure D. Thom. q. 2. de malo art. 1. & 1. 2. q. 71. artic. 5. eiusque mens saltem dubia est, vnde plures Thomistæ, & novissimè Carmelitæ tom. 2. in 1. 2. cum exponunt pro hac sententia. Ex nostris P. Vazquez 1. 2. disput. 92. c. 2. hanc tuetur sententiam, licet limitationem quandam ei adhibeat in fine disputationis; existimat enim propositis duobus obiectis voluntati, altero efficacius, altero vero minus efficaciter, ita esse liberam voluntatem, vt quamvis non possit prosequi id, quod minus efficaciter propositum est, sed determinata sit quoad specificationem, vt si aliquod velit sequi, illud solum possit, quod efficacius propositū est, tamen rectè possit neutrum illorum velle, hoc est possit se sistere, ne aliquod illorū affectu aliquo prosequatur, etiam si huius negationis volendæ non sit causa affectus alterius rei: *Alioquin procederemus in infinitum, aut certè tolleretur libertas.* Addit tamen, voluntatem parū durare in hac negatione actus, & ita nunquam peccare peccato omissionis sine aliquo actu positivo, qui sit causa illius, *eo quod nullum est* (inquit) *præceptum affirmativum, contra quod peccatur omissione, quod obliget ad sui observationem pro parvo illo temporis intervallo, quo potest voluntas se sistere, & non prosequi id quod ponitur.* Quare absolutè Vazquez non negat possibilem metaphysicè eventum, in quo voluntas possit peccare pure omittēdo actū præceptum.

Negativæ Auctores.

Limitatio Patet Vazquez

6 Differte hanc sententiā tuetur Cardinalis de Lugo apud Palavecinū 1. 2. dis. 3. q. 2. art. 1. n. 3. & ipse Palavecinus ibidē art. 5. & in assertis Theologicis lib. 3. n. 14. P. Aldrete disp. 6. de actibus humanis, Rivadeneira de actibus humanis disput. 12. & est communis inter Recentiores ferè omnes in manuscriptis.

7 Vtriusque autem sententiæ Auctores supponunt, omissionem puram de facto nunquam, aut ferè nunquam contingere; experientia enim hoc docet, sive loquamur de omissione actus exterioris, sive de omissione actus interioris. Exprimento namque compertū est, nunquā aliquod præceptū rei exterioris omitti, quale est audiendi missam, visendi ægrotos, &c. nisi homo occupatione aliqua

Omissio pura ratio, aut nunquā contingit.

qua detineatur; nam siquis non audit missam, nunc aut scribit, aut ambulat, aut quiescit: nec aliqua omissio exterior assignari poterit, cuiusnon fuerit occasio aliqua exterior causa, vel actus pugnans cum observatione præcepti. Deinde quod attinet ad omissionē actus interni, experientia etiam docet nunquam illam contingere sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio efficax illius, detinendo videlicet intellectum, ne cogitet, quæ cogitare debebat, aut voluntatem, ne amet, quæ amare debebat; nunquam enim intellectus à consideratione rei alicuius cessat, nisi distractus cogitatione alterius, quamvis enim obedire possi voluntati, vt cesset à cōsideratione huius, vel illius rei, nō tamen vt ab omni cesset, & nihil omnino cogitet, sive quia non potest non excitari sensu ad varia considerandā, sive quia talis est natura sua. Eademque est ratio de voluntate, quæ nunquam cessat ab actu circa vnum obiectum, nisi quia convertitur ad aliud, vel quia ab illo magis allicitur, vel quia in priori, vel in exercitio illud amandi, aliquam rationem disconvenientiæ invenit, quam ipsa refugit, & per actum positivum odij aversatur: difficultas ergo revocatur ad casum metaphysicum.

SECTIO II.

Eligitur, & probatur sententia negans.

Repugnat pura omissio peccaminosa.

8 NOSTRA sententia sit; repugnare puram omissionem peccaminosam, quidquid sit, an repugnet, vel non repugnet omissio pura, quæ peccaminosa non sit: conclusionem hac ratione mihi persuadeo. Nequit voluntas omittendo peccare, nisi cognoscat malum moraliter esse omittere rem præceptam: etenim si nihil cogitans de malitia, vel eam invincibiliter ignorans, omitteret, nullius profecto culpæ rea foret. Malitia enim vt imputetur, debet prævideri, vt est perspicuum: si enim Petrus iaciat sagittam nihil cogitans de periculo occidendi hominem, sanè licet hominem aliquem occidat, non propterea peccabit. At implicat, vt voluntas animadvertens, malū, & peccaminosum esse omittere rem præceptam, id faciat absque omni actu, qui sit causa omissionem inferens: ergo, &c. Probatur minor: nam qui animadvertit peccaminosum esse omittere observationem præcepti, implicat, vt re ipsa omittat, nisi ob aliquam rationē boni vtilis, vel delectabilis apparētis in omissione rei præceptæ: fieri enim non potest, vt quis sciens, & volens amplectatur malum peccati, nisi ob aliquam rationē boni, cum nemo intendens in malū operetur. Et sanè quid evidentius, quā non posse naturam rationalem sibi ipsi inferre scienter tam ingens malum, quale est peccatum mortale, & debitū æternæ pœnæ, nisi ob aliquā rationem boni, quod sit illiciū voluntatis illā trahens ad omittendam rem præceptam, vt ita bono illo fruatur? Tum sic: sed implicat, vt quis omittat rem præceptā tractus, & illectus à concupiscentia boni delectabilis, & quod id præstet absque omni actu: ergo, &c. Probo minorē, nam siquis omittit rē præceptam motus à bono delectabili, hoc ipso per ipsum exercitiū omittendi respicit bonū illud, vt finē, illudque amat; nam amor nihil est aliud, quam inclinatio voluntatis in bonū apparens: ergo hoc ipso non omittit pure rem præceptam, sed potius mediante actu respiciente intrinsecè illum finem.

9 Confirmatur primo: nam voluntatē omittere rem præceptā propter finem delectationis, est aliqua tendentia in illum finē, aliquisque motus specialis, quē non haberet, si nō omitteret actu ob illū finē, sed præcisè haberet complacentiā inclinantē ad omittendum; hic autem specialis motus necessario involuit actum positivum; nam pura omissio cum sit purum nihil, nequit esse tendentia, inclinatio, seu motus in finem aliquem.

10 Explicatur: pone duos homines æqualiter inclinatos in actu primo ad omittendū sacrū propter venationē, & alterum eorum re ipsa omittere sacrū ob illum finē, & alterū non omittere, cum posset. Quis dubitet hunc secundū minus amare venationē, quam illum primū: ergo primus præter complacentiā antecedentē erga venationē communē sibi cum altero, in ipso exercitio omittendi ob venationē explicuit peculiarē affectum erga illum finē: ergo non omisit purè sacrum; nam omissio pura vnius rei nequit esse amor alterius. Et ratio à priori est; nam qui ex fine venandi omittit sacrū nō solū complacet in fine venationis; sed re ipsa adhibet mediū ad illius consecutionē, qui autē adhibet mediū in consecutionē finis hoc ipso ostendit peculiarem affectum erga finem, quo caret is, qui tantum simpliciter complacet in consecutione finis; nam cum illo affectu applicante media nō cōponitur nolitio efficax

de existentia finis; implicat enim me serio, & ex animo applicare medium ad consecutionem finis, & simul velle efficaciter, ne existat finis: cum complacentia autem simplici componitur nolitio efficax, nam postquam voluntas per motum inde liberatum afficitur erga obiectum turpe, illud per affectum efficacem detestari solet in eodem instanti, vt contingit, quoties resistit tentationi: ergo qui omittit sacrum ex fine venationis habet hoc ipso affectum peculiarem erga venationem. At non haberet, si omitteret sacrū purè, & absque omni actu causante omissionem illam: ergo, &c.

Solutio ex amore virtuali.

11 Dices: interpretativè, & æquivalenter, dum quis omittit sacrum ob venationem, amare peculiariter venationem, quia perinde se habet, ac si haberet actum positivū, quo referret omissionem sacri tanquam medium in venationem, vt in finem: cæterum non esse necessariū, vt id præstet formaliter, & physicè: siquidem potest continere omnē actū, videns hanc suspensionem esse sufficientem ad obtinendum finem venationis.

Reijcitur.

Sed contra primò, quia homo ille pure omittens sacrum ex fine venationis, habet potestatem ad amandam formaliter omissionem sacri ob illum finem, seu ad eligendum per actum positivum illam omissionem sacri, vt medium ad venationem, & tamen id non præstat, ergo vel purè omittit, etiam actum illum positivum amantem omissionem ob venationem, vel illum excludit actu aliquo positivo, nimirum per nolitionem, qua dicat: nolo elicere actum positivum amantem omissionem sacri ob finem venationis: at is, qui pure omittit actum aliquem amoris, vel illum positivè excludit, nequit perinde se habere, ac si illum eliceret, nec enim de illo possumus prudenter interpretari, quod velit elicere aliquem actum, qui sponte sua, & ex consulto abstinet ab illo: ergo homo ille purè omittens sacrum ex fine venationis non amaret peculiari affectu interpretative, & virtualiter finem venationis: at implicat, vt quis ex fine venationis omittat sacrum, quin venationem peculiari affectu respiciat: ergo implicat vt quis purè omittat sacrum ex fine venationis, vel ex aliquo alio.

10 Contra secundo, quia vbi voluntas intendit finem, nequit ex directione cognitionis repræsentantis efficaciam medij transire ad ponendum medium, nisi media electione amet illud, nam cognitio vtilitatis medij eatenus deseruit ad executionem medij, quatenus deseruit ad hoc, vt voluntas amet illud ob eam vtilitatem, eiusque executionem imperet: nunquam enim cognitio dirigit immediatè ad executionem externam, sed solum mediatè, quatenus dirigit ad volitionem exequendi: ergo fieri non potest, vt voluntas videns omissionem sacri esse medium vtile, imò necessarium ad consecutionem venationis, transeat immediatè ex complacentia, seu intentione venationis ad omissionem sacri, sed transire debet medio affectu amoris amplectente omissionem sacri ob vtilitatem, quam in illa repræsentat cognitio. Confirmatur: quia si semel voluntas potest transire ex intentione venationis ad omissionem sacri, quam videt esse medium necessarium ad eum finem, sine electione intermedia amante medium illud, quia necessarium: sanè non foret necessarium admittere electionem distinctam ab intentione, adhuc vbi intentio non est efficax, nec ex se determinans potentiam ad electionem medij: siquidem supposita intentione finis, per hoc præcisè, quod videret hoc, vel illud medium esse vtile ad consecutionem finis, posset immediatè transire ab intentione illa ad executionem externam medij, quin necesse foret medium illud eligere per actū internum. Cum ergo hoc sit falsum; falsum quoque erit illud ex quo sequitur.

Secunda ratio ex motivo omissionis peccaminosa.

13 Argumentor secundo: implicat, vt voluntas peccet omittendo rem præceptam, quin ad hoc moveatur ab aliqua ratione boni, seu ab aliquo fine. vt probatum manet; sed implicat motiveri ad omittendum ab aliquo fine, quin interveniat aliquis actus amās omissionē ob illum finem: ergo implicat, vt peccet peccato omissionis, quin interveniat aliquis actus amans omissionem ob finem. Minorem probo, quia voluntatem moveri ab aliquo fine ad omittendum sacrum, non est præcisè voluntatem habere simplicem complacentiam erga illum finem, & insuper existere omissionem sacri, quia possunt illa duo simul dari, quin omissio existat ob illum finem, siquidem fieri potest, vt complaceat in venatione, & omittat pro posteriori sacrum non ob venationem, sed ob alium finem, nempe ob ludum: ergo voluntatem omittere sacrū ob finem ve-

venationis, est voluntatem supposita complacentia in venatione habere actum efficaciter inferentem omissionem, & illam amantem ex illo fine, seu referentem ad ipsum.

14 Confirmatur: omissio actus ex se est indifferens, vt oriatur ex hoc, vel ex illo fine; cum enim sit purum nihil, nequit habere habitudinem ad finem hunc potius quam illum, quia hic respectus, & habitudo ad finem est prædicatum proprium rei positivæ, non autem negationis, cuius vnicum munus est reddere formaliter non existentem actum, cuius est negatio. Rursus complacentia erga hunc finem est de se indifferens, vt influat, vel non influat in eam omissionem ad illamve moveat in actu secundo: ergo hoc quod est actu influere, aliquid est distinctum ab vtraque; quid autem aliud esse potest præter actum positivum amantem omissionem illam ex fine illius complacentiæ, & referentem illam in ipsum.

SECTIO TERTIA.

Præcluduntur effugia nostræ rationis.

Prima solutio ex præcedentia complacentiæ erga determinatum finem.

15 VARIÆ possunt huic rationi opponi solutiones: dicere ergo poterit quis primo, omissionem actus A. de se indifferentem quidem esse, vt oriatur à fine B. vel à fine C. vt autem intelligatur oriri à fine B. potius, quam à fine C. non esse necesserium, vt interveniat actus aliquis amans efficaciter illam ob finem B. sed satis esse, quod in voluntate præcedat simplex complacentia erga finem B. potius, quam erga C. per hoc enim præcisè, quod detur in voluntate illa complacentia, & existat omissio, intelliget exitere ob illum finem. Sed contra, quia si quando complacentia erga finem B. coexistit cum complacentia erga finem C. non sufficit omissionem coexistere cum ipsa, vt intelligatur oriri ab ipsa; nec etiam sufficiet, quando illa complacentia seorsim ab alia existit; siquidem ex eo quod illa complacentia solitariè existat non habet maiorem vim inducendi omissionem, imò minorem, siquidem magis inclinatur voluntas ad omittendum per duplicem complacentiam, quarum quævis secundum se impellit ad omittendum, quam per vnicam: nec percipi potest, quod complacentia B. de non influente in omissionem A. transeat ad influentem per hoc præcisè, quod non coexistat cum complacentia C.

Secunda solutio ex determinatione cõditionata omissionis, vt à determinato fine procedat, si erga istũ complacentia præcedat.

16 Respondeti secundo potest, omissionem A. esse quidem indifferentem, vt oriatur à fine B. vel à fine C. cæterum hoc ideo esse, quia est indifferens, vt existat præeunte, vel præcedente in voluntate complacentia erga finem B. vel præcedente complacentia erga finem C. simul autem cum hac indifferentia habere determinationem conditionatam, vt oriatur à fine B. si præcedat in voluntate complacentia erga ipsum, vel à C. si præcedat complacentia erga C. Sed contra primo, quia hæc determinatio conditionata est prædicatum positivum, alienumque proinde à pura negatione. Pone finem B. esse honestum; sanè determinatio conditionata exercitij liberi, vt oriatur ab ipso, est bonum, & perfectio illius exercitij: ergo implicat, vt pura carentia, quæ omnis bonitatis, & perfectionis intrinsecæ expers est, habeat ex se hanc determinationem conditionatam. Contra secundo, quia si res ita se habet: ergo omissio A. postulat oriri à fine B. & à fine C. si vtriusque complacentia præcedat in voluntate. Hoc autem est absurdum, quia inde fieret, contingere nõ posse, vt præeunte in voluntate complacentia erga finem honestum, & erga finem turpem, ad quos obtinendos sit vtilis omissio; contingere, inquam, non posse, vt illa omittat ob finem honestum, & non ob finem turpem. Pone voluntatem complacere in fine honesto assistendi infirmo, item in fine turpi eundi ad locum prohibitum, & ad vtrumque esse medium omittere sacrum, cuius audiendi conceperat propositum homo ex devotione. Quis non videat supposita vtraque complacentia, posse hominem illum omittere sacrum ex fine honesto, & nõ ex turpi? ergo omissio illa nõ est determinata, vt oriatur ab omni fine, ad quem deservire potest, & cuius complacentia præcesserit in voluntate.

16 Contra tertio, quia sæpè eadem omissio potest esse vtilis ad fines incompossibiles: & possunt præexistere in voluntate complacentiæ simplices, & necessariæ erga ipsos, etsi enim repugnet voluntatem simul efficaciter amare fines incompossibiles, non tamen simpliciter in eis complacere; imò hoc passim cõtingit; ergo si omissio est de se determinata

vt oriatur ab omni fine, ad quem obtinendum est vtilis, dummodo eius finis complacentia præcesserit in voluntate: ergo in casu posito, oriretur omissio illa ab vtroque fine incompossibili. Hoc autem repugnat; quia voluntas omittens factum ob aliquem finem, serio, & ex animo applicat omissionem ad consecutionem illius finis, quia omittit, vt obtineat illum: implicat autem, vt voluntas simul applicet media ad fines incompossibiles, & multo magis, vt vnum, & idem medium referat ad obtinendos fines incompossibiles: cum enim existere vnum ex illis finibus, & obtineri à voluntate, sit non obtineri alterum; dum voluntas ponit omissionem, vt obtineat vnum, vult non obtinere alterum: ergo non potest simul applicare medium ad eius consecutionem.

Tertia solutio ex distinctione intrinseca omissionum pro diversitate finiũ occurrẽtium.

18 Responderi potest tertio: eiusdam actus multiplicem assignari posse omissionem puram, alteram, quæ sit omissio actus A. ob finem B, alteram ob finem C. & sic in infinitum, vt nimirum tot sint possibiles omissiones puræ eiusdem actus A. quot sunt motiva, & rationes, quibus induci valet voluntas ad illum omittendum. Quo posito cessat vis nostræ rationis: nam voluntatem omittere actum A. ob finem B. nihil aliud erit quam omittere per omissionem B. quæ suapte natura est omissio ob finem B. & sic de alijs finibus. Sed contra primo, quia pura carentia incapax est illius respectus: etenim carentia actus A. nihil aliud est, quam non existere actum A. qui conceptus immultiplicabilis est, & cum non entis nullæ sint proprietates, implicat, vt proprium sit vnius carentiæ, respicere hunc finem, & alterius carentiæ respicere alium, nam hoc ipso iam carentiæ haberent differentias intrinsecas, & essentiales, & non differrent præcisè per formam, quarum sunt carentia. Sanè hucusque non aliam distinctionem agnoverunt Theologi, & Philosophi inter carentias, quam eam, quæ est inter habitus, vt scilicet ideo dicatur hæc carentia distincta ab illa, quia forma, qua privat, est distincta ab altera; hæc autem responsio adstruit carentias respicientes finem, & motivum, quod nullatenus respicitur ab actu, quorum sunt carentia. Contra secundo, nam illæ carentiæ convenirent in eo, quod vtraque negat eandem formam, differrent vero, quatenus altera supponit hunc finem, & altera alium: ex his autem prædicatis hoc secundum non est negativum, quæro enim quid neget? Sanè nihil, sed potius affirmat respectum essentialem, & habitudinem ad illos fines: ergo est prædicatum positivum: ergo illæ puræ omissiones essent, & non essent puræ carentiæ, essent vt supponitur, non essent vero, quia involuerent prædicatum positivum: ergo chymæricæ sunt.

Reijcitur.

19 Contra tertio, quia ex hac sententia fit, stante in voluntate duplici complacentia erga fines inter se compossibiles, adæquatos, & sufficientes movere seorsim ad omittendum, non posse voluntatẽ omittere actum, nisi per duplicem omissionem eiusdem actus essentialiter inter se diversas. Cum enim in casu posito sit expedita ad vtramque omissionem, certè si omittit actum, necessario ponit vtramque omissionem; quia si omittit actum, nihil tunc existit per quod altera ex illis omissionibus intelligatur excluſa: non enim excluditur per actum, cum hic tunc non existat, nec per alteram omissionem: cum illæ sint inter se compossibiles, non minus quam actus positivi tendentes in motiva, & obiecta compossibilia, qui absdubio compossibiles sunt. Sequela autem est absurda; quia cum quodlibet motivum sit sufficiens independenter ab alio, non est ratio cur seorsim ab alio nequeat movere voluntatem ad omittendum. Quare in illo casu iuxta adversarios voluntas, & esset necessitata ad omittendum ob vtrumque finem, & simul libera ad omittendum ob alterum tantum, quæ sunt implicatoria.

Quarta solutio partim ad statũ absolutũ partimque ad cõditionatũ recurrens.

20 Responderi potest quarto ex Patre Ripalda disput. 70. sect. 8. omissionem oriri à motivo, seu fine, nihil aliud esse, quam finem illum media sui cognitione, & complacentia impellere voluntatem ad omittendum, & hanc re ipsa omittere non omissuram, si non præcederet illa cognitio, & complacentia. Quare omissionem illam oriri ab hoc fine determinato, importabit in recto, & principaliter coexistentiam ipsius omissionis cum cognitione, & complacentia illius finis in actu primo impellentis, & de obliquo eventum conditionatum, quod non existeret illa omissio, nisi præcederet illa cognitio, & compla-

placentia. Vnde cognitio, & complacentia in ratione moventium in actu ſecundo conſtituuntur per exiſtentiam ipſius carentiæ, & per eventum illum conditionatum; vt enim inquit ibi Ripalda num. 59. in fine, proceſsio omiſsionis à fine conſiſtit in eo quod voluntas ita exerceatur per omiſsionem, movente ad illam cogitatione, & affectu motivi, vt non exerceretur per illam ſi talis cogitatio, & affectio deeſſet.

Reijcitur. 21 Sed contra primo; quia voluntatem omittere hic, & nunc ob motivum turpe, eſt aliquid abſolutè nunc exiſtens in rerum natura, & ſub experientiam voluntatis cadens: homo enim, qui peccat, per ſe loquendo poteſt cognoſcere ſuum peccatum ſeclusa revelatione ſpeciali, vt de illo doleat: poteſt autem contingere, vt peccatum non ſit omittere actum, ſit autem peccatum omittere ob motivum turpe: ergo voluntas peccans omittendo cognoſcere debet, quo motivo ducta fuerit ad omittendum. At non poſſet hoc cognoſcere, ſi omiſsionem oriri ab illo motivo, compleretur per illum eventum conditionatū; hunc enim eventum cognoſcere nequit voluntas, niſi Deo revelante, eſt enim futurū contingens, cum quo nihil exiſtit in voluntate peccante eſſentialiter connexum: ergo voluntatem omittere ob motivum turpe, non completur per illam veritatem conditionatam: ergo debet aſsignari de præſenti aliquod prædicatum, in quo conſiſtat omiſsionem fieri ex illo motivo. Quod prædicatum nequit eſſe aliud, quam actus poſitivus reſpiciens intrinſecè illud motivum, & inferens omiſsionem.

22 Contra ſecundo, quia contingere valet, vt homo duplici ratione inducatur ad omittendum actum præceptum, ita tamen vt deficiente vna, & manente altera, adhuc eſſet eodem modo omiſsurus: ergo rationem A. movere in actu ſecundo ad omittendum, non rectè explicatur per hoc, quod ita voluntas ſe exerceat per omiſsionem movente ratione A. vt non exerceretur per illam ſi talis ratio deeſſet.

23 Contra tertio, quia poteſt contingere vt homo, qui ad præſentiam rationis gravis non moveretur ad omittendū ab alia ratione minoris momenti, moveretur ab illa, ſi ratio gravis deeſſet; quia frequens eſt apud homines, vt argumēta, & rationes de ſe ſufficientes contemnant, quando adſunt aliæ maioris ponderis, nō contempturi, ſi iſtæ deeſſent. Idque ratio perſuadet, nam voluntas pro ſua libertate poteſt præſtare conſenſum ſub vna hypotheſi, quem non præſtaret ſub alia, & è converſo; ſicut poteſt cōſentire ſub vno auxilio, & non ſub alio, conſentire in vno inſtanti, & nō in alio: ergo ratione magni ponderis movere ad omittendum in actu ſecundo, non poteſt in eo conſiſtere, quod ita illa impellente voluntas omittat, vt non eſſet omiſſura, ea deficiente; & manentibus reliquis omnibus.

22 Contra quarto, quia iuxta Ripaldam poſsibilis eſt metaphycè eventus, in quo voluntas videatur omiſſura actū præceptum, quoties habuerit libertatem ad omittendum, ita vt nullus caſus appareat per ſcientiā mediam, in quo voluntas non omittat actum præceptū, ſi ei detur libertas ad omittendū, & non omittendū. Admiſſo autem caſu recte infertur actualem ortum omiſsionis ab hoc motivo nō bene explicari per hoc, quod illo deficiente nō omitteret, ſiquidem illo deficiente, & manente quocumque alio, adhuc eſſet eodē pacto omiſſura; dummodo enim maneret libertas ſufficiens ad omittendum, adhuc omitteret.

23 Contra quinto; quia videtur ſatis imperceptibile, poſſe dari præceptū eodem pacto vrgens in duplici inſtāti A. & B. & reperiri in vtroque inſtanti idem omnino exercitium libertatis, eandemq; cognitionem, ita vt voluntas eodem omnino modo ſe habeat in ſecundo inſtanti, ac in primo, & tamen eam peccare in primo inſtanti, & non in ſecundo. Hoc autem ſequitur ex ſententia Ripaldæ, iuxta quam ſtante pro primo inſtanti duplici complacentia movente ad omittendum aliquod opus, quarum alia reſpiciat finem honeſtum, alia finem vanæ gloriæ, poterit voluntas pro primo inſtanti moveri à ſola complacentia finis honeſti, & pro ſecundo à ſola complacentia vanæ gloriæ, quin vlla mutatio fiat, nec in intellectu, nec in voluntate. Quis autem concipiat hominem de non peccante tranſire ad actu peccantem, abſque aliqua intrinſeca mutatione?

Quinta ſolutio ex indirecta motione finis in omiſsionem.

26 Reſponderi denique poteſt, argumentum à nobis factum optimè oſtendere, nō poſſe omiſsionē puram eſſe directè ob aliquem finem, quia hoc ipſo, quod finis aliquis directè moveat ad omittendum, debet aſsignari exercitium libertatis reſpiciens intrinſecè illum finem, &

inferens omissionem. Cæterum optimè posse rationem aliquam boni movere indirectè ad omittendũ actum præceptum, quatenus scilicet si voluntas cognosceret dumtaxat malum, & peccaminosum esse omittere actũ præceptũ, necessario fugeret omissionẽ illam, & eligeret actũ oppositum; cæterum dum simul cognoscit aliquam rationẽ boni apparere in omittendo, retardatur vis cognitionis repræsentãtis malitiã omissionis, ne rapiat voluntatem ad odium ipsius, & manet voluntas in æquilibrio: ac proinde cognitio repræsentans rationẽ boni in omissione est hic, & nunc causa ne voluntas eligat actum præceptũ, non quidẽ inclinando directè, & positivè voluntatem ad ponendã omissionem actus præcepti, sed indirectè quatenus est conditio, ne cognitio repræsentans malitiã omissionis rapiat voluntatem ad evitandam illam omissionem, & ponendum actum contrariũ. Et hoc genere motionis non repugnat duos fines incompossibiles movere ad omittendum; quia in ordine ad hoc non sunt oppositi; etsi enim illa motiva sint contraria, & consequenter nõ possint simul amari efficaciter, sive directè movere, tamen hic, & nunc vtrumq; retrahit voluntatẽ à vitãda omissione peccaminosa; nã quo actus præceptus proponitur, vt incompossibilis cum pluribus bonis, quę hic, & nunc possunt divisivè obtineri, si ipse omittatur; eo minus voluntas inclinatur ad illud eliciendum. Vnde vtrumque est indirectè causa omissionis, quatenus vtrumque in genere causæ formalis præstat, ne volũtas sit necessitata ad evitandam omissionem illam; si enim repræsentaretur, vt malè præcisè, & non repræsentaretur, vt medium ad obtinendum aliquod bonum, voluntas necessario raperetur ad illam vitandam, & consequenter ad eliciendum actum præceptum.

Reijcitur. 1. 27 Contra primo, quia fieri non potest vt cognitio repræsentans bonitatẽ in omittendo actum præceptum retrahat voluntatem ab illo eliciendo, quin eam positivè inclinet in extremum oppositũ; non enim aliter potest potentia libera retrahi à ponendo vno extremo, nisi quatenus inclinatur ad ponendum eius contradictorium: cum enim voluntatem non ponere vnum sit formalissime ponere alterum, idem quoque debet esse retrahi à ponendo vno, ac inclinari ad ponendũ aliud: ergo si fieri non potest, vt voluntas omittat libere actum præceptũ, quin cognitio proponens bonitatẽ in omittendo, illam retrahat ab eliciendo actu opposito; nec fieri potest, vt sic omittat, quin ea cognitio eam directè inclinet, ac moveat.

28 Confirmatur exemplo. Vbi supra alteram bilancis partem pondus aliquod imponitur, nequit pondus illud à cõtrario pondere impediri ne bilancè versus terram trahat, nisi pondus aliud bilancè quãtum est ex se ad terram trahat versus aliã partẽ; si enim pondus impositũ parti dextræ de se non imprimat impulsum sufficientem inclinare bilancem ad latus dextrum, non poterit impedire quo minus pondus impositum sinistræ eam de primat ad latus sinistrum: ergo similiter in nostro casu non potest cognitio de se inclinans voluntatem ad actum præceptum retardari ab alia cognitione, ne cum effectu inclinet, nisi hæc inclinet in omissionem illius actus. Si enim cognitio aliqua non inclinat per modum cuiusdam ponderis ad omissionem actus præcepti, quomodo potest esse in causa, ne cognitio de se inclinans ad ponendum actum re ipsa consequatur effectum?

Secundò. 29 Contra secundo; nam bonum delectabile apparens in omissione eatenus potest retrahere voluntatem ab actione, quatenus allicit, & inclinat illam ad sui acquisitionem: ergo per prius debet intelligi allicere ad sui amorem, quam retardare ab elicientia actus præcepti. At bonũ illud allicere ad sui amorẽ, & movere ad sui acquisitionem est movere ad omissionem, per quã obtinendũ est: ergo prius est ordine rationis, quod bonũ delectabile apparens in omissione actus præcepti inclinet ad omittendũ quam quod retardet ab eliciendo actu oppositio omissioni, ac proinde ideo retardat ab actu, quia inclinat ad omissionem. Primũ antecedens probatur; quia bonitas cognita primo, & per se movet ad sui amorem, non autẽ ad odium alterius, sicut virtus causæ primo, & per se ordinatur ad gerendũ simile, non autem ad corrumpendum contrarium, nisi ex consequenti, & secundario; etenim si bonitas illa nullam vim haberet conciliandi amorem sui, nullo pacto haberet vim inducendi odium alterius: ergo eatenus potest retrahere voluntatem ab actu, quatenus inclinat ad sui amorem, & acquisitionem.

Tertiò. 30 Contra tertio, quia omissio actus præcepti per se est à voluntate; cum omne peccatum per se à voluntate trahat ori-

originem: at non à voluntate secundum se, sed vt cognoscente bonum, & malum: ergo per se talis originem à cognitione: ergo hæc per se inclinat ad omissionem. Contra quarto: quia suasiones, & consilia, per se tendunt ad rem consiliatam: at dæmones suadent hominibus omissionem actus præcepti: ergo eorum suasiones per se inclinant ad omissionem. Confirmatur, quia cognitio proponens medium vt vtile, & conveniens ad consecutionem finis per se inclinat ad positionem medij: at cognitio proponens bonum delectabile proveturum ex omissione actus præcepti, repræsentat omissionem vt medium vtile ad obtinendam illam bonitatem: ergo directe inclinat ad ponendam omissionem.

Quarto.

SECTIO QVARTA.

Infertur ex dictis posse defendi repugnantiam puræ omissionis peccaminosæ, quamvis absolute admittatur possibilis pura omissio libera.

31 NIHIL frequentius apud Authores, quam dari posse puram omissionem peccaminosam, si semel pura omissio libera possibilis sit, nam per hoc præcisè (inquiũt) quod adiungatur præceptum de eliciendo actu illo, cuius omissio pura libera est possibilis, illa omissio erit peccaminosa, si ponatur. Nihilominus ego existimo ex negata possibilitate puræ omissionis peccaminosæ non rectè argui impossibilem esse absolutè puram omissionem; quia ratio à nobis confecta efficax est pro omissione pura peccaminosa, non tamen pro omni: probat namque optimè impossibile esse vt voluntas purè omittat quando ad omittendum debet inclinari ab aliquo motivo. At quamvis impossibile sit voluntatem peccare omittendo, quin ad omittendum alliciatur aliqua ratione boni, contingere forsam poterit vt aliquando purè omittat, quin ad id inclinetur aliquo motivo.

Modus defendẽdi repugnantiam puræ omissionis peccaminosæ, etiam si ponatur esse immediate libera.

32 Pro quo advertendum est, multorum esse sententiam voluntatem nostrã à solo obiecto infinito clarè cognito posse necessitari quoad exercitium, adeo vt quamvis appareat per cognitionem aliquod obiectum esse bonum, & conveniens, & nulla ratio mali in ipso, nec in exercitio ipsum amandi, vel cognoscendi reluceat, nihilominus voluntas non debet necessario in ipsum ferri. Sic dicit solet voluntatem non amare necessario quoad exercitium beatitudinem incommuni, sed solum quoad specificationem, quia nequit illam odio habere, & si versatur circa illam, debet versari per amorem. Consulatur P. Granados 1. 2. disp. 5. sect. 4. num. 19. Vbi docet ad omittendum actum satis esse, secluſa imperfectione, bonum cognitum esse finitum. Vnde deducit gaudium necessarium beatorum à quo cessare non possunt, non esse de visione, quæ est bonum finitum, sed in ipso Deo: & Pater Coninch. disp. 14. de Trinitat. num. 62. vbi docet, vt quis cesset ab actu non esse necessarium vt aliquam rationem mali in ipso, vel in obiecto videat, sed ad hoc sufficere quod videat, nec ipsum, nec eius amorem sibi hic, & nunc esse necessaria, vel sufficere, quod sibi non obijciatur, vt hic, & nunc necessario amandum; nam etsi ad effectũ positivum (inquit ille) requiratur causa positiva, ad negationem tamen sufficit communiter sola negatio, alias beatitudinem cognitam necessario semper actu amaremus, quando id sine difficultate aliovè incõmodo possemus facere. Cõsulatur etiam P. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 2. disp. 12. num. 27. & tom. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 5. n. 83. & 84. Vbi asserit, adhuc pro causa in quo nullum aliud obiectum repræsentetur præter beatitudinẽ, & in ea nulla ratio mali appareat, voluntatem non necessitari quoad exercitium ad eius amorem.

Supponitur voluntatem à solo bono infinito clarè viso necessitari ad amorem quoad exercitium.

33 Ponamus disputandi gratia hanc opinionem esse veram, nimirum voluntatem nostram non posse necessitari ad exercitium actus ex vi cognitionis obiecti, nisi obiectum sit infinitum, & clarè visum. Hinc sequitur optimè possibilem esse puram omissionem; nam si ponamus casum, in quo proponatur voluntati ratio beatitudinis vt sic, quin in exercitio eam cognoscendi, vel amandi proponatur aliqua ratio mali, nimirum labor is vel incommodi, aut disconvenientię, tunc voluntas, nec poterit auersari ipsam beatitudinem, cum in ea nulla reluceat ratio mali, in eo enim quod quis sit fœlix, & beatus nihil incommodi apparere potest: nec poterit aversari exercitium versandi per cognitionem, & amorem circa beatitudinem, siquidem in illo exercitio nullam rationem mali apprehendit; ac proinde per actum positivum

Ratio ex præmissa suppositione.

odij,

odij, nec ab ipsa beatitudine, nec ab exercitio tendendi in ipsam potest fugere: aliunde vero in hoc casu non est necessitata voluntas ad amandam beatitudinē: ergo potest per puram omissionem cessare ab amore.

34 Quamvis autem hinc sequatur possibilem esse puram omissionem, nequit hinc deduci possibilem esse purā omissionem peccaminosam: nam vbi omissio futura est peccaminosa, non est volūtas expedita ad ipsam, nisi quatenus cognoscens rationem boni moventem ad ad omittendum: implicat autem vt vbi ad ommittendum voluntas debet moveri ab aliquo fine, purè omittat. At vbi omissio non est futura peccaminosa, nec honesta (si enim honesta sit debet habere motivum honestum vt est in confessio apud omnes) non est opus vt ad omittendum alliciatur ab aliquo fine; sed satis erit, quod finis quo ad amandum pellicitur, non sit infinitus, & clarè cognitus: per hoc enim precisse quod bonum movens ad amandum non sit infinitum clarè cognitum, intelligetur voluntas expedita ad ipsum non amandum.

35 Ex ijs deduces posse nos admittere disputandi gratia voluntatem nostram amantē remisse obiectum, quādo poterat amare intense, purè omittere intensionem illam, quia videlicet vt intelligatur proximè potens omittere intensionem non est necesse vt intelligatur cognoscens aliquod motivum, quo ad ita omittendum positive alliciatur, quo in casu necesse foret intervenire actū positivum inferentem omissionem intensionis ob eum finem: sed satis est, quod voluntas non intelligatur necessitata, nec ex vi obiecti infiniti clarè cogniti, nec aliunde ad eliciendum actum intensum: per hoc enim precisse intelligetur expedita ad purè omittendam intensionem illam maiorem. Itaque vbi voluntas ad omittendum debet duci ab aliquo motivo, impossibile est, vt omisio sit pura ab omni actu, qui sit causa, vel occasio eā interens infallibiliter. At vbi ad omittēdum non debet duci motivo, potest omissio esse pura: cum ergo vbi omittendus est actus præceptus, necesse sit voluntatem allici aliquo motivo ad omittendum: & vbi omittenda est intensio actus, hoc nō sit necesse; consequens est vt possit purè omittere intensionem, quamvis nequeat purè omittere actum præceptum.

Voluntas potest purè omittere intensionem actū quamvis non possit purè omittere actum præceptum.

36 Pone voluntatem elicere actū præceptum, v.g. amorem Dei, & tamen omittere intensionem, quia videlicet potens implere præceptum actu fervenți implet actu remisso. In hoc casu omissio illius intensionis non est peccaminosa, quia licet ad sit præceptum amandi Deum, non tamen amandi per actum huius determinatę intensionis, nec item est honesta, vt patet. Vnde non est necesse, vt voluntas ad omittendum ducta fuerit aliquo motivo: ac proinde potuit omittere purè.

37 Dices primo: omissionem illam esse imperfectionem quandam moralem: sicut autem repugnat vt voluntas omittēdo peccet, quin antecedenter cognoscat malum esse sic omittere, ac proinde quin ad inferendum sibi illud malum trahatur ab aliquo motivo: ita videtur repugnare, vt voluntas omittendo operetur imperfecte moraliter, quin antecedēter cognoscat imperfectionem moralē esse sic omittere; ac proinde quin ad inferendam sibi illam imperfectionem alliciatur ab aliqua ratione boni. Respōdeo, vt voluntas intelligatur proximè potens operari imperfectè moraliter, non esse necessarium vt cognoscat antecedēter, imperfectionem moralem esse operari remisse, sed satis esse quod potens operari intensè operetur remisse; ad hoc autē vt operetur remisse satis est quod nihil detur in actu primo ipsam coges ad operandum intensè. At vt peccet omittendo actum, requiritur vt antecedēter cognoscat malum esse sic omittere: si enim invincibiliter ignoraret, malū esse omittere, actū nullo pacto peccaret sic omittendo. Dispar ergo est ratio inter peccatum, & imperfectionem moralem: disparitas autem desumitur ex eo, quod peccatum est positive malum, & disconveniens naturæ rationali: at imperfectio moralis non est positive disconveniens, sed consistit in minori convenientia, ac proinde formaliter importat carentiam maioris convenientiæ; vt autem intelligamus voluntatem posse omittere maiorem convenientiam, seu actum magis conuenientem, satis est, quod non intelligamus in actu primo aliquid positivè cogens illam ad illum actum, quin sit necesse intelligere aliquid positivè inclinans ad cohibendum actum illum perfectiorem.

38 Dices secundo: potest Deus præcipere actum intensum, quatenus intensum, ita vt non solum obliget volun-

tatem

tatem ad amandum Deum, ſed ad amandum cum ſumma intenſione hic, & nunc ſibi poſsibili: ergo ſi voluntas poteſt pure omittere intenſionem actus, poterit peccare peccato puræ omiſsionis. Reſpondeo in hoc caſu non poſſe voluntatem purè omittere intenſionem illam. Ratio eſt; quia in hoc caſu cognoſcit malum, & peccaminoſum eſſe omittere intenſionem; implicat autem quod voluntas hoc cognoſcens, re ipſa omittat intenſionem illam, quin ad ita omitendū poſsitive inclinetur ab aliquo fine; implicat autem ſic inclinatā omittere, quin interveniat aliquis actus inferens omiſsionem, & reſpiciēs intrinſece illum finem, vt conſtat ex noſtra concluſione.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones contendentes non repugnare puram omiſsionem peccaminoſam, ſi ſemel in genere non repugnat pura omiſsio libera.

39 DIXIMVS in pura omiſsione peccaminoſa dari ſpecialem rationem repugnantiæ, quia nimirum impoſsibile eſt, vt voluntas peccet omittendo, quin cognoſcat antecedenter malum eſſe omittere: impoſsibile autem eſt, vt voluntas cognoſcens malum eſſe omittere, actu omittat, quin ad omittendum pertrahatur ab aliqua ratione boni, ad cuius cōſecutionem proponatur vt vtilis omiſsio actus præcepti: ſicut enim eſt de cōceptu amoris, vt non tendat in malum ſub ratione mali, ſed ſolum ſub ratione boni, ita eſt de conceptu inferentis ſibi malum cum notia malitiæ non amplecti malum niſi ſub ratione boni. Implicat autem voluntatem pertrahi ad omittendum ab aliqua ratione boni ad cuius cōſecutionem proponatur vt vtilis omiſsio actus præcepti, quin interveniat actus poſsitivus eligens omiſsionem actus præcepti ad illum finem. Hæc eſt ſpecialis repugnantia pro pura omiſsione peccaminoſa: ſimilis autem ratio probat etiā repugnare puram omiſsionem honeſtā, & laudabilem: implicat enim vt quis honeſtè, & laudabiliter omittat actum aliquem pravum, vel indifferentem, quin ad omittendum moveatur ab aliquo bono honeſto ad cuius conſecutionem proponatur vt vtilis omiſsio actus pravi; implicat autem ſic moveri, quin interveniat actus poſsitivus inferens illam omiſsionem, eamque referens in eum finem. Ex quibus patet, ſi poſsibilis ſit pura omiſsio, illam, nec poſſe eſſe honeſtā, in quo omnes conveniunt, nec peccaminoſam, quod nos aſſerimus, & probamus ratione modo facta: vnde reſtat vt ſit indifferens.

40 Iam ergo cum ratio noſtræ concluſionis ſit ſpecialis ad probandum puram omiſsionē peccaminoſam repugnare, defendere debemus hanc concluſionem præſcindentes ab eo, quod ſit poſsibilis, vel non ſit poſsibilis pura omiſsio libera in genere; non tamen propterea defendere debemus eſſe poſsibilem purā omiſsionem: imo vero ſi ex eo quod admittatur, vt poſsibilis pura omiſsio, rectè deducatur, poſsibilem quoque fore purā omiſsionem peccaminoſam, vt communiter videntur omnes ſupponere: ſanè vt hoc ſecundum negamus, negare quoque debemus illud primum. Videndum tamen eſt modo, an quis poſſet ſimul hęc duo defendere, nempe, & poſsibilem eſſe puram omiſsionem, nec honeſtam, nec peccaminoſam, & tamen repugnare puram omiſsionem peccaminoſam. Aſſero ergo, diſputandi gratia, hæc duo ſimul poſſe componi, cuius aſſerti veritas patebit ſolvendo obiectiones contrarias.

Etſi non repugnat pura omiſsio quæ nec ſit honeſta, nec peccaminoſa, repugnat tamen omiſsio peccaminoſa.

41 Obijcies ergo primo: (quæ obiectio poteſt abſolutè fieri cōtra noſtram cōcluſionem) non repugnat pura omiſsio libera; at hoc ipſo, quod admittatur poſsibilis pura omiſsio libera, debet admitti poſsibilis pura omiſsio peccaminoſa: ergo poſsibilis eſt pura omiſsio peccaminoſa. Maiorem admittimus, diſputandi gratia: minorem vero negamus: eam vero ſic fuadebis: hoc ipſo, quod poſsibilis ſit pura omiſsio libera, voluntati habenti proximam indifferentiam ad eliciendū actum, vel illum purè omittēdum in ſenſu compoſito talis indifferentiæ poterit Deus imponere præceptum eliciendi illum actum: at ſuppoſito hoc præcepto, hoc ipſo manet voluntas cum eadem indifferentia, quam antea habebat ad eliciendum, vel purè omitendum actum; nec enim præceptum ſuperveniens cogit voluntatem ad eliciendum actum: hæc autem poteſtas reſidens in voluntate ſuppoſito præcepto eſt formaliſsimè poteſtas ad cōiungendam illam puram omiſsionem cum præcepto actus, & conſequenter ad peccandū peccato purę omiſsionis

sionis: iam enim initio disputationis diximus contra Caietanum, chymæricum omninò esse quod voluntas possit purè omittere actum præceptū in sensu composito præcepti, quin possit peccare: ergo de primo ad vltimum ex eo, quod admittatur possibilis pura omissio libera, fit consequens admitti debere puram omissionem peccaminosam.

42 Respondeo Deum non posse volūtati proximę expeditæ ad purè omittendum aliquem actum in sensu composito talis indifferentiæ imponere præceptum actus eliciendi: ratio est, quia voluntas in ratione proximè potentis purè omittere aliquem actum constituitur per carentiam cognitionis repræsentantis illam imissionem vt malam, & peccaminosam: hæc autem indifferentia necessario aufertur per intimationem præcepti de elicientia actus, quia implicat vt quis cognoscat vltimatè sibi impositū esse præceptum eliciendi amorem quin hoc ipso cognoscat malum esse omittere amorem illum. Quod autem indifferentia proxima ad purè omittendum amorē constitui debeat per carentiam cognitionis repræsentantis illā vt malam, & peccaminosam, suadetur; quia nunquam voluntas potest constitui cum proxima indifferentia ad amandum, & purè omittendum amorem, nisi in casu, in quo cognoscat obiectum aliquod vt bonum bonitate finita, quin in ipso, vel in exercitio amandi ipsum apprehendat aliquam rationem mali: quia in hoc casu ex vna parte non rapitur à bonitate obiecti cognita, quia bonitas finita cognita vt talis non habet vim rapiendi necessario volūtatem in sui amorem, siquidem hoc videtur esse privilegium bonitatis infinitæ clarè cognitæ: ex alia parte non potest excludere amorem obiecti, nec per odiū obiecti, quia nulla malitia in ipso appareret, nec per nolitionem reflexam amādi, supponimus enim casum, in quo voluntas non habeat cognitionem reflexam amoris, nec videat aliquam rationem ob quam nolit elicere amorem: ergo vnicè potest excludere per puram omissionem; cum enim non rapiatur ad ipsum eliciēdum, vtique potest illum excludere aliquo exercitio; sed non per odium obiecti, nec per nolitionem amoris: ergo per puram omissionem. Hic est casus vnicus in quo aliquis posset admittere puram omissionem, & admittendo illā in hoc casu vnico, non cogeretur admittere puram omissionem peccaminosam; nam indifferentia ad illam puram omissionem constituitur per carentiam cognitionis repræsentantis talem omissionem vt malam, & peccaminosam: nam si voluntas nullam rationem mali cognoscens in obiecto, nec in amore obiecti aliunde cognosceret aliquam rationem mali in omittendo amorem obiecti, necessario fugeret ab omissione illa, & consequenter necessario eliceret amorem, nisi apprehenderet omissionem illam vt mediū ad consequendum aliquod bonum, erga quod supponeretur affecta: est enim voluntas ex sua natura necessitata ad non amplectendum malum nisi propter aliquam rationem boni: At hoc ipso quod apprehenderet omissionem vt medium ad consecutionem boni sibi placētis, & haberet incapacitatem ponendi omissionem nisi ob finem consequendi bonum illud sibi placens; hoc ipso amitteret indifferentiam ad illam ponendam immediatè liberè: ergo de primo ad vltimum nequit componi præceptum cum proxima indifferentia ad eliciendum, vel purè omittendum amorem.

43 Confirmatur: voluntas nequit constitui proxime expedita ad purè omittendum amorem, nisi in casu illo, in quo cognoscit obiectum esse bonum, nihilque mali, nec in obiecto, nec in amando obiectum animadvertit: in hoc autem evētu nequit supervenire præceptum obligans ad amandum, quin voluntas maneat necessitata ad non omittendū purè; nam vel præceptum advenit solitarie, quin simul cum illo adveniat cognitio repræsentans omissionē actus præcepti vt medium vtile ad consecutionem alicuius finis placētis voluntati, & illam invitantis ad omittendum: vel advenit simul cum illa notitia. Si primum, rapitur necessario voluntas ad eliciendum amorem (ac proinde privatur potestate purè illum omittendi) nam si antecedenter ad præceptum voluntas cognoscebat bonum esse obiectum, bonumque proinde esse amare ipsum quin aliquid mali cognosceret, nec in obiecto, nec in eius amore, certe si nunc superveniat notitia dictans malum esse omittere amorem illius obiecti, sanè voluntas rapietur ad amandum obiectum; quia alioqui maneret indifferens ad libere ponendam omissionem cognoscens esse malam, quin ad id induceretur aliqua ratione boni. Quod probavimus repugnare. Si secundum,

Voluntatis proximè expeditæ ad purè omittendum actū non potest Deus talem actum præcipere.

Casus in quo solū possit admitti pura omissio.

Confirmatio.

dum, id eſt ſi præceptum adveniat ſimul cum illa notitia, neceſsitata manebit voluntas ad non omittendum amorem præceptum, niſi ob illam rationem boni quá cognoſcit ſe poſſe obtinere media omiſsione amoris præcepti, ac proinde manebit neceſsitata ad non omittendum amorem per puram omiſsionem, ſiquidem omiſsio ponenda ex vi boni allicientis ad omittendum eſſe nequit pura: ergo de primo ad vltimum ſequitur præceptum eliciendi amorem non poſſe componi cũ proxima potentia ad purè omittendum amorem; ſiquidem illud præceptum, vel neceſsitat ad amandum, vel ſaltem ad nõ excludendum amorem, niſi per omiſsionem inductam per actum poſsitivum.

44 Obijcies ſecundo: poſsibilis eſt eventus, in quo voluntas cognoſcat in obiecto aliquam rationem boni, & inſuper aliquam rationem mali, quin habeat aliquam cognitionem reflexam de ipſo amore. In hoc eventu poteſt liberè ceſſare ab amore, & odio obiecti, quia nec bonitas obiecti neceſsitat ad amorem, nec malitia ad odium, nec quia non amet, tenetur odio habere obiectum, ſed poteſt vtrumque omittere: non autem per actũ reflexum, quia tunc non adeſt notitia directiva ipſius, ergo per puram omiſsionem: ergo non ſolum in eventu de quo paulo ante, ſed etiam in hoc eventu erit poſsibilis pura omiſsio. Tum ſic: at hoc ipſo, quod in hoc evẽtu ſit poſsibilis pura omiſsio, ſequitur poſsibilem eſſe puram omiſsionem peccaminoſam; nam ſtante illa cognitione repræſentante rationem boni, & mali in obiecto, poteſt ſupervenire præceptum obligãs voluntatem ad amãdum obiectum, non obſtante malitia apparente in ipſo: tunc autem præceptum hoc ſuperveniens, ſicut non tolleret à voluntate poteſtatem odio habẽdi obiectũ, quando quidem nõ tolleret cognitionem, ſeu advertentiam ad malitiam ipſius; ita nec tolleret à voluntate poteſtatem purè omittendi amorem obiecti, nam ſicut antecedenter ad præceptum poterat purè omittere amorem quia non rapiebatur à bonitate obiecti, ita poterit ſuppoſito præcepto, ſiquidẽ adhuc ſuppoſito præcepto non rapitur à bonitate obiecti.

Obiectio 2.

45 Reſpondeo primo in eventu, in quo in voluntate adeſt facultas ad excludendum amorem obiecti per odium eiuſdem obiecti, non poſſe ſimul adeſſe facultatem ad excludendum ipſum per puram omiſsionem. Vnde quamvis admitti poſſet poſsibilitas puræ omiſsionis, non tamen pro eventu, in quo voluntas habet libertatem contrarietatis. Quod ſic probo: nam ſi ſimul cum proxima indifferentia ad odio habendum obiectum datur proxima indifferẽtia ad purè omittendum amorem obiecti, ſequitur poſſe cõtingere, vt carentia amoris exiſtat immediatè liberè, & cũ libertate dumtaxat mediata; quod repugnat. Sequela probatur: pone voluntatem excludere amorẽ mediante odio; in hoc eventu carentia amoris non habet niſi mediatam libertatem, quia inducitur ex vi alicuius principij antecedentis connexi eſſentialiter cũ eius exiſtentia, nempe ex vi odij. Aliunde vero exiſtit cum libertate immediata, quia coexiſtit cum proxima indifferentia voluntatis ad ipſam ponendam, vel non ponendam; implicat autem coexiſtere cum hac proxima indifferentia, & ab illa oriri, quin oriatur immediatè liberè; cum enim illa proxima indifferentia ſit forma proximè potens denominare carẽtiam amoris immediatè liberam, & illa carẽtia ſit ſubiectum capax denominari, implicat vt invicẽ coexiſtant, quin carentia illa denominetur immediatè liberaliter ergo ſequitur vtraq; pars contradictionis.

Prima reſpon-ſio.

46 Reſpondeo ſecundo admittendo poſſe ſimul cum libertate contrarietatis ad amandum, & odio habendum obiectum reperiri in voluntate proximã poteſtatem ad excludẽdum amorem per purã omiſsionẽ & ſimiliter ad excludendũ odiũ per purã omiſsionẽ odij: nego tamen hanc poteſtatem proximã ad excludendũ amorẽ per puram omiſsionẽ poſſe manere in voluntate in ſenſu compoſito præcepti obligantis ad ponendum amorem. Ratio eſt, quia vbi advenit præceptum, iam repræſentatur vt malum ponere carentiam amoris: ergo iam neceſsitatur voluntas ad non ponẽdam illam carentiam amoris, niſi ob aliquam rationẽ boni ad cuius conſecutionem ſit medium illa carentia: ergo iam neceſsitatur voluntas ad non ponendam illam carentiam immediatè liberè: ſiquidem implicat illam ponere ex vi alicuius boni moventis, & inclinantis ad eius poſsitionem, quin illam ponat per aliquem actum eligentẽ illam carentiam vt medium ad conſecutionem talis finis. Quare antecedenter ad præceptum poterat ponere illam carentiam abſque actu poſsitivo, quia non agnoſcebat aliquam malitiam in illa; ſolũ namque agnoſcebat bonitatem phyſicã, ſeu

Secũda

seu convenientiam physicam in obiecto. Item aliquam rationem inconvenientiæ; in ipso autem exercitio omittendi amorem non cognoscebat rationem mali, quia non cognoscebat reflexe sua exercitia, sed præcisè directe considerabat bonitatem, & malitiam obiecti. Si autem cognosceret omissionem amoris vt malam, & disconvenientem sibi antecedenter ad præceptum, iam antecedenter ad præceptum esset impotens ponere illã omissionem absque actu positivo, quia implicat vt voluntas amplectatur carentiam amoris cognitam, vt malam, & disconvenientem sibi, quin ad illam amplectendã moveatur ab aliqua ratione boni.

37 Obijcies tertio, si semel repugnat voluntatem amplecti omissionẽ cognitam vt malam quin ad hoc moveatur ab aliqua ratione boni, pariter repugnabit voluntatem deserere obiectũ cognitum vt bonum, & conveniens, nisi ob aliquam rationem boni movente ad ita deserendum; si enim voluntas non potest amplecti malum, quin trahatur ab aliqua ratione boni; nec etiam poterit deserere bonum, quod cognoscit esse sibi conveniens, & nullo modo disconveniens, quin ad id inducatur ab aliquo motivo: ergo nunquam poterit purè omittere; quia semper ad omittendum debet allici ex aliquo motivo, & per nos nequit hoc contingere, quin interveniat actus positivus amans illud motivum, & inferens omissionem.

3. Obiectio.

48 Respondeo non rectè argui ab vno ad aliud: nam difficilius est amplecti malum cognitum vt malum, quam deserere bonum cognitum quidem vt bonum, cæterum vt bonum minimè necessarium ad propriam felicitatem. Pone Beato iam possidẽti summum bonum repræsentari aliquod obiectum creatum vt bonum, & conveniens sibi: sanè cum videret hoc bonum non esse necessarium sibi ad fœlicitatem, quamvis nec in illo, nec in eius amore inspiceret rationem mali, non propterea raperetur necessario in eius amorem, quia rapere necessario voluntatem in sui amorem videtur esse privilegium bonitatis infinitæ clare cognitæ. At vero vbi quis cognoscit aliquid vt ingens malum sibi, necessario fugit ab illo, nisi cognoscat illud malum esse medium ad obtinendum aliquod bonum, in quo maximè ipsa complaceat; quia si illud cognitum vt malum amplectatur, & non propter aliquam rationem boni, convincetur amare malum sub ratione mali. Confirmatur: nullus est Philosophus, qui dicat voluntatem posse amare malum sub ratione mali: gravissimi autem plurimique Authores docẽt, à nullo bono particulari posse voluntatẽ necessitari quo ad exercitium, imo plurimi asserunt, nec ipsam rationem beatitudinis incommuni rapere necessario in sui amorem; sed hoc esse privilegium bonitatis infinitæ clare visæ, quę sola potest necessitare voluntatem quo ad exercitium: si autem in sententia horum ipsa ratio beatitudinis in communi proposita per cognitionem non rapit necessario voluntatem ad sui amorem, multo minus bonum aliquod particulare cognitũ, vt minime necessarium ad consecutionẽ propriæ fœlicitas rapere poterit voluntatem in sui amorem, esto repræsentetur absque aliqua ratione mali in se, & in sui amore: cum ergo ex eo quod voluntas posset pure omittere peccaminosè, sequeretur posse amplecti malum sub ratione mali: ex eo autẽ, quod possit pure omittere non peccaminosè, dumtaxat sequatur eam non rapi ad amandum aliquod bonum finitum, patet non posse fieri argumentum ab vno ad aliud.

Respon-sio.

49 Confirmatur; certũ est apud omnes Theologos beatitudinem in communi saltem quoad specificationem necessitare voluntatem: quia licet plures sentiant posse volũtatem non amare beatitudinem vt sic, omnes tamẽ conveniũt, non posse illam odio habere. Ex eo autẽ quod posset amplecti omissionem peccaminosam, quin moveretur ab aliqua ratione boni, sequeretur posse odio habere suam fœlicitatem: quia cum malum sit oppositum summæ fœlicitati, & beatitudini, implicat vt velit esse summè fœlix is, qui sciens, & volens sibi infert aliquod malum, quin trahatur ab aliqua ratione boni; nam hoc ipso vult non esse fœliceẽ. At vero ex eo, quod in genere possit voluntas pure omittere simile quid non sequitur, imo nec sequitur non amare necessario beatitudinem in communi: quia etsi quis necessario velit esse fœlix, adhuc tamen poterit deserere bonum, de quo vere, vel per errorem apprehendit non esse sibi necessarium ad fœlicitatem, & beatitudinem non: ergo potest fieri argumentum ab vno ad aliud. Fixum ergo manet repugnare puram omissionẽ peccaminosam; quamvis possibilis admittatur pura omissio libera in genere.

SEC-

SECTIO SEXTA.

Solvitur difficultas quædam contra nostram rationem.

50 POTERIT quis vrgere sic nostram rationem. Quamvis nequeat homo omittere actum præceptū, quin cognoscat aliquā rationem boni in omittendo in eaque cōplaceat; nihilominus hinc non fieri, quod debeat omittere per actum positivum amantem illud bonum, & inferentem omissionem: quia bifariam potest intelligi illam complacētiam movere ad omittendum, vel directè, nimirum inclinando positive ad amplectendam omissionē ob bonum ex illa colligendum: vel indirecte, nimirum retundendo, & debilitādo vim quam cognitio de bonitate actus præcepti, & de malitia omissionis habēt ad inducendum actum præceptum, siquidem secluſa hac notitia, & complacentia boni colligendi ex omissione actus præcepti, cognitio, & complacentia inclinantes ad eliciendum actum præceptum raperent ad eius elicientiam, quam vim rapiendi non habent dum apparet ratio boni in omissione. Cum ergo in vniversum verum sit cognitionem aliquam, & complacentiam indirecte movere ad aliquem affectum, quin scilicet directè inclinent in ipsum, cur in præsenti non poterit idem dici?

51 Respondeo, aliquando posse complacentiam indirecte movere, nimirum, quando movet per modum removentis prohibens, quatenus removet oppositam displicentiam, quæ si adesset non eliceretur amor v.g. displicet quis in Petro tanquam in inimico: hæc displicentia retardat ipsum, nec dispensat Petro beneficium propter ipsius merita, quę de se sunt sufficiens motivum ad dispensandum illi beneficium. Postea reconciliatur ei, & in illo tanquam in amico complacet: & iam beneficium illi confert, non quia amicus est, sed quia dignus: in hoc casu complacentia amicabilis non movet directe ad voluntatem conferendi beneficium, sed ad hanc movet sola cognitio meritorum: movet tamen indirecte, quatenus removet displicentiam inimicabilem, quæ si adesset, non existeret voluntas conferendi beneficium.

Quomodo complacentia boni possit indirectè movere voluntatem.

52 At in nostro casu complacentia in bono colligendo occasione omissionis peccaminosæ non movet per modum removentis prohibens: siquidem illa complacentia nō aufert aliquam complacentiā, vel displicentiam oppositam: sed omnia positiva, quæ erant in voluntate relinquit, nimirum cognitionem de bonitate actus præcepti, & de malitia omissionis, & complacentiam in bonitate illa, atque displicētiam in malitia ista: ergo si aliunde movet ad omissionem, restat vt hoc præstet directe inclinando in affectum positivum amplectētem omissionem ob illud motivum.

Complacētia movens ad omissionem peccaminosam, movet directè.

53 Dices, movere indirecte, quia minuit vim cognitionis & complacentiæ in bonitate actus præcepti, & displicentiæ in malitia, siquidem istæ raparent necessario voluntatem ad eliciendū actū præceptum, si non adesset illa cognitio, & complacentia boni colligēdi ex omissione peccaminosa. Sed contra, quia ista complacentia nequit minuere pondus alterius complacentiæ inclinantis ad eliciendum actum præceptum, nisi quatenus est pondus in oppositum extremum: non enim minuit pondus illud quia auferat aliquid inclinans ad eliciēdum actum positivum: ergo solum minuit pondus, quatenus inclinat in oppositum, & sic est in causa, vt voluntas maneat in æquilibrio. Explicatur exemplo bilancis: bifariam potest aliquis facere, ne dexterum eius brachium v.g. deprimatur vsq; ad terram: nimirum, vel auferendo pōdus, quo deprimebatur ad illam partem: vel imponēdo pondus æquale in sinistro; & sanè qui non elevat brachium dextrū bilancis primo modo, necesse est, vt elevet secundo. Primus modus similis est modo, quo complacentia amicabilis movet indirecte ad voluntatem collativam beneficij ob merita. Secundus similis est casui nostro. Vnde sicut is, qui nihil pōderis aufert à brachio dextro bilancis inclinanti ad terrā, nequit illam in equilibro constituere, nisi inclinando directè, & positive brachium sinistrum in terrā medio pondere æquali. Ita cognitio quæ nihil aufert de pondere, quo deprimebatur voluntas ad actum præceptum, nequit voluntatem cōstituere in æquilibrio, nisi directe illam inclinet in ipsam omissionem.

Replicā.

Infringitur.

54 Potestque à posteriori colligi in nostro casu complacentiam boni colligendi ex omissione peccaminosa non movere solum in directe ad omittendum quia quando complacentia aliqua, vel cognitio indirecte solum movet ad aliquod

quod exercitium; manentibus omnibus aliis, non deficit necessario illud exercitium, sed potest existere secluſa cognitione illa indirecte movente; non enim dicitur indirecte movere ad actum, quia sine illa nequeat fieri actus (potest enim fieri ex vi cognitionis directe moventis) sed quia reipsa non fieret. At in nostro casu deficiente cognitione proponente motivum ad omittendum peccaminose, & manentibus omnibus aliis, necessario deficeret omissio peccaminosa, & poneretur actus præceptus: ergo quia voluntas cognoscēs malum esse omittere actū, impossibile est, vt omittat quin cognoscat aliquam rationem boni in omittendo: ergo cognitio proponens rationem boni in omissione omnino necessaria est, vt ponatur omissio peccaminosa: ergo movet directe ad illam.

55 Dices, cognitionem illam solum movere, quatenus removet prohibens, quia licet nihil positivū removeat, removet tamen sui carentiam, quę prohibebat omissionem actus præcepti poni à voluntate, quatenus voluntas carens cognitione repræsentante aliquam rationem boni in omissione peccaminosa esset necessitata ad non ponendam talem omissionem. Vnde quia carentia talis cognitionis erat impedimētum ad omissionem, cognitio ipsa auferens sui carentiam, dicetur concurrere per modum removentis impedimentum prohibens omissionem. Sed contra, quia vbi cognitio nihil aliud tollit, quam sui carentiam, & tamē per se requiritur ad exercitium aliquod, certe requiritur per se, & directe, per modum positive dirigentis ad tale exercitium, vt patet discurrenti per omne exercitium: non enim alia ratione probari potest cognitionem bonitatis divinæ requiri per se, & directe ad amorem obiecti; nisi quia sine illa nequit fieri ille actus: vnde eius carentia impedit actum, quatenus impedit aliquid per se requisitū ad existentiam ipsius. Quod colligitur à posteriori: nam vbi aliqua complacentia concurrit indirectè ad aliquod exercitium, nimirum, quatenus removet oppositam complacentiam, quæ si existeret, prohiberet existentiam talis exercitij, ita concurrit vt si opposita displicentia auferretur aliunde, quin ipsa poneretur, sanè actus eodem modo fieret. At quamvis per impossibile tolleretur carentia talis cognitionis proponentis aliquam rationem boni in omissione absque positione ipsius cognitionis, non propterea voluntas maneret expedita ad omissionem peccaminosam: ergo signum est talem cognitionem per se & ratione sui requiri directe ad omittendum peccaminose.

Alia instantia.

Infrigitur.

56 Dices: postquam voluntas intelligitur cum cognitione repręsentante rationem aliquā boni in omissione peccaminosa, potest Deus denegare ipsi cōcursum ad actum positivum amantem omissionem ex illo motivo: ergo tunc voluntas nō erit potens excludere actum præceptum per exercitium positivum; & nihilominus non est absolutè necessitata ad ipsum eliciendum, quia vbi adest illa cognitio repræsentās aliquam rationem boni in omissione peccaminosa, non rapitur necessario voluntas ad elicientiam actus præcepti: ergo tunc erit potens excludere actum præceptum per exercitiū pure negativum: ergo per puram omissionem.

57 Respondeo, in illo eventu, vel Deum necessitaturum voluntatem ad elicientiā actus præcepti, vel denegaturum illi concursum ad talem elicientiam: si primum, necessario observaret præceptum: si secundum, necessario careret tam actu observandi præceptum: quā actu amante omissionem actus præcepti. Ratio est, quia cum impossibile sit, vt voluntas cognoscens omissionem actus esse malam illam amplectatur nisi ob rationē boni, impossibile est, vt ipsam amplectatur nisi per actum positivum: ergo Deus auferens tunc concursum voluntati ad amplectendam omissionem peccaminosam per actum positivum, illam necessitat ad non excludēdum actum præceptum. Atqui voluntas necessitata ad non excludendum actum aliquem, vel est necessitata ad ipsum ponendum, vel necessario caret potentia proxima ad eius elicientiam: ergo necessario sequeretur tunc alterum è duobus. Quare si Deus ex vna parte vellet vt voluntas non excluderet actum præceptum per exercitium positivum inducens omsionem actus præcepti, & ex alia vellet, vt eliceret ipsum actum præceptum, vellet, vt eliceret necessario: ac proinde stante cognitione indifferenti, de se sufficiente ad obseruandum libere præceptum,

Deus necessitaret voluntatem ad præcepti obseruationem.

SEC-

SECTIO VII.

Specialis alia difficultas.

58 DIFFICILIVS poteſt arguí contra noſtram ſentẽtiam in hunc modum: poteſt Deus præcipere voluntati, vt eliciat actum amoris Dei immediatè liberũ eſſentialiter, id eſt omnino inimperabilẽ. At in hoc eventu voluntas poſſet excludere actum illum amoris eſſentialiter liberum, & non per actum poſitivum: ergo per puram omiſsionẽ. Quod poſsit Deus voluntati præcipere illum actum, ſuadetur; quia voluntas poteſt elicere actum amoris Dei ex eſſentia ſua immediatè liberum, & conſequenter inimperabilẽ: abſurdum autem videtur, quod nequeat Deus præcipere voluntati, vt eliciat actũ liberum, quem in ſua poteſtate continet. Quod autem actum illum ſic præceptum, nequeat voluntas excludere per actum poſitivum, probatur; quia ponimus caſum in quo actus ille ſit immediatè liber ſola libertate contradictionis, nimirum, quia oritur à voluntate potente non amare Deum, non autem potente odio habere, vel amare aliud obiectum incompoſsibile. Quo ſuppoſito ſic argumentor: ſi voluntas poſſet excludere amorem illum Dei per aliquem actum poſitivum, maximè per nolitionem reflexam amoris, vel per volitionem reflexam amantem efficaciter carentiam amoris: at non poteſt per iſtum excludere: ergo per nullum. Probatur minor: quia ſi voluntas poſſet per nolitionem reflexam excludere amorem illum, poſſet eundem inducere per volitionem reflexam, nam ſi amor eſt reflexè nolibilis, debet quoque eſſe reflexè volibilis, nec enim latior eſt ſphœra nolendi, quam ſphœra volendi. At amor ille nequit induci per volitionem reflexam, cum ſit eſſentialiter inimperabilis: ergo nec poteſt excludi per nolitionem reflexam.

Prima reſpõſio

59 Reſponderi in primis poſſet ab aliquo, amorem illum eſſentialiter inimperabilem poſſe excludi per nolitionem reflexam; quia cum actus ille reflectat ſupra ſe ipſum, amat ſui exiſtentiam reflexè; vnde iam eſt reflexè volibilis, licet non per actum antecedentem à ſe diſtinctum; ſufficit autem eſſe reflexè volibilem quamvis per actum à ſe indiſtinctum; vt poſsit per nolitionem reflexam excludi. Secundò reſponderi poteſt, repugnare caſum, in quo actus amoris immediatè liber eſſentialiter ſola libertate contradictionis ſit præceptus à Deo: quia ſi eſt eſſentialiter liber immediatè, erit quoque eſſentialiter præceptus, id eſt ſupponens eſſentialiter præceptum: ergo ſupponet eſſentialiter cognitionem repræſentantem aliquam rationem boni in omiſsione ſui: ergo ſupponet eſſentialiter voluntatem non poſſe illum excludere, niſi vel per nolitionem efficacem ipſius, vel per volitionem efficacem ſuæ carentiæ. At actus eſſentialiter ſupponens hanc potentiã excludendi ipſum per nolitionem, nequit eſſe eſſentialiter inimperabilis, ſed potius ex modo ſuo tendendi ſupponet in voluntate capacitatem ad ipſum imperandum: ergo, &c.

Secunda repugnat caſus in quo actus amoris eſſentialiter liber ſola libertate contradictionis cadat ſub præceptum.

60 Quod confirmo: nequit Deus præcipere actum amoris, quin voluntas agnoſcat malum eſſe omittere illũ actum; implicat autem, vt voluntas agnoſcens malum eſſe omittere actũ amoris ſit expedita ad ipſum omittendũ, niſi in vi cognitionis repræſentantis aliquam rationem boni in omittendo: implicat autem eſſe expeditam ad omittendum in vi talis cognitionis, niſi ſit expedita ad amandam talem omiſsionem, & conſequenter ad nolendum actum amoris: implicat autem eſſe expeditam ad nolendum actum amoris, quin ſit, vel ſaltem poſsit eſſe expedita ad volendum illum amorem; & conſequenter ad ipſum imperandum reflexè: ergo de primo ad vltimum nequit Deus præcipere actum amoris eſſentialiter immediatè liberum libertate ſolius contradictionis. Aliter ſe res haberet ſi actus eſſet immediatè liber eſſentialiter libertate contrarietatis, quatenus eſſet à voluntate potente ipſum excludere per odium eiuſdem obiecti, vel per amorem obiecti incompoſsibilis; tunc enim poſſet Deus præcipere illum amorem quamtumvis liberum immediatè, quia voluntas poſſet excludere amorem illum per odium obiecti, quin haberet poteſtatem excludendi per nolitionem reflexam, ex qua arguitur poteſtas ad illum inducendum per volitionem reflexam.

61 Nec vero reputari debet abſurdum, quod ſit poſsibile aliquis actus liber bonus, & honeſtus, quem Deus nequeat præcipere: etenim ſi ſemel dicitur

libertatem immediatam esse essentialem actui immediatè libero, sanè sicut non est absurdū, quod ille actus quantumvis bonus, & honestus, nequeat reflexè amari à nobis; ita nec erit absurdū, quod nequeat præcipi à Deo. Confirmatur: si actio libera sit essentialiter libera, actio semel orta à præcepto essentialiter supponit præceptum: ergo actio, quæ semel existit sine præcepto, incapax est, vt oriatur à præcepto, seu à cognitione ipsius: ergo erit essentialiter impræceptibilis: non ergo absurdum est, quod suppositā libertate immediatè essentiali alicui actui, nequeat actus ille præcipi.

Ex eo quod sit possibilis pura omissio libera, nō rectè arguitur esse possibilem peccaminosam.

62 Objicies vlterius: nostram rationē, vel nihil probare, vel pariter evincere repugnare in omni eventu puram omissionem: ergo non est specialis ad probandam repugnantiam puræ omissionis peccaminosæ. Probatur antecedens, quia sicut repugnat, vt voluntas operetur intendens in proprium malum, ita repugnat, vt operetur intendens in carentiam proprij boni. Sed propter primum repugnat, vt voluntas amplectatur omissionem cognitam, vt malam, nisi propter aliquam rationem boni: ergo propter secundum repugnabit, vt omittat amorē boni, nisi ob aliquā rationē boni. Confirmatur: Per nos si voluntas omitteret actum præceptū cognoscens esse malum ita omittere, quin moveretur ab aliqua ratione boni, convinceretur intendere in malum: ergo si omitteret amorem boni cogniti, vt talis, absque aliqua ratione boni convinceretur intendere in carentiam boni: at non minus repugnat voluntati intendere in carentiam boni, quam intendere in malum: ergo non minus repugnat voluntati omittere bonum absque motivo, quam amplecti malum absque motivo.

63 Respondeo: ex terminis manifestum est, plus requiri, vt quis amplectatur malum proprium cognitum, vt tale, quam vt deserat bonum, quod cognoscit minimè necessarium esse sibi ad finem præintentum comparandum: ergo quamvis ad amplectendum malum cognitum, vt tale, necessarium sit duci, & trahi ab aliqua ratione boni colligendi occasione illius mali, non inde fit, necessarium quoque esse moveri ab aliqua ratione boni ad deserendum bonum cognitum, vt minimè necessarium ad consecutionem finis præintenti: ergo quamvis negetur pura omissio peccaminosa, non colligitur efficaciter ex illa ratione negandam esse omnem aliam purā omissionem.

Explicatur nostra doctrina ex D. Th.

64 Explico doctrinam iuxta sententiam Divi Thomæ quam latè tuetur Capreolus in 1. dist. 1. quæst. 3. vt habes in eius compendio; stante apprehensione vltimi finis sub vniversali ratione summi boni, voluntas necessario fertur ad ipsum, & necessario, quoad exercitiū amat esse fœlicem, quin amorem erga beatitudinem incommuni possit continere. Redditque rationem Angelicus Doctor q. 22. de veritate, articul. 6. in corpore: *Quia omne mobile reducitur ad immobile, & indeterminatum ad determinatum ficut ad principium, & ideo oportet, quod id, ad quod voluntas est determinata, sit principium appetendi ea, ad quæ non est determinata, & hoc est finis vltimus.* Ergo omnis amor liber reducitur ad aliquem amorem necessarium: ergo amor erga finem vltimum est omnino necessarius quoad exercitium. Id ipsum probat Angelicus Doctor 1. part. quæst. 82. nam iuxta Philosophum 9. Ethicorum. Et 3. Politic. *Sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus.* Vnde sicut necessario intellectus adhæret primis principijs, ita voluntas necessario adhærere debet vltimo fini. Tum sic: voluntas necessario amat beatitudinem incommuni, necessarioque vult esse fœlicem, quoties hoc apprehendit: at qui amat efficaciter finem, necessario aversatur ea, quæ impediunt consecutionem finis: ergo voluntas necessario aversatur malum cognitum, vt tale, nisi appareat vtile, vt medium ad consecutionem alicuius boni, quo compleatur fœlicitas. Patet consequentia; quia fœlicitas, & beatitudo incommuni necessario impeditur per quodcumque malū verè tale: implicat enim esse summè fœlicē, & pati malum vere tale: ergo voluntas necessario amans fœlicitatem in communi; necessario aversatur malum purè tale: ergo ex vi illius amoris manet necessitata ad non amplectendā omissionem peccaminosam, nisi ob aliquam rationem boni, qua hic, & nunc voluntas falso existimat compleri maiorem suam fœlicitatem.

65 Quo supposito, sic insurgo & insto argumentum nobis obiectum.

Quam-

Instatur argumẽ tum nobis obstat.

Quamvis is, qui necessario amat aliquem finem, debeat necessario aversari ea, quæ impediunt finis consecutionem, non tamẽ propterea necessario debet amare ea, quæ prævidentur vtilia, minimè tamen apparent necessaria ad cõsecutionẽ finis: ergo ex eo, quod voluntas amans necessario esse fœlicem, nequeat amplecti malum peccati, nisi ob aliquam rationem boni: non deducitur, quod voluntas amans necessario beatitudinem incommuni, ad quam cognoscit aliquod bonum particulare non esse necessarium; non deducitur, inquam, quod nequeat prætermittere illud bonum; nisi ob aliquam rationem boni.

SECTIO VIII.

Enumerantur casus, in quibus potest admitti pura omissio libera.

Primus casus.

66 SED age videamus casum, in quo possit admitti possibilitas puræ omissionis, quin ex hoc deducatur possibilem quoque fore puram omissionem peccaminosam. Casus multiplex potest cogitari. Primo quando quis intendit efficaciter aliquem finem, ad quem videt vtilia esse plurima media inter se compossibilia, in quorum nullo videt aliquam rationem mali. In hoc eventu voluntas non cogitur amare medium A. determinatè: ergo potest ipsum prætermittere, & continere affectum suum erga ipsum, quin ad hoc indigeat aliquo motivo: nam per hoc præcisè, quod illud medium repræsentetur, vt minimè necessarium ad finem intentum, nihil est, quod voluntatem cogat ad ipsum amandum: ergo poterit voluntas continere affectum suum erga ipsum: nec ad hoc requiritur alia ratio, quam medium illud non esse necessariũm. Vt enim inquit Pater Coninch disput. 14. de Trinitate, num. 62. *Etsi nequeam aliquid odisse, nisi videam in eo aliquam rationem mali; hoc tamen nullo modo est necessarium, vt ab eius amore desistam: sed ad hoc sufficit, quod videam, nec ipsum, nec eius amorem mihi hic, & nunc esse necessaria, nam etsi ad affectum positivum requiratur causa positiva, ad negationem tamen sufficit communiter sola negatio.*

Secũdus

67 Idem dici debet, si beatus possidens iam summum bonum, apprehenderet aliquod obiectum, vt bonũ bonitate finita, quin in illo, nec in eius amore aliquam rationem mali cognosceret. In hoc eventu, nec posset odio habere bonũ illud, nec eius amorem, & tamen non propterea rapeteretur necessario in eius amorem, vt enim ait Augustinus lib. 1. de libero arbitrio: *Nulla res finita etiam clarè cognita necessitat voluntatem ad sui volitionem.* Est enim privilegium boni infiniti clarè cogniti rapere ad sui amorem. Cætera autem obiecta particularia hanc vim non habent. Hinc iuxta S. Thomam licet voluntas necessario feratur in beatitudinem incommuni, quia necessario vult esse fœlicem, & carentem omni miseria; non tamen in via vult necessario beatitudinem apprehensam sub aliqua speciali ratione illius, in quo beatitudo consistit, id est non tamen necessario amat vllum bonum particulare, nec ipsum Deum cognitum obscurè, vt docet Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 5. art. 8. & in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. q. 1. ad primum, vt habes in compendio Capreoli in 1. dist. 1. quæst. 3. concl. 2. Vnde patet nullum bonum finitum cognitum, vt tale, rapere necessario voluntatem in sui amorem. Quod si amat necessario bonum in communi, id ideo est, quia Auctor naturæ determinavit naturam rationalem ad hunc amorem, vt ita amor iste foret principium omnium affectuum contingentium voluntatis.

Tertius.

68 Tertio possumus admittere puram omissionem quoties voluntas præcisè cognoscit bonitatem obiecti cognitione sufficienti ad ipsum amandum intensè, & tamen amat remissè, tunc enim dicere possumus maiorem illam intensionem excludi per puram omissionem, quia nec excluditur per ipsum actum minus intensum, vtpote qui intensibilis est, ac proinde compossibilis cum maiori sui intensione: nec per nolitionem excludẽtem positivè maiorem intensionem: tum quia frequẽter etsi adsit libertas ad amãdum magis, vel minus intensè obiectum per amorem directum, non adest tamen libertas ad amandum, vel nolendum amare reflexe amorem. Tum quia ad ita excludendam intensionem maiorem, & minorem præ illa eligere, necesse est inter vtramque discernere, quod tamen regulariter non habet voluntas. Nec actus magis intensus, seu maior intẽ-

sio excluditur per actionem productivam minoris intensionis: hæc enim actio ex nullo capite potest habere incompossibilitatem cum maiori intensione; quia terminus per illam productus, & principium producens, & denique subiectum in quo recipitur, sunt compossibilia cum maiori intensione: ergo & ipsa debet quoque esse compossibilis. Restat ergo vt illa maior intensio excludatur per puram omissionem. Iam vero ex eo quod in hoc casu admittamus possibilem puram omissionem, non sequitur possibilem fore puram omissionem peccaminosam; nam hoc ipso, quod Deus præciperet homini actum cum intensione, vt octo, relinquendo illi libertatem ad actū intensum, vt quatuor, deberet communicare homini advertentiam, qua discerneret inter vtramque intensionem: & insuper vt posset tunc liberè omittere illam maiorem intensionem cognitam vt malā, deberet agnoscere aliquam rationem boni, ad cuius consecutionē foret vtilis illa omissio peccaminosa; vt ex illo motivo posset trahi ad omittendum.

Infertur ex, dictis posse in multiplici casu admitti puram omissionem liberam; quin sit possibilis pura omissio peccaminosa.

69 Ex quibus omnibus constat posse in multiplici casu admitti puram omissionem liberam, quin inde possimus cogi admittere possibilem puram omissionem peccaminosam. Et constat evidentem esse disparitatem inter omissionem peccaminosam, & aliquas alias non peccaminosas: quia ex terminis notum est, difficilius esse, quod quis amplectatur malum cognitum, vt tale, quam quod deferat bonum finitum, cognitum, vt minimè necessarium ad finem vltimum fœlicitatis, vel ad finem alium particularem efficaciter præintentum: ergo quamvis ad amplectendum malum sic cognitum sit necessaria ratio boni positivè movens per modum finis: non tamen fit, vt ad deferendum illud bonum sic cognitum sit necessaria alia ratio boni colligenda ex alterius omissione, quæ cognita moveat ad omissionem illius boni.

(?)

SECTIO IX.

Nova ratione ostenditur impossibilitas puræ omissionis peccaminosæ.

70 POSSVMVSQVE nova ratione ostendere, omnino impossibile esse, quod quis amplectatur omissionem peccaminosam cognitam, vt talem, absque alia ratione boni ad id movente. Etenim cum iuxta omnes Theologos nemo possit odio habere beatitudinem incommuni, nemo potest velle esse miserum, & infœlicem: ergo nemo potest amplecti malum cognitum, vt tale, nisi vt purè medium ad consecutionē alicuius boni. Patet consequentia: quia si amplecteretur malum non vt purè medium ad bonum, hoc ipso vellet esse miserum, & infœlicem, quod repugnat: ergo nequit voluntas amplecti omissionem peccaminosam, nisi vt medium ad consecutionem alicuius boni. At voluntas amplectens omissionem, vt medium, hoc ipso ponit omissionem medio actu amante illum finem, & propter illum eligente omissionem: ergo non ponit omissionem puram.

Confirmatur.

71 Quam rationem denuo confirmo: voluntas necessario amat beatitudinē in communi, seu necessario vult esse fœlicem, & carere omni miseria: ergo voluntas cognoscens aliquid esse sibi malum, & disconveniens necessario fugit ab eo, nisi videat illud incommodū occasionē esse commodi, & illud malū occasionem esse boni consequendi, in quod ipsa propensa, & inclinata est: ergo implicat, vt voluntas cognoscens omissionem esse peccaminosam eam amplectatur, nisi videat omissionem illam esse vtilem ad cōsecutionē alicuius boni erga quod ipsa est affecta, & inclinata: ergo implicat vt voluntas omittat peccaminosè, nisi ex vi boni trahentis, & allicientis ad omittendū; at omittere ex vi boni trahentis, & moventis ad omittendū est omittere per actū positivū amantē illud bonū, vt finē, & inferentem omissionem, vt medium.

Volūtas necessario amat beatitudinē in communi.

72 Quod voluntas necessario feratur in beatitudinē in communi cognitam, suadetur à posteriori hoc efficacissimo argumento. Damnati necessario dolent de iactura voluntaria suæ beatitudinis, agnoscentes suum errorem iuxta illud: *ergo erravimus*; ergo necessario,

&

& non liberè amant beatitudinem. Probatur hæc conſequentia, quia vbi amor eſt liber, non poteſt triſtitia de eius omiſſione eſſe neceſſaria, cũ triſtitia depẽdeat ab amore: ergo non triſtarentur neceſſario damnati de amiſsione beatitudinis, niſi eam neceſſario amarẽt. Incredibile autem eſt damnatos videntes ſummum incommodum annexum amori beatitudinis neceſſario illam amare, & nos qui tale incommodum actu non ſentimus liberos eſſe ad amandam beatitudinem ſuppoſita cognitione ipſius. Quod experimento comprobatur; quis eſt enim qui deliberans de negotijs totius vitæ non experiatur hoc ipſo in ſe affectũ ad optimum illorum exitum, & averſionẽ *à triſtiſsimo*? ergo repugnat, vt creatura rationalis apprehendat hoc, quod eſt eſſe fœlicem, & carere omni miſeria, quin neceſſario afficiatur erga illud bonũ. Hinc merito D. Thom. 1. p. q. 62. art. 8. ad 2. docuit: *Voluntatem reſpectu vltimi finis non ſe habere, vt potentiam rationalem, quæ poteſt in oppoſita, ſed vt naturam, quæ eſt determinata ad vnum.*

Ratio ex dictis

73 Ex ijs deduces, cur voluntas amplectens omiſsionem cognitã, vt malam, quin ad id moveretur ab aliquo fine obtinendo media illa omiſsione: cur, inquam, voluntas conuinceretur intendere in malum. Ratio vero eſt primo, quia ſi amplectitur malum, & non vt mediũ: ergo vt finem. Secundo, quia ad amplectendum malum non ſatis eſt bonitatem obiecti moventem ex ſe ad eliciendum actum præceptum eſſe finitam, vel repræſentari finitè: nam boniratem eſſe finitam poteſt quidem eſſe ſufficiens ratio cur voluntas illam deſerat; non tamen poteſt eſſe ſufficiens ratio cur voluntas amplectatur malum poſitivè diſconueniens: ergo ad hoc præſtandum alia requiritur ratio. Niſi autem aliqua repræſentetur ratio boni, ad quam ſit vtile illud malum, nulla ratio manet cognita, quæ poſsit eſſe ratio cur voluntas amplectatur malum, niſi ipſamet ratio mali: ergo ſi voluntas amplectitur malum cognitum, vt tale abſque aliqua ratione boni, conuincitur intendere in malum, quod repugnat.

74 Hinc vero non ſequitur voluntatem purè omittentem amorem boni cogniti, vt boni minimè neceſſarij ad vltimum finem neceſſario amatum, vel ad alium finẽ intermedium efficaciter intentum: non, inquam, ſequitur voluntatem ſic omittentem intendere in carentiam proprij boni. Sed ſolum ſequitur voluntatem non intendere in bonitatem obiecti, eo quod cognita ſit, vt finita, & minimè neceſſaria ad finem: nam hoc ipſo, quod bonitas repræſentetur, vt finita, & non neceſſaria, non rapit neceſſario voluntatem ad ſui amorem, vnde voluntas poteſt continere amorem, quin ad hoc indigeat vlla alia ratione.

Obiect.

75 Dices: voluntas cognoſcit ſe carituram *aliquo bono* ſi omittat amorem obiecti, nimirum cognoſcit ſe caritura amore ipſo obiecti, qui amor eſt bonũ ipſius volũtatis: ergo ſi ſtante hac cognitione omittit; omittit intendens in carentiã proprij boni. Reſpondeo primo, vt defendamus poſsibilem puram omiſsionem, non eſt neceſſe, vt ponamus in voluntate cognitionem illam reflexam de amore, & eius pura omiſsione: nam vt voluntas conſtituatur potens proximè purè omittere, ſatis eſt, quod per cognitionem directam cognoſcat bonitatẽ aliquam, vt finitam, & ipſi non neceſſariã. In quo euẽtu omitteret quidẽ voluntas intendens in carentiam bonitatis obiecti tanquam in rationem cur obiectum non ſit dignum rapere voluntatẽ in ſui amorẽ: non tamen intenderet in carentiã proprij boni, quia non cognoſceret illam carentiam. Reſpondeo ſecundo, quamvis antecedenter ad omiſsionem voluntas cognoſceret reflexè amorem obiecti, & ipſam omiſsionem talis amoris: non propterea ſequeretur, ipſam pure omittentem illũ amorẽ, operari intendendo in carentiam proprij boni; quia ratio cur non amaret, & quæ interpretativè eſſet motivum omiſsionis, nõ eſſet ipſa omiſsio, ſed bonitas obiecti, vt finita, & non neceſſaria; nam hoc ipſo, quod vt talis cognoſcitur non rapit voluntatẽ in ſui amorem, & hoc ipſo eſt ſufficiens ratio cur deſeratur: at voluntas amplectens amiſsionem peccaminoſam cum non poſsit ad ita omittendum interpretative duci ab ipſa bonitate obiecti, quia hæc licet obſui finitatẽ, & limitationẽ poſsit eſſe ratio ſufficiens cur deſeratur; non tamẽ poteſt eſſe ratio ſufficiens, vt voluntas amplectatur malum: rurſus cum non poſsit duci ad ita omittẽdũ præciſè ab ipſa omiſsione, quia ratio mouẽs interpretativè ad omiſsionẽ debet eſſe diſtincta ab omiſsione: ſanè ſi nõ appareat per cognitionem, niſi ratio mali ſecuturi ex omiſsione, & nulla appareat ratio boni

Soluitur primo.

Secundo

colligendi occasione omissionis; voluntas interpretativè moveretur à ratione mali, si purè omitteret in circunstantijs, in quibus cognoscit omissionem esse malã: ergo si tunc purè omitteret, sanè operaretur intendens in malum.

76 Sed agè admittamus voluntatem amplectentem omissionem cognitam, vt malam, non intendere in malum, id est non respicere malum, vt motivum adhuc interpretativè, quamvis nõ omittat ob aliquam rationem boni. Sicut purè omittens amorem obiecti finiti, & nõ necessarij non intendit in carentiam boni proprij, videlicet respiciendo illam interpretativè, vt motivum. An propterea dicemus voluntatẽ posse pure omittere actum præceptum, si semel potest pure omittere amorem obiecti cogniti, vt boni non necessarij? Minimè. Ratio disparitatis, quia quãvis voluntas possit amplecti scienter carentiam alicuius boni cogniti, vt minimè necessarij, quin ad illam amplectendã moveatur ab aliqua ratione boni, nõ tamẽ propterea potest amplecti carentiam aliquam cognitã, vt positivè malã, & disconvenientẽ, & consequẽter, vt contrariam fœlicitati, nisi illã amplectatur, vt mediũ ad consecutionẽ alicuius boni. Ratio est, quia si amplecteretur illam cognitã, vt malã, quin amplecteretur, vt medium ad bonum aliquod, voluntas averteretur propriam fœlicitatẽ, & vellet esse misera, & infœlix, quod repugnat. At ex eo, quod amplectatur carentiam boni non debiti, nec necessarij, solùm sequitur voluntatem non amare bonum aliquod, quamvis videat illud esse sibi conveniens, & nihil mali positivi in eo reperiat. Hoc autem non est absurdum, vel saltem multo minus, quam primum: ergo non potest fieri argumentum ab vno ad aliud.

Confirmatur amplius nostra ratio.

77 Quam doctrinã illustrare possumus: nam vbi voluntas cognoscit aliquod obiectum esse quidẽ sibi conveniens, & bonũ, cæterũ minimè sibi esse necessariũ: forsam absque aliquo alio motivo potest nolle eligere illud bonum: quia sufficit pro motivo nolitionis, quod cognoscat obiectum illud non esse sibi necessarium. Vnde siquis intendat finem, & videat plura media convenientia, & inter se dissimilia, potest dicere *nolo eligere medium A.* quamvis bonũ, & vtile: quia illo non indigeo. At vero vbi voluntas cognoscit aliquid esse malũ, & disconveniens sibi, implicatorijũ est, vt illud amplectatur, nisi vt medium, ad aliquod bonum ad quod afficitur, ne alioqui convincatur amare in fœlicitatem, quod repugnat.

Illustratur ierũ

78 At dices: omnis nolitio est odiũ rei nolitæ: odium autem debet moveri à malitia, & disconvenientia, sicut amor à bonitate, & convenientia: ergo non poterit voluntas per nolitionem positiva excludere amorem obiecti, nisi moveatur ab aliqua ratione mali positivi, v.g. ab aliquo incommodo, vel molestia. Respondeo primo per instantiam: nam Deus cognoscens bonum esse producere creaturã, quin aliquam rationem mali positivi, & disconvenientis agnoscat in illius productione, nihilominus habet nolitionẽ producendi: & ad nolendum producere sufficiens retio est productionem creatura cognoici à Deo, vt minimè necessariã sibi, nimirum ad summam fœlicitatẽ propriam possidendam. Hæc enim est ratio, quam adducit D. Thomas ad probandũ Deum non amare necessario creaturas possibiles 1.p.q.19.art.3. in corpore: *Nã alia à se* (inquit ille) *amat Deus in quantũ ordinantur ad suam bonitatem, vt in finem: ea autem, quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest*: ergo similiter, vt voluntas creata amans necessario finem vltimum beatitudinis incommuni, vel efficaciter intendens aliquam finem particularem nolit existentiam medij cogniti, vt vtilis, & convenientis, satis est, quod cognoscat medium illud quantumvis bonum, & vtile, non esse sibi necessarium. Obiect. Diluitur

79 Quare duplex distinguenda est nolitio, alia respuens rem, vt disconvenientem, vt illam aversans, & fugiens ab illa, vt mala operanti: & hæc nolitio est propriè odium, & debet moveri à positiva ratione mali. Alia reijciens rem cõvenientem, & minimè necessariam, & qua operans non indiget, & hæc non est proprie odiũ (alioqui Deus nolens habere aliquod decretũ liberũ producendi alium mundum v.g. propriè odio haberet suum decretum) & sufficienter movetur à carentia bonitatis, seu ab eo quod sit aliquid non necessarium. Non omnis nolitio rei est eius odium,

80 Vide ego iam instantiam: vt voluntas excludat per nolitionem positivam amorem alicuius obiecti cogniti, vt boni bonitate non necessaria operanti, non indiget moveri ab aliqua ratione extrinseca boni: sed ipsamet cognitio repræsentans illud bonum, vt non necessarium

suffi-

ſufficienter movere poteſt ad nolitionē, at iuxta omnes, vt voluntas excludat per nolitionem poſitivam actum præceptū, debet neceſſario moveri ab aliquo bono extrinſeco ad cuius conſecutionem ſit medium omiſsio actus præcepti: ergo ex eo quod voluntas nequeat omittere actū præceptum, quin moveatur ab aliqua ratione boni; non ſequitur, quod nec etiam poſsit omittere actum non præceptum, quin moveatur ab aliqua ratione boni.

SECTIO X.

An abſolutè verum ſit repugnare omnem puram omiſsionem.

Proponitur difficultas.

81 TOTA difficultas ad hoc pūctum revocatur; an vt voluntas ceſſet ab amore obiecti cogniti, vt boni, & convenientis, ſeu vt illum omittat, neceſſe ſit aliquam rationem mali videre ſaltem in ipſo exercitio amandi obiectum; ac proinde an quoties voluntas omittit libere actū, hoc præſtare debeat ex vi cognitionis moventis, & inclinantis ad omittendū, quatenus proponit rationem aliquam mali, vel in ipſo obiecto, vel in exercitio amādi obiectum, malum enim apparens in obiecto, vel in exercitio amandi obiectū inclinat potiſsivè ad impediendum amorem obiecti.

Sententia P. Coninch.

82 Pater Coninch diſp. 14. de Trinitate, num. 62. abſurdū reputat me non poſſe ceſſare ab amore boni cogniti, quando in eius amore nullam video rationem mali: nam etſi nequeam (inquit) aliquid odiſſe, niſi videam in eo aliquam rationem mali; hoc tamen nullo modo eſt neceſſarium, vt ab eius amore deſiſtam; ſed ad hoc ſufficit, quod videam, nec ipſum, nec eius amorem mihi hic, & nunc eſſe neceſſaria; nam etſi ad affectum poſitivum requiratur cauſa poſitiva, ad negationem tamen ſufficit communiter ſola negatio. Et aliàs beatitudinem cognitam neceſſario ſemper actu amaremus, quoties id ſine difficultate, aliovè incommodo poſſemus facere, quia tunc in eius amore nulla apparet ratio mali.

Placitū P. Granados.

83 Pater Granadus 1. 2. tom. 1. tract. 2. diſp. 3. ſect. 4. n. 19. pag. mihi 25. aſſerit nullum bonum limitatum imponere poſſe voluntati phyſicam neceſsitatem quoad exercitium niſi ob defectum advertentiæ, eſſe enim proprium ſummi boni clarè viſi omnino rapere voluntatē, & cætera bona ſicut infinitè ab illo diſtant; ita infinitè minus determinant voluntatem: relinquunt ergo illam ſui compotem, vt vel amet, vel reſpuat, aut ſaltem cohibeat actū: nec ad id neceſſe eſt, inquit, proponi aliquam rationem mali in obiecto, aut aliquod bonū in ipſa ceſſatione actus, ſed eo ipſo, quod limitata, & finita ſit bonitas, nec aliunde deſit advertentia, manet voluntas ſui iuris: nec enim tanto pondere bonitatis trahitur, vt omnino inclinetur ad illam amplectēdam. Eandem ſententiā propugnat Hurtadus diſp. 15 de anima, ſect. 10. Salas, & alij non pauci.

Aliorum placita.

84 Alij tuentur oppoſitam ſententiam, nempe voluntatē non poſſe omittere amore obiecti cogniti, vt boni, & cōvenientis ſibi, niſi vel in illo pariter cum bonitate agnoſcat aliquam rationē malitiæ, vel ſaltē in exercitio ipſum cognoſcēdi, aut amandi: ſi enim in exercitio cognoſcendi, difficultate aliquā, incommodū ve animadvertat, poterit alio mentem applicare, & ſic ab amore illius boni ceſſare. Si autē ſuppoſita cognitione, aliquā rationem incommodi animadverterit in exercitio amādi obiectū illud, poterit per nolitionē amoris ipſum amore excludere. Quod ſi nec in exercitio cognoſcendi, nec in exercitio amandi obiectū repræſentatum præciſè, vt bonū, & conveniens aliqua ratio mali repreſentetur, tunc neceſſario quoad exercitiū feretur in bonitatē obiecti cognitā. Quam ſententiā nō obſcurè tuetur P. Vazquez 1. 2. diſp. 39. n. 13. dum inde probat, voluntatē in via nullū obiectum amare neceſſario, quoad exercitium, nec ipſam quidem beatitudinē in cōmuni, quia nimirū licet in ipſa beatitudine nequeat voluntas reperire rationem mali, poteſt tamen in ipſo exercitio diligendi beatitudinem invenire rationem alicuius mali, aut moleſtiæ; ex quo infertur poſſe tale exercitium odio habere.

Sententia D. Thomæ.

85 Hæc etiam ſententia traditur ſatis perſpicuè à D. Thom. 3. contra gentes, c. 62. ratione 6. vbi ſic habet: *Impoſsibile eſt, vt aliquis à bono, quo fruitur, velit diſcedere, niſi propter aliquod malum, quod in fruitione illius boni æſtimatur, ſaltem propter hoc, quod æſtimatur impedimentum maioris boni: ſicut enim nihil deſiderat appetitus niſi ſub ratione boni, ita nihil fugit, niſi ſub ratione mali.* Ex quo infert Angelicus præceptor, Beatū permanente viſione, non poſſe ceſſare ab amore Dei; quia in fruitione Dei clarè

visi nõ potest beatos agnoscere aliqua ratio mali, aut impedimentum maioris boni, cum ea sit optimũ, ad quod natura humana pervenire potest.

86 Observandum autem est, data opera non dixisse D. Thomam, impossibile esse, vt quis velit discedere à fruitione alicuius rei, nisi in illa reperiat aliquam rationem mali, aut impedimentum maioris boni: sed solum dixisse, non posse discedere à fruitione rei, nisi in ipsa fruitione reperiat aliquid mali, aut impedimenti vlterioris boni. Primũ namq; esset aperte falsum: nam quãvis in ipsa re nihil mali appareat, potest tamen apparere in exercitio illa fruendi, & hoc sufficit, vt voluntas fugiat illã fruitionẽ; autem nihil incõmodi appareat, nequit ab ea fugere; quoties enim homo cessat ab aliquo affectu, ideo cessat, aut quia molestè fert aliquid in ipsa operatione, & affectu, vel afficitur tædio ex aliquo ipsum affectum comitanti, vel certè, quia maius aliquid se offert, rapiens, ad se animum, & distrahens à prioris boni affectu. Quæ ratio cũ nõ cadat in Beatos, ideo isti nequeunt ab amore, & fruitione Dei vnquam pro suo libito cessare. In primis enim nec queunt velle cessare à visione, quia per ipsam visionẽ sunt fęlices, idque per ipsammet ipsi cognoscunt, nemo autem potest velle non esse fœlicem: Rursus suppositâ visione, nequeunt velle cessare ab amore, & gaudio, tum propter eandem rationem, quia per hos actus completur eorũ fœlicitas: tum quia tanta est vis visionis clarę Dei, vt in ipso Deo ostendat summam rationem boni, & ita suavem facit affectum diligendi Deum, & delectationem de ipso, vt nulla possit apparere ratio tædij, & fastidij in ipso exercitio, aut in ijs, quæ affectum comitantur, & insuper nullum potest apparere bonũ ijs maius, quo mens possit diverti, & affectus alio distrahi.

Illatio contra Cardinalem Esforcia.

87 Hinc obiter infero falso, & contra Divum Thomam asserere Patrem Esforcia 1. 2. disp. 2. quæst. 1. art. 5. num. 5. quoties voluntati repræsentatur obiectum bonũ sine admixtione malitiæ, eam necessitari quoad exercitium. Reddit rationem, nam bonitas, inquit, vel malitia, quæ apparet in exercitio, non allicit ad amorem, vel odium ipsius obiecti, atque adeo non est causa motiva cur obiectum ametur, vel nõ ametur, sed allicit ad amorem, vel odiũ ipsius exercitij. Quare sicut si in obiecto nulla appareat bonitas, non potest illud amari; quamvis appareat in exercitio talis amoris: ita si in obiecto nulla appareat malitia, sed sola bonitas, nõ potest nõ amari, quamvis in exercitio appareat aliqua malitia. Falso, inquam, ita discurrit hic Auctor: nam per hoc præcisè, quod in exercitio appareat malitia, potest voluntas nolle elicere illud exercitium: quid enim clarius, quam malitiam, incommoditatem, vel laborem, qui repręsentatur in exercitio, ex se sufficere, vt voluntas cesset ab ipso ad vitanda illa incommoda: si autem potest supersedere tunc ab exercitio: ergo pura bonitas repræsentata in obiecto absque admixtione malitiæ, non rapit tunc necessario voluntatẽ ad sui amorem: alioqui necessario amabit, quando habet motivũ sufficiens ad cessandum ab amore; quod implicat. Vnde quamvis malitia apparens in exercitio nõ moveat ad odium ipsius obiecti, sufficit movere ad odium ipsius exercitij, vt impediat amorem obiecti; hic enim non solum impeditur per odium obiecti, sed per odium, seu nolitionem sui. Quare ex eo quod obiectum nequeat amari, nisi in ipso appareat bonitas, perperam infertur non posse non amari, si in ipso nulla appareat malitia.

Probatur non posse voluntatẽ amorem boni omittere, quin vel in obiecto, vel in exercitio ipsum amãdi apprehendat rationẽ mali.

88 Quod autem nequeat voluntas amorem boni omittere, nisi vel in ipso obiecto bono, vel in exercicio tendendi in ipsum aliquam rationem mali apprehendat, probari vlterius potest in hunc modum: implicat vt voluntas libere omittat, quin ad omittendum aliqua ratione, aliquovè motivo trahatur. At nulla ratio potest ipsam movere ad omittendum, nisi vel in obiecto ipso, vel in exercitio ipsum respiciendi appareat aliqua ratio mali: ergo non potest voluntas omittere, nisi, &c. Maior suadetur, quia voluntas est potentia rationalis, ac proinde, vt inquit Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio: *Licet non semper agat ex ratione, nunquam tamen agere potest sine ratione*: ergo implicat, vt libere omittat amorem obiecti, absque aliqua, id est, quin dirigatur à cognitione proponente rationem motivam ad omittendum: alioqui belluino more ferretur; omitteret enim libere actum, quin posset reddere rationem cur omittat, quod videtur repugnare: omnis nãq; operatio, omnevè exercitiũ ad quod non determinamur à natura, debet esse eiusmodi, vt de illo possimus reddere rationem; nam de ijs, ad quæ à natura ipsa determinamur, satis est, quod ipsamet

naturæ rationem reddere valeat ; & hac de cauſa non tenemur reddere rationem de primis principijs, quando illis aſſentimur, eſto inveſtigare poſsimus rationem cur ita fuerimus à natura determinati ; tenemur autem reddere rationem de ijs quæ non ſunt naturaliter nota, ac proinde, quæ non patent omnibus, ſimiliterque diſcurrendum eſt de ijs ; quæ nõ ab omnibus naturaliter appetuntur, & neceſſario, ſed liberè ; nam huius appetitus rationem reddere non pertinet ad naturam, quæ condit nos indifferentes ad ea appetenda, vel non appetenda: è cõtrario à nemine quæritur, vt ait Ales, cur ei placeat voluptas, & diſpliceat dolor, non enim debemus reddere rationẽ illius affectionis, quæ non eſt imputabilis nobis, ſed naturę ad eam nos determinanti.

89 Quamvis hæc ratio ſatis probabiliter intentum ſuadeat ; poteſt tamẽ probabiliter dilui, aſſerendo, voluntatem noſtram cognoſcẽtem aliquod obiectum creatum vt bonum ſibi, poſſe omittere eius amorem, quin in ipſo, vel in exercitio tendendi ad illud detegat aliquam malitiam, vel incommodum : namque ſi obiectum cognitum, vt bonum, non cognoſcitur vt neceſſarium ad fœlicitatem ipſius hominis, non debet neceſſario rapere voluntatem in ſui amorem. Pone hominem eſſe iam beatum, & frui ſummo bono clarè viſo, & nihilominus cognoſcere aliquod obiectum finitum vt bonum, quin illi aliqua ratio mali repræſentetur nec in obiecto, nec in exercitio illud amandi : ſanè homo iſte non videtur manere neceſsitatus ad amandum illud obiectum : abſurdum namque videtur bonum finitum cognitum à Beato non minus neceſſario rapere ipsũ ad ſui amorem, quam bonum infinitum. Et à priori ratio poteſt eſſe : quia hoc ipſo quod bonum repręſentatum ſit finitum, nec repræſentetur vt neceſſarium ad fœlicitatem, rationabiliter poteſt non ferri in ipſum, ſicut fertur in Deum ; ſi enim rogetur cur non amaverit bonum illud, reſpondere poterit, ſe non amaſſe, quia bonum illud eſt finitum : & hoc ipſo quod finitum ſit non rapuit ipſam ad ſui amorem.

Probabilis ſolutio rationis præcedẽtis, & modus defendẽdi poſsibilitatẽ puræ omiſsionis.

90 Et quidem non eſſe deconceptu voluntatis vt ſic, quod nequeat omittere amorem obiecti cogniti vt boni, abſque aliqua ratione mali, ſuaderi poteſt ; nam Deus optimè potuit habere nolitionem efficacem aliquid creatum producendi, & tamen nullam rationem mali vidit in productione poſsibilium, nec in amore, ſeu decreto ea producendi : ergo, &c. Quod non viderit rationem mali in ſuo decreto, patet, quia decretum illud eſt incapax omnis imperfectionis. Quod autem nec rationem mali viderit in ipſis ſuadetur, quia nulla creatura ex ijs, cuius Deus autor eſſe poteſt, habet in ſe aliquam rationem mali, etſi enim habeat imperfectionem, ſeu defectum perfectionis, hoc ſolum arguit quamlibet creaturam eſſe imperfectam: aliud eſt autem aliquid eſſe imperfectũ, aliud eſſe malum. Ratio eſt ; quia quælibet creatura, cuius Deus eſt autor, habet omnem perfectionem ſibi eſſentialiter debitam, ac proinde non eſt eſſentialiter mala, quatenus eſſe malum eſt eſſe privatum bono debito. Rurſus nulla ex illis creaturis eſt diſconveniẽs Deo, quia nec Deo vt eſt in ſe poteſt aliquid eſſe diſconveniens, nec aliquid ab ipſo tanquam autore creatum, poteſt ei vt volenti, vel præcipienti diſconvenire : ergo nullam ex creaturis à ſe factibilibus cognoſcit Deus vt malam. Confirmatur, quia vt docet D. Thomas 1. p. quæſt. 49. art. 1. in fine corporis, & ad quartum, malum non habet cauſam per ſe, ſed tantum per accidens : omnis autem creatura à Deo producta habet cauſam per ſe, nempe ipſum Deum : ergo nulla creatura à Deo producta eſt ex ſe mala. Confirmatur ſecundo ex illo Geneſ. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona* : ergo nihil à Deo creatum eſt malum.

Ratio ſuadens non eſſe de ratione voluntaris vt ſic, non poſſe omittere amorem boni, niſi ob aliquam rationem mali.

91 Cæterum huic rationi reſpõdebit aliquis, Deum nihil mali videre in ipſis creaturis à ſe productis, quia ſecundum eſſentiam ſuam omnes ſunt bonę, & convenientes Deo : cæterum videre productionem creaturarum occaſionem fore, vt exiſtat malum in rebus ; quia videt, ſi producatur mundus, plurima in ipſo futura peccata. Vnde vt vitaret mala, potuit omittere rerum omnium productionem : non ergo omitteret productionem vniverſi, quin ex parte obiecti repræſentaretur aliqua ratio mali movens ad omittendum. Hæc autem reſponſio poteſt impugnari : nam iuxta ſatis communem ſententiam, quam retuli in materia de prædeſtinatione diſp. 4. poſsibilis eſt metaphyſice eventus, in quo Deus nullum videat peccatum futurum ſub conditione quod mundum creet, & creaturis ratio-

Reſponſio ad prædictã rationẽ.

Impugnatur 1.

tionalibus conferat præcisè dona debita titulo creationis, quamvis remississima secundum entitatem auxilia ei conferat. In hoc autem eventu nullum malū videret secuturum ex productione vniversi, sed infinita prope modum bona: ergo si vera sunt principia respondentis, esset necessitatus ad producendum vniversum: sic quidem nec in ipso vniverso, nec in decreto ipsum producendi aliquam videret rationem mali, adhuc occasionaliter, quia videret eiusmodi productionem nullius mali simpliciter talis occasionem fore. At hoc est absurdum: ergo absurda est responsio ex qua sequitur; ne ergo in id absurdi incidamus, dicendum videtur, vt Deus libere omittat decretum aliquod, per se non requiri, vt ad ita omittendum aliqua ratio mali ipsum moveat.

92 Quia vero potest quis iuxta sententiam, quam ego ibidem defendi, tueri impossibilem esse metaphysicè evētum, in quo nullum per scientiam mediā appareat futurum peccatum sub vlla hypothesi: adhibenda erit alia impugnatio independens ab hoc casu: ea autem potest sic formari. Certum est Deum ita potuisse creaturas rationales producere, vt nulla eorum vnquā esset peccatura. In productione vniversi, & reipublicæ rationalis nunquam peccaturæ maxima ratio boni elucet, & nulla apparet ratio mali, & tamen Deus noluit rempublicam sic constituere, quin ad id motus fuerit ab aliqua ratione mali reperta in illo obiecto nolito, nec in exercitio volendi: ergo potest Deus omittere decretum suæ voluntatis, quin ad id inducatur aliqua ratione mali.

Impugnatio 2.

93 Huic tamen impugnationi potest fieri satis, dicendo, absolutè, & omnibus inspectis melius esse ad divina attributa ostendenda rempublicam rationalem condere permittendo ei peccata, quam nullum peccatum illi permittendo: vt enim docet Augustinus, *Meliùs iudicavit Deus de malis bona facere, quam nulla omnino permittere mala*: quia ergo productio Reipublicę rationalis nunquā peccaturæ, seu talibus donis præventæ, vt nunquam esset peccatura, est finis incompossibilis cum alio fine redundante in maiorem Dei gloriam; ideo ex parte obiecti apparuit aliqua ratio mali, quæ illum movit ad omittendam productionem reipublicæ rationalis cum illis donis, nempe incompossibilitas cum maiori bono. Et idem dicendū, videtur de productione cuiuscunque obiecti in particulari, v.g. de productione Michaelis, nempe Deū non potuisse omittere productionem illius, quin in eo producendo viderit aliquam rationem mali, à qua moveri potuit ad omittendam eius creationem. Ratio autem hæc mali non est aliqua malitia essentialis ipsi Michaeli, sed in eo cōsistit, quod per productionem Michaelis impeditur aliquod bonum cedens in Dei honorem; posset enim omittendo creationem Michaelis ostendere suum dominium, suamque independentiam à Michaele, quod bonum non consequitur producto Michaele. Verum hæc ratio frivola apparet, nam quando quidem Deus de facto produxit Michaelem, & semper de facto facit id quod est optimū ad commendanda sua attributa, certè in productione illius, nulla de facto apparuit ratio mali, quamvis enim ex non creatione Michaelis aliquam Deus colligeret extrinsecam gloriam, minorem tamen, quam de facto collegit ex eius creatione, nequit autem habere rationē mali id quod impedit minus bonum, eo quod ponat bonum maius.

Quid possit responderi ipsi cedenti impugnationi.

94 Videtur ergo negari non posse, Deum ex se habere libertatem ad non amandam efficaciter productionem Angeli, quin in ipso Angelo, nec in amore ipsius videat aliquam rationem mali. Et ratio à priori sumi potest ex doctrina Divi Thomæ 1. p. q. 19. artic. 3. vbi inde probat Deum non amare necessario creaturas, quia cum creaturæ ordinētur ad Deum, vt ad finem, & Deus non indigeat illis, vt se ipsum perfectissimè possideat, non debet illas amare: *Nam ea, quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sine talia sine quibus finis obtineri non potest.* Quare vt Deus cohibeat amorem alicuius creaturæ non est necesse, vt in ea producenda aliquid mali videat, sed satis est, quod cognoscat eam creaturam non esse necessariam ad suam fœlicitatem; hoc enim ipso poterit eius productionem non decernere. Quapropter vniversaliter, & ex terminis loquendo falsum est, non posse voluntatem aliquam omittere amorem obiecti, quin in ipso obiecto, vel in exercitio amandi illud aliquam rationem mali reperiat. Dubitari tamen merito potest an saltem id sit de conceptu voluntatis creatæ.

Certū est Deū posse omittere creationem Angeli, quin in illo, neque in exercitio ipsū amandi videat aliquam rationē mali.

95 Hac in re in primis mihi dicendum videtur in præsenti non recte ar-

Nostrum placitū.

argui à voluntate divina ad creatam. Ratio discriminis est aperta: nam Deus propriori ad amorem efficacem cuiuslibet obiecti extrinseci, & à se distincti, supponitur summè fœlix, summèque beatus quin eius interna beatitudo, gaudium, & delectatio possit crescere, saltem intensive. Vnde nullum obiectum creatum potest apprehendere vt necessarium ad existentiam, vel complementum suæ fœlicitatis; ac proinde, nec potest ad amandũ moveri ab aliquo obiecto extrinseco, quod agnoscat vt conveniens sibi tanquam eo indigenti ad cumulum suæ perfectionis, nec ab eo amando potest retardari ob aliquam rationem mali disconvenientis, seu incommodi. At creatura rationalis cum ex se fœlix, & beata non sit, extra se fœlicitatem quærere debet. Vnde obiecta à se distincta apprehendere rectè potest vt sibi necessaria ad gaudiũ, & delectationem, & fœlicitatem. Vnde nihil mirum, si dum apprehendit aliquid vt sibi conveniens, & bonum, & nihil mali in eo animadvertit, quia nec videt esse sibi disconveniens, nec videt esse impedimentum boni magis convenientis: in illud necessario feratur; hoc enim est ferri necessario in suá fœlicitatẽ. Quare licet Deus possit omittere amorem boni, quin moveatur ab aliqua ratione mali, id tamen nõ poterit præstare voluntas creata. An vero saltem voluntas creata necessario feratur in obiectum propositum vt purè bonum absque aliqua admixtione mali in ipso, vel in exercitio respiciẽdi ipsum: vel an per hoc præcisè, quod obiectum propositum sit finitũ, maneat voluntas libera vt tendat, vel non tendat per amorem circa ipsum: amplius examinare non vacat, satis ad nostrum intẽtum est, ea insinuare quæ diximus.

SECTIO XI.

Quid sentiat Divus Thomas de pura omissione peccaminosa.

96 VIDETVR in primis Divum Thom. illam docuisse 1.2. quæst. 6. art. 3. vbi inquiritur: *Vtrum voluntarium possit esse absque omni actu*: nam in corpore concludit: *Voluntarium potest esse absque actu; quandoque absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere: aliquando autem, & absque actu interiori, sicut cum non vult.* Ex quibus verbis colligunt aliqui Divum Thomam hic docere, possibilem esse in voluntate puram omissionem liberam, & voluntariam. Verum contra ita interentes invehitur P. Vazquez ad illum articulum, id est, tom. 1. in 1. 2. disp. 24. num. 1. tanquã sinistrè interpretantes D. Thomam. *Nec enim hic tractat* (ait Vazquez) an sit aliqua omissio sine vllo actu, qui saltem sit occasio, vel causa omittendi, nam de hoc differit quæst. 71. art. 5. sed de effectu orto ex aliqua omissione, sive illa omissio, quæ est causa eventus, sit cum expressa voluntate omittendi, sive sit absque tali voluntate; quia existimat vtroque modo esse posse causam eventus; ex hoc autem non efficitur, vt prædicti Theologi contendunt, ex mente S. Thomæ in hoc articulo dari aliquam omissionem sine omni actu interiori, & exteriori, qui saltem sit causa illius: sed tantum dari omissionem, quæ sit causa alicuius eventus, & quæ non sit ex voluntate expressa omittendi, quamvis sit ex voluntate faciendi quidquam aliud, quod est causa omissionis, & hoc tantum denotãt verba prędicta. Igitur iuxta Vazquez scopus D. Thomæ in hoc articulo est circa evẽtum qui aliquo modo sequitur omissionem, vtrum ipsi omittenti sit voluntarius saltem indirecte, & interpretative, v.g. si aliquis videat navim submergi, aut domum comburi, & cum posset impedire non impedit, sit ne illi voluntarium submergi navim, aut domum comburi in ipsa omissione tanquam in causa. Sicut voluntarium esset homicidium illi, qui poneret causam positivam, ex qua prævidebat secuturum homicidium, quamvis non haberet expressam voluntatem occidendi. In qua quæstione affirmat: solum igitur (ait Vazquez ib. num. 8.) hic disputavit, an evẽtus aliquis dici possit alicui voluntarius absque vlla actione ipsius, ex eo solum quod omittat talem eventum impedire, cum possit.

Testimonia, quæ videntur suadere D. Thomam admittere possibilem puram omissionem.

97 Idem S. Thomas 1.2. quæst. 71. art. 5. inquirit Vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus, vbi refert duas oponiones, quarum prima asserebat, in peccato omissionis semper intervenire actum, sive interiorem, sive exteriorem. Secunda vero asserebat in peccato omissionis non requiri aliquem actum, ipsum enim non facere quod quis facere tenetur, peccatum est: quibus relatis asserit, vtramque opinionem secundum aliquid veritatem habere: nam si sermo sit de

actu, qui per se pertinet ad peccatum, ait nō semper omissionem habere actum coniunctum; si vero sit sermo de actu, qui est causa, vel occasio, & per accidens pertinet ad peccatum omissionis, omissionem semper esse alicui actui coniunctam. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causæ, vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse. Appellat vero Sanctus Doctor (inquit Vazquez in summa illius articuli) actū, qui per se pertinet ad omissionem, voluntatem explicitam omittendi, vt cum quis explicite vult non audire Sacrum. Quod patet ex corpore articuli, vbi docet actum interiorem voluntatis quandoque directe ferri in omissionem, & tunc (inquit) talis actus per se pertiner ad omissionem: voluntas enim cuiuscumque peccati per se pertinet ad peccatum illud, eo quod voluntariū est de ratione peccati. Actū vero qui per accidēs ad omissionem pertinet, appellat eum, qui est causa, vel occasio omissionis, & hunc, inquit, semper esse coniunctum omissioni.

98 Itaque sententia Divi Thomę hic videtur esse, peccatum omissionis posse esse sine actu per se spectante ad omissionem, id est sine voluntate directe, & explicite amante omissionem: nunquam tamen posse contingere sine omni actu, qui sit causa, vel occasio omissionis, quia nunquam scilicet voluntas omittit actum præceptum, nisi quia amat aliquod bonū incōpossibile cum actu præcepto. Quāvis enim in fine corporis sic concludat: *Vnde verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu, alioqui etiam ad essentiam aliorum peccatorū actualium pertinerent actus, & occasiones circunstantes.* Quamvis enim hoc dicat: hoc intelligi debet, vt exponit optimè P. Vazquez disp. 92. num. 6. de actu per se pertinente ad omissionem, qualis est voluntas directa omittendi: quia enim peccatum omissionis potest esse sine omni actu per se spectante ad omissionem, quamvis nequeat esse absque omni actu per accidens spectante ad peccatum omissionis (quatenus per se non fertur in omissionem, sed in bonum occasione cuius omittimus) & quia iudicium de rebus dandum est secundum illud quod est per se (inquit S. Thomas) & non secundum illud quod est per accidens, verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu,

Sententia D. Thomæ est, non esse possibilem puram omissionem peccaminosam,

99 Quod clarius docuit sanctus Thomas quæst. 2. de malo. art. 1. vbi inquirit vtrum in omni peccato sit aliquis actus, & relatis duabus illis opinionibus, asserit vtramque secundum aliquid veritatem habere. Si enim consideretur id „ quod requiritur ad peccatum, sicut de „ essentia peccati existēs, sic ad peccatū „ omissionis nō requiritur actus, sed per „ se loquendo peccatum omissionis in ipsa cessatione ab actu consistit. Si autē „ cōsideretur id quod requiritur ad pec„ catū vt causa peccati: sic oportet quod „ ad quodlibet peccatum etiam omissio„ nis aliquis actus requiratur. Quod sic „ patet: vt enim Philosoph° dicit 8. Phy„ sicorum; si aliquid quandoque move„ tur, quandoque non movetur, opor„ tet assignare aliquam causam quietis; „ videmus enim quod eodē modo se ha„ bente mobili, & movente, similiter „ aliquid movetur, vel non movetur; ea„ dem autem ratione si quis nō agit quod „ agere debebat, oportet huius esse ali„ quam causam: ergo iuxta D. Thomā „ repugnat peccatum omissionis absque „ omni actu, qui sit causa, vel occasio „ illius.

100 Quod magis confirmatur: nam ibidem respondens ad octavum argumentum, quod erat huiusmodi. Glosa dicit Rom. 7. quod omne peccatum in actu est ex concupiscentia, quod autem est ex cōcupiscentia non est absque actu: ergo nullum peccatum est absque actu. Ad hoc, inquam argumentum respondēs inquit: *Ad octavum dicendum quod illa ratio concludit quod actus requiratur ad omissionem sicut causa.* Sed quid desideramus testimonia alia, nam in corpore articuli, sic ait: *Si aliquis non agit quod agere debet, oportet huius esse aliquam causam.* Si autem causa fuerit totaliter extrinseca, *Talis omissio non habet rationem peccati, sicut si quis à lapide cadente lasus impediatur ne ad Ecclesiam vadat. Tunc ergo solum omissio imputatur ad peccatum, cum habet causam intrinsecam, non quamcumque, sed voluntariam: quia si etiam impediretur ex causa intrinseca non voluntaria, puta febre, eadem ratio esset sicut de causa extrinseca.* Ad hoc ergo quod omissio sit peccatum, requiritur quod omissio causetur ex aliquo actu voluntario. Quid clarius?

***

DISPV-

DISPVTATIO II.
AN PECCATVM MORTALE SIT SIMPLICITER INFINITVM IN RATIONE OFfensæ vel malitiæ. *Ad quæst 73. art. 5.*

SECTIO PRIMA.

Auctorum placita, & quæstionis sensus.

1 QVAMVIS hæc quæstio agitari soleat etiam 3. parte, dum inquiritur ratio cur purus homo nequeat satisfacere pro peccato mortali ad æqualitatem; tamen huc quoque spectat; siquidem S. Thom. 12. quæst. 73. art. 5. inquirit, *Vtrum omnia peccata sint paria*; & ex inæqualitate peccatorum summitur potissima ratio ad suadendum, peccatum mortale non esse gravitatis simpliciter infinitæ.

2 Peccatum mortale esse gravitatis simpliter infinitæ defendit latissimè Illustrisimus Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 1. citans pro hac sententia Magistrum Alvarez, Medinam, Cornejo, & Illustrisimum Araujo. Quam infinitatem è nostris tuentur P. Coninch, Puéte Hurtado, Tannerus, Martinonus, & acerrimè P. Bernal disp. 4. de Incarnat. contrariam sententiam asserentem peccatum quodlibet mortale esse gravitatis simpliciter finitę tuentur communiter Societatis Doctores cum Eximio Doctore disp. 4. de Incarnat. sect. 7. & cum P. Vazquez disp. 2. cap. 2. omnes Scotistæ cum Scoto in 3. dist. 19. & hanc sententiam appellat communem inter Thomistas rigidissimus Thomista Cabrera disp. 4. de Incarnat. num. 81. cui ipse subscrivit: & quam etiam ergo verissimam existimo.

3 Dum autem disputatur an peccatum sit simpliciter infinitum, non solet ab omnibus quæstio proponi sub eisdem terminis. Nam Recentiores Thomistæ cum Ioanne à Sancto Thoma disp. 1. art. 2. vt certum supponentes nullum peccatum esse simpliciter infinitum in ratione malitię, probant nihilominus tale esse in ratione offensæ. At Magister Alvarez ea disp. 3. num. 10. & Cabrera ea disp. 4. num. 74. & P. Coninch. disp. 10. de pœnitentia asserunt malitiã peccati esse infinitã. Qui autẽ dicunt malitiã peccati esse infinitam, dispicem in peccato malitiam distingure debent aliam desumptam ex obiecto, & secundum quam peccata specifice distinguuntur; alteram desumptam ex circunstantia personæ offensæ, cuius præceptum violatur, in qua conveniunt omnia peccata mortalia; quę hoc ipso, quod talia sint, debent fieri cum advertentia ad Deum, ideo enim sunt mortalia, quia per illa contemnitur amicitia divina, & maiestas infinita Dei; qui vero negant malitiam esse simpliciter infinitam, & tamẽ dicunt offensam esse simpliciter infinitam, asserere debent personam offensam gravificare culpam mortalem, non solum prout est circunstantia cognita, & prout obiectũ, à quo homo recedit per culpam, sed etiam secundum dignitatem totam, quã habet prout est in se.

SECTIO SECVNDA.

Ostenditur peccatum non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ ratione singulari

4 PECCATVM mortale non displicet Deo simpliciter in finite: ergo nõ offendit Deũ simpliciter infinite, ac proinde non est simpliciter infinitum in ratione offensæ. Patet consequentia, quia peccatum mortale non offendit Deum lædendo ipsum in bonis intrinsecis: ergo solum offendit, quatenus displicet; nec enim offensio passiva se tenens ex parte Dei potest esse aliud, quam displicentia in peccato Deũ impellens ad puniendum peccatorem. Probatur antecedens. Nullum bonum pure creatum placet Deo simpliciter infinite: at aliquod bonum pure creatum plus placet Deo, quam ei displiceat peccatum, vel saltem æque: ergo peccatũ non displicet Deo simpliciter infinite.

Patent

Deus nō potest permittere peccatum, nisi ad colligendum occasione illius bonum aliquod maius.

Patent reliqua, minor vero, ad quam tota vocatur difficultas, probatur in hunc modum. Implicat Deū permittere peccatum, nisi videat aliquam rationem boni colligendam occasione peccati, cuius boni complacētia, vel directe ipsum moveat ad permittendum peccatum, vel saltem indirecte; nimirum retardando, & retundendo vim, quam habet malitia peccati cognita per simplicem intelligētiam admovendum Deum, ne ipsam permittat. Bonum autem illud, cuius complacentia Deum directe, vel indirecte movet ad permittendum peccatum, debet magis Deo placere, quam ei displiceat peccatum, vel saltem æque: nam si minus placeat, præsertim longo intervallo, nō erit sufficiens ita movere. Nequit enim prudēs Gubernator permittere ingens malum propter exiguum bonum, eius occasione colligendum: sicut nec sapiens medicus brachium amputare, vel durum cauterium infigere, vt leviſsimum morbum avertat. Ergo aliquod bonum pure creatum, quale est illud, quod demum colligitur occasione peccati, magis, vel saltem non minus Deo placet, quam ei displiceat peccatum.

Proba-tur ex Patrib⁹.

5 Assumptum maioris suadetur, quia vt inquit Augustinus in Enchiridio cap. 11. *Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens, & bonus, vt bene faceret etiam de malo.* Vnde deducit D. Thomas 1. p. quæst. 2. art. 3. ad primum, ad infinitam Dei bonitatem pertinere, vt esse permittat mala, & ex eis eliciat bona, & hac ratione solvit argumentum, quo Athæista contendit non esse in rerum natura bonum aliquod infinitum, quia hoc ipso excluderet omne malum, siquidem vnum contrarium, si est infinitum, totaliter excludit aliud. Consulatur idem D. Thomas 1. p. quæst. 22. art. 2. ad 2. & 3. contra gentes cap. 71. num. 6. vbi ex eo, quod bonum totius præmineat bono partis, & ad prudentem Gubernatorem pertineat negligere aliquem defectum bonitatis in parte, vt fiat augmentum bonitatis in toto, deducit ad Deum pertinere permittere, „ mala, quia si mala, inquit, à quibusdā „ partibus vniversi subtraherētur, mul„ tum deperiret de pertectione vniversi, „ cuius pulchritudo exordinata bonorū, „ & malorum adunatione consurgit, dū „ mala ex bonis deficientib⁹ proveniunt, „ & tamen ex eis quædam bona conse„ quuntur ex providentia gubernantis, „ sicut, & silentij interpositio facit can„ tilenam esse suavem.

6 Doctrinam istam, quę tanti momenti est, paucis, sed selectis Patrum testimonijs illustremus. Damasc. lib. 2. fi„ dei cap. 19. Aliquando, inquit, Deus „ sinit quidpiam absurdum fieri, vt per „ operationem, quæ absurda videtur, „ magnum aliquid, vt per crucem salutē „ hominum, dirigat, & operetur. Boeti⁹ lib. 4. de consol. prosa. 6. propè finem: „ Sola est divina vis, cui mala quoque „ bona sunt, cum eis competenter vten„ do, alicuius boni elicit effectum. Or„ do enim quidam cuncta complectitur, „ vt quod ab assignata ordinis ratione „ discesserit, hoc licet in alium, tamen „ in ordinem relabitur. Gregorius Mag. nus lib. 34. Moral. cap. 7. Quia cun„ ctorum opifex Deus scit ad bonorum „ custodiam etiam benè vti mala actione, reproborum, lapsum eadentium vertit „ in profectum manentium, & vnde pu„ nita est culpa superbientium, inde hu„ milibus Angelis, & inventa, & solida„ ta sunt augmenta meritorum. Multaque in confirmationem huius differit lib. 6. moral. cap. 12. ad illa verba Iob: qui comprehendit sapientes in astutia sua. Quibus disputatis, concludit: Vnde „ miro modo fit, vt, & quod fine volun„ tate Dei agitur, voluntati Dei contra„ rium nō sit, quia dum in bonum vsum „ mala facta vertuntur, eius consilio mi„ litant etiam, quæ eius consilio repug„ nant.

7 Quam doctrinam omnes isti Patres ab Augustino hauserunt, qui passim eam habet. Sufficiat egregium testimonium ex Enchirid. cap. 100. Hęc „ sunt, inquit, magna opera Domini ex„ quisita in omnes voluntates eius, & tam „ sapienter exquisita, vt cum angelica, & „ humana creatura peccasset; etiam per „ eandem creaturæ voluntatem, qua fa„ ctū est, quod creator noluit, impleret „ ipse, quod voluit, bene vtens malis, tam „ quam summe bonus ad eorum damna„ tionem, quos iuste prædestinavit ad „ pœnam, & ad eorum salutem, quos „ benigne prædestinavit ad gloriā. Quā„ tum enim ad ipsos attinet, quod Deus „ noluit, fecerunt, quantum vero ad om„ nipotentiam Dei nullo modo id effice„ re valuerunt, hoc quippe ipso, quod „ contra voluntatem Dei fecerunt, de „ ipsis facta est voluntas Dei. Propterea

pa-

„ nanque magna opera Domini exquisi-
„ ta in omnes voluntates eius: vt miro,
„ & inefabili modo non fiat prętervolũ-
„ tatem Dei, etiam quod contra eius vo-
„ luntatem, quia non fieret, si non fine-
„ ret, nec vtique nolens sinit, sed volens:
„ nec sineret bonus fieri male, nisi omni-
„ potens etiam de malo posset facere bo-
„ num

8 Nec ex dictis inferas Deum tãtundem complacere in bono, quod immediate colligit occasione peccati, v.g. in pœnitentia, & humiliatione, quantum displicet in peccato. Non enim id sequitur: sed solum infertur, immediate, vel mediate occasione peccati colligendum esse aliquod bonum in quo, vel plus, vel saltem æque placeat Deus, ac displicet in peccato. Licet autem in humiliatione, & pœnitentia non tantundem complaceat, complacet tamen tantundem, imo multo magis in ęterna corona, inquam tandem pervenit occasione peccati, vel ipse pœnitens, vel qui eius exemplo moventur.

9 Hinc denuo confirmatur nostra ratio: nam Deus non complacet infinite in eo, quod homines coronam gloriæ per martyrium assequantur, & tamen plus in hoc complacet, quam displiceat in peccato Tyranorum; alioqui istud non permitteret ex complacentia erga illam coronam; ergo in illo non displicet infinite. Similiter cum ex complacentia erga coronam Sanctorum, permittat dæmonum malignitatem, sit hanc non displicere ei magis, quam illa complaceat; ac proinde non displicere infinite.

Nova nostrę rationis confirmatio.

10 Audite pulchram Magni Basilij similitudinem homilia. 9. quod Deus non sit author malorũ. Sapiens, inquit, & „ providentissimus rerum humanarum „ dispensator Deus vtitur ad nostram „ exercitationem malignitate dæmonis „ quemadmodum medicus viperæ vene-„ no ad salutarem medicamentorum prę-„ parationem. Et aliam à Magno Gre-„ gorio lib. 34. Mora cap. 6. Recte le-„ viatham iste incudi cõparatus est, quia „ nos illo persequente componimur; ipse „ autem, & semper percutitur; & in vas „ vtile nunquam mutatur. Quam elegãter quoque proponit Bernar. serm. 17. „ in cant. his verbis: Iucundum iudiciũ, „ vt superbus ille humilium male actor „ eisdem ipse nesciens fabricet coronas „ perpetuas, impugnando omnes, & om-„ nibus succumbendo.

SECTIO TERTIA.

Probatio secunda ex eo, quod offensa nihil includit infinite displicens Deo.

11 SECVNDO sic argumentor. Quod Deo infinite non displicet, ipsum infinite non offendit; sed peccatum grave Deo infinite non displicet: ergo &c. Probatur minor. Ideo præcisè meritum Christi infinite Deo placet, quia intrinsece includit aliquid Deo infinite placens, nempe personam verbi à qua cõdignificatur. At peccatum grave, totumque eius demeritum nihil intrinsece includit infinite Deo displicens: ergo &c. Probatur minor: quia demeritum peccati gravis v.g. furti, solũ includit cognitionem, & plenam advertentiam Dei graviter prohibentis furtũ, & actum furandi elicitum cum illa plena advertentia; ergo nihil includit infinite Deo displicens. Nam hoc complexum est ipsa malitia moralis furti gravis, hæc autem infinita nõ est, quia multo maior, cæteris paribus, est malitia homicidij, & idololatriæ.

12 Respondebis primo ex quibusdam Thomistis, in peccato furti duplicẽ distinguendam esse malitiam, alteram desumptam ex obiecto, in qua furtũ differt ab homicidio, alteram desumptã ex circunstantia personę offensę, in qua convenit cum omni peccato mortali, quatenus omnia sunt deliberata violatio præcepti gravis, cum quodam contemptu Dei præcipientis. Sed hæc solutio ipsis etiam Recentioribꝰ Thomistis displicet: quia licet hęc malitia sumatur ex respectu ad Deum tamquam ab obiectum, à quo homo recedit, & quod contemnit: hoc non sufficit, vt malitia ista sit intrinsece in se infinita simpliciter; sed solum vt sit infinita extrinsece, terminative, & secundum quid, nam hoc ipso, quod talis malitia in ratione suę gravitatis non constituatur intrinsece per infinitam Dei maiestatem, vt est in se, sed solum per respectum ad illam, nequit esse simpliciter infinita, quia hoc ipso ratio formalis constituens illam malitiam in ratione gravis est ipse actus voluntatis, vt elicitus vi cognitionis præcepti divini graviter prohibentis furtum: hęc autem malitia crescere potest, crescente conatu voluntatis, & claritate cognitionis: nam crescente ratione formali constitutiva malitiæ in ratione gravis, necesse est, vt

1. Respõsio.

Reijcitur.

mali

malitia ipsa crescat. Implicat autem malitiam esse infinitam simpliciter, & tamē in illa ratione posse crescere: hoc pacto malitia odij formalis Dei potest crescere, crescente intensione actus, non minus, quam bonitas amoris Dei crescit, crescente intensione actus.

13 Respondent secundo Recentiores Thomistæ, quamvis malitia moralis etiam desumpta ex Deo vt obiecto, vt malitia odij Dei, sit simpliciter finita, nihilominus gravitatē offensæ esse simpliciter infinitam. Sicut bonitas moralis meritorum Christi est finita, & tamen valor meritorius est infinitus. Sicut enim dignitas Verbi prout est in se est forma dignificās bonitatem operum Christi in ordine ad præmium, & amorem amicabilem: ita arbitrātur infinitam maiestatem personæ offensę esse formam dignificantem malitiā peccati in ordine ad pœnam, & odium inimicabile.

14 Sed contra, quia impossibile est distinguere in peccato mortali malitiam desumptam per ordinem ad Deum à ratione offēsæ: ergo hæc finita erit, si illa finita est. Probatur antecedens, quia malitia illa consistit in eo quod quis cū advertentia plena Dei cōtemnat eius legem graviter obligantem, & comminantem inimicitiam divinam, & æternam pœnam, & consequenter contemnat ipsum legislatorem. Hic autem contemptus supræmi numinis est formalissime offensa gravis, quia per seipsū secluso quocunque alio, vt forma gravificante, constituit hominem dignum inimicitia divina, & æterna pœna damni, & sensus: nā qui contemnit bonum infinitum, eiusque amicitiam; formalissime per ipsum contemptum constituitur dignus carere summo bono, eiusque amicitia, & æterna pœna sensus puniri: ergo malitia illa moralis Deum contemnendi, & odio habendi est formalissime offensa Dei: ergo offensa gravis Dei, in ratione gravis non constituitur per infinitam Dei maiestatem, vt est in se. Et hinc patet nullam esse paritatem meritorum Christi, nam actus virtutis elicitus cum advertentia ad Deum, vt præcipientem, vel consulentem, præcisē ex hoc non habet constituere naturam elicientem dignā æterna gloria, nisi consideretur, vt elicitus à suppositō sancto: nec habet constituere dignam omni præmio possibili, nisi vt elicitus à supposito divino: quę suppositio est illi accidentalis.

Reijcitur.

Ratio malitiæ, quæ resplendet in contemnendo Deū, est formaliter ratio offensæ.

SECTIO QVARTA.

Infirmatur præcedens ratio, & ostenditur summum bonum non posse formaliter gravificare malum.

15 RESPONSIONEM illā sic denuo reijcio, & nostram sententiā confirmo. Peccatum per id cōstituitur in ratione offensæ gravis Dei, per quod cōstituitur in ratione graviter displicentis Deo: nam peccatū esse offensam Dei, & esse obiectum provocans iram, & indignationem divinam; idem sunt; ideo autem graviter provocat, quia graviter displicet. At in ratione graviter displicentis nequit constitui per infinitam Dei maiestatem, & bonitatem, vt est in se: ergo nec in ratione offensæ gravis. Probatur minor, si per infinitam Dei bonitatem constitueretur peccatum in ratione graviter displicentis Deo, seu terminātis grave odiū abominationis divinæ, per infinitam Dei bonitatem constitueretur homo dignus odio gravi inimicitiæ divinæ: nam ideo Deus odio habet ipsum peccatorem odio inimicitiæ, quia abominatur eius peccatum. Vnde quod est ratio formalis constituēdi peccatum in ratione graviter displicentis Deo, est ratio formalis constituendi hominem dignum gravi odio inimicitiæ; vt constat ex differentia vtriusque odij explicanda disp. 11. sectio 4. tum sic. Atqui summa Dei bonitas nequit esse ratio formalis constituens hominem dignum gravi odio inimicitiæ: ergo nec potest esse ratio formalis constituendi peccatum in ratione graviter displicentis Deo.

16 Probatur minor, quia quod non est ratio formalis constituendi hominem simpliciter malum, nequit esse ratio formalis constituendi hominem dignum gravi odio inimicitiæ divinæ: nam ideo est dignus gravi odio, quia est simpliciter malus, & ideo est dignus maiori odio, quia est magis malus, sicut ideo est dignus amore, quia est bonus, & maiori amore, quia est magis bonus, summa autem Dei bonitas vt est in se, nequit esse ratio formalis constituendi hominē simpliciter malum, ergo nec constituendi illum dignum gravi odio inimicitiæ. Vnde rursus patet nullam esse paritatē meritorum Christi: nam infinita bonitas Verbi constituit Christum summe bonum, ac proinde summo amore dignum

ipsa

ipsaque simul cum bonitate actus constituit dignum infinito amore communicativo cuiuslibet præmij.

1. Resp. Thomistarum. 17. Respondent Recentiores Thomistæ infinitam Dei bonitatem attactam aversive, & contrarie posse constituere malum, & dignum odio, licet non possit, si attingatur prosecutive, sicut in omnium sententia obiective dat malitiam attacta aversive, & contrarie, quam præstare nequit attacta prosecutive, quia odio habere bonũ, malum est. Sed contra, quia Deum dare obiective malitiã, nihil aliud est, quam attingi, vt obiectum per actum malum: hoc autem nõ est hominem constitui formaliter malum per ipsam infinitam bonitatem, sed per suum actum, qui est odium, vel contemptus Dei; hinc autem siniſtre infertur posse formaliter reddi hominem dignum odio, & inimicitia divina, per ipsam summam Dei bonitatẽ, vt est in se: hoc enim non minus repugnat, quam subiectum reddi tenebrosum formaliter per lucem. Vnde bonitas infinita non reddit malum subiectum, nisi vt contempta; hoc autem non, est ipsam, sed eius contemptũ reddere subiectum malum.

Impugnatur.

2. Resp. 18 Respondebis secundo ex ingenioso Recentiore, summam bonitatẽ posse constituere in ratione obiecti odij illa, quæ sibi opponuntur, qualis est offensa, illud enim constituit aliquam rem in ratione obiecti odij, quod est obiectum formale, ratione cuius illa res habetur odio: summa autem Dei bonitas potest esse obiectum formale, ratione cuius odio habeatur malitia, licet nequeat odium terminare. Vt patet in charitate odio habente peccata propter Dei bonitatẽ. Hinc reddit rationẽ à priori, cur infinita Dei maiestas sit forma gravificans offensam, quia sicut meritum constituitur per virtutẽ moventẽ volũtatẽ divinã ad remunerationẽ, ita offensa cõstituitur per virtutẽ moventem voluntatem divinam ad indignationem contra offensorẽ. Vnde sicut dignitas Christi est forma valorans opera eius in ratione meriti, quia movet voluntatẽ divinã ad remunerationẽ, ita dignitas Dei est forma gravificans offensam, quia movet Deum ad indignationem contra offensorem.

Reijcitur. 19 Sed contra primo: nam hęc ratio pariter probaret infinitam Dei iustitiam, vt est in se, constituere intrinsecè malitiam moralẽ in ratione malitiæ, quia movet Deum ad puniendum peccatorẽ ob malitiam; similiter bonitatẽ Dei constituere intrinsece merita nostra bona, quia movet ad illa remunerandum imò probaret iustitiam divinam intrinsece constituere peccatũ commissum sine advertentia ad Deum, quia movet ad illud puniendum. Quæ omnia absurda sunt: ex eo enim, quod Dei bonitas moveat ad odio habendum malum non sequitur gravificare offensam intrinsece, & per modum formæ.

Non omne id, quod movet ad remunerãdũ, constituit, valorẽ meriti, vel demeriti.

20 Itaque non omne id, quod movet ad remunerandum, vel puniendum, constituit valorem meriti, vel demeriti; sed illud dumtaxat, quod movet constituendo subiectum dignũ præmio, vel supplitio. At in hoc genere licet infinita persona Verbi moveat ad remunerandа opera Christi, quia est forma constituens humanitatẽ Christi dignam accipere propter opera meritoria, quodcumque præmium possibile: at infinita Dei bonitas non cõstituit hominem dignũ subire æternam pœnam ob suam malitiam, sicut non constituit formaliter malum, sed ipse homo à malitia suorum actuum, vt adæquate distincta à Deo, constituitur dignus pœna æterna, sicut ab eadem formaliter constituitur malus. Vnde sicut sola bonitas cõstituit subiectum dignum amore, ita sola malitia constituit dignũ odio, & hæc est ratio à priori, cur infinita maiestas personæ offensæ nequeat dignificare demeritum; sicut infinita maiestas personę merentis gravificat meritum, nimirum, quia infinitas personæ offensæ non constituit formaliter hominem dignum puniri ob actus malos; sed ipse homo dignus constituitur ab illis, vt adæquate distinctis à Deo. At dignitas personæ merentis, nempe Christi, constituit dignam humanitatem donari æterna gloria, & quocumque præmio possibili ob suos actus, quam dignitatem non acciperet ab illis actibus, si non proveniret à Verbo, tanquam à principio *quod*; nam eosdẽ eliceret separata à Verbo, quin per illos tunc esset digna omni præmio possibili.

Confirmatur doctrina præcedenti.

21 Et confirmatur; nam infinita Dei maiestas nequit movere Deum ad puniẽdum æterna pœna hominem, ob furtũ leve commissum cum plena advertentia ad Deũ, esto moveat ad puniendũ pœna tẽporali, nimirũ quia homo per furtũ illud non constituitur dignus tanta pœna: ergo è contra ideo potest movere ad sic puniẽdum ob furtum grave, quia homo per illud constituitur dignus pœna æterna:

ergo maiestas Dei non ingreditur ad cõstituendam illam dignitatem, sed eam aliunde constitutam supponit: in ipso enim peccatore vt operante cum tali advertentia contra Dei præceptum in materia gravi videt illam dignitatem, & hac supposita, movetur à sua maiestate ad puniendum hominem: ergo infinita Dei maiestas non est forma gravificans offensam, illam ve constituens dignam pœna æterna.

22 Alia solutione magis apparenti posset eludi vis argumenti nostri. asserẽdo infinitam Dei maiestatem, gravificare quidem offensam per modum formæ; cæterum non constituere per modum formæ hominem malum, & dignũ odio, quia forma, quæ ita constituit, est substractum illius gravitatis, illa nimirum offensa gravis specificative sumpta; non tamen forma ipsam gravificans, nam potest aliquid esse ratio formalis grauificãdi actũ in ratione offensæ, quin sit ratio formalis constituẽdi hominẽ malũ, & dignũ pœnæ: siquidẽ cognitio divinæ maiestatis est ratio formalis gravificãdi peccatũ, seu cõstituendi illud in ratione mortalis: nã si quis sine advertentia ad Deũ prohibentem deliberate committeret homicidium, non peccaret mortaliter, quia non contemneret bonum infinitum. Et tamen illa cognitio cum sit à Deo volita, non est ratio formalis constituendi hominem malum, & dignum odio: ergo pariter in nostro casu.

Alia responsio magis apparens.

23 Respondere posset aliquis, hoc argumento evinci malitiã esse essentialẽ actioni malæ internæ; nec posse eandẽ voluntatẽ de se esse indifferentẽ, vt sit peccatũ mortale, vel veniale; quia alioqui in ratione malitiæ gravis constitueretur per aliquid à Deo volitum: quod videtur implicare: nam Deo graviter displicet malitia gravis, vt gravis; ipsaque proinde gravitas malitiæ, vt talis, est, quæ terminat gravitatem odij: nihil autem à Deo amatum potest terminare illam gravem displicentiam: ergo nihil à Deo amatum potest esse gravitas malitiæ: ergo talis gravitas est essentialis actioni graviter malæ. Est sanè hoc fundamentũ speciosum, & grave, ne tamen nostrã sententiã dependentẽ faciamus ab eo quod malitia sit essentialis actioni, aliter enodanda est difficultas.

Speciosa ratio ad probandum malitiam esse essentialem actioni malæ

24 Respondeo ergo, advertentiam ad Deum non esse rationem formalem gravificandi offensam, vel malitiam. Nam malitia gravis in recto importare debet rationem formalẽ, à qua gravificatur: nam ratio formalis terminãdi displicentiã gravẽ est ipsa gravitas malitiæ; Vnde sicut nihil distinctũ ab actione nostra mala potest esse ratio terminandi displicentiam divinam, ita nihil distinctum ab illa potest esse ratio formalis gravificandi: est ergo illa advertentia conditio necessario præsuppositа, ad hoc vt nostra actio sit malitia gravis, proindeq; solũ de obliquo importatur à malitia gravi, vt gravi, nã in actione nostra idẽ omnino sunt, esse malam & esse malitiam, sicut idẽ sunt hominem denominari malum ab actione mala, & denominari malũ à malitia. Quare actio nostra essentialiter determinata est, vt sit malitia gravis per hoc precisè quod ponatur pro posteriori ad advertentiã Dei vt graviter ipsã prohibentis; & vt sit malitia levis in alijs circunstantijs, in quibus talis advertentia nõ præcedat. Nã sicut id quod displicet Deo est, quod ponatur actio præcedente advertentia prohibitionis; ita & malitia est illa actio sic posita.

Advertentia ad Deũ non est ratio formalis gravificandi offensam.

In actione nostra idem est esse malam, ac esse malitiam.

25 At in sententia adversatiorum ratio formalis gravificans in recto offensã, & constituens illam dignam gravi Dei displicentia, est infinita Dei maiestas; sicut infinita Verbi dignitas est forma in recto dignificãs opera Christi, seu cõstituens illa digna omni præmio posibili. Et hoc est quod nostrũ argumentum impugnavit: nã id, quod per modũ formæ constituit offensam gravẽ, vt gravem, debet cõstituere subiectum dignũ odio inimicitiæ, & consequenter malũ, quod præstare nequit infinita Dei bonitas.

26 Dices: ergo saltem infinita Dei maiestas de obliquo constituere poterit gravitatẽ offensæ, sicut in nostra sententia advertentia ad Deũ constituit de obliquo gravitatẽ malitiæ. Respondeo ad hoc asserendum nullum esse fundamentũ. Ideo enim recurrimus ad illam advertentiam, tanquam ad constitutivum de obliquo ipsius malitiæ, quia actio nostra potest dari, quin sit mala. At implicat, vt eliciatur cũ advertentia ad Deum, vt graviter ipsam prohibentẽ, quin sit graviter mala: ergo in ratione talis constitui nequit adhuc de obliquo per Deum, vt existentem in se, sed precisè vt existentẽ obiective in nostra cognitione, quod est constitui per istã. Deinde Aduersarij nõ dicent infinitã Dei maiestatem, vt est in se, constituere intrinsece offensam formalem Dei,

Obiectio.

Diluitur

quæ

quæ non est peccatum mortale; cum tamen par sit de illa ratio, ac de offensa formali gravi. Sicut enim furari quantitatem magnam cum advertentia ad Deū vt prohibentem, est offensa gravis; ita furari quantitatem parvam cum advertentia ad Deum, vt prohibentē, est formalis offensa levis.

27 Dices: si per impossibile Deus in seipso non foret infinitæ maiestatis, quamvis talis esset obiective in cognitione peccantis; iste non foret dignus tanto odio, & aversione Dei erga ipsum, quāta nunc est dignus. Quemadmodum, si quis vulneraret hominem privatum existimans esse Regē, non esset dignus tanta aversione Regis, ac si ipsum in propria persona læsisset. Ergo homo in ratione digni odio, & aversione divina constituitur intrinsece per maiestatem Dei, vt existentem in se. Propter hoc fundamentum Cardin. de Lugo: disp. 5. num. 40. arbitratur in casu illo chymerico peccatum illud, licet in ratione malitiæ esset æquale cum peccato, quod de facto committitur, non habiturum tamen tantam gravitatem in ratione offensæ.

Instantia ex doctrina Cardinalis de Lugo.

28 Verum hæc doctrina subsistēda non est, primo quia iuxta hunc Authorē dignitas ad pœnā æternā damni, & sensus identificatur adæquate cum malitia peccati: atqui dignitas ad hanc pœnā est formalissime dignitas ad odium inimicitiæ, & aversionis contra peccatorē, vt cōstabit disp. 3. de Incarn. ergo dignitas ad odium, & consequenter offensa identificatur adæquate cū malitia: sed hæc per te non cōstituitur per infinitam Dei maiestatem, vt existentem in se, ergo nec illa.

Impugnatur 1.

29 Contra secundo: quia si semel infinita Dei maiestas hominem graviter peccantem cōstituit formaliter dignum odio, constituet formaliter dignum odio infinito: vt patet à paritate dignitatis Verbi constituentis humanitatem Christi dignā infinito amore remunerativo suorum actuum, & consequenter peccatum erit simpliciter infinitum in ratione offensę, quod tamen hic Author negat. Dico ergo offensā in eo evētu fore æqualem ex parte offendentis, quamvis, quia tunc non existeret Deus, nō posset indignari contra peccatorem. Ad paritatem respondeo, tāta aversionē Regis fore dignum invasorem illum in vno casu, ac in alio, licet non tanto suplicio; quia leges humanæ in taxandis suplicijs attendunt ad damnum re ipsa illatum. Cum autem Deo nullo pacto per nostros actus offensivos lædatur, æquali suplicio foret dignus in vtroque casu peccans, si in vtroque haberet eandem cognitionem, eundemque conatum.

Secundo.

Respon sio.

SECTIO. V.

Tertia probatio ex eo, quod alioqui satisfactio Christi non esset superabundans.

30 SI offensa gravis constitueretur in ratione gravis per infinitam Dei maiestatem, vt est in se, ab eaque dignificaretur in ordine ad pœnam, meritum Christi non superaret gravitatem offensæ: proindeque eius satisfactio non esset superabundans pro nostris peccatis; quod est absurdum; ergo, &c. Probatur sequela: si enim maiestas Dei dignificat malitiam gravem in ordine ad pœnam, sicut dignitas Verbi dignificat actus humanitatis assumptæ in ordine ad præmium, tanta erit vis peccati mortalis in ordine ad pœnam, quanta est vis meriti Christi in ordine ad præmium, cum vtrobique forma dignificans sit simpliciter infinita, & ex nullo capite limitetur, ne gravificet, quantum potest iuxta mensuram suæ dignitatis.

31 Respondebis, vtrumque esse simpliciter infinitum in suo genere; cæterum infinitatem meritorum Christi esse superioris ordinis ad infinitatem peccati, nimirum quia fundatur in vnione physica Verbi cum humanitate, cum tamen infinita Dei maiestas non nisi moraliter vniatur cum persona offendente. Hoc pacto, licet humanitas Christi formaliter sanctificetur per sanctitatem increatam, minus tamen sanctificatur per illam, quā Deus ipse, nempe quia ei communicatur per vnionem; Deo vero per identitatem, & diversitas in modo communicationis formæ causat diversitatem effectuum formalium.

Respon sio Adversariorum.

32 Sed contra primo, quia diversitas illa vnionum in præsenti nihil refert. Siquidem eatenus ad condignificanda merita elicita ab humanitate concurrit vnio ipsius ad Verbum, quatenus sine vnione physica Verbi ad humanitatem non potest verificari, actus illos meritorios esse actus hominis Dei, prout oportet, vt condignificentur à Verbo. At sine vlla vnione physica Dei cum homine peccante verificatur actus

Repellitur 1.

graviter peccaminosas esse graves offensas Dei, verissime, & propriissime, cõdignificatas iuxta Adversarios à tota Dei maiestate se adæquate refundente: ergo sine hac vnione verificabitur non minus condignificari ad pœnam, quam actus Christi damnificentur ad præmium.

33 Confirmatur. Ponamus esse possibile, quod plures affirmant, nempe Deum sibi vnire physice personam creatam, & ponamus illam peccare in sensu composito illius vnionis. Quod possibile fuisse etiam humanitate Christi asseruit Scotus, & Neminales, omnesque defendunt Scotistæ, nimirũ pro casu, in quo humanitas vnita Verbo spoliaretur visione beatifica. In casu posito peccatũ illi⁹ hominis physice vniti cum Deo simpliciter non foret maius, quam sint peccata mortalia cõmissa à nobis in sententia adversariorum: nã iuxta illos quodlibet est simpliciter infinitum, & meretur omnem pœnam possibilem, summamque Dei indignationẽ, & nihil amplius habere posset peccatum illius hominis physice vniti cum Deo: ergo peccatum illud nõ foret superioris ordinis ad nostra: ergo defectus vnionis physicæ inter personam peccantem, & formam gravificantem offensam Dei, non efficit hanc esse in inferiori ordine ad merita Christi, si semel condignificatur ab infinita Dei maiestatẽ, vt est in se, estque proinde simpliciter infinita.

Secũdò.

34 Ad exemplum vero in contrarium adductum respondeo primò, sanctitatem increatã non propterea directe, & immediate non sanctificare humanitatẽ tantundem, quantum sanctificat Deum, quia illi copulatur per modũ vnionis, & huic per identitatem; sed quia humanitas non est subiectum capax sanctificari, & perfici simpliciter infinite à sanctitate increata, sicut ipse Deus. Vnde in sententia asserente relationes divinas sanctificare se ad invicem, paternitas non minus sanctificat filiationem, quam seipsã, nimirum, quia vtraque est subiectum æque capax; iam vero peccatum mortale non minus est capax condignificari ad pœnam iuxta Adversarios ab infinita Dei maiestate, mediante vnione morali, quã actus eliciti ab humanitate assumpta sunt capaces condignificari ad præmium ab infinita Verbi excellentia, mediante vnione physica.

Cur sanctitas increata non tantundem sanctificet humanitatem, ac Deum.

35 Respondeo secundo ad effectũ formalem sancti per se requiri vnionem physicam formæ sanctificantis cum subiecto, vbi autẽ requiritur vnio ad effectũ formalem, quo illa fuerit præstantior intra suum genus, effectus evadet præstantior. At ad effectum formalem condignificãdi offensã non requiritur vnio physica formæ gravificantis cum subiecto: ergo defectus vnionis physicæ nequit cõstituere hanc cõdignificationem in ordine inferiori ad condignificationem meritotiã per se requirentẽ vnionem physicam formæ gravificantis cum subiecto.

36 Quod alio exemplo explicatur: nam quia ad fœcundãdum intellectũ per se non requiritur vnio physica obiecti intelligibilis cum potentia intellectiva; essentia divina per modũ obiecti intelligibilis non minus fœcundat de facto intellectũ Beati, quã si eidem esset vnita physice: ergo quia ad gravificandam offensã non requiritur per se vnio physica formæ gravificantis cum subiecto, non minus infinita Dei maiestas gravificabit de facto offensam, quam illam gravificaret, si esset vnita physice cum homine peccante. Atqui si foret vnita physice, tunc gravificatio offensæ non esset inferioris ordinis ad gravificationem meritorum Christi: ergo nec de facto est.

SECTIO SEXTA.

Probatio quarta vt inæqualitas peccatorum.

37 SI peccatum mortale esset simpliciter infinitum, quodlibet mereretur omnẽ pœnam possibilem, & summum Dei odiũ, & quodlibet esset summum in vi provocandi indignationem divinam, contineretque eminenter malitiam offensivam reliquorum, nec plus intensive Deus offenderetur per vnum, quam per aliud; imo nec plus per omnia simul, quam per quodlibet seorsim. At hoc est absurdum: ergo & illud, ex quo sequitur.

38 Sequela probatur primò à paritate, qua frequenter contra nos vti solent adversarij: nam hoc ipso, quod meritũ Christi sit simpliciter infinitum, quilibet actus Christi deliberatus, & supernaturalis vt dignificatus à persona Verbi meretur omnem præmium possibile, & summum Dei amorem, haberque summam vim movendi ad collationem præ-

præmij; nec vnum meritum est intensive maius alio, tantumdemque per vnū meretur, quam per omnia simul: ergo pariter &c. Probatur secundo à priori; nam licet loquendo de infinito multitudinis, vel quantitatis sub determinata ratione possit forsam vnum infinitum esse maius alio, quia ad infinitam multitudinem satis est, quod careat termino intrinseco, seu quod accipiēdo successive partes, nunquam sit pervenire ad vltimum. At ad infinitum perfectionis, vel imperfectionis requiritur quod in ea ratione, in qua est infinitum, careat termino extrinseco, seu quod nō possit habere aliud maius in illo genere, & consequenter, quod sit summum continens eminenter totam perfectionem, vel imperfectionem sui generis: cum enim hæc infinitudo non consistat in multitudine partium formalium, nec in quantitate mali, sed in quantitate virtutis, id est perfectionis, vel imperfectionis in se formaliter indivisibilis, nequit aliqua perfectio esse simpliciter infinita, nisi sit summa, & reliqua sui generis eminenter continens, vt enim inquit Aug. Doctor 3. p. quæst. 10. art. 3. ad 3. & cum eo reliqui Theologi apud Fassolum, tom. 1. quæst. 7. art. 3. dub. 5. ***Est quædam proprietas infiniti, quod infinito nihil sit maius. Vnde infinito simpliciter quoad omnia, simpliciter nihil est maius; infinito autem secundum aliquid determinatum non est maius in illo genere.***

Infinitū perfectionis, vel imperfectionis caret termino etiam extrinseco.

39 Absurditas autem sequelæ tam manifesta est Patri Vazquez disp. 2. num. 9. vt superfluum duxerit illam probare, quis enim, inquit, negare audeat vnum magis contra Deum peccare, seu peiorem esse, quam alium, & ita vnum magis offendere Deum, & magis ipsi invisum esse, quam alium? Probanda nihilominus est: quia moderni Thomistæ sequelam illam admittunt. Probatur autem primo, quia peccator formaliter redditur malus per ipsam offensam Dei gravem, quatenus offensa Dei est; nam quatenus talis, est malum morale inficiens aliquod subiectum; & certe non aliud, quam personam peccantem. Ergo si offensa gravis Dei est simpliciter infinita, & summa, quælibet offensa gravis Dei constituet peccantem infinite simpliciter, & consequenter summe malū: ergo simpliciter, & absolute vnus peccator non erit deterior alio, magisque abominabilis Deo. Quis autem non videat hoc esse absurdum, &

Stradetur inæqualitas peccatorum etiam in ratione offensæ, quia vi illius vnus peccator deterior fit alio.

contra illud Genesis 13. *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Et contra illud Mathei 10. *Terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, &c.*

40 Nec vero dici potest vnum peccatorem propterea dici peiorem alio, quia plura commisit peccata: nam si per quodlibet redditur simpliciter infinite malus, per multa simul nō est simpliciter deterior, sed cum addito diminuēte, nempe pure extensive. Sic si humanitas aliqua vniretur hypostatice tribus personis divinis, nō esset sanctior simpliciter humanitate Christi, si hæc sanctificatur simpliciter infinite à persona Verbi. Sic etiam Trinitas personarum nō est simpliciter ens perfectius Patre Æterno secundum se, videlicet, quia hic est ens simpliciter infinite perfectum. Nec refert peccata esse inæqualia pœnes malitiā moralem desumptam ex obiecto: nam si simpliciter sunt infinita in genere moris ex aliquo capite: vnum non potest absolute, & simpliciter reddere peccantem magis malum; quia excessus ille est secundū quid, & æqualitas est simpliciter.

41 Probatur secundo, quia de fide est peccata esse inæqualia, vt docent omnes Theologi cum Divo Thoma 1. 2. quæst. 73. & certum est inter peccata mortalia vnum esse maius alio, vt constat ex illo Ieremi. 7. *Peius operati sunt, quam Patres eorum.* Et ex Trenor. 4. *Maior est effecta iniquitas populi mei peccato Sodomorum*: nam istud absdubio mortale fuit, & tamen peccatum Iudæorum maius erat: ergo vnum peccatum mortale intra lineam mortalis est simpliciter, & absolute maius alio. Atqui peccatum mortale vt tale, est gravis offensa formalis Dei: ergo inter offensas graves Dei, vna est simpliciter maior alia, ac proinde nulla est simpliciter infinita. Probatur minor: quia eatenus peccatum est mortale, quatenus privat hominem vita animę, nempe gratia, & constituit illum dignum æterna pœna damni, & sensus; hoc autem non habet, nisi quatenus est contemptus quidam infinitæ maiestatis: vnde sententia communis apud Cardinalem de Lugo disp. 5. de incarnatione sectione 5. cū D. Thoma 1. 2. q. 73. art. 1. ad 1. & 2. 2. q. 20. art. 3. tenet nō posse hominem peccare mortaliter sine advertentia ad Deū, vt graviter prohibentē, quia nequit constitui dignus tanta pœna, nisi contemnat summum bonum, quod sine illa adver-

tentia præstare nequit; atque peccatum mortale, quatenus est contemptus Dei, est formalissime offensa eius: ergo peccatū mortale, quatenus tale, est formaliter offensa Dei gravis. Quod breviter sic ob oculos pono. Peccatū mortale, quatenus mortale, est contemptus infinitę maiestatis; atqui contemptus iste est formaliter offensa gravis Dei, quia peccatum mortale, vt tale, est formaliter offensa gravis Dei: sed vnum peccatum mortale intra lineam mortalis est gravius alio: ergo vna offensa gravis Dei intra lineam offensæ gravis est maioralia: ergo non est simpliciter infinita.

Fit satis argumēto de sumpto à Deo, quæ aliā maiorē permittit.

Fadē inæqualitas suadetur ex D. Tho.

42 Confirmatur primo: nam Deus per vnum peccatum mortale magis contemnitur, quam per aliud, verbi gratia per idolatriam, & homicidiū, quā per furtum vnius aurei: ergo per vnum magis offenditur, quā per aliud, ac proinde per nullū infinite. Antecedens est expressa doctrina D. Thom. q. 2. de malo, art. 9. ad 15. vbi inde probat non omnia peccata, esse æqualia, quāvis in omni peccato vnus, & idem sit, qui contemnitur, nempe Deus: *Quia quantitas*, inquit, *contemptus non solū mensuratur ex parte eius, qui offenditur, sed etiam ex parte actus, quo quis contemnitur.* Et in responsione ad 11. *Omnibus*, inquit, *mortalibus opportuit subvenire per mortem Christi propter gravitatem, quam habent ex contemptu boni infiniti, sed tamen nihil prohibet, quod per vnum peccatum magis contemnatur Deus, quam per aliud.* Confirmatur secundo, nam Deum magis offendi per vnum peccatum, quam per aliud, docet aperte Sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 2. articul. 3. §. *ad tertiam quæstionem*: vbi docet ex charitate moveri peccatorem ad magis dolendum de vno peccato quam de alio, *quia ratio doloris*, inquit, *est magis in vno, quam in alio; scilicet offensa Dei, ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur.*

Duplici solutione eludere conantur Adversarij hoc fundamentum. Nam P. Bernal disp. 4. n. 141. concedit offensas Dei graves esse inæquales intra lineam, & rationem offensæ, & tamen contendit quamlibet esse simpliciter infinitam. Sicut quamvis distantia Angeli à Deo sit simpliciter infinita, tamen distantia hominis est maior. Verum hæc solutio præoccupata manet ex dictis de conceptu infiniti. Ad exemplū respondeo ex doctrina D. Thom. quæst. 3. de potentia, art. 4. ad secundum. Et quæst. 27. de veritate, articul. 3. ad 9. distantiam Angeli à Deo esse simpliciter infinitam ex parte Dei tantum, nō autem ex parte Angeli. Quare iste distat infinite simpliciter à Deo pure denominative ab infinita distantia Dei ab ipso: ex parte autem sua distat finite: nam hæc distantia nihil aliud est, quam carentia, & defectus convenientiæ analogicæ cum Deo, qui defectus finitus est in Angelo; siquidem possunt dari infra ipsum aliæ infiniti creaturæ habentes maiorem defectum convenientiæ analogicæ cum Deo, id est minus convenientes, minusvè similes ipsi; ex quo infertur defectum convenientiæ ipsi competentem non esse summum, ac proinde non esse infinitum: defectus namque iste solum potest convenire non enti, quod nullam habet convenientiam analogicam cum Deo. Vnde facile est in forma ad argumētum respondere distinguendo illam propositionem. Angelus distat infinite à Deo, & tamen homo distat magis. Distat infinite ex parte Dei, concedo: at ex hoc capite non magis distat homo; ex parte sua nego; at homo solum ex hac parte distat magis, quam Angelus.

44 Quod si dicas similiter offensam peccati mortalis ex parte actus nostri, & ex parte malitiæ desumptæ ex obiecto esse finitam; cæterū ex parte Dei esse infinitam. Contra est, quia cum Deus in se non sit offensa, sicut in se est distantia infinita ab Angelo, nequit offensa dici infinita denominative à Deo; sicut Angelus dicitur distare infinite à Deo denominativè ab ipso, vt infinite distanti ab Angelo, sed debet esse infinita ex parte actus nostri, quatenus est contemptus Dei; esse autem contemptum Dei nō est denominatio extrinseca sumpta ab ipso, vt à forma, nam per ipsam malitiam violandi grave Dei præceptum formalissime contemnitur Deus, & graviter offenditur; at actus noster in ratione violantis grave Dei præceptum non constituitur per infinitatem Dei, vt est in se: ergo nec in ratione offensæ gravis: ergo si est simpliciter infinitus in ratione offensæ, infinitas hæc non provenit à Deo, vt forma, sed se tenet ex parte malitiæ relucentis in violatione præcepti gravis: ergo non permittit inæqualitatē inter offensas, sicut hoc ipso, quod Angelus ex parte sua distaret infinite simpliciter à Deo, non posset homo magis distare.

Se-

Thomistæ admittentes peccata mortalia esse inæqualia in ratione malitiæ, non autem in ratione offensæ.

45 Secundo alia via eludere conantur Thomistæ hanc difficultatē, admittentes enim peccata mortalia esse omnino æqualia in ratione offensæ, dicunt nihilominus esse inæqualia quoad malitiam, quod explicant exemplo actuū Christi, qui in ratione valoris meritorij sunt æquales propter infinitam dignitatē Verbi, & tamen sunt inæquales, quoad bonitatem moralem.

46 Sed impugnantur: quia implicat peccatum esse simpliciter infinitū in ratione offensæ, quin sit infinitum in ratione malitiæ desumptæ exordine ad ipsum Deum, qui contemnitur: nam sciēter grave Dei præceptum violare, eiusque amicitiam, & maiestatē contemnere, est formalissime malum moraliter, & dissonum rationi: at in illo contemptu cōsistit formaliter offensa: ergo nequeunt mortalia esse æqualia in malitia præcipua, & Theologica, quin sint æqualia in rationo offensæ. Et vrgetur, nam offensa gravis Dei vt talis, est malum morale: ergo si in ratione offensæ gravificatur à Dei bonitate, vt est in se, etiam gravificabitur in ratione mali moralis, & consequenter in ratione malitiæ moralis: ergo malitia moralis intra propriam lineam formaliter gravificatur per summam Dei bonitatem; quod est absurdum.

47 Parum autem refert, quod malitia moralis desumpta ex obiecto creato præscindendo à respectu ad Deum sit inæqualis, quia peccata non habent esse mortalia ex hac malitia: solum ergo habent malitiam Theologice gravē per ordinem ad Deum, quatenus per illa cōtemnitur: ergo si sint simpliciter infinita in ratione offensæ, talia etiam erunt in malitia gravi, & mortali: ergo non erunt simpliciter, & absolute inæqualia: nam prima inæqualitas per ordinem ad obiectum creatum, eum sit in ratione inferiori, absorvetur ab æqualitate malitiæ Theologicæ, si hæc sit simpliciter infinita; nam hoc ipso continet eminenter omnem aliam, ac proinde nō sinit, vt vna sit simpliciter maior alia. Quemadmodum, quia actus divini ex Deo habent infinitam honestatem simpliciter, sunt æqualis honestatis simpliciter, quamvis habeant inæqualitatem secundum quid ex inæqualibus honestatibus creatis, quas respiciunt, vt obiectum.

48 Vnde patet insulsam esse paritatem illam meritorum Christi, quam identidem, & tertio quoque verbo inculcant, nam in actibus elicitis ab humanitate Christi honestas moralis, adhuc illa, quæ sumitur per respectum ad Deū, vt obiectum, non est condignitas ipsa, & valor meritorius; nam iste provenit præcipue ab infinita Verbi dignitate, quæ prout est in se, illos condignificat, & non se habet præcisè, vt obiectum, vel circunstantia cognita. At condignitas ad pœnam æternam non distinguitur à malitia Theologica, quā habent actus mali per ordinem ad Deum, quatenus illum contemnunt. Vnde nequeant actus mali esse æquales incondignitate ad pœnam, seu valore demeritorio, quin sint æquales in malitia Theologica, & consequenter, quin sint simpliciter æquales in malitia. Si semel sunt simpliciter infiniti in valore demeritorio.

SECTIO VII.

Probatio quinta ex eo, quod peccatum non est simpliciter infinitum in ratione demeriti.

49 PECCATVM mortale non est simpliciter infinitum in ratione demeriti: ergo nec in ratione offensæ; consequentia est legitima, quia peccatum nequit, esse infinitum in ratione offensæ, nisi constituat hominem dignum infinita offensione, seu odio Dei; non constituit autem dignum infinito odio, nisi constituat dignum omni pœna posibili: nam voluntas infligēdi peccatori maiorem pœnam æternam propter culpam est maius odium inimicitiæ; vnde sola voluntas efficax infligēdi omnem pœnam posibilem potest esse summum odium. Antecedens probatur primo: quia si peccatum esset simpliciter infinitū in ratione demeriti, quodlibet infinite provocaret iram, & indignationem divinam; quod tamen est falsum, quia vnum mortale magis illam provocat, quā aliud, nempe illud, quod cum maiori advertentia committitur. Item, quod potius ex malitia, quam ex fragilitate procedit. Vnde ignorantia, & obscuritas cognitionis veniam facilitat, vt constat ex illo Pauli 1. ad Thimot. *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci*: Et ex illis Christi verbis: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quæ sic expendit Bernard. lib. de præcepto, & dispensatione: *Nam hi quoque*, inquit,

Inæqualitas cōcitandi iram divinā, reperta in peccatis obstat istorum infinitati in esse demeriti

qui Christum crucifixerunt, magni quidem peccatores, sed paruuli æstimatores, essent eo ipso iram, non tamen ex altero veniam mererentur? Ergo maior claritas cognitionis, cæteris paribus, auget offensam, & veniam reddit difficiliorem, quod esset falsum, si peccatum mortale commissum cum cognitione confusiore foret simpliciter infinitum in ratione offensæ: summæ enim provocaret Dei iram, & summe difficile esset eius veniam obtinere. Quod est contra scripturam: ergo, &c. Et confirmatur, quia si per vnum peccatum mortale infinite provocaretur Dei ira, titulo non magis irritandi Deum, non deberet homo abstinere à novis peccatis; siquidem provocatio illa non posset simpliciter crescere; hoc autē est contra lumē rationis, quia coarcentur peccatores à multiplicandis peccatis, ne vindictam sibi accelerent.

Prob. 1. ex Div. Thoma peccatū non mereri omnē pœnā sensus possibilem.

50 Probatur secundo: quia nequit peccatum esse infinitum in ratione demeriti, nisi mereatur pœnam æternam sensus infinite intensam; quam tamen nō mereri est aperta doctrina D. Thom 1.2. q.87. art.4. vbi inquirit, vtrum peccato debeatur pœna infinita secundum quantitatem, & cum incorpore distinxisset in peccato illa duo, nempe aversionē ab incommutabili bono, & conversionem ad bonum commutabile, asserit pœnam dāni correspondentem aversioni esse infinitam, quatenus privat bono infinito, pœnam autem sensus correspondentem conversioni esse finitam, eo quod ipsa conversio finita sit. Et hanc esse communē Theologorum affirmat ibidē Vazq. & P. Suarez disp.7. de peccat. sect.3. n.10. imo P. Arriaga disp.3. de Incarn. n.17. sententiam oppositam appellat improbabilem: nec scio, inquit, vllum ex his, qui Typis sua scripta mandarunt, qui contrarium expresse docuerit. Sed tamen Almainus, & Parisienses apud Suarez ibidem n.9. asseruere peccatum quantū est ex se, dignum esse infinita pœna, quā sententiam ipse appellat probabilem n.11. & ex modernis eidem suffragantur P. Bernal disp. 4. de Incarnat. n.125. & P. Aldrete disp. 4. sect.3. probabile putat peccatū mereri omnem pœnam possibilē, esto sit simpliciter finitū in ratione offensę. Cui sententiæ magnum pondus addidere sapientissimi Recentiores.

Prob. 2. ex Apoc. 18.

51 Probatur autem peccatum non mereri omnem pœnam possibilē ex illo Apocalyps. 18. vbi de meretrice magna dicitur: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Nam certum est huic meretrici iniunctam non fuisse pœnam infinite intensam per totam æternitatem; ergo illam, quantum est ex se, non mereb atur. Probo consequentiam, quia si illam ex se mereretur, & Deus illi iniunxisset pœnam infinite minorem, in nullo vero sensu dici posset iniunctam illi esse tantam pœnam, quantam suis peccatis promerita fuisset, prout denotant verba illa: *Quantum glorificauit se, tantum, &c.* Qui enim infinito minus accipit, quam merebatur, in nullo vero sensu dici valet, accipere tantum, quantum meruit, quia nec mathematice, vt patet, nec moraliter, quia hoc solum habet locum, quando pœna imposita est fere æqualis: non autem quando est infinite minor.

Prima solutio dicit imponi pœnam in inferno iuxta mēsurā malitiæ,

52 Respondebunt Aduersarij de facto non taxari pœnam in inferno iuxta mensuram offensæ, quæ in omnibus mortalibus est æqualis, sed iuxta mensurā malitiæ, quæ est inæqualis. Sed contra: ergo iam malitia peccati, vt cōtra distincta ab offensa, condigne meretur pœnam æternam sensus, siquidem in peccatis agnoscis æqualitatem in ratione offensæ, & tamen dicis propter inæqualem malitiam illis correspondere pœnam æternam sensus inæqualem. Hoc autem est implicatorium; quia nulla malitia potest constituere hominem dignum æterna pœna, nisi illa, quæ desumitur ex contemptu infinitæ maiestatis formali, vel virtuali, vt constat ex dictis §. 5. contemptus autem Dei est formalissime offensa Dei, sin autē exponant nobis aduersarij, quid sit hominem offendere Deum: ergo implicat dicere peccata esse inæqualia in malitia pro meritiva pœnæ æternæ sensus, quin sint inæqualia in ratione offensæ. Nam Deus de facto in taxandis pœnis æternis inæqualibus attendit ad aliquā peccatorū inæqualitatē: sed non præcisè ad inęqualitatē in malitia præscindente à ratione contemptus, & offensę Dei, quia malitię, vt sic præscindenti, nequit correspondere pœna æterna: alioqui sine advertentia ad Deum posset committi peccatum mortale. Ergo attendit ad inequalitatem in malitia offensiva, id est ad inæqualitatem in ratione offensæ: ergo iam peccata mortalia in ratione offensæ sunt inæqualia: ac proinde nullum est simpliciter infinitum.

Reijcitur primo ex eo quod malitia vt præcisa ab offensa nō sit digna pœna æterna sensus.

Alia

53 Alia etiam ratione suadetur malitiam peccati sub illa præcisione non posse mereri pœnã æternam sensus, quasi alioqui sub eadem peteretur pœna æternam damni. Sequela probatur, quia implicat aliquem esse dignũ puniri in æternum acerbissima pœna ignis, quin sit dignus carere visione Dei; alioquin homo Deum videns posset esse ita dignus; quod est plane falsum, cum per ipsam visionem beatificam, & possessionem summi boni cõstituatur dignus carere æterna pœna sensus. Absurditas autem sequelæ constat, quia pœna damni correspondet aversioni peccati mortalis, quæ aversio, vel est ipsa formalis ratio offensę vel ad illam necessario consequitur: ergo implicat, vt pœna damni æterna correspondeat malitiæ, vt præscindenti à ratione offensę.

Reijeitur 2. ex eo quod non sit digna pœna damni.

54 Hinc confutata manet quorundã aduersariorum responsio asserentiũ Deũ in taxanda pœna æterna, non solum attẽdere ad dignitatem offensæ sed ad excessum delectationis, quam vnum peccatũ præalio affert. Nam delectatio illa, si præscindatur à ratione contemptus Dei, non est digna æterna pœna: si autem cõsideretur quatenus percepta cum quodã contemptu Dei sub aliqua reduplectione, iam est formalis offensa Dei. Vnde assignari nequit in æqualitas in delectationibus, vt promerentibus æternã pœnam, quin assignetur in illis, vt graviter Deum offendentibus.

55 Respondebis secundo *ly tantũ, & quantum* non dicere absolutam æqualitatem, sed proportionalem, quæ attenditur non secundum proportionem pœnæ ad culpam, sed secundum proportionem duorum peccantium ad duas pœnas, vt scilicet, qui plus peccavit, plus puniatur, & sicut excessit in culpa, ita excedat in pœna. Sed contra primo: quia ibi solum fit comparatio, inter suppliciũ, & culpam illius meritricis: vnde vel decernitur illi pœna matematice æqualis culpę, vel saltem æqualis moraliter. Contra secundo: quia si iuxta piam, & communem sententiam Deus puniat omnes in inferno citra condignum, habet legem remittendi cuilibet damnato partem aliquam pœnarũ, quas promeritus est, v.g. centesimã, vel millesimã: & supposita hac vniversali lege, iubet quoad reliqua infligi vnicuiq; iusta mensurã delicti, vt nimirum tantũ excedat supplicium vnius supplicium alterius, quantum demeritum vnius excedit demeritum alterius. Hoc autem licet in nostra sententia asserente nullum peccatum mereri omnem pœnã possibilem recte intelligatur, & iuxta illam admittatur ea expositio, cui favet D. Thomas in 4. dist. 46. quæst. 2. art. 2. quæst. 1. ad primum; at in sententia opposita locum habere nequit: nam si quilibet damnatus dignus erat omni pœna possibili; Deus non punit citra condignum remittendo aliquam partem determinatam debiti, quia adhuc quilibet mereretur pœnam infinitam. Nec punit citra condignum decernendo libere non infligere pœnam alicui infinite intẽsam; quia cum impossibile sit totam illam intensionem simul poni, eius exclusio non est materia decreti liberi, quare solum puniret citra condignum, decernendo vnicuique tantam, vel tantam pœnam finitam, potens decernere cuilibet maiorem, & maiorem sine termino; hoc autem non sufficit, vt dicatur punire vnumquemque iuxta mensuram delicti, adhuc proportionaliter, vt tantundem excedat supplicium vnius supplicii alterius, quãtum vnius demeritum excedit demeritum alterius. Nam cum demeritum cuiuslibet sit simpliciter infinitum iuxta aduersarios, vnum simpliciter non est maius alio; ac proinde si iuxta mensuram delicti dispensatur pœna, supplicium vnius non excedit simpliciter supplicium alterius, quod est plane falsum, cum certum sit damnatos inæqualiter puniri.

Reijcitur 2. solutio.

56 Sed obijcies primo: peccatum mortale est supra omnem satisfactionem creaturæ: ergo etiam debet esse supra omnem satispassionem, ac proinde mereri omnem pœnam possibilem. Respõdeo peccatum mortale absolute esse supra satispassionem puræ creaturę, quia implicat vnquam verificari peccatorem passum iam esse, quantum pati meruit per mortale: non tamen esse supra satispassionem, quia implicet Deum decernere peccatori pœnam æqualem culpæ: nã decernendo intensionem finitam in certo gradu per totam æternitatem decernere valet pœnam omnino æqualem.

In quo sensu peccatũ mortale sit supra satispassionem puræ creaturæ.

57 Nec ex eo quod pura creatura nequeat exhibere Deo condignam satisfactionẽ pro mortali, sequitur istud mereri omnem pœnã possibilem. Est enim argumentum à minori ad infinite maius. Vt enim peccatum sit supra omnem satisfactionem puræ creaturæ, satis est, quod plus Deo displiceat, quam ei placere pos-

sit vlla satisfactio puræ creaturæ: vt autē hoc pacto plus displiceat, non est necesse, vt displiceat infinitè; sed satis est, quod displicentia illa sit in superiori ordine ad complacentiam cuiuslibet satisfactionis puræ creaturę; sicut vt visio Dei plus perfectioris contineat quacunque alia visione, non requiritur, quod habeat perfectionem simpliciter infinitam, sed sufficit perfectio superioris ordinis. Et sicut, vt peccatum mortale plus displiceat, quam quilibet cumulus venialium, non requiritur quod displiceat infinitè, sed satis est quod displicentia sit superioris ordinis, nimirum, quæ moveat ad inferendam pœnam ęternam damni, & sensus, ad quam movere non potest displicentia in quocunque cumulo venialium etiam infinite: nam si per impossibile actu darentur infinita venialia in vno homine, non posset propter illa puniri pœna æterna, sed deberet temporali infinitè intēsa formaliter, vel æquivalenter. At vero, vt peccatum mereatur omnem pœnam possibilem, requiritur quod displiceat Deo simpliciter infinite, vt constabit §. sequenti.

58 Addo plures esse rationes suadentes impotentiam puri hominis ad satisfaciendum pro mortali, adhuc ex suppositione, quod istud non mereatur omnem pœnam possibilem; vt constabit ex sectione sequenti: ergo ex illa impotentia perperam infertur meritum omnis pœnę possibilis.

59 Obijcies secundo, malum peccati mortalis est maius quocunque malo pœnę: ergo hæc, quantumvis augeatur in infinitum, nunquam poterit illud adęquare. Respondeo distinguendo consequens, in ratione mali, concedo: in ratione supplicij habentis proportionem cum culpa, nego. Et ratio est, quia peccatum ideo est maius malum quacumque pœna, quia à nemine potest vnquam licite amari; pœna vero potest amari honeste. Hinc autem non fit posse malum culpę puniri quocumque malo pœnæ: alioqui posset etiam in humanis puniri delictum quacumque pœna; & similiter peccatum veniale à Deo. Mitto alia, quæ ex dictis facile evanescunt.

SECTIO OCTAVA.

Possit ne peccatum mortale mereri omnem pœnam possibilem, quam sit simpliciter infinitum in ratione offensæ.

60 VT doctrina sectionis præcedentis in tuto maneat, breviter decidēda est præsens quæstio, in qua affirmant Recentiores supra laudati, arbitrantes ad id sufficere superioritatem ordinis; sed quæro de qua superioritate loquantur: si de superioritate ordinis respectu satisfactionis puræ creaturæ; hoc non probat intentum; quia stat peccatum esse supra omnem satisfactionem puræ creaturæ, quin mereatur omnem pœnam possibilē, vt modo constitit. Si de superioritate ordinis respectu cuiuslibet offensæ irrogatæ personæ creatæ; hoc etiam est insufficiens, tum quia offensa Dei quantumvis levis est superioris ordinis ad omnes alias offensas, quatenus precisè sunt contra creaturas. Tū quia ad hāc superioritatem satis est deberi offensæ divinę pœnam æternam, quæ est superioris ordinis ad omnem pœnam debitam alijs offensis, quatenus precisè sunt contra creaturas. Si denique de superioritate ordinis respectu omnis pœnæ possibilis: fateor sufficere hanc superioritatem ad promerendam illam omnem pœnam; cæterum hęc ipsa superioritas est infinitas simpliciter in ratione offensæ; sicut superioritas ordinis respectu omnis præmij possibilis est infinitas in ratione meriti.

Impugnatur sententia Recentiorum

61 Sed age rem à priori probemus. Non potest peccatum mereri omnem pœnam possibilem, quin mereatur summam, ac proinde infinitam simpliciter offensionem Dei adversus peccatorem, infinitumvè odium inimicitiæ. At qui non potest tantam offensionem adversus peccatorem mereri, quin sit simpliciter infinitum in ratione offensæ. Quid enim est offendere Deum, quam mereri eius offensionem, & indignationem? Ac proinde quid est infinite offendere, nisi provocare infinitam offensionem? Ergo &c. Probatur minor, quia nequit mereri omnem pœnam possibilem, quin mereatur efficacem voluntatem Dei infligendi totam illam pœnam propter culpam. Hęc autem voluntas est summum odium inimicitiæ Dei contra peccatorem, quia repugnat Deo concipere maius

Probat. à priori negativa sententia.

ius odium inimicitiæ : odium enim Dei contra personam aliquam eatenus potest esse maius odio adversus aliam, quatenus vult illi maius malum, vel idem malum cum maiori connexione, & energia: nec enim actus divini capaces sunt intensionis, & remissionis, sicut nostri, vt Deus dici possit magis odio habere, vel amare, quamvis non velit maius malum, vel bonum; prout notavit optimè S. Thomas 1. p quæst. 20. art. 3. Vbi docet non posse dici, quod Deus magis, vel minus amet, quia amet actu magis, vel minus intẽso, sed præcisè, quia vult maius, vel minus bonum. Ergo implicat Deum velle duobus subiectis idem malum cum eadem efficacia, quin vtrũque æque odio habeat. Ergo cum Deus nulli possit velle maiorem pœnam; quam omnem possibilem, nec cum maiori efficacia, quam per decretum essentialiter connexum cum existentia pœnæ; fit consequens, vt decretum efficax infligendi omnem pœnam possibilem propter culpam, sit summum odium inimicitiæ.

62 Quod si respondeas vnum odiũ inimicitiæ esse maius alio, quamvis vtrũque velit omnem pœnam possibilem, quia vnum concipitur intuitu maioris peccati. Contra est primò, quia argumentum efficaciter probat peccata in illo eventu non fore inæqualia; & solvitur supponendo hanc inæqualitatẽ. Contra secundo, quia eatenus motivum odio habendi potest esse causa, vt odium inimici sit maius, quatenus est causa, vt quis velit inimico maius malum, vel idem malum cum maiori intensione, vel cum maiori efficacia: sicut motivum, & medium cognoscendi, eatenus potest esse causa, vt cognitio sit melior, quatenus est causa, vt repræsentet plura prædicata, vel eadem cum maiori claritate, & certitudine: ergo cum implicet Deum velle maius malum, quam omne possibile, & cum maiori energia, quam per decretum ab intrinseco efficax: repugnat vt possit concipere aliquod odium maius contra personam.

Vnum odium divinum non dicitur maius alio, ratione motivi, sed ex maiori malo quod vult.

63 Melius responderi posset, quodlibet peccatum mereri summum odium inimicitiæ contra personam peccantem, non tamen propterea offendere Deum infinite, quia non idcirco terminare debet summam displicentiam, seu summum odium abominationis: hoc enim esse distinctum ab odio inimicitiæ contra personam, satis constabit disputatio 14. Itaque dici posset quodlibet peccatum mereri omnem pœnam possibilem, ac proinde infinitam simpliciter offensionẽ, & indignationem divinam contra peccatorem; & tamen peccata esse inæqualia, quia inæqualiter displicent, & inæqualiter provocant illam infinitam offensionem contra ipsam personam peccantem. Sed contra est, quia absurdum videtur Deum concipere odium simpliciter infinitum contra personam propter culpam, in qua non displicet simpliciter infinite, sed tantum finite; hoc enim esset vltra condignum irasci contra peccatorem, quod divinis perfectionibus repugnat; vnde sicut implicat meritum dignum omni præmio possibili quin sit simpliciter infinitum; ita, & demeritum dignum omni possibili pœna, quin sit simpliciter infinitum.

SECTIO IX.

Vrgetur paritas peccati venialis.

64 CELEBRIS instantia pro nostra sententia contra adversarios sumitur à paritate peccati venialis: nam si datur offensa formalis Dei, quę licet sit offensa maiestatis infinitæ, nihilominus nullam infinitatem habet, nec pœnam æternam meretur: ergo ex eo, quod peccatum mortale sit offensa gravis maiestatis infinitæ non sequitur esse infinite gravem, seu infinitam simpliciter. Si enim vel imperfectio advertentię, vel levitas materiæ potest ita deprimere offensam maiestatis infinitæ, vt pœnam æternam non mereatur: poterit intra limites peccati mortalis, vel quantitas materiæ, vel confusio cognitionis limitare offensam gravem, ne mereatur omnem pœnam possibilem.

Peccatũ veniale dicitur proprie offensa comparative ad peccatũ mortale, sicut accidens dicitur ens comparative ad substãtiam.

65 Respondent aliqui peccatum veniale non esse proprie offensam Dei. Sed contra: qui profert mendacium sciens esse à Deo prohibitũ, proprie contemnit præceptum, & beneplacitum divinum, vt autem inquit P. Vazquez disp. 3. num. 4. non alia ratione Deum offendimus, nisi quia contra eius voluntatẽ, & præceptum aliquid facimus. Quare offensa gravis, & levis analogice conveniunt in ratione offensæ, sicut substantia, & accidens in ratione entis. Vnde offensa levis proprie participat conceptum offensæ, licet comparative ad offensam gravem dicatur offensa secundum quid, sicut accidens dicitur ens secundum quid com-

comparativè ad ſubſtantiam. Et in hoc ſenſu, ſecundum D. Thomam. 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1. peccatum mortale, & veniale etiam analogicè duntaxat conveniunt in ratione peccati, ſicut ſubſtantia, & accidens in ratione entis; vnde ſicut hoc non obſtante, negari nequit peccatū veniale eſſe proprie peccatum, ita negari nequit offenſam levem eſſe proprie offenſam. Quare falſum eſt, quod contendit Bernal diſp. 4. num. 13. nempe veniale, nec proprie peccatum, nec proprie offenſam eſſe, ſed tantum improprie, & æquivoce iuxta S. Thomam. Id enim Angelicus Doctor nunquam aſſeruit, ſolum enim dixit non eſſe ſimpliciter peccatum, & offenſam, in eo plane ſenſu, in quo accidens dicitur non eſſe ſimpliciter ens, ſed entis ens; cum tamen certum ſit, ens in ſententia D. Thomæ non equivocè, ſed analogicè dici de ſubſtantia, & accidenti.

66 Et quamvis dicatur peccatum veniale, etiam commiſſum cum advertētia ad Deum, non eſſe offenſam Dei: negari tamen nequit eſſe proprie inobediētiam. Hæc autem etiam creſcit ex maiori dignitate perſonæ, cuius præceptum violatur, non minus quam offenſa. Vnde in conceptu inobedientiæ fit inſtantia, quam declinare non poterūt Adverſarij.

67 Reſpondent ſecundo Recentiores Thomiſtæ peccatum veniale eſſe quidem proprie offenſam Dei, ipſumque reſpicere, vt ſubiectum morale; idcirco tamen ab eo non accipere infinitatem, quia illius recipiendæ incapax eſt: at peccatum mortale, hoc ipſo, quod capax ſit recipiendi gravitatem, capax eſſe recipiendi infinitam. Sed cōtra primo, quia hoc ipſo, quod peccatum veniale reſpiciat Deum, vt ſubiectum morale; ab eo tamquam à forma dignificari debet in ordine ad pœnā, vt patet à paritate peccati mortalis, quod propterea condignificatur à Deo per modum formæ, quia ipſum reſpicit vt ſubiectum morale. Actus autem moraliter malus capax condignificari ab infinita Dei maieſtate tamquā à forma; capax quoque debet eſſe condignificari infinito. Sicut actus honeſtus, & ſupernaturalis hoc ipſo, quod condignificetur ab infinita perſona Verbi in ordine ad præmium, condignificatur infinite. Sicut enim obſequium in ſe leve, quia condignificatur à forma infinita, eſt ſimpliciter infinitum in ratione meriti, ita malitia in ſe levis, ſi condignificatur à forma infinita, debet eſſe ſimpliciter infinita in ratione demeriti.

68 Contra ſecundo: quia ſaltem ſequitur peccatum veniale condignificari ab infinita Dei maieſtate in ordine ad quancumque pœnam temporalem. Sicut enim ex eo, quod peccatum mortale ſit capax condignificati à Deo in ordine ad pœnam ęternam deducis condignificari ad quancumque pœnam æternam, maiorem; & maiorem ſine termino: ita ex eo, quod peccatum veniale capax ſit cōdignificari ab eodem ad pœnam temporalem, deducere debes condignificari in ordine ad quancumque temporalem, vt quamvis intuitu illius nunquam poſsit infligi pœna æterna, poſsit tamen pœna temporalis maior, ac maior, ita vt pro mendatio levi potuerit Deus decernere, vel centum, vel mille, vel decem mille annos Purgatorij, quin vnquam deveniamus ad aliquam determinatam pœnam temporalem, qua non potuerit alia maior infligi. Cum ergo hoc ſit abſurdum, abſurdum quoque eſt illud ex quo ſequitur.

69 Quare ſicut peccatum veniale meretur pœnam temporalem determinatam, ita vt ſi infligeretur alia maior puniretur vltra condignum; ſimiliter peccatum mortale debet mereri pœnā æternam determinatam, ita vt ſi infligeretur alia maior puniretur vltra debitum.

SECTIO X.

Oſtenditur Deum non eſſe ſubiectum morale offenſæ.

70 THOMISTÆ propterea dicunt infinitā Dei maieſtatē eſſe formam gravificantem offenſam; quia eſt ſubiectum morale illius, & in moralibus ſubiectum induit rationem formæ: qua de cauſa perſona Verbi, quia eſt ſubiectum morale ſatisfactionis Chriſti, eſt forma illam valorās. Quod autem res ita ſe habeat, probāt ex quodam vulgari pronunciato, quod dicunt deſumi ex Ariſtotele, 1. Ethic. cap. 5. nempe, quod honor eſt in honorante, offenſa autem in offenſo. Reijcitur.

71 Sed hæc ratio infirma valde eſt. Et in primis illud pronunciatum falſo tribuitur Philoſopho, quoad vtranque ipſius partem; ibi enim duntaxat docet honorem eſſe in honorante, vt inde probet fœlicitatem non poſſe in honore cōſiſtere, cum debeat eſſe intrinſeca ſubiecto fœlici: de offenſa vero, nec verbum qui- Ratio Thomiſtarum.

quidem habet; vt constabit legenti textū secundū iuxta quamcum ꝓ eius versionem, nec vllus commentator Philosophi mentionem ibi facit illius pronunciati, quoad secūdam eius partem. Deinde ratio, qua honor magis sit in honorāte, quam in suscipiente, etiam probat iniuriam magis esse in iniuriante. Duplex enim eius rei ratio assignatur à D. Thoma in comment. illius capitis, prima; *Quia honor est operatio honorantis magis, quam suscipientis.* Secunda, *quia honor videtur esse magis in potestate honorantis, quā honorati.* Quis autem non videat hanc vtramque rationem æqualiter applicari iniuriæ, & ideo consequenter Angelicus Doctor 2.2. quæst. 99. art. 1. ad 3. *Sicut honor est, inquit, in honorante, non autem in eo qui honoratur, vt dicitur in primo Ethicorum; ita etiam irreverentia est in eo qui irreverenter se habet.* Ergo cum offensa Dei sit irreverentia, & contemptus ipsius, debet esse in homine offendente tamquam in subiecto morali.

Quod honor sit in honorante, non probat offensam esse in persona offensa.

72 Deus vero erit subiectum denominationis offensi, sicut est subiectum denominationis cogniti, & amati per actus creaturæ, & quamvis in humanis, quia iniuria lædit personam, cui irrogatur, diceretur in illa recipi: non tamen iniuria irrogata Deo in ipso potest recipi in vllo vero sensu, cum per illam minime lædatur in bonis intrinsecis. Et quidem cum Deum offendi à creatura idem formaliter sit, ac creaturam offendere Deum, tam denominatio offensi, quam offendentis recipi debet in creatura. Deus ergo solum erit subiectum pure extrinsece denominatum.

73 Sed videamus quo pacto adversarij explicent hanc Dei subiectionē respectu offensæ. Dicunt ergo Deum esse subiectum morale offensæ, non quidē inhæsionis, sed effectionis: rationemque reddunt, quia licet Deus non subijciatur homini effective absolute per offensam mortalem, subijcitur tamen illi affective absolute, & conditionate effective, quia si Deus esset ea pax subiectionis, & mutationis intrinsecæ aliquid in ipso efficeret culpa mortalis, quia illum privaret ratione vltimi finis. Et in hoc dicunt cōsistere, quod sit subiectum morale offensæ. Etenim, inquiunt, quoad communicandam illi gravitatem in prudentum æstimatione ita se habet Deus, eo quod per affectum peccatori subijcitur, & læditur affective, ac si subijceretur illi in effectu,

Deus iuxta Thomistas est subiectū morale offensæ non quidem inhæsionis, sed effectionis.

74 Sed quis non videat hanc doctrinam nihil solidi tatis habere? Primo, quia falsum est Deum affective subijci homini in omni offensa mortali, quia ita subijci nihil aliud esse potest, quam in omni offensa mortali includi quoddam Dei odium, & desiderium, ne Deus sit Deus; id autem falsum est, quia simul cum voluntate efficaci, vt Deus sit, componitur peccatum mortale in homine. Secundo, quia licet quis expresè, & formaliter desideraret non existentiam Dei, hoc desiderium non traheret infinitatē ex malo illo infinito, quod desideraret. Magnitudo enim iniuriæ non debet æstimari ex malo, quod interretur in hypothesi impossibili. Aliequi posset homo homini inferre iniuriam viribus naturæ incompensabilem, nimirum si desideraret tollere ab illo divinitatem sub ea hypothesi si esset Deus. Solum ergo debet pensari ex malo, quo re ipsa infertur, vel inferri absolute potest. Vnde in his evētibus impossibilibus voluntas nequit pro facto reputari, nec prudentes interpretari possunt, per inde se habere hominem desiderantem Deo non existentiam, ac si re ipsa illum læderet in bonis intrinsecis, & privaret divinitate. Sicut interpretari non possunt per inde se habere hominem, qui Deo amat efficaciter existentiam, ac si re ipsa illam daret. Patet ergo nullius esse momenti explicationem illam.

Impugnatur hæc doctrina.

SECTIO XI.

Quo pacto possit à Deo trahere offensam perioritatem ordinis, quin trahat infinitatem.

75 RECENTIORES Thomistæ contendunt, Deum mediante cognitione finita, gravificare posse infinite offensam. Idque suadent ratione quadam desumpta ex P. Bernal disp. 4. de Incarnatione num. 70. Nam Deus (inquit) per peccatum mortale offensus illi præstat gravitatem ordinis superioris ad omnem satisfactionem puræ creaturæ: sed eadem ratio est transfusionis in offensam gravitatis ordinis superioris, & gravitatis simpliciter infinitæ: ergo non solum transfundit in peccatum mortale gravitatem ordinis superioris, sed etiam infinitā simpliciter. Probatur minor, quia ideo Deo offensus communicat gravitatem ordinis

Ratio, qua nititur Recentiores Thomistæ.

supe-

superioris, quia ipse superioris ordinis est, sed non solum est dignitatis ordinis superioris, sed etiam dignitatis simpliciter infinitæ: ergo eadem ratio militat, vt communicet offensæ infinitatem simpliciter, ac superioritatem ordinis. Secundo: nã persona offensa ex se nõ est minus potens dare infinitatem simpliciter, quam superioritatem ordinis offensæ sibi irrogatæ: & alias ex parte offensæ non est assignabilis ratio, cur vnum, & non aliud participet: ergo gravitas offensæ divinæ non solum est ordinis superioris, sed etiam infinita simpliciter.

76 Verum quamvis hoc argumẽtum magnificetur ab adversarijs, parum roboris habet: ad illud in forma respondeo negando minorem primi syllogismi, & ad eius probationem respondeo, non ideo præcisè offensam Dei esse in ordine superiori ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, quia Deus vt cumque est constitutus in ordine superiori ad quamlibet creaturam, sed quia est in ordine simpliciter infinito. Nam sola infinitas simpliciter talis personę offensæ potest esse ratio, cur eius iniuria sit inexpiabilis per quamcumque satisfactionem puræ creaturæ; nam si daretur creatura omnium perfectissima; illa esset in superiori ordine ad omnes alias infra ipsã cõtentas, & tamen iniuria illius non esset incompensabilis per obsequia earum. Sic etiam Angelus est in superiori ordine ad hominem, & tamen iniuria ab isto contra illum commissa non est incompensabilis per obsequia hominis. Vnde in forma distinguenda est illa propositio: ideo Deo offẽsus cõmunicat gravitatẽ superioris ordinis, quia ipse est superioris ordinis; præcisè, & vt cũque nego: quia superioris ordinis est cũ excessu simpliciter infinito; concedo minorẽ, & nego consequentiam.

77 Et ad secundam probationem respondeo, ex parte offensæ dari rationem, cur participet superioritatem ordinis, & participare nequeat infinitatem simpliciter. Ratio primi est, quia gravis offensa Dei essentialiter est contemptus infiniti boni: hic autem contemptus plus rationi dissonat, quam ei consonare possit quodlibet obsequium puræ creaturæ, quia quodlibet respectu tãtæ maiestatis parvum censetur, cum tamen offensa reputari nequeat, vt parva. Ratio secundi est, qui intra lineam contemptus Dei, vnus potest esse maior alio, vt probatum manet, ac proinde nullus est simpliciter infinitus.

Enervatur, & explicatur, quare offensa sit in ordine superioris.

Assignatur ratio cur offensa participet superioritatem ordinis, & non infinitatem.

78 Quare argumentum est à minori ad maius; ac proinde inefficax. Nã vt peccatum mortale gaudeat illa superioritate, satis est, quod plus in illo displiceat Deus, quam complacet in satisfactione cuiuslibet puræ creaturæ; quod optime salvari potest, quin displiceat infinite, vt supra ostendimus. At infinitate simpliciter gaudere non potest, quin displiceat simpliciter infinite, nimirum displicentia summè movente ad summũ odium, & indignationem contra personam peccatoris.

78 Hinc diluenda est alia instantia affinis: per nos offensa est in superiori ordine, quamvis cognitio Dei illam constituens sit in ordine inferiori: ergo pariter esse poterit simpliciter infinita, quamvis cognitio illa sit finita. Respõdeo in antecedenti non sumi superioritatem ordinis, & inferioritatem in eodem sensu, & relate ad idem, & ideo consequentiam non sequi. In forma, distinguo antecedens: sumpta superioritate, & inferioritate relate ad idem, nego; relate ad diversa, concedo antecedens; & nego consequentiam. Nam in antecedenti offensa gravis Dei dicitur esse in superiori ordine, vel relate ad satisfactionem puræ creaturæ, per quam nequit condigne expiari: vel relate ad offensas aliarum personarum, quarum malitiam excedit. At cognitio Dei dicitur solum in inferiori ordine relate ad alias cognitiones Dei præstantiores. Iam vero ex eo, quod cognitio Dei habens supra se alias præstantiores possit cõstituere offensam Dei inexpiabilem per satisfactionem puræ creaturę, & excedentem omnes offensas contra personas creatas: non infertur cognitionem finitam Dei habentem supra se alias infinitas præstantiores posse constituere offensam simpliciter infinitã, & non habẽtem supra se aliam offensam Dei graviorem; imo sicut cognitio Dei potest crescere, ita & eius offensa, quia Deus non concurrit ad gravificandam offensam, nisi precisè, vt cognitus.

Ostenditur ineffi cacia illius rationis.

79 At insurges ex P. Berna. disp. 4. num. 70. in nostra sententia assignari non posse formam constituentem offensam in superiori ordine, quia in nostra sententia, hoc forma, neque est Deus ipse, qui offenditur, nec creatura, quæ offendit, tum quia neutrum includimus in offensa, tum quia tam offensus simpliciter infinitus, quã offensor ab eius dignitate infinite distãs, offensæ daret magnitu-

Alia instantia. Solvitur.

Obiectio ex P. Bernal.

nitudinem simpliciter infinitam. Nec rursus hæc forma potest esse entitas ipsa actus, cum hæc non sit supremi ordinis, præter ista autem nihil aliud est assignabile: ergo.

Diluitur

80 Respondeo tamen facile ipsam entitatem actus mali, vt libere elicitam in his circunstãtijs, in quibus adest advertentia plena ad legem graviter prohibentem, per seipsam esse in superiori ordine ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, & ad omnem offensam contra personas inferiores. Quia talis entitas in his circunstantijs est contemptus divini præcepti, & maiestatis infinitæ, & cum hæc superioritas propter imperfectionẽ conveniat, sitque in genere imperfectionis, parum ad illam refert, quod actus sit inse exiguæ perfectionis. Imo si possibilis sit pura omissio peccaminosa, iam aliquod exercitium nullam dicens perfectionem erit in superiori ordine ad omnem satisfactionem puræ creaturæ. Vnde hic Author magnam passus est æquivocationem, dum existimavit limitatam perfectionem actus, & inferioritatem eiusdem in genere perfectionis impedire superioritatem in genere offensæ: nam esse in superiori ordine ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, non est habere perfectionem excedentem quamlibet satisfactionem, sed potius habere imperfactionem moralem tantam, quæ rite expiari non posset per quamcumque satisfactionem puræ creaturæ.

Obiectio Recentiorum.

81 Sed obijciunt ingeniosi Recentiores: ille actus, qui tendit in obiectum infinitum, debet esse infinitus, si nec ex principio; nec ex obiecto limitetur. At offensa Dei non limitatur ex persona offensa, nec ex offendente: ergo est infinita. Minor quoad primam partem constat: quoad secũdam vero probatur, quia limitatio principij duntaxat potest limitare perfectionem effectus, non autem eius imperfectionem, ad hanc enim potius conducit imperfectio principij: ergo limitatio personę offendentis nõ minuit, sed potius auget offensam. Confirmatur primò: quia sicut vis cognoscitiva crescit ex maiori similitudine cum Deo: ita offensa ex maiori distantia offendentis ab offenso: sed si daretur intellectus infinite similis Deo, eius cognitio esset infinita: ergo cum homo distet infinite à Deo, offensa hominis adversus Deum erit simpliciter infinita. Confirmatur secundò: cognitio solum est conditio ad offensam, sicut est conditio ad amandum. Sed quia est pura conditio ad amandum, potest cũ cognitione minus perfecta dari in via actus charitatis, tam perfectus, quam in patria cum cognitione magis perfecta. Ergo vbi cognitio est sufficiens ad mortale, non debet offensa supponens cognitionem clariorem Dei esse maior. Ex quo sequitur quamliber offensam mortalem esse infinitam.

Eius cõfirmatio.

82 Verum hęc obiectio multũ probat, probat scilicet malitiam moralem odij Dei esse simpliciter infinitam, & omnem malitiam moralem desumptã ex circunstantia personæ offensæ, imo, & malitiã mendacij deliberatè commissi cũ advertentia ad Deum; nam huiusmodi malitiæ non limitantur ex parte Dei, cui displicent, & quem offendunt, nec ex parte creaturæ offendentis, quia limitatio principij licet limitare possit perfectionem effectus, non videtur tamen posse limitare imperfectionem, & malitiam eius. Ab omnibus, ergo respondendum est.

Repellitur vt multum probãs.

Responsio ad obiectionẽ.

83 Respondeo ergo, offensam limitari formaliter non per limitationem ipsius principij secundumse; alioqui quo imperfectior esset persona Deum offendens, offensa minor esset: sed per limitationem illius principij, vt cognoscentis, & elicientis actum: nam quanto cum maiori advertentia, & clariore Dei cognitione, & cum maiori conatu ipsum odio habet, & contemnit eius præceptũ, tanto magis eum offendit, & maiori odio & suplicio dignus est.

Ad primam confirmationem.

84 Ad primam confirmationem, nego paritatem. Nam vis cognoscitiva identificatur cum similitudine substantię spiritualis ad Deum, vel est proprietas consequuta ad ipsam. Vnde Arithmetice crescit iuxta incrementum illius similitudinis; at offensa Dei, nec identificatur realiter cum distantia offendentis ab offenso, nec est proprietas consequuta ad hanc distantiam secundum se; vnde non debet esse tanta, quanta est distantia, sed quãta est malitia actionis pravæ, qua substantia infinite distans à Deo, ipsius præceptum violat. Nec illa distantia creaturæ à Deo ingreditur ad constituẽdam offensam in abstracto: falsoque arbitratur Bernal formam, à qua gravificatur offensa, & constituitur simpliciter infinita, esse distantiam offendentis ab offenso. Etsi enim daremus offensam esse simpliciter infinitam, forma huius gravitatis

non

non foret ipsa distantia creaturæ à Deo, quatenus est aliquid creatum, sed ipsa infinita maiestas Dei offensi: tum quia, etsi persona offendens esset per impossibile æqualis Deo, adhuc offensa esset simpliciter infinita. Tum quia distantia illa nõ debet cognosci, ad hoc vt homo offendat Deum, cum non sit necesse, vt dum homo peccat mortaliter reflectat supra suã substantiam, eiusque distantiam à Deo: forma autem gravificans offensam, saltẽ vt conditionem requirit cognitionem.

85 Ad secundam confirmationẽ respondeo, cognitionem esse quidem cõditionem respectu offensæ specificative sumptæ, id est respectu exercitij voluntatis, quo peccamus: non tamen respectu illius, vt est offensa gravis reduplicative: nam actio prava constituitur in ratione offensæ gravis per plenam advertentiam ad Deum vt graviter prohibẽtem illam. Vnde non eodem modo est conditio ad offensam, sicut ad amorem; nam hic in ratione amoris non constituitur adhuc de obliquo per cognitionem, esto hæc ingrediatur intrinsece ad effectum formalem amantis per modum constituentis. proximam capacitatem subiecti.

86 Aliter rursus, nego paritatem: nam vbi actio amandi est eadem, voluntas non magis amat in vno casu, quam in alio, quamvis in vno casu melius cognoscat bonitatem obiecti, quam in alio, at quamvis actio offendendi sit eadem in vno casu, ac in alio, tamen voluntas magis offendit in vno, quam alio, si in vno melius cognoscit dignitatem personæ offensæ; nam illamet actio magis dissonat rationi, & magis displicet Deo in casu, quo elicitur cum maiori advertentia: at actio amandi non magis afficit, vel inclinat volũtatem in obiectum pro casu, in quo elicitur cum maiori cognitione. Vnde dico non ideo præcisè posse dari in via cum cognitione minus perfecta actum charitatis, tam pefectum, ac in patria, quia cognitio est pura conditio ad amandum; sed quia amor non est maior per hoc præcisè, quod eliciatur cum meliori cognitione, sed indiget maiori intensione, vel perfectione entitativa. At offensa est maior per hoc præcisè, quod committatur cum maiori Dei cognitione, esto conatus voluntatis sit physice idem.

Alia responsio.

SECTIO VLTIMA.

Præcaventur reliquæ obiectiones.

86 FVNDAMENTVM à priori adversariorum, quod tanto offensa est maior, quanto maior est ille, in quẽ delinquitur, desumptum ex doctrina Philosophi 5. Ethicorum, cap. 8. docentis, *Quod si is, qui magistratum gerit, alium percutiat, non est reperutiendus: at si quispiam eum percusserit, non solum reperutiendus, verum etiã supplitio afficiendus.* Hoc inquam, fundamentum non probat offensam personæ infinitæ esse infinitam: alioqui simili argumẽto probari posset visionem, & amorem obiecti infiniti esse infinitam, & ratio est, quia offensa non debet crescere arithmetice ad incrementum personæ offensæ, sed satis est, quod crescat geometrice secundum quandam proportionem, tunc autem creseeret arithmetice, quando adæquaret ipsam personam in ratione offendibilis: tunc enim tantum excedere offensa offensam, quantum persona excedit personam, vnde offensa personæ infinitæ foret infinita. Quo pacto, quia cognitio comprehensiva adæquat cognoscibilitatem obiecti: tantum arithmetice debet comprehensio vnius excedere cõprehensionem alterius, quantũ vnũ excedit alterum, vnde comprehensio obiecti infiniti debet esse simpliciter infinita.

Ex eo quod, quo maior est persona offensa, maior fit iniuria; nõ sequitur offensam personæ infinitæ esse infinitam.

88 Pater Puente Hurt. probat infinitatem peccati ex eo, quod meretur pœnam æternam, nam hęc est infinita, cum sit maior, quam pœna temporalis infinite intensa, quæ tamen foret simpliciter infinita. Totisque viribus contendit iustum non mereri gloriam, vt æternam, vt declinet hanc instantiam. Quod etiã contendit Bernal disp. 4. sect. 5. Sed respondeo facile pœnam æternam non esse infinitam nisi secundum durationem, nec pœnam temporalem infinite intẽsam habere infinitatem simpliciter in ratione pœnæ, sed duntaxat in ratione qualitatis.

Ex æternitate pœnæ non rectè probatur infinitas pœnæ.

89 At hinc obijciet aliquis: quodlibet peccatum mortale meretur pœnam infinite intensam, vt infinito tempore durantem: ergo est infinitum. Probatur antecedens: nam pœna infinite intensa quocumque tempore finito durans est infra dignitatem peccati, nam qualibet duratione illius assignata, posset Deus assignare maiorem quin excederet in puniendo; siquidem plus est puniri pœna vt qua-

quatuor per totam æternitatem, quam pœna, infinita per mille annos. V.g. ergo peccatum mortale de se dignum est pœna infinite intensa pro quocumque tempore finito maioti, & maiori sine termino: ergo habet proportionem cum illa pœna, vt durante per totam æternitatem.

Diluitur

90 Respondeo primo per instãtiam meriti habentis condignitatem ad visionem finitam æternam, quin habeat ad visionem infinitam. Dico ergo peccatum de se habere dignitatem, vt puniatur quacumque duratione determinata illius pœnæ infinite intensæ: quin inde liceat inferre habere condignitatem ad infinitam durationem illius pœnæ: quia est argumentum à minori ad infinite maius; quapropter si esset possibilis pœna infinite intensa, & per illam Deus vellet punire peccatorem necessario deberet punire citra condignum, & minus quam mereretur, quia non posset decernere illã intensionẽ pro tota æternitate, quia hoc esset crudeliter, & vltra condignum punire: sed deberet determinare durationẽ aliquam temporalem illius pœnæ, quælibet autem eiusmodi duratio pœnæ infinite intensæ non adæquat condignitatem peccati.

Alia obiectio id ipsum contendens ex eo quod peccatũ plus mereatur pœnæ, quã mereretur præmij act. charitatis infinite intensus.

91 Sed ad probandum assumptum obiectionis præcedentis sic insurges. Peccatum mortale plus meretur pœnæ, quam mereretur præmij actus charitatis infinite intensus, adhuc vt elicitus ab homine puro habente gratiam habitualem infinite intensam; siquidem peccatũ plus habet malitiæ, quam haberet bonitatis actus ille, adhuc vt dignificatus à gratia infinita, siquidem non foret condigna satisfactio pro mortali. At homo iustus per illum actum mereretur gloriam infinitã, quoad durationem, & intensionem: ergo peccator per mortale meretur pœnam infinitam, quoad intensionem, & durationem.

Enervatur.

92 In primis negari potest peccatũ mortale plus habere malitiæ, quam haberet bonitatis actus ille infinite intensus. Potestque dici illum actum fore condignam satisfactionem pro mortali, quod nõ est contra Patres, quia ille actus absolute est impossibilis. Secundo respondeo, quamvis homo per peccatum mortale non mereatur pœnam infinite intensam, adhuc maiorem pœnam mereri, quam mereretur præmium homo iustus per illum actum, quia mereretur impœnitentiam finalem, & tamen ille iustus nõ mereretur perseverantiam finalem, sed solum gloriam infinite intẽsam subconditione discessus in gratia. Plus est autem mereri absolute pœnam æternam finite intensam, quam conditionate gloriam æternam infinite intensam. Denique quamvis non supereset alia solutio, satius foret dicere opera iustorum non mereri gloriam, vt æternam, quam asserere peccatum mortale esse simpliciter infinitum in ratione offensæ.

Ex eo quod peccatũ mereretur primo vnionis hypostaticæ, nõ probatur esse infinitũ.

93 Vltimo obijcies: peccatum mortale meretur carentiam vnionis hypostaticæ debitæ ex promissione divina: ergo meretur pœnam infinitam. Respondeo primo privationem illius vnionis non esse pœnam infinitam, quia solum privat bono infinito, vt communicato finite. Secundo licet carentia vnionis illius dicatur esse infinita in ratione mali physici, non tamen in ratione pœnæ; nam privatio eo est maior in ratione pœnæ, quo privat bono magis debito, & necessario, vnio autem hypostatica, licet esset maximum bonum illius humanitatis, cui esset promissa, non tamen maxime debitum, & necessarium: vnde eius privatio non foret maxima pœna. Circa hoc argumentum legantur Card. de Lugo disp. 5. à n. 43. P. Aldrete disp. 4. sect. 1. n. 7. & sect. 2. n. 13.

DISPVTATIO III.

DE NATVRA PECCATI ORIGINALIS, VBI DEFENDITVR ANTIQVATA SENTENtia Div. Auguſtini conſtituentis peccatum originale in reatu.

Ad quæſtionem 82.

INTEGRA Tractatio peccati originalis plures poſtulabat diſputationes, nos in hac diſputatione dicemus dumtaxat, quæ ſufficiant ad penetrandam eius naturam, de qua agit D. Thomas quæſtione 82.

SECTIO PRIMA.

Quibuſdam præſuppoſitis, referuntur ſententiæ celebriores de conſtitutione peccati originalis.

Peccatū originale eſt vere, & propriè peccatū.

1 IN primis ſupponendū eſt, peccatum originale eſſe vere, & proprie peccatum: Id quod conſtat ex Tridentino Seſs. 5. Canone 5. illis verbis: Siquis aſſerat per gratiam quæ in baptiſmate confertur, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, anathema ſit. Eſt autem difficillimum explicatu, quid ſit illud, à quo parvuli tanquam à forma denominantur vere peccatores. Propter quod Auguſtin. libro 1. de Eccleſ. moribus, cap. 22. aiebat: Peccato antiquo nihil ad prædicandum notius nihil ad intelligendum ſecretius. Et ſermone 14. de verbis Apoſtol. ingenue fatetur, ſe multis in hac re difficultatibus ſatisfacere non poſſe. Ratio autem difficultatis ſumitur, ex eo quod omne peccatum morale proprie tale debet eſſe voluntarium: parvulis autem non videtur vllo modo eſſe voluntarium peccatum illud, cum quo concipiuntur; quia nullam libertatem tunc exercent, nec exercuerunt, quando Adamus peccavit: quomodo ergo eſt peccatum eorum quid illis voluntarium?

Ratio dubitandi in cōtrarium.

2 Omnes Theologi Catholici conveninnt, peccatum originale, quod per ſeminalem propagationem derivatur in parvulos, ſolum eſſe illis phyſice voluntarium in capite, ſeu in primo parente. Sed eſt diſſidium, an ſaltem moraliter dicatur ipſis voluntarium peccatum illud primi Parentis, quo ſibi, & poſteris amiſit gratiam originalem, ita vt interpretative illud commiſerint, quod peccatum dicitur originale originans; ſeu originale actuale; & hac ratione ſit ipſis voluntarium peccatum originale originatum, ſeu originale habituale, quod ex illo peccato primi parentis derivatur in ipſos, eoſque denominat peccatores, vt ex peccato actuali perſonali derivatur peccatum habituale, à quo quis denominatur peccator.

In quo conveniant, & in quo differant Auctores Catholici.

3 His ſuppoſitis, & omiſſis hæreticorum erroribus, & quibuſdam Catholicorum opinionibus iam abſoletis, communior ſententia Theologorum affirmat, peccatum originale, à quo poſteri Adami peccatores appellantur; eſſe privationem ſanctitatis, & iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe ipſis ex Dei voluntate, & pactione, qua primus parens pro illis iuſtitiam accepit. Nimirum Adamus gratiam, & iuſtitiam accepit ea lege, & pacto, vt ſi obſervaret præceptum non comedendi de ligno ſcientiæ boni, & mali, eam ſibi conſervaret, & derivaret in poſteros, quaſi iure hæreditario: ſin minus eam ſibi, & poſteris amittere. Quia ergo parvuli concipiuntur denudati iuſtitia, & ſanctitate originali, quam haberent, ſi Adamus obſervaret præceptum, & quam debuerunt habere, quatenus ille obſervando præceptum debuit eam in ipſos transfundere, ideo dicuntur concipi in peccato. Ita D. Anſelm. lib. de conceptu Virg. & peccato originali, c. 3. inquiens:

Prima ſententia conſtituēs peccatū originale in priuatione gratiæ

Pec-

Peccatum originale non est aliud, quam absentia iustitiæ debitæ. Div. Thom. 1. 2. quæst. 82. & Thomistæ communiter, Pater Vazquez 1. 2. disputation. 132. cap. 9. Bellarmin. lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 17. Eximius Doctor 1. 2. disput. 9. de peccatis, sect. 2. Valentia, & alij apud Salas tract. 13. disput. 11. sectione n. 33. & 35.

Secunda sententia cõstituẽs illud in peccato Adami moraliter manente in posteris.

4 Secunda, celebrisque sententia affirmat, peccatum originale nihil aliud esse, quam ipsam Adami in obedientiam, qua ipse primum, deinde eius posteri peccatores constituti sunt. Ita Albertus Pigius controversia 1. & Ambrosius Catherinus opusculo de peccato originali, cap. 8. In hanc sententiam acriter invehitur Pater Vazquez ea disputation. 132. cap. 2. asserens ipsam coincidere cum sententia Pelagij, & damnatam esse in Tridentino: & Bellarminus vbi supra eam appellans errorem: à qua tamen nota illam liberavit Sotus libro 1. de natura, & gratia, cap. 9. & Pater Salmeron non solum hoc etiam præstitit, sed etiam magna probabilitate donavit disputatione 46. in caput 5. epistolæ ad Romanos, vbi acriter pungit eos, qui eam Pelagianismi accusant: Pelagiani enim (inquit ille) dicebant, peccatum originale ita fuisse Adæ, vt solum fuerit personale ipsius, & non nostrum; & idcirco nihil nobis nocuisse, nisi nos similiter peccando parentes nostros imitetur, ac proinde non propagatione transfundi, sed exemplo, quod est tandem negare peccatum originale. At hæc sententia asserit, peccatum ipsum actuale Adami in nobis esse originale, nosque vere reddere peccatores, ideoque dici peccatum mundi, & vitium naturæ, quia egressum Adami personam factum est commune omnium, totamque læsit naturam.

Vindicatur à censura.

Graves Theologi defendunt hãc sententiã rectè explicatã.

5 Et hanc sententiam rectè explicatã sequuntur hac tempestate gravissimi Theologi asserentes, formã illã à qua parvuli denominantur peccatores originaliter, esse ipsam trangressionem Adami, quatenus moraliter perseverantem in ordine ad filios, licet iam non perseveret in ordine ad ipsum Adamum, cui post pœnitentiam Deus dimisit illud peccatũ, quatenus ipsum denominabat peccatorem, & noluit dimittere, quatenus moraliter fuit peccatum posterorum, nisi parvulis applicaretur propter merita Christi medium baptismi. Ita Cardinalis de Lugo disputatione 7. de pœnitent. num. 98. Pater Arriaga 1. 2. disputatione 51. sectione 4. Pater Requesenius disput. 25. num. 23. Pater Aldrete in manuscriptis, & alij non pauci: qui Auctores eodem modo discurrunt de peccato originali originato, seu habituali, ac de peccato personali. Vnde sicut in ipsorum sententia habituale personale nihil aliud est, quam peccatum præteritum moraliter perseverans, & habitualiter manens, sive ratione non condonationis extrinsecæ, sive ratione privationis gratiæ; ita peccatum originale nihil aliud est, quam peccatum actuale Adami, & posterorum in ipso, quatenus moraliter perseverans ratione privationis gratiæ, quæ cuilibet parvulo inest.

6 Eandem sententiam tenet gravissimus Theologus Alphonsus Curiel 1. 2. quæst. 82. articulo 3. dubio 2. nam ibi §. 3. probat, peccatum originale non esse privationem gratiæ, nec privationem iustitiæ originalis adhuc, vt inductam ex peccato præterito; & postea §. 4. asserit; esse formaliter privationem conformitatis ad legem, quam transgressus est Adam, vt caput nostrum, non quidem vt est actualis transgressio, sed vt est terminus resultans ex Adami transgressione. Quod perinde est, ac si diceret, consistere in ipsa malitia formali peccati commissionis primi parentis, quod moraliter etiam fuit nostrum, quatenus illa moraliter perseverat. Malitia namque peccati commissionis iuxta ipsum consistit in privatione illius conformitatis, & remanet moraliter, dum Deus non infundit gratiam iustificantem. Idem docet Zumel ibi quæst. 82. art. 3. disp. 2. conclus. 5. & 6.

Tertia sententia Augustini. constituentis peccatũ originale in reatu.

7 Tertia sententia est D. Augustini asserentis apud Patrem Vazquez ea disputatione 132. capite 3. peccatum originale pro formali nihil aliud esse, quam reatum æternæ damnationis, quã parvuli contrahunt ex peccato primi parentis. Quam sententiam postea explicabimus, & defendemus, licet à Theologis communiter deseratur.

8 Ego in primis censeo hanc tertiam sententiam reipsa non distingui à secunda. Deinde iudico, alterum è duobus necessario dandum esse,

nempe, vel formam, à qua parvulus denominatur peccator, esse ipsum peccatū Adami moraliter nostrum, quatenus moraliter perseverans; vel esse privationem gratiæ existentem in parvulis in pœnam peccati, quod in Adam commiserunt. Nam vel ipsum peccatum actuale præteritum debet esse forma, à qua quis denominatur habitualiter peccator; vel aliquis terminus, seu effectus ex illo relictus in homine, qui peccavit: hic autē effectus nequit, esse alius, quam privatio iustitiæ, & sanctitatis habitualis. Nam terminus relictus ex peccato actuali, vt sit forma, à qua quis denominetur peccator habitualiter, debet esse aliquis effectus essentialiter incompossibilis cum eo, quod quis in sensu composito eius recuperet amicitiam deperditam per peccatum, seu essentialiter incompossibilis cum eo, quod quis reddatur denuo amicus Dei: iste autem effectus nequit, esse alius, quam privatio gratiæ: nam hæc pugnat cum statu amicitiæ, & est effectus relictus ex peccato actuali Adami: ideo enim parvuli concipiuntur privati gratia, quia Adam peccavit, & ipsi in eo peccaverunt: nam si Adamus non peccasset, simul cum esse naturali acciperent esse supernaturale gratiæ. Præter istam autem privationem gratiæ, & sanctitatis reliqui omnes effectus relicti in nobis ex peccato primi parentis sunt compossibilis cum statu amicitiæ, nempe fomes peccati, seu concupiscentiæ, rebellio appetitus sensitivi contra rationem, debitum mortis corporalis, & similes; nā isti omnes manent in renatis per baptismum, ac proinde coniunguntur cum statu iustificationis, & amicitiæ. Ante quam autem decernamus, quid dicendum sit, prius explicare oportet, an & quomodo peccatum originale sit volūtarium parvulis, & quid sit, eos in Adamo peccasse.

Nostrū iudiciū in hac controversia.

SECTIO SECVNDA.

An, & quomodo peccatum originale sit voluntarium parvulis, & quid sit illos in Adamo peccasse?

9 PECCATVM originale, cum quo parvuli concipiuntur, non fuisse voluntarium ipsis, sed soli Adamo affirmat P. Ferdinandus de Salazar in egregio opere de conceptione, cap. 1. à n. 34. & P. Vazquez 1. 2. disp. 131. n. 8. vbi docet, peccatū personæ, quod in operatione consistit, postulare voluntarium personæ operantis: peccatū vero originale, quod in defectu naturæ positum est, secundum, solum postulare voluntariū aliena voluntate: & n. 9. vbi ait: parvulos quidem habere vere, & propriè peccatum, sed non peccasse: quia peccare denotat defectum in operatione personæ; at habere peccatū, de defectu naturæ secundū esse etiā dicitur. Pueri igitur in se ipsis iuxta hunc Auctorē nō dicuntur peccasse, cum tamen in se ipsis dicantur peccatum habere: dicuntur tamē in Adam peccasse, quia peccatū primi parentis ipsis etiam nocuit, quatenus in illo iustitiam, vt in capite habebant.

Prima sententia affirmās esse solū voluntarium capiti.

10 Quod disp. 130. num. 1. amplius explicat, inquiens: peccatum originale appellamus defectum aliquem non operationis, sed naturæ, quo ita male se habet, vt eo sit digna aliqua pœna, ita quod non sit defectus ille malum pœnæ, sed potius malum morale, quod est dignum aliqua pœna. Dicitur autem originale, non quia sit origo aliorum peccatorū, sed quia in generatione, seu origine ipsa contrahitur, vel quia ab origine, hoc est à primo parente derivatur. Dum autem dicit, illum defectum non esse pœnam, intelligit, non esse pœnam alicuius peccati ipsorum parvulorum, vt ipse explicat disp. 132. n. 41. quia in ipsis parvulis nihil potest esse prius, quo reddantur digni privatione gratiæ, quæ privatio est defectus ille, in quo consistit peccatum originale, est tamen ille defectus pœnæ peccati primi parentis, nam propter illud parvuli denudantur iustitia, & sanctitate originali cū qua conciperentur, si Adam non peccasset.

11 In hanc sententiam acriter invehuntur Ægidius à præsentatione in opere de conceptione lib. 2. quæst. 1. art. 3. & Pater Arriaga 1. 2. disputatione 51. sectione 2. Præcipua ratio est: quia implicat, aliquem vere dici peccatorem per maculam alicuius peccati, quod ipse nūquam commisit: macula enim habitualis relinquitur ex peccato actuali; ex peccato autē à me nullatenus cōmisso, mihique nullo modo voluntario nequit in me relinqui macula habitualis: hæc enim nō est voluntaria in se, sed in causa, & denominative à peccato actuali: si ergo hoc nullo pacto fuit mihi volūtariū ex illo in me nō potuit derivari macula habitualis, quæ me vere peccatorem reddat, & Dei ini-

In illam acriter invehitur Ægidius, & alij.

inimicum, vt ergo parvuli denominentur maculati moraliter, & peccatores per maculã in illis relictã ex peccato actuali Adami, opus est, vt istud eis fuerit aliquo pacto voluntarium.

Cæterũ eius impugnatio enervatur ex P. Vazq.

12 Hanc obiectionem præoccupavit Pater Vazquez dum docuit, maculam quidem habitualem personalem debere esse volũtariã subiecto, quod per illam inficitur, & solum posse resultare ex peccato actuali commisso ab ipso; aliam tamẽ esse rationem de macula originali, nam ista non est peccatum personæ, sed naturæ, quia est defectus non in operatione, quæ personæ tribuitur, sed in esse, quod naturæ convenit: ad peccatum autẽm naturæ satis est, quod sit voluntarium capiti totius naturæ, seu primo principio, & supremo illius Principi, atque origini. Quare respondebitur, privationem iustitiæ originalis in parvulis esse peccatum per hoc præcisè, quod Adamus, tanquam primus fons, & origo totius naturæ humanæ acceperit iustitiam originalem non solum pro se, sed pro filijs suis eam in ipsos derivaturus, quasi iure hæreditario simul cum esse naturali, si observaret præceptum sibi impositum, & derivaturus iniustitiam, & privationem sanctitatis, si præceptũ violaret. Quæ solutio colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 82 articul. 1. ad 2. vbi „ sic ait: Actuale peccatum est in ordina„ tio quædam actus; originale verò cum „ sit peccatum naturæ, est quædam in „ ordinata dispositio ipsius naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantum derivatur ex primo parente.

23 Quare, vt inquit Pater Vazquez disp. 132. num 45. peccatum non tantum dicitur de operatione, sed etiam de effectu extra illam, quamvis peccare solũ de operatione dicatur: nam & monstra in naturalibus peccata naturæ dicũtur. Hinc defectus ille iustitiæ originalis est peccatum morale parvuli, quia est defectus gratiæ, & sanctitatis, atque amicitiæ, quamquisq; debebat habere, quatenus eius primus parens pro illo iustitiã accepit, & debuit illam in eum derivare. Vnde qui cum illo defectu nascitur, nascitur inimicus, & offensus Deo, nõ quia male fecerit, sed quia natus est sine sua iustitia, cum qua nasci debebat.

Illa tamẽ sententia

14 Sed tamen negari nó potest, hanc doctrinam valde extenuare rationẽ peccati originalis; quia si defectus ille iustitiæ originalis, nec physice, nec moraliter est voluntarius ipsis parvulis, non videtur, quo pacto possit proprie dici ipsorum peccatum; cum ratio peccati moralis vt sic, & prout distincta à peccato pure physico, essentialiter involvat voluntarium: voluntarium enim hoc debet esse respective ad subiectum, quod inficitur peccato. Nec refert, quod peccatum originale dicatur peccatũ naturæ, ideo enim tale dicitur, quia totam naturã inficit, & simul cũ esse naturali communicatur. Id autem non probat, non debere esse volũtarium singulis individuis naturæ, quæ illo inficiuntur, voluntarium, inquam, sin minus physice, saltẽ moraliter, & interpretative. Vnde parvuli non ideo solũ dici debent, peccavisse in Adamo, quia peccatum Adami illis nocuit: peccatum enim alterius mihi nocere, non sufficit, vt ego dicar peccare in alio: sed quia moraliter ipsi cum Adamo transgressi sunt præceptũ, habueruntque moraliter obligationem illud observandi.

valdè extenuat rationẽ culpæ originalis.

15 Secunda ergo sententia, & communior inter Theologos, affirmat, peccatum originale esse moraliter, & interpretative voluntariũ parvulis: eosque moraliter peccavisse, quando Adã peccavit, ita vt actio illa Adami physicè quidem ipsi solũ fuerit voluntaria, moraliter verò omnibus parvulis. Ita P. Suarez disp. 9. de peccatis, sect. 2. n. 28. & lib. 3. de opere sex dierum cap. 21. n. 19. Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 10. & lib. 5. cap. 18. Curiel 1. 2. quæstione 81. art. 1. dubio 2. §. 6. Ægidius lib. 2. de conceptione 1. quæstione 1. articul. 6. & frequenter Recentiores Theologi.

Secunda

16 Probatur autem clarissimis Patrum testimonijs. Augustinus namque lib. 3. de peccatorum meritis, & remissione cap. 7. ad finem eam plane docet his „ verbis: Nec illud liquidè dici potest, „ quod peccatũ Adę etiam nõ peccãnti„ bus nocuit, cũ scriptura dicat, in quo „ omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur „ ista aliena peccata, tanquã omnino ad „ parvulos non pertineant, siquidem in „ Adam omnes tunc peccaverunt, quan„ do eius natura illa insita, in qua om„ nes gignere poterat, adhuc omnes ille „ vnus fuerunt. Alia plura loca reperies apud Bellarminum locis nuper citatis: ex quibus constat, voluntates parvulorum moraliter fuisse identificatas cum voluntate primi parentis in ordine ad observandum, vel violandum præ-

Probatur auctoritate Patrum.

ceptum illud non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali. Vnde idem Augustinus in Psalmum 118. concion. 25. docet: Parvulos contineri inter prævaricantes, de quibus ait David, prevaricantes reputari omnes peccatores terræ, quia legè in paradyso cum primo patre transgressi sunt. Idem docet Basilius homilia de ieiunio: Omnes cecidimus, quia omnes in primo parente non ieiunavimus. Et Fulgentius lib. de Incarnat. Omnes testamentũ Dei transgressi fuimus, transgrediẽte primo parente. Denique Bernardus serm. 1. in Dominicam 1. post octavam Epiphaniæ: Nostra est Adami culpa, quia etsi in alio nos tamẽ peccavimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto, in obediẽtia Adami.

Explicatur transfusio voluntatũ.

17 Qua autem ratione potuerit peccatum Adami esse voluntarium parvulis, qui non dum erant, quando Adamus peccavit, explicat optime P. Suarez disp. 9. de peccatis, sect. 2. n. 28. Nam si quisque nostrum voluntatẽ suam ita in voluntatẽ alterius transferret, vt quod ille vellet, id se velle profiteretur, iam posset dici voluntate alterius velle, quod ille vult, ad hunc ergo modum intelligendum est, Deum vt supremum dominum omnium filiorum Adæ transtulisse voluntates eorum in voluntatem primi parentis in ordine ad illud præceptũ, cuius observationi alligari voluit Deus fortunam Adami, & posterorum; vt nimirum Adamo illud observante, posteri quoque illud cẽ serentur, observare, & media hac observatione mereri iustitiã originalem commissam Adamo pro se, & pro ipsis, ipso vero violante tale præceptum, mererentur, concipi sine iustitia, & sanctitate; & quemadmodum si omne genus humanũ tunc cum plena libertate existeret, quando Deus pactum inivit cum Adamo, possent omnes, vices suas illi cõmittere prudenter, vtpote viro sapientissimo, & eximie Sancto, vt ipse nomine omnium ageret, ita Deus potuit consensum istũ filiorum Adæ supplere volendo, vt electio Adami haberetur pro electione propria posterorũ ad transmissionem, vel iacturã iustitiæ originalis; non solũ quia supremus dominus, & gubernator, sed etiam quia totum illud pactum erat in nostrum cõmodũ; propterea enim præstitit Adamo gratiam, auxilia, & dona, omnesque interiores inimicos abstulit, & vnũ tantum, atque leviss imum præceptum imposuit, vt esset magis idoneus ad obediendum, atque adeò ad conservandam nobis iustitiam, quam ad peccandum.

Declaratur exemplis.

18 Id etiam potest exemplis declarari: nam si Respublica valet ita transferre voluntatem pupilli in tutoris voluntatem, vt contractum, quem facit, vel rescindit tutor, censeatur pupillus facere, vel rescindere: cur Deus qui supremus dominus est nostrarum voluntatum, non poterit in nostrum commodum, & vtilitatem transferre nostras voluntates in voluntatem Adami, vt per electionem illius, quam prompte, & facile poterat habere, consequeremur bonum gratiæ originalis nostræ naturæ indebitum, expositi illud amittere, si Adamus præceptum violaret? Hæc enim transfusio magnam spem afferebat posterioritati ingentis lucri: & licet illos exponeret periculo peccandi originaliter, quia tamen per hoc peccatum non erant amissuri bonum aliquid naturæ absolutè debitum, nec promerituri pœnam sensus, sed solum erant amissuri bonum illud supernaturale gratiæ originalis, & promerituri pœnam damni consistentem in privatione beatitudinis supernaturalis, optime potuit Deus velle, vt electio Adami reputaretur electio posterorum in ordine ad lucrandam iustitiam originalem, vel illam amittendam, licet non posset reputari in ordine ad pœnam sensus, quam Adamus peccando sibi ipsi promeruit.

19 Est tamen discrimen inter vnam, & aliam transfusionem: nam cum cum Princeps, vel Respublica non habeat dominium supra actiones internas, sed solum supra bona externa subditorum, solum poterunt transferre voluntatem pupilli in voluntatem tutoris in ordine ad aliquas actiones externas ordinatas ad rectam administrationem bonorum. Deus vero cum sit supremus omnium dominus poterit transferre voluntatem posterorum in voluntatem primi parentis quoad actionem liberam, & bona interna. Rursus Princeps, vel Respublica solum potest facere illam transfusionem quo ad bonum temporale solius pupilli, non tamen in ordine ad esse morale, vel spirituale, in quod nullum habet ius: vnde si tutor iniuste contrahit, & peccat, non propterea pupillus iniuste con-

contrahere; aut peccare censebitur coram Deo: Deus vero pro suo supremo dominio potuit voluntates posterorum in Adamum transferre in ordine ad rectã, vel pravam operationem, qua conservaretur, vel amitteretur.

Cur peccante Adamo dicantur posteri peccasse in ipso.

20 Propter hanc ergo transfusionem voluntatum factum est, vt peccante Adamo, posteri in ipso, & per illius electionem moraliter peccarent: quia in ordine ad amittendam iustitiam, & sanctitatem sibi promissam sub conditione, quod Adam observaret præceptum per inde se habuerunt, ac si in propria persona, & per propriam actum violarent illud præceptum nõ comedendo de ligno vetito, licet non se habuerint per inde in ordine ad promerendam pœnam sensus: & hoc est, posteros peccasse in Adamo, nempe moraliter violasse præceptum. Vnde non ideo præcisè peccaverunt in Adamo, quia istius peccatum ipsis nocuit, vt volebat Pater Vazquez, sed quia ob illam transfusionem voluntatum inobedientia Adami fuit moraliter inobedientia posterorum illos reddens actu peccantes, sed in alio, id est per electionem physice elicitam ab alio.

SECTIO III.

An; & quale pactum Deus iniverit cum Adamo?

Quomodo pactũ hoc explicetur à Doctoribus.

21 SED restat videre, an Deus verum pactum iniverit cum Adamo. Docent communiter Doctores, Deum in prima hominis creatione, ita cum Adamo pepegisse: „ Si hanc, quam præcipio legem, fideli„ ter custodieris, iustitiam, & gratiam „ meam, & tibi, & omnibus tuis po„ steris conservabis, si vero pactum „ meum irritum feceris, tibi & illis eam amittes. Potest autem hoc pactum bifariam institui. Primo stricte, ita vt Deus expectaverit consensum Adami ad hoc, vt ei imponeret obligationem conservandi iustitiam originalem pro se, & pro posteris. Secundo: ita vt nullo expectato consensu Adami eam illi obligationem imposuerit. Sotus libro 1. de natura & gratia, cap. 10. pactum istud fabulosum appellat: Nam quid Deus (inquit) opus habebat Adæ consensu? nam citra eius consensum potuit obligare totam naturam tanquam eius dominus iure creationis. At Pater Salmeron in caput 5. epistolæ ad Romanos, disputatione 45. in fine defendit, verum, & rigorosum pactum de facto intercessisse inter Deum, & Adamum, idque probat variis locis Scripturæ. Pater Suarez lib. 3. de opere sex dierum, cap. 21. contendit, vtramque sententiam in aliquo sensu veram esse.

Prima nostra conclusio.

22 Ego in primis censeo, vt Adamus obligaretur ad observandum præceptum, non tantum, vt persona particularis, sed etiam vt persona publica, & vt operaretur nomine posterorum, ita vt isti moraliter censerentur observare præceptum, illo observante, & transgredi, illo transgrediente, necessariam fuisse pactionem illam, id est ordinationem, qua Deus se obligaret ad transfundendam iustitiam originalem in parvulos subconditione, quod Adam observaret præceptum: nam sine hac promissione minime stat, Adamum esse caput morale posterorum ad influendum in illos sanctitatem originalem; nec stat, parvulos contrahere maculam originalẽ, dum concipiuntur sine iustitia, & sanctitate: quia iustitia originalis non potuit esse debita ipsis, nisi ratione illius promissionis.

Secunda.

23 Insuper assero præter hoc necessariam fuisse peculiarem Dei voluntatem alligantem voluntates posterorum voluntati Adami: Nam sine hac transfusione voluntatum non potuit Adamus agere omnium nomine, ita vt illo observante præceptum, vel violante, ipsi quoque censerentur observare, vel violare. Nam sicut Deus statuit devastare Syriam 4. Regum 13. subconditione, quod Ioas Rex septies percussisset terram, etiam potuit assumere obedientiam Adami, vt personæ particularis, tanquam conditionem ad derivandam iustitiam originalem in omnes posteros. Vt ergo Adamus observaret præceptum, vt persona publica, & nomine totius naturæ, opus fuit illa speciali voluntate.

Tertia.

24 Deinde censeo, vt Deus obligaret Adamum, tanquam personam publicam, non debuisse expectare, vt Adamus nomine posterorum in impositionem illius obligationis consentiret. Nam voluntas Divina se sola non expectato Adami consensu, ipsum, & in eo totam naturam obligare potuit. Nec video fundamentum sufficiens ad

asserendum de facto expectasse. Quare licet illud pactum fuerit conditionatum in ordine ad obligandum Deum ad transfererendam iustitiam in posteros Adæ, quia expectabat istius obedientiam; non tamen in ordine ad obligandum Adamum, & in eo totam naturam. Quare nomine pacti initi à Deo cum Adamo nihil aliud mihi videtur significari, quam illam ordinationem, quam Athanasius libro de Incarnatione Verbi de primis parentibus loquens expressit his verbis: *Introduxit eos in paradysum, & tunc præscripsit, vt si gratiam illi conservarent, probique manerent, fruerentur in paradyso hilarissima vita præter id, quod ipsis in cœlo immortaliter destinatum erat, sin autem prævaricationem facerent, cognoscerent, se morituros.*

Dubium incidens resolvitur.

25 Sed dubium restat, an vt Adam peccaret tanquam persona publica, & vt gerens personam posterorum debuerit habere notitiam illius voluntatis specialis Dei, qua voluntates posterorum in ipsum translatæ sunt? Respondeo affirmative cum Curiel quæst. 81. articul. 1. dub. 2. §. 6. quia alias transgressio præcepti non esset voluntaria ipsi, vt capiti; quia circunstantia omnino ignorata nequit esse voluntaria: vnde non potuit transgredi præceptum illud vt caput, nisi cognosceret sibi vt capiti impositum. Verum quidem est, Deum potuisse apud se statuere derivare gratiam in posteros sub conditione obedientiæ Adami, & hoc decretum ei non manifestare: cæterũ in hoc eventu quamvis suo peccato noceret parvulis, isti tamen non peccarent, peccante Adamo.

SECTIO IV.

Nostrum iudicium de sententia constituente peccatum originale per privationem gratiæ.

Cõmune argumentum contra illũ sententiam.

26 SOLET hæc sententia impugnari hoc argumento: Deus amat privationem iustitiæ originalis, cum qua nascuntur parvuli, cum illa sit pœna peccati primi parentis & Deus pœnam amet. At Deus non amat peccatum: ergo illa privatio non est peccatum. Curiel, Cardinalis de de Lugo, & alij satis impugnant solutionem, quam Pater Vazquez ea disputatione 132. n. 41. huic argumento adhibuit; estque communis inter defensores illius sententiæ. Quod ego etiam facile præstarem, ni brevitati consulerem.

Infringitur, & aperitur via ad defendẽ sententiã illam.

27 Alia tamen potest adhiberi solutio illi argumento, quæ non adeò facile impugnari possit, quam hic proponam in gratiam sententiæ communis. Pro qua suppono, nomen peccati bifariã sumi: primo pro actione cum lege pugnanti, à qua quis denominatur actu peccans. Secundo pro termino relicto ex hac actione, & à quo quis denominatur peccator, qui terminus appellatur peccatum habituale. Quo supposito, dici valet ad argumentum, peccatum actuale nullo modo posse terminare volitionem divinam prosecutivam, nec antecedentem, nec consequentem; cum sit essentialiter contra legem, & voluntatem divinam. At peccatum habituale posse terminare volitionem divinam consequentem, estò nõ possit terminare antecedentem.

28 Quod nequeat terminare antecedentem, patet; quia cum Deus habeat voluntatem efficacem conservandi gratiam in homine elevato ad finem supernaturalem subconditione, quod ille non peccet graviter, & aliunde absolutè velit, quantum est ex se, ne peccet: absolute quantum est ex se vult, vt homo ille nunquam privetur gratia, ac proinde vult, quantum est ex se, & antecedenter, ne detur peccatum habituale. Quod autem istud possit terminare volitionem divinam consequentem, nimirum conceptam intuitu suppositionis, quam Deus ex se odio habet; suadetur: quia quamvis absolute malum sit, quod homo existat in statu peccati, & sit habitualiter peccator, tamen quod hoc habeat ex suppositione, quod peccaverit actualiter, malum non est; quia potest contingere citra vllum exercitium humanæ libertatis, & pro solius Dei nutu nolentis remittere iniuriam semel sibi irrogatam: ergo non est absurdum, quod ex suppositione peccati actualis Deus amet peccatum habituale; & consequenter non est absurdũ, quod illud constituatur in privatione gratiæ, quam Deus amat ex suppositione peccati actualis, & antecedenter odio habet.

Confirmatur nostra explicatione sententia communis.

29 Et confirmatur: quia sicut in sententia opposita asserente, peccatum habituale cõsistere in actu præterito moraliter perseverante, non est absurdum, quod ex suppositione, quod existat actus peccati, Deus velit, vt perseveret moraliter, & vt denominet hominem peccatorem

rem habitualiter, amando eius habitualitatem, & vnionem moralem cum anima necessariam, vt eam denominet peccatricem: ita non videtur absurdū, quod ex suppositione peccati actualis Deus amet ipsam formam, à qua quis denominatur peccator habitualiter, nempe privationem gratiæ. Nam si semel denominatio peccatoris habitualiter potest amari à Deo, ex suppositione, quod iam existat actus peccati: cur etiam non poterit dici impune, peccatum ipsum habituale in recto cōsistere in aliquo termino amabili, & amato à Deo ex suppositione peccati actualis, antecedenter tamen odio habito, nempe in privatione gratiæ.

30 Quod possumus hac paritate explicare: licet Deus simpliciter odio habeat actionem externam malam, eamque prohibeat, v.g. actionem externam homicidij, vel furti; nihilominus ex suppositione, quod existat actus internus efficaciter illam imperans, Deus vult, vt ad talem actum sequatur ea actio externa, & hanc amat ex tali suppositione, nimirum quia non addit novam malitiam impedibilem à voluntate creata, supposito actu efficaci imperanti. Ergo pariter, quia iam suppositā existentia peccati actualis Adami nō est in potestate alicuius agentis creati impedire resultantiā peccati originalis habitualis in posteris, optime ex hac suppositione poterit Deus velle existentiam peccati originalis, licet illam simpliciter, & absolute detestetur antecedenter.

Explicatur paritate.

31 Vnde Authores sententiæ cōmunis dicere poterunt cum Bellarmino, lib. 5. de amissione gratiæ cap. 17. in fine; si peccatum pro actione cum lege pugnanti accipiatur, peccatum originale esse ipsam Adami in obedientiam ab eo commissam, vt persona publica, & gerente personam totius generis humani; si vero peccatum accipiatur pro ea forma, à qua trasacto actu peccati homo denominatur peccator, peccatum originale esse privationem sanctitatis originalis, cum qua posteri nascerentur, si Adamus non peccasset.

32 Sed quamquam hoc pacto melius defendatur illa sententia, quam defenditur communiter ab aduersarijs: absolute tamen contra illam, præsertim vt defenditur à Patre Vazquez, sic argumentor: primo; æternæ beatitudinis privatio, quam patiuntur parvuli existentes in Limbo, est pœna peccati originalis, à quo ipsi denominantur peccatores, vt supponunt aduersarij: sed non est pœna privationis gratiæ, sed illius inobedientiæ, quam in Adamo commisserunt: ergo non privatio gratiæ, sed illa inobedientia moraliter perseverans est peccatum originale. Probatur minor contra Patrem Vazquez, qui oppositum defendit disputatione 132. num. 38. Nam Deus Adamo trasgredienti præceptum non solum comminatus est privationem iustitiæ, & sanctitatis pro se, & pro filijs, sed etiam privationē supernaturalis beatitudinis: ergo non solum privatio gratiæ, & sanctitatis incursa à parvulis, sed privatio beatitudinis supernaturalis est pœna peccati actualis, quod commiserunt in Adamo. Et confirmatur: nam ita æterna privatio beatitudinis, quam subeunt parvuli, comparatur ad privationem gratiæ cum qua decedunt; ac pœna inferni inflicta adultis comparatur ad privationem gratiæ, in qua finiunt vitam: sed pœna inferni non est in adultis pœna privationis gratiæ, sed pœna peccatorum actualium, quibus infernum promeriti sunt: ergo, &c. Probatur minor: nam cum primum homo peccat mortaliter, potest Deus eodem indivisibili decreto efficaciter decernere privationem gratiæ, & pœnam inferni: non posset autē, si pœna inferni esset pœna privationis gratiæ; quia Deus nequit absolute præfinire pœnam, ante quam prævideat culpam: ergo quia pœna inferni correspondet culpæ actuali, per quam non solum quis meretur denudari gratia, sed in æternum puniri. Probatur etiam authoritate Innocentij Tertij in cap. *Maior. ac Baptismo, vbi ait, eum, qui ab hac vita discedit sine remissione peccati mortalis quod commisit, esse cruciādum in gehnna ignis propter reatum criminis actualis.*

Impugnatur tamen validè illa sententia, vt defenditur à P. Vazquez.

Primò.

33 Argumentor secundò: nam peccatum habituale non est distinctum peccatum ab actuali, nec supra illud addit novam malitiam: tum quia quod ex suppositione peccati actualis resultet peccatum habituale, non est malum morale, cum id positive velit Deus: foret autem malum morale illa resultantia, si peccatum habituale adderet malitiam supra actuale: ergo non addit: tum quia in inferno non correspondet peccato habituali pœna distincta ab illa, quæ correspondet actuali: omnem enim pœnam, quam in inferno patitur damnatus, promeruit illo instanti, vel tempore, quo exer-

Secūdò.

exercuit libertatem contra legem Dei: ergo peccatū habituale est ipsum actuale physice quidem trāsactum, moraliter tamen perseverans: ac proinde eadem actio, quæ dum physice existebat, denominabat hominem peccantem, iam physice præterita denominat peccatorem, dum non remittitur: ergo parvuli denominantur peccatores à peccato actuali, quod commiserunt in Adamo.

34 Argumentor tertio: nam si ipsa privatio gratiæ foret malū morale, & peccatum, in ratione talis deberet cōstitui per malitiam peccati actualis physice iam præteritam: nam privatio gratiæ eatenus potest esse mala, & displicens Deo, quatenus inducitur à culpa præterita. Si ergo à culpa præterita constituitur modo privatio gratiæ iuxta adversarios in ratione peccati, & mali moralis; cur similiter non poterit homo constitui nunc peccator, & simpliciter malus à culpa præterita moraliter perseveranti, dū non remittitur? Sanè ego ita censeo, nimirum non posse hominem denominari peccatorem, & malum à privatione gratiæ præsenti, quin denominetur etiam à culpa præterita moraliter perseveranti ratione talis privationis. Vnde quamvis dicerem privationem esse formam, à qua parvuli denominantur peccatores, simul etiam dicerem, denominari peccatores à peccato actuali, quod commiserunt in Adamo, dum eis non remittitur.

Tertiò.

35 Pater Vazquez ea disputatione 132. num. 44. loquendo de peccato habituali personali censet homines denominari peccatores habitualiter, tum à privatione gratiæ, tum ab actu malo iam præterito. At loquendo de peccato habituali originali existimat, parvulos solum posse denominari peccatores à privatione gratiæ: quia nullus, inquit, alieno peccato potest esse, aut dici peccator, sicut nec ab aliena iustitia iustus. Sed contra, quia si semel privatio gratiæ in parvulo existens potest constitui in ratione peccati, & mali moralis per malitiam actus Adami; cur nō poterit ipse parvul⁹ constitui peccator per eiusmodi malitiā? De iustitia habituali alia est ratio; quia in ordine ad hanc non datur transfusio moralis, sicut in ordine ad operantionem liberam.

Enervatur fundamentum Patris Vazquez.

36 Denique argumentor, quia si privatio gratiæ esset verè peccatum, & culpa, etiam ipsa privatio gloriæ esset in parvulis peccatum, & culpa. At hoc secundum est absurdum: ergo & illud primum. Probatur minor: quia essentiale est culpæ reddere subiectum dignum pœna: parvulus autem per privationem gloriæ non redditur dignus vlla pœna: tum quia privatio illa est vltima pœna, quā patitur propter peccatum originale: tum quia: vt inquit Pater Vazquez vbi supra num. 87. *vna pœna non facit dignum alia pœna.* Iam probatur sequela maioris: nā si ab adversarijs quæramus, quo pacto privatio gratiæ posit verè, & propriè participare rationem communem peccati, quæ reperitur in peccato actuali, & in habituali; P. Vazquez ad finem illius disputationis 132. respondet, ideo participare quia *ratio*, inquit, *peccati abstractè considerata consistit in inconvenientia cū natura rationali. Hæc autem ratio absolutè, & simpliciter convenit privationi gratiæ debitæ, sicut privationi actus debiti, quæ est peccatum omissionis, quamvis non sint eiusdem rationis secundum speciem.* Tum sic: at non minus privatio gloriæ debitæ est inconvenientia naturæ rationalis, quam privatio gratiæ; ergo non minus erit peccatum, quam illa. Cum ergo privatio gloriæ sit pœna, & non culpa, idem dicendum erit de privatione gratiæ.

Si privatio gratiæ esset culpa, etiam privatio gloriæ hoc haberet.

SECTIO QVINTA.

Exponitur sententia Augustini constituentis peccatum originale in reatu.

37 SANCTVS Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 28. & lib. 6. cōtra Iulianum cap. 8. affirmat, concupiscentiam esse peccatum originale, non secundum se, sed ratione reatus; atque adeo istum esse rationem formalem peccati originalis; concupiscentiam verò dumtaxat materialem; vtpotè quæ remanet in renatis postquam eis dimissum est simpliciter, & absolute peccatum originale. Quare in sententia D. Augustini tolli peccatum originale per baptismum, nihil aliud est, quā tolli reatum æternæ damnationis, id est pœnę damni, quam parvuli subeunt, ex eo, quod in Adamo peccaverint. Vt enim vidimus sect. 2. peccatum ipsum Adami iuxta Augustinum fuit moraliter posterorum, non solum, quia ipsis nocuit, sed quia moraliter, & interpretative ab eis fuit commissum; vt autem explicet naturam huius reatus, vtitur exemplo eius, qui personaliter pec-

Quā ratione cōcupiscentia sit peccatum iuxta Augustinum.

cavit,

cavit, & postquam actus peccati transivit dicitur adhuc manere in peccato, & esse peccator, donec per pœnitentiam ei culpa remittatur, eo quod manet cum reatu damnationis, qui tollitur per iustificationem.

38 „ Ipsum audiamus eo capite „ 26. In eis, inquit, qui regenerantur in „ Christo, cum remissionem accipiunt „ prorsus omnium peccatorum, vtique „ necesse est, vt reatus etiam huius ad„ hæc manentis concupiscentiæ remit„ tatur, vt in peccatum non imputetur. „ Nam sicut eorum peccatorum, quæ „ manere non possunt, quoniã cum fiunt, „ prætereunt, reatus tamen manet, & ni„ si remittatur, in æternum manebit, sic „ illius concupiscentiæ, quando remitti„ tur, reatus auferetur. Hoc enim est nõ „ habere peccatum, reum non esse pec„ cati. Nam si quisque, v.g. fecerit adul„ terium, etiam si nunquam deinceps „ faciat, reus est adulterij, donec reatus „ ipsius indulgentia remittatur. Habet „ ergo peccatum, quamvis illud, quod „ admisit, iam non sit, quia cum tem„ pore, quod factum est, præterijt: nam „ si à peccando desistero, hoc esset, non „ habere peccatum, sufficeret, vt hoc „ nos moneret Scriptura Ecclesiast. 21. „ Fili peccasti non adijcias iterum. Non „ autem sufficit, sed addidit: sed de prist„ nis deprecare, vt tibi remittãtur. Ma„ manent ergo nisi remittantur; sed quo„ modo manẽt, si præterita sunt, nisi quia „ præterierunt actu, manent reatu. Hæc „ ille.

Quomodo peccata maneãt reatu, quæ transierũt actu.

29 Ex quibus constat Augustinum comparare peccatum originale parvulorum, à quo ipsi denominantur peccatores, cum peccato habituali personali adulterij, v.g. à quo adulter, transacto actu denominatur peccator. Vnde sicut in sententia Augustini peccatum habituale personale consistit in reatu pœnæ, quem contrahit peccator ex actu pravo à se commisso dum ei non remittitur: ita peccatum originale originatũ, seu habituale consistit in reatu illo æternæ pœnæ damni, quem contrahunt parvuli ex eo, quod peccaverint in Adamo, dum eis non remittitur peccatum illud, quod in alio commisserunt. Et sicut reatus pœnæ æternæ manens in peccato mortali propria libertate comisso, est peccatum habituale personale: ita reatus eternæ pœnę damni manens in parvulis ex peccato actuali moraliter commisso per libertatem primi parentis, est peccatum originale habituale. Hæc est absdubio sententia Augustini, de qua inquit P. Vazquez ea disputatione 132. num. 14. iam non probari Scholasticis. Cæterum pro illa non paucos Authores adducit P. Salas tractatu 13. disp. 11. sect. 2. num. 29. Et pro sententia constituente peccatum habituale personale (de quo eadem videtur ratio, ac de originali) in reatu ad pœnam sub diversis explicationibus inveniuntur apud eundẽ ibidem disp. 14. sectione 3. num. 9. 12. 13. 14. vltra viginti quatuor Authores.

Peccatũ habituale personale cõsistit iuxta Augustinũ in reatu pœnæ.

40 Dissidium est autem inter Doctores, quid nomine reatus intellexerit Augustinus. P. Vazquez vbi supra numero 13. arbitratur, intellexisse obligationem ad pœnam, quæ obligatio pendeat ex voluntate Dei destinante ad pœnam. Ego autem sequor Cardinalẽ Bellarminum, qui lib. 5. de amissione gratiæ, & de statu peccati cap. 7. §. *at hæc responsio*, censet apud Augustinũ idẽ esse reatum pœnæ, ac dignitatem pœnæ. Et iudicò apud illum idem esse peccata trãsire actu, & manere reatu, ac hominem, qui cõmisit culpam ratione peccati præteriti sibi non dum remissi, per inde manere reum, id est dignum pœnæ, quam peccando promeruit, ac si physice tunc eliceret actum.

Quid nomine reatus intellexerit Augustinus

31 Supponit autem P. Vazquez ibidem num. 14. & communiter alij Authores reatum ad pœnam sumptum pro obligatione ad ipsam, reipsa distingui à dignitate ad pœnam manente in homine ex actu peccati iam pręterito. Ego vero illa duo, nec separabilia, nec realiter distincta esse existimo. Nã licet dignitas pœnæ existens dum homo peccat actualiter, sit separabilis à deputatione ad pœnam, quia stat, hominem peccare, & tamen Deum non habere decretũ efficax de privatione gratię, & gloriæ: tamen dignitas pœnæ, quæ manet moraliter in homine, postquam actus peccati physice transit, non est seperabilis à deputatione ad pœnam: nam implicat, hominem, qui peccavit actualiter, vel in se, vel in alio, manere dignum pœna æterna propter peccatum præteritum, quin in pœnam illius maneat privatus gratia: nam si non obstante peccato commisso ei Deus infunderet gratiam iustificantẽ, non maneret dignus damnatione; siquidem esset dignus vita æterna. At voluntas efficax Dei privandi hominem gratia

Dignitas pœnæ manẽs post culpam inseparabilis est à deputatione ad pœnam, imò illã includit

pro

pro tali tempore in pœnam peccati commissi, est voluntas destinans illum ad pœnam æternam, non absolutè, sed secundũ præsentem statum, non efficaciter, sed quantum est ex se, & nisi homo resipiscat.

42 Quod iterum suadetur. Implicat, hominem ratione peccati à se cõmissi manere dignũ damnatione, si Deus cedat iuri, quod per peccatum acquisivit ad infligendam damnationem: nam quãdiu ex parte hominis manet dignitas pœnæ, tandiu manet ex parte Dei ius ad illã infligendam. Ergo vt maneat homo sic dignus pœna, requiritur, quod Deus nõ cedat iuri eam infligendi: hæc autem nõ cessio divina est destinatio ad pœnam. Nam ipsamet voluntas efficax infligendi pœnam æternam est voluntas non cedendi iuri. Nec enim Deus per vnum actum prius dicit: *Nolo cedere iuri puniendi*: & subinde per alium: *nolo punire*.

SECTIO SEXTA.

Ostenditur, sententiam Augustini non differre à sententia Catherini recte explicata.

IDEST à sententia constituente peccatum originale in ipso peccato Adami moraliter perseveranti in ordine ad parvulos. Reipsa differre sentiũt Cardinalis de Lugo, Pater Arriaga, & Theologi moderni, qui vt vidimus sect. 1. defendunt sententiam Catherini bene explicatam, & nihilominus sententiam Augustini impugnant. At non differre, agnovit Pater Vazquez ea disp. 132. num. 14. quod ego verissimum sentio, & ita probo.

Quid sit peccatũ Adã moraliter perseverare in ordine ad parvulos.

43 Peccatum Adami moraliter perseverare in ordine ad parvulos, nihil aliud est, quam fuisse commissum moraliter à parvulis, & nondum fuisse illis remissum: at peccatum illud non fuisse remissum, idem est formaliter, ac manere reatu, seu manere in ordine ad reddendũ parvulum reum, & dignum æternæ damnationis, quam promeruit peccando in Adamo: ergo idem est, peccatum originale consistere in peccato Adami non remisso parvulis, ac consistere in dignitate, & reatu æterna damnationis manente in parvulis ex peccato Adami moraliter ab ipsis commisso. Probatur minor; quia Deus non aliter potest remittere parvulis peccatum illud, quod in Adam commisserunt, quam cedendo alicui iuri sibi per tale peccatum acquisitõ contra personas parvulorum: nullum autẽ ius aliud principalius acquisitum est Deo, quã ius ad infligendam illis pœnam æternam damni, quam promeruerunt peccando in Adamo: ergo cedendo huic iuri remittit peccatum eis: & consequenter eatenus Deus remittit peccatum originale, quatenus tollit reatum æternæ damnationis contractũ ex peccato commisso in Adamo. Ergo peccatum illud non fuisse remissum, idem est formaliter, ac manere reatu.

Quid sit Deum odio habere parvulos.

44 Quod autem Deus nullum aliud ius principalius acquisiverit, suadetur: nam si aliquod aliud esset, maximè ius ad odiũ inimicitiæ cõcipiendũ cõtra parvulos propter peccatũ commissum ab ipsis in Adamo. At ius ad istud odium est formalissime idem, ac ius ad infligendam illis pœnam æternam damni. Nam Deũ odio habere inimicabiliter parvulos propter peccatũ ab ipsis commissum in Adamo, est, velle illis aliquod malum: at non velle illis malum culpæ, cum hoc Deus velle nequaet: ergo est, velle illis malum pœnę. Nulla autem pœna maior debetur parvulis propter peccatũ in Adamo cõmissum, quam pœna æterna damni: ergo hanc Deum velle parvulis, est, exercere odium inimicabile adversus ipsos. Ac proinde ius ad odium inimicabile contra tra parvulos, & ius ad infligendam illis pœnam æternam damni sunt omnino idem.

45 Consulantur, quæ scripsi anno præterito tractatu de Incarnatione disp. 3. sect. 3. & 4. vbi probavi contra Cardinalem de Lugo Ripaldam, & alios, nõ posse adhuc de potentia absoluta Deum, remittere peccatum mortale, quin remittat æternam pœnam damni, & sensus, quam homo peccando promeruit; ex eo quod nõ potest remittere, quin cedat iuri ad odiũ inimicabile, & istud potissimè consistat in voluntate efficaci infligendi illam pœnam æternam. Ibique late exposui naturam odij inimicabilis contra personam ipsam, eiusque discrimen ab odio abominationis contra culpam, petitum ex eo quod istud est necessarium, suppositâ existentia culpę, at odium inimicitiæ contra personam est liberum: illud circa culpam comparatur per modum fugæ, & circa personam per modum prosequutionis; e contra vero istud circa personam comparatur per modum fu-

fugæ, & circa pœnam per modum prosecutionis.

SECTIO VII.

Vindicatur à censura sententia Catherini, & exponitur error Pelagij circa peccatum originale.

46 MVLTA obijcit Vazquez ea disp. 132. cap. 3. contra sententiam Augustini. Potissime illam impugnat ex eo quod à sententia Catherini reipsa non distinguatur, quod nos sectione præcedenti probavimus, si rectè illa sententia explicetur. Vnde contra sententiam Augustini, quam defendendam suscepimus, militant omnia, quæ contra Catherinum opponi solent. Contra istum autem primo obijcit P. Vazquez, eius sententiam nos distingui ab hæresi Pelagiana: nam Catherinus cogitur concedere, nihil esse in parvulis præter pœnam peccati primi parentis: id quod Pelagius (inquit Vazquez) apperte docuit; nec enim negavit, Adamum peccasse, & in eo etiam nos omnes, quatenus peccato illius pœnas debitas in nobis contraximus: sed solum contendebat, nihil in nobis esse, quod veram rationem peccati haberet, sed solam pœnam.

Argumẽtum P. Vazquez cõtra Catherinũ.

Solvitur

47 Verum quod vt apertum supponit Vazquez, falsum esse deprehẽdet, qui legerit Bellarminum lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 2. nam apud illum Augustinus varijs locis scribit, dogma Pelagij, & discipuli eius Cœlestij fuisse, peccatũ Adæ soli ipsi nocuisse, non autem posteritati; quod autem omnes, qui ex Adamo originem trahunt, moriantur, fieri naturaliter; nam etiam Adamum fuisse moriturum, quamvis non peccasset. Itaque volebat (inquit Bellarminus) nasci tunc homines sine virtute, & sine vitio, & talem fuisse Adamum ante lapsum.

Error Pelagij circa peccatũ originale.

48 Propter hanc hæresim accusatus est Pelagius in Synodo Palestina, vbi coactus est anathematizare eos, qui dicerent, peccatum primi hominis posteris nõ nocuisse, & infantes tales nũc nasci, qualis erat Adam ante lapsum. Cæterum callide Patres Concilij fefellit in alio longè sensu intelligens propositiones damnatas à Concilio, quam intelligerẽtur à Patribus; nam postea larvam deponens scripsit, peccatum primi hominis nocuisse quidem posteris, non tamen propagatione, sed exemplo, quatenus Adamum imitati sunt omnes, qui postea peccaverunt: & dixit, ideo præcisè infantes non tales nasci, qualis fuit Adam ante lapsum, quia infantes carent arbitrio, & capaces præcepti non sunt, cum tamen Adamus ante lapsum, & libertum arbitrium habuerit, & præcepti capax fuerit.

49 Verum quidem est, Pelagianos convictos argumentis Catholicorum docere cepisse, mortẽ corporis trahi per generationem ex Adamo, illumque non fuisse moriturum, si non peccasset, semper tamen docuerunt, peccatum, quod est mors animæ, non trahi ex Adamo per generationem, sed solum per imitationem. Hæc refert ibi Bellarminus.

50 Ex quibus constat, cum, qui diceret, parvulos peccasse in Adamo, & propter huius peccatum concipi cum privatione gratiæ, & iustitiæ originalis, quam habuissent, si Adam non peccasset, simulque assereret, non contrahere ipsos peccatum originale, fore quidem Hæreticum; quia concedens omnia, quæ reipsa admittunt Catholici, negaret ea sufficere, vt parvuli vere dicãtur concepti in peccato, eius tamen sententiam longe distare à sententia Pelagij, quæ non solum quoad nomen veri peccati, sed etiã quoad plura alia differt à sententia Catholica. Iam vero sententia Catherini concedens in parvulis omnem pœnam, quam agnoscunt Catholici, & insuper affirmans eos vere, & proprie constitui peccatores per inobedientiam Adami moraliter in ipsis perseverantem, nescio, quo pacto possit Pelagianismi accusari.

Ostẽditur sentẽtiam Catherini non esse damnatã in Tridentino;

51 Opponit secundo P. Vazquez, sententiam illam Catherini esse damnatam in Tridentino, id quod fusius contendit Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 16. adducens ad hoc probandum quatuor propositiones definitas à Concilio sessione 6. quas nos tamen breviter percurremus, ostendentes, nihil in illis contineri contra sententiam Catherini probe intellectã. In primis namque prima propositio Cõcilij affirmans, *peccatum originis propagatione, non imitatione transfundi*: non labefactat illam sententiam, vtpote quæ asserit, peccatum primi parentis vere transfundi in posteros per seminalem propagationem, quia nimirum illud non sistit

in

in persona Adami, sed transit ad eius posteros; quia quamvis sit physicè vnum, est tamen moraliter multiplex ob transfusionem voluntatum, & hoc ipso quod nō remittatur parvulis per infusionem gratiæ, eos inficit, & denominat peccatores. Et sicut in sententia opposita verificatur, peccatum originale transfundi generatione, quatenus simul cum esse naturali accipiunt parvuli privationem gratiæ in pœnam peccati primi parentis; & illa habet rationem peccati originalis; ita in sententia Catherini idem verificatur, quatenus ratione illius privationis gratiæ peccatum actuale physicè præteritum, & moraliter commissum à parvulis incipit eos inficere moraliter intrinsecè, vereque denominare peccatores.

52 Secunda etiam propositio affirmans *peccatum originis inesse vnicuique proprium*, minimè impugnat illā sententiam; quia ibi solum intendit Concilium, parvulos vere & proprie esse peccatores, & peccatum Adami non solum ipsum, sed eius posteros infecisse; quod salvatur, sive inficiat per se ipsum in genere causæ formalis, dum non remittitur parvulis per infusionem gratiæ, vt vult Catherinus; sive in genere causæ efficiētis, nimirum inducendo privationē gratiæ, quæ habeat rationem peccati originalis, vt volunt adversarij. Est autem illud peccatum intrinsecum vnicuique parvulo, non quidē physicè, sed moraliter, & in eo dumtaxat sensu peccatum originale inest intrinsecè parvulis, in quo iuxta sententiam constituentem peccatū habituale personale per actum præteritum non retractatum, vel non condonatum inest vnicuique peccatum, dum non remittitur: quæ inhæsio est solum moralis, & in eo sensu, in quo peccatum veniale physicè præteritum dicitur inhærere animæ, dum non remittitur.

53 Tertia quoque propositio affirmans per baptismi gratiam *remitti parvulis id totum, quod habet in eis veram, ac propriam peccati rationem*; non probat in parvulis inhærere intrinsecè physicè aliquid, quod veram rationem peccati habeat; sed solum probatur, inhærere moraliter: sicut in eo qui peccavit venialiter, dum ei non condonatur culpa illa, inhæret aliquid moraliter, quod vere habet rationem peccati; idque non est privatio gratiæ; sed ipse actus moraliter perseverans, & moraliter intrinsecè afficiens. Denique quarta propositio affirmans, *peccatum originale remitti non esse non imputari, sed vere tolli*, nihil probat contra Catherinum, in cuius sententia vere tollitur peccatum per infusionem gratiæ, quatenus impeditur eius perseverantia moralis.

SECTIO OCTAVA.

Solvuntur argumenta à ratione contra sententiam Augustini.

54 MVLTA argumenta à ratione cōficit P. Vazquez disp. 132. à num. 15. contra illam sententiam, quæ nunc diluere oportet. Primū: dignitas pœnæ est quid posterius omni peccato: quia non ideo aliquis est peccator, quia dignus est pœna, sed potius è contra dignus est pœna, quia est peccator: ergo illa dignitas non potest esse peccatum originale. Secundum: dignitas pœnæ, aut præmij est, veluti quid consequens bonitatem, aut malitiam; est enim veluti ratio meriti: hæc autem consequitur bonitatem, aut malitiam: ergo dignitas pœnæ non est ratio formalis peccati: hæc enim debet esse malitia. Tertium: hæc dignitas pœnæ æternæ in pueris est denominatio extrinseca: ergo ab aliqua extrinseca forma. Hæc autem non potest esse alia, quam peccatum primi parentis: ergo omnes denominantur peccatores à peccato primi parentis, quod est incidere in sententiam Catherini. Quartum: quia sicut non possumus esse vere iusti; si solum simus digni vita æterna ex iustitia Christi; ita non possumus esse peccatores, si sumus tantum digni pœna ex peccato primi parentis.

Quatuor argumenta Patris Vazquez contra sententiā Augustī.

55 Verum hæc argumenta sententiam Augustini non expugnant. Ad primum respondetur, dignitatem pœnæ esse quid posterius omni peccato actuali saltem ratione nostra; non tamen peccato habituali, vt habituali. Nam postquam actus physicè transijt, ideo quis vere dicitur peccator, quia ratione illius, dum à Deo non remittitur, manet reus, & dignus pœna damnationis, quam peccando promeruit: nec aliter posset perseverare moraliter actus peccati physicè præteritus, nisi esset iniuria Dei, qui nolendo cedere iuri acquisito per peccatum facit, vt permaneat moraliter, quamvis physicè transeat, & consequenter, vt denomi-

Dignitas pœnæ etsi sit posterior ratione, peccato actuali, non tamen habituali.

miner peccatorem habitualiter ſuum factorem: vt enim docet Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez lib. 7. de gratia, capite 23. num. 20. & 21. eatenus culpa phyſice præterita poteſt permanere moraliter in ordine ad maculandam animã, quatenus eſt iniuria Dei, in cuius eſtimatione manet, dum non remittitur; nimirum, quia dum non remittitur, perinde reddit hominem reum, & dignum offenſionis, atque indignationis diuinæ, ac ſi actu exiſteret.

Tranſatio actu peccati, nõ prius poteſt quis cõſtitui peccator, quã dignus pœna.

56 Quare præterito actu peccati non prius poteſt quis intelligi peccator, quam intelligatur dignus puniri ratione peccati præteriti non remiſſi. Deũ enim nolle remittere, eſt formaliſsime, Deum nolle cedere iuri ad odio habendum, & nolle cedere huic iuri, eſt formaliſsimè nolle cedere iuri ad puniendum: ergo cum nequeat homo tranſacto actu peccati intelligi peccator, quin intelligamus, Deum noluiſſe, cedere iuri ad puniendum propter actum præteritum; & dum intelligitur hæc nolitio, hoc ipſo intelligatur perſeuerare dignitas ſupplicij, conſequens eſt, vt peccatum habituale, prout habituale, non ſit prius dignitate odij, vel ſupplicij; licet peccatum actuale habeat aliquam prioritatem rationis, quatenus prius concipimus, hominem agere contra rationem, quam eſſe dignũ pœna. Vnde ſi ſermo ſit de peccato habituali non ideo quis eſt dignus odio inimicabili, & æterna damnatione, quia eſt peccator habitualiter; imò potius ideo eſt peccator habitualiter; quia Deus illum odio habet inimicabiliter propter actum præteritum. Nam ſi homo committat peccatum mortale in inſtanti A. & Deus in pœnam huius peccati ſtatuat, illum priuare gratia ſua, & gloria in æternum; homo ille præterito actu vere dicetur peccator, nec ideo odium, quia eſt peccator, terminabit; ſed ideo erit peccator, quia terminat odiũ; ac proinde peccatum habituale, vt habituale, non eſt motiuum odij, ſed terminus, non cauſa, ſed effectus.

Dignitas præmij, vel ſupplicij nõ eſt proprietas meriti, vel demeriti habitualis, ſed actualis.

57 Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur, dignitatem præmij, vel ſupplicij eſſe proprietatem metaphyſicam bonitatis, vel malitiæ actualis, non autẽ habitualis, vt habitualis. Nam bonitati, & malitiæ habituali non aliud præmium, vel pœna correſpondet, quam illud, quod correſpondet bonitati, vel malitiæ actuali; ſiquidem malitia habitualis nihil malitiæ addit ſupra actualẽ, vt à nobis probatum fuit ſect. 4. Vnde pœna æternæ damnationis licet correſpondeat malitiæ habituali, non tamen vt habituali: nam malitia ipſa actualis tranſit in habitualem per decretum efficax Dei puniendi illam.

Poſteri à peccato Adami denominantur digni priuari gratia, & gloria.

58 Ad tertium reſpondetur: ſicut in ſententia Patris Vazquez non eſt abſurdum, quod poſteri à peccato Adami conſtituantur digni priuatione gratiæ originalis; ita non eſſe abſurdum, quod per peccatum Adami conſtituantur digni priuatione gloriæ. Itaque non ideo formaliter poſteri ſunt digni priuatione gloriæ, quia carent iuſtitia originali, ſed quia in Adam peccauerunt; & hoc peccatum non fuit illis remiſſum. Sicut non ideo Petrus, qui heri commiſit homicidium, quo amiſit gratiam, eſt modo dignus priuatione gloriæ, quia caret gratia, ſed quia heri commiſit homicidium, quo conſtitutus eſt dignus carere gratia, & gloria in ſempiternum, & hoc homicidium non fuit illi remiſſum: eadem enim forma, quæ dum exiſtebat phyſicè, illum denominabat peccantem actualiter, eundem denominat peccatorem habitualiter, dum permanet moraliter: permanet autem moraliter, quamdiu Deus infundendo gratiam non cedit iuri, quod per tale homicidium acquiſiuit ad puniendum Petrum æterna priuatione beatitudinis. Nam forma ipſa, à qua Petrus denominatur peccator habitualiter, debet diſplicere Deo, & terminare odium abominationis: abominatur quippe Deus illud, quod hominem reddit ſimpliciter malum: ergo forma illa debet eſſe ipſum peccatum actuale phyſicè præteritum; nam hoc dumtaxat abominatur Deus.

56 Nec refert, peccatum Adami eſſe extrinſecum parvulis: nam licet ſit phyſice extrinſecum, eſt tamen moraliter intrinſecum ſingulis: quia ſinguli moraliter illud commiſſere; & ab ipſo iam præterito, & nondum remiſſo denominantur peccatores originaliter. Neque quod hæc ſententia cum Catherino coincidat, aliquid abſurdi continet, vt patet ex ſectione præcedenti.

Cur à peccato alterius poſsit quis denominari

60 Ad quartum reſpondetur, iuſtitiam habitulem vnius ſubiecti non poſſe denominare ſanctum aliud ſubiectum; quamvis peccatum Adami poſsit denominare poſteros peccantes, & peccatores. Et ratio eſt: quia in ordine ad

operationem liberam potest dari transfusio voluntatum, vi cuius operante vno, reliqui censeantur operari: at non potest dari in ordine ad sanctitatem physicam. Vnde per gratiam habitualem vnius non potest denominari alius formaliter iustus: nec per iustitiam Christi possumus denominari iusti. Si autē sicut transfusæ sunt voluntates posterorum in voluntatem Adami, similiter transfunderētur voluntates fidelium in voluntatem Christi, eo obediente, diceremur obedire, & mereri per ipsam obedientiam Christi, quatenus illa est operatio honesta elicita à voluntate Christi; non tamen propterea denominaremur merentes infinite; quia licet honestas obedientiæ Christi imputaretur nobis omnibus, non tamen dignitas, quam illa traheret ex persona Verbi.

Ni peccator, nequeat autē denominari iustus à iustitia alterius.

61 Ex dictis de peccato originali infertur, peccatum habituale personale nihil aliud esse, quam dignitatem pœnæ manentem in homine, ex eo quod peccaverit, & Deus nondum illi remiserit peccatum: mortale quidem nihil aliud, quam dignitatem pœnæ æternæ damni, & sensus: veniale vero dignitatem pœnæ temporalis damni, & sensus in purgatorio luendæ. Hæc autem dignitas in recto importat actum malum præteritum, & de obliquo non remissionem divinam: hæc autem nihil aliud est, quam nolitio divina cedendi iuri ad puniendum acquisito per peccatum: ac proinde forma ipsa, à qua quis denominatur peccator habitualiter, est actus præteritus: applicatio vero moralis, & veluti vnio peccati præteriti cum anima pro tempore præsenti est illa non condonatio divina, seu non cessio iuris ad puniendum, sine qua non cessione nequit homo à culpa præterita denominari peccator.

Peccatū habituale personale quid sit.

Restabat explicare, quid sit debitum proximum incurrendi maculam originalem; sed ne longius pro trahatur disputatio, nunc brebiter dico, id nihil aliud esse, quam in Adamo peccare, quod paulo fusius explicabimus disputatione 6. sect. 1.

DISPVTATIO IV.

AN HAEC DVO INTER SE COHÆREANT, DEIPARAM PECCASSE IN ADAMO, & tamen non contraxisse maculam originalem?

Ad quæst. 82. 1. 2. & q. 27. 3. part.

AD decidendum hanc quæstionem præoculis habēda sunt, quæ diximus de natura peccati originalis, disputatione præcedenti; cui annectimus præsentem disputationem, & tres sequentes, quamvis locum etiam habere possent 3. part. quæst. 27. tum quia illas cū præcedenti simul dictavi ab ann. 1664. ad ann. 65. in quo ab Scholis discessi, vt sacro Missionum ministerio me totum impenderem: tum quia opportunè disputantur post explicatam naturam peccati originalis.

2 Vt omnes posteri Adæ dicantur, in illo peccasse, non est satis (inquit Patet Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 31. artic. 2. vt omnes fuerint in illo contenti tanquam in primo parente, & naturali principio omnium hominum futurorū: quia hæc sola ratio per se sumpta non satis est, vt peccatum parentis derivetur ad filium, nec vt filius in parente peccare dicatur. Oportuit ergo vt Deus speciali lege, & pacto voluerit constituere Adamum quodammodo vt caput cęterorum, & in eius voluntate voluntates posterorum ponere, vt veluti omnium nomine præceptum impositum, aut servaret, aut transgrederetur; ita vt in eo divina obedientia perseverante, omnes posteri quasi hæreditario iure iustitiam, & gratiam Dei obtinerent: illo autem peccante om-

Quid sit posteros in Adamo peccasse.

omnes essent Deo invisi, & inimici. Hæc ille. Consulantur, quæ diximus disputatione præcedenti, sect. 2.

SECTIO PRIMA.

Auctorum placita, & ratio difficultatis.

Auctores affirmantes illa duo inter se de facto coniuncta fuisse

3 DE facto Virginem in Adamo peccasse, quin contraxerit peccatum originale, ac proinde illa duo optime componi, docent Bellarminus, Suarez, Vazquez, Canisius, Azor, Henriquez, & alij, quos refert, & sequitur Ægidius libro 2. de Conceptione, quæst. 3. articulo 2. §. 1. Eandem sententiam tuentur communiter Recentiores Theologi existimantes Virginem non peccasse in Adamo, supponunt enim potuisse id contingere, quin propterea deberet concipi in peccato. Ita Peñalosa disputatione 8. capite 1. Puente Hurtado disputatione 13. de Incarnatione, §. 99. Pater Arriaga disputatione 16. à numero 27. Pater Aldrete disput. 22. sect. 1. num. 1.

Auctores negantes posse inter se cohærere.

4 Illa tamen duo inter se pugnare docent Sanctus Thomas, Alexander, Ruard. Capreolus, & Ferrara apud Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 3. sect. 4. licet P. Vazquez ibidem disputatione 116. numero 10. affirmet, nullum Scholasticorum hactenus dixisse illa duo pugnare. Docuit tamen postea Pater Ferdinandus de Salazar tomo de Conceptione, capite 1. numero 30. & capite 24. numero 102. & Pater Bernal disputatione 16. de Incarnatione, à numero 28. neuter tamen pro dignitate rem discutiens, sed obiter tangens. Id ipsum multo antea docuerat Pater Valentia tomo 4. disputatione 2. quæstione 1. puncto 2. columna 429. §. *Sed quamvis*, vbi asserit hoc, quod est, peccare in Adamo connotare culpam originalem postea contrahendam, & ideo Virginem Beatam in Adamo non peccasse; citatque pro hac sententia Divum Anselmum.

Ratio dubitandi.

5 Ratio autem difficultatis quæ primam sententiam impugnat, & hanc secundam defendit, est huiusmodi. Nam pactum illud includit voluntatem efficacem Dei privandi posteros Adæ gratia originali, hoc ipso, quod ille peccet, vel saltem hoc ipso, quod peccet, & non agat pœnitentiam intra certum tempus: ergo posita vtraque conditione vi illius pacti cogeretur Deus, non infundere gratiam Virgini in primo instanti, si in illo fuisset inclusa. At Adam de facto peccavit, nec egit pœnitentiam, vt persona publica, id est modo sufficienti, vt eius peccatum non imputaretur posteris: ergo si Beata Virgo inclusa fuit in pacto, de facto contraxit peccatum originale. Cum ergo hoc dici nequeat, fatendum erit, illa duo non cohærere. Et confirmatur; nam stante illo pacto, si Adamus observaret præceptum, necessarium omnino foret, vt eius posteri nascerentur in gratia, & iustitia originali: ergo è contra vbi violavit, necessarium est, vt omnes, qui in eo peccaverunt, contrahant postea maculam originalem, cum concipiuntur.

SECTIO SECVNDA.

Reijcitur primus modus conciliandi illa duo traditus à Patre Suarez.

6 PATER Suarez tomo 2. in 3. partem disputatione 3. sect. 4. §. *nihilominus*, respondet, voluntatem efficacem Dei impediendi peccatum originale Virginis per infusionem gratiæ in primo instanti conceptionis non opponi cum illo pacto, & lege vniversali: quia prior illa lex (inquit) non includit absolutam, ac definitam Dei voluntatem, vt peccante Adamo omnes eius filij sine gratia conciperentur, sed vt perderent ius ad gratiam, ideo quantum esset ex vi conceptionis sine illa conciperentur; non tamen privavit se Deus iure, & libertate miserendi, cuius vellet, & quando vellet: sicut etiam ex vi prioris pacti, & peccati Adæ omnes homines iniverunt pœnam mortis, à qua tamen potest Deus, quos voluerit, præservare; vt constat ex Divo Thoma prima secundæ, quæstione 81. articulo 3. ad primum. Quam solutionem repetit Eximius Doctor, disputatione 9. de peccatis, sectione 4. numero 25. quia quamvis Adamus obligavit omnes suos descendentes, vt inciperent vitam cum culpa, Deus tamen non se obligavit ad negandam

intentionem Legislatoris: vnde eatenus subijcit pœnæ, quatenus est coniuncta cum voluntate Dei infligendi pœnam: ergo si Deus habuit animum infligendi Beatæ Virgini privationem iustitiæ originalis, ipsa vi illius legis externæ, quæ videbatur vniversalis, non mansit subiecta iniustitiæ originali; & cum debito, seu potius necessitate, vt conciperetur in peccato; ac proinde non peccavit in Adamo.

Deus promulgans externè legē, potest internè limitationē adhibere: nequit tamen vi comminationis reddere aliquem reum pœnæ, quin illū internè cō prehendat.

14 Fateor, Deum promulgantem aliquam legem præceptivam, vel prohibitivam verbis vniversalibus posse internè limitationem adhibere, vi cuius valeat alicui particulari privilegium concedere, quo eximatur ab illa obligatione vniversali: nam verba illa dum non innotescit limitatio, quam Deus adhibuit, vim habent obligandi in conscientia omnes: quia tamen Deus limitationem adhibuit, potest post legem promulgatam privilegium concedere. At Deus promulgans legem aliquam purè comminativam pœnæ, vel promissivam premij subconditione aliqua, nequit vi illius reddere hominem reum pœnæ, nisi simul cum lege externa habeat voluntatem internam infligendi pœnam sub illa conditione. Nam eatenus posita illa conditione potest homo manere obligatus, seu obnoxius pœnæ subeundæ, quatenus Deus imposuit sibi ipsi necessitatem infligendi pœnam pro illo eventu: siquidem non aliam obligationem, seu necessitatem possunt habere posteri subeundi pœnam privationis iustitiæ originalis, posito peccato primi parentis, nisi quam Deus voluit sibi imponere subconditione peccati Adami: Deus autem per verba externa comminatoria solum imponit sibi necessitatem privandi iustitia originali illos, quos in sua intentione non excepit. Si ergo ab æterno aliquē in sua intentione excepit, iste non poterit in tempore dici obligatus ex vi legis externæ ad subeundam pœnam.

15 Adde, homines posse aliquem excipere à lege, quam antea verbis vniversalibus tulerunt; quia possunt mutare consilium, & revocare voluntatem prius conceptam: vel quia dum ferunt legem, non agnoscunt singillatim singulos subditos, nec allequuntur rationes, quæ tractu temporis occurrere possunt ad excipiendum aliquem. Vnde ita ferunt legem, vt sibi ipsis relinquant potestatem excipiendi postea aliquem. At Deus dum ab æterno decernit ferre legem vniversalem cognoscit singillatim singulos subditos, & penetrat omnes rationes, quæ occurrere possunt ad excipiendum aliquem: vnde vel cum fert legem habet voluntatem excipiendi aliquem: vel voluntatem non excipiendi vllum.

Impugnatur Peñaloſa.

16 Falsumque omnino videtur, quod asserit Peñalosa, nimirum, promissiones divinas habere etiam illam tacitam conditionem, *nisi promittens ex causa à pacto resilire voluerit*. Ista enim conditio solum potest habere locum in agentibus, qui ante promissionem non prævident causas, ob quas necesse postea sit, à pacto resilire. Qui enim omnes huiusmodi causas prævidet, non posset promittere prudenter, sciens cito adventuram causam, ob quam à pacto deberet, resilire. Perperam ergo adversarij exempla illa legum, & promissionum humanarum transferunt ad Deum, in quo locum non habent imperfectiones in eis imbibitæ.

SECTIO QVARTA.

Reijcitur tertius alius modus traditus à Patre Vazquez.

Proponitur ille modus.

17 ALIA via subtilis iste Doctor ea disputat. 116. num. 39. & 40. exponit, quo pacto Beata Virgo potuit peccare in Adamo, & debitum peccati originalis in eo contrahere, etiam si à lege illa vniversali de transfundendo peccato speciali privilegio excepta fuerit, & mediante hac exceptione evaserit immunis à contractione culpæ originalis; cum enim iuxta hunc Auctorem peccatum originale consistat in privatione sanctitatis originalis debitæ inesse parvulis, & hæc dicatur debita illis, hoc ipso quod Adamo commissa est, vt per observantiam præcepti eam transfunderet in posteros: consequens sit, vt Virginem peccasse in Adamo, & debitum peccati originalis contraxisse, nihil aliud sit, quam Adamum iustitiam accepisse opere suo transfundendam in Virginem, & peccato suo meruisse, vt Deus eam Virgini denegaret. Optime autem componitur, hoc Adamum meruisse, & tamen Deum propter merita Christi gratiam originalē contulisse. Ergo optime cohærent,

Vir-

Virginem in Adamo peccasse, & tamen ab originali labe præservatam fuisse. „ Quia vt in Adamo dicatur peccasse „ (inquit ille num. 41.) satis est sub dig„nitate peccati Adæ comprehendi, vt „ propter illud iustitia dignè privari posset. Cum hoc autem rectè componitur, quod reipsa non privata fuerit.

Impugnatur.

18 Sed nec ista solutio difficultatem dissolvit. Nam peccatum Adæ non habet vim suapte natura merendi posteris privationem iustitiæ originalis: sicut nec eius bonum opus vim habet merendi illis ipsam iustitiam. Vnde ex natura rei potuit contingere, vt Adam mereretur sibi privationem iustitiæ originalis, non autem posteris; sicut de facto Petrus dum peccat meretur sibi ipsi privationem iustitiæ, & Sanctitatis, quã tamen non meretur filijs suis: ergo vt intelligamus, peccatum Adami mereri posteris privationem iustitiæ originalis, necesse est, vt intercedat pactum. At hoc pactum nequit esse præcisè promissio conditionata dandi posteris Adæ iustitiam originalem subconditione, quod ipse observet præceptum: ergo debet insuper esse comminatio conditionata privandi illos iustitia originali, subconditione, quod peccet. Probatur minor: quia promissio illa conditionata deservit quidem, vt Adamus per observationem præcepti mereatur posteris iustitiam originalem, non tamen vt per eius violationem mereatur eisdem talis iustitiæ privationem; quia sicut promissio illa non facit, vt peccatum Adæ habeat aliquam connexionem cum iustitia posterum, ita non facit, vt illam mereatur. Atqui posteri nequeunt contrahere debitum peccati originalis, vel necessitatem aliquam illud incurrendi vi peccati, nec inferentis physicè in posteris, nec moraliter merentis posteris privationem iustitiæ originalis. Ergo in illa sententia non salvatur Beatum Virginem contraxisse ex peccato Adami debitum carendi iustitia originali, vt Pater Vazquez intendebat.

19 Quare si rem pœnitus introspiciamus, aliud est, Adamum non mereri posteris iustitiam originalem, nec illam in eos derivare; aliud mereri ipsis iniustitiam, seu privationem iustitiæ. Primum est verum; quia cum iustitia non sit debita posteris, nisi mediante bono opere parentis, quod Deus assumpsit vt conditionem ad transfundendam iustitiam originalem in eius filios; sanè si Adam omittat illud opus, hoc ipso non meretur iustitiam filijs suis. At non idcirco meretur iniustitiam, seu privationem iustitiæ; quia eius peccatum hanc vim non habet à se, nec illam accipit à pacto nullo modo referente ipsum ad illam pœnam, sed præcisè referente eius oppositum, nempe observationem præcepti ad præmium iustitiæ originalis conferendæ ipsi Adamo, & eius posteris. Peccatum autem, quod nec hic, & nunc meretur existentiam iniustitiæ originalis, nec alio pacto cum illa connexionem habet, nequit fundare debitum, vel periculum incurrendi talem iniustitiam.

Confirmatur impugnatio.

10 Confirmatur: implicat, posteros concipi in peccato originali, nisi concipiantur cum carentia omnis gratiæ sanctificantis: siquidem quilibet illius gradus ipsis collatus eos præservaret à peccato originali: ergo si posteros peccare in Adamo, est idem, ac istum suo peccato eis mereri privationem iustitiæ originalis, vt vult Pater Vazquez, implicat, ipsos peccare in Adamo, nisi iste suo peccato eis mereatur privationem omnis gratiæ sanctificantis pro primo instanti suæ conceptionis. At Adam suo peccato non potuit mereri posteris privationem omnis gratiæ sanctificantis, nisi præcesserit decretum efficax Dei privandi eos omni gratia sanctificante subconditione, quod ille peccet. Non enim sufficit, Deum decrevisse transfundere in posteros tot gradus gratiæ sanctificantis, quot accepit Adamus in sui formatione ad hoc, vt dicamus; Adamum suo peccato meruisse posteris privationem omnis gratiæ. Vt ergo intelligamus commissum fuisse voluntati Adami, vt posteri nascerentur, vel cum iustitia, & sanctitate originali, vel cum peccato originali, opus est, vt in Deo præcesserit decretum dandi aliquam iustitiam originalem posteris subconditione, quod Adam non peccet: & negandi omnem subconditione, quod peccet; ac proinde vt intelligamus, aliquem in Adamo peccare, necesse est, vt intelligamus, eum, peccante Adamo, contrahere omnimodam necessitatem incurrendi maculam originalem pro primo instanti suæ existentiæ.

21 Et hoc expressit Anselmus li-

Id docet Anselm.

libro 1. de conceptu Virginali, cap. 7. „ dum ait: In Adam omnes peccavimus, „ dum peccavit ipse; non quia tunc pec- „ cavimus ipsi, sed quia de illo futuri era- „ mus, & tunc facta est necessitas, vt, „ cum essemus, peccaremus. Ergo de primo ad vltimum repugnat, Virginem concipi in gratia, & consequenter sine macula peccati; & tamen peccasse in Adamo: quia implicat, quod per peccatũ Adæ facta sit necessitas, vt cum ipsa existeret, peccaret, nisi vi decreti efficacis, quo Deus statuerit, ipsam denudare omni gratia sanctificante pro primo instanti: implicat autem necessitatem prouenientem ab hoc decreto componi cum sanctificatione Virginis pro primo instanti.

SECTIO QVINTA.

Nostra sententia negans illa duo inter se cohærere.

Prima nostra conclusio.

22 EGO valde propendeo in sententiam negantẽ posse illa duo inter se cohærere. Et in primis pactum de facto initum à Deo cum Adamo tale esse, vt omnis, qui peccaverit in Adamo, debeat metaphysica infallibilitate concipi cum peccato originali; suadetur: Nam, vt inquit Pater Salmeron in caput quintum, epistolæ ad Romanos, disputatione 46. ex illo loco Genesis: *In quocumque die comederis ex eo morte morieris*, habetur, quod mors, quam Dominus comminatus est, non tantum corporis fuit, sed etiã animæ, vt Patres omnes testantur, & authoritate Concilij Arausicani secundi, & Tridentini Sessione 5. prope initium comprobatur. Additque ibidem Pater „ Salmeron pagina 599. Secundum om- „ nes Adamum omnium personam sub- „ stituisse, quando dictum est illi, ne „ comedas: etsi comederis, morte mo- rieris: ergo Deus comminatus est mortem spiritualem Adamo, & omnibus posteris inclusis in pacto, quorum personam tunc agebat. At comminatio illa respectu Adami involvebat decretum efficax denudandi eum sanctitate originali si peccaret ergo etiam involvebat decretum efficax denudandi posteros, quos incluserat comminatio: ergo implicat, personam aliquam inclusam fuisse in pacto comminante mortem, quin contraxerit peccatum originale.

Probatur.

Confirmatur.

23 Confirmatur: nam vt docet communis sententia Patrum, & Scholasticorum apud Pererium disputatione 1. ad illum locum Geneseos per illa verba *morte morieris* non significavit Dominus actum moriendi, sed necessitatem, & debitum mortis corporalis, vt sensus sit: statim vt comederis, obnoxius eris pœnæ mortis, & adstrictus eris necessitate moriendi. Ergo verba illa significant, Adamum amissurum infallibiliter sibi, & posteris, ad quos dirigebatur illa comminatio, sanctitatem, & iustitiam originalem, ex qua proveniebat donum immortalitatis, quo omnes frueremur, si Adamus observasset præceptum.

Secunda aversio.

24 Deinde probabilius censeo, illa duo absolutè inter se pugnare. Id autem ostendam primo in sententia negante transfusionem voluntatum: secundo in sententia voluntatum transfusionem admittente. Et ad primum deveniendo, suadetur assumptum: quia in illa sententia posteros in Adamo peccasse, nihil aliud est, quam Adamum iustitiam accepisse opere suo transfundendam in posteros, & peccato suo meruisse, vt posteri denudati concipiantur tali iustitia, & consequenter in peccato originali. Atque adeo peccasse in Adamo nihil aliud est, quam sub dignitate peccati Adami comprehendi, vt propter illud iustitia dignè privari possit, vt explicat Pater Vazquez tomo 2. in tertiam partem, disputat. 116. numero 40. & 41. Ergo implicat, Virginem peccasse in Adamo, quin iste suo peccato meruerit, vt illa conciperetur sine sanctitate originali. At implicat, Adamum hoc meruisse, & quod reipsa Beata Virgo non fuerit concepta sine sanctitate originali: ergo non stat, Virginem peccasse in Adamo, & reipsa non contraxisse maculam originalem. Probatur minor ex dictis sectione præcedenti: nam peccatum Adæ ex se non habet vim merendi privationem gratiæ Beatæ Virgini nisi in vi decreti efficacis, quo Deus statuerit denudare Virginem gratia sanctificante in sua conceptione, si Adam peccaret. Potuit namque Deus decernere, vt si Adam observaret præceptum, & sibi conservaret, & in posteros derivaret sanctitatem originalem; si vero peccaret, sibi dumtaxat noceret; quo in eventu licet Adamus bene operando mereretur po-

posteris sanctitatem originalem; at male operando non mereretur eisdem privationem sanctitatis. Ergo vt intelligatur peccato suo meruisse posteris privationem sanctitatis, requiritur decretum efficax Dei privandi posteros sanctitate originali sub conditione, quod eorum parens peccet.

Illatio contra Ægidiū in favorem P. Valeria.

25 Et hinc enervatur argumentum, quo Ægidius lib. 2. quæst. 1. articulo 5. Patrem Valentiam asserentem, hoc, quod est, peccare in Adamo connotare peccatum originale postea contrahendum, ex eo impugnat, quod verbum *peccare* non includit connotationem maculæ quam in anima relinquit actus peccati, postquam transit. Enervatur, inquam, etsi enim hoc verum sit in peccato actuali personali, non tamen in peccato actuali originali commisso ab Adamo, vt capite. Nam etsi quis independenter à comminatione divina mereatur sibi privationem gratiæ per suum peccatum, non tamen potest eam mereri alijs.

Evasio.

26 Dices, Deum potuisse, pacisci cum Adamo sub hac forma: si observaveris hoc præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali, tibi conservabis iustitiam originalem, & illā iure hæreditario transfundes in omnes tuos posteros: si autem illud violaveris, hanc sanctitatem infallibiliter tibi amittes, & omnibus posteris, nisi mihi placuerit aliquem speciali privilegio sanctificare in primo instanti suæ conceptionis. In hoc paciscendi modo nulla est repugnantia: at ipso posito ex vna parte salvatur, Virginem peccasse in Adamo, siquidem posito illo pacto, & posito Adami peccato Virgo infallibiliter conciperetur cum privatione gratiæ, & consequenter in peccato originali, nisi ob merita Christi donaretur gratia iustificanti in primo conceptionis instanti. Et ex alia parte salvatur, eam concipi sine peccato originali; quia propter merita Christi accepit gratiam iustificantem in primo instanti. Recte ergo cohærent illa duo, nempe, Virginem peccasse in Adamo, & tamen non contraxisse maculam originalem.

Præcluditur.

27 Respondeo, pactum habens illam conditionem expressam, vel tacitam, sufficere quidem, vt Virgo diceretur fuisse in periculo peccandi in Adamo; non tamen vt dicatur absolute, in ipso peccasse; quia ad hoc requiritur, vt Adamus suo peccato absolute meruerit, vt Virgo conciperetur in peccato originali. Id autem absolute mereri non potuit vi illius pacti solius: quia sicut nullo modo mereretur privationem iustitiæ filijs suis, si Deus nullo modo decrevisset, illos privare iustitia sub conditione, quod ipse peccaret, ita mereri nō potuit absolute illam privationem iustitiæ Beatæ Virgini, si Deus non decrevit, hanc absolute privare gratia per hoc præcisè, quod Adam peccaret. Quare si pactum habuit illā conditionem respectu Beatæ Virginis; hæc non peccavit absolute in Adamo; sed tantum conditionate, id est, peccavisset, si Deus intuitu meritorum Christi non habuisset decretum efficax ipsam illustrandi gratia sanctificante in primo instanti suæ conceptionis.

Vlteriorē nostræ assertiones probatio.

28 Præterea suadetur, non cohærere illa duo in sententia communi admittente transfusionē voluntatum: nam hæc transfusio ex communi sententia requirit pactum divinum, seu legem illam promittentem Adamo pro se, & posteris sanctitatem originalem, si observet præceptum, & comminantem privationē talis sanctitatis, si violet. Quia transfusio illa à nemine explicatur sine pacto, & pactum non solum includit promissionem, sed comminationem, vt iam probavimus: ergo implicat, Beatam Virginem moraliter elicuisse inobedientiam Adami, & per eam meruisse sibi privationem sanctitatis originalis, quin Deus habuerit decretum efficax denudandi ipsam gratia originali subconditione, quod Adam peccaret.

Si Beata Virgo inclusa fuit in pacto; in primo instanti suæ conceptionis denominata fuisset peccans moraliter in Adamo, & non antea.

29 Deinde id ipsum specialiter suadetur. Nam si datur illa transfusio voluntatum, & Beata Virgo in Adamo peccavit; illa inobedientia Adami fuit moraliter inobedientia Virginis: ergo ab illa debuit Virgo denominari in aliquo instanti moraliter intrinsece peccans absolute. At hanc denominationē non suscepit, antequam existeret: ergo eam suscepit in primo instanti suæ conceptionis: ac proinde non potuit tunc sanctificari: nam in eo instanti, in quo quis denominatur graviter peccans moraliter, est dignus absolutè privatione æternæ beatitudinis; implicat autem hoc habere, & simul esse Sanctum. Ergo implicat, Virginem peccasse in Adamo, & sanctificatā fuisse in primo instanti.

30 Quod Beata Virgo antequam exiterit non potuerit, denominari absolu-

Non potuit autē tunc peccans denominari, & simul gratiam habere.

lute peccans adhuc moraliter, & per peccatum physicè elicitum ab alio; suadetur: Quia qui denominatur absolute peccans peccato gravi, hoc ipso denominatur simpliciter malus, & dignus terminare odium inimicitiæ: subiectum autem antequam existat, nec malum potest denominari, nec dignum odio inimicitiæ, quia istud supponit subiectum existens, sicut amor amicitiæ. Quare peccatum Adami licet sit forma potens denominare posteros peccantes actualiter interpretative, & moraliter, hanc denominationem illis non tribuit vsque ad instans, in quo concipiuntur. Vnde antequam existant, eatenus dici possunt peccasse in Adamo, quatenus iste omnium nomine agens posuit formam, à qua cum primū existant, denominentur peccatores: seu quatenus tunc contrahunt necessitatem subeundi denominationem peccantis, cū primum per naturalem generationem concipiantur.

Posteri Adami iuxta Anselmum in ipso instanti conceptionis peccant in Adamo propriè moraliter, & non antea.

31 Quod perspicue videtur docuisse Anselmus libro de conceptu Virginali, c. 2. illis verbis: In Adam omnes peccavimus, cum ille peccavit: nō quia tunc peccavimus ipsi, qui nō dum eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est necessitas, vt cum essemus, peccaremus. Ergo parvulus in instanti, in quo concipitur, dicitur absolutè peccare in Adamo: & non tantum habere peccatum; vt volunt communis sententiæ Auctores. Rationem huius locutionis reddiderat paulò antea Anselmus, *nam sæpè* divina scriptura asserit, aliquid esse, quando non est, ideirco quia certum est, futurum esse. Sic Deus Genes. 2. Adæ de ligno vetito dicit: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris*, non quod ea die mortuus sit corpore: sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi: & Paulus similiter ob necessitatem moriendi Romanorum 8. ait: Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero vivit propter iustificationem. Non enim corpora eorum, quibus loquebatur mortua erant, sed moritura propter peccatum. Hæc ille. Vnde obiter infertes, peccatum originale habituale non competere parvulis pro primo instanti, sed pro sequentibus: quia prius est, peccare absolutè, quam esse peccatorem habitualiter.

Conf. 1. 32 Confirmatur primo. Quia necesse est, vt parvuli contenti in illo pacto vniversali, cum primum concipiuntur, accipiant ex peccato Adami eam denominationem, quam acciperent tunc, quādo Adamus vt persona publica peccavit, si tunc existerent. Atqui si tunc existerent, denominarentur peccantes actualiter, & impossibile foret, eos in illo instanti iustificari in sensu compositō talis denominationis: ergo cum primum existunt denominantur peccantes, & impossibile est, illos pro tunc iustificari: ergo non stat, Virginem peccavisse in Adamo, & tamē fuisse sanctā pro primo instanti suæ conceptionis. Quod parvuli denominarentur peccantes, quando Adam peccavit, si tunc existerent, est exploratum; quod vero tunc non possent iustificari in sensu cōpositō eius denominationis, suadetur: nam hoc ipso quo denominarentur peccantes, denomirantur digni privari in æternum beatitudine supernaturali: hæc autem denominatio essentialiter incompossibilis est cum effectu formali iusti, vtpote imbibente essentialiter dignitatē beatitudinis supernaturalis.

Conf. 2. 33 Confirmatur secundo. In instanti, in quo parvuli concipiuntur cū privatione gratiæ, pro priori ad talē privationē digni sunt, illam subire, vt docet Augustinus in Psalm. 50. ijs verbis: *Nemo nascitur nisi trahens pœnā, trahens & meritum pœnæ.* Et hæc dignitas est illis moraliter intrinseca, vtpote proveniens à peccato Adamī moraliter ab ipsis commisso: ergo in illo priori per ipsum peccatū Adami constituuntur digni privari gratia iustificante. At hoc ipso pro illo priori habent incapacitatem suscipiendi gratiam iustificantem, à qua reddantur sancti pro posteriori eiusdē primi instantis: nam in eo signo, in quo quis propter culpā à se physicè, vel moraliter commissam, est dignus privari gratia, est etiam dignus privari gloria: in eo autē signo, in quo quis est dignus privari gloria, est incapax iustificari pro illo instanti reali: quia nequeunt componi in eodē subiecto dignitas gloriæ, & dignitas privationis gloriæ. Ergo hoc ipso, quod parvuli priventur gratia in primo instanti propter peccatū Adami moraliter ab ipsis commissum, non potuerunt in illo instanti iustificari: ac proinde repugnat, aliquem peccare in Adamo; & tamen esse iustum pro primo instanti suæ conceptionis.

(?)

SE-

SECTIO VLTIMA.

Soluitur difficilis obiectio: vbi nonnulla de quidditate peccati habituali.

34 DICES, argumentum à nobis nuper factum pariter probare, parvulos, qui in secundo instanti privantur gratia propter peccatum commissum in Adamo, nō potuisse tunc iustificari, id est, nō potuisse in secundo instanti recipere gratiam excludentem illam privationem. Nam dum in secundo instanti privantur gratia, iam pro aliquo priori præcedunt digni illa privatione: ac proinde etiam præcedunt digni privatione gloriæ: ergo iam pro illo priori habent statum incompossibilem essentialiter cum gratia iustificationis pro eo instanti; & consequenter essentialiter connexum cum privatione gratię advenienti pro posteriori eiusdem instantis.

An vt quis in secundo instanti privetur gratia sufficiat quod fuerit dignus in instanti primo.

35 Imprimis posset aliquis discrimen assignare inter secundum, & primum instans, dicendo, ad subeundā pœnam privationis gratiæ in secundo instanti satis esse, quod in primo fuerint peccantes actualiter; ac proinde digni pœna privationis gratiæ, & gloriæ: quia intuitu dignitatis existentis absolute in primo instanti potest infligi pœna privationis gratiæ, non solum in primo instāti, sed etiam in sequentibus, quin in secundo instanti intelligatur peccatū iam perseverans pro priori ad privationem gratiæ. At cum ante primum instans cōceptionis non detur aliud, in quo parvulus absolute dici possit peccans, & dignus pœna privationis gratiæ, ac gloriæ, necessarium est, recurrere ad dignitatem existem pro priori illius primi instantis: nam privatio gratiæ inflicta parvulis, vt pœna, vel supponit dignitatem absolutā in aliquo priori illius instantis, vel saltem in instanti antecedenti; quia implicat, parvulum puniri privatione gratiæ propter culpam quin præcesserit in ipso dignitas absoluta illius privationis, vel præcedentia naturæ, vel saltem præcedentia temporis. Cum ergo in primo instanti nō fit recursus ad dignitatem, quę in tempore antecedenti præcesserit in ipsis, quia pro tempore, in quo non sunt, nequeunt esse digni vlla pœna, vel præmio, cum non entis nullæ sint proprietates: necesse est, vt fiat recursus ad dignitatem existentem in illis pro aliquo priori illius primi instantis.

Prima solutio affirmās.

Secunda solutio negans, eligitur.

36 Ego solidiorem subiungo solutionem. Affero ergo si parvuli pro aliquo priori secundi instantis intelligātur digni privatione gratiæ, iam pro illo priori intelligi peccatores: quia illa dignitas provenit à peccato, nō vt pure præterito, sed vt perseveranti moraliter, quatenus Deus in primo instanti noluit remittere peccatum pro secundo, & hoc suo decreto fecit, vt perseveraret peccatum pro secundo, & constitueret in secundo instanti parvulos dignos privari gratia, & gloria. Deum autem in primo instanti noluisse remittere peccatum pro secundo, est, Deum noluisse in primo instanti infundere gratiam iustificantem in secundo. Vnde dignitas absoluta, quam habet in secundo instanti parvulus ad carendum gratia, & gloria est metaphysice connexa cum privatione gratiæ pro secūdo instanti, vtpote constituta de obliquo per decretum efficax denegandi gratiam iustificantem in secundo instanti. Quare repugnat, eos tunc iustificari in sensu composito talis dignitatis. Solū itaque possunt iustificari in sensu diviso, quatenus Deus in primo instanti potuit concipere decretum efficax infundendi gratiam iustificantem pro secundo: quo decreto supposito non haberent parvuli in secundo instanti pro priori ad infusionem gratiæ dignitatem, vt privarentur gratia propter culpam.

Optimū argumētum ad probandū, peccatū habituale, non cōstitui per privationē gratiæ, sed ad illam præsupponi.

37 Vnde obiter inferes, optimū argumentum ad probandum, peccatum habituale non consistere in privatione gratiæ, sed ad illam præsupponi. Nam qui peccavit in instanti A. & in secundo instanti incipit esse peccator habitualiter, in secundo instanti non privatur gratia, quin propter culpam commissam in instanti A. sit dignus privari gratia in B. ergo iam pro illo priori est dignus: ergo peccatum præteritum perseverat moraliter in illo priori modo sufficienti, vt illum constituat dignum privatione gratiæ, & gloriæ; perseverare autem hoc modo, est, iam dari peccatum habituale pro illo priori. Peccatum ergo illud cōsistit in eo, quod homo peccaverit in instanti A. & quod tunc Deus conceperit decretum efficax non remittendi illud pro B. seu decretum negandi gratiā pro B. in pœnam peccati commissi in A. & in eo quod illud decretum intelligatur existens in instanti B. in quo nō existat physice actus peccati.

Illatio ex dictis

38 Inferes secundo, hominem, qui

qui peccavit in A. non posse in B. privari gratia propter peccatum antea commissum, quin pro priori instantis B. sit dignus ea privatione; non tamen in instanti B. privari gratia; quia pro illo priori est dignus, quasi dignitas vt existens pro illo priori moveat Deum ad puniendum: sed quia fuit dignus in instanti, quo commisit culpam, & intuitu peccati actualis Deus decrevit, illum punire in B. privatione gratiæ; ex quo decreto factum est, vt peccatum eius perseveret moraliter, & intelligatur pro priori instantis B.

Non potest quidem in instanti B. privari gratia propter peccatum commissum in A. quin pro priori ad illam privationem sit dignus, eam pati; quia nequit ita privari, quin Deus in instanti, in quo cõmissa est culpa, & intuitu illius, vt tunc existentis conceperit decretum efficax privandi hominem illum gratia pro B. vel absolutũ, vel saltẽ conditionatum; videlicet sub conditione, quod non agat pœnitentiã in B. vi cuius decreti, vt perseverantis in B. inducetur illa privatio pro posteriori instantis B. Decretum autẽ illud facit, vt in illo priori intelligatur culpa præterita iam perseverans moraliter: quia iam in illo priori verificatur, hominem peccasse, & Deum nõ cessisse iuri ad illum puniendum pœna æterna damni, & sensus, quia decretum denegandi gratiam est negatio cessionis iuris, sicut decretum infundendi gratiam est cessio iuris.

39 Non tamen punitur in B. quia pro illo priori est dignus puniri, quasi dignitas, vt existens pro illo priori fuerit motivum puniendi pro posteriori. Nam dignitas, vt perseverans moraliter vsque ad illud signũ, constituitur per ipsum decretum puniendi: dignitas autẽ vt constituta per decretum puniendi non movet ad puniendũ: quia non movet ad concipiẽdũ decretũ puniendi; & in tantũ movet aliquid ad puniendũ, in quantũ movet ad decretũ puniendi. Punitur ergo in B. quia peccavit in A. siquidem in B. punitur vi decreti efficacis concepti in A. & perseverantis in B. quo Deus decrevit in A. punire in B. per privationem gratiæ. Si autem ly *quia* non denotet causalitatem motivam, & meritoriã, sed purè efficientẽ; punitur in B. quia est dignus pro illo priori: nam decretũ, vi cuius conservatur moraliter pro eo priori ea dignitas, est causa efficiens illius privationis.

40 Inferes tertio; peccatum habituale potius explicandum esse per reatũ pœnæ manentem in homine, transacto iam peccato actuali, quam per reatum odij, vel indignationis inimicabilis Dei. Nam si Deus intuitu peccati commissi in A. concipiat ex tunc decretũ efficax privandi hominẽ in æternum gratia, & gloria, posito tali decreto in sequentibus instantibus intelligitur homo reus, & dignus pœna illa infligenda pro posteriori ad eam dignitatẽ: at non intelligitur manere dignus odio concipiendo intuitu illius dignitatis, vt sic perseverantis moraliter: quia nõ propterea Deus odio haberet inimicabiliter hominẽ in sequentibus instantibus, quia ille esset peccator habitualiter; sed potius ideo esset peccator, quia terminaret odium inimicabile. Ergo peccatum habituale potius consistit in reatu, seu dignitate pœnæ manente in homine ex culpa præterita, quam in dignitate odij.

Altera illatio, peccatũ habituale potius explicãdum est per reatum pœnæ manentem in homine transacto peccato, quã per dignitatẽ odij.

41 Sed dices. Ergo post actum odij præteritum homo ille terminaret odiũ inimicabili Dei, quin tũc esset dignus odio illo. Distingo consequens, quin tunc esset dignus odio, dignitate pro tũc antecedenti odium; ad illudvè moventi: concedo: quin tunc esset dignus odio, dignitate pro tunc consequenti odium, & vi illius conservata moraliter: nego. Nam cum peccatum actuale ex se sit dignitas ad odium inimicabile, & Deus intuitu illius concipiat odium terminatũ ad pœnam non solum pro illo instanti, in quo existit peccatum, sed pro sequentibus, in quibus iam physice non existit, & cũ vi huius odij perseveret moraliter illud peccatum pro tempore sequenti, fit consequens, vt pro tunc non existat dignitas odij movens ad odium, sed conservata moraliter vi illius. Secundo aliquis respõderet, posse hominẽ pro aliquo instanti terminare odiũ inimicabile, quin tunc sit dignus odio; quia satis est, fuisse dignum in instanti antecedenti, & Deum intuitu talis dignitatis concepisse odium terminatum ad peccatorem pro sequentibus instantibus, & in illis perseverans ob suã immutabilem durationem.

Obiect.

Diluitur.

In fine adverto, sententiam à nobis hucusque propugnatã valide ex Tridentino confirmandam disput. 6. sectione 4.

(?)

DIS-

DISPVTATIO V.

QVO PACTO BEATA VIRGO, ADMISSO, QVOD PECCAVERIT IN ADAMO, PRÆservata fuerit ob paſsionem Chriſti ab ipſa macula originali?

SECTIO PRIMA.

Senſus queſtionis, & dubitandi ratio.

VAMVIS diſputatione ſequenti probaturi ſimus, Beatam Virginẽ non peccaſſe in Adamo, & diſputatione 7. explicaturi, quo pacto ob merita paſsionis Chriſti id contigerit; quo explicato explicata manebit immunitas ab ipſa culpa ob paſsionem Chriſti; tamen quia immunitas à culpa eſt iam certa, & immunitas à debito proximo, ſeu exceptio à communi lege de transfuſione peccati eſt ſolũ probabilis: ſupponendo pro nunc diſputandi gratia cum communi ſententia, quod Beata Virgo peccaverit in Adamo, contraxeritque debitum proximum incurrendi maculam originalem, inquirimus, quo modo ab iſta fuerit liberata ob merita paſsionis.

Ratio dubitandi.

2 Et ratio dubitandi eſt, quia in omnium Theologorum ſententia Chriſtus, vt paſsibilis, venit primario in remedium peccati, non venturus ſic, ſi Adamus non peccaſſet: eſtò ſecundum plures Incarnatio quoad ſubſtantiam principaliter fuerit præfinita ob excellentiam myſterij, ita vt Chriſtus veniret, Adamo non peccante: ergo antequam prævideretur Chriſti paſsio, iam prævidebatur peccatum originale inficiens maſam naturæ humanæ: vel ergo prævidebatur pro illo ſigno inficiens Mariam, vel non? Si primum: ergo illa habuit maculã originalem. Si ſecundum: ergo antequam intelligeretur Chriſti paſsio in præſcientia divina, iam intelligebatur Maria liberata à culpa originali: ergo non fuit liberata ab illa per merita paſsionis Chriſti: hoc autem eſt abſurdum: quia vt inquit Pater Suarez diſput. 9. de peccatis, ſect. 4. num 4. redemptionis noſtræ pretium fuit ſanguis Chriſti, & in morte ſua peculiariter operatus eſt, ac conſumavit redemptionem ipſam; vt paſsim Paulus, ac tota fere ſcriptura docet. Et in oratione quadam feſti conceptionis, quæ ante Pium Quintum vniverſaliter recitabatur in Eccleſia, dicitur: *Sicut ex morte filij tui prævisa eam ab omni labe præſervasti.*

SECTIO SECVNDA.

Expeditur difficultas.

Quomodo diſponatur ſigna in divina mẽte, vt Beata Virgo præſervetur ab originali.

3 NON expoſuit nobis Eximius Doctor ſuam de hac re ſententiam, nec ſpecialiter hanc difficultatem movit. Sed Pater Ferdinãdus de Salaz. tomo de Conceptione, capite 4. ex varijs locis mentem eius colligit. Iuxta Suarium ergo in primo ſigno Deus Chriſtum Dominum præfinivit ob excellentiam myſterij. In ſecundo ſigno ob Chriſti merita præſcindentia à vita paſsibili, & impaſsibili Mariam creare ſtatuit, & in Chriſti Matrem elegit, ad eumque gloriæ cumulum, quem de facto habet, prædeſtinavit. In tertio mundum vniverſum propter Chriſtum, & Mariã condere decrevit. In quarto prædeſtinatos omnes tam ex Angelis, quam ex hominibus efficaciter elegit ad gloriam. In quinto pactum inire cum Adamo, illumque caput morale poſterorum omnium conſtituere ſtatuit. In ſexto vidit Adamũ peccantem, & in ipſo omnes eius poſteros peccantes, & contrahentes debitum proximum incidendi in maculam originalem, & inter ipſos Mariam. In ſeptimo decrevit, vt Chriſtus veniret in carne paſsibili ad redimendum genus humanum. Ac demũ in octavo ſigno reliquos mortales ſinens labi in peccatum, vnam Mariam ob Chriſti paſsibilis merita à peccato originali per infuſionem gratiæ ſan-

sanctificantis perseverare disposuit, atque ordine executionis ad illum gratiæ cumulum exeit, ad quem in secundo signo ordine intentionis destinaverat.

Impugnatur modus assignandi a signa traditus à Salazar ex mente Suarij,

4 In hoc discurrendi modo multa continentur, cuius examen nostri instituti non est. Mihi eo præcipuè nomine displicet nunc; quod iuxta illum Beata Virgo postquā semel electa est in Matrem Christi subijcitur communi pacto, & legi cum reliquis Adami filijs: & postquam vniversorum est constituta domina subditur Adamo, vt capiti; quæ in decora sunt dignitati Matris. Deinde, vel in illo secundo signo electa est ad gratiā habendam à primo instanti conceptionis, vel non? Secundum non congruit cū dignitate Matris. Primum pugnat cum eo, quod postea in quinto signo subijciatur pacto. Implicat enim, vt postquam Beata Virgo assequuta est securitatem infallibilem non incidendi in culpam, exponatur periculo illam incurrendi. Deinde cum sententia asserens, Christum non fuisse præfinitum, nisi post Adami lapsum in se prævisum, sit communior in Scholis, immunitas Deiparæ à macula originali exponēda nobis est iuxta hanc sententiam.

Quomodo difficultatē expediat P. Vazq. asserens motivū Incarnationis fuisse peccatū Adami, vt impendens posteris.

5 Et ideo P. Vazquez 1. part. disp. 95. n. 13. & 15. & 3. part. disp. 13. num. 9. & cum eo Meratius disp. 9. de Incarnatione, sect. 3. n. 7. & 8. & Gaspar Hurtad. disp. 1. num. 155. Cardinal. de Lugo disp. 7. n. 66. aliter rem istam componunt, vel potius principia statuunt, ex quibus facile difficultas solvetur. Docent namque, Christum fuisse præfinitū propter peccatum Adami non vt iam actu derivatum in posteros, sed vt derivandū; ita vt motivum Incarnationis fuerit peccatum illud actuale Adami commissum ab ipso vt gerente personam posterorum; & consequenter peccatum originale non vt iam contractum à posteris, sed vt imminens singulis. Idemque tenet P. Puente Hurtado disput. 13. de Incarnatione, §. 77. vbi docet, nullum posterum Adami prævisum esse cum peccato originali iam contracto nisi post prævisum Christum.

Solvitur dubitandi ratio.

6 Iuxta hanc autem sententiam facile explicatur, quo pacto Beata Virgo ob merita passionis Christi fuerit præservata à culpa originali, seu sanctificata in primo instanti suæ conceptionis: & solvitur ratio dubitandi proposita sectione præcedenti. Nam pro priori ad meritam passionis Christi non prævidebatur genus humanum iam infectū culpa originali; sed solum prævidebatur cum debito proximo, & periculo incidendi in illam in omnibus suis individuis descendentibus ab Adamo per naturalem propagationem. Tunc ergo præfinitus est primo adventus Christi quoad substantiam, vt vult Pater Vazquez cum Sancto Thoma, vel saltem tunc primo est præfinitus quoad circunstantiam carnis passibilis, vt volunt plurimi ex his, qui dicunt, Christum præfinitum esse ante prævisum peccatum præscindendo à carne passibili, & impassibili; præfinitus est, inquam, in remedium peccati primi parentis, quod iam commisserat, & in remedium peccati originalis, quod iam imminebat posteris, & erat in præparatione causarum. Et propter merita passionis Christi prævisa decrevit Deus, liberare Mariam à culpa iam imminenti infundendo ei gratiam sanctificantem in primo instanti suæ conceptionis, cum qua non componitur culpa originalis.

7 Noluit tamen aliquem alium posterorum à culpa originali eximere, sed reliquos omnes privavit gratia sanctificanti in pœnam peccati, quod commisserunt in Adamo, & quod ad maculā originalem comparatur iuxta sententiam communem tanquam peccatum actuale ad habituale. Et ita cōstituti sunt peccatores, vel ab illa privatione gratiæ tanquam à forma, vel à peccato commisso in Adamo, moraliter perseveranti in ipsis ratione non infusionis gratiæ: quia hoc ipso quod Deus nolit illis infundere gratiam sanctificantem, noluit eis condonare culpam commissam in Adamo; & ratione huius non condonationis, culpa actualis commissa in alio facta est habitualis in ipsis, eosque formaliter intrinsece incœpit afficere, & denominatio peccatores. Postquam vero prævisi sunt reliqui posteri iam lapsi, decrevit Deus eos eligere propter meritum passionis Christi, & propter illud applicuit quibusdam media efficacia ad obtinendam gratiam iustificationis: alijs vero media sufficientia dumtaxat, nimirum omnibus his, qui cum peccato originali moriuntur.

8 Estque dissidium inter Doctores, an Beata Virgo prius ordine rationis electa fuerit efficaciter ad maternitatem, quam ad gratiam originalem, an è converso? Quod ad præsens institutum non

non facit. Est etiam maxima difficultas in explicando, quo pacto potuerit meritum passionis prævisum in se ipso antecedere electionem efficacem Virginis in Matrem, & esse causa illius, & præservationis à culpa originali. Sed huius difficultatis enodatio pertinet ad alium tractatum huius materiæ, in quo disputabimus, an & quomodo Christus meruerit Virgini Maternitatem, & gratiam antiquis Patribus.

SECTIO III.

Solvuntur obiectiones.

Quo fundamento videatur ductus S. Thomas ad asserẽ dũ Beatã Virginẽ cõtraxisse maculam originalẽ.

9 HVIC dicendi modo se opponunt Pater Ferdinandus de Salazar de Conceptione, cap. 16. à num. 3. & cap. 24. *§. item*; Pater Bernal disp. 16. de Incarnatione, numero 28. existimantes, Christum præfinitum esse propter Adami peccatum, & propter omnia, & singula posterorum originalia iam formaliter prævisa; & hęc videtur fuisse sententia D. Thomæ 3. p. quæst. 1. art. 4. vbi docet, Christum venisse primaria, ac principali intentione propter peccatum originale, quod traductum est originaliter in posteros. Vbi tradductum dixit, non tradducendum. Et ita sentiunt Thomistæ arbitrantes, Beatam Virginem conceptam in peccato originali; & hoc videtur fuisse fundamentum, quo permotus est Angelicus Doctor 3. part. quæst. 27. art. 2. vt pronuntiaret, *Si Virgo non incurrisset maculam peccati originalis non indiguisset Redemptore.* Videtur enim fecisse hunc discursum: Christus Dominus prędestinat° est propter peccatum originale, vt iam inficiens naturam humanam, & consequenter; vt iam actu derivatum in posteros Adæ: si ergo Beata Virgo dicatur præservata à culpa originali, opportebit dicere illam non indiguisse Christo, vt Redemptore: vtpote quæ ante præscientiam meritorum Christi præventa fuerit per gratiam in prædestinatione Divina, ad illamve electa.

10 Ad rationem dubitandi respondent Salazar, & Bernal: prius quam Christus decerneretur, prævisum esse peccatum originale transfusum in omnes illos Adæ filios, qui iam prævidebãtur futuri: tunc autem non prævideri adhuc Beatam Virginem, sed post Christi passionẽ: sicut enim Adamo non peccante Christus non venisset, ita nec Beata Virgo exitura esset, Christo non veniente. Hæc singularis sententia examinabitur disputatione 6. dum expendamus, quo pacto propter merita Christi passibilis Beata Virgo excepta fuerit à communi lege, & pacto. Nam illi Doctores illum dicendi modum invexerunt ad expediendam hanc difficultatem de immunitate à debito. Nunc prætermittenda est, quia in præsenti quæstione disputationis gratia supponimus, Virginem peccasse in Adamo, & hoc supposito investigamus modum, quo propter meritũ passionis Christi sanctificata fuerit in primo instanti suæ conceptionis, etsi immunis evaserit à macula originali.

Quo fundamento ducãtur aliqui Doctores ad asserendũ motivũ incarnationis fuisse peccatũ originale nõ tantũ vt impẽdens, sed vt actu derivatũ in posteros.

11 Sed examinare oportet fundamenta, quibus ducuntur hi Auctores ad asserendum, Christum venisse propter peccatum originale, vt iam contractum à singulis posteris Adæ. Pater Bernal vbi supra num. 28. breviter hoc probat; quia alioqui causa adventus Christi non esset vniversalis, sed privata, scilicet propter Adamum: fuisse autem vniversalem, & toti humano generi communẽ, tradunt frequenter Patres. Fieret etiam, vt Christus propter nullum peccatum originale saltem in particulari veniisset, Demum fieret, legem transfusionis peccati originalis non fuisse abinitio, vt peccante Adamo eius posteri peccarent, sed vt peccante Adamo peccatum originale posteris immineret, & postea decreto, Christo, aliam fuisse legem, vt originale ab illis contraheretur: quæ sunt incredibilia.

12 Hæc tamen fundamenta intentum non persuadent. Ad primũ enim respondetur, causam adventus Christi fuisse vniversalem: nam Deus absolutè voluit, vt redimeret primos parentes à peccato: rursus voluit, vt redimeret posteros Adæ subconditione, quod inciderent in peccatum originale, quod iam illis imminebat: ac proinde adventum Christi retulit tanquam in finem in redemptionẽ totius generis humani. Hoc pacto etiam dicitur, venisse ad redimendos homines à peccatis actualibus; non quia hæc supponerentur ante præfinitionem Christi, sed quia voluit, vt si inciderent in peccata personalia liberarentur per merita Christi, seu vt illis concederetur gratia ad resurgendum à lapsu.

13 Addo, Deum illo primo decreto ordinasse adventum Christi ad re-

redemptionem cuiuslibet posteri descensuri ex Adamo, vel præservativam à lapsu imminenti, vel reparativam, si sineretur cadere. Et hinc constat, Christum venisse propter peccatum originale singulorum. Tertium inconveniens maioris momenti est, quatenus eo tendit, vt probet, impossibile omnino esse, aliquem intrare pactum illud, & legem communem, & nihilominus non concipi in peccato originali, de quo nos latè egimus disputatione præcedenti; & in præsenti, disputationis gratiâ, supponimus, illa duo cohærere. Hoc autem supposito dici debet, legem illam vniversalem non includere absolutam, & definitã Dei voluntatem, vt peccante Adamo, omnes eius filij cum privatione gratiæ concipiantur, sed voluntatem habentem tacitam conditionem, nimirum nisi Deus velit præfinire incarnationem filij sui, & ob ipsius merita alicui infundere gratiam sanctificantem pro primo instanti, qua carere merebatur, attento peccato primi parentis.

14 Nec vero opus fuit noua lege, ad hoc vt parvuli concipiantur in peccati originali, sed ex vi prioris legis per hoc præcisè, quod Deus nolit, huic parvulo infundere gratiam ob Christi merita, ille concipietur in peccato originale.

DISPVTATIO VI.

AN BEATA VIRGO PECCAVERIT IN ADAMO, ET DEBITVM PROXIMVM peccati originalis contraxerit?

QVAMQVAM ex dictis disputatione 4. deprehendatur, Virginem non peccasse in Adamo; quia ita peccasse non componitur cum veritate immaculatæ conceptionis, de qua iam dubitare non licet: tamen quia id est certum; & tamen certum non est, non cohærere illa duo, nempe Virginem peccavisse in Adamo, & tamen non cõtraxisse maculam originalem; ideo absolute nunc inquirimus, an peccaverit in Adamo, & debitum proximum maculæ originalis contraxerit? Iam disputatione 3. sect. 2. & disputationis 4. initio ex posuimus, quid sit peccare in Adamo; nunc pro intelligentia quæstionis præmittendum est, quid sit debitum illud proximum.

SECTIO PRIMA.

Quid sit debitum peccati originalis: vbi an sit idem, ac peccasse in Adamo?

2 DEBITVM peccati originalis nihil aliud est quã quædam obligatio, aut necessitas moralis, quam subeunt Adami filij, vt cum primum existant, concipiantur privati iustitia originali, & consequenter in peccato. Ita Bellarminus, Suarez, Vazquez, Valentia, & alij apud Salazar de conceptione, cap. 1. num. 5.

3 Hoc debitum communiter dividi solet in proximum, & remotum. Remotum iuxta frequentem expositionem inter modernos Scriptores, vt videre est in Patre Aldrete disput. 22. de Incarnatione, sect. 3. num. 2. fundatur in ipsa naturali propagatione ex Adamo, quatenus is, qui ita concipitur ex vi suæ generationis, & originis debet eisdem legibus subiacere, quibus reliqui posteri subijciuntur; ac proinde debet manere cum necessitate maculam originalem contrahendi, nisi speciali privilegio à communi lege, & pacto excipiatur. Hoc debitum improprie tantum rationem debiti participat; cum sola naturalis propagatio ex Adamo non fundet moralẽ necessitatem, & obligationem incurrendi maculam originalem. Etenim si ratione pacti non constitueretur Adamus caput morale posterorum, quamvis ipse peccaret, posteri per communem generationem ab eo procedentes non peccarent in ipso, nec manerent cum debito, seu reatu contrahendi maculam originalem. Ergo hoc debitum remotum, si proprie loqui, velimus, non tam est debitum, quã quædã ob-

obnoxietas peccandi, quia is, qui communi generationis via ab Adamo procedit, ex vi suæ generationis pactum initum cum Adamo deberet intrare, & mediante peccato Adami reus concipi maculæ originalis.

3 Debitum proximum, quod solum rationem debiti propriè participat, fundatur, tum in propagatione, tum in pacto illo vniversali de transfundenda iniustitia in omnes Adami posteros sub cõditione, quod ipse peccet, vel in transfusione voluntatum, vi cuius peccatum Adami fit moraliter peccatum parvulorum. Nam posito illo pacto, vel transfusione voluntatum, per hoc præcisè, quod Adamus violaverit præceptum, omnes, qui ex illo per naturalem propagationem sunt derivandi, cum originali concipi debent, & contrahunt necessitatem quãdam incurrendi maculam originalem cũ primum existant, Vnde hoc debitum proximum nihil aliud est, quam eiusmodi necessitas resultans in parvulis ex eo quod supposito pacto de transfusione voluntatum Adamus violaverit præceptum. Ita explicant P. Alderete vbi supra, Cardinalis de Lugo disputatione 7. de Incarnatione num. 26. P. Arriaga disputatione 16. num. 30 & omnes communiter Recentiores.

5 Aliter tamen rem exponit Pater Peñalosa in vindiciis Beatæ Mariæ disputatione 1. num. 90. vbi debitum remotum confundit cum debito activo, & proximum cum passivo; vt debitum remotum seu activum sit ipsa violatio præcepti facta ab Adamo nomine posterorum, per quam comminatio divina denegandi gratiam parvulis trasivit in absolutam; ac proinde sit ipsum peccatum Adami, vt moraliter meritorium nostræ ruinæ: debitum vero proximum, seu passivum sit moralitas nobis inhærẽs ex prædicto debito remoto resultans, qua vnusquisque nostrum quando primo concipimur, & antequam prioritate naturæ maculati intelligamur, peccato obnoxij censemur. Sed inepta est hæc explicatio; quia iuxta illam debitum remotum non distinguetur realiter à proximo: siquidem denominatio Adami, vt merentis posteris privationem iustitiæ originalis, non distinguitur à denominatione resultante in posteris à peccato Adami tanquam à forma: sicut denominatio amantis non distinguitur à denominatione amati: omnes autem communiter supponunt debita illa esse realiter distincta.

6 Vnde iuxta explicationem communem parvulos contrahere debitum proximum peccati originalis, idem est, ac eos peccavisse in Adamo: illos autem sic peccavisse iuxta communem sententiam admittentem transfusionem voluntatum, idem est, ac elicuisse moraliter transgressionem præcepti: & iuxta sententiam negantem illam transfusionem idem est, ac Adamum fuisse causam meritoriam, vt iustitiam originalem amitteremus, & in peccato originali conciperemur. Quare in illa sententia hæc propositio: *Nos peccavimus in Adam*: æquivalet huic: *Adamus meruit, & causa fuit, vt nos in peccato conciperemur*: vt affirmant Pater Vazquez 1. 2. disp. 132. num. 21. Salazar de concept. cap. 1. §. 5. & Peñalosa disputatione 1. num. 86.

7 Iuxta principia autem peculiaria à nobis stabilita disputatione 4. sect. penultima, parvulum peccare in Adamo, antequam in se existat, nihil aliud est, quam tunc Adamum nomine parvuli ponere formam, ratione cuius ille cum primum existat, denominetur peccans absolute moraliter, & dignus pœna æterna damni: quia antequam existat, nequit, hanc denominationem subire: sicut in sententia communi parvulus antequam existat, non denominatur peccator habitualiter, licet tempore intermedio inter instans, in quo Adamus peccavit, & instans, in quo parvuli concipiuntur, detur peccatum habituale parvulorum in abstracto, quatenus tempore illo intermedio peccatum illud Adami, quod fuit moraliter peccatum parvulorum, perseverat moraliter, vt eos denominet peccatores habitualiter, cum primum existãt.

Mens Authoris circa debiti explicationem.

8 Vnde debitum proximum peccati originalis in nostra sententia est quędam necessitas, quam identificat secum peccatum Adami, vt personæ publicæ ad denominandos parvulos peccantes absolute, cum primum existant: seu est ipsum peccatum in abstracto, expectans existentiam subiecti, vt ipsum denominet dignum odio inimicabili Dei, idest voluntate efficaci privandi ipsum gratia, & gloria propter peccatum illud: vt enim peccatum commissum ab Adamo nomine posterorum istos denominet dignos pœna æterna, cum primum existant, non expectat aliquod Dei decretum, sed præcisè existentiam subiecti. Expectaret

ret autem, si illud peccatum de actuali transiret in habituale, & pro primo instanti denominaret parvulos peccatores habitualiter: quia hominem esse nunc peccatorem habitualiter ex vi actus præteriti; non est præscisè, illum actum extitisse antecedenter, & nunc existere hominem: sed est illum actum extitisse, & Deum noluisse illum remittere. Vnde peccatum habituale vt habituale præter existentiam actus in tempore antecedenti requirit decretum liberum Dei nolentis remittere actum illum, ideſt nolentis cedere iuri, quod per talem actum acquisivit ad puniendum peccatorem.

9 In præsenti ergo disputatione inquirimus, an Beata Virgo inclusa fuerit in illo pacto, & lege communi de transfusione iniustitiæ originalis in posteros Adæ sub conditione, quod ille peccet: quia si inclusa fuit, sicut reliqui, sanè peccavit in Adamo, & contraxit debitum proximum maculæ originalis, ideſt, necessitatem quandam, vt concipereretur cum privatione iustitiæ originalis. Quod debitum licet in sententia communi non connectatur essentialiter cum macula originali, sicut nec peccatum actuale personale connectitur cum macula habituali, tamé vel reddit ipsum dignũ privari gratia iustificanti in primo suæ Conceptionis instanti, vel saltem reddit Adamum dignum, vt propter eius peccatum ipsius posteri priventur iustitia originali.

Quæstionis sensus apperitur.

SECTIO SECVNDA.

Authorum placita.

10 VIRGINEM peccasse in Adamo, ac proinde debitum proximum peccati originalis contraxisse, sentiunt nõ solum omnes Doctores arbitrantes, eam contraxisse maculam originalem, sed plurimi ex his, qui eius immunitatem ab illa macula totis viribus propugnarunt: vt Eximius Doctor tom. 2. in 3. partem disp. 3. sect. 3. & 1. 2. disp. 9. de peccatis sect. 4. num. 11. Pater Vazquez tom. 2 in 3. part. disp. 115. cap. 3. Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 16. Curiel 1. 2. quæst 81. art. 3. §. 2. & Ægidius de præsentatione lib. 2. de Conceptione quæst. 3. art. 2. plures alios referens. Adeo autẽ renaciter huic sentẽtiæ plures adhæsere, vt Cajetanus tom. 2. opusculorum tractatu 1. cap. 3. existimet sententiam oppositam esse contrariam fidei Catholicæ; & Corduba lib. 1. quæst. 44. contrariam appellat hæreticam. Ægidius lib. 3. quæst. 10. art. 1. num. 2. parum tutam in fide. Bellarmin. vbi supra, non admodum tutam. Vazquez ea disp. 115. num. 18. ratione efficaci ita refutabilẽ, vt notam erroris mereatur.

Authores, qui defendunt Virginem peccasse in Adamo.

11 Pater vero Suarez illa sectione 2. §. *quæret aliquis*, ait, non posse sine errore negari, Beatam Virginem ex vi peccati Adæ ita fuisse obnoxiam maculæ & peccato cõtrahendo, vt si per Christum non esset verè, ac proprie redempta, illud contraheret. At ea disp. 9. de peccatis sectione 4. num. 34. mitius loquitur: putat enim non esse dignas censura aliqua propositiones istas: *Beata Virgo non peccavit in Adam*: vel, *non habuit debitum peccati originalis, nec in se, nec in alio*, licet num. 35. dicat se illis non acquiescere, nec in illas induci posse. Doctrina autem illius sectionis continet vltimũ iudicium Eximij Doct. de hac controversia: quia desumpta est ex quadam epistola, quam non multo ante mortem vulgari sermone transmisit Conimbrica ad vnum è nostris, qui ex Hispania ipsum rogarat, an etiam tunc permaneret in ea sententia, quam tradiderat tom. 2. in 3. partem; scripta autem fuit illa epistola anno 1616. in quo magni motus circa hanc controversiam excitati sunt in Hispania.

12 Est autem magnum dissidium inter Doctores asserentes, Virginem habuisse debitum culpæ originalis, an illud solum habuerit pro primo instanti Conceptionis, an toto vitæ tempore. Plurimi cum Patre Suarez tom. 2. in 3. partem disp. 3. sect. 4. & 5. & citata sectione 4. disputationis 9. de peccatis num. 26. affirmant, solum habuisse debitum pro priori naturæ primi instantis, in quo iustificata est; pro reliquis vero eo caruisse. At multi alij cum Patre Vazquez 3. parte disp. 116. cap. 5. docent, perseverasse in Virgine pro toto vitæ tempore. Quas sentẽtias examinare nostri instituti non est. Consulatur Pater Salazar cap. 15. à num. 32.

Authores defendentes Virginem non contraxisse debitum

13 Virginem vero in Adamo non peccasse, nec contraxisse debitum culpæ originalis præter Ambrosium Catherinum, Vigerium, Galatinum, Maironũ, Martinum Martinez, Stellam, atque Basilium Legionensem citatos ab Ægidio lib.

lib. 2. quæst. 3. artic. 1. docuit Alphonsus Salmeron in cap. 5. Epistolæ ad Roman. disput. 45. pagina 596. his verbis: *Non satis est, esse Adæ filium, vt peccatum aliquis contrahat, nisi pacto insuluis inveniatur cum causa patris; at pactum ad Beatam Mariam non se extendit, sed vt Mater sua prævisa singulari privilegio exceptа fuit.* Albertus Magnus inquiens apud Canis. lib. 5. de Deipara cap. 27. §. *Ad Thomam: Hanc Sanctissimam Virginem solam à communi illa regula excepi; omnes in Adam peccaverunt.* Nicolaus de Cusa Episcopus Brixiensis, & postea Cardinalis lib. 8. exercitationum declarans illa verba, *sicut lilium inter spinas.* Doctissimus Frater Ludovicus de Carvajal Ordinis Minorum, cuius in Concilio Tridentino spectata fuit auctoritas, in declamatione pro Virginis Conceptione, cap. 23. cuius titulus est, quod lex vniversalis peccati originalis nõ sit in Beatam Virgine lata. Ex nostris Pater Franciscus Turrianus in epistola ad Iacobum Amiotũ, Venerabilis Pater Ludovicus à Ponte doctrina, & sanctitate clarus tom. 2. in Cantico lib. 7. exercitatione 20. §. 3. P. Iacobus Granad. in speciali opusc. de Conceptione, disp. 3. c. 23. sect. 2. P. Ferninandus de Salazar in opere de Conceptione, cap. 8. P. Ioannes Perlinus in speciali opere de hac controversia dist. 3. c. 5. Cardinalis de Lugo disp. 7. de Incarnatione: Bernal. disp. 8. sect. 5. P. Puente Hurtado, P. Arriaga, & P. Alderete, & hac tempestate omnes Theologi Societatis, qui de hac controversia post Salazar, & Granad. scripsere, & plurimi ex alijs familijs. Vnde opinio hęc, quę primo gravissimorum Doctorum aures læserat (inquit Salazar cap. 7. n. 5.) iam nunc multorum doctissimorum hominum plausu celebrari cœpit.

14 Consulantur idem Salazar cap. 8. n. 20. & P. Granad. vbi supra n. 17. qui referunt, hanc opinionẽ de omni suspicione liberatam fuisse censura supremi Consilij Sanctæ Inquisitionis, vtpote quod cõsultis hac de re gravissimis Theologis ex Hispaniæ Vniversitatibus liberã potestatem fecit Fratribus Minoribus anno 1616. vt suas de hac re publice Theses Toleti defenderent, quas auctoritas illius Senatus prius inhibuerat.

(?)

SECTIO TERTIA:

Ostenditur, Beatam Virginem non peccasse in Adamo, nec debitum peccati contraxisse.

15 DEBITVM hoc proximũ peccati originalis dedecere Beatam Virginem latè, & nervosè probat P. Salazar c. 15. à n. 7. Et verò hæc indecentia maximè cernitur iuxta explicationem Ægydij, qui lib. 2. q. 4. artic. 3. n. 68. & lib. 3. q. 11. art. 4. n. 23. docet, eum, qui peccavit in Adamo, toto tẽpore ante præservationẽ à macula fuisse inimicum, & exosum Deo; ac proinde Beatã Virginẽ toto tempore præcedenti eius primã existentiã fuisse peccato mortuam, Deo inimicã, captivã, & obnoxiã ad contrahendã maculã in propria persona, nisi per gratiã in primo generationis instanti illi collatam talis culpa ei remitteretur. Et priori illo loco n. 47. ex sententia negante, Beatam Virginẽ peccasse in Adamo infert, tanquam absurdum contra fidem, eam non fuisse redẽptam à Christo: quia per Christi sanguinem non redimitur, inquit, nisi is, qui est vere inimicus Dei, vt Deo reconcilietur; verè est filius ità vt Deus illi propicietur, vere est captiv⁹ captivitate peccati, vt ab ea redimatur: vere est peccato mortuus, vt resuscitetur: denique, vere est positus in statu veteris Adami, vt transferatur ad statum Filiorum Dei. Quis autẽ non videat, hæc omnia maximè dedecere Dei Matrem?

16 Et sanè in sententia communi, quam acriter propugnat Ægydius, docente, idem esse peccare in Adamo, ac illius peccatũ moraliter commisisse ratione transfusionis voluntatum, si Beata Virgo peccavit in Adamo: ergo moraliter elicuit actum prohibitũ, & comedit de ligno vetito; atque per illam transgressionem constituta est digna, quæ privaretur gratia, & gloria in æternum: in hoc autẽ maior indecentia involvitur, quam in eo, quod suppositа illa culpa, privaretur gratia: imò in hoc secundo nulla alia esset indecentia, nisi ea, quæ resultat ex illo primo: nam vt docet Dionisius lib. 4. de Divinis nominibus: *Punire non est malum, sed fieri pœna dignum:* Si ergo merito censetur absurdum, & cõtra dignitatem Matris, quod Beata Virgo privetur gratia in primo instanti suæ conceptionis ob peccatum Adami; mul-

to magis absurdum erit, quod ipsa moraliter cõmiserit illud peccatũ, & ipso meruerit privari gratia, & gloria in æternũ. Quare omnia argumenta; quæ probant, Beatã Virginẽ non fuisse conceptã cum privatione iustitiæ originalis, pariter probant, non peccasse in Adomo.

17 Nec satisfacit P. Suar. 1. 2. disput. 9. de peccat. sect. 4. n. 23. dicens magnam esse differentiam inter debitũ, & peccatum originale; quapropter etiã si necessarium sit ad perfectam sanctitatem, & puritatem Virginis, conceptam fuisse absque originali labe, non tamen est necesse, fuisse immunẽ à debito illius maculæ. Ratio est, inquit, quia peccatũ originale facit inimicum Deo, quod non facit debitũ: item originale est vere peccatum, defectusque moralis; debitum vero nec defectus moralis est, nec peccatũ: quoniã ante peccatũ originale nõ potest dari moralis defectus in puero, atque ita debitũ hoc est veluti defectus naturalis, qualis est nasci ab ignobilibus, seu esse huius, vel illius originis, vel nasci à parẽtibus perduellionibus, quod nihil refert ad verã sanctitatẽ, atque innocentiã.

18 Non, inquã, satisfacit P. Suarez ita respondens: nam debitum hoc est peccatũ actuale moraliter admissum à parvulis: propterea enim habent debitũ nascendi in peccato originali, quia peccaverunt in Adamo. Vnde debitum illud comparatur ad privationem gratiæ, in qua iuxta Patrem Suarez consistit macula originalis, sicut peccatum actuale personale comparatur ad privationem gratiæ, in qua iuxta eundem consistit macula habitualis. Vnde debitum illud est vere defectus moralis, & peccatum: imò ipsum peccatum actuale Adami moraliter commissum à parvulis est forma, à qua denominantur habitualiter peccatores, vt constat ex disput. 3. vereque peccatum illud, in quo consistit debitũ proximum incurrendi privationem gratiæ; reddit parvulos Dei inimicos, ideſt dignos odio inimicabili: quia reddit illos dignos voluntate efficaci Dei privandi eos in ęternũ gratia, & gloria: nam intuitu illius peccati commissi in Adamo potuit Deus concipere decretũ efficax negandi parvulis in perpetuum gratiam, & gloriam: hoc autem decretum est odium efficax parvulorũ, quia nullũ alium actũ odij efficacis potest Deus habere circa illos. Rursus, si macula originalis orta ex peccato originali actuali, nempe privatio gratię non dicitur à Patre Suarez defectus naturalis, non video, quo iure possit appellare defectum naturalem illud debitum, cum potius sit defectus moralis, vtpote proveniens ex eo quod parvuli in Adamo peccaverint.

Debitũ comparatur ad peccatũ originale, sicut peccatũ actuale ad habituale.

19 Præterea; quia si vt Apostolus loquitur, nulla est conventio Christi ad Belial: affinitas maxima, & quasi idẽtitas moralis inter Filium, & Matrẽ postulat, vt nulla fuerit conventio Mariæ ad Belial: fuisset autẽ si Virgo peccavisset in Adamo: quia peccare in Adamo est aliqua coniunctio ad Belial: quisquis enim vere dicitur, peccare, vere etiam dicitur, recedere à Deo, & accedere ad Dæmonem. Vlterius: quia vt testatur scriptura, sapientia non habitat in anima & corpore subdito peccatis: ergo cum sapientia Dei, seu Filius specialissimo modo habitaverit in Beata Virgine, nunquã illa fuit subdita peccato: fuisset autẽ si peccavisset in Adamo, & debitũ culpæ originalis cõtraxisset. ergo nõ peccavit in Adamo. &c.

20 Sed quamquam cum P. Salazar, & P. Vazquez quis diceret, parvulos nõ elicuisse moraliter actionem Adami, qua transgressus est præceptum, adhuc absurdum esset, Beatam Virginem inclusam fuisse in illo pacto, & cõtraxisse debitũ culpæ originalis; nam debitũ hoc servitus quædã est, Dei Matrẽ, omnium. que creaturã Reginam Adamo tanquam capiti, & Principi subijciens, & sub peccati regno, ac dominio illam constituens. Absurdumq; videtur, vt salutẽ illius fœminæ, quã in Filij sui Matrẽ P. Æternus elegit, fragili Adami voluntati cõmiserit, & sub peccati ipsius merito comprehendi, permiserit. Sanè sententia affirmans, Virginẽ in Adamo non peccasse, eam vere ingenuã, & liberã fecit; at sententia oppositã servam, vel saltem libertã constituit, ac proinde nõ modicã ignominiam illi inurit. Audiendus est Petrus Gregorius in syntagmate iuris vniversi libro 11. cap. 1 vbi triplicem speciem servorum enumerans inquit: *Tria sunt genera hominum: alij liberi sunt, atque ingenui, qui nunquam servierunt: alij liberti, qui servierunt quidem, aut servituti obnoxij fuerunt, sed tamen per manumissionem libertatem adepti sunt: alij servi, qui in servitute ipsa semper manent.* De libertis autem subdit: *Libertis nota, & macula quædã inter ingenuos remanet.* Si ergo Beata Virgo servituti peccati originalis vere obnoxia fuit, licet ob merita Christi li-

libertatem ab eo obtinuerit, non tamen obtinuit eam ingenuitatē, & libertatem quæ omnem ignominiam servitutis excludit, & quæ Dei Matrem decet.

21 Rursus si communi Theologorum calculo Beata Virgo à formite peccati præservata est, quia non decebat Dei Matrē experiri rebellionem appetitus, quā Apostolus legē mēbrorū appellat, etiam à debito proximo peccati originalis debuit præservari: quia sicut fomes à peccato est, & in peccatū inclinat, ita debitū illud à peccato est, primi scilicet parentis, & in peccatū inclinat, nēpe in originale vnicuiq; propriū, & ad illud quodāmodo necessitat; ita vt non nisi per ingens miraculū possit à culpa originali liberari, qui ei° debitū proximū incurrit.

Confirmatur primo: nam vt ait Anselmus lib. de Concept. Virg. *Decuit sanē vt Beata Virgo ea puritate niteret, qua sub Deo maior non possit intelligi.* Posset autē maior intelligi puritas sub Deo, si Virgo peccasset in Adamo: nam puritas eo est maior, quo quis magis recedit, & elongatur à peccato: vt enim inquit D. Th. *Puritas intenditur per recessum à contrario.* Vnde purior esset persona, quæ nec vllū se peccatū haberet, nec vnquā peccasset in alio. Cōfirmatur secundo: nā vt inquit Bernardus homil. 1. supermissus est. *Factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem, & se decere sciebat, & sibi noverat placituram.* Debuit ergo eligere Matrem ita segregatam à peccatoribus, vt cum re liquis non peccaverit in Adamo.

22 Denique probatur: quia nullum est argumentū evincens, Virginem peccasse in Adamo; vt constabit ex sectionib° sequētibus. Dum autē oppositū nō probatur, nobis est standū pro immunitate Deiparæ à lege peccati. Vt enim elegāter docet Petrus Zelēsis lib. 9. epist. 9. Beata Virgini concedenda sunt omnia privilegia, quæ ei fuisse negata positive, & efficaciter non probantur: *Multa* (inquit) *præsumuntur de Virgine, quæ nunquā leguntur, & præsumptionibus standum, donec probetur contrarium.* Et in dubio, an Beata Virgo peccaverit in Adamo, necne: debemus sententiā ferre pro ipsius libertate, secundum doctrinam Aristotelis in problematis sect. 29. quæst. 3. vbi Iudicibus suadens, vt in dubio libertatis, & servitutis, quoad fieri possit, libertati faveant, addit: *Nam etsi iniquum etiam est, liberum asseruisse eum, qui servus est, longe tamen iniquius est, servum sensisse eum, qui liber est.*

SECTIO QVARTA.

Solvuntur obiectiones.

23 ARGVVNT principaliter primo: ex illo Pauli 2. ad Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus:* in quo loco certum est, sermonem esse de morte spirituali filiorum Adæ: ergo sicut certum est, Christum mortuum esse pro omnibus nullo excepto, ita certū esse debet, omnes fuisse mortuos morte peccati nullo excepto. Ergo Beata Virgo mortua fuit morte peccati: at non in se: ergo saltem in Adamo, nimirū peccando in ipso, & contrahendo debitum proximum incurrendi maculam originalem. Eandem vim habēt verba Apostoli 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Sicut ergo Beata Virgo in Christo vitam habuit, ita & in Adamo fuit mortua.

24 Verum hoc argumentū, vt ingenue fatetur P. Vazquez disp. 115. num. 18. intentum non evincit, quia pariter probaret, omnes homines nullo excepto cōtraxisse peccatū originale; siquidem aliquē esse mortuū peccato, significat, illū in se habere peccatū. Sicut ergo ab adversarijs ita exponendū est hoc testimonium, vt Virginem non comprehēdat quo ad maculam originalē, similiter ita à nobis exponetur, vt non comprehēdat Virginem quoad debitū peccati originalis, & quoad hoc quod est, in Adamo peccasse. Et sanē Apostolus eo loci (inquit Vazquez) non cōtendit, singulos homines peccasse nullo excepto, sed omnes, sive sint Iudæi, sive etiā Græci, & Gentiles peccasse, & indiguisse gratia Dei, vt ita ostēderet, Iudæos ab hac lege nō fuisse exemptos, ex eo quod haberent legem scriptā, & circumcisionē in qua ipsi plurimum præ alijs nationibus gloriabatur.

25 Arguunt secundo ex illo Pauli ad Rom. 5. vers. 12. *Per vnum hominē peccatum intravit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.* Verum hoc testimonium multum probat, nimirum Beatam Virginem in peccato conceptā esse: nam eo vtitur Tridentinum Sess. 5. in decreto de peccato originali Cano-

ne 2. vbi probat, posteros Adæ concipi in peccato originali; ibi enim anathemate ferit eum, qui dixerit Adamū in obedientia sua pœnas corporis tantū in omne genus humanū transfudisse, non autē & peccatum, quod mors est animæ. Subditque rationem his verbis: *Cum contradicat Apostolo dicenti per vnum hominem, &c.* Ergo in eo testimonio sermo est de ipso peccato originali: ergo si nullam limitationē admittat, pariter probat, Virginē cōceptā fuisse in peccato, illud ergo & alia similia ab omnibus Immaculatæ Cōceptionis defensorib⁹ exponēda sunt.

B. Virgo non cō prehēda est sub propositionibus generalibus.

26 Legitima eorum expositio est illa, quam tradit noster Canisius lib. 1. de Deipara, c. 6. & ex illo P. Vazquez 3. p. disp. 117. n. 93. nimirum quam plures esse in scriptura vniversales propositiones, quibus necesse est exceptionem aliquam adhibere, vt non de omnibus intelligantur, licet de omnibus loqui videantur; quales sunt illa Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: & illa Hierem. 6. vers. 13. *Omnes avaritiæ student*: & illa ad Philip. 2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*: & aliæ similes: ab illa ergo generali regula *omnes in Adam peccaverunt*, excipienda est Maria ob specialem prærogativam Matris Dei. Et ita illam excepit Anselmus his verbis, quæ leguntur in officio Noguerolis de Concept. lectione 4. „ Vas electionis, scilicet Paulus, omnes homines „ in Adam peccasse, fatetur; vera vtique „ sententia, & cui cōtradicere, nefas esse „ pronuntio: sed cum eminentiā gratiæ „ Dei in te Maria Virgo considero, sicut „ te nō intra omnia, sed supra omnia, quæ „ facta sunt ineffabili modo contueor, „ ita, & te non lege naturæ aliorū, in tua „ conceptione devictam fuisse opinor.

27 Et hanc exceptionem valide confirmare possumus ex Trident. Sess. 5. „ in fine; vbi declarat: Non esse suæ in„ tentionis comprehendere in hoc de„ creto, vbi de peccato originali agitur „ Beatā, & immaculatā Virginē: ergo declaravit Tridentinum non esse suæ intentionis comprehendere Beatā Virginē sub illa propositione Apostoli, *omnes in Adam peccaverunt*, de qua paulo ante mētionē fecerat, ad probandū, posteros Adę non solum ex illius peccato trahere mortem corporis, sed etiam mortem animæ, seu peccatum originale.

28 In quo obiter colligo, optimā confirmationē sententiæ à nobis stabilitæ, disp. 4. sect. 5. nam Concilium ex testimonio illo Apostoli; *Omnes in Adam peccaverunt*, probat, omnes posteros Adæ ab illo descendentes per naturalē propagationē concipi in peccato: ergo nō stat, aliquē peccare in Adamo, quin concipiatur in peccato: ac proinde non cohærent, Virginem peccavisse in Adamo, & tamē præservatam fuisse à peccato per iustificationem in primo instanti.

29 Objicies tertio ex P. Vazquez disp. 115. cap. 3. Adamus accepit gratiā originalem transfundendam in Virginē, sicut & in reliquos posteros: nam si Adamus observaret præceptum, illa conciperetur in gratia originali, sicut reliqui. Hinc autem recte sequitur (inquit Vazquez) non potuisse Deum excipere Beatam Virginem à posteriori lege de transfundendo peccato: nam si semel sub priori de transfundenda iustitia fuit comprehensa, & hæc transfundenda non erat in vllū posterorū, si Adamus peccaret, quia ea lege, & conditione ipsi commissa est, vt Catholici constanter credunt, conficitur plane, negationem huius iustitiæ, quā iuxta priorem constitutionem, & legem Beata Virgo ex Adamo erat habitura, ad ipsam quoque derivandam fuisse: siquidē si Adamus peccaret iustitiam in eam non derivaret, cumque negatio illius iustitiæ esset cum debito habendi illam ex priori lege, consequitur etiam eam habituram in Beata Virgine rationem privationis moralis, ac proinde peccati originalis: fieri ergo non potuit, vt Beata Virgo à posteriori lege de transfundendo peccato exciperetur, si sub priori de transfundenda iustitia fuit semel comprehensa.

30 Verum hoc argumentum in multis deficit. Primo, quia non est certum, Adamum vi pacti accepisse gratiā originalem transfundendam in Beatam Virginem: siquidem P. Bernal disput. 16. de Incarnat. num. 28. cum Patre Salazar, item Pater Granad. de Conceptione, disput. 3. cap. 26. num. 8 probabiliter affirmant, Virginem fuisse primo præfinitam post prævisum Adami lapsum, & minime futuram Adamo non peccante: ex quo sequitur, illam non fuisse inclusam in pacto illo vniversali, vtpote quod antecedebat peccatum, & poterat coniungi cum observatione præcepti. Quod si nulla nobis superesset via ad excipiendā Virginē à lege peccati, nisi excipiendo à lege gratiæ derivādę

ex

ex Adamo vltro hanc ſecundam exceptionem admitteremus, vt tueremur illam primam.

Potuit B. Virgo cõprehẽdi ſublege de transfundenda iuſtitia, quin cõprehẽderetur ſub lege de transfundendo peccato.

31 Secundo, & principaliter deficit; quia falſiſimum eſt, Virginem non potuiſſe comprehendi ſub priori lege de transfundenda iuſtitia, quin comprehenderetur ſub poſteriori de transfundẽdo peccato. Nam abſq; dubio potuit Deus, ita paciſci cum Adamo: *Si obſervet hoc præceptum, volo, vt gratiam derivet in omnes tuos poſteros, nullo excepto: ſi autem illud violet, volo, vt derivet peccatum in omnes, excepta Maria.* Etenim in moralibus non ſemper contrariorum eadem eſt ratio; cum poſſint, & ſoleant, occurrere rationes, ob quas in vno contrario ſervandum ſit, quod in altero non expedit. Sic Princeps ob ſpecialem amorem erga aliquem è ſuis ſubditis poteſt, dicere, vt favores ſint illi communes, non autem onera.

32 Quare prior lex non habebat hunc modum tendendi: *Si obſervaveris hoc præceptum, & non aliter, dabo gratiam originalem poſteris*: Vt falſo videtur ſupponere Pater Vazqnez; ſi enim hunc tendendi modum haberet, implicaret contradictionem, Adamum violare præceptum ſuppoſito illo pacto, & tamẽ aliquem poſterorum concipi cum ſanctitate originali; contra id, quod ipſe Vazquez docet de Beata Virgine. Vnde falsò iterum ſupponit, gratiã non fuiſſe transfundendam in vllum poſterorum, ſi Adamus peccaret, quia licet tunc non fuiſſet transfundenda in aliquẽ ex merito Adami, poterat tamen transfundi ex meritis Chriſti. Totumque argumentum Patris Vazquez falſa ſuppoſitione laborat ſupponit namque idem eſſe, Adamum ſuo peccato non derivare in Beatam Virginem eam gratiã, quam pro ipſa accepit, ac derivare privationem talis gratiæ; cũ tamen illa duo ſint valde diverſa; vt conſtat ex diſp. 4. ſect. 4.

33 Fateor, priorem legem de transfundenda iuſtitia ſufficere, vt hæc ſit debita Beatæ Virgini, ac proinde vt dicatur carere iuſtitia ſibi debita per hoc præciſè, quod conciperetur ſine gratia iuſtificante: aſſero tamẽ, id non ſufficere, vt de facto dicatur, peccaviſſe in Adamo; quia lex illa, ſeu promiſsio non ſufficit, vt Adamus poſitive meruerit Beatæ Virgini privationẽ gratiæ, vt patet ex ibi dictis; quod tamen requiritur ad peccandũ in Adamo. Sed dices: ergo fieri potuit, vt Virgo cõciperetur in peccato originali, quin peccaverit in Adamo. Probatur conſequentia: ſiquidẽ fieri potuit, vt caruiſſet iuſtitia originali ſibi debita, quin Adamus meruerit illi talẽ carentiã. Reſponderi poteſt, diſtinguendo ſequelã; & illam negando abſolutè; & concedendo conditionatè, nimirũ ſi peccatũ originale conſiſtat præcisè in carentia ſanctitatis originalis debitę parvulis ex vi illius promiſsionis cõditionalis. Vnde ſi abſurda eſt ſequela, eius abſurditas ſolũ probat, peccatũ originale nõ conſiſtere in privatione ſanctitatis debitæ ineſſe parvulis.

34 Deinde reſponderi poſſet, peccatum originale non conſiſtere præcisè in privatione gratiæ debitæ ineſſe parvulis, ſed in privatione illa, vt in ducta poſsitivè per peccatum Adæ: quia eatenus carere gratia, poteſt eſſe macula & peccatum, quatenus quis caret illa propter culpam à ſe, vel à ſuo capite commiſſam; ita vt talis privatio ſit pœna peccati præteriti, & comprehenſa fuerit ſub eius merito: quod nequit verificari, quin præceſſerit ante peccatum Adæ comminatio iniuſtitiæ originalis dirivandæ in poſteros ſub cõditione, quod ille peccet; Qua comminatione ſuppoſita impoſsibile eſt, vt parvulus concipiatur cum privatione gratiæ, & conſequenter in peccato, quin peccaverit in Adamo.

35 Sed pergit vlterius Pater Vazquez. Nam ſi Beata Virgo excepta fuiſſet à lege vniverſali de transfundendo peccato, & hac ratione ab huiuſmodi peccato præſervata; ſequeretur etiam fore, vt licet in pura natura ſine gratia iuſtificante conciperetur, peccatum originale nihilominus non contraheret: ſiquidẽ vt peccatũ incurreret ſub lege illa poſteriori de transfundendo peccato cõtinere debuit. Quis autẽ non videat (inquit ille) abſurdũ eſſe, Beatã Virginẽ ſine gratia iuſtificãte potuiſſe à peccato originali præſervari, ſi ſemel ſub priori lege de transfundenda iuſtitia contineretur.

36 Reſpondeo, in hac rerum providentia, nullum concipi in pura natura, quia nullus excipitur à pacto de transfundendo peccato, quin Deus decernat, illum iuſtificare in primo inſtanti, etiam ſi Adamos peccet. Poſſet autem Deus in alia rerum providentia Virginem excipere à lege de transfuſione peccati, & illã includere in lege de transfundẽda iuſtitia, quin haberet decretũ abſolutũ dãdi illi gratiam in primo inſtanti; tunc

autem præservaretur à peccato sine gratia iustificante: quia licet careret gratia, illa tamen carentia non haberet in Virgine rationem privationis, nec esset terminus relictus ex peccato actuali; vnde non esset macula habitualis. Nec in hoc vmbram absurdi reperio.

37 Obijcies quarto, Virgo Beata subiecta fuit morti; alijsque çrumnis: ergo quia peccavit in Adamo, & ratione illius peccati amisit donum impassibilitatis, quo frueretur, si observaret præceptum in Adamo. Respondetur, mortem, aliasque molestias, quas Beata Virgo substinuit, nec fuisse pœnam peccati originalis, quasi habitualis, quod in se ipsa contraxerit, vt iam omnes fere fatentur; nec peccati actualis, quod commiserit in Adamo; sed conditionem naturæ, à qua noluit Deus Beatam Virginem eximere, vt ita posset cooperari cũ Filio ad negotium nostræ redemptionis, & ipsi assimilari. Vnde sicut Christus carnem passibilem habuit, non quia peccaverit in Adamo, sed quia ita expediebat ad munus redemptionis; similiter eius mater, &c.

Et eo quod Beata Virgo subiecta fuerit morti, non sequitur peccasse in Adamo.

SECTIO VLTIMA.

Quomodo saluetur, Virginem fuisse redemptam, si non contraxit debitum peccati?

38 EX capite redemptionis acriter inuehitur Ægidius Lusitanus lib. 2. de Conceptione, q. 3. in nostram sententiam, art. 2. n. 10. quia cum Beata Virgo peccatum originale non contraxerit, si vlterius in Adamo non peccavit, nulla ratione dici potest Christi sanguine redempta. Ad quod probandum adducit varia scripturæ testimonia, ex quibus constat, non solum nos omnes esse sanguine Christi redẽptos, sed etiã redẽptos à peccatis, ita vt nullus Christi sanguine possit dici redẽptus, nisi qui aliquod habuerit peccatũ à quo redimeretur. Atqui Virgo Mater, si nec in se, nec in Adamo peccavit, nullũ habuit peccatum, à quo redimi posset. Quia omnis peccatus, vel peccat in se ipso, vel in alio, nec potest fingi alia ratio peccati: ergo si Virgo in Adamo nõ peccavit, nulla ratione dici potest Christi sanguine redempta. Consequens autem illud appellat non solum falsum, sed etiã hæreticum: idque probat ex Paul. 2. Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est.* Et 1. ad Timoth. 4. *Christus est omnium hominum saluator, maxime fidelium.* Et ex verbis ipsius Virginis in suo Cantico: *Et exultauit spiritus meus in Deo saluatori meo*, idest saluatore, vt habet littera Græca, & est indubitata omnium expositio. Hæc Ægidius.

39 In quorum confirmationem addere possumus elegantem Divi Bernardi auctoritatem sermone de Assumptione vbi inquit: *Plus pro Virgine reparanda is venit, quam pro omni alia creatura iuxta illud Canticorum 4. Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum. Pio amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in cruce cor meum: nam primogenita Redemptoris filij sui Iesu fuit Virgo Beata.* Confirmat Pater Suarez tom. 2. in 3. partem disput. 3. sect. 2. nam si Beata Virgo excepta fuit à lege illa vniversali de transfundendo peccato: ergo quamvis Deus nollet, Christum redimere homines, adhuc illa libera à peccato originali evasisset: ergo quod evaserit, non habet ex Christi redemptione.

40 Vrgetur primo ex Sozimo Papa, quem citat, & sequitur August. tom. 2. epistola 156. asserente: *Nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus.* Secundo ex Augustino concione 2. in Psalmum 60. dicente: *Ipsa redemptio clamat captivitatem nostram: vnde vltro redempti, nisi ante captivi?* Tertio ex ipsa significatione vocis: nam redimere est iterum emere, seu restituere pristinæ libertati illum, qui iam venditus erat, & sub alterius ditione constitutus. Ergo vt homo dicatur, redimi, opus est, vt per peccatum prius sit diabolo venditus, & sub illius ditione constitutus; sic enim exhibito pretio redemptionis poterit in pristinam libertatem revocari: ergo non potest Beata Virgo dici redempta, nisi saltem peccando in Adamo fuerit diabolo vendita, & sub illius ditione aliquo modo constituta.

41 His tamen non obstantibus dicendum est, ad hoc vt Beata Virgo vere & proprie dicatur redempta per Christum satis esse, quod ob ipsius merita excepta fuerit ab illo communi pacto de transfusione peccati. Quod ex Adversarijs fatetur P. Vazquez 3. p. disput. 115. num. 28. nam si non intervenirent Christi merita inclusa fuissent in illo pacto;

&

Vt Beata Virgo dicatur vere redempta, satis est quod ob merita Christi fuerit excepta à pacto.

& sic contraheret maculam originalem. Vnde per Christum liberata fuit à captivitate peccati, non quidem sub qua antea fuerit, sed in qua fuisset, si non intervenirent merita Christi. Quod explicat hoc exemplo, veluti si quis venderet aliquam mulierē in servā ea lege, vt partus, qui ex ipsa conciperetur, liber maneret, vere diceretur, partum à servitute, quam alias contraheret, seu à debito ētiā servitutis contrahendæ liberasse, cum tamen partus nunquam sub servitute, nec sub debito servitutis reipsa fuisset, sed sub vtroque foret, nisi is, qui Matrem in servam vendidit à lege servitutis ipsum liberasset.

42 Quod alio exemplo explicant alij: nam si Rex ferret legem, qua integram aliquam provinciā obligaret ad tributum sibi solvendum, & in hac ipsa lege aliquem singularem hominē excepisset ob alicuius preces, & merita, vere ille diceretur liberatus à solutione tributi propter eiusmodi merita; quia iuxta legum stilum adstringendus quoque foret lege totius provinciæ. Pariter ergo in præsenti, &c. Itaque vt Beata Virgo vere, & proprie dicatur redempta, & per sanguinē Christi liberata à peccato originali, satis est, quod attenta conditione suæ naturæ descendentis ab Adamo per naturalem propagationem includenda esset, & reipsa iucluſa fuisset in pacto, nisi intervenirent merita Christi, quorum intuitu Deus illam exemit à pacto, & hac via à culpa originali liberavit. Redemit ergo Christus Mariam, quia exhibito pretio sui sanguinis emit immunitatem illius à communi lege de transfusione peccati, & consequenter immunitatem à peccato.

Duplex redemptionis genus explicatur

43 Vnde Doctores duplicem communiter distingunt redemptionem, alteram, qua quis liberatur à peccato iam contracto, alteram qua præservatur à peccato, quod contraheret, nisi speciali privelegio eximeretur. Prima redemptio communis est reliquis hominibus præter Virginem, quos Deus redemit emendo pretio sui sanguinis illorum libertatem à peccato iam contracto. Secunda est singularissima, & propria solius Virginis, quam Christus suo sanguine redemit, quatenus iste fuit pretium, ob quod præviſum Deus illam tenuit, ne in culpam vllam laberetur, nec originalem, nec personalem: ita eximendo illam à communi lege de transfusione peccati originalis, vt minimè esset exempturus, nisi intervenirent merita passionis Christi. Prima est strictior redemptio, & rigorosior. Secunda nobilior, & excellentior. Quia quamvis vocabulum redemptionis strictius verificetur de eo, qui antea veram servitutem peccati incurrit, & ob pretium sanguinis Christi ab illa liberatur: glorioſius tamen de Maria prædicatur, quæ ob illud pretiu non solum à culpa ipsa, sed à debito proximo eam incurrendi fuit liberata. Glorioſius nanque est præservari à lapsu, quam erigi: sicut vtilius est ab ægritudine præservari, quā curari.

44 Nec redemptionis præservativæ vocabulum denuo inventū fuit à defensoribus immaculatæ Conceptionis; sed habetur in Patribus; illius mentionē facit Dionisius c. 8. de Divinis nominibus paulò ante finē his verbis: *Ideirco eam redemptionem etiam Theologi appellant ex eo quod non sinit ea, quæ vera sunt, ad id cadere, vt non sint.* Bernardus sermon. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapsum, dedit Sāto Angelo, ne laberetur, sic illum ac captivitate eruens, sic hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtrique Redemptor, salvens illum, & servans istum.* Et communiter Patres, & Interpretes ad illud Psalmi: *Redemisti servum tuum David de gladio maligno.* Idest de gladio iniusto Gigantis Goliath, vt exponit ibi Bellarminus.

45 Sed præcipue Augusſt. eam redemptionem præservativam expoſuit varijs locis. In primis libro de naturā, & gratia, cap. 67. *Duobus modis etiam in corpore cavetur morbi malum; & vt non accidat, etsi acciderit cito sanetur.* Et libr. 2. Confeſsionum, cap. 7. *Omnia mihi dimiſſa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Et Pſal. 85. declarans „ illa verba: Eruiſti animam meam ex in„ferno inferiori. Quidam, inquit, orans „ hic iam in corpore poſitus, & orans in „ voce Chriſti, eruiſſe Deum animam „ ſuam ab inferno inferioti, dixit, quia „ liberavit ſe à talibus peccatis, per quæ „ poſſet deduci ad tormenta inferioris „ inferni; quemadmodum ſi medicus „ videat tibi imminentem ægritudinem „ forte ex aliquo labore, & dicat, par„ce tibi, ſic te tracta, requieſce, his ci„bis vtere, nam ſi non feceris ægrotabis: „ tu autem ſi feceris, ſalvus eris: recte di„cis medico, liberaſti me ab ægritudine, „ non in qua iam eras, ſed in qua futurus

„ eras. Nescio, quis mittendus erat in car-
„ cerem, venit alius defendit eum, gra-
„ tias agens quid dicet? eruisti animam
„ meam de carcere. Suspendendus erat
„ debitor; solutum est pro eo, liberatus
„ dicitur de suspendio. In his omnibus
„ non erant, sed quia talibus meritis age-
„ bantur, vt nisi subventum esset, ibi es-
„ sent; inde se rectè dicunt liberati, quo
„ per liberatores suos non sunt permissi
perduci. Hucusque Augustinus. Idipsum constat ex iure civile l. Decem, ff. de verbor. obligat. & l. Non vtique, ff. de ex-
„ ceptionibus, ibi: Miles ab alio milite
„ liberatus, ne in hostium potestatem ve-
„ niret, etiam si nunquam servus eorum
„ extitisset, manumissus censetur. Et propterea iure optimo Durandus in 3.
„ dist. 3. quæst. 1. aiebat: Puto quod si
„ Beata Virgo peccatum originale non
„ contraxisset, potuisset tamen dici ve-
„ rè redempta, pro eo quod in radice sua
„ ex natura suæ conceptionis obligata
„ erat ad incurrendum peccatum, nisi
„ fuisset à Deo præservata.

46 Id quod etiam docuit Caietanus 1. 2. quæst. 83. artic. 3. ijs verbis:
„ Si omnes obnoxij sunt peccato origi-
„ nali, sufficit ad indigentiam redemp-
„ tionis: Neque enim solum redemptio-
„ ne indiget captivus, sed etiam obno-
„ xius captivitati. Planum autem est, in nostra sententia Virginem fuisse obnoxiam peccato; quia videbatur infallibiliter includenda in pacto, & peccatum originale contractura, nisi propter merita Christi excluderetur à pacto.

47 Nec obstant testimonia scripturæ adducta ab Ægidio: nam illa pariter probarent, Virginem conceptam fuisse in peccato: quia loquuntur de redemptione omnibus hominibus communi, per quam illi liberantur à peccatis, quibus vere, & proprie constituebantur inimici Dei, & peccatores, & quæ sunt essentialiter incompossibilia cum statu iustificationis. Quod solum de peccatis personalibus, & de originali iam contracto verificatur. Ab omnibus ergo exponenda sunt. Vnde sicut locutiones generales affirmantes, omnes homines concipi in peccato, seu omnes habere peccatum, exceptionem patiuntur in Virginet ita & locutiones affirmantes, omnes homines redemptos fuisse ab iniquitatibus, & peccatis in quibus iacebant, exceptionem pati debent, vtpote quæ loquuntur determinatè de redemptione eruente, nõ de redemptione defendente: id est de redemptione excipiente à servitute iam contracta, non de redemptione præservante à servitutis contractione. Illa vero testimonia, quæ loquuntur de redemptione præscindendo ab eo, quod sit præservativa, vel erectiva, proprie verificantur de Virgine.

48 Nec obstat auctoritas Divi Bernardi, vtpote quæ solum probat, Beatam Virginem fuisse vere redemptã sanguine Christi tum à peccato originali, tum ab actualibus, non redemptione eripiente, seu erigente, sed defendente, & præservante. Confirmatio Patris Suarez intentum non obtinet; quia ex suppositione, quod Deus propter merita Christi liberaverit Mariam à communi pacto, non potuit habere decretum efficax nullum redimendi hominem. Ad auctoritatem Sozimi, & Augustini respondeo cũ nostro Turriano in epistol. ad Iacobum Episcopum, eos loqui de communi modo redemptionis, qui planè supponit peccatum, non autem de illo singularissimo, & proprio Beatæ Virginis, de quo non opus erat mentionem facere. Ad vltimã confirmationem respondeo, vocem *redimo* non eam tantum significationem habere, sed ad illius proprietatem satis esse, quod quis vi pretij exhibiti liberetur à servitute, vel in qua antea erat, vel in quam incideret, nisi pretium fuisset oblatum. Sic Civitas se ab obsidione redimit, dum illam exhibito pretio præoccupat.

(?)

DISPVTATIO VII.

QVOMODO BEATA VIRGO PROPTER MERITA PASSIONIS CHRISTI POTVERIT liberari à debito proximo peccati originalis?

Fundamentum quo ductus est P Vazq. ad asserẽdũ Virginem peccasse in Adamo.

FVNDAMENTVM, quo convictus fuit P. Vazquez ad asserendum, Beatam Virginem peccavisse in Adamo, seu debitũ peccati originalis contraxisse, & ad notandam sententiam Catherini oppositum asserentis est planè solidissimum, & proponitur ab hoc Doctore disputione 115. numer. 26. Nam si dicamus ea ratione Beatam Virginem fuisse præservatam à peccato originali, quia excepta fuit à communi lege de transfusione iniustitiæ originalis, sequitur non fuisse à peccato original ipræservatam, atque redemptam merita passionis Christi; quod est absurdissimum. Sequela ostenditur; quia Christus vt passibilis non est præfinitus nisi occasione peccati originalis, & in remedium illius: ergo meritum passionis Christi supponebat peccatum Adami, vt capitis, & consequenter pactum. Si ergo Beata Virgo ab illo pacto fuit excepta, non fuit excepta ob passionem Christi: siquidem exceptio antevertens ordine rationis prævisionem passionis Christi, nequit esse facta ob meritum illius: ergo non fuit redempta ab originali per passionem Filij sui. Hic est gordianus nodus, in quo solvendo strenuè laboraverunt huius ætatis Theologi. Mirum est: quantum pietas erga Deiparam eorum accuerit ingenia; plurimos eosque subtiles discurrendi modos excogitarunt moderni Societatis Doctores ad hanc difficultatem explicandam, præcipuos examinabimus.

SECTIO PRIMA.

Sententia Patris Granado reijcitur; & singulari ratione ostenditur, non potuisse præfiniri Christum, vt Redemptorem ante permissionem peccati.

2 PATER Granad. in opusculo de Conceptione, disput. 13. cap. 25. num. 9. respondet præsenti difficultati, decretum præfiniens mortem Christi in redemptionem generis humani præcessisse in Deo ante scientiam visionis peccati, & ante pactum, & ideo potuisse Virginem eximi à lege illa communi propter mortem Christi. Id autem sic explicat. Ante decretum creandi mundum prænovit per scientiam mediam, si crearet Adamũ, fore, vt cum illo, & posteris iniret pactũ, & ipse illud violaret, indeque sumeretur occasio assumendi carnẽ passibilem, & mortalem ex Beata Virgine, vt mediante morte resarciretur ea violatio. Qua cogitatione posita Deus vno indivisibili decreto statuit creare mudũ, inire pactũ cum Adamo, permittere violationem eius, mittere Filium suum, vt per mortem suam mederetur generi humano, ad eumque finem concideretur ex Virgine purissima, quam propterea ab illa lege communi excipiebat intuitu mortis Filij, quem erat concepturа. Itaque hæc sententia asserit, Christum fuisse præfinitum, vt Redemptorem ante prævisum absolute peccatũ. Quam sententiam tuentur communiter Recentiores Thomistæ; item Lorca disput. 10. de Incarnatione, num 35. Ex nostris Pater Molina 1. part. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 7. §. *quare quoad rem*: Pater Albertinus, & Pater Arriaga disput. 15. de Incarnatione cum alijs.

3 Hæc sententia impugnatur primo, quatenus identificat decretum mittendi Christum, vt passibilem, & præfiniens eius mortem cum decreto efficaci celebrandi pactum cum Adamo. Nam vt intuitu mortis Christi posit Beata Virgo excipi à communi pacto, necesse est, vt antequam Deus decernat, celebrare pactum præintelligatur absolutè prævisa mors Christi, vt ita eius intuitu decernat Deus celebrare pactum non includens Virginem.

Se-

Præfinitio Christi vt Redemptoris nequit virtualiter identificari cũ permissione peccati.

4 Secundò impugnatur, quatenus identificat præfinitionem Christi, vt Redemptoris cum permissione peccati. Nam hæc est voluntas efficax conferendi auxilium sufficiens, & negandi auxilium efficax ad obseruandum præceptũ, & vitandum peccatum. Implicat autem præfinitionem Christi vt Redemptoris identificari virtualiter cum decreto conferendi auxilium sufficiens ad obseruandum præceptum. Nam præfinitio Christi vt Redemptoris essentialiter connectitur cum existentia peccati Adæ, vt est exploratum: vnde si decretum conferendi Adamo auxilium sufficiens ad obseruandum præceptum identificaretur virtualiter cum præfinitione Christi, vt Redemptoris, tale decretum haberet essentialem connexionem cũ peccato Adami: at implicat decretum collativum auxilij sufficientis habere essentialem connexionem cum peccato: ergo implicat decretum collativum auxilij sufficientis identificari virtualiter cum præfinitione Christi, vt Redemptoris. Probatur minor; nam Deus quantum est ex se vult, vt obseruatio præcepti oriatur à decreto conferente auxilium sufficiens ad obseruandum præceptum: quia vult, vt oriatur ab auxilio sufficienti; idem est autem oriri ab auxilio sufficienti ac oriri à decreto conferenti illud. Implicat vero, Deum velle vt obseruatio præcepti oriatur à decreto essentialiter connexo cum præcepti transgressione, seu cum peccato: hoc enim esset velle, vt obseruatio præcepti oriretur à decreto essentialiter incompossibili cum ipsa; & consequenter velle, vt detur chymæra à parte rei: ergo implicat, decretum collativum auxilij sufficientis habere essentialem connexionem cum peccato.

5 Sed quia multi defendunt præfinitionem Christi, vt Redemptoris asserendo illam esse virtualiter distinctam à permissione peccati, eamque antecedere instar principij, ideo aliter impugnanda est illa præfinitio: communiter reijci solet, ex eo quod vi illius intentionis cogeretur Deus amare peccatum, vtpote quod est medium omnino requisitum ad consequendum finem redemptionis. Sed omitta hac communi impugnatione, eam sententiam hac singulari ratione impugno, quæ vniuersaliter probat, Deum non posse intendere efficaciter aliquem finem essentialiter supponẽtem peccatum, quin prius illud videat vt absolute futurum.

6 Præfinitio Christi vt Redemptoris supponit ex terminis suis permissionem peccati: ergo nequit Deus præfinire Christum, vt Redemptorem ante previsum absolute peccatum. Consequentia est legitima: quia præfinitio Christi vt Redemptoris antevertens prævisionem absolutam peccati antecedit permissionem peccati iuxta Aduersarios, ac proinde nequit illam supponere. Probatur antecedens: non est possibilis præfinitio Christi, vt Redemptoris identificata virtualiter cum permissione peccati: at hoc aliunde prouenire nequit, nisi quia talis præfinitio ex terminis suis supponit permissionem peccati: ergo &c. Maior constat ex nuper dictis contra P. Granad. Minor vero suadetur: quia nisi ex terminis præfinitio Christi vt Redemptoris supponeret permissionem peccati, posset aliqua præfinitio Christi vt Redemptoris identificari virtualiter cum permissione peccati. Quod ita probo. Nam si ex terminis præfinitio Christi vt Redemptoris non supponit permissionem peccati: ergo præfinitio aliqua est virtualis præmissio peccati, nempe illa, quam tu assignas: nam si ex terminis non supponit præfinitio Christi vt Redemptoris permissionem peccati: ergo Deus ante quam sic præfiniat, videt, non posse a se obtineri finem redemptionis, nisi ipsemet conferat auxilium sufficiens ad obseruationem præcepti, & neget auxilium efficax: ergo si non supponit iam collatum auxilium sufficiens, se determinat ad illud conferendum ac proinde per illam intentionẽ saltem virtualiter amat collationem auxilij sufficientis: at hoc ipso quod per aliquod decretum possit Deus intendere efficaciter finem, & virtualiter amare existentiam medij, potest, habere decretum, quo formaliter vtrũque amet. Quemadmodum si per illam intentionem Christi vt Redemptoris amaret virtualiter peccatum: possibilis esset intentio alia, quæ finem redemptionis, & medium peccati formaliter amaret.

Ratione singuli ostenditur Christum Redemptorem non posse præfiniri ante absolutẽ prævisũ peccatum.

7 Quod à priori suadetur ita: implicat, Deum amare virtualiter aliquod obiectum, quin sit possibile aliud decretum, quo idem obiectum formaliter amet: ergo implicat, Deum per vnũ decretum formaliter intendere finem, & virtualiter amare medium, quin sit possibilis intentio vtrumque formaliter amans.

Ratio à priori.

8 Respondebunt; posse quidem Deum

Deum per intentionem efficacem Redemptionis amare formaliter collationē auxilij sufficientis; cæterum non posse immediatè illud exequi per talem intentionem propter rationem à nobis expensam: quia nimirum voluntas exequens auxilium sufficiens amat, quantum est ex se carentiam peccati, ac proinde procurat non existentiam præfinitionis essentialiter connexę cum existentia peccati.

9 Sed contra primo: quia ipsamet intentio efficax Christi vt Redemptoris est per seipsam decretum negandi auxilium efficax ad obseruādum præceptum: nam suppositā illa intentione impossibile est Deo habere pro posteriori decretum conferendi auxilium efficax: ergo supposita illa intentione non habet Deus pro posteriori decretum negandi auxiliū efficax: ergo pariter illamet præfinitio est per seipsam decretum conferendi auxilium sufficiens; quia ea supposita nequit iam Deus habere decretum negandi auxilium sufficiens. Præludit 1.

10 Contra secundò: nam in tua sententia saltem illa intentio efficax determinat ad existentiam decreti procurantis non existentiam peccati: at hoc non minus repugnat, quam quod illa intentio per seipsam immediate procuraret non existentiam peccati, ergo si illa intentio nequit identificare secum decretum executivum auxilij sufficientis, nec potest determinare ad existentiam illius. Probatur minor: nam decretum determinans ad existentiam decreti procurantis non existentiam peccati debet esse compossibile cum non existentia peccati, non minus, quam ipsum decretum procurans non existentiam peccati. Etenim Deus volens, vt non existentia peccati oriatur à decreto ipsam procurante, vult pariter, vt oriatur ab intentione determinante ad existentiam talis decreti; quia vult, vt oriatur ab illo decreto, vt libero, seu vult, vt oriatur ab ipso Deo vt libere procurante non existentiam peccati: at Deus in ratione libere procurantis non existentiam peccati in illo eventu constitueretur inadæquatè per intentionem Christi vt Redemptoris, à qua denominaretur libere procurans non existentiā peccati. Probo maiorem; quia Deus vult vt oriatur ab illo decreto, vt est beneficium, & gratia Dei: atqui non est gratia Dei, nisi quatenus libere existit: ergo vult, vt oriatur ab illo vt libere existenti. Secūdò.

11 Dices forsam, Deum velle quidem, vt non existentia peccati oriatur ab illo decreto, quod est gratia Dei, non tamen vt est gratia Dei, & vt est beneficium gratuitum. Sed contra; quia implicat, non existentiam peccati oriri à decreto conferente actum primum, & non oriri ab illo, vt conferente gratiosè: quia implicat oriri ab illo, & illud non existere libere libertate mediata, vel immediata. Tum sic: at Deus volens in casu præfinitionis Christi, vt Redemptoris, vt non existentia peccati oriatur à decreto conferente auxilium sufficiens vt libero, non vult, vt oriatur ab illo, vt libero libertate immediata: ergo vult, vt oriatur vt libero libertate mediata. Probatur minor, quia vult, vt oriatur ab illo vt libero libertate illa, quam habet in eo instanti in quo Deus vult, vt ab ipso oriatur operatio. At in illo instanti non habet nisi libertatem tantum mediatam; ergo &c. Aliter fio. Reijcitur.

12 Rursus vrgetur. Nam si Deus non vult, vt decretum illud procurans non existentiam peccati influat in non existentiam peccati, quatenus mediatè liberum, seu in sensu compositō libertatis mediatæ, ergo vult, vt oriatur ab illo vt libero immediatè: ergo vult, vt decretum procurans non existentiam pecati, procuret non existentiam præfinitionis determinātis ad ipsius existentiam. Hoc autem est impossibile: nam intentio efficax Christi vt Redemptoris efficaciter amat sui existentiam: implicat autem vt ex suppositione quod Deus amat efficaciter existentiam sui decreti, & quia illā amat, procuret non existentiam eiusdemmet intentionis, & decreti.

15 Deinde à priori ostendo, Deū non potuisse efficaciter præfinire redēptionem ante præuisum absolute peccatū. Quicumque intendit efficaciter finem, ad cuius consecutionem est necessarium medium constitutum in potestate ipsius, & quod antecedenter ad intentionem nō supponitur positum, potest, vel per illam intentionem exequi immediatè illud, vel saltem supra illam reflectens ab illa moueri intrinsecè ad exequendum tale medium, eliciēdo nimirum volitionem exequtivam medij, quæ respiciat illam intentionem vt motivum intrinsecum, illā que proinde essentialiter supponat, habens hunc modum tendendi: *Quia intendi efficaciter talem finem, & ad illius consequutionem est necessarium hoc medium volo,* A priori idem assumptus probatur.

velo, illud exequi. Cuique enim agenti rationali honestum est sumere motivum ad ponendum medium necessarium ex ipsa intentione efficaci finis, quam honestè concipit. Si ergo Deus potuit efficaciter intendere Redemptionem ante prævisum absolute Adami lapsum, vel potuit per illam intentionem immediate exequi auxilium sufficiens necessarium Adamo ad observandum præceptum, vel saltem ab illa intrinsecè moveri ad exequendum tale auxilium. Nam istud est medium essentialiter requisitum ad consequendum finem redemptionis; cum impossibile sit, illum finem obtineri, quin Adamus peccet, & impossibile sit, Adamum peccare, quin habeat auxilium sufficiens ad observandum præceptum: & aliunde est medium constitutum in potestate libera Dei, & quod non supponitur positum antecedenter ad præfinitionem efficacem Redemptionis. At repugnat, Deum exequi auxilium sufficiens, vel per ipsam intentionem efficacem redemptionis; vel per decretum intrinsecè motum ab illa intentione, eamque essentialiter supponens, quia tale decretum non minus connectitur cum peccato, quam ipsa intentio efficax redemptionis. Ergo repugnat, Deum præfinire efficaciter redemptionē ante prævisum absolute peccatum.

14 Et confirmatur: quia intentio efficax redemptionis antevertens permissionem peccati ex se est essentialiter connexa cum existentia peccati, & simul virtualiter saltem determinans ad existētiam auxilij sufficientis præcedentis existentiam peccati. Si autem semel Deus potest habere voluntatem eiusmodi, nequit repugnare, quod habeat voluntatem essentialiter connexam cum peccato, & simul determinantem formaliter ad existentiam auxilij sufficientis, ac proinde exequentem immediate ipsum. Ergo ex illa intentione efficaci redemptionis sequitur Deum posse conferre auxilium sufficiens per voluntatem essentialiter connexam; quod tamen repugnat.

15 Quapropter ex terminis repugnat intentio efficax alicuius finis non supponens existentiam medij requisiti essentialiter ad consecutionem finis, & cōstituti in potestate ipsius operantis, quæ nec sit executiva talis medij, nec potens intrinsecè movere ad illius executionem. Et ratio à priori est, quia nulla intentio respiciens finem, & non supponens existentiam medij constituti in potestate intendentis, potest esse incapax movendi intrinsecè ad existentiam voluntatis exequentis medium illud, quod ipsa non exequitur, ex eo præscisse quod sit amor efficax illius finis, & amor virtualis mediorum: nam id non est impedimentum ad exercēdum munus motivi intrinseci respectu voluntatis formaliter amantis, & immediate exequentis medium. Si ergo aliqua intentio finis non posset movere intrinsecè ad executionem medij vnici, hoc non haberet quatenus respicit finē; ergo hoc haberet, quatenus ipsa per seipsam esset voluntaria, & libera exclusio volitionis exequentis respicientis ipsam, vt motivum intrinsecum, ita vt haberet intentio illa hunc modum tendendi; *Nolo vt media mandentur executioni per voluntatem respicientem me ipsam vt motivum intrinsecum.* Hoc autem repugnat.

16 Quod sic probo: nam ille modus excludendi liberè eam volitionem, seu electionem mediorum supponit illam esse possibilem, & aliunde facit, vt sit impossibilis, quia cum sit exclusio illius electionis, & aliunde per te identificetur virtualiter cum ipsa intentione, facit, vt intentio sit ab intrinseco incapax movere intrinsecè ad electionem mediorum. Cum ergo hæc duo repugnent interse, nempe intentionem esse ab intrinseco incapacem movere intrinsecè ad electionem mediorum; & aliunde possibilem esse electionem intrinsecè motam ab illa intentione, repugnat, vt intentio sit voluntaria, & libera exclusio electionis intrinsecè respicientis ipsam.

17 Quare vbi finis talis est, vt ex terminis suis postulet, non mandari executioni aliquod medium essentialiter requisitum ad existentiam sui, nec per intentionem efficacem sui, nec per electionem essentialiter supponentem illam intentionem; talis finis essentialiter postulare debet, vt intentio efficax sui supponat iam existens illud medium. Cum ergo redemptio sit finis essentialiter postulans, vt auxilium sufficiens ad rectè operandum, nec mandetur executioni per ipsamet intentionem pœnitentiæ, nec per voluntatem essentialiter supponentē illam intentionem; consequens est, vt redemptio sit finis essentialiter incapax intendi, ante quam supponatur existens auxilium sufficiens, & consequenter, ante quam supponatur peccatum absolute prævisum.

Deni-

Denique probatur Christum vt Redemptorem non posse præfiniri ante prævisũ absolute peccatũ.

18 Denique probatur. Nam si semel Deus posset, intendere efficaciter redemptionem ante prævisum absolute peccatum, posset intendere illam vt obtinendam per medium determinatum, nimirum per hanc numero permissionem peccati, seu per collationem huius numero auxilij sufficientis: at hoc ipso illamet intentio foret voluntas executiva auxilij: quia illa intentio esset amor efficax illius auxilij determinatè, eiusque collatio à solo Deo ponenda esset independenter ab omni dispositione creaturæ. Vbi autem decretum efficax Dei terminatur ad aliquem effectum à solo Deo producẽdum independenter à meritis creaturæ, vel alijs dispositionibus, illud est intentivum simul, & executivum. Sic decretum efficax producendi Angelum est eiusdem executivum; & ideo Theologi admittẽtes electionem efficacem ad gloriam ante prævisa merita distinguunt illam à voluntate executiva gloriæ, licet vtraque sit amor efficax gloriæ, quia intentio gloriæ non supponit præscientiam absolutã meritorum, secus voluntas executiva. Et nisi recurrendo ad hanc rationem non esset fundamentum ad distinguendum vnã ab alia. Ergo decretum efficax conferẽdi auxilium sufficiens, si est identificatum cum intentione efficaci redemptionis, est executivum auxilij. Ergo si Deus posset intendere efficaciter pœnitentiam ante prævisum absolute peccatum, posset exequi auxilium sufficiens per voluntatem essentialiter connexam cum peccato.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur sententia Patris Alderete.

19 EAM fusè tradit disp. 22. de Incarnatione sect. 9. & sequentibus. Ego breviter, & dilucidè eam sic expono. Antequam Deus Adami, vniversique productionem decreuisset noverat iam Adamum peccaturum, si crearetur, id quod & ratio suadet, quia perfectissimum agens ante quam aliquid efficicere statuat, noscere debet commoda omnia, vel incommoda, quæ sequutura sunt ex operis productione, ne id ignorans illum potea facti pœniteat: & Patrum Auctoritas evincit, apud quos nihil frequentius, quam has, & similes quæstiones excitare; cur Deus Adamum condiderit, si eum peccaturum fore cognoverat? Cur in Paradyso collocaverit si ab illo eiciendum esse, sciebat? Quibus in quæstionibus apertè supponunt, Deum ante decretum creandi Adamum cognouisse, eum peccaturum, si crearetur. Noverat ergo Deus, Adamum peccaturum si crearetur: rursus noverat, Adamum creandum sub cõditione, quod Deus ipse libere complaceret in productione huius vniversi; ac proinde de primo ad vltimum noverat eius peccatum futurum sub conditione talis complacentiæ: vnde hac posita ante omne decretum efficax, iam absolutã futurorum scientia noverat Deus, Adamum peccaturum: quod enim cognoscitur vt futurum sub conditione, statim purificata conditione apparet vt futurũ absolutè. Habemus ergo iam, Deum ante decretum efficax producendi creaturam aliquam cognouisse Adami peccatum, vt absolute futurum.

20 Hac scientia visionis instructus Deus tanquam providẽtissimus medicus, nimiumque de humani generis salute solicitus vbi primum peccati morbum in illo complexo scientiæ Mediæ, & complacentiæ futurum præsensit, medicinam statim quærit, remediumque tantis malis adhibere properat, quin expectaverit prævisionem peccati in seipso, vt ordine executionis exituri: primo Christum vt Redemptorem præfinit, vt cum ordine Diuino benedictio maledictionem antecederet, sicut ait Cirillus: post modum propter merita Christi passibilis vt morte consumanda Mariam eligit in sui matrem, eamque ad perpetuã gratiam à primo instanti conceptionis habendam prædestinat: mundũ in Christo, & propter Christum, eiusque matrẽ condere statuit: vt enim Bernardus ait: *Propter hanc totus mundus factus est*: pactum cum Adamo iniit, ab eoque propter filij sanguinem matrem excepit; vt ita Virgo Deipara nobilissimo redemptionis genere à peccato originali maneret immunis. Deinde peccat Adamus, & in eo cuncta eius soboles, vna excepta Maria. Hæc sentia huius Doctoris.

1. Impugnatio illius sent.

21 In qua mihi multa videntur falsa. Impugnatur primò: quia chymærica est illa complacentia libera antevertens omne decretum efficax. Quia ex illa evidenter infertur, actus liberos constitui per formalitatem contingentem Deo intrinsecam. Siquidem antequam intelligatur futurum aliquid extra Deũ, iam intelligitur exercitium Diuinæ liberta-

bertatis, quod vt absurdissimum reieci disp. 27. primi tom. in 1. partem.

22 Sed specialius impugnatur hæc sententia ex alijs capitibus: primo: quia hæc sententia vt probet, Deum pro priori ad decretum efficax creandi Adamum cognouisse eius peccatum vt absolute futurum, asserit, Deum in signo illi⁹ complacentiæ liberæ cognouisse peccatum Adami vt futurum realiter, & decretum creandi Adamum vt futurum ratione nostra, seu vt extiturum in signo aliquo posteriori. At nullum suppetit fundamentum ad hoc asserendum. Quamvis enim cognoscat Deus, Adamum peccaturum, si creetur, & creandum, si De⁹ complaceat in productione huius vniuersi, non statim sequitur, vt in signo illius complacentiæ debeat cognoscere Adamum vt absolutè futurum: quia tunc solum in complexo scientiæ conditionatæ, & positione conditionis videri potest effectus, vt absolutè futurus pro eo signo, in quo ponitur conditio, quando positio conditionis non constituit proximam indifferentiam ad ponendum actum affirmatum per scientiam: si enim talis conditio eam indifferentiam constituat, & ad talem actum disponat, debet pro signo conditionis præscindi à scientia visionis, & ab omni alia formalitate essentialiter connexa cum actu. Vt cernitur in scientia Media affirmante nostram operationem liberam sub conditione talis auxilij, & indifferētiæ proximæ: quāvis enim complexũ ex scientia Media, & ex tali indifferentia habeat essentialem connexionem cum actione libera vt absolutè extitura: tamen pro signo talis indifferentiæ nequit Deus cognoscere actum liberum vt futurum: vt passim docet iste Author, & est commune inter nostros. Atqui complacentia libera erga mundi productionem constituit proximam indifferentiam Dei ad concipiendum decretum creandi Adamum: nam istud immediate post illam complacentiam potest Deus concipere, quin sit necesse quidquam aliud expectare. Ergo in signo illius complacentiæ nequit intelligi scientia repræsentans peccatum Adami, vt absolute futurum.

23 Et confirmatur: in signo illius complacentiæ nequit intelligi scientia conditionata affirmans Adamum creandum, si detur eiusmodi complacentia. Nam in signo, in quo existit conditio, sub qua affirmat scientia Media suum obiectum præscinditur à scientia Media, sicut præscinditur ab obiecto per ipsam affirmato. Ergo nec in signo illius complacentiæ potest existere scientia conditionata affirmans, Adamum peccaturum, si Deus habeat complacentiam erga mũdi productionem; cum hæc scientia fundatur in illa alia: ergo in signo talis complacentię nequit intelligi complexũ, in quo fundetur scientia visionis repræsentans peccatum Adami vt absolute futurum.

24 Secundò impugnatur: quia eadem arguendi forma, qua præcitatus Author probat, Deum cognouisse peccatũ vt absolute futurum in signo illius complacentiæ, ostendi potest, in illo signo cognouisse, Christum mittendum esse, & consequenter cognouisse decretum mittendi Christum, vt absolute futurum pro posteriori naturæ. Sequella probatur: nam Deus per scientiam conditionatorũ cognouerat, mittendum esse Christum, si peccaret Adamus, & rursus Adamum peccaturum, si ei permitteretur peccatũ; & ei permittendum, si crearetur; & creãdum, si Deus haberet simplicem complacentiam liberam, erga vniuersi productionem. Ergo de primo ad vltimum noverat Deus, mittendum esse Christũ sub conditione illius complacentiæ: ergo hac posita, in complexo illius, & talis scientiæ conditionatæ novit Deus absoluta futurorum scientia, Christum esse mittendum: ergo in signo illius complacentiæ ignoscebat decretum mittendi Christum vt absolute extiturum pro posteriori. Consequens autem ab hoc Authore nequit deffendi, apud quem nihil familiarius, quam in signo indifferentiæ ad concipiendum decretum præscindi debere ab ipso. Et in se absurdum est; quia scientia visionis repræsentans decretum immediate liberum Dei, id est non imperatum ab alio decreto efficaci priori (quale est decretum efficax mittẽdi Christum vt Redemptorẽ; cum enim iuxta Patrem Alderete sit primum omnium decretum, debet esse immediate liberum) nequit esse pro priori ad tale decretum, sed potius debet esse pro posteriori, cum sit suppositio consequens respectu illius, quia non ideo existit decretum illud, quia existit talis scientia, sed èconverso. Sicut ergo ex eo quod Deus cognoscat, se missurum esse Christum sub conditione, quod habeat complacentiam liberam erga mundi productio-

Alia impugnatio.

ctionem non sequitur, cognoscere in signo illius complacentiæ adventum Christi vt absolute futurum; ita nec ex eo quod cognoscat, Adamum peccaturum sub conditione illius complacentiæ, sequitur in signo talis complacentiæ cognoscere peccatum Adami vt absolute futurum.

25 Respondebat huic obiectioni prædictus Author, in signo illius cõplacentiæ propterea præscindi à decreto mittendi Christum, quia Deus habet scientiam, per quam certo cognoscit, se missurum esse Christum, vt primum ordine Divinorum decretorum sub conditione quod videat Adami lapsum vt absolute futurum: quæ scientia ex se postulat, vt cum detur illa notitia de futuro Adami lapsu, præscindatur à decreto mittendi Christum; cumque Deus in signo illius complacentiæ habeat talem scientiam, in illo debet, præscindi à decreto mittendi Christum. Verum hæc responsio supponit id, quod probandum erat, nempe Deum ante omne decretum efficax posse habere scientiam visionis, per quam cognoscat peccatum Adami, vt absolute futurum: de quo tamen est præcipua dubitatio; & videtur omnino impossibile, quod scientia aliqua ante omne decretum efficax repræsentet Adami lapsum, vt absolute futurum. Nam talis scientia cum supponat suum obiectum, supponit existere in Deo decretũ efficax producendi Adamum, & permittendi illi peccatum, ideoque repræsentat, tale decretum existere, quia illud existit; ac proinde existentia decreti habet aliquam prioritatem respectu illius scientiæ; hæc vero nullam prioritatem habere potest respectu decreti.

Evasio.

Reijcitur.

26 Non prioritatem durationis: vt patet: non prioritatem cansalitatis: cum illa scientia non sit practica, nec principium talis decreti: alioqui admiret illi libertatem. Nec prioritatem in subsistendi consequentia: nam hac prioritate potius decretum creandi Adamum est prior illa scientia: quia non valet, datur decretum creandi Adamum: ergo datur scientia visionis de peccato ipsius: e contra vero valet: datur hæc scientia: ergo & illud decretum. Illud autem est prius in subsistendi consequentia, ex quo ad aliud non valet consequentia, cum tamen valeat è contra. Denique nec prioritatem per maiorem propinquitatem ad vnum, nempe ad essentiam divinam, in eo sensu, in quo scientia Media peccati futuri est prior decretis liberis Dei, quatenus convenit cum essentia divina in eo, quod non cadit sub electionem liberam Dei, quod non habet decretum. Nam scientia visionis, de qua loquimur, non minus libera est Deo, quam ipsum decretum: ergo merum figmentum est, asserere, existere in Deo scientiam visionis peccati vt futuri pro priori ad decretum creandi Adamum, & permittendi illi peccatum.

27 Impugnatur vltimò. Nam Christus non fuit præfinitus vt Redemptor in remedium peccati Adami solius, & prout illi soli nocebat, sed prout erat peccatum posterorum in ipso: dum ergo Deus vidit peccatum Adami vt absolute futurum modo sufficienti, vt mitteret Christum, videbat peccatum Adami vt imminés posteris; & cõsequenter videbat istos in Adamo peccaturos. At posteri non possunt intelligi in Adamo peccantes independenter à pacto: ergo iam tunc vidit pactum includens posteros Adæ vt absolute futurum. Modo sic: vel illud pactum includebat Virginem, vel non? Si primum: ergo videbatur Virgo peccatura in Adamo. Si secundum: ergo videbatur excludenda ab illo pacto. Vel ergo videbatur excludenda propter merita Christi, vel independenter ab illis: vel certè tunc prævidebatur futura exclusio, & præscindebatur ab eo, an esset futura propter merita Christi vel nõ? secundum dici non potest; quia alioqui Virgo nõ fuisset per Christum Redempta. Nec tertium: quia alioqui Deus videret virginem excludendam, sive dentur merita Christi, sive non dentur: quia videret positive futurum decretum excludens virginem independens ex se à meritis Christi; ac proinde extiturum, quamvis hæc non dentur. Hoc autem est absurdum, quia vnice ob meritũ Christi factum est, vt Beata Virgo evaderit immunis à peccato originali. Debet ergo dici primum: ergo in signo illo, in quo Deus erat proximè expeditus admittendum Christum in remedium peccati Adami vt capitis, & per eandem formalitatem scientiæ visionis, per quam cognoscebat peccatum Adami, & posterorum in ipso vt futurum, cognoscebat extiturum esse Christum: si quidem per eandem formalitatem, per quam videbat futurum peccatum Adami, & posterorum in ipso videbat futurum pactum inclu-

Vltima impugnatio.

includens reliquos prætér Virginem, & consequenter decretum excludendi solā Virginem ob merita Christi. Hoc autem est implicatorium: nam scientia dirigens ad decretum liberum mittendi Christum debet esse coniungibilis cum carentia talis decreti: hoc autem nequit habere scientia repræsentans, Christum extiturum: falsum ergo est, quod ante omne decretum efficax Deus cognoverit peccatum Adami vt futurum absolute.

SECTIO TERTIA.

Impugnatur ex dictis sententia Patris Ioannis Perlini.

28 HIC Author in apologia pro magnæ matris immunitate disp. 4. cap. 14. vt hanc difficultatem explicet, supponit, Deum cognoscere decreta sua vt futura ratione nostra, antequam illa actu concipiat. Ait ergo, Deum ante existentiam omnis liberi decreti cognovisse, se habiturum decretum creandi Adamum, illūque constituendi caput morale posterorum in ordine ad derivandam iustitiam originalem, vel in iustitiam in posteros: permissurumque Adamo peccatum, istūque peccaturum. Deinde asserit, Deum instructum hac scientia decrevisse, mittere filium suum carne indutum ad remedium peccati, & præfinisse merita Christi passibilis, & propter meritum passionis prævisum excepisse Beatam Virginem à communi illa lege de transfusione in iustitiæ originalis. Hæc tamen sentētia ex dictis sectione præcedenti numero penultimo confutata manet: quia implicat, Deum ante omne liberum decretum habere illam scientiam visionis, cum hæc nullam possit habere prioritatem respectu decretorum.

SECTIO QVARTA.

Singularis sententia Patris Ambrosij de Peñalosa.

29 HIC Author in vindiciis B. Virginis disputatione 10. cap. 5. & disp. 7. num 39. singularem, & novam propugnat sentētiam, vt tueatur, Virginem nec peccasse in Adamo, nec debitum culpæ originalis contraxisse. Asserit nimirum Adamū non infecisse naturam, nec illam peccato subiecisse per solam transgressionem præcepti, sed per hanc vt coniunctam cum impœnitentia durante vsque ad prolationem sententiæ comminatoriæ, sentiens Deum non comminatum fuisse in iustitiā originalem posteris præscisse sub conditione, quod Adamus violaret præceptū, sed sub hac conditione, & insuper sub conditione quod intra certum tempus nō ageret pœnitentiam, nimirum intra spatium illud, quod impositionem præcepti & prolationem sentētia divinæ interpositum est: ac proinde Adamum quando primo peccavit non meruisse absolute, vt eius posteri sanctitate, & iustitia originali privarentur, sed hora nona, quando impœnitens à iudice ferente sententiam repertus est; vt ipse loquitur disp. 7. num. 47. qui ibidem num. 1. claritatis gratia appellat horam tertiam tempus illud, in quo Adamus peccavit; horam vero nonam illud extremum, in quo impœnitēs inventus sententiam condemnationis audivit Geneseos 3. vers. 16. & 17. & horam octavam illud inter duo præfata medium, in quo se nudum adspexit, foliis se cooperuit, & tandem se excusavit. Vnde docet, totum illud tempus intermediū fuisse viam concessam Adamo vt personæ publicæ, vt in illo pœnitere posset, & gratiam originalem recuperare, & in præstitum statum redire, eamque transfundere in posteros perinde, ac si nō peccasset.

30 Dein de asserit immediate post prævaricationem Adami Christum vt mortalem in remedium peccati fuisse prædestinatum; eiusque meritis, & morte visis, Deum, ante quam Adamus in pœnitens reperiretur, Beatam Virginem à pacto, & consequenter à periculo incidēdi in peccatum, in quo simul cum reliquis versabatur exemisse. Ex quo duo deducit, primum est. Beatam Virginem fuisse verè, & propriè redemtam per Christum: siquidem per illum liberata fuit ab ingenti periculo, in quo erat labendi in peccatum, & captivitatem Diaboli. Secundum est, Beatam Virginem à peccato Adami, & eius debito fuisse prorsus immunem, eo quod Adamus solum infecit naturam humanam v.g. quando impœnitens à iudice inventus est, & tunc perdidit iustitiam originalem posteris omnibus, qui in pacto inclusi adhuc perseverabant. Vnde cum Beata Virgo fuerit ante illud tempus exempta à pacto, nō peccavit in Adamo, nec debitū proximū

pec-

peccari originalis contraxit: quia Adamus suo peccato solum meruit absolute privationem gratiæ illis posteris, qui eo tempore, quo ipse audivit sententiam in cluſi erant in pacto.

31 Itaque sententia huius Authoris tribus nititur principijs. Primum est, cōditionem adequatam sub qua Adami peccatum posteris eius imputandum erat, seu sub qua illis comminatus est Deus pœnam mortis corporalis, & spiritualis non fuisse solam prævaricationem Adami hora tertia, verbi gratia, commissam; sed eandem vt coniunctam cum impœnitentia Adami durante vsque ad horam nonam, seu vsque ad prolationem Divinæ sententiæ. Secundum principium est Christum Dominum vt mortalem immediatè post prævaricationem Adæ fuisse prædestinatum. Tertium Beatam Virginem illo medio tempore inter prævaricationem Adami, & eius impœnitentiam finalem interiecto fuisse per Christum eductam à pacto, in quo simul cum reliquis abinitio inclusa fuerat.

Tria principia, quibus nititur hæc sententia.

32 Hæc sententia impugnanda est primo ex dictis disputatione 24. sectione 3. contra hunc Authorem, & contra Patrem Vazquez. Nam lex illa vniversalis denudandi posteros gratia sub conditione, quod Adamus peccaret, & intra certum tempus non ageret pœnitentiam, nequit Virginem comprehendere, nisi Deus habuerit decretum efficax denudandi ipsam gratia, posita vtraque illa conditione: si autem habuit hoc decretum, impossibile fuit Virginem excipi à macula ipsa originali, nedum à debito proximo illam incurrendi.

1. impugnatio illius sententiæ.

Quod si hic Author responderit, legem illam de transfundenda iniustitia sub vtraque illa conditione peccati Adami, & impœnitentiæ habuisse tacitam conditionem, nimirum, *Nisi Deo placeret aliquem eripere ab illo pacto ante horam nonam*, in qua finitum est tempus præfixū Adamo ad hoc, vt posset agere pœnitentiam tanquam persona publica. Si inquā, hoc responderit, contra est, quia si semel illa lex vniversalis comprehēdebat Virginē, non potuit Deus ipsam vllo tempore ab ea excipere. Nam licet loquendo de legibus obligantibus in conscientia subditos posset Deus, velle, vt Beata Virgo esset obligata pro vno tēpore, & non pro alio, & legē obligantem in vno tempore abrogare in alio, tamen cum lex ista de transfundenda iniustitia obliget Deum ipsum & istum non obliget, nisi secundum suam intentionem; si semel Deus obligavit se ad transfundendam iniustitiam in Virginem sub cōditione peccati Adami, & impœnitentiæ ipsius non potuit postea abrogare legē illam quoad Beatā Virginē, quia Deus non potest, revocare decretū efficax semel conceptū, & nequit facere, vt posita conditione non transeat in absolutum decretum conditionatum. Lex autem illa importabat decretum Divinum efficax conditionatū, vt constat ex dictis disp. 2. sectione 3. vnde sicut Deus tempore illo intermedio inter prevaricationē Adami, & impœnitentiam eius non potuit facere, ne habuerit antea decretum efficax denudandi Virginem gratia sub illa duplici conditione: ita nec potuit tunc, eripere Virginem ab illa lege.

33 Confirmatur: vel quando Deus legem illam externam pronunciavit: *Si peccaveris, & non egeris pœnitentiam, amittes gratiam originalem omnibus posteris nullo excepto*: vel habebat decretū efficax conditionatū privandi gratia omnes posteros nullo excepto; vel non? Si secundum, illa lex, & comminatio non fuit seria, & vera, sed deluſoria, & minime obligans filios Adæ ad subeundam illam pœnam, siquidem minime obligabat Deum ad inferendam illam pœnam ipsis. Si primum, nullum ex contentis in illa lege potuit Deus postea eximere, nec legem illam abrogare quoad aliquem; quia Deus nequit decretum suum revocare.

Confirmatur impugnatio.

Quod si dicatur, decretum importatum in lege illa comminativa non transire in absolutum præcisè per peccatum, & impœnitentiam Adę, sed insuper per hoc, quod Deus non decernat aliquem ex speciali privilegio prevenire gratia sanctificante pro primo instanti. Contra sic arguo: ergo decretum illud habuit, „hunc modum tendendi; Denudabo „gratia omnes posteros Adæ, & con„sequenter Mariam sub conditione, „quod Adam peccet, & non agat pœni„tentiā, & insuper sub conditione quod „ego non decernam efficaciter, conferre „gratiam Mariæ. Quis autē non videat, repugnare Deo istum modum decernen„di: Volo efficaciter vt Maria privetur „gratia posito peccato, & impœnitentia „Adami sub conditione quod ego non „decernā, conferre illi gratiam, non ob„stante tali peccato, & impœnitentia?

Secunda impugnatio.

34 Et sanè hic Author dum asserit tempore illo intermedio potuisse Deum eripere Virginem à pacto, seu abrogare pactum quoad illam, satis indicat, se non penetrasse naturam huius pacti, & legis comminativæ: quia illa abrogatio facta in tempore solum habet locum in legibus obligantibus creaturas: non autem in lege obligante dumtaxat Deum, qualis est lex comminativa pœnæ, quæ si semel aliquando Deum absolute obligavit, semper obligavit, vel si exceptionem admisit, hæc non fuit facta in tempore, sed in momento æternitatis in ipso signo, in quo Deus voluit, se obligare quoad reliquos, noluit se obligare quoad illum, quem vi talis comminationis non punit in tempore.

Tertia.

35 Impugnatur præterea ista sententia, quia dum asserit, Virginem comprehensam fuisse in illa communi lege comminanti iniustitiam originalem, parum eius privilegia promovet. Deinde cogitur fateri Christum venturum vt passibilem ex vi præsentis decreti, quamvis nullus posterorum peccavisset in Adamo, & omnes conciperentur in iustitia originali. Nam intuitu passionis Christi iuxta hanc sententiam Deus contulit Adamo gratiam qua posset, si vellet ante horam nonam agere pœnitentiam tanquam persona publica, & seipsum omnesque posteros restituere in fœlicem illum statum, quem ipse habuit, & habuerunt posteri in ipso ante eius peccatum. Quod tamen videtur esse absurdum: quia tunc homines immortales forent, & è paradiso terrestri in cœlestem educerentur, quin mortem gustarent. Absurdum autem est, Christum Dominum fore mortalem, & passibilem, morté q; reipsa subire in eo statu, in quo reliqui homines immortalitatis dono fruerentur.

36 Et quamvis iste Author disputatione 5. satis probabiliter suadeat ex Patribus comminationem iniustitiæ originalis transfundendæ in posteros Adę non transisse in absolutam præscisse per peccatum Adami, sed per illud, & per impœnitentiam continuatam vsque ad horam nonam: siquidem plures Patres docent, Adamum non fuisset ejiciendum è paradiso si non excusasset peccatum suum, sed illud humiliter confessus fuisset; minimeque nocituram fuisse posteris, si de peccato illo pœnitentiam egisset ante horam nonam. Ac proinde licet ex Patribus ab illo adductis probabile sit, illam comminationem: *Si peccaueris primus posteros tuos gratia originali*: habuisse hanc tacitam conditionem, *Nisi pœnitentiam egeris intra tale spacium temporis*; non est tamen fundamentum ad asserendum potuisse vllum ex comprehensis in illa comminatione excipi à tali lege.

SECTIO QVINTA.

Sententia Illustrissimi Salazar: Vbi an ante præuisum peccatum Adæ fuerit præfinita absolute existentia omnium posterorum, qui peccaverunt in ipso?

37 CELEBRIS est in hac controversia sententia huius magni Doctoris, seu modus, quo propter merita passionis Christi existimat, Beatam Virginem fuisse exceptam à communi lege de transfusione iniustitiæ originalis. Sic ergo rem componit tomo de Conceptione cap. 24. numero 6. & 7. item numero 149. Primo Deus decernit, creare vniversum, & distinctè, ac determinatè præfinit numerum illorum hominum, qui aliquando extituri erant, excepta Maria de cuius existentia nihil pro eo signo determinavit, sed eam reliquit in era statum possibilitatis. Secundò Adamum constituit caput physicum, & morale eorum, pactumque cum illo inijt de transfundenda iustitia originali, vel iniustitia; præceptum imponit, & peccatum permittit. Tertio peccatum Adami, & posterorum in ipso vt absolute futurum prævidet. Quartò in remedium peccati Christum Redemptorem præfinit, Et demum ob Christi merita illi Matrem eligit, non quidem ex fœminis iam antea definitis, & quæ in Adamo peccaverant, sed novam fœminã decernendo, quæ esset nova creatura vnicè existens ob merita Christi, & minimè extitura, si Christus non venisset; eamque efficaciter destinat ad perpetuã gratiã à primo conceptionis instanti habendam. Ex qua decretorũ serie constat B. Virginem nec maculã originalem contraxisse, nec illius contrahendę debito proximo fuisse obstrictã: siquidem solum in Adamo peccaverunt posteri illi, quorum existentias Deus præfiniverat ante pactum initum cum Adamo; quia illos dumtaxat inclusit in pacto.

Quomodo signata hęc sententia in mente divina disponat.

Si

38 Si autem ab hoc Authore quæras quo pacto habuerit Virgo ex Christi meritis immunitatem à debito proximo peccati originalis; quando quidem ideo non peccavit in Adamo; quia eius existentia non fuit præfinita ante pactum initum cum Adamo, ipsa vero non habet ex Christi meritis, quod pro illo signo non fuerit præfinita eius existentia, sed ad signum posterius dilata: respondet eo capite 24. à numero 137. licet ex Christi meritis, non extiterit illa quasi dilatio decreti præfinientis Virginem, eam tamen dilationem non tam fuisse gratiam, quam occasionem futuræ gratiæ: post modum vero propter merita Christi factum esse, vt illa dilatio felix, illi faustaque fuerit. Asserit itaque, Virginem ex Christi meritis liberatam fuisse ab originali peccato: quia licet dilatio creationis, ex qua pendet eius immunitas à lege, & culpa non fuerit ipsi pacta ex Christi; meritis propter ista tamen factum est, vt creatio illius postea decerneretur, atque præfata immunitate gauderet.

Quomodo hæc sententia Deiparã liberet propter merita Christi à pacto cõmuni.

39 Multa obijci solent contra hanc sententiam. Primò obijcitur, falsum esse, quod hic Author vt sibi certum supponit nempe dumtaxat peccâsse in Adamo eos posteros, quorum existentia absolute præfinita erat ante peccatum Adami, quasi eos solos pactum comprehendere potuerit. Objcitur, inquam, hoc falsum esse: quia de fide est, omnes filios Adæ exceptâ Virgine concipi in peccato; ac proinde peccasse in Adamo: cum tamen existentia multorum præfinita fuerit post prævisum Adami lapsum; quia multi habuerunt existentiam ex Christi meritis, vt Sanctus Franciscus de Paula, & alij, quos orationes Parentum impetrarunt à Christo. Horum autem existentia absolute præfinita est post Adami lapsum, quia supponebat existentiam Christi in carne passibili, & hæc supponebat Adami lapsum. Et quamvis Pater Salazar capite 17. §. 2. respondeat Parentum preces, & Sanctorum merita non impetrare a Deo, vt homo, qui alias non esset futurus, nascatur, sed vt is, qui iam aliundo futurus erat, nascatur potius ex his parentibus, quam ex alijs: tamen hoc responsum communiter rejcitur ex illo Ecclesiastici 2. in toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ non obliviscaris, quoniam nisi per illos natus non fuisses. Vbi tribuitur parentibus, quod filius absolutè natus sit. Consulantur Pater Ruiz disp. 13. de prædestinat. sectione 4. Cardinalis de Lugo disp. 7. de Incarnatione à numero 28. & Pater Alderete disp. 9. sect. 7.

1. impugnatio illius sententiæ.

Multi alioquin non exituri, præfiniti sunt post prævisã Christi passionem.

40 Et vlterius ratione confirmatur: quia alioqui quoties Deus propter orationes Sanctorum aliquibus hominibus filios concedit, teneretur impedire alibi generationes hominum. Vnde Sancti non possent impetrare filios his hominibus, quin essent causa, vt alij filijs privarentur. Et continentia eorum, qui ob Christi amorem nuptijs renunciarunt, foret occasio, vt alij matrimonia contraherent, filiosque susciperent. Quæ videntur incredibilia. Nec convincit ratio, qua ducitur Salazar, vt existimet solum potuisse, peccare eos, quorum existentia præfinita iam erat absolute pro priori ad pactum initum cum Adamo.

Confirmatur impugnatio.

41 Ratio eius est, quia pactum illud non includit omnes homines possibiles: ridiculum enim est, asserere, eos omnes peccavisse in Adamo: ergo solum includit illos, qui erant futuri absolute pro eo signo. Non, inquam, convincit: nam licet pactum non inclusserit omnes homines possibiles, non tamen propterea debuit, solum includere eos, quorum existentia absolute præfinita erat pro eo signo ante pactum. Quia dici potest, ante illud Deum habuisse decretum efficax non producendi plures homines ex possibilibus, nec parandi concursum generalem ad eorum existentiam: nullum autem istorum inclusum fuisse in pacto: inclusos autem esse reliquos omnes (excepta Virgine) quorum existentia, vel præfinita fuit absolute pro eo signo, vel conditionate, quatenus nimirum pro eo signo præfinivit Deus existentiam plurium filiorum ab illis, vel his parentibus sub conditione, quod isti vellent liberè, filijs pro creandis vacare. Vnde de facto non nasci plures ex his, qui peccaverunt in Adamo; quia licet Deus paraverit concursum ad eorum pro creationem, nihilominus eam non præfinivit absolute, sed solum sub conditione, quod tales homines nolint liberè impedire filiorum pro creationẽ. Secũdò

Infringitur ratio qua Salazar contendit pactum solum includisse eos, qui præfiniti erant pro primo signo.

dici potest, Deum decreviſſe derivare iuſtitiam originalem in omnes poſteros Adæ aliquando extituros, vna excepta Maria, ſub conditione, quod ille peccet.

42 Sed tamen aliqui validius probant, poſſe ſolum peccare in Adamo eos, quorum exiſtentia fuit abſolutè præfinita pro priori ad peccatum Adami: nam ſi non eſſet circa illos dumtaxat, vel eſſet pactum circa omnes poſsibiles ſub conditione, quod naſcerentur ex Adamo, vel circa aliquos determinatè ſub eadem conditione, & vtrumque repugnat: nam ſi pactum fuit ita conditionatum: ergo non fuit de hoc homine abſolute, ſed ſub conditione quod naſceretur ex Adamo: ergo hic homo v. g. Franciſcus non prius intelligitur abſolute incluſus in pacto, quã habens exiſtẽtiam ex Adamo: ergo non intelligitur abſolute incluſus in pacto niſi pro eo ſigno, in quo iã nequit habere gratiã ex Adamo. Nã in eo ſigno, in quo Franciſcus habet exiſtentiam ex Adamo, iam ſupponitur, iſtum peccaviſſe; ac proinde iam pro eo ſigno impoſsibile eſt, vt Franciſcus trahat ex Adamo vt obſervante præceptum, gratiam originalem. Conſequens autem eſt abſurdum: nam pactum vt abſolute includens poſteros debet, eſſe indifferens, vt coniungatur cum transfuſione gratiæ in poſteros: nam talis debet eſſe incluſio in pacto vt in eo incluſus ex vi talis incluſionis indifferens ſit ad habendam, & non habendam gratiam dependenter ab Adamo.

Speciosum argumentũ in favorem rationis Patris Salazar.

43 Sed quamvis hoc argumentum ſpecioſum ſit, intentum non concludit: quia reſponderi poteſt, incluſionem abſolutam in pacto eſſe neceſſariam, vt poſteri ex peccato Adami trahant re ipſa maculam originalem; imo vt abſolute peccent ſuſcipiendo intrinſece in ſeipſis denominationem moraliter peccantium, non tamen vt Adamus conſtituatur caput morale poſterorum; cum proxima indifferentia ad obſervandum, vel non obſervandum præceptum nomine ipſorum: ad hoc enim ſufficere illam voluntatem generalem, Si „peccaveris privabo gratia originali „omnes homines, qui ex te naſcen„tur, & conſequenter Franciſcum, ſi ex „te naſcatur: ſi obſervaveris præcep„tum, illos omnes ornabo gratia. Ex vi huius pacti in ſigno, in quo Adamus peccat, intelliguntur poſteri illi pec-

Enervatur.

care, non quidem formaliter, ſed tantum in radice, non abſolute, ſed quaſi conditionatè quatenus peccatum Adami eſt forma, à qua denominabantur peccantes in ſe, ſeu digni privatione gratiæ, & gloriæ: cum primum intelligantur ducere ortum ex Adamo, & quamvis peccatum illud Adami non ſit neceſsitas abſoluta, vt denominentur peccantes, ſeu digni privari gratia, & gloria, eſt tamen neceſsitas quaſi conditionata, vt ſi exiſtant, denominetur per illud digni privari gratia, & gloria, iuxta dicta diſput. 24. ſectione penultima.

44 Secundò principaliter impugnatur illa ſententia Patris Salazar: quia iuxta eam non ſalvatur Virginem redemptam fuiſſe à peccato originali per merita Chriſti: nam illam fuiſſe præſervatam duo importat, & quod eius exiſtentia non fuerit præfinita ante pactũ initum cum Adamo, & quod fuerit præfinita poſt prævisum Adami lapſum, quod nullum iam erat periculum peccandi in ipſo. Ex his autem duobus primum non habuit ex meritis Chriſti: ergo nec ex illis habuit, quod fuerit præſervata à culpa originali. Confirmatur primò: nam ille vere dumtaxat dici poteſt per Chriſtum redemptus, qui vel fuit ante in peccato, vel licet abſolute non fuerit, fuiſſet tamen, niſi per merita Chriſti præſervaretur. At in ſententia huius Doctoris Beata Virgo non fuiſſet in peccato, quamvis nulla interveniſſet merita Chriſti; quia ſi hæc non darentur, illa non exiſteret, ac proinde, nec peccatum contraheret.

2. impugnatio illius ſententiæ.

Confirmatur primò.

45 Confirmatur ſecundò: nam ſi repugnat aliquem peccare in Adamo, quin etiam exiſtentia ſit abſolute præfinita pro priori ad peccatum Adami vt abſolute prævisum: ergo & implicat actu contrahere maculam originalem, quin peccaverit in adamo: ergo ſi Beata Virgo non fuit præfinita ante prævisum Adami lapſum, ex hac ſuppoſitione iam non potuit contrahere maculam originalem, ergo independenter à meritis Chriſti habuit impoſsibilitatem incidendi in illam: ergo non potuit, ex Chriſti meritis habere immunitatem ab ipſa: ſi enim ante illam ſupponebatur talis impoſsibilitas, non potuit Chriſtus applicare ſua merita, ne Beata Virgo incideret in illam maculam:

Confirmatur ſecundò.

quia

quia non potuit, ea applicare, ne fieret illud, quod supponebatur impossibile factu. Rursus, si non potuit ex illa suppositione contrahere maculam originalem: ergo non indiguit gratia Redemptoris, vt ab illa præservaretur. Deinde hac gratia non indiguit, vt existeret talis suppositio: ergo absolute non indiguit gratia Redemptionis, vt liberaretur à macula originali; quod est absurdum.

SECTIO SEXTA.

Defenditur speciali modo sententia Cardinalis de Lugo.

46 HIC Author disputatio 7. de Incarnatione à numero 67. ingeniosum excogitavit modum excipiendi Virginem à peccato propter merita Christi. Sic enim signa in divina mente disponit. Primò Deus Adamum creare statuit tanquam primum omnium hominum parentem, illumque caput morale illorum constituere in ordine ad transfundendam sanctitatē, vel iniustitiā originalem, excipiendo tamen iam tunc illā fœminā, quam sibi Deus in Matrem eligeret, non determinando tamen pro eo signo quā eligeret, imo nec an esset Matrem electurus. Deinde peccatū Adami, & posterorum in ipso vt absolute futurum videt; Christum subinde vt Redemptorem præfinit. Et denique ex Christi meritis eligit Mariā in eius Matrem, quæ quidem hoc ipso quod fuerit electa, intelligitur, non peccasse in Adamo; cum in ipso pacto censeatur excepta quæcumque eligatur in Christi Matrē. Cæterū sicut habuit ex Christi meritis Maria eligi in eius Matrē, ita, & quod non fuerit inclusa in priori pacto: quamtūvis enim in pacto fuerit exclusa Christi Mater: si tamen Maria non assumeretur ad hoc munus ex Christi meritis, verè maneret inclusa in pacto, sicut reliqui Adami posteri, licet semper maneret exclusa, quę fuisset Christi Mater: habuit ergo Maria ex Christi meritis vtrumque, & quod electa fuerit in Christi Matrem, & quod hoc ipso fuerit exclusa à communi lege de transfusione iniustitiæ in posteros.

Quomodo signa disponit hic Author.

47 Contra hunc discurrendi modum multa opponi solent, & omnia fere attigit ipse Cardinalis. Potissimum est: quia si Maria non fuisset electa in Matrem Christi, abs dubio peccaret in Adam, & tamen *nullum* posset tunc assignari signum in quo esset verum dicere, Maria peccat in Adamo, & similiter de reliquis fœminis, quæ potuerunt eligi ad Maternitatem Christi, & non fuerunt electæ, non posset assignari signum, inquo peccarunt in Adam: quia nec vlla fœmina peccavit in Adam in eo signo, in quo ipse peccavit: quia pro illo quælibet fuit *indifferens*, vt eligeretur in Dei Matrem, & consequenter vt excipieretur à pacto: nec peccavit in signo posteriori, in quo Deus statuit non eligere eam in Matrem: quia in isto signo, non peccabat Adam, sed peccaverat antea: posteros autem in adamo peccare nihil aliud est quam Adamum peccare vt personam publicam: vnde vel non peccat *quis* in Adam, vel peccat in eo signo in quo pecat Adam.

Communes obiectiones contra illam sententiam.

47 Omissa solutione, quam fuse tradidit ipse Cardinalis: ergo aliter respondeo. Dico ergo posteros Adæ, saltem aliquos, non peccare absolutè in eo signo, in quo ipse peccavit nomine ipsorum, sed postea, vt constat ex sectione præcedenti. Nam multi peccarunt in Adamo quorum existentia post peccatum Adæ præfinita est: non peccarunt autem absolute in Adamo, quando dabatur omnimoda indifferentia, vt essent, vel non essent futuri. Itaque fœmina hæc, quæ potuit eligi in Matrem Christi, non peccavit absolute in Adamo vsque ad signum, in quo Deus efficaciter decrevit, ad eam dignitatem erigere Mariam reliquis exclusis: imo vsque ad instans suæ existentiæ physicæ: vt constat ex disp. 4. Ratio autem à priori est; quia posse steros peccare in Adamo nihil aliud est, quam ratione peccati Adami constitui dignos privari gratia, & gloria per inde, ac si illud propria libertate commisissent. Hæc autem fœmina non constituitur ita digna per hoc præcisse quod Adamus peccaverit, sed insuper quod ipsa non fuerit electa in Matrem Christi; & præterea habuerit existentiam ex Adamo per naturalem propagationem; quia nimirum transfusio voluntatis huius fœminæ in voluntatem Adami non fuit omnino absoluta, sed conditionata, nimirum sub conditione, quod hæc fœmina non eligatur in Matrem Christi, & existentiam habeat ex Adamo.

Modus specialis evadendi has difficultates, & defendi sententiā Cardinalis.

48 Sed obijcies secundò postquam hæc fœmina intelligitur absolute inclusa in pacto, adhuc intelligitur indifferens ad peccandum, vel non peccandum; quia eo modo quo peccat, peccatum debet esse illi liberum: at non potuit intelligi indifferens ad peccandum, vel non peccandum pro posteriori ad peccatum Adæ: ergo absoluta inclusio in pacto non est pro posteriori ad peccatum Adæ, sed debet intelligi in eo signo, quo Adamus erat indifferens ad peccandum, vel non peccandum. Probatur minor; quia cum hæc fœmina peccet in Adamo per libertatem ipsius, eatenus est indifferens ad peccandum, vel non peccandum in Adamo quatenus iste tanquam persona publica est indifferens ad peccandum, vel non peccandum.

Alia obiectio.

49 Respondeo, maiorem esse falsam; quia non est necesse, vt in eo signo in quo Adamus est indifferens ad pecandum, vel non peccandum tanquam persona publica, intelligantur iam singuli posteri absolute inclusi in pacto determinatè: sed sufficit, quod intelligantur inclusi, vel absolutè, vel sub aliqua conditione, quæ adveniat pro posteriori ad peccatum ipsum. Et ratio est, quia Adamum peccare, vt caput morale huius fœminæ, nihil aliud est, quam ponere actionem, quæ hanc fœminam postea per inde reddet dignam privari gratia, & gloria, ac si ab ipsa fuisset elicita. Et nihil prohibet eam actionem expectare aliquam conditionem ad hoc, vt imputetur absolutè huic fœminæ, eamque reddat dignã privatione gratiæ. Imo necesse est, vt expectet existentiam physicam illius, quia implicat, vt subiectũ denominetur intrinsece moraliter dignum privari gratia, & gloria, ante quam existat. Alioqui posset dici homo simpliciter, & absolute malus, & peccator, ante quam existeret.

Diluitur

50 Quamvis autem is, qui peccat actualiter propria libertate, debeat, intelligi indifferens ad non peccandum in eodem signo, in quo intelligitur proximè capax, peccare, non tamen is, qui peccat in alio, seu per alienam libertatem. Quia vt iste in vno signo intelligatur proximè potens peccare, satis est, quod in alio signo anteriori habuerit indifferentiam ad non peccandum, quatenus caput morale ipsius potuit impedire formam, à qua ipse postea denominandus erat dignus, privari gratia, & gloria. Vnde illa propositio, *Eo modo quo hæc fœmina peccat, debet esse illi liberum peccatum*, distinguenda est: in signo aliquo, concedo: in signo immediato ad denominationem absolute peccantis: nego. Nam vt fœmina hæc denominetur absolute peccans in Adamo, post quam exclusa est à munere Matris Christi, imo post quam existit physicè, satis est, quod ante illam exclusionem, & ante peccatum Adami fuerit inclusa in pacto conditionatè, nimirum sub conditione quod non eligatur in Matrem Christi, & ortum trahat ex Adamo: nam illa inclusio conditionata satis est, vt Adamus agat nomine ipsius, & ponat actionem, quæ ipsi sit imputanda postea, cum ad impleatur illa conditio, quam assumebat peccatum.

51 Obijcies tertio. Nullus posterorum suscipit denominationem peccantis in Adamo in instanti in quo ipse incipit existere: quia tunc iam non existit physice peccatum Adæ: ergo debet suscipere in ipso signo, in quo Adamus intelligitur peccans. In primis antecedens est falsum, vt constat ex dictis; deinde consequentia est nulla. Quia satis est, quod in instanti reali in quo Adam peccat, intelligatur hæc fœmina peccans denominative à peccato actuali Adami, quod in illo instanti est realiter existens. Quamvis autem denominatio huius fœminæ vt peccantis absolutè in Adam dependeat ab aliqua conditione existenti ordine rationis pro posteriori ad peccatum Adæ, nempe quod hæc fœmina non fuerit electa in Matrem Christi, tamen illa conditio existit iam realiter in instanti, in quo Adam peccat, cum extiterit ex tota æternitate.

Vltima obiectio.

Dissolvitur.

SECTIO VLTIMA.

Alia via expeditur difficultas.

52 VT hanc difficultatem expediam ex dicendis 3. p. in q. de motivo Incarnationis suppono, Deũ per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere, melius, & convenientius esse carnem passibilem assumere, quam non assumere pro casu, in quo per scientiam Mediam appareat Adamus peccaturus, & infecturus genus humanũ, si constituatur caput

caput morale poſterorum cum tali libertate, qualem de facto habuit transfundēdi in illos iuſtitiam, vel iniuſtitiam originalem, & ſimul abſolutè cognoſcere, melius, & convenientius eſſe ad manifeſtationem ſuorum attributorum, conſtituere Adamum caput morale poſterorum, eique permittere peccatum; quam non conſtituere, vel non permittere: nam cum Deus hoc de facto fecerit, id melius eſt; quia vt probavi diſput. 6. Deus ſemper facit id, quod omnibus inſpectis eſt melius ad manifeſtationem ſuorum attributorum, quàm ſuum contradictorium.

Chriſtus præfinitus eſt vt redemptor in actu primo, ante permiſſionē peccati, ſeu vt medicus, ob morbum peccati imminētis.

53 Hac ſcientia inſtructus cum primum per ſcientiam Mediam vidit, Adamum peccaturum, & infecturum poſteros omnes, quorum conſtitueretur caput morale, ſi ei imponeretur tale præceptum ſub talibus auxilijs; iam abſolute iudicavit vt melius, & convenientius Chriſtum mittere, quàm non mittere. Hoc ſuppoſito, primo Deus præfinivit Chriſtum vt paſsibilem, non quidem præfiniendo illud vt Redemptorem in actu ſecundo, ſeu præfiniendo redemptionem actualem à peccato; quia finis iſte cum ſupponat eſſentialiter peccatum, non eſt amabilis efficaciter ante permiſſionem peccati, ſed vt Redemptorem in actu primo, ſeu vt Medicum, qui poſsit curare à morbo peccati; ſi forſam ille morbus detur, qui licet non videretur adhuc vt abſolutè futurus, iam tamen immenebat, quatenus Deus videbat peccatum infallibiliter futurum, ſi Adamus conſtitueretur ſub tali hypotheſi, & occurſu rerum; & rurſus videbat ſe maximè inclinatum ad ita conſtituendum, quia videbat, melius, & convenientius eſſe, creare Adamum illumque conſtituere ſub illo rerum occurſu, quam non creare, vel creare ſub alio. Deinde præfinivit, vt Chriſtus eſſet paratus ſanguinem fundere pro hominibus, ſi illi peccent, ſeu vt haberent voluntatē efficacem offerendi vitam ſuam pro ſalute hominum, id eſt, non impediendi mortem, ſi Iudæi eam vellent ipſi inferre in odium prædicatæ palam veritatis: quod decretum non habebat ex ſe connexionē cum morte, nec cum peccato, quia Chriſtum eſſe paratum ad ſubeundam mortē pro redimendis hominibus à peccato imminenti, ſi in illud re ipſa incidant, non perit, vt peccatum detur, nec illud, vt abſolutè futurum ſupponit.

54 In eo autem ſigno, in quo Deus præfinivit illam Chriſti præparationem ad ſubeundam mortem, cognovit, Chriſtum abſolutè moriturum; quia videbat per ſcientiam mediam occidendum à Iudæis ſub conditione, quod ipſe nollet impedire ſuam mortem. Vnde cum primum vidit illum non impediturum ſuam mortem, vidit reipſa moriturum. In tertio ſigno Deus decrevit, mundum creare propter Chriſtum, Adamum conſtituere caput morale poſterorum, & pactum cum illo inire: propter meritum tamen illius acceptationis mortis decrevit Mariam eligere in Matrem Chriſti, illamque præſervare à pacto. In quarto ſigno vidit peccatum Adami, & omnium poſterorum in ipſo, vna excepta Maria, vt abſolutè futurum, & efficaciter voluit redemptionem in actu ſecundo propter meritum paſsionis Chriſti: id eſt, decrevit, conferre Adamo gratiam remiſsivam peccati, illamque offerre omnibus, & ſingulis hominibus lapſis in peccatum, vt ab eo reſurgant.

55 Dices, hoc pacto non ſalvati, Virginem fuiſſe præſervatam à culpa originali ob mortem filij ſui; ſiquidem prius fuit, Deum videre Adamum peccantem, quam videre mortem Chriſti. Reſponderi poteſt primo, licet ipſa mors materialis Chriſti non fuerit prævisa ante peccatum Adami, & conſequenter ante pactū; fuiſſe tamen prævisam volūtatem efficacē Chriſti acceptandi mortē & conſequētem fuiſſe prævisum totū meritum poſsionis Chriſti: nam meritum paſsionis externæ ortum trahit ex voluntate interna, qua Chriſtus illam paſsionem acceptavit. Vnde Beatam Virginem ideo dici exceptam à pacto propter paſsionem Filij prævisam; quia præſervata fuit propter illam acceptationem mortis prævisam. Hoc pacto Pater Arriaga diſp. 16. de Incarnat. n. 20. cum Cardinali de Lugo, Hurtado, & alijs ait, ideo nos à Paulo dici per Chriſti mortem redemptos; non quia mors ipſa phyſica nos redemerit, ſed quatenus fuit ea mors voluntarie acceptata à Chriſto Domino. Hoc pacto etiam Cardinalis de Lugo diſput. 7. de Incarnation. num. 55. diſtinguit inter mortem Chriſti materialiter ſumptam, & inter eandem vt meritoriā: aſſeritque, eam primo modo acceptam non fuiſſe prævisam ante omnes, & ſingulas gratias hominibus datas; bene autem ſecundo modo ſumptam. Secundò

respondetur, mortem ipsam materialem Christi prævisam fuisse, vt absolute futuram pro priori ad pactum initum cum Adamo, non quidem in se, sed in complexo scientiæ mediæ, per quam Deus videbat, Christum reipsa occidendum, si ipse mortem acceptaret, & in decreto præfiniente illam acceptationem: illud autem complexum secundum vtramque sui partem antecessit pactum initum cum Adamo: ergo præcessit mors Christi in prævisione divina modo sufficienti, vt propter illam eximeretur à pacto Beata Virgo.

56 Obijcies secundo ex nostra sententia sequi, Christum venturum in carne passibili, quamvis Adamus non peccaret, sed perpetuò maneret in statu innocentiæ cum filijs suis: siquidem per nos præfinitus est Christus passibilis pro priori ad pactum initum cum Adamo, & peccatum ipsi permissum. Respondeo, negando sequelam. Nam si Adamus in his circunstantijs, quibus de facto peccavit, observasset præceptum, non præcessisset in Deo scientia media repræsentans futurum lapsum sub illis circunstantijs: si autem talis scientia non præcessisset, non habuisset Deus decretum mittendi Christum in carne passibili; quia hoc decretum licet non supponat peccatum Adami, vt existens, supponit tamen vt imminens: in ratione autem imminentis constituitur tum per scientiam mediam illius, tum per inclinationem Dei ad ipsum permittendum.

DISPVTATIO VIII.

AN ET QVOMODO REATVS POENÆ, ET REATVS CVLPÆ DISTINGVANTVR?

Vbi examinatur an hæc propositio: *Peccatum veniale nequit esse totaliter, & adæquate remissum quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquam pœnam Purgatorij ipsi debitam*; sit censura aliqua digna: vel an potius sit probabilis, imò & vera?

Ad quæst. 86. 1.2. art. 1. de reatu pœnæ, & ad quæst. 86. 3. partis, art. 4. Vtrùm remissa culpa, remaneat reatus pœnæ.

DVM Salmaticæ anno 1662. in publicis disputationibus è Cathedra discipulo præessem, inter respondendum cuidam argumento, concessi vi consequentiæ, nunquam peccatum veniale posse totaliter, & adæquate remitti quoad culpam, manente reatu ad aliquam pœnam Purgatorij ipsi debitam, præsertim damni. Hæc propositio dura admodum visa est docto, & erudito commagistro meo, & contra illam non pauca, nec contemnenda argumenta zelo veritatis scripto confecit. Quibus vt satisfacerem rem diligenter examinavi, paratus propositionem illam retractare, si deprehendissem vllatenus opponi sanæ doctrinæ, vel etiam gravi fundamento carere, & post maturam, & diligentem rei discussionem, censeo primò, illam non esse vlla censura dignam; secundo esse absolutè probabilem, tertiò esse absolutè veram. Hoc autem ita affirmo, vt si sapientiores iudicaverint, fundamenta à me adducenda digna non esse, quæ virum doctum, & prudentem ad assensum opinativũ moveant libenter à mea sententia discedam, quia non animo contendendi, sed veritatem assequendi hæc scribo.

(?)

SE-

SECTIO PRIMA.

Rationes quæ suadent, illam propositionem non esse vlla censura dignam, sed potius esse probabilem.

PRIMA RATIO.

2 PRIMA; quia hæc propositio sequitur per immediatam, & evidentissimam consequentiam ex sententia plurimorum, gravissimorumque Theologorum qui explicant peccatum habituale per ordinem ad pœnam alterius vitæ; mortale, per ordinē ad pœnam æternam; veniale per ordinem ad pœnam Purgatorij, sive dicant consistere in obligatione, & reatu ad pœnam, sive indignitate ad pœnam. Si enim peccatum veniale habituale nihil aliud est, quam reatus, vel dignitas ad pœnam Purgatorij; ergo idem est tolli peccatū veniale, ac tolli illam dignitatem, seu reatum, idem remitti totaliter, ac totaliter remitti illum reatum. Porrò Theologi isti multi sunt: nam P. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 14. sect. 3. enumerans sententias de constitutivo peccati habitualis n. 9. inquit: *Quinta sententia est, peccatum esse reatū, seu obligationem ad pœnam propter actum præcedentem*: & pro hac sententia enumerat duodecim graves Authores, inter quos Scotum, & Nominales. Et Montipilosus tom. 3. partis secundæ disp. 130. art. 4. num. 1. ait: *Communiter Scotistæ sentiunt constitutivum peccatoris præterito actu peccati esse ordinationem ad pœnam æternam*; & præter aliquos citatos à Salas citat insuper Rubionem, & Aretinum. Item Franciscus Felix Scotista recentissimus in tentativa Complutensi tract. de peccatis cap. 18. diffi. 2. num. 13. „ Vera, inquit, sententia asserit maculam „ peccati pro formali esse reatum, seu „ deputationem ad pœnam, additq; hāc esse expressam sententiam Scoti, & cōmunem consensum Antiquorum Scotistarum, & multorum Recētiorum, quos ibi citat, & num. 24. affirmat maculam resultantem ex actu præterito veniali cōsistere in deputatione passiva ad pœnam temporalem. Deinde idem P. Salas ibidem num. 13. refert aliam sententiam. „ Sexta, inquit, sententia est peccatum „ habituale esse reatum pœnæ non intel„ligendo nomine reatus ordinationem „ ad pœnam, vel relationem resultantem „ ex tali ordinatione, sed dignitatem „ pœnæ. Et statim pro hac sententia citat Durandum, & ad finem illius numeri: item num. 14. vltra duodecim Authores, vel illam defendentes, vel vt probabilem admittentes.

Illa propositio sequitur per necessariam consequētiam ex sententia graviū Doctorū explicantium maculam relictā ex peccato per reatum.

Recēsentur ij Authores.

3 Et P. Enriquez lib. 1. de pœnit. „ cap. 15. num. 1. inquit: Quidam pu„tant traseunte actu peccati vnialis ni„hil culpæ, aut maculæ remanere, sed „ reatum pœnæ temporalis, & citat in margine pro illa Almainum, Maiorem, Echium, Scotum, Gabrielem, Corduvā, & Taper. Ioannem Medinam esse huius sententiæ Patronum est mihi exploratum, nam Codice de pœnit. tract. 1. quæst. 7. ponit peccatum habituale in actu præterito non condonato, & dicit illam non conditionem consistere in eo, quod Deus deputet hominem qui peccavit, ad pœnam, quatenus nimirum Deus non cedit iuri ad puniendum, & ideo post expli„cationem suæ sententiæ concludit: Itaque „ hominem in peccato esse, est Deum illū „ pro peccato ad pœnam imputare. Et post responsionem ad argumenta contra„ria, inquit: Concluditur ergo quod „ transacto actu peccati nihil aliud relin„quitur in peccatore, nisi debitū pœnæ „ æternæ, cui obnoxius per peccatum fa„ctus est: & dicitur esse in tali debito, „ quandiu Deus habet animum vindicā„di peccatum illud. Pro hac sententia citat Amicus, Aureolum.

4 Et Lorca tom. 2. in 1. 2. disp. 50. citat pro hac sententia Recentiores sui temporis qui illam confirmant testimonijs scripturæ, vt ex illo exodi 32. *Peccasti Dominus populum pro reatu vituli*. Et ex illo Deutor. 21. *Auferes reatū sanguinis*. Et ex illo Christi Math. 6. *Dimitte nobis debita nostra*. Referuntque Patroni huius sententiæ pro ea multos Patres, vt Dionysium, Ambrosiū, & Augustinū: & sanè videtur Cardinali Bellarmino illum esse exploratum Patronum huius sententiæ; nam lib. 1. de nuptijs cap. 26. Ma„nent, inquit, peccata nisi remittantur; „ sed quomodo manent, si præterita sunt, „ nisi quia præterierunt actu, & manent „ reatu. Inquit autem Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 7. §. At hac responsio, reatum istū apud Augustinum idem esse, *Ac dignitatem ad pœnam, seu meritum pœnæ*. Quod etiam testatur Iacobus Latomus Doctor Lovaniensis art. 6. cap. 2. fol. 56. pag. 2. post quam enim retulit varia Scripturæ testimonia, in quibus invenitur nomē, reatus, „ subdit. Vnde Augustinus traxit nomen

rea-

reatus, quem sequitur *omnis scholæ* dicens, „ Transeunte actu in mortale peccato re„ manere reatum, quia remanet pecca„ tor ex regula divinæ iustitiæ dignus pœ„ na, & obligatus ad pœnam sustinen„ dam. Itaque apud Augustinum eatenus homo, qui antea peccavit, habet nũc peccatum, & ab illo denominatur peccator, quatenus dum non remittitur peccatum, ratione illius reus est pœnæ; id est dignus illa pœna, quam promeruit eliciẽdo talem actum: ergo apud Augustinum idem est tolli statum peccati relictum ex actu præterito, ac tolli dignitatem pœnæ, ac proinde idem erit apud ipsum tolli peccatum mortale, seu remitti, ac tolli, seu remitti dignitatem pœnæ æternæ; & idem erit tolli peccatum veniale, ac tolli dignitatem pœnæ temporalis Purgatorij illi correspondentis: ergo non potest inuri censura sententię asserenti non posse totaliter remitti reatum culpæ venialis, quin tollatur, remittatur ve totaliter reatus pœnæ Purgatorij, quin inuratur censura sententiæ Augustini.

5 Adeo autem evidens est sequi ex sententia explicante peccatum veniale habituale per reatum, sive dignitatem pœnæ non posse tolli, seu remitti totaliter peccatum illud, quin tollatur ille reatus, vt P. Salas illa sect. 3. num. 12. de Authoribus hisce loquens dicat: Qui „ consequenter dicere debent nullũ pec„ catum mortale, aut veniale tolli, aut re„ mitti totaliter donec tota pœna remit„ tatur, aut solvatur, licet mortale dica„ tur simpliciter remitti, quando desinit „ imputari ad pœnam æternam, cuius „ comparatione temporalis pœna fere nul„ la est. Et quamvis quoad peccatum mortale hæc consecutio mihi non videatur necessaria, quia peccatum mortale in ratione mortalis constituitur per reatum pœnæ æternæ, qui reatus consistit in indivisibili: nam reatus pœnæ æternæ, præsertim damni, vel tollitur totaliter, vel nullo modo tollitur: tamen quoad peccatum veniale est omnino necessaria: quia si status peccati venialis manens transacto actu consistit in reatu, & dignitate ad pœnam temporalem: hæc pœna vel est sola pœna Purgatorij, vel præcipuè; quia si reatus culpæ venialis explicatur per ordinem ad pœnam debet explicari per ordinem ad pœnam præcipuam, quæ consistit in temporali privatione summi boni pro tempore in quo debeat possideri: pœna autem temporalis Purgatorij latitudinem habet, & potest tolli reatus ad vnam partem, manente reatu ad aliam: ergo ex sententia explicante reatum culpæ venialis per reatum, & dignitatem ad pœnam temporalem; est evidens, & immediata consequentia non posse tolli reatum culpæ venialis, quin tollatur reatus pœnæ Purgatorij, ac proinde non posse tolli totaliter, quin tollatur totaliter ille reatus pœnæ: nam vbi duo prædicata sunt idem realiter, evidens est idem esse tolli vnum, ac tolli aliud.

6 Ex hoc principio per evidentem consequentiam intulerunt Scotus, & Nominales apud Amicum disp. 6. de pœnit. sect. 9. reatum culpæ venialis, cum quo iustus decedit, tolli formaliter per ipsam tollerantiam; & passionem pœnarũ Purgatorij, quia cum evidens sit reatum, & obligationem subeũdi illas pœnas elui, ac tolli per ipsarum tollerantiam, & passionem; si reatus culpæ manens ex actu præterito idem est cum reatu illarum pœnarum, evidens quoque erit reatum culpæ venialis tolli per tollerantiam pœnarum Purgatorij. Et quidem hanc illationem approbant communiter Theologi ad 3. p. Divi Thomæ quæst. 87. art. 1. & 2. dum disputant, quomodo remittantur in alia vita peccata venialia, cum quibus sæpe iustus decedit? videatur Eximius D. Suarez disp. 11. de pœnit sect. 4. num. 7. vbi postquam retulit sententiam afferentem illa peccata remitti in alia vita per „ ipsã pœnã Purgatorij; addit. Quod cõ„ sequenter dicent Gabriel, Medina, & „ alij, qui putant veniale peccatum nihil „ esse aliud post tranfactum actum, nisi „ reatum pœnæ, nam hic reatus solutio„ ne pœnæ tollitur, vnde sicut pœna suc„ cessive infligitur, ita etiam reatus suc„ cessive minuitur donec tollatur. Eandem consecutionem cognoscit vt rectam Amicus ea disp. 6. de pœnit. num. 159. Martinon, tom. de pœnit. disp. 45. sect. 4. num. 38. & omnes alij, quos viderim; vidi autem non paucos, nullumque inveni, qui aliter impugnet illam sententiam, quam evertendo eius fundamentum, nempe quod idem est reatus culpę relictus ex actu præterito, ac reatus pœnæ.

7 Ex eodem principio intulerunt Scotus, & Gabriel apud Amicum disp. 5. de pœnit. sect. 5. non posse de potentia absoluta remitti peccatum mortale ma„ nente reatu pœnæ æternæ: Quoniam „ peccatum habituale relictum à peccato „ præterito nihil aliud est, quam ordi-

natio

„natio ad pœnam æternam præterito „actui debitam ; ergo repugnat remitti „peccatũ, & simul manere debitum pœ„næ æternæ: cum nihil aliud sit peccatũ „habituale , quam hoc ipsum debi„tum, & obligatio ad pœnam æternam. Eandem consequentiam intulit Ioannes de Medina Codice de pœnit. tract. 1. q. „7. §. Hic modus. Quia non relinqui„tur (inquit) in peccatore transeunte „actu peccati aliquid remittendum, nisi „reatus æternę damnationis, nec aliter „culpa commissa dicitur remitti, nisi „hunc reatum dimittendo : non igitur „stat culpam mortalem dimitti, manen„te debito damnationis æternæ. Et hãc illationem esse evidentem ex principijs Scoti testatur P. Suarez disp. 11. de pœnit. sect. 2. num. 3. vnde nova consurgit confirmatio: quia sicut evidens est, in sententia Scotistarum non posse dici adæquatè remissum peccatum mortale merens pœnam æternam intensam vt quatuor per hoc, quod sit remissum quoad partem pœnę ęternæ, si maneat quoad aliam partem æternæ pœnę : ita evidens videtur non posse dici remissum adæquatè peccatum veniale merens quatuor dies Purgatorij, si solum sit dimissum quoad partem illius pœnę, & maneat quoad aliam : quia sicut in sententia Scoti peccatum mortale habituale pro formali cõsistit in reatu ad pœnam æternam debitam actui præterito : ita veniale habituale consistit in reatu ad pœnam temporalem debitam actui præterito.

8 Hinc D. Augustinus apud Bellarminum lib. 5. de amissione gratiæ cap. 8. §. *At hæc distinctio* ex eo, quod idem sit habere peccatũ post transactum actũ, ac reum esse peccati, id est dignum pœna debita peccato, intulit, peccatum tolli hoc ipso, quod tollatur reatus. Sic enim ipse loquitur lib. de nuptijs, & concupisc. cap. 25. *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Et ideo ibidem cap. 23. ait: *Peccatum sublato reatu iam non esse peccatum, nisi tropicè.*

9 Ex his necessario infertur, non posse notari censura nostram propositionem, quin notetur omnis sententia, quæ explicat peccatum veniale per reatum, vel dignitatem ad pœnam. Atqui dici nequit probabilem non esse sententiam illam : ergo dici nequit dignam esse censura propositionem nostram, quę ex illa per evidentissimam consequentiam infertur.

10 Non me latet Patrem Vazquez notasse sententiam Scoti ex Bulla Pij V. reprobante hanc propositionem Michae„lis Baij : In peccato duo sunt actus, & „reatus, transeunte autem actu nihil ma„net, nisi reatus, & obligatio ad pœnam. „Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sa„cerdotis absolutione, propriè reatus „peccati duntaxat tollitur, & Sacerdotis „mysterium solum liberat à reatu. Sed eam ab hac censura liberant P. Salas tract. 13. ea disp. 4. sect. 3. num. 1. P. Arriaga tom. 1. in 1. 2. disp. 49. sect. 1. num. 5. asserentes ibi solum damnari eum, qui dicit post actum peccati mortalis nõ manere hominem verè maculatum, nec verè esse in peccato. Et P. Antonius Perez in manu scriptis Rom. de pœnit. & iustificat. disp. 5. cap. 1. §. *Hæc sententia Scoti.* Vbi postquam adduxit propositionem „Michaelis Baij, inquit: Existimat Vaz„quez conclusionem Scoti non differre „ab hac propositione. Sed meo iudicio „manifestè differt, non enim negat Sco„tus manere privationem gratiæ, quæ „tollatur per Baptismum, sed solum di„cit, id, in quo consistit reatus, & vltimũ „quasi complementum status peccati, es„se illam relationem rationis. Itaque illa propositio Baij in eo solum sensu reprobata est, quatenus significare videbatur transacto actu peccati mortalis non manere hominem verè maculatum privatione gratię, & per Baptismum, aut Sacerdotis absolutionem non tolli illam maculam introducta pulchritudine gratiæ sanctificantis : nullo autem pacto damnata fuit ibi sententia dicens, transacto actu peccati mortalis defacto manere hominẽ privatum gratia, ita vt ipsa dignitas pœnæ æternæ manens transacto actu peccati constituatur per privationem gratiæ, nec posse iuxta præsentem providentiam tolli, quin infundatur gratia, & homo interius renoveretur.

11 Adde in peccato veniali non esse eandem rationem, ac in mortali: cum enim veniale nõ privet hominem iustum aliquo dono habituali, & permanenti, in cuius privatione possit consistere macula habitualis, potest impunè dici peccatum veniale non relinquere maculam, ac proinde transacto actu peccati veniale nihil manere, nisi reatum, seu dignitatem pœnę temporalis. Peccatum venialis propriè nõ relinquere maculam in anima, docent expræsè Divus Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 1. in corpore, & Cardinalis Bellarminus lib. 1. de amissione gratię

Quid intenderit Ecclesia, dum damnavit propositionem Baij asserentis *transacto actu peccati nihil manere nisi reatum &c.*

An peccatum veniale relinquat maculã.

tiæ cap. 19. §. *Respondeo secundò*, his verbis, Non excludit Dei gratiam, non tollit principium vitæ, sed tantum impedit aliquo modo fervorem charitatis, & ideo propriè non efficit maculam seu deformitatem.

12 Et quamvis ego censeam, peccatum veniale relinquere maculam; illa tamen macula non est realiter distincta ab ipso actu præterito moraliter perseverante, censeo autem eatenus perseverare moraliter, quatenus Deus non cedit iuri, quod acquisivit per actum peccati ad indignationem, & offensionem levem contra personam: & existimo ius ad istam indignationem, & offensionem contra personam quæ commisit peccatum leve, nihil aliud esse, quam ius ad privandum illam personam aliquo bono, vel infligendum illi aliquod malum propter culpam præteritam: ac proinde nihil aliud esse hominem iustum manere cum reatu culpæ ex actu præterito non condonato, vel non remisso, ac manere reum indignationis divinæ, quam peccando promeruit, qui reatus realiter est idem cum reatu pœnæ, quia Deus non aliter potest irasci cõtra personam propter culpam, *Quam volendo illi aliquod malum pœnæ propter malum culpæ.*

13 Itaque homo ratione peccati mortalis præteriti bifariam potest dici maculatus. Primo, quatenus sua culpa caret gratia habituali, quæ est nitor, & pulchritudo animæ ipsi debita. Secundò denominative ab ipso actu præterito moraliter perseverante, quatenus peccatoris ratione actus præteriti, perinde manet reus indignationis divinæ, & odij inimicabilis, ac si actus ille existeret. At ratione peccati venialis præteriti vnico tantummodo dici valet homo maculatus in hac vita, nimirum quateuus ratione illius non dum sibi remissi à Deo, vel non dum ablati per satisfactionem, vel per condignam pœnæ solutiunem, perinde manet reus levis indignationis, & offensionis divinæ destinantis hominem ad pœnã Purgatorij, ac si physice existeret talis actus.

Homo ratione peccati mortalis præteriti bifariam dicitur maculatus.

14 Quapropter sententia hoc pacto explicans reatum pœnæ, vt scilicet non sit ipsa destinatio divina, sed potius actus præteritus moraliter perseverans ratione voluntatis divinæ nolentis cedere iuri ad puniẽdum; & dicens reatum culpę venialis non distingui realiter à reatu pœnę, non videtur posse à probabilitate deturbari: ergo cum ex hac sententia per necessariam consequentiam inferatur non posse remitti peccatum veniale manente reatu ad pœnam Purgatorij, propositio hoc affirmans absit da non est.

SECVNDA RATIO.

15 ALIVD argumentum non leve ad suadendum nostrã propositionem nõ esse absurdam, sumitur ex eo; quod quamvis ex sententia identificate reatum culpæ venialis cum reatu pœnæ Purgatorij evidẽter inferatur idem esse tollí vnum reatum totaliter, ac tolli alium; nihilominus nullus Theologus ex Clasicis dicit hoc consequens esse contra fidem: & quamvis Thomistæ acriter invehantur in sententias Scoti contrarias Divo Thomæ, & nullum lapidem non moveant, vt illas exterminent, nihilominus nullus eorum cõtra Scotum vnquam intulit tanquam absurdum contra fidem, ex eius sententia sequi non posse remitti culpam venialem manente reatu pœnam Purgatorij; cum tamen sequela ista sit evidentissima ex principijs. Ideo ergo hanc sequelam non obiecerunt; quia nihil absurdi contra fidem in illa videbant. Consulantur Cajetanus 1. 2. quæst. 86. art. 1. Vbi pro dignitate sententiam Scoti impugnat. Medina, & alij Thomistæ ibidem: item 3. p. quæst. 85. art. 1. & 2. vbi agunt de remissione venialium in alia vita: quamvis enim Scotus, & Nominales ex eo probẽt peccata venialia cum quibus iusti decedunt, remitti per tollerantiam pœnarũ Purgatorij, vel potius elui, & aboleri; quia reatus culpæ manens ex peccato actuali veniali non distinguitur à reatu pœnæ temporalis; tamen nullus illorum huic principio irascitur tanquam contrario definitionibus Conciliorum, & nostri Doctores ita reijciunt communiter hanc sententiam, vt illam probabilem esse supponant, vt P. Vazquez tom. de pœnit. quæst. 87. art. 1. dub. 2. qui post quã num. 9. retulit hanc sententiam Scoti, Maioris, & Nominalium post modum num. 10. solum sequitur vt veriorem sententiam asserentem remitti venialia in instanti mortis per actum perfectæ dilectionis, quem tunc anima elicit. Et Pater Amicus disp. 6. de pœnit. sect. 5. num. 159. refert eandem sententiam, eiusque fundamentum, & postea num. 163. sequitur aliam sententiam vt *probabilem*. Idem facit Meracius disp. 11. de pœnit. sect. 1.

Quamvis ex sententia identificante reatum culpæ cum reatu pœnæ inferatur nõ posse vnũ reatum tolli quin tollatur alius; nemo ex hoc capite impugnavit Scotistas.

P. Co-

P. Coninch. disp. 2. de pœnit. dub. 14. num. 119. P. Dicastillo, & alij communiter, qui vel probabilem supponunt, vel simpliciter illam reijciunt sine vlla censura, imo sine vllo verbo amaritudinis. Consulatur inter alios Aversa tractatu de pœnit. quæst. 4. sect. 2. Vbi illam sententiam probabilem esse supponens sequitur sententiam D. Thomæ vt communem. Præcipuè consulendus est Eximius Doct. tom. de pœnit. disp. 11. sect. 1. num. 5. &. 6. Vbi probat contra Scotum non esse idem remitti veniale, ac remitti pœnam, ac proinde reatum culpæ venialis distingui à reatu pœnæ, & cum multa conficiat argumenta nullo pacto pungit eam sententiam, sed illam supponens esse probabilem, impugnat eo modo, quo solent impugnari sententiæ probabiles. Quis autem non videat absurdum esse afferere tot, ac tam præclaros Viros pro dignitate discutientes sententiam Scoti non opposituros fuisse contra ipsam definitionem Tridentini docentis sæpè remissa culpa, manere reatum pœnæ temporalis, si illa definitio non loqueretur determinate de peccatis mortalib⁹. Prodigium esset aliquid esse definitum in Tridentino contra hanc sententiam, & tamen id non notasse, nec vidisse tam diligentes, & graves Scriptores, qui semper vtuntur illis definitionibus Conciliorum contra Hæreticos.

TERTIA RATIO.

17 ADDO grauissimum Theologum Andream Vegam lib. 13. in Tridentinum cap. 16. afferere peccatum mortale non esse totaliter dimissum dum manet reatus pœnę Purgatorij; esto simpliciter sit dimissum, quatenus reddebat inimicum, „ suum factorem. Esto enim, inquit, per „ contritionem, vel absolutionem dimis„ sa sit culpa, nec maneat quantum ad „ hoc vt inimicum Deo faciat suum fa„ ctorem, tamen dimissa non est in totũ, „ sed adhuc manet in imputatione divi„na quia licet non maneat quoad effectũ „ reddendi hominem Dei inimicum, & „ dignum pœna æterna, manet tamen „ quoad effectum reddendi dignum pœ„ na Purgatorij. inquã sententiã incidit Bellarminus lib. 4 depœnit. cap. 1. §. *Quod etiam Andreas*, solumque de illa dicit facere quęstionem de nomine. At propositio Andreæ Vega, digna non est censura; ergo multo minus nostra, quę asserit peccatum veniale nõ esse totaliter dimissum quoad culpam manente reatu ad pœnam Purgatorij.

Vega asserit non esse totaliter remissum peccatũ mortale, dum manet reatus Purgatorij.

QVARTA RATIO.

18 DEINDE quia graves Theologi satis expræsse docẽt, peccatum veniale eatenus tolli, aut remitti quoad culpam totaliter, quatenus tollitur, aut remittitur totaliter reatus ad pœnam temporalem ipsi debitam. In primis Iacobus Almaynus (qui teste P. Salas tract. 13. disp. 14. sect. 3. num. 14. ait: peccatum habituale esse reatum, & reatum esse dignitatem pœnę) in 4. d. st. 21. quæst. 1. fol. 83. colum. 4. inquirit, quid sit remitti peccatum veniale quoad culpam, & tum ibi, tum fol. 84. colum. 1. ait: Peccatum veniale remit„ ti nihil aliud est, quam pœnam ad quam „ quis est obligatus ratione venialis tota„liter solvi, aut nobis condonari, aut sal„ tem commutari in obligationem ad mi„norem pœnam. Et hæc eadem formalia verba habet etiam modernus Scotista Franciscus de Pitiguianis Arietino, (qui scribebat anno 1619.) in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. §. *Pro explicatione*. Duplicẽ hi Authores assignãt remissionem peccati venialis, alteram totalem, & adæquatam, quæ consistit in totali extinctione illius reatus ad pœnam temporalem debitam veniali: alteram non totalem, & adæquatam; quæ eatenus dicitur remissio venialis, quatenus minuit illam reatum ad pœnam temporalem, in quo consistit macula venialis iuxta hos Doctores: & hæc remissio in ipsorum sententia nequit esse remissio totalis, & adæquata peccati venialis: nam iuxta ipsos remissio pœnæ Purgatorij non coniungitur concomittanter cum remissione venialis: sed formalissimè est ipsa remissio. Deducũt enim peccatum Veniale remitti quoad culpam, dũ remittitur pœna temporalis ei debita, ex eo quod transeunte actu peccati venialis nihil remanet, à quo quis dicitur leviter maculatus, nisi reatus ad pœnam tempo„ ralem: Actu venialis peccati transeun„ te (inquit Aretinus) nihil manet in pec„ catore, nisi obligatio, vel dignitas ad „ pœnam, atque adeò peccatum veniale „ remitti non est aliud, &c. Si enim peccatum veniale remitti non est aliud, quã remitti reatum pœnæ temporalis ei debitæ; idem erit formalissimè remitti totali;

Graves Theologi affirmãt, peccatum veniale eatenus remitti totaliter quoad culpam, quatenus totaliter remitti reat⁹ ad pœnam.

taliter, ac remitti totaliter reatum pœnæ temporalis ei debitæ, idem remitti partialiter, ac remitti partialiter illum reatum. Vnde sicut reatus ad pœnam temporalem debitam veniali non remittitur totaliter quando manet adhuc dignitas ad aliquam partem illius pœnæ; ita nec remittitur totaliter macula venialis consistens in illo reatu: sicut quia macula mortalis consistit iuxta illos in reatu ad pœnam æternam debitam actui præterito graviter malo, non posset dici totaliter remissa illa macula; si non esset totaliter remissus reatus pœnæ æternæ debitæ tali actui, sed adhuc manere dignitas ad aliquam partem illius pœnæ æternæ, v.g. si actui præterito homicidij deberetur pœna æterna vt decem, & Deus remitteret dimidium illius pœnæ, & remaneret reatus ad pœnam æternam vt quinque nõ diceretur remissa totaliter, & adæquatè macula illa mortalis, quæ consistebat in reatu ad pœnam æternam vt decem propter homicidium.

19 Itaque iuxta hos Doctores remissio peccati venialis, per quam non condonatur tota pœna Purgatorij, non est totalis. Idque expræsit nobilis Scotista Guillelmus de Rubion in 4. distinctionem 14. quæst. 4. initio. Dicendum „ est, inquit, quod culpam venialem remitti, non est aliud, quam ipsam ad pœnam temporalem non imputari. Hoc „ apparet quoniam pœna culpæ veniali „ debita temporalis est non æterna: sed „ Deum culpam aliquam alicui remittere nihil aliud est, quam ipsam ad pœnam ipsi secundum regulam iustitiæ „ debitam non imputare: ergo cum sola „ pœna temporalis sit culpæ veniali debita solius illius non imputatio est culpæ „ venialis remissio. Et paulo post subiungit. Peccatum veniale remittitur, „ vel remitti potest aliquando totaliter, „ quia ad nullam pœnam temporalem sibi debitam imputatur; aliquando sic „ partialiter, quod non ad totam pœnam „ temporalem sibi debitam.

20 Item docuit Ioannes Gerson Doctor, & Cancellarius Parisiensis, cuius verba videtur transcripsisse P. Salas ea sect. 3. num. 12. initio Doctor iste lib. de vita spirituali animæ sect. 1. Corollario 9. docet idem esse remitti peccatũ, ac non imputari. & probat ex Propheta dicente; *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, & statim inquirit, quid sit peccatum non imputari? Et subdit, „ Quidam dicunt nihil aliud esse Deum „ non imputare peccatum, ac illud non „ imputare ad pœnam. Et post quam expossuit fundamenta huius sententiæ, quæ absdubio est sententia Scoti, & sequaciũ, „ addit: Tales consequenter habent cõ„ cedere, quod nullum peccatum totali„ ter remittitur quoad vsque tota pœna „ persolvatur, aut remittatur, nec mortale, nec veniale, licet dicatur remitti mortale quando desinit imputari ad „ mortem æternam tanquam principalem. Et hunc modum exponendi remissionem peccati appellat probabilem; nam statim refert alium modum de quo dicit videri probabiliorem.

21 Et quamvis hæc illatio quoad peccatum mortale non videatur mihi necessaria; quia cum consistat mortale habituale in reatu ad pœnam æternam, potest proprie, & stricte dici totaliter remissum, quatenus mortale, quamvis ex illo maneat reatus ad pœnam temporalem Purgatorij tamen quoad veniale est omnino evidens: quia cum macula relicta, ex veniali consistat in reatu ad pœnam temporalem Purgatorij, implicat vt dicatur totaliter, & adæquatè ablata, si nõ sit totaliter ablatus reatus ad illam pœnã temporalem. Addendus est Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 5. art. 3. dub. 2. Vbi probat maculam venialem deleri per satisfactionem, Quia (inquit) transeunte „ actu peccati nihil manet in anima repugnans remissioni peccati nisi reatus „ pœnæ: sed soluta pœna tollitur reatus „ pœnæ: & ita nihil peccati manet. Planè sentiens aliquid peccati, & maculæ venialis mansurum si pœna illa non esset totaliter soluta, vel remissa. Quare quãvis possit dici peccatum veniale remissũ in aliquo proprio sensu, quando reatus pœnæ, in quo consistit, maiori ex parte est ablatus, præsertim si pœna, quę restat est exigua: vel si pœna Purgatorij, quæ maxima est, commutata sit in pœnam aliquam huius vitæ, quæ respectu illius sit fere nulla: tamen nunquam verificari potest esse adæquatè, & totaliter ablatam maculam relictam ex veniali, & consistẽtem in reatu, seu dignitate ad pœnam tẽporalem Purgatorij, si manet aliqua ex parte ille reatus. Non probo tamen modum loquendi horum Doctorum, dum dicunt maculam venialem remitti per satisfactionem pœnarum Purgatorij: nam remissio est actus creditoris cedentis iuri ad puniendum; vnde satisfactio eluit quidem

Reatus pœnæ Purgatorij tollitur per satisfactionem.

quidem maculam, illamque tollit, & abstergit, non tamen est eius remissio.

TRIDENTINVM NIHIL DEFINIRE contra nostram propositionem.

22 OPPONITVR nobis Tridentinum sess. 14. cap. 8. „ definiens: Falsum omni„ no esse, & à Verbo Dei alienum cul„ pam à Deo nunquam remitti, quin vni„ versa etiam pœna condonetur. Et Ca„ none 12. Si quis dixerit totam pœnam „ simul cum culpa remitti semper à Deo, „ anathema sit. Verum Concilium ibi determinatè loqui de culpa mortali, & solum definire, sæpè remissa culpa mortali, & pœna æterna, manere reatum pœnæ temporalis constabit legenti Cardinalem Bellarminum lib. 4. de pœnit. cap. 1. vbi proponit statum controversiæ inter Catholicos, & Hæreticos quoad necessitatem, & vtilitatem satisfactionis Sacramentalis; legatur ibi §. *Iam igitur*. §. *Re. stat igitur*, cum sequenti, & titulo capitis tertij, vbi incipit probare veritatem Catholicam definitam in Tridentino cõ„ tra Hæreticos sub hoc titulo: Reatum „ pœnæ temporalis, qui interdum rema„ net post amicitiam cum Deo reforma„ tam, bonis operibus redimi posse. Legatur etiam ibidem cap. 14. §. *Nec vero*, & §. *Atque discrimen*: & cap. 9. §. *Sanctus Cyprianus*, & cap. 10. §. *In alio vero loco*. Constabit etiam legenti Patrem Valentiam tom. 2. disp. 6. quæst. 17. punct. 5. statim post initium §. *Sententia Orthodoxorum*. Cum duobus sequentibus, & in cõtroversis, cõtroverf. de satisfactione, pag. mihi 863. cap. 1. §. *Sunt autem*, & §. *Secunda assertio*, & §. *Atque hæc*. Constabit etiam legenti Patrem Suarez disp. 10. de pœnit. sect. 3. vbi totam doctrinam Catholicam apud omnes Orthodoxos certam tribus propositionibus com„ prehendit, quarum prima est: Remis„ sa culpa mortali per pœnitentiam non „ semper remittitur tota temporalis „ pœna. Secunda, pœnam temporalem, „ quæ post remissum peccatum manet, „ non semper esse æqualem. Tertia: eam „ pœnam, quæ relinquitur post remissam „ culpam per primum pœnitentiæ actũ „ posse tolli per subsequentes actus pœ„ nitentiæ. Quod vel inde confirmatur, quod postea disp. 11. agens de venialibus, quamvis num. 5. & 6. probet etiam post remissam culpam, quandoque manere reatum pœnæ, nullatenus dicit id esse definitũ, nec ad hoc probandum adducit loca Tridetini nobis obiecta, & ab ipso citata disp. 10. sect. 3. num. 2. quoad culpam mortalem. Et solum facit paritatem inter veniale comparatum cum pœna temporali Purgatorij, & mortale cõparatum cum pœna æterna inferni, de qua dicit Tridentinum vna cum culpa remitti. Vnde arguit distinguendum esse reatum culpæ venialis à reatu pœnę Purgatorij, sicut distinguitur reatus culpæ mortalis à reatu pœnę æternæ. Quod argumentum potius facit pro nobis, concedimus enim omnimodam quoad hoc paritatem; & inde potius colligimus probabile esse non posse remitti veniale, manente reatu Purgatorij, sicut probabile est non posse remitti mortale, manente reatu inferni. Nec verba Concilij denotant reatum culpæ mortalis distingui realiter à reatu pœnæ æternæ, & ab illo esse separabilem; salvantur enim cum sola disiunctione rationis.

Tridentinum damnãs eum, qui dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti, loquitur de peccato mortali.

23 Totam controversiam inter Catholicos, & Hereticos fuisse de pœna remanente, dimissa culpa mortali, constabit legenti verba Lutheri apud Diodorum Coecium tom. 2. Thesauri Catholici lib. 7. art. 4. pag. 823. sic enim „ aiebat Lutherus in assertione art. 5. Sa„ tisfactionem negavi, qualem ipsi do„ cent, quod mihi non erit difficile pro„ bare, ostendant si possunt, vbi in tota „ scriptura vnus apex, aut iota scribã„ tur, pro peccato mortali vno debere „ satis fieri septem annis? Dicant vbi pro „ differentibus peccatis differentes pœ„ nas statuat Christus, aut Apostoli? Hæc Lutherus contra Catholicos. Constabit etiam legenti Ioannem Davantria Ministrum Provincialem Franciscanæ observantiæ in Provincia Coloniæ in Exegesi Evangelicæ veritatis contra errores Lutheri titulo de satisfactione pag. mihi 205. vbi tanquam in tabella appendit doctrinam Hæreticorum, & subinde assertionem Catholicam sub hac forma. Re„ sponsio Catholica vt non nisi meritis „ Christi fatentur Catholici culpam de„ leri, ita quoque æternam pœnam sola „ morte Christi dicunt esse dimissam: ve„ rum vt sine nostra conversione, & pœ„ nitentia, culpa, & perpetua pœna non „ relaxatur: ita omnis tẽporalis pœna pro „ culpis libera voluntate commissis sine „ omni eius afflictione non tollitur; sed „ Deus pœnitentibus culpam, & pœnã æter-

Ostenditur, totã controversiam inter Catholicos & Hæreticos fuisse de pœna manente remissa culpa mortali.

§. æternam misericorditer remittens, vt „misericordiæ iuncta sit iustitia, tempo„ralem quandam relinquit pœnam pro „delictorum modulo, maiorem, vel mi„norem nostra qualicumque satisfactio„ne redimendam. Legatur idem Author ibidem fol. 195. pag. 1. ad finem. Item Rofensis in confutatione assertionis Lutheranæ art. 5. fol. 105. pag. 2. à linea 22. & Ioannes Echius de septem Sacramentis contra Lutherum homilia 49. fol. mihi 148. pag. 2. propè finem post illa verba: *In hoc ergo stat intentio vera, &c.* Item liber scriptus, *Confessio Catholica fidei*, in quo continetur explicatio confessionis factæ à Patribus in Synodo Provinciali Polonyca anno 1551. titulo de Sacramentis pœnitentiæ cap. 48. de satisfactione pag. 125. & 126. & fol. 129. pag. 1. à linea 28. ibi: *Quod autem semel.*

24 Vrgetur primò: nam vel in illa definitione intendit Concilium comprehendere culpas veniales, ac decernere sæpè culpa veniali remissa manere reatum Purgatorij; vel non: si secundum frustra contra nos adducitur; si primum: ergo definit reatum culpæ venialis esse distinctum à reatu pœnæ Purgatorij, quãdo quidem definit sæpè separari realiter: ergo damnat sententiam Scoti, Scotistarum, Nominalium, Durandi, & aliorum, quæ satis tunc erat celebris in Scholis, & asserebat post actum peccati venialis nihil manere, nisi reatum pœnę temporalis Purgatorij, ac proinde dicebat reatum culpæ venialis non distingui à reatu pœnæ Purgatorij. Quis autem dicat Concilium voluisse decernere de re inter Doctores Scholasticos ita controversa.

25 Vrgetur secundò: nam Cardinalis Bellarminus cap. 1. illius libri 4. „asserit, Catholicos summo consensu „docere post remissam culpam sæpè re„manere reatum pœnæ temporalis. Et Pater Valencia tom. 2. disp. 6. quæst. 17. „punct. 5. ait: Sententiam esse omnium „Orthodoxorum, & ex fide certam su„peresse post culpam remissam aliquam „pœnam temporalem, dicuntque id fuis„se definitum à Tridentino in illis locis. At istæ assertiones essent falsæ, & indignæ Viris Theologis (intellectæ de remissione adæquata vt adversarij volunt) si non limitarentur ad culpam mortalem: quia loquendo etiam de culpis venialibus nõ nisi per summam imperitiam dici posset omnes Orthodoxos constanter asserere post dimissam culpam venialem super esse reatum Purgatorij: cum Scotus, & Nominales identificantes reatum culpæ venialis cum reatu pœnæ Purgatorij, nũquam dixerint, nec dicere potuerint sine evidenti implicatione post dimissam culpam venialem remanere reatum Purgatorij, hoc enim perinde esset, ac dicere post reatum Purgatorij remissum, manere reatum Purgatorij. Et quemadmodum ijdem Authores identificantes reatum culpæ mortalis manentem transacto actu cum reatu pœnæ æternæ damni, & sensus, nusquam dixerunt, nec dicere poterunt post dimissam culpam mortalem posse manere reatum pœnæ æternæ: sed potius ex identitate vtri iusque reatus intulerunt per necessariam consequentiam nõ posse divinitus remitti culpam mortalem manente reatu pœnæ æternæ vt habes apud Amicum disp. 5. de pœnit. sect. 5. quod etiam præstitit Ioannes de Medina, cod. de pœnitent. tract. 1. quæst. 7. §. *Hic modus*. Accedit quod diligentissimus Scriptor Pater Ripalda disp. 98. num. 1. supponens id quod est de fide certum circa pœnas peccatorum in alia vita, solum meminit pœnæ æternæ pro mortalibus irremissis, & pœnæ temporalis pro mortalibus remissis, & venialibus non remissis, & hoc dicit esse definitum in Tridentino, & probatum à Bellarmino, Valencia, Soto, Vega, & alijs contra Lutherũ, & huius temporis Hæreticos: ergo Tridentinum minimè docuit post dimissam culpam venialem in hac vita, restare aliquando pœnam Purgatorij luendam pro illa.

SECTIO SECVNDA.

Repelluntur censura nostræ propositionis.

26 EX his constat excessisse Patrem Martinon tom. de pœnit. disp. 64. sect. 5. n. 3. dum ad probandum Purgatorium assumit tanquam principium fidei: Quan„do peccata, seu mortalia, seu venialia „remittuntur non semper cum remissio„ne culpæ totum pœnæ reatum aboleri. Inconsideratè namque coniunxit, quod est certum de fide in peccato mortali cũ eo, quod est inter Theologos quoad veniale magis commune; remque istam nec ibi probat, nec probaverat alibi, vbi pro dignitate rem tractaverat, nempe disp. 44. sect. 9. vbi inquirit, vtrum remissa culpa per pœnitentiam remittatur reatus pœnæ, ibi namque ex scripturis, & Cõcilijs

Ex cessit P. Martinon.

cilijs probat dogma Catholicum, quod sæpè remissa culpa mortali, maneat reatus pœnæ temporalis, nihilque dicit de culpa veniali. Et cum disputatione 45. sectione 4. numero 38. & disputatione 44. sect. 7. num. 71. incidisset sermo de hac sententia Scoti, & Nominalium idẽtificantium reatum culpæ venialis cum reatu pœnæ Purgatorij, esseque oportunus locus inurendi illi notam, si ea foret digna, nihil amarum contra illam dicit, sed solum illam simpliciter reijcit, dicendo sibi displicere, & cõmuniter reijci: quomodo ergo postea obiter rem transigens, dicit esse de fide, quod distinguatur reatus culpæ venialis à reatu pœnæ? Certe hoc mihi argumento est festinanter, & inconsiderate hanc censurã inusisse: frustraque ad probandam veritatem Catholicam de existentia Purgatorij recurrit ad peccata venialia remissa quoad culpam, & manentia quoad reatum pœnæ, vt postmodum videbimus, quia controversistæ simili fundamento nunquam vtuntur ad stabiliendam existentiã Purgatorij. Addo illam propositionem Patris Martinon nobis non officere, qui solum asserimus nunquam remitti totaliter reatum culpæ venialis, manente reatu ad pœnam Purgatorij. Dicimus enim in eodem prorsus sensu remitti reatum culpæ venialis, quo remittitur reatus pœnæ Purgatorij debitæ peccato veniali præterito, quia censemus illos reatus non distingui realiter sicut censemus non distingui realiter reatum culpæ mortalis à reatu pœnæ æternæ.

Excessit Ruardus Taper.

27 Constat etiam ex dictis circa mentem Tridentini excessisse Ruardum Taper dum artic. 6. de satisfactione, pag. 235. ad medium ex dictis, & à se probatis in illo articulo, intulit, certa & infallibili fide esse credendum, quod post remissam culpam tãm mortalem, quàm venialem, plerumque manet reatus pœnæ Purgatorij. Si enim sermo sit de culpa veniali adæquatè remissa quoad reatum culpæ; id nullatenus spectat ad principiũ fidei: alioqui esset principium fidei, esse falsam sententiam Scoti, Durandi, & Nominalium, Ioannis de Medina, & aliorum idẽtificantium reatum culpæ venialis cum reatu pœnarum Purgatorij, sicut reatum culpæ mortalis cum reatu pœnarum inferni, quod ostendimus esse falsum. Perperamque Ruardus intulit hoc consequens ex ijs, quæ in decursu articuli probaverat; nam toto illo articulo solũ locutus fuerat de peccato mortali: & scopus eius fuit probare plerumque remissa culpa mortali manere reatũ pœnæ temporalis nõ solũ in hac vita, sed in alia, vt patet ex initio articuli, in quo proponit assumptũ probandũ ex certis principijs „ fidei, sic enim incipit: Peccato remisso, „ hoc est, peccatore in gratiã, & Filiũ Dei „ recepto, plerumq; manere reatũ pœnæ „ nõ solũ huius, sed futuri sæculi, nec eius „ dumtaxat, quæ in boni privatione cõsistit, sed & pœnæ, quæ est in afflictione „ tormenti, primo probandũ est ex scripturis, omniũ veterũ scriptorũ consensione, & ex Ecclesiæ Catholicæ traditione, generaliumq; Conciliorũ, definitione. Perperã ergo postea ex antecedẽti probato dũtaxat ex principijs fidei quoad mortalia intulit consequens complectens etiã venialia: potuit quidẽ à paritate facere argumentũ probabile; cæterũ illationẽ certã non potuit. Imò sibi ipsi contradixit in hac illatione: nam art. 2. pag. 68. vero similẽ appellat sententiam Scoti, & Nominaliũ existimantiũ nihil manere in peccatore transacto actu, nisi reatũ pœnæ, ac proinde identificantiũ reatũ culpæ relictũ ex actu præterito cũ reatu pœnæ, siquidẽ sententiã D. Thom. solũ appellat magis veri similẽ, dicens: *Sed verisimilius est quod dicit D. Thomas*. Et ideo P. Salas tract. 13. disp. 14. & P. Henriq. lib. 1. de Pœn. c. 15. illũ citant vt faventẽ sententiæ Scoti, & Nominaliũ: ergo dum in art. 6. dicit esse de fide post remissam culpã venialẽ manere reatũ pœnæ, Purgatorij, dicit esse contra fidẽ sententiã Scoti, quã ipse verisimilẽ appellavit. Probo consequentiam: nam si est de fide, remissa culpa veniali, manere reatũ pœnæ Purgatorij, est de fide reatũ culpæ venialis separari à reatu pœnæ Purgatorij, ac proinde ab illo distingui: ergo sententia Scoti asserens illos reatus identificari, est contra fidem.

Redarguitur Ruardus

Diligentius rem inspexit Iacobus Latomus aliter loquens de veniali, quam de mortali.

28 Diligentius rem inspexit, quàm Taper, alius Doctor Lovaniensis, insignis Lutheri impugnator, nempè Iacobus Latomus in lib. adversus Hæreses nostri tẽporis, ar. 5. nã postquã probavit esse certũ de fide, sæpè dimissa culpa mortali manere reatũ pœnæ temporalis, postea fol. 38. pag. 1. paulo post initium de veniali loquens, idem affirmat non quidem vt certũ, & ab omnibus Catholicis assertũ, sed vt sibi verius & probabilius, atque com„ munius: sic enim ait: Videtur etiã, quod „ in peccatis venialibus culpa remittatur,

„ antequam pœna ſolvatur, aut remitta-
„ tur: nam rectus dolor, de peccatis in ha-
„ bentibus charitatẽ contritio eſt: contri-
„ tio vero culpæ non videtur eſſe cõpoſsi-
„ bilis, quod de mortalibus nemo negat,
„ & de venialibus videtur eſſe eadẽ ratio.
Ecce ſolum format argumentum à pari-
tate, & concluſionem defendit cum formi-
dine: ergo ſentit nullo modo ſpectare ad
fidem, quod dimiſſa culpa veniali, maneat
reatus Purgatorij.

29 Hanc diverſitatem loquendi ſer-
vant etiam Auctores Moderni; vt videri
eſt in P. Hurtado diſp. 13. de Pœn. diffic.
„ 1. nam Poſtquam dixit: Eſſe veritatem
„ Catholicã aliquãdo poſt remiſſam cul-
„ pam, & pœnam æternã, aliquid pœnæ
„ tẽporariæ luendũ manere: idque probaſ-
ſet ex Patribus, & Tridentino, poſtmodũ
n. ſequẽti de peccatis venialibus loquens,
non dicit ſpectare ad fidẽ Catholicã: Sed
„ ſimpliciter affirmat, remanere aliquan-
„ do pœnã temporalẽ etiam poſt remiſsã
„ culpã venialẽ: imò (inquit) in Purgato-
„ rio ita remittitur culpa venialis media
contrictione, vt media hac nihil pœnæ
„ remittatur. Ex quo planè convincitur
ipſum non affirmaſſe vt certum, quod re-
miſſa culpa veniali maneat reatus pœnæ:
nam nemo eſt, qui dicat eſſe certum, quod
venialia remittantur in alia vita per con-
tritionem.

Occaſio deceptionis Ruardi

30 Nec mirum, quod Taper vir
alioqui optime doctus, nimio zelo impug
nandi hæreticos exceſſerit, dum opinio-
nem magis communem diſtinguentem
reatum culpæ venialis à reatu pœnæ Pur-
gatorij, appellavit certam de fide, decep-
tus paritate culpæ mortalis, quæ remitti-
tur, manente reatu ad pœnam temporalẽ,
nam ſimile quid magni Scriptores patiũ-
tur, vt videre eſt in P. Valentia in cõtro-
verſijs lib. de ſatisfactione, c. 1. vbi docet
eſſe aſſertionem inter Catholicos ſine cõ-
troverſia certã, inter æternã pœnã dam-
ni, & pœnã æternam ſenſus hoc eſſe diſ-
Excesſit P. Valẽtia. „ crimen: Quod pœna æterna damni per
„ ſe quidẽ hoc ipſo tota remittitur, quod
„ remittitur peccatũ mortale ſecundum
„ culpam: pœna autẽ æterna ſenſus remit-
„ titur quidẽ ſecundũ perpetuitatẽ dura-
„ tionis, ſed tamen non remittitur ſecun-
„ dum ſe tota ſimpliciter. Quis autẽ non
videat in hoc exceſsiſſe? Conſulatur P.
Suarez diſp. 46. de Pœnit. ſect. 1. n. 2. vbi
dicit hoc diſcrimen gratis, & ſine funda-
mento ex cogitatum eſſe, tantum abeſt,
vt ſit aſſertio certa inter Catholicos. Poſ-
ſuntque in huius rei confirmationem plu-
rima coacervari exempla: accidit ergo
Ruardo in noſtro caſu, quod Patri Valen-
tiæ in caſu adducto. Conſtat igitur cen-
ſuras allatas non poſſe præiudicium afferre
noſtræ propoſitioni.

EX NOSTRA PROPOSITIONE nihil ſequi contra veritatem Purgatorij, & contra modum illam probandi ex principijs certis.

31 ID conſtabit legenti controver-
ſiſtas, dum ex principijs certis
formant argumenta Theologi-
ca ad probandum exiſtentiã Purgatorij:
non enim probant Purgatoriũ ex eo quod
interdũ remittitur in hac vita peccatum
veniale quoad reatũ culpæ, quin remitta-
tur quoad reatũ pœnę principalis ipſi de-
bitæ, ſed ex eo quod interdũ iuſtus decc-
dit cũ culpis venialibus, quia ſubita mor-
te correptus nõ habuit ſpatiũ cogitandi,
& dolendi de illis: vnde cum nihil coin-
quinatũ intret in Cœlũ, aſsignandũ eſt in
alia vita Purgatorium, in quo anima iuſta
maculas illas eluat. Item probant ex eo,
quod cum certũ ſit, dimiſſa culpa mortali
per contritionẽ, vel abſolutionẽ ſæpè ſu-
per eſſe pœnã temporalẽ luendam: & cũ
ſæpè magni peccatores in hora mortis
impetrent iuſtificationis gratiam, quin
habeant tempus ſatisfaciendi pro illa pę
na, reſtat vt aſsignetur locus in quo pur-
gentur ab illo reatu. Conſulantur Bellar-
minus lib. 1. de Purg. c. 11. Valentia in cõ.
trov. lib. de Purg. c. 4. & Becanus in Ma-
nuali controv. lib. 1. c. 8. §. 2. & 3.

Doctores non probant veritatẽ Purgatorij ex eo quod in hac vita remittatur pec-catũ venialequoad reatum culpæ, & non quoad reatum pœnæ.

NIHIL EX NOSTRA PROPOSITIONE ſequi contra praxim iuſtorum confitendi venialia.

34 PATER Arriaga diſput. 14. de
Pœn. ſect. 2. n. 13. aſſerit pecca-
tum veniale relinquere poſt ſe
maculam venialem levem diſtinctã à rea
„ tu pœnæ: Id quod in præſenti (inquit)
„ materia eſt fere mihi evidens ex con-
„ ſenſu totius Eccleſiæ, & Tridentinis
„ ſupponunt enim omnes veniale remitti
„ quoad culpam per abſolutionem Sacra-
„ mentalem, & tamen adhuc ſupponunt
„ manere reatũ pœnæ alicuius. Vnde to-
„ tius Eccleſiæ recepta praxis (in qua ſine
„ errore dici non poteſt Eccleſiã errare)
imponit pœnitentiam etiam ſi homo de
ſolis venialibus fuerit confeſſus.

Argum. P. Arriaga.

Reſ-

Infringitur.

55. Respondeo multa huic Authori videri evidentia passim, quæ alijs no satis probantur quod hic vt certum statuit, peccatum veniale relinquere maculâ post se, iam supra vidimus negari à D. Thoma 1. 2. quæst. 89. art. 1. in corpore, & à Bellarm. lib. 1. de amissione gratiæ cap. 14. §. *Respondeo*, & à multis Doctoribus, quos citat Hériquez lib. 1. de pœnit. cap. 15. littera B. deinde, esto maculam relinquat, vt ego admitto; at istam esse distinctam à reatu pœnæ Purgatorij falsum est, quia peccatum veniale quod transijt actu, solum manet reatus vt supra ostendimus cum Augustino, quatenus nimirum dum non remittitur, perinde reddit factorem suum dignum pœna, ac si actu existeret, quia reatus culpæ manens post actum nihil aliud esse potest, quam reatus offensionis, displicentiæ & indignationis divinæ liberæ contra personâ, quæ peccavit hęc autem offensio, & indignatio libera contra personam nequit esse aliud quam voluntas aliqua libera infligendi pœnam propter culpam.

P. Arriaga nunquâ probat, per absolutionem Sacramẽtalem remitti totaliter peccatũ veniale quoad reatum culpæ, & manere nihilominus reatum pœnæ.

34 Si Pater Arriaga nobis probaret certum esse, quod per absolutionem Sacramẽtalem remittatur totaliter, & adæquatè peccatum veniale quoad reatũ culpæ, & quod nihilominus supersit reatus pœnæ Purgatorij debitæ tali peccato, tol lẽdus per satisfactionẽ Sacramentalẽ tunc intentũ evinceret. At hoc non probat; nã omnes Doctores identificãtes reatũ culpę venialis cũ reatu pœnæ Purgatorij, sicut reatũ culpæ mortalis cũ reatu pœnæ æternæ dicunt nullã dispositionẽ esse sufficiẽtẽ vt vi absolutionis tollatur totus reatus culpæ venialis, quin sit sufficiens, vt tollatur totus reatus pœnæ Purgatorij ipsi debitæ: quare si frequẽter post absolutionẽ validã venialiũ censet P. Arriaga manere reatũ alicuius pœnæ tollendũ vi pœnitẽtiæ sacramentalis, Scotus, Nominales, & eius asseclæ censebunt frequẽter nõ remitti peccata venialia totaliter, & adæquatè per absolvtionẽ, sed verisimè dici remitti quaten⁹ reatus ad pœnã maiorẽ commutatur in aliũ longe minorẽ. Etsi enim quãdo validè quis absolvitur à mortalibus debeat hoc ipso tolli totus reatus pœnæ æternæ, vt æternæ; non tamen quando absolvitur à venialibus debet tolli totus reatus pœnæ temporalis.

35 Pulchrã huius discriminis rationẽ possumus reddere ex Card. Sfortia in libello de pœnit. n. 233. nam tã in physicis, quã in moralibus natura est ita cõstituta vt sæpè facilius sit liberare se ab ingentib⁹ malis quã à parvis, cuius ratio est (inquit) quia id quod magis accedit ad summã miseriã est magis violentũ naturæ ac proinde habere debet remedia magis parata; nõ ita vero illa mala, quæ tantũ impediunt, vel retardant felicitatẽ perfectã; hæc enim est bonum eximium, adeo que debuit esse difficile; sic etiã præbuit natura eunctis artes, quib⁹ arcerẽt leones, & tygres, non ita quibus arcerent muscas, & pulices. Itẽ pertinuit ad Divinã misericordiã, vt homo posset per instantaneã pœnitentiã liberare se abæterno reatu, ne alioqui maneret in præsenti discrimine summæ miseriæ: non ita facile debuit posse liberari ab omni plane reatu pœnæ sensibilis, ne alioquin apud homines peccatũ vilescceret, & vt acrius homines stimularentur ad frequentiã, & industriã in operibus bonis: sicut enim magis movet pœna sensus, quã pœna damni, quia licet hæc privet maiori bono; illa tamẽ magis cadit sub hominis imaginationẽ, adeòque magis exterret: ita magis movet pœna Purgatorij, quã alliciat spes augmẽti gratiæ, & gloriæ, quod accidit per quẽlibet actũ meritorium, & ideo expedicns fuit, ne illa tota pœna iustis remitteretur, ad hoc, vt ex desiderio eiusmodi remissionis semper iusti stimularentur ad novos actus bonos, ac proinde crescerent hic in gratia, & post hanc vitam in beatitudine.

Quo pacto dicãtur venialia absolutè remitti per absolutionẽ.

Cur quãdo absolvitur homo à mortalibus, tollatur totus reatus pœnæ æternæ, & non tollatur totus reatus pœnæ temporalis; quando absolvitur à venialib⁹?

36 Nec datur principiũ ad probandũ nunquam remitti peccatũ veniale in Sacramento pœnitentiæ, vel extra, quin remittatur totus reatus culpę venialis, sicut datur ad probandũ nunqaã remitti mortale intra, vel extra Sacramentũ, quin remittatur totus reatus culpę mortalis vt mortalis: nam reatus culpæ mortalis, vt mortalis, consistit in reatu odij inimicabilis, qui reatus tollitur hoc ipso, quod remittatur mortale, quia culpa mortalis expellitur per gratiam sanctificantem, quæ reddit hominem Dei amicum, & nõ stat hominem esse Dei amicũ, & tamẽ esse dignum odio inimicabili; quæ ratio cessat in reatu culpæ venialis, & ideo etiã ex Authoribus distinguẽtibus reatum culpæ venialis à reatu pœnæ Purgatorij Cardinalis de Lugo quãvis disp. 8. de pœnit. n. 88. dicat certum esse, quod nunquã de facto remittatur reatus culpę mortalis, quin remittatur totus, tamẽ num. 89. dicit dubitari posse de reatu culpæ venialis. Et rationes, quas adduxerint adversarij ad suadendũ non semper remitti per absolutio-

Nunquã potest remitti mortale, quin tollatur totus reatus pœnæ æternæ: aliter se res habet in peccato veniali relatè ad pœnam temporalem.

tionem à venialibus totum reatum pœnæ Purgatorij, quamvis per absolutionem à mortalibus semper remittatur totus reatus pœnæ inferni; eadem dabimus nos, cur non semper tollitur totus reatus culpæ venialis quamvis semper tollatur totus reatus culpæ mortalis.

37 Quamvis autem Deus promisisset auferre totum reatum culpæ venialis homini iusto, quoties ritè confiteretur venialia, quod in nostra sententia idē est, ac auferre totū reatū pœnæ Purgatorij, idque Sacerdoti absolventi constaret certò, adhuc deberet imponere pœnitentiā, tum in correctionē, & medicinā: nam vt inquit P. Suarez disp. 38. de Pœn. sect. 1. n. 1. hoc Sacramentū est medicina, & in eo non solū vindicta, sed præcipuè correctio pœnitentis intēditur. Et ideo Leāder tract. 5. de Sacram. Pœnt. disp. 9. q. 18. cū alijs docet confessariū, quantumvis per revelationem certò cognoscentem, pœnitenti ex vi doloris esse iam dimissum totum reatum pœnæ, debere iniungere pœnitentiam ad integrandum Sacramentū, & pro cautela cōtra peccata futura. Tum quia quamvis Sacerdos sic absolvens sectaretur opinionē nostra non distinguētem reatum culpæ venialis à reatu Purgatorij, adhuc deberet imponere pœnitētiam, quia forsan hæc opinio est falsa. Et sanè Ecclesia in praxi imponendi pœnitētias pro venialibus abstrahere debuit ab opinionibus Doctorum. Vnde quamvis esset certum per absolutionem tolli totū reatum culpæ venialis, debuit imponere pœnitentiam iusto se accusanti de solis venialibus: quia si opinio Scoti sit vera, illa pœnitentia erit in correctionē, & habebit alios fructus, licet non tollat reatū pœnæ: si sit falsa, auferet reatum pœnæ remanentē dimissa culpa, & insuper erit, in correctionē, & cautelam; ex illa ergo praxi non potest sufficienter probari nostram propositionē esse falsam, & multo minus esse censura dignam.

38 Nec alicui videatur difficile, quando dicimus, nempe reatum culpæ venialis esse divisibilem, & culpam venialem posse partialiter remitti: tum quia adhuc ex Auctoribus distinguentibus vtrumque reatum Cardinalis de Lugo disp. 8. de Pœnit. n. 78. & P. Martinon disput. 44. n. 101. docent posse saltem diuinitus culpam etiam mortalē remitti partialiter: Tum quia hoc facillimum est explicatu: nā etiā si culpa venialis dū physicè existit, cōsistat in indivisibili, tamē reatus ex illa manens non debet in indivisibili consistere, quia scilicet perseverantia moralis, vi cuius culpa physicè præterita dicitur manere quoad reatum dependet à Dei voluntate nolentis cedere iuri ad indignationē, & pœnā quamvis autē culpa venialis dum existit, reddat hominem dignū indignationatione v. g. vt quatuor, & pœna vt quatuor, potest Deus cedere iuri ad indignationē, & pœnā vt duo, retento iure ad indignationē vt duo quo in evētu culpa illa erit remissa ex parte, & ex parte manebit; quod omnes fateri debent in reatu ad pœnā; nam dum peccatū physicè existit reatus ad pœnā cū illo identificatur, siquidē peccatū in instanti in quo cōmittitur, reddit se ipso hominē dignū pœna, & consequenter reatus ille dum actu existit culpa, cōsistit in indivisibili; ac trāsacta physicè culpa, reatus manens est divisibilis siquidē potest Deus cedere iuri ad infligendā vnam partē pœnæ, retento iure ad aliā. Similiter dū physicè existit culpa mortalis per se ipsam indivisibiliter reddit hominē dignum pœna æterna, & pœna tēporali, & consequenter tunc reatus illi sunt inseparabiles, & indistincti; at in ordine ad perseverandum moraliter transacto actu, sunt distincti, & separantur, nam infusa gratia tollitur culpa, quatenus reddebat hominē æterna pœna reū, & quatenus reddebat inimicū, quod est tolli simpliciter, & absolute, & tamen manet, quatenus reddebat dignum pœna tēporali, & hoc est, manere reatum pœnæ temporalis, dimissa culpa.

Exponitur quo pacto macula venialis sit divisibilis.

39 Estque mera quæstio de nomine, an culpa, & peccatum mortale dicendū sit non solū simpliciter, & absolutè remissum, dū peccator iustificatur, sed etiā remissum totaliter, vt supra obseruauimus ex Bellarmino nam si nomine peccati habitualis intelligatur priuatio gratiæ habitualis relicta ex actu præterito graviter malo, vt intelligitur communiter à Doctoribus asserentibus peccatum habituale consistere in priuatione gratiæ certum est peccatū mortale totaliter tolli in iustificatione: si autem intelligatur actus præteritus quatenus dū nō remittitur per infusionnē gratiæ, vel alio pacto cōdonatur, reddit hominē dignū odio inimicabili Dei, vt docēt omnes impugnatores præcedentis sententiæ, sic etiā est certū remitti totaliter, quia post infusionē gratiæ nō remanet homo dignus odio inimicabili. Si autem intelligatur nomine peccati habitualis, actus præteritus, quatenus mor-

Quo pacto tota macula relicta ex mortali tollatur per iustificationem.

moraliter manens in ordine ad reddendū suum factorem dignū pœna, sicut reddebat, dum actu existebat; sic certum etiam videtur, peccatū mortale simpliciter quidem, & absolute remitti per infusionem gratiæ, quatenus iam ratione actus præteriti non manet homo dignus pœna æterna; non tamē remitti totaliter, quia ratione actus præteriti manet verè dignus pœna temporali Purgatorij; quam vere patitur ob culpā præteritā remissam quidē simpliciter, & in ordine ad pœnā æternam, & odiū inimicabile, non tamen remissam totaliter, & quoad omnē pœnam: nam si culpa illa esset remissa non solum quatenus reddebat dignum pœna æterna suum factorem, sed etiam quatenus reddebat dignum pœna temporali, non posset iam ob illā infligi homini pœna Purgatorij, & hunc modū loquendi habent graves Doctores supra citati.

Culpæ veniales remittūtur paulatim, & per partes.

40 Dicimus ergo culpas veniales remitti posse paulatim, & per partes, sicut iuxta omnes reatus pœnę Purgatorij paulatim remittitur, vel minuitur: quia non distinguimus inter reatum culpæ venialis relictum exactu præterito, & reatū pœnę Purgatorij debitæ tali actui: ille ergo reatus dicitur culpæ, & quia ex illa relinquitur, & in ea fundatur; & reatus pœnæ, indignationisque divinæ; quia pœnam, & indignationem divinam respicit, vt terminum.

EX NOSTRA PROPOSITIONE nihil sequi contra indulgentias, & studium eas lucrandi.

41 HOC probatur, quia licet certum sit nunquam per indulgentias remitti reatum culpæ mortalis, negari non potest esse probabilem sententiam asserentem remitti per indulgentias reatum culpæ venialis; non solum quia omnes Doctores identificantes reatum culpæ venialis cum reatu pœnæ Purgatorij ita asserere debent vt observat Corduva lib. 5. q. 8. & deducit P. Suarez disp. 50. de Pœnit. sect. 1. num. 10. sed quia etiam ex Auctoribus distinguentibus vtrumque reatum, ita affirmat Div. Antoninus, & Paludanus apud eundem Suarium ibidem; & quia ipse Eximius Doctor illam sententiam probabilē censet, dum oppositā solum sequitur, vt probabiliorem.

42 At opponitur nobis ex nostra propositione sequitur, qui conscij sunt tātum peccatorum venialiū vane curaturos de lucrandis indulgētijs, postquā curarūt de eorū quoad culpā remissione intra, vel extra Sacramētū. Sed hoc facile solvitur; quia hæc cura, nec est vana in ijs, qui distinguunt inter hos reatus; vt patet, nec in ijs, qui nō distinguimus inter hos reatus; tūm quia non tuemur hanc sententiā, vt certam, ac proinde quamvis certi essemus aliquod peccatū veniale esse nobis totaliter remissum quoad culpam, prudenter recurremus ad indulgentias, quia certi non sumus esse nobis totaliter remissum quoad pœnā; sicut qui tuentur venialia remitti quod culpā extra Sacramentū per attritionem, prudenter nihilominus recurrunt ad confessionē, vt absolvantur à culpa: tum quia cum reatus culpæ venialis identificetur in nostra sententia cum reatu pœnæ Purgatorij non sumus certi, an dum culpa venialis remissa fuit, fuerit remissa totaliter, sicuti certi non sumus, an fuerit remissus totaliter reatus Purgatorij, vterque enim reatus potest per partes tolli, vt iam explicuimus. Denique vana non est hæc cura, quia quamvis quis curaverit, de remissione venialium, certus non est, an habuerit dolorem necessarium ad eorum remissionem. Triplex itaque certitudo erat necessaria, vt vana foret cura lucrandi indulgentiam pro aliquo veniali; prima qua quis certus esset se habuisse sufficientem dolorem vt illud sibi remitteretur. Secunda, qua esset certus illud peccatum veniale esse sibi totaliter demissum quoad reatum culpæ. Tertia, qua esset certus reatum culpæ venialis non distingui à reatu pœnæ Purgatorij. Quomodo ergo erit vana, vbi nulla ex his certitudinibus concurrit.

NIHIL SEQVI CONTRA NOstram propositionem ex Sacramento Extremæ-Vnctionis.

Quid sint reliquiæ peccatorum quæ per extremā vnctionē tollūtur.

43 EFFECTVS huius Sacramenti, vt docet Tridentinum Sess. 14. cap. 2. est peccati reliquias abstergere. Opponitur nobis vix esse, qui per reliquias inter alia, & præcipuè non intelligat pœnas temporales superstites ex dimissis peccatis, tam mortalibus, quam venialibus, & iubemur legere P. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 41. sect. 1. num. 17. Imò vero qui legerit Eximium Doctorem mirabitur hinc summi argumentum contra nostram sententiam: sic enim ait ibid. num. 8. Quid

„nomine reliquiarum intelligatur, varie „exponitur. Quidam intelligunt peccata „aliqua, quæ interdum accidit relinqui „in anima etiam quoad culpam post alia „Sacramenta suscepta, sive quia per in„advertentiã omissa sunt, sive quia po„stea sunt commissa, quod frequentius „accidit in venialibus. Et num. 9. Alij per „reliquias peccatorum reatum pœnæ tẽ„poralis intelligunt, &c. Et n. 10. Alij cũ „D. Thoma, & Alberto dicunt reliquias „peccatorũ esse pronitatem ad malũ, & „torporem, ac difficultatẽ operandi bo„nũ, quæ ex peccato originali, & actuali „relinquitur. Legendus etiam erit Bellarminus lib. vnico de Extrema-Vnctione, c. 8. vbi impugnatis alijs sententijs, sic ait: „Dico igitur reliquias peccatorũ dupli„ces esse, & vtrarumq; abstersionẽ ad ef„fectũ huius Sacramenti propriè dictum „pertinere. Primũ enim reliquiæ dicun„tur peccata, quæ interdũ manent post „alia omnia Sacramẽta, sive mortalia, si„ve venialia sint, &c. Secundo nomine „reliquiarũ peccati venit etiã quidẽ tor„por, & mœror, & anxietas, quæ ex pec„cato relinqui solet, & quæ maximè ho„minẽ morti vicinũ vexare potest, &c. videat ergo prudens, qua ratione verũ esse possit illud *vis est*, & illud *præcipuè*.

INSINVANTVR FVNDAMENTA à ratione.

44 HÆC seorsim latè expendo: nunc per summa capita perstringam. Implicat peccatũ veniale esse simpliciter, & absolutè remissum, manẽte reatu ad integrã pœnã Purgatorij ipsi debitã. At hoc posset contingere, si posset esse adæquate, & totaliter remissum manente reatu ad aliquã pœnã Purgatorij ipsi debitã, præsertim damni: ergo implicat esse adæquatè, & totaliter remissum, manente, &c. Sequelam minoris vltro admittunt assertores sententiæ distinguentis reatũ culpæ venialis à reatu pœnæ; cum dicant peccata venialia, cum quib° anima iusti decedit, remitti in instãti separationis per actũ perfectæ contritionis tunc elicitũ, quin per illum aliquid pœnæ remittatur. Deinde eam sic probo: quia si potest adæquatè tolli reatus culpæ venialis, manente reatu ad aliquã partem pœnæ Purgatorij: ergo reatus illi distinguntur, & separabiles sunt. Cur ergo saltem de potentia absoluta non poterit totaliter esse ablatus reatus culpæ, integrè manente reatu pœnæ?

Peccatũ veniale, nequit absolutè remitti manente reatu ad integrã pœnam Purgatorij.

45 Nec enim cum fundamento dici potest, reatum culpę identificari cum reatu vnius partis pœnæ, & nõ cum reatu alterius partis; cum partes illæ sint homogeneæ, & culpa eodẽ modo reddat factorem suum dignũ vtriusque. Maior probatur primo: Implicat remitti mortale manente reatu ad integram pœnam æternam damni, & sensus ipsi debitã: ergo & veniale, manente reatu ad integrã pœnã temporalẽ damni, & sensus ipsi debitã. Secũdo, quia implicat hominẽ iustũ post dimissum veniale manere dignũ omni aversione, offensione, atque indignatione divina, quam provocavit contra se, cũ tale peccatũ commisit. Cui enim iuri cedit Deus dum remittit culpã, si retinet ius ad totũ hoc? Atqui hoc cõtingeret, si dimissa culpa maneret dignus omni pœna, quã peccando promeruit. Nam aversio, indignatio, vel offensio, quã Deus libere concipit contra personã iusti dũ nõ remittit ei culpã venialẽ, & quã deponit dum remittit, debet respicere pro termino pœnã, præsertim præcipuã, nẽpe damni: nam illa aversio & displicẽtia cõtra personã est distincta à displicentia in culpa; tum, quia hæc posterior est necessaria suppositã existentia culpæ; illa prior est libera: tum, quia displicere in culpa, & consequenter in coniunctione personæ cũ illa, non est displicere in ipsa persona. At hoc ipso quod ita distincta sit, debet esse leve aliquod odiũ inimicitiæ, quatenus hoc in genere est velle alicui malũ: ac proinde debet respicere pro termino malũ pœnæ. Nõ enim potest Deus ferri aliquo odio abominationis in personã iusti (cum de hoc odio verificari debeat illud Sapient. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*) sed præcisè in eius coniunctionẽ cũ culpa actuali, hanc enim coniunctionem abominatur Deus, non autem ipsam personam, sciens vtique distinguere pretiosum à vili: ergo dum cõdonando culpam cedit iuri ad concipiẽdam levem aversionẽ, offensionẽ, vel displicentiam contra personam iusti, cedit iuri ad puniendũ, præsertim pœna damni, quæ est præcipua: ac proinde repugnat peccatum veniale esse dimissum, manente reatu ad integram pœnã Purgatorij. Tertio implicat remitti integrum reatum pœnæ manente culpa, cũ hęc quatenus talis reddat dignũ pœna: ergo è contra implicat remitti culpam, manẽte reatu ad integram pœnam; cum difficilius sit proprietatem manere sine essentia, & relationem sine fundamento, quam

Repugnat remitti mortale manente reatu æternę pœnæ.

quàm è converso: reatus autem culpæ cõparatus ad reatũ pœnæ sicut essentia ad proprietatẽ, & fundamentũ ad relationẽ.

SECTIO TERTIA.

Epilogus.

46 EX dictis infertur non esse vlla censura dignam hanc propositionem *peccatum veniale nequit esse totaliter, & adæquatè remissum quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquam partem pœnæ Purgatorij ipsi debitæ*, præsertim damni, sed potius esse probabilem. Primo, quia hæc propositio per necessariam consequentiam infertur ex sententia plurimorũ graviumque Theologorum, qui maculam relictam ex peccato mortali explicant cũ Augustino per reatũ, id est, dignitatẽ pœnæ æternæ, & relictam ex veniali per dignitatẽ pœnæ temporalis Purgatorij: vel cũ Scoto per reatũ, id est, deputationẽ passivã, & obligationẽ ad pœnã. In quo conveniunt omnes antiqui Scotistæ, & plurimi ex modernis, vt testatur Franciscus Felix recens Scotista; quãvis inter eos sit dissensio aliqua, asserentibus alijs, formam, à qua quis denominatur habitualiter peccator, & maculatus, esse deputationẽ illam passivã ad pœnã connotato actu præterito: alijs verò dicentibus, esse actũ præteritũ connotata deputatione ad pœnã. Quare propositio nostra nequit notari, quin notetur illustris Schola Scotistarum cum suo præceptore.

Sup. n. 3

Sup. n. 1 & 2.

47 Expendantur Scoti verba in 4. dist. 16. q. 2. §. *Secunda conclusio*, ibi: Post „ actum transeuntem tantũ manet anima „ obligata ad pœnã propriã correspondẽ„ tẽ illi culpæ commissæ, & ista obliga„ tio dicitur reatus ille, qui manet in ani„ ma transeunte actu peccati. Et dist. 21. „ q. 1. §. *de secunda conclusione*. Post actum „ transeuntẽ, culpa, quę manet nihil aliud „ est, nisi reatus ad pœnã debitã; iste autẽ „ reatus venialis nõ est nisi ad pœnã temporalem. Quis enim nõ videat, maculam consistentẽ in reatu ad pœnã temporalẽ Purgatorij, *decem dierum*, v. g. non esse totaliter ablatam, donec sit integrè ablatus eiusmodi reatus? B. secundo, quia Theologi Clarici ex professo impugnãtes sententiã Scoti indentificantes reatũ culpæ venialis cũ reatu pœnæ Purgatorij nunquã illi obiecerunt sequelã nostræ propositionis, cũ tamen sit clarissima C. Tertio, quia

B. sup. n. 15.

C. ibidẽ.

plerique Theologi dum illã sententiã impugnant, agentes de remissione venialiũ in alia vita, eam vocant probabilẽ, vel esse supponũt: D. Quartò, quia nostrã propositionẽ in terminis habẽt graves Theologi. E. Quintò, quia adhuc loquendo de peccato mortali graves Theologi dicunt illud nõ esse totaliter & adęquatè remissum dum manet reatus ad pœnã Purgatorij, esto, simpliciter, & absolutè sit remissum dum remittitur tota æternitas pœnarũ. F. Sextò, quia duntaxat potest notari ex Concilijs definientibus semper remissa culpa, manere reatũ pœnæ tẽporalis: exploratũ est autem Concilia loqui de solis mortalibus, nec vnquã intendisse damnare sententiã tot illustriũ Doctorũ Catholicorũ identificantiũ reatũ culpæ venialis cum reatu pœnæ Purgatorij: damnarent autẽ si definirent, sæpè, remissa culpa veniali, manere reatũ pœnæ Purgatorij. G. Septimo, quia nullũ in commodũ Theologicum nobis obijcitur, quod non diluatur promptè, & solidè. H. Vltimò, quia nostra propositio nititur gravi fundamẽto rationis: ergo quamvis vnus, vel alius Theologus festinantèr scribens, & deceptus paritate peccati mortalis, illi notam inuserit, hæc censura præiudiciũ afferre non potest præsertim cũ Ruardus Taper, & P. Martinon. I. Illius cẽsuræ Authores deprehendãtur fecisse saltũ ex antecedẽti probato duntaxat quoad mortalia ad consequens comprehẽdens etiã venialia, ac proinde properè, & sine fundamento protulisse illã censurã, protendẽtes ad venialia definitiones Conciliorũ, quæ de solis mortalibus cõvincũtur loqui ex Bellar. Suario, Valent. ex controversistis, qui disputarunt cum Luthero, & ex ipsis Lutheri assertionibus, solidissimaque ratione.

D. vide à n. 13.

E. n. 16.

F. à n. 22

G. à n. 31.

H. à n. 44.

I. à n. 26

SECTIO QVARTA.

Ostenditur à ratione non posse peccatum veniale adæquatè, & totaliter remitti quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquam pœnam Purgatorij præsertim damni.

48 SI posset peccatũ veniale adæquatè, & totaliter remitti quoad reatum culpæ manẽte reatu ad aliquã pœnã Purgatorij ipsi correspondẽtis, posset adæquatè, & totaliter remitti quoad reatũ culpæ manẽre reatu ad integrã pœnã Purgatorij. At hoc est impossibile: ergo & illud. Sequelã vt legiti-

Prima ratio.

mam supponunt, vel admittunt libentèr Auctores communioris sententiæ distingentis reatũ culpæ venialis à reatu pœnæ Purgatorij debitæ peccato veniali, vt videre est in P. Martinon tom. de Pœn. disp. 45. n. 15. vbi tanquam consequens ex sua doctrina admittit posse remitti totũ reatum culpæ, tota pœna manente; & videre est in P. Vazquez tom. de Pœn. q. 87. art. 1. dub. 2. n. 21. & 22. & P. Suarez disp. 11. de Pœn. sect. 4. n. 18. & alijs communitèr, qui dicunt peccatũ veniale cũ quo anima iusti decedit ab hac vita, remitti in instãti separationis à corpore per actũ contritionis, quẽ tunc elicit, quin aliquid pœnæ ipsi remittatur per talẽ cõtritionẽ. Deinde sequela illa efficaciter probatur: nam si potest totaliter remitti reatus culpæ venialis, quin totaliter remittatur reatus pœnæ Purgatorij ei correspondẽtis ideo est, quia isti reatus sunt distincti, & separabiles (nam si indistincti, & inseparabiles forent, non posset vnus totaliter tolli, quin totaliter tolleretur alius cũ ipso idẽtificatus) si autem distincti & separabiles sunt, saltem de potentia absoluta poterit totus reatus culpæ venialis tolli, manente toto reatu pœnæ Purgatorij ipsi correspondẽtis. Et confirmatur: quia si nec divinitus potest remitti reatus culpæ venialis, quin remittatur aliqua pars pœnæ Purgatorij correspondẽtis culpæ præteritæ, ideo est, quia reatus culpæ venialis idẽtificatur cũ reatu alicuius partis pœnæ, at si identificatur cũ reatu alicuius partis debet identificari cũ reatu totius pœnę Purgatorij. Tum, quia non est maior ratio, cur identificetur cũ reatu vnius partis, quam cum reatu alterius, cũ partes illæ sint homogeneæ, & eiusdẽ rationis. Tum, quia culpa venialis per se ipsam constituit hominem dignũ tota pœna Purgatorij debita illi, nec cõstituit dignũ potius vna parte, quã alia: ergo vel nõ identificatur cũ reatu pœnæ, vel identificatur cũ reatu totius pœnæ.

Probatur sequela.

Absurditas sequela.

49 Quod autẽ impossibile sit remitti totaliter, & adæquatè reatũ culpæ venialis, manente reatu ad integrã pœnã Purgatorij correspondentis tali culpæ, probatur primo, implicat remitti peccatũ mortale quoad culpã, manente reatu ad pœnam æternam damni ipsi correspondẽtem. ergo implicat remitti peccatũ veniale quoad culpam, manente reatu ad integram pœnam temporalem damni, & sensus ei correspondentem. Consequentia est legitima, & vt talis supponitur à P. Suarez disput. 11. de Pœnit. sect. 1. n. 6. & probatur, quia sicut mortale reddit factorem suum dignum pœna æterna damni, & sensus; ita veniale reddit dignum pœna temporali damni, & sensus in Purgatorio: ergo si primum nequit dimitti, manẽte reatu, & dignitate ad pœnam æternam damni, & sensus, ita nec poterit dimitti secundum, manente reatu ad integrã pœnam temporalem damni, & sensus in Purgatorio. Antecedens cõtinet sententiã cõmunioręẽ inter Theologos apud Amicũ disp. 5. de Pœn. sect. 5. & quam amplecti debent omnes, qui censent non posse remitti peccatum, nisi per formã intrinsecã sanctificantem cum repugnet hominẽ esse iustũ, ac proinde, dignum vita æterna, & simul dignum morte, & pœna æterna. Item omnes, qui cum Scoto identificant reatũ culpæ mortalis cũ reatu pęnæ æternæ: imò latè à me probatũ est disp. 3. de Incarn. sect. 4 hoc ipsum esse asserendum ab ijs, qui dicunt Deum posse extrinsecè condonare peccatũ: quia implicat aliter Deum condonare culpam mortalẽ, quàm cedendo iuri, quod ratione peccati actualis acquisivit ad odio habendũ peccatorẽ propter culpã commissam; implicat autẽ huic iuri cedere, quin cedat iuri ad infligendam pœnam æternã damni, & sensus propter illã culpã: nam ius quod Deus acquirit ad tale odiũ inimicabile, est formalissimè ius ad infligendam eam pœnã; quia voluntas efficax infligendi homini pœnam æternã damni, & sensus est illud odiũ inimicabile: Deum enim liberè odio habere personam peccatoris odio inimicitiæ propter culpam, quam necessàrio aversatur odio abominationis, est liberè velle illi aliquod malum propter culpam; vt enim inquit D. Thom. 1.2. q. 46. art. 2. corp. *Amamus aliquem, in quantum volumus ei in esse aliquod bonum: odimus autẽ aliquem, in quantum volumus ei in esse aliquod malum.* Et teste Philosoph. 2. Ethic. cap. 4. & D. Thom. 1. p. q. 20. art. 1. ad 3. *Amare est velle alicui bonum, & odio habere est velle alicui malum.* At Deum odio habere liberè personam peccatoris, non est velle illi malum culpæ: ergo est velle illi malũ pœnæ: at inter omnia mala pœnæ maximũ est pœna æterna damni, & sensus: ergo Deũ libere velle homini hoc malum propter culpã, est odio inimicitiæ, & quidem acerbissimo, illum aversari; vel nullum odium inimicitiæ Dei erga peccatorem admitti debet; quo odio negato, minus explicari potest, cui iuri cedat Deus, dum extrinsecè condonat peccatũ

Quid sit odiũ inimicitiæ Dei erga peccatorem.

mor-

mortale, si non cedit iuri volendi pœnam æternam damni, & sensus propter culpam: ergo implicat Deum condonare extrinsecè peccatum cedendo iuri ad concipiendum odium liberum inimicabile cõtra personam peccatoris, quin condonet cedendo iuri, ad volendum illi pœnam æternam damni, & sensus, ac proinde repugnat Deum extrinsecè condonare peccatum mortale, manente in homine reatu, & dignitate ad pœnam æternam damni, & sensus, nam hæc dignitas est formalissimè dignitas ad odium inimicabile. Vt enim inquit D. Thomas 3. contra Gentes cap. 157. *Dicitur, quod Deus peccatores odit, in quantum vult eos privare vltimo fine, quem ipsi, quos diligit, præparat.* Quod etiam docet quæst. 28. de veritate art. 2. in fine corporis, & 1. p. quæst. 23. art. 3. ad 1.

50 Secundò idem assumptum ostenditur. Implicat iustum ratione culpæ venialis iam dimissæ manere dignum omnis illius offensionis, indignationis, & displicentiæ divinæ quam promeruit, & contra se provocavit dum elicuit actum peccati. Atqui hoc contingeret, si posset culpa venialis remitti, manente reatu ad integram pœnam Purgatorij ei correspondentem: ergo. Maior videtur perspicua; dum enim Deus remittit peccatum veniale, cedit alicui iuri quod contra peccantem acquisivit ratione peccati actualis. Cuinam autem iuri cedit, si adhuc retinet ius ad integram offensionem, indignationem, vel displicentiam contra personam illam? Vt enim Docet Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concup. cap. 26. peccata, quæ præterierunt actu eatenus denominant peccatorem eum, qui illa commisit, quatenus manent reatus. „ Manent ergo, inquit, nisi remittantur, „ sed quomodo manent, si præterita sunt, „ nisi quia præterierunt actu manent reatu? Eatenus autem manent reatu, quatenus dum non remittuntur perinde reddunt factorem suum reum, & dignum indignationis, & offensionis divinæ, ac si actu existerent: ergo repugnat peccatum esse dimissum, & adhuc factorem eius manere dignum totius offensionis, & indignationis divinę, quam contra se peccando provocavit: hoc enim foret peccatum manere reatu, & non manere reatu. Et confirmatur ex doctrina Eximij Doctoris lib. 7. de gratia cap. 23. num. 20. & 21. Vbi docet eatenus culpã physicè præteritam posse permanere moraliter, & in ordine ad maculandam animam quatenus est iniuria Dei, in cuius æstimatione manent, dum non remittitur, quia nimirum dum non remittitur perinde reddit hominem reum, & dignum offensionis, & indignationis divinæ, ac si actu existeret: ergo idem quod prius.

51 Iam probatur minor, quia si dimissa culpa veniali, posset adhuc iustus manere dignus integra pœna Purgatorij, quã peccãdo promeruit posset manere dignus totius pœnę, dimissa iam culpa; cum pœna Purgatorij vel sit vnica, vel saltem præcipua, quæ per se debetur omni peccato veniali: at hoc ipso, dimissa iam culpa, maneret dignus omni offensione, & indignatione divina, quam peccando promeruit, quia implicat Deum aliter concipere offensionem, indignationem, vel displicentiam liberam contra personam iusti propter peccatum veniale ab ipso admissum, nisi quatenus propter tale peccatum vult illi aliquod malum, nimirum privationem alicuius boni positivi, vel inflictionem mali, quia Deum libere displicere in persona iusti, & liberam cõcipere indignationem atque offensionem contra illum propter culpam est actus virtualiter intrinsecè distinctus à displicentia in ipsa culpa: tum, quia displicentia hæc est omnino necessaria supposita existentia culpæ, & displicentia erga personam, est libera; alioqui non posset Deus culpam præteritam condonare, deponendo talem displicentiam, & indignationem: tum quia Deum displicere in culpa, quatenus contraria Deo, & naturæ rationali, quæ illam admisit non est displicere in ipsa natura rationali, & contra illam concipere aversionem, & displicentiam; quia potius displicere in malo alicuius subiecti est ipsum subiectũ amare: ergo Deum concipere liberam displicentiam, & offensionem, seu indignationem contra personam ob culpam, est velle illi libere aliquod malum pœnæ propter malum culpæ. Probatur consequentia primo: quia omnis affectus liber Dei, vel connotat, vel includit, quatenus liber aliquam mutationem ad extra; affectus autem indignationis, aversionis, vel odij contra pœnam non aliam mutationem connotare potest, quam inflictionem pœnæ: nam sola existentia peccati non sufficit, siquidem potest peccatum existere, & statim post existentiam remitti à Deo, quin contra personam concipiat indignationem illam liberam, cuius habendæ

bendæ iuri renuntiat, dum remittit culpam.

Confirmatur. 52 Et confirmatur si enim quia Deus omnia amat eodē indiuisibili actu suæ voluntatis, non potest iuxta S. Thomam 1. p. quæst. 20. art. 3. in corpore vnum magis amare, quam alium, nisi quia vni vult maius bonum, quam alteri; nimirum si vtrique velit efficaciter bonum: eodem modo, quia eodem actu indiuisibili, & diligit liberè personam iusti propter bonum opus, in quo necessario complacet, & contra illam libere indignatur propter peccatum veniale, in quo necessario displicet; non potest ille actus comparari per modum liberæ dilectionis, & liberæ offensionis, & indignationis, nisi quatenus propter bonum opus vult iusto præmium, & propter malum opus vult iusto supplicium, & pœnam.

53 Probatur secundò, quia indignatio, & displicentia, quam Deus potest concipere contra personam ob culpam non potest esse odium abominationis ipsius personæ; cum enim personam ipsam Deus efficaciter amet, nequit eandem aversari odio abominationis, de hoc enim odio verificari debet illud sapientiæ: *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et ideo Divus Thomas quæst. 28. de veritate art. 2. in corpore explicans odium, quo Deus „ aversatur peccatores: Deus, inquit, di„ citur peccatori offensus, vel eum odi„ sse, non odio, quod opponitur amori, „ quo diligit omnia; sic enim nihil odit „ eorum, quæ fecit vt dicitur sapientiæ „ 11. sed quod opponitur amori, quo di„ ligit Sanctos, bona æterna eis præparando. Quare duntaxat potest Deus odio abominationis aversari ipsam culpam, cuius Author non est: ergo illa indignatio, & displicentia liberè concepta contra personam ob culpam, tanquam ob motivum debet revocari ad odium inimicitiæ, quod in genere est velle alicui malum, & in eo differt ab odio abominationis vt rectè explicant Caietanus 1. 2. quæst. 29. art. 1. & P. Vazquez ibi disp. 23. num. 7. item 1. p. quæst. 84. num. 10. & 11. Quod odium abominationis comparatur per modum fugæ, & dissensus respectu mali, & per modum prosecutionis, & affirmationis respectu personæ: amamus enim personam, cuius malum abominamur: è cōtra vero odium inimicitiæ comparatur per modum fugæ, & dissensus circa personam, & per modum prosecutionis, & affirmationis circa malum, quod volumus tali personæ. Et ideo vt explicat P. Vazquez 3. p. quæst. 85. art. 2. dub. vnico num. 43. & 44. licet amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ non distinguantur realiter, sed vnus, & idem actus sit amor amicitiæ respective ad personam, cui volumus bonum, & concupiscentiæ respective ad bonum amatum: at odium inimicitiæ, & abominationis debent esse actus distincti: quare culpa terminat odium abominationis, & movet ad odiū inimicitiæ vnicè terminatum ad personam, cui Deus vult malum pœnæ propter malum culpæ, & ideo odium istud circa personam componitur cum eo, quod Deus personam ipsam efficaciter amet: quia stat Deum amare personam, & tamen velle illi aliquod malum pœnæ propter culpam, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 23. art. 3. ad 1. Odium autem Dei circa personam non dicitur simpliciter tale, nisi excludat dilectionem amicabilem, qua Deus vult alicui vltimam, & completissimam participationem suę divinitatis, consistentem in visione essentiæ ipsius, quæ sola dilectio dicitur simpliciter talis vt explicat D. Thomas in 3. dist. „ 19. quæst. 1. art. 5. in corpore: Solum „ enim Deus dicitur simpliciter diligere, „ quos admittit ad dictam visionem, vel „ secundum rem, vel secundum causam. Vt ibi inquit, vnde offensio, quam concipit Deus contra iustum propter culpam venialem, est solum secundum quid, quia componitur cum illa dilectione simpliciter tali.

Explicatur natura odij abominationis; & inimicitiæ.

Deus odio abominationis nō aversatur peccatorem, sed culpam.

54 Dices primò Deum quidem non posse aversari odio abominationis personam ipsam secundum se, benè tamen vt infectam peccato. Sed contra, quia Deum abominari personam vt infectam peccato, & peccatorem, vt peccator est, nihil aliud est, quam Deum abominari, & reprobare coniunctionem personæ cum peccato: hoc autem non est displicere in ipsa persona, sed vnice displicere in peccato; Deum enim displicere in eo, quod existat peccatum est formalissimè displicere in eo, quod peccatum coniungatur cum persona, & consequenter quod persona coniungatur cum peccato; Deum autem displicere in eo, quod existat peccatum non est vllo pacto displicere in persona ipsa, quia displicere in persona est illam aliquo pacto odio habere; & displicere in peccato, quia peccatum est, & malum personæ, potius est amare personam, ergo Deum displicere

Evasio 1

Præcluditur.

in

in persona, vt infecta peccato non est displicere in ipsa persona, ipsamvè odio habere: ergo impossibile est admittere in Deo odium aliquod contra ipsam personam, nisi hoc odium dicatur esse voluntas infligendi personæ aliquod malum, & revocetur ad odium inimicitiæ, quia odiū abominationis dumtaxat terminatur ad peccatum, quod Deus non fecit, non autem ad personam, quam fecit. Præter quam quod displicentia in peccatore vt peccator est, cum sit omnino necessaria, non est displicentia illa, ad quam habendam Deus renuntiat iuri, dum condonat peccatum, quia displicentia illa, quæ excluditur per condonationem, debet esse libera.

55 Dices secundo: displicentiam illam quam Deus concipere potest contra personam iusti propter culpam venialem non debere esse voluntatem infligēdi illi aliquod malū pœnæ ac proinde posse cedere iuri habendi talem displicentiam, retento iure integrè puniendi. Assumptum probabis: quia non omne odium est velle alicui malum, sicut non omnis amor est velle alicui bonum: est enim quidam amor complacentiæ in obiecto amato absque eo, quod velimus illi bonum, & odium quoddam displicentiæ, & abominationis, quo aliquid nobis displicet, & est horrori & aversioni absque eo, quod velimus malum illi. Sed contra primo: quia hoc est contra doctrinam vniversalem Pphilosophi, & D. Thomæ asserentium amare idem esse, ac velle alicui bonum, & odio habere idem ac velle malum. Contra secundo, quia doctrina illa solutionis nequit ad nostrum propositum applicari: nam cum Deus verissimè amet personam iusti, quæ peccavit venialiter, & vniatur ipsi per affectum efficacem communicativum existentiæ, & aliorum bonorum, quæ possidet, implicat vt hanc eandem personam abominetur: vnde dumtaxat abominari potest cōiunctionem talis personæ cum culpa veniali, reprobando illam coniunctionem, eamque prohibendo: Deum autem abominari hanc coniunctionem, seu hanc coniunctionem esse horrori Deo, non est abominari ipsam personam, vel ipsam personam esse horrori Deo, quia potius hoc est amare ipsam personam: ergo implicat vt in aliquo alio sensu Deus dicatur concipere aversionem liberam, vel displicentiam erga personam iusti ob culpam venialem, nisi quatenus vult illam ad tempus avertere à sui conspectu, & clara visione, & Purgatorijs devorari flammis in pœnam peccati: odium enim Dei, contra personam, cuius existentiam amat, & conservat, nequit importare imperfectiones illas, quæ propriè sunt odij creati, nempe amaritudinem animi, & horrorem, erga ipsam personam, à cuius præsentia, & conspectu refugit animus: præcisè ergo importat placidissimam voluntatem, qua Deus vult iustum à suo conspectu, & clara visione ad tempus arcere, aliasque afflictiones ei immittere ob culpam commissam: ergo Deum concipere liberam aversionem, & displicentiam levem contra personam iusti propter culpam venialem est formalissimè concipere voluntatem puniendi præsertim pœna damni: ergo implicat Deum cedere iuri ad concipiendam talem aversionem, & tamen retinere ius ad integrā pœnam damni, & sensus in Purgatorio infligendam.

Evasio secūda.

56 Confirmatur: quia quemadmodum iuxta S. Thomam 3. contra Gētes cap. 157. & quæst. 28. de veritate art. 2. in fine corp. Deum esse graviter offensum contra peccatorem, illumque odisse, nihil aliud est, quam velle eum privare *vltimo fine*. Ita esse leviter offensum contra iustum, & secundum quid eum aversari, nihil aliud erit, quam velle illum ad tempus privare possessione, & fruitione vltimi finis, & deputare Purgatorijs flammis: offensio enim, & odium ex parte Dei nihil aliud esse potest, quam voluntas libera sumendi vindictam; quæ volūtas si respiciat pro termino privationem æternam visionis beatificę est offensio, & odium simpliciter; & talis est offensio concepta ob peccatum mortale; si autem respiciat pro termino privationem temporalem visionis beatificę, est offensio, & odium secundum quid, & talis est offensio quam concipit contra personam iusti propter culpam venialem, quia ista offensio non excludit illam dilectionem simpliciter talem: ergo dum offensam levem condonat, cedit iuri concipiendi illam offensionem levem, & aversionem secundum quid; ac proinde repugnat cedere iuri ad talem aversionem, manente iuri ad integram pœnam Purgatorij infligendam.

Impugnatio.

57 Denique probatur idem assumptum; si posset culpa venialis remitti, manente reatu ad integram pœnam posset è converso remitti integer reatus ad

Vltima ratio.

ad pœnam manantè culpa: quia difficilius est manere proprietatem sine essentia à qua dimanant, & relationem sine fundamento, à qua resultat, quam essentiam sine proprietate, & fundamentum sine relatione. At repugnat remitti integrum reatum pœnæ debitæ veniali, manente culpa veniali: ergo repugnat remitti culpam venialem manente reatu ad integrã pœnam. Minor latè probatur à Bellarmino lib. 5. de amissione gratiæ cap. 8. §. *At hæc distinctio*, & cap. 7. §. *Deinde reatus*. Ex Augustino, apud quem peccatũ, sublato reatu, non est peccatum, nisi tropicè; intelligit autem nomine *reatus* dignitatem ad pœnam, vt ex eodem Augustino probat idem Bellarminus ibidem. Probatur secundo: quia implicat peccatum manere in ratione peccati, & iniuriæ Dei, quin maneat in ratione reddentis hominem dignum aliqua indignatione, & offensione divina, & consequenter aliqua pœna: quia vel illa indignatio est ipsa voluntas puniendi, vel illius radix, prorsusque implicat concipere hominem dignum indignatione divina, & concipere dignum pœna. Probatur tertio; quia vt inquit Cardinalis Sfortia in libello de pœnitent. num. 234. loquens de mortali, de quo quoad præsens eadem est ratio, ad de veniali. si posset Deus remittere totum reatum pœnæ æternæ, manente culpa mortali, inimicitia Dei non esset malum summè timendum, vtpotè quæ posset stare sine debito æternæ miseriæ: ergo nõ ita potest remittere totum reatum pœnæ Purgatorij, manente culpa veniali.

58 Ex dictis infero non posse distingui reatum culpæ venialis, seu maculam habitualem levem, à reatu pœnæ Purgatorij nisi dicamus maculam illam consistere in actu præterito non retractato: nam si macula venialis cõsistit in actu præterito non condonato, seu in actu præterito, & carentia condonationis, impossibile est maculam illam levem, seu reatum culpæ venialis auferri manente reatu ad pœnam Purgatorij: nam si peccatum aufertur per condonationem Dei aufertur quatenus Deus cedit iuri, quod contra personam acquisivit ratione culpę venialis ad concipiendam aliquam offensionem, & aversionem liberam contra personam: quæ offensio libera nequit esse aliud, quam voluntas libera privandi ad tempus hominem illum visione, & fruitione summi boni, vel inferendi aliquod aliud malum, nec ius ad offensionem potest esse distinctum à iure ad puniendum per privationem boni, & inflictionem mali.

59 Si autem macula venialis cõsistat in actu præterito non retractato, ita vt iustum esse leviter maculatum, idẽ sit ac elicuisse peccatum veniale, & adhuc illud non retractasse: tunc macula illa vt talis non est debitum, proindeque non tolletur per condonationem, & remissionem factam à creditore, sed tolletur per emundationem, & absterſionem, & introductionem oppositæ pulchritudinis, potiusque dicetur Deum tribuentem retractationem, & contritionem peccati homini, qui peccavit, illum emundare à macula, hanc abstergendo, & eluendo, quam ei condonare, & remittere reatum culpæ; & ideo P. Vazquez 3. p. quæst. 87. art. 1. dub. 2. post quam num. 9. reiecit sententiam Scoti existimantis maculam venialem deleri in Purgatorio per ipsam satisfactionem pœnarum, postea n. 11. & 12. inde probat maculam illam deleri per actum dilectionis, quem elicit anima in instanti separationis, quia existimat hominem dici maculatum ab actu præterito non retractato, quia nimirum voluntas, quæ peccavit, & non retractavit peccatum, dicitur ex hac relatione manere obliqua, & conversa ad obiectum peccati, donec rectificetur per contritionem. Vnde sicut hæc sententia explicans maculam habitualem per actum præteritum non retractatum communiter reijcitur à nostris Authoribus, ita consequẽter dici debet non posse remitti peccatum veniale, manente reatu ad integram pœnam Purgatorij, & cum ex hoc inferatur non posse remitti adæquatè manente reatu ad partem pœnæ Purgatorij; hoc etiam secundum consequenter debet affirmari.

60 Et quoad præsens attinet, sententia illa Patris Vazquez reijcitur: nam macula relicta ex peccato veniali nõ aufertur quamvis quis per attritionem efficacem, præsertim naturalem, retractet peccatum præteritum, esto per illam auferatur illa obliquitas, & quasi habitualis conversio ad obiectum peccati: ergo nec auferri potest per contritionem, & dilectionem supernaturalem in genere causæ formalis seipsa expellentis maculam, vt autumat P. Vazquez. Probo consequentiam: quia hæc dilectio non tribuit effectum formalem essentialiter incompossibilem cum effectu formali, quem tribuit

Macula venialis peccati non deletur formaliter per dilectionem Dei super omnia.

buit peccatum veniale: hoc enim constituit hominem dignum vt detineatur in Purgatorio, etiam si decedat in gratia: at contritio perfecta de peccatis venialibus elicita in hac vita, vel in instanti separationis non reddit animam iusti dignam ut nõ detineatur in Purgatorio propter culpas illas leves, de quibus conteritur; alioqui post illum actum dilectionis iniuste ob culpas veniales torqueretur Purgatorij flammis: ergo non reddit effectum formalem, incompossibilem cum effectu peccati: ergo illud non expellit in genere causę formalis. Probo consequentiam: nam quia peccatum mortale reddit hominem dignum privatione æterna summi boni, seu æterna privatione visionis beatificæ, non tolleretur formaliter per infusionem gratiæ, nisi hæc redderet hominem dignum æterna possessione summi boni, seu visione beatifica æterna: ergo quia peccatum veniale reddit hominem dignum privatione temporali visionis beatificæ, si tollendum est per formam positivam essentialiter incompossibilem tolli non potest nisi per formam, quæ reddat hominem iustum dignum non detineri in Purgatorio propter talem culpam, seu dignum non privari ad tempus visione beatifica post discessum in gratia ob talem culpam. Certum autem est, dilectionem, & contritionem perfectam nõ tribuere hanc dignitatem; alioqui quamvis anima iusti decederet cum multis venialibus, per actum dilectionis elicitum in instanti separationis constitueretur digna statim convolare in Cœlum: imo quãbis decederet cum reatu relicto ex gravissimis mortalibus dimissis in articulo mortis: quod est planè falsum.

61 Et confirmatur: nam licet per retractationem possit auferri peccatum, quatenus reddit hominem quasi habitualiter conversum ad obiectum actus peccati, & obliquum, & quasi curvatum, quia per retractationem rectificatur voluntas, & auferetur illa obliquitas, & moralis curvitas, non tamen potest auferri per retractationem, quatenus est iniuria aliqua Dei, reddens hominem dignum aliqua indignatione divina, & offensione quia dignitas ad hãc offensionẽ est dignitas ad privationẽ temporalẽ visionis beatificæ post discessũ in gratia, & hæc dignitas nequit tolli per retractationẽ peccati, nisi illa constituat hominem dignum non privari ad tempus visione beatifica ob illam culpam post discessum in gratia. At, qui talis retractatio non confert homini iusto hanc dignitatem: ergo non emundat illum formaliter à peccato veniali, quatenus illud est iniuria, & offensa levis Dei.

SECTIO QVINTA.

An, & quomodo sit macula quædam levis reatus pœnæ temporalis manens dimissa culpa mortali?

62 OBIICIET aliquis contra nostram sententiam, maculam venialem, quæ inficit animam iusti debere esse distinctam à reatu pœnæ Purgatorij correspondentis veniali præterito: quia dimissa culpa mortali, & integrè ablata macula illius, manet sæpè iustus cum reatu pœnę Purgatorij: qui tamen reatus non est macula: quia nec est macula mortalis vt patet, nec macula venialis; alioqui dum Deus remittit peccatum mortale sicut commutat pœnam æternam in temporalem; ita commutaret peccatum mortale in veniale; quod videtur absurdum: ergo nec reatus ad pœnam Purgatorij relictus ex veniali præterito erit macula. Respondeo, sicut dignitas ad pœnam Purgatorij consistens in actu præterito venialiter malo, vt moraliter perseveranti ratione non condonationis divinæ, est macula quædam levis animæ: ita dignitas ad pœnam temporalem Purgatorij manens dimissa culpa mortali, est macula quędam levis: tum quia hæc dignitas constituitur intrinsece, & in recto per peccatum mortale præteritum, quod licet absolute, & simpliciter sit dimissum, imo totaliter, & adæquatè deletum quatenus mortale; manet tamen moraliter in ordine ad pœnam Purgatorij, ac proinde licet nullo modo iam maneat in ratione maculantis graviter animam; manet tamen in ratione maculantis secundum quid: tum quia talis dignitas non pertinet ad malum pœnæ; nam hoc amatur à Deo, & dignitas ad pœnam amari à Deo non potest: ergo pertinet ad malum culpę, & ratio est, quia esto malum non sit puniri, malum tamen esse pœna dignum. Consulatur D. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 1. ,, ad 1. ibi: Pœna quidem iusta esse po-,, test, & à Deo, & ab homine inflicta; ,, vnde ipsa pœna non est effectus peccati ,, directè, sed dispositivè: sed peccatum ,, fecit hominem esse reum pœnę, quod

,, est

„ est malum: dicit enim Dionysius 4. de „ divinis nominibus, Quod puniri non „ est malum, sed fieri pœna dignum. Consulatur etiã D. Augustinus in Psalm. „ 50. vbi inquit: Ideo in iniquitatibus se „ conceptum dicit David, quia in omni„ bus trahitur iniquitas ex Adam & vin„ culum mortis: nemo enim nascitur, ni„ si trahens pœnam, & meritum pœnæ: „ meritum autem pœnæ, peccatum est: „ omnis ergo qui nascitur per carnis con„ cupiscentiam, peccatum trahit. Hæc Augustinus, quem citat Sotus lib. 1. de natur. & grati. cap. 8. pag. 24. column. 1. ergo iuxta Augustinum dignitas, & meritum pœnę, præsertim damni est peccatum, & culpa. Demum quia sicut hominem sua culpa esse dignum carere in æternum possessione summi boni, est macula gravis, quæ animam simpliciter deturpat, & fædam reddit: ita esse sua culpa dignum arceri ad tempus à possessione summi boni post hanc vitam in gratia cõsumatam, est macula quædam levis, quæ elui debet Purgatorijs flãmis, vt anima appareat pura in patria Cœlesti, non habens maculam, nec rugam.

63 Et hoc docet D. Augustinus lib. 20. de civit. cap. 25. vbi accommodat ad pœnas Purgatorij illud Isaiæ 4. „ Abluet Dominus sordes filiarum Sion, „ & sanguinem Hierusalem lavabit de„ medio eius in spiritu iudicij, & in „ spiritu ardoris, id est, igne Purgatorij, „ & illud etiam Malechię 3. Ipse quasi „ ignis conflans, & sedebit conflans, & „ emundans argentum, & purgabit filios „ Levi, & colavit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offe„ rentes sacrificia in iustitia. Docet etiã hoc ipsum D. Thomas 4. contra Gentes „ cap. 91. num. 4. Ad visionem (inquit) „ Dei creatura rationalis elevari non po„ test, nisi totaliter fuerit depurata. Vnde „ sapient. 7. dicitur: Quod nihil inqui„ natum in illam incurrit. Et Isaiæ 35. „ dicitur: non transibit per eam pollutus: „ polluitur autem anima per peccatum, in quantum rebus inferioribus in „ ordinatè coniungitur: à qua quidem „ pollutione purificatur in hac vita per „ pœnitentiam, & alia sacramenta, quan„ doque vero contingit quod purificatio „ talis non totaliter perficitur in hac vita; „ sed remanet adhuc debitor pœnæ: opor„ tet ergo vt post hanc vitam purgetur „ ante quã finale præmium consequatur.

65 Vnde dum Deus remittit peccatum mortale sicut commutat dignitatem pœnæ æternæ in dignitatem pœnæ temporalis, quatenus aufert illam, & relinquit istam, ita in eodem sensu commutat maculam gravem in levem, quatenus aufert peccatum in ratione graviter maculantis, & relinquit in ratione maculantis leviter, hæc tamen macula levis nequit dici peccatum veniale habituale formaliter; quia hoc includit intrinsece culpam præteritam, quæ in sui existentia fuit dumtaxat venialis: & talis macula includit culpam mortalem præteritã, iam adæquatè dimissam in ratione mortalis, & manentem dumtaxat in ratione maculantis animam secundum quid. Potest tamen dici peccatũ veniale æquivalẽter; quatenus ratione mortalis iam dimissi per inde manet iustus maculatus leviter, dum manet reatus Purgatorij, v.g. decem dierum; ac solet manere maculatus ratione venialis merentis decem dies Purgatorij, dum illud non remittitur. Vnde dum remittitur mortale aufertur quidem totaliter, & adæquatè macula habitualis, quæ consistit in privatione gratiæ habitualis, quæ est animæ pulchritudo: non auferetur tamen totaliter, & adæquatè macula consistens in actu præterito moraliter perseverante in ordine ad irã, & indignationẽ divinam esto auferatur simpliciter, & absolutè; imo esto auferatur adæquatè, & totaliter in ordine ad odium inimicabile: quia esto ratione actus præteriti non maneat iam homo dignus odio inimicabili, manet tamen dignus aliqua indignatione; quæ dignitas est aliqua macula, & si levis. Iam autem in defensione nostræ propositionis num. explicuimus quo pacto licet macula peccati actualis sit indivisibilis in ordine ad existentiã physicam, non sit tamen indivisibilis in ordine ad perseverantiam moralem; quia licet dum peccatum physice existit seipso indivisibiliter reddat dignũ omni pœna sibi correspondenti? post quam tamen physicè transijt, potest manere moraliter in ordine ad reatum vnius partis pœnæ, & non alterius.

Licet macula peccati actualis sit indivisibilis in ordine ad existentiam physicã, non tamen in ordine ad perseverantiã moralẽ;

DISPVTATIO IX.

AN SIT PROBABILE PECCATVM MORTALE NON ESSE TOTALITER, ET ADÆQVATÈ remissum quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquam pœnam Purgatorij præsertim damni.

Ad quæst. 86. 1. 2. art. 1. & 86. 3. part. art. 4.

QVÆSTIONE præcedenti agentes de remissione peccati venialis, beviter insinuavimus etiam non esse censura dignum id dicere de mortali, quod affirmavimus de veniali, nempe in tertia ratione num. 15. nunc seorsim probandum est, probabile esse, quod peccatum mortale non est totaliter, & adæquatè remissum quoad omnem reatum culpæ, dum manet reatus ad aliquam pœnam damni, & sensus in Purgatorio luendam: licet absolute, & simpliciter sit remissum, & in ratione mortalis totaliter, & adæquatè deletū.

SECTIO PRIMA.

Multiplex probatio nostræ sententiæ affirmantis

1 PROBATVR autem, quia illa opinio est probabilis, quæ nititur fundamento gravi authoritatis, & rationis, & nō habet aliquid convincens contra se, puta definitionem Ecclesiæ, vel demonstrationem evidētem. At talis est opinio affirmans peccatum mortale non esse totaliter, & adæquatè remissum quoad omnem reatum culpæ, dum manet reatus ad aliquā pœnam Purgatorij: ergo talis opinio est probabilis.

3 Probo igitur primo assumptum, quia P. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 14. sect. 3. num. 12. loquens de ijs Authoribus, qui peccatum habituale explicant per reatum pœnæ, vel per dignitatem pœnæ, qui plurimi, gravesque sunt (nam ipse Salas ibi num. 9. 13. & 14. enumerat vltra viginti quatuor) inquit: Qui consequenter dicere debent nullum peccatum mortale, aut veniale tolli, aut remitti totaliter, donec tota pœna remittatur, aut solvatur, licet mortale dicatur simpliciter remitti, quando desinit imputari ad pœnam æternam, cuius comparatione temporalis pœna tenuis nulla est. Quam illationem dum facit, hoc ipso censet illam nihil continere contra fidem, nec esse periculosam: nam Doctores Catholici non debent conseqüeter ad sua principia defendere sequelas absurdas, & contra fidem. Vnde dum aliqua sequela infertur vt necessaria ex ipsorum sententia ab alio Doctore Catholico, & illa non impugnatur, censetur talis sequela non esse magis absurda, quam sit ipsa sententia. Eandem illationē eisdem fere verbis fecit Ioannes Gerson Doctor, & Cancelarius Parisiensis lib. de vita spirituali animæ sect. 1. Coroll. 9. eanque amplectitur vt probabilem vt vidimus in nostra defensione.

Probatur 1. assumptū ex P. Salas.

4 Probatur secundo, quia Durandus in 2. dist. 42. q. 3. num. 4. id affirmat dissertis verbis, inquiens: Dico quod „si peccatum est totaliter remissum nullus „reatus omnino remanet, cuius ratio „est clara ex ijs quæ dicta sunt supra „dist. 23. art. 1. vbi probatum fuit quod „peccatum remitti non est aliud, quam „ipsum non imputari ad pœnam: cui „ergo peccatum est remissum totaliter, „illi peccatum non imputatur ad debitum cuiuscunque pœnæ; sed reatus „non est aliud, quam debitum pœnæ: ergo cui peccatū est totaliter remissum, in eo non remanet aliquis reatus. Verum „est, quod quandoque peccatum remittitur quoad reatum pœnæ æternæ, & „fit commutatio in pœnam temporalē; „sed tunc peccatum non est totaliter remissum, quia adhuc imputatur ad „pœnam aliquam, & remanet aliquis rea-

Probatur 2. ex Durādo.

rea-

„ reatus; dicitur tamē simpliciter remis-
„ sum, licet nō totaliter, quia omnis pœ-
„ na temporalis est pœna secundū quid
„ per comparationem ad æternam.

5 Probatur tertio; quia gravissimus Theologus Andreas de Vega id ipsum affirmat, & ait id ipsum sensisse meliores Theologos sui temporis: nam lib. 13. in Tridentinū cap. 16. agens de satisfactione pœnitentiali, sic inquit: Quinta pars
„ pœnitentiæ iuxta seriem nostri decreti
„ satisfactio est, quæ fit per ieiunia ele-
„ mosinas orationes, & alia pia vitæ
„ spiritualis exercitia. Et ea asseritur à
„ Patribus nō fieri pro pœna æterna, quia
„ dimissa culpa nullus remanet reatus ad
„ pœnam æternam; sed fieti pro pœna
„ temporali, quia non semper cum culpa
„ dimittitur lapsis à gratia Baptismali to
„ta pœna pro peccatis debita. Et hinc
„ colligimus in principio huius libri, mul
„ to esse aliā reparationem lapsi, per pœ
„ nitentiā, quam sit iustificatio peccatoris
„ per Baptismū: nā in Baptismo tota simul
„ pœna debita pro peccatis remittitur
„ cū culpa. Et quamvis quidā Theologi
„ cōtenderint, vt sicut assertū est à Patri-
„ bus non fieri satisfactionem pro pœna
„ æterna, ita etiā assereretur non fieri pro
„ culpa, quando quidem illa iam nō erat,
„ & ante quam demittatur, nullum habet
„ locum satisfactio pro ipsa; tamen alij
„ meliores Theologi prævaluerunt, qui
„ sicut scriptura, & Sancti Doctores do-
„ cent, satisfactiones verè, & propriè fie-
„ ri pro culpa affirmarunt. Esto enim per
„ contritionē, vel absolutionem culpa sit
„ dimissa, nec maneat quantū ad hoc vt
„ inimicum Deo faciat suum factorem;
„ tamen dimissa non est in totum, sed ad
„ huc manet in imputatione divina: quia
„ Deus eam imputat ad reatum pœnę tē-
„ poralis, neque ante illius exolutionem,
„ se videndū vult lapsis clare, nec ad reg-
„ nū suum eos admittere. Vnde & Eccle-
„ sia canit ex Machabæorū historia. San-
„ cta, & salubris est cogitatio pro defun-
„ ctis exorare, vt à peccatis solvantur: &
„ David licet sciret, sibi adulterij, & ho-
„ micidij culpas dimissas, tamen quia ad-
„ huc illas in conspectu divino timebat
„ manere, vt imputarentur ad aliquā pœ-
„ nā ferventer clamabat. Amplius laba me
„ ab iniquitate mea, & à peccato meo mū
„ da me. Et quis potest negare, Sacerdotes
„ imponere pœnas pro peccatis, & iā iu-
„ stificatos aliquas spōtè sua sibi indicere
„ pœnas, & eas Domino offerre, vt dimit-

Proba tu. 3. Andræa de Vega, & alijs.

„ tat, quæ admisserūt peccata? Quare fit
„ rogetur omnes fideles, quare animæ iu-
„ storū detineātur in Purgatorio? Incun-
„ etā ter respondebūt, eas ibi detineri pro
„ peccatis, quæ in via admisserūt. Et quā-
„ vis verum sit satisfactiones esse, & fieri
„ pro pœna tēporali debita pro peccatis
„ eluenda, & delenda, tamē multo verius
„ & proptius est eas fieri pro expiādis à I
„ plenū, quæ cōmisimus, peccatis. Hucusque Andreas de Vega.

6 Sentit ergo peccatum mortale non esse dimissum in totū seu totaliter, & adę quatè, dum habet reatus Purgatorij: Verūque est iuxta illum, & meliores Theologos sui tēporis, culpā mortalem præteritam, & si sit simpliciter, & absolutè dimissa; & in ratione mortalis nullo pacto maneat, quia non manet in ordine ad reddendū suum factorē dignū odio inimicabili à pœna ęterna: tamen non esse totaliter, & adæquatè dimissam; sed adhuc manere secundū aliquā rationē culpæ: quia iustus in Purgatorio patitur pro culpa prę terita; non patitur autem pro illa quatenus dimissa; quia vt dimissa non reddit dignum pœna: ergo patitur pro illa vt manente aliqua ratione, nimirum in ordine ad faciendū suum factorē dignum in dignatione aliqua levi, & pœna temporali. Et non solum id sentiunt isti Doctores, sed efficacissimè probant ex scripturis; quæ si possunt exponi in proprio, ac rigoroso sensu, debent ita intelligi. Cum ergo dicant, iustum, cui dimissum est peccatum mortale, adhuc pro culpa sua pati, & posse magis ab illa emundari, signum est illam aliqua ratione manere.

7 Probatur quartò, quia adhuc in schola Divi Thomæ, & in ipsius principijs est probabile peccatum mortale non remitti totaliter, & adęquatè in ratione peccati, & culpæ, dum homo ratione illius manet reus pœnæ temporalis. Id constabit legenti quæ scripsit Angelicus Doctor ad extremum vitæ suæ nempe 3. part. quæst. 86. articul. 4. vbi docet in peccato mortali esse duo, nempe aversionem ab incommutabili bono, & conversionem inordinatam ad bonum commutabile: ex his autem duobus aversionem se habere deformali in peccato mortali, quia est differentia, per quam differt à veniali, in quo reperitur conversio in ordinata fine aversione: conversionem autem se habere de materiali, & reatum pœnę æternæ consequi aversionem, &

Proba tur 4. ex D. Tho.

per

per conſequens tolli ablata averſione, & manere ea manente: reatum vero ad pœnam temporalem conſequi ad converſionem inordinatam, & ideo manere, quia manet talis inordinata converſio: aſſeritque per iuſtificationem tolli peccatum mortale, quia tollitur illud quod in illo eſt de formali, nempè averſio; & adhuc poſt ipſam ſæpè manere reatum pœnæ temporalis, quia ſæpè manet illa inordinata converſio, prout præſcindit ab averſione, & eſt ratio quædam communis etiam ad peccata venialia. Ipſum audiamus: proponit ibi primum argumentum iis verbis: Re„ mota cauſa, removetur effectus: ſed cul„ pa eſt cauſa reatus pœnæ, ideo enim eſt „ aliquis dignus pœna, quia culpam com„ miſit: ergo remiſſa culpa, non poteſt „ remanere reat° pœnæ. Cui reſpõdet iis „ verbis: Ad primum dicendum, quod „ culpa mortalis vtrunque habet, & aver„ ſionem à Deo, & converſionem ad bo„ num creatum: averſio à Deo eſt ibi ſi„ cut formale, converſio autem ad bonum „ creatum eſt ibi ſicut materiale: remoto „ autem formali cuiuſcunque rei tollitur „ ſpecies, ſicut remoto rationali tollitur „ ſpecies humana. Et ideo ex hoc ipſo „ dicitur culpa mortalis remitti, quod „ per gratiam tollitur averſio mentis à „ Deo: remanet tamen illud quod eſt „ materiale, nempe inordinata converſio „ ad bonum creatum.

8 En Angelicus Doctor vt Solvat argumentum contendens non poſſe manere reatum pœnæ temporalis poſt iuſtificationem, quia non manet culpa, quæ eſt cauſa illius reſpondet manere reatum pœnæ temporalis, quia eſto averſio peccati mortalis ſit ablata per iuſtificationem, manet tamen converſio inordinata, quę in illo reperiebatur, & hęc converſio eſt cauſa eiuſmodi reatus: ergo ſentit per iuſtificationem non tolli totaliter, & adęquatè peccatum mortale, quandiu manet reatus ad pœnam Purgatorij, quia nimirum tunc manet inordinata converſio prout præſcindens ab averſione, & ſecundum prædicatum communè peccati mortalis cum veniali: ſub quo conceptu ſe habet tanquam ratio materialis reſpectu averſionis, quæ eſt differentia per quam mortale diſtinguitur à veniali: nam illa converſio inordinata quatenus talis eſt mala, & eſt culpa; ſiquidem peccatum veniale eſt culpa, & tamen in illo non reperitur niſi ſola converſio inordinata: ergo licet iuxta S. Thomam peccatum mortale ſub ratione mortalis auferatur totaliter per iuſtificationem, quia auferetur totaliter averſio, quæ in illo ſe habet vt differentia ſpecifica, & de formali: tamen ſub ratione culpæ manet quoad aliquid, & ex parte; quia manet quoad converſionem inordinatam, quæ vt ſic eſt culpa; & inordine ad culpam prout præſcindit à mortali, & veniali non ſe habet tanquam materiale illa converſio inordinata, ſed ſe habet tanquam formale: quia culpa vt præſcindit à mortali, & veniali nihil aliud dicere poteſt quam converſionem inordinatam ad bonum commutabile. Et ſic ratio converſionis inordinatæ, quę reſpectu peccati mortalis ſe habet tanquam materiale, quia ſe habet vt genus: reſpectu peccati vt ſic, & vt præſcindentis à mortali, & veniali, ſe habet tanquam formale, quia eſt differentia eſſentialis, per quam peccatum, vt ſic differt à non peccato, Totum hoc conſtat ex eodem D. Thoma ibidem in corpore poſt quam enim dixit, quod ex parte averſionis conſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternę ſubdit: ex parte etiam converſionis ad bonum commutabile, in quantum eſt inordinata, conſequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iuſtitiæ niſi per pœnam: iuſtum enim eſt vt qui voluntati ſuæ plus indulſit, quam debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, ſic enim erit æqualitas. Vnde Apo„ calyſ. 18. dicitur, Quantum glorifica„ vit ſe, & in deliciis fuit tantum date „ illi tormentum, & luctum: quia tamẽ „ converſio ad bonum commutabile eſt „ finita, non habet ex hac parte pec„ catum, quod debeatur ei pęna æter„ na. Vnde ſi ſit inordinata converſio ad „ bonum commutabile ſine averſione à „ Deo, ſicut eſt in peccatis venialibus, „ non debetur peccato pœna æterna, ſed „ temporalis. Sentit ergo Ang. Doct. per iuſtificationem deſtrui peccatum mortale, quia deſtruitur averſio quæ ſe habet ſicut formale in illo: non tolli tamen omnem rationem culpæ, ſed adhuc manere aliquam rationem culpæ, nempe converſionẽ illam inordinatã ad bonum cõmutabile ſub eo conceptu in quo convenit cum peccato veniali. Et ſicut iuxta omnes totaliter tollitur reatus pœnæ æternæ, & tamẽ nõ tollitur totaliter reatus pœnæ; ita

iuxta ipsum totaliter tollitur reatus peccati mortalis, non tamen tollitur totaliter reatus peccati.

9 Id ipsum multo ante docuerat in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 2. ad 5. ijs verbis. In peccante sunt duo defectus, vnus qui est in ipso actu peccati, secundum quod aliquis limites legis divinæ, & rationis rectæ transgreditur. Alius est in ipso peccante, privatio virtutis ex priori defectu actus inducta: quamvis autē dum aliquis gratiam recuperat, secundus defectus tollatur, non tamē ex toto primus sublatus est, quia oportet, vt quātū voluntati suæ obedivit præter legem Dei, tantū etiā in contrarium recōpenset, vt sic iustitiæ seruetur æqualitas: & ideo post gratiā recuperatā iniungitur satisfactio, & est adhuc homo reus tēporalis pœnæ. Eandē doctrinā repetit in 4. dist. 14. q. 2. art. 4. in corpore ibi in peccato duo possunt cōsiderari, scilicet ipsa inordinatio, quę in actu est, & macula quæ ex actu inordinato cōsequitur in anima, & secundū hoc peccatū dupliciter remittitur: quia ex ipsa act⁹ inordinatione homo quantū in se erat, iniuriā Deo faciebat, ideo ex parte illa peccatū remittitur secundum quod inæqualitas prædicta inuitiæ ad æqualitatem iustitiæ reducitur, quod facit pœnitentiam in quantum est virtus quædam per suum actum, sed ex parte maculæ peccatum remittitur per gratiam, quæ formaliter maculam tollit. Ergo sentit S. Thomas per iustificationem non remitti totaliter, & adequatè peccatum, nempe quoad vtranque rationem, nisi contritio sit tanta, vt tollat inæqualitatem iniuriæ adæquatè: esto simpliciter, & absolutè remittatur, quatenus totaliter tollitur macula consistens in priuatione gratiæ ad quam consequitur reatus pœnæ æternæ.

10 Et vero hanc fuisse eius mentem efficaciter cōprobare possumus primo ex Thomistarum Principe, & litteralissimo Angelici Præceptoris interprete Capreolo in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. in quo inquirit, vtrum Sacramentum pœnitentiæ possit tollere culpā manente reatu & ponit eandem rationē dubitandi, seu idem argumentum, quod adducit Divus Thomas 3. part. quæst. 86. art. 4. vbi agitat eandem quæstionem, & nos supra retulimus. Et ponit tertiam conclusionem his verbis: Sacramentum pœnitentiæ quandoque tollit culpam, & totum reatū, quandoque tollit culpam manente aliquo reatu. Quā conclusionē probat multis authoritatibus D. Thomæ, præsertim duab⁹ prioribus à nobis adductis, quib⁹ relatis sic concludit ad finem illius articuli primi: Exquib⁹ potest formari talis ratio pro conclusione: reatus peccati non tollitur totaliter per Sacramentū pœnitentiæ, nisi amota omni inordinata aversione, & cōversione peccātis: sed hæc duo quandoq; amoventur in Sacramento pœnitentiæ (videlicet quando dolor est tam intensus, vt extinguat omnē reatū pœnæ) quandoque primū sine secundo: ergo quandoque tollitur totaliter reatus peccati, quandoque non. Ergo sentit expressè, non tolli totaliter, & adæquatè reatum peccati, quando manet reatus ad pœnam Purgatorij: quia tunc tollitur quidem inordinata aversio non tamen tollitur totaliter inordinata conversio peccantis.

Hanc fuisse mē tem D. Thomæ probatur ex Capreolo.

11 Secundò probatur ex Patribus Carmelitanis in suo cursu Theologico tom. 4. de peccatis quæst. 87. tract. 13. disp. 17. dub. 1. §. 3. num. 18. Vbi ad explicandum quo pacto possit esse verum quod Divus Thomas docuit, nempe licet semper in iustificatione tollatur peccatum mortale quoad aversionem, maneat tamen sæpe quoad inordinatam conversionem, inquiunt: Pro quo nota peccatum mortale actuale, licet physice per transeat fimita actione, manere tamen moraliter quousque per pœnitentiam retractetur, ob idque disp. præcedenti num. 74. diximus terminum à quo iustificationis non esse solum peccatum habituale consistens in gratiæ priuatione, sed includere etiam suo modo ipsum peccatum actuale præteritum moraliter permanens, quæ quidem permanentia per ipsam iustificationem destruitur, secundum quod per eam formaliter, vel virtualiter retractatur, & iuxta gradum illius retractationis. Vnde vt tollatur omnino nihilque eius remaneat, oportet vt retractetur, quoad totum quod in eo fuit: si vero quoad aliquid non retractetur, permanebit quoad hoc moraliter, etiam post iustificationem. Deinde nota, in prædicto peccato fuisse simul, & conversionē ad bonum commutabile, & aversionem à Deo fine vltimo: & quamvis vtraque hæc ratio sit mortaliter peccaminosa; tamen conversio non habet quod sit mortalis, præcisè: vt conversio est; sed in quantum est inductiva aversionis, seu

Probatur ex PP. Carmelitis Discalceatis.

ſeu in quatum eſt converſio averſiva. Vnde ſi conſideretur præcisè vt eſt converſio ad bonum commutabile præſcindendo ab eo quod ſit averſiva à Deo, quamvis adhuc prout ſic ſit inordinata, non tamen hæc inordinatio præcisè ex hoc capite ad rationem culpæ mortalis pertingit, ſed eſt etiam communis peccato veniali, in quo invenitur converſio ad commutabile bonum inordinata, & peccaminoſa.

12 Ex quo fit, quod licet in qualibet iuſtificatione, dum gratia infunditur, & peccatum habituale aufertur, retractetur etiam peccatum actuale præcedens, quantum ad illud quod habeat averſionis, ſeu converſionis averſivæ, quia hæc ratio non retractata eſt omnino cum gratia incompoſsibilis; non tamen neceſsè eſt, quod retractetur etiam quantum ad conuerſionem ſecundum ſe præcisè ſumptam; quia talis ratio cum prædicta præciſione non repugnat gratiæ vt cernitur in peccatis venialibus. Vnde adhuc poſt iuſtificationem poteſt moraliter permanere, quouſque voluntas per pœnam, & mortificationem aſſumptam tantum ſibi diſpliceat, tantundemque guſtus, & delectationis ſibi adimat, quantum indulſerat per prædictam converſionem, ſicque omnino illam retractet, & eius de ordinationem ad debitum ordinem reducat. Quod ſi in ipſa iuſtificatione maximo aliquo dolore id fiat, vt aliquando contingit, manebit ex tunc retractata, & abolita eiuſmodi converſio ſin minus vt regulariter fit, durabit moraliter, abſolvenda citius vel tardius iuxta fervorem actuum *pœnitentiæ ſubſequentium*. Hæc illi qui ſtatim num. 19. dicunt. *Sanctum Doctorem nomine converſionis*, manentis poſt ſublatam averſionem culpæ mortalis non intelligere aliquid ſive poſitivum, ſive privativum, quod tunc phyſicè permaneat, ſed peccatum actuale præteritum non retractatum quantum ad converſionem ad bonum commutabile cum præciſione ſumptum, adeoque permanens moraliter quoad talem converſionem; aſſeruntque hanc rationem ſic moraliter permanentem fundare reatum *pœnæ temporalis*. Ergo iuxta D. Thomam, & iuxta Patres Carmelitas quoties poſt iuſtificationem à peccato mortali manet quis debitor pœnæ temporalis, manet moraliter converſio ad bonum commutabile inordinata, & peccaminoſa, quæ ſit fundamentum illius reatus: ergo tunc non remittitur adæquatè, & totaliter peccatum, quoad omnem rationem inordinatam, & peccaminoſam; ſed remittitur totaliter converſio, quatenus averſiva, & manet quatenus converſio inordinata, nimirum ſecundum conceptum cõmunem ad peccatum veniale.

13 Tertiò probatur ex Illuſtriſsimo Araujo tom. 2. in 3. part. quæſt. 86. art. 4. dub. 1. num. 14. vbi ait: Dico ſecundò: ratio, & cauſa, ob quam poſt dimiſſam culpam manet in homine reatus pœnæ temporalis, præcisè eſt inordinata converſio, quæ ad ordinem diuinæ iuſtitiæ non reducitur, quouſque debita exhibeatur pro pœna temporali ſatisfactio. Hæc autem inordinata converſio manens moraliter poſt iuſtificationem habet formaliter rationẽ culpæ iuxta hunc Authorem, vt conſtat ex ijs quæ dicit ibidem num. 16. ad ſecundam obiectionem, his verbis: Quamvis formalis ratio malitiæ conveniat actui humano ab averſione primordialiter vt in ſolutione ad primum innuit Divus Thomas: tamen non ſola averſio, ſed etiam cõverſio habet rationem culpæ, & malí moralis, & cum reatus pœnæ debeatur culpæ, ideo tam averſioni, quam converſioni, aliquis reatus debetur, illi quidem ſolus reatus pœnæ damni, vt patet in parvulis, quibus pro peccato originali; quod in ſola averſione à Deo ſive privatione originalis gratiæ conſtit ſola pœna damni, id eſt carentia diuinæ viſionis debetur; huic vero pœnæ ſenſus, ſive temporalis per ſe loquendo, ſive per accidens, vt perpetuitati conIũcta ob culpæ irreparabilitatem vt dictum eſt. Hæc ille, qui num. 10. §. *Tertius*, teſtatur, hanc eſſe ſententiã D. Thomæ, Durandi, Caietani, & Soti: ergo iuxta hunc Authorẽ quoties poſt iuſtificationẽ manet reatus ad pœnã Purgatorij, toties manet moraliter aliqua ratio culpæ fundans illũ reatũ, & conſtituens hominẽ dignũ radicaliter pœna tẽporali, nẽpe cõverſio inordinata, & peccaminoſa, ſeparata tamẽ à ratione averſionis, quæ omnino deſtruitur per iuſtificationẽ: ergo tũc per iuſtificationẽ non remittitur totaliter, & adæquatè peccatũ quoad omnem rationẽ malitiæ; implicat enim eſſe totaliter remiſſum quoad omnẽ rationem culpæ, & adhuc manere ſecundũ aliquam. Indque ſignificavit Magiſter Soto in 4. diſt. 15. q. 1. art. 4. §. *Argumenta Hæreticorum* in fine illis verbis: *Quare per hoc diſtant ſim-*

Probatur ex Illuſtriſsimo Araujo.

„pliciter tolli culpam quod tollitur aver-
„sio per pœnitentiam, sed tamen non tol-
„litur omnino inordinata conversio ad
„creaturam, pro qua ideo debetur rea-
„tus pœnæ temporalis.

Probatur ex P. Esparça.

14 Quartò probatur ex P. Martino de Esparça, doctrinæ D. Thomæ studiosissimo q 96. de Sacramentis, quæ est de reviviscentia meritorum, pag. 360. „in responsione ad 4. ibi: Peccatum sub „hoc conceptu (nempe sub conceptu conversionis ad creaturam, & delectationis circa illam nõ permissa) est quid pos-„sitivum, ideoque potest manere aliqua-„liter, & inducere pœnam aliquã tempo-„ralẽ, non obstante iustificatione, per quã „solũ aboletur, & extinguitur totaliter, „quatenus est aversio à Deo, & habet „vim inducendi pœnam æternam. Qui auctor perspicuè, sentit peccatũ non sem-per deleri totaliter, & adæquatè per iusti-ficationem quoad omnem rationẽ peccami-nosam, quam includit nempe quoad conversionem inordinatam, & aversio-nem, sed solum deleri totaliter cum restri-ctione, nempe sub vna determinata ra-tione aversionis, quæ est conceptus nega-tivus. Quod sufficit, vt simpliciter, & ab-solutè illud peccatum sit remissum, quia quod manet est ferè nihil respectu eius, quod ablatum est. Hinc non possum non mirari, quod hic Auctor citetur con-tra nos, eo quod dum agit personam alie-nam, & proponit quartum argumentum contra conclusionem certam inter Theo-logos de reviviscentia meritorum, vide-tur innuere, spectare ad fidem Catholi-cam, quod post dimissam totaliter cul-pam tàm mortalem, quàm venialem, maneat sæpè reatus pœnæ temporalis: mens enim eius non est colligendas ex ijs, quæ scribit dum proponit argumen-ta contra suam conclusionem, sed dum resolvit quęstionem, & ad argumenta res-pondit. Quod autem pro nobis stet, sic ostenditur: non potest prudenter affir-mari esse dignam censura hanc proposi-„tionem: Peccatum veniale nequit esse „totaliter, & adæquatè remissum manẽ-„te reatu ad aliquam pœnam Purgatorij „ipsi debitam. Si semel non sit digna cen-sura ista alia: Peccatũ mortale nequit esse „totaliter, & adæquatè remissum, manẽ-„te reatu ad aliquã pœnã Purgatorij ipsi debitam. Atqui ex hoc Auctore neutiquã colligi potest esse dignam censura hanc propositionẽ secundã, cum potius ex illo colligatur esse verã; ergo neutiquã colligi potest ex hoc Auctore propositionẽ pri-mam esse dignam censura; imò à paritate colligetur esse probabilem.

Probatur ex P. Vazq.

15 Quinto eam fuisse mentem D. Thomæ, agnoscit P. Vazquez tom. 4. in 3. p. q. 94. art. 1. dub. 2. n. 5. & 6. licet eam difficilẽ existimet, & modestè impugnet: agnoscit P. Suarez tom. de Pœnit. q. 88. art. 4. in commentario illius articuli, licet difficilem appellet. Agnoscit etiã Aversa tom. de Sacramentis, quæst. 3. de Pœnit. sect. 11. pag. 439. §. *Sexta difficiliori ratione*. Esto eam impugnet.

SECTIO SECVNDA.

Viterior nostra sententia probatio.

Probatur nos remitti totaliter & adæquatè mortale per pœnitentiã quando remanet reatus Purgatorij.

16 PROBATVR præterea non remitti totaliter, & adæquatè peccatum mortale per pœnitentiam, quando adhuc pœnitens manet reus pœnæ Purgatorij, auctoritate D. Augustini tom. 4. lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 18. ibi: Prius purgandus est „igne purgationis, qui in aliud sæculum „distulit fructum conversionis: hic autẽ „ignis, etsi æternus non sit, miro tamen „modo est gravis: studeat ergo quilibet „sic delicta corrigere, vt post mortem „non oporteat talẽ pœnã tolerare. Quæ-„dam enim peccata sunt quæ sunt morta-„lia, & in pœnitentia fiunt venialia, non „tamen statim sanata: ergo sentit Augu-stinus quod quoties per pœnitentiã ita re-mittitur peccatũ mortale, vt pœnitẽs ma-neat adhuc debitor pœnarũ Purgatorij, illud peccatũ non remittitur totaliter, & adęquatè in ratione peccati, sed ex morta-li habituali fit veniale habituale. Quæ est optima illatio ex principijs ipsius Augu-stini, qui (vt testatur Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ, c. 7. §. *Ad hæc respon-sio*) ponit peccatum habituale in reatu, id est dignitate ad pœnam, quia apud Augu-stinũ peccata transierunt actu, & manent reatu, quatenus ratione peccati præteriti manet homo reus, id est dignus pœna de-bita tali peccato. Vnde sicut per pœnitẽ-tiam, & iustificationem aufertur dignitas ad pœnã æternã, & nihilominus relinqui-tur dignitas ad pœnã temporalem ita ex mente Augustini remittitur reatus culpæ gravis, & relinquitur reatus peccati levis, & sicut dignitas ad pœnã infinitã quoad durationem fit dignitas ad pœnam fini-tam, ita peccatum mortale habituale fit veniale, nimirum, æquivalenter, quia

quia is, qui poſt iuſtificationem à mortali, v.g. ab homicidio, manet reus decem dierum Purgatorij, perinde ſe habet, ac iuſtus, qui ob culpam venialem commiſſam eſt reus decem dierũ Purgatorij, eandemque terminat offenſionem, & indignationem levem Dei. Adducit illam auctoritatẽ Auguſtini Magiſter ſententiarũ in 4. diſt. 20. §. *Si vero quæritur de illis*.

Confirmatio. 17 Confirmarique poſſet hæc doctrina Auguſtini: nam hominem eſſe dignum pati pœnam Purgatorij propter culpam mortalem, quam commiſit, & â qua iuſtificatus eſt, eſt aliquod malum: at non eſt malum pœnæ: ergo malum culpæ: at non malum grave: ergo malum leve culpæ: ergo quoties per iuſtificationem non tollitur totaliter dignitas ad pœnam, ſed tollitur dignitas ad pœnam æternam, & relinquitur dignitas ad pœnam temporalem Purgatorij, non tollitur adæquatè, & totaliter culpa præterita in ratione culpæ, licet totaliter tollatur in ratione mortalis: quia licet nullo modo maneat in ratione mortalis, id eſt, in ratione reddentis hominem dignum pœna æterna damni, & ſenſus, manet tamen in ratione culpæ, quia manet in ratione reddentis hominem dignũ pœnâ temporali damni, & ſenſus ergo tunc culpa mortalis habitualis fit venialis. Quod hominem eſſe dignũ pœna Purgatorij ratione peccati mortalis, à quo iuſtificatus eſt, non ſit malũ pœnæ. Suadetur primo, quia Deus amat malũ pœnæ, nempe ipſam pœnã Purgatorij, non amat autem dignitatẽ ad pœnam Purgatorij, ſicut nec dignitatẽ ad pœnam inferni: etſi enim puniri nõ ſit malũ, at malum eſt eſſe pœna dignum, vt docet Dionyſius 4. *de divinis nominibus*. Quod perſpicue docet D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 1. ad 1. vbi ait: *Pœna quidem iuſta eſſe poteſt, & à Deo, & ab homine inflicta: vnde ipſa pœna nõ eſt effectus peccati directè ſed diſpoſitivè: ſed peccatum facit hominem eſſe reum pœnæ, quod eſt malum*; dicit enim Dionyſius 4. de divinis nominibus: *Quod puniri non eſt malum, ſed fieri pœna dignum*.

18 Suadetur ſecundò, quia ſola culpa eſt, quæ poteſt hominem reddere dignum pœnâ: nam pœna eſt correlativũ culpæ: ergo culpa præterita eſt forma, à qua homo iuſtificatus redditur dignus pati pœnã Purgatorij; ſed non culpa præterita, quatenus omnino remiſſa, & nullo modo moraliter manens in ratione culpæ: quia culpa præterita, quatenus remiſſa, & iam nõ manẽs moraliter, nequit reddere dignũ pœna: ergo culpa præterita, quatenus nõ remiſſa, ſed aliquo modo manẽs in ratione culpæ: ergo licet per iuſtificationẽ culpæ mortalis in ratione mortalis omnino remittatur, non tamen remittitur totaliter, & adæquatè in ratione culpæ; ſed adhuc manet quoad aliquã rationẽ culpæ, nempe ſecundũ conceptũ communẽ ſibi cũ culpa veniali merenti totidẽ dies Purgatorij: ergo probabilis eſt propoſitio Auguſtini intellecta, vt ſonat: *Quædã peccata ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia*. Et hinc elucet quantã vim habeat doctrina D. Thom. ſupra expenſa, quod ſcilicet ideo homo poſt iuſtificationẽ manet reus pœna Purgatorij, quia licet per iuſtificationẽ tollatur averſio peccati mortalis, nõ tamẽ ſemper tollitur converſio inordinata ad bonũ cõmutabile, quod perinde fuit, ac ſi diceret, propterea hominem iuſtificatũ ſæpè manere dignũ pœna temporali Purgatorij, quia quamvis per iuſtificationẽ neceſſario deleatur peccatũ præteritum, quatenus mortale, quia quatenus tale dicit tanquã formale averſionẽ à bono incommutabili, tamen nõ ſemper tollitur adæquatè quatenus peccatũ: quia ſæpè manet quatenus converſio inordinata, ſub quo conceptu eſt peccatum, & culpa. Elucet, inquã, quantã vim habeat doctrina D. Thom. quia fundatur in eo principio, quod reatus pœnæ, vel imbibit, vel ſupponit dignitatẽ pœnæ, nemo enim eſt debitor pœnæ, cuius dignus non eſt: ergo nequit manere reatus pœnæ, quin maneat dignitas pœnæ; ſed dignitas pœnæ eſt formaliſſimè malum culpæ: ergo in tantum manet quis obligatus ad pœnam propter culpam præteritam, quatenus illa non eſt omnino deleta, ſed manet ſecundum aliquam rationem, ſecundum quam fundet illum reatum: quę ratio iuxta S. Thomam eſt converſio inordinata ad creaturam, prout præſcindit ab averſione.

19 Quod vlterius elucet, nam dignitas radicalis pœnæ, nec ratione noſtra poteſt diſtingui à culpa, dignitas radicalis phyſicè exiſtens à culpa phyſicè exiſtẽti, dignitas radicalis moraliter perſeverãs à culpa moraliter perſeverante. Dignitas autẽ proxima, ſeu debitũ proximũ pœnæ neceſſario ſupponit dignitatem, & debitum radicale: ſicut enim non ſtat aliquem eſſe proximè potentem intelligere, quin ſit radicaliter potens; non ſtat aliquẽ eſſe proximè dignum, & debitorẽ pœnæ, quin ſit radicaliter dign⁹, & debitor: ergo quoties poſt iuſtificationẽ manet reatus

pœnæ, id est, debitum proximum pœnæ, toties post iustificationē manet dignitas radicalis ad pœnam. Sed dignitas radicalis ad pœnam est malū culpæ: ergo toties post iustificationem manet malum culpæ: nempè conversio inordinata, & peccaminosa ad bonum commutabile separata ab aversione, quæ est differentia constitutiva peccati mortalis.

20 Nec est difficile intelligere, quod peccatum mortale maneat moraliter quoad rationem peccati, quin maneat quoad rationē peccati mortalis: sicut non est difficile intelligere, quod reatus pœnæ consecutus ad mortale, maneat quatenus reatus pœnæ, & desinat esse quatenus reatus pœnæ æternæ, & sicut votū de ingrediendo religionē strictissimā si relaxetur quoad vim obligandi ad religionē strictā, & non quoad vim obligandi ad statū religionis; desinit quoad differentiam specificam ab alijs votis, & manet quoad rationem communem voti Religionis. Vnde nullam vim habet obiectio illa, quā viri alioquin magni formant contra hanc sententiam D. Thomæ, nimirum quod sicut dum peccatum mortale physicè existat, conversio est inseparabilis ab aversione; ita debeant esse illæ rationes inseparabiles in ordine ad perseverantiam moralē; constat enim hanc obiectionem esse nullam ex instantijs modo adductis: nam dū peccatum physicè existit, inseparabilis est reatus pœnæ temporalis à reatu pœnæ æternæ, & tamen quoad perseverantiam moralem non ita res se habet. Et ratio à priori est, quia Deus potest cedere iuri, quod acquirit per peccatū mortale, quatenus avertit à bono incommutabili, quin cedat iuri quod acquirit per illud quatenus est conversio inordinata ad bonum commutabile, seu cedere iuri, quod acquirit per peccatum mortale, quatenus mortale, & secundum differentiam specificam per quam differt ab omni veniali; retento iure, quod acquirit per illud, quatenus peccatum, & secundum rationem communem, in qua convenit cum veniali. Quo posito, desinet perseverare peccatum illud, quatenus erat mortale, & aversivum à Deo; & manebit, quatenus erat peccatum, & conversivum ad bonum commutabile, quæ est sententia D. Thomæ.

Potest mortale peccatū moraliter manere quoad rationē peccati, quin maneat quoad rationē mortalis

21 Hinc facile, enervatur argumentum, quod aliqui Doctores contorquent contra illā sententiā D. Thom. nam si nomine conversionis inordinatæ (inquiunt) intelligatur ipsa malitia moralis, quæ in commissione peccati fit, & hæc dicitur superesse post iustificationē, hoc est falsissimū, & contra sanā doctrinam, quia culpa mortalis integra remittitur, enervatur, inquā, nam nomine conversionis inordinatæ manentis moraliter post iustificationem, etsi intelligatur malitia mortalis, nō tamē secundū conceptū malitiæ mortalis, & aversivæ, sic enim omnino ablata est, sed secundū conceptū malitiæ præcisum à malitia gravi, & mortiferā, sub quo conceptu manet, quia licet peccatū sit destructū, quatenus reddebat dignum pœna æterna suum factorem, tamē manet quoad vim reddendi dignum pœna aliqua damni & sensus, sub quo conceptu est malitia, & culpa, quia pœna correspondet culpæ.

22 Nec hæc sententia favet hæreticis nostri temporis asserentibus peccata nō aboleri, sed regi. Vt enim testatur P. Suarez disp. 9. de Pœnit. sect. 4. n. 17. cum Bellarm. lib. 2. de iustificatione, cap. 9. illi volebant peccata revera manere in homine iustificato, Deum tamen illa non punire, & perinde segerere cum homine, ac si peccatum non esset, & insuper asserebant iustificationem peccatoris fieri per solam peccatorum remissionem sine iustitia inhærente. Vtrumque autē procul est à sententia illa: iuxta quam peccata mortalia vere destruuntur, & abolentur, & eradicantur, & in ratione mortalium nullo pacto manent, quia per interiorem renovationem, & coniunctionem hominis cum Deo mediante gratia tollitur aversio illa, quæ se habet vt formale in peccato mortali, & est differentia specifica eius, per quam distinguitur à veniali: licet maneant secundum quid, & secundum conceptum conversionis inordinatæ, qualis reperitur in venialibus: aliqua autem ratio malitiæ, & culpæ debet manere, vt maneat reatus pœnæ: nec enim vt aliqui volunt, reatus pœnæ dependet solum à culpa in fieri, non autem in conservari: ipse enim reatus pœnæ in recto in voluit ipsam culpam præteritā, ideo enim modò sum dignus pœna, quia peccavi: nō in voluit autem illam, quatenus iam omnino destructam, & remissam, quia propter culpam vt remissam, non debetur pœna; nec vt præscindentem à permanentia morali, & destructione: ergo in voluit illam vt permanentem moraliter secundū aliquam rationem culpæ; hæc enim est, quæ facit dignum pœna.

Hinc

23 Hinc deducitur per iuſtificationem tolli quidē totaliter, & adæquate maculam conſiſtentē in privatione gratiæ: non tamen maculam conſiſtentem in actu præterito, vt moraliter perſeverante in ordine ad iram, & indignationem divinam: hæc enim macula etſi ſimpliciter, & abſolutè ſit ablata, non tamen omnino. Dum enim homo manet dignus arceri à poſſeſsione ſummi boni, manet aliquo modo maculatus: quia ſicut hominem ſua culpa eſſe dignū carere in æternum poſſeſsione ſummi boni, eſt macula gravis, quæ animam ſimpliciter deturpat, & fœdā reddit; ita eſſe ſua culpa dignū arceri ad tempus, eſt macula levis, quæ elui debet Purgatorijs flammis, vt anima appareat pura in patria Cœleſti non habens maculā, nec rugam. Id quod perſpicuè docet D. Thomas 4. contra gent. c. 91. n. 4. *Ad viſionem*, inquit, *Dei creatura rationalis elevari non poteſt, niſi totaliter fuerit deputata.* Vnde Sap. 7. dicitur: *Quod nihil inquinatum in illam incurrit.* Et Iſaiæ 35. dicitur: Non tranſivit per eam pollutus. Polluitur autem anima per peccatum, in quantum rebus inferioribus in ordinatè coniungitur; à qua quidem pollutione purificatur in hac vita per pœnitentiam, & alia Sacramenta. Quandoque vero contingit quod purificatio talis nō totaliter perficitur in hac vita, ſed remanet adhuc debitor pœnæ: oportet igitur vt poſt hanc vitā purgetur, antequā finale præmiū cōſequatur. Vnde ex mente D. Thom ſicut dum Deus remittit peccatū mortale, commutat dignitatē pœnæ æternæ in dignitatem pœnæ temporalis, quatenus autem illam, & relinquit iſtam. Ita in eodē ſenſu commutat maculā gravem in levem, quatenus aufert peccatum in ratione graviter maculantis, & reliquit in ratione maculantis leviter.

SECTIO TERTIA.

Soluitur quædam obiectio contendens à paritate peccati venialis poſſe remitti mortale quoad culpam, manente reatu ad totam pœnam.

24 CONTRA noſtram ſententiam ſic obijcies: poteſt dimitti peccatum veniale quo ad culpam, manente reatu ad totam pœnam: ergo pariter poterit remitti culpa mortalis, manente reatu ad totam pœnā. Antecedens probatur; nam vt docet communior ſententia cum P. Suarez diſp. 11 de Pœnit ſect. 4. & cum P. Vazquez 3. p. q. 87. art. 1. dub. 2. num. 17. venialia, cum quibus decedit iuſtus, remittuntur ſtatim in inſtanti ſeparationis animæ à corpore per actum ferventiſsimæ charitatis, quo anima toto conatu fertur in Deum deteſtando omnes culpas veniales contractas, & non dūm dimiſſas, & tamen vt oſtendunt P. Suarez ibidem num. 18. & P. Vazquez num. 22. in illo inſtanti nullā pœna Purgatorij remittitur ex vi illius contritionis. Rationem reddit Suarius, quia ſtatuit Deus tempus huius vitæ ad ſatisfaciendum per noſtros actus, vel pœnas huius vitæ: tempus autem vitæ futuræ ad ſuſtinendam condignam pœnam ignis. Sicut autem in inſtanti mortis extrinſecè finitur hæc vita, & intrinſecè incipit alia, ita in illa iam non habet locum modus ſatisfaciendi huius vitæ, ſed intrinſecè incipit ſatis paſsio per Purgatorium ignem. Vazquez vero etiam reddit rationem cur poſsit remitti tota culpa, manente reatu ad integram pœnam; nam actus ille contritionis perfectæ elicitus in inſtanti mortis rectificat voluntatem & per ſe ipſum in genere cauſæ formalis tollit maculam venialē, quæ reſultavit ex culpa veniali commiſſa in alia vita, & non retractata ibi: At vero illa contritio nequit in illo inſtāti eſſe ſatisfactio pro pœna, ſeu nequit anima per illā ſatisfacere, vt minuatur pœna aliàs peccato debita; quia hoc poſtulat illā contritionē eſſe in homine adhuc exiſtente in via meredi, quia eſt genus quoddā meriti exiſtētis adhuc in agone, alia autē vita non eſt, ſed hæc, quæ eſt quaſi paleſtra pugnantiū pro premio. Adiungitque rationem aliam abſurdo; quia ſi ibi actus charitatis pro pœna ſatisfacit, cum ibi ſit ferventior, quam in via, & continuò duret, paruo tēpore minueret pœnam, aut tolleret omninò, quod eſt apertè falſum.

Quomodo remittātur venialia cū quib⁹ iuſtus decedit, iuxta Suariū & Vazquez.

25 Reſpondeo primò, antecedens eſſe falſum; quia iam diſputatione præcedenti latè probavimus impoſsibile omninò eſſe, quod peccatū veniale ſit totaliter, & adęquatè remiſſum quoad reatū culpę, manente reatu ad aliquā pœnam Purgatorij. Secundo reſpondeo admiſſo antecedenti, negando conſequentiā: nam ſi peccatum veniale dimittitur, manente reatu quoad totā pœnam, ideo eſt, quia macula illa tollitur per mutationē intrinſecā ipſius animę rectificantem ipſam, & auferētem obliquitatem inductam per culpam;

Negatur paritas.

nec aliter potest tolli, nempe per condonationem extrinsecam: ac proinde tolli illã maculam non est Deum cedere iuri, quod per peccatũ veniale acquisivit ad puniendum iustum venialiter peccantem pœna temporali damni; & sensus. Ex quo fit ablata macula manere ius in Deo acquisitum ratione culpæ venialis ad differendam collationem gloriæ, & infligendi pœnam ignis: Hinc autem minimè infertur posse peccatum mortale remitti quoad culpam, manente reatu ad integrã pœnam: nam si vel Deus remittit culpã mortalem per mutationẽ intrinsecã ipsius peccatoris, nempè per infusionem gratiæ; vel per condonationẽ extrinsecam. Si primũ, implicat in terminis, maculã mortalẽ deleri, & tamen hominẽ manere dignum pœna æterna damni, & sensus: quia ipsa infusio gratiæ delens maculã reddit hominẽ dignum æterna gloria; implicat autem simul hominem esse dignum æterna gloria, & dignum pœna æterna damni, & sensus, alioqui simul esset dignus habere æternam gloriam, & illa carere. Si secundum etiam sequitur similis repugnantia: nam Deus ratione peccati mortalis solum acquisivit ius ad puniendum peccatorem propter culpam: quare eatenus potest cedere iuri acquisito per peccatum mortale, quatenus cedit iuri puniendi: implicat ergo Deũ cedere iuri acquisito per peccatum, & tamen manere cum iure ad inferendam totam pœnã damni, & sensus. At manente in homine reatu ad totã illam pœnã manet in Deo ius ad illã inferendam: ergo implicat Deum remittere culpam mortalẽ per condonationem extrinsecam, nimirũ, cedendo iuri acquisito per peccatũ, & tamen hominẽ adhuc manere dignum tota pœna correspondẽti ipsi peccato.

26 Sed interrogabis, cur Deum conferre homini gratiam iustificantem à peccato mortali, sit cedere iuri principali acquisito per mortale: & tamen Deum conferre gratiam iustificantem à veniali, nempe actũ charitatis, non sit cedere iuri principali acquisito per veniale? Respondeo rationem esse, quia forma iustificans à mortali, nempe gratia habitualis reddit hominem dignũ vita æterna, & carentia pœnarum inferni sub conditione, quod decedat in gratia: implicat autem esse ita dignum, & simul esse reum pœnæ æternæ damni, & sensus. At forma iustificans à peccato veniali, nempe actus perfectę dilectionis, vel charitatis non reddit animã dignã ingredi statim cœlum, & carere in alia vita pœna Purgatorij: quia hanc dignitatem non tribueret illi etiã si esset elicita in hac vita: si autem tribueret hanc dignitatem non posset Deus remittere peccatum veniale quoad culpam manente reatu quoad totam pœnam.

27 Sed rogabis an casu, quo Deus remitteret peccatum veniale per extrinsecã condonationẽ, possit remittere illud, quoad culpam, manente reatu quoad totã pœnam? Respondeo id implicatoriũ esse: quia si Deus condonat extrinsecè peccatũ, hoc præstat cedendo alicui iuri acquisito per peccatum: Deus autẽ per peccatũ veniale nõ acquirit aliud ius adversus hominẽ iustum peccantẽ, nisi ius infligendi illi aliquod malũ pœnæ propter illã culpam: ergo nõ potest Deus remittere peccatũ veniale per condonationem extrinsecam, nisi cedendo iuri infligendi pœnã. Sed vbi manet reatus ad totã pœnã, Deus non cessit iuri infligendi aliquã: ergo vbi manet reatus ad totam pœnam, Deus non condonavit extrinsecè peccatũ veniale. Videturque non posse Deũ cõdonare extrinsecè peccatũ, nisi cedendo iuri ad totã pœnã; cũ nõn detur ratio, cur cessio iuris ad infligendã vnam partem pœnæ, potius quam ahã sit remissio peccati venialis quo ad maculã, & culpam. Quare in sententia admittente condonationem extrinsecam dici potest, ac debet Deum remittere illã cedendo iuri ad infligendam pœnã damni, & sensus debitam veniali in Purgatorio.

Añ admissa cõdonatione extrinseca, posset Deus remittere peccatum veniale quoad reatum culpæ, & non pœnę? Resp. negativè

28 Obijcies præterea contra nostram sententiam: Potest Deus remittere peccatũ mortale quoad culpã, & tamen punire peccatorẽ pœna æterna damni: ergo falsa est nostra sententia. Probatur antecedens: potest Deus infundere gratiam homini peccatori, & sic remittere illi peccatũ. Et hoc non obstante, postea privare illũ gloria; quia infusio gratiæ non necessitat metaphysicè Deum ad conferendũ homini gloriã: ergo similiter poterit, dimisso peccato, negare homini gloriã in æternũ propter culpam. Admisso antecedenti, nego cõsequentiã; nam esto Deus posset separare in æternum gratiã à gloria, non tamen in pœnam peccati dimissi per infusionem gratiæ; nam implicatoriũ est, vt dimisso peccato maneat Deus cum eodem iure ad odio habendum hominem propter culpã, quod habebat antecedẽter ad remissionem peccati, quia dum homo erat peccator tribuebat Deo ius ad odiũ ini-

Obiect.

Dimisso mortali, nequit Deus privare hominem gloria propter illud.

inimicitię: quod ius maneret, ſi adhuc remiſſo peccato per infuſionem gratiæ, poſſet Deus velle in æternum ſeparare hominem à ſui conſortio, & communicatione propter culpam: hoc enim eſt odiũ ſtrictiſsimũ inimicitiæ; ſi ſemel Deꝰ poteſt ſtricto odio inimicitiæ averſari peccatorem: Deum enim velle homini, vt ſit in æternum infœlix, & ſummè miſer; eſt illum odio maximo averſari: & ſanè ſi dimiſſo peccato per infuſionem gratiæ, adhuc poſſet Deus punire hominem illum ęterna pœna damni ob culpã, adhuc homo ille eſſet dignus carere beatitudine: ergo ſimul eſſet dignus carere ratione reatus remanentis, & dignus habere gloriam ratione gratiæ, quæ ſunt implicatoria. Deinde, quia ſi dimiſſo iã peccato poſſet homo ex vi illius adhuc manere dignus privari gloria, poſſet ſimiliter adhuc manere dignus puniri pœna ſenſus: quia maior eſt pœna damni, quam ſenſus, & vbi dimiſſa culpa poteſt manere debitum pœnæ maioris non eſt ratio cur non maneat debitum pœnæ minoris. Quis autem non videat chymærã eſſe, quod quis ſit dignus propter culpam aliquando commiſſam æterna pœna damni, & ſenſus; & tamen quod ex illa culpa non maneat in ſtatu peccatoris.

29 Dices poſſe Deum in pœnam peccati iam dimiſsi per infuſionem gratiæ velle homini æternam privationem, gloriæ, quin hoc ipſo velit vt ſit ſummè infœlix per totam ęternitatem. Sicut per nos poteſt velle vt homo iuſtus, qui nunquam peccavit, careat in æternum viſione beatifica, quin velit vt in æternum ſit infœlix. Nego conſequentiam, quia carentia gloriæ in homine illo innocente, eſſet pura negatio beneficij in debiti, nõ autem pœna. Vnde homo ille non haberet dolorem de carentia viſionis, ſed poſſet amore charitatis Deum diligere, & ſe conformare cum eius beneplacito: & habere fœlicitatem naturalem æternam cum maxima delectatione, & gaudio reſultãte ex contemplatione totius vniverſi, & Dei in creaturis, Sicut enim homo innocens, & conſtitutus in ſtatu puræ naturæ ſine gratia habituali, & ſine omni peccato, poſſet pervenire ad beatitudinẽ naturalem: ſimiliter iuſtus ille, cui Deꝰ de potentia abſoluta denegaſſet gloriam in perpetuum; nec enim eſſet deterioris conditionis, quam homo conſtitutus in pura natura. At vero homo ille, qui in pęnam peccati commiſsi privaretur æterna beatitudine non poſſet habere fęlicitatem naturalẽ; quia eſſet materia ſummi, & acerviſsimi doloris carere in æternum ſua culpa poſſeſsione ſummi boni; cum quo dolore nõ poteſt componi quod habeat fœlicitatem naturalem, quia hæc involvit carentiam omnis doloris, præſertim acerbi.

DISPVTATIO X.

DE OPPOSITIONE GRATIAE HABITVALIS CVM PECCATO. IN QVA OSTENDITVR gratiam poſſe componi cum peccato actuali, quo expellitur, non autem cum habituali, quod expellit.

Ad quæſtionem 110. 1. 2. *in qua D. Thomas agit de gratia quantum ad eius eſſentiam.*

NON eſt animus aliorum placita, & fundamenta examinare; ſed propriam ſententiam exponere. Et quia noſtra ſententia duplicem habet partem, priorem, & difficiliorem prius probabimus, oſtendẽdo repugnare gratiam habitualem compoſsibilem cum proxima potentia peccandi; quæ componi divinitus nequeat cum exercitio

tio talis potentiæ, nempè cum peccato actuali; seu esse impossibilem gratiam; quæ sit expellibilis per peccatum, & cum illo, divinitus componi non possit.

2 Respondeo eam gratiam esse impossibilem, censeoque proinde peccatum actuale saltem divinitus posse cum gratia habituali componi: loquor autem de gratia habituali, quæ componi possit cum proxima potentia peccandi, & per peccatum expelli, & de hac existimo posse cum peccato componi, nam si gratia habitualis non expellibilis sit per peccatum admodum quo vnio Hypostatica; hęc cum peccato esset essentialiter incompossibilis, & cum proxima potentia peccandi.

SECTIO PRIMA.

Nostræ sententiæ probatio quod divinitus possit componi gratia cum peccato actuali.

3 CONCLVSIONEM sic probo: ea quę in sui existentia à solius Dei voluntate dependent, & Deo determinante producũtur, destrui non possunt, nisi ipso Deo liberè decernente earum destructionem, seu liberè suspendente concursum conservativum earum: ex terminis enim ipsis apparet absurdum, quod Deus ab extrinseco possit cogi, vt destruat effectum, quem liberè produxit, & quidem non minus, quam si ab extrinseco cogeretur effectum illum producere. Atqui gratia habitualis in sui existentia à solius Dei voluntate dependet, ipsoque determinãte producitur, ergo nequit destrui nisi Deo decernẽte ipsius destructionem: tum sic, at si esset incompossibilis cum peccato mortali, per quod expellitur, destrueretur Deo minimè decernente ipsius destructionem, ergo non est essentialiter incompossibilis cũ peccato mortali, per quod expellitur, ergo repugnat gratia essentialiter incompossibilis cũ peccato actuali per quod expellitur, reliqua constãt: minor sub sumpta suadetur, nam si esset essentialiter incompossibilis cum peccato, peccante homine necessario destrueretur gratia; at homo peccat quin Deus decernat vllo modo illius peccatum ergo destrueretur Deo minime decernente liberè eius destructionem. Confirmatur hominem peccare cõtingit absque aliqua libera Dei voluntate determinãte ad existentiam peccati; sed iuxta aduersarios hominem peccare, & gratiam destrui, vel saltem cum gratiæ destructione necessario connectitur, ergo iuxta aduersarios gratiam destrui contingeret absque aliqua libera Dei voluntate determinãte ad destructionem gratiæ. At implicat, vt quod ponitur Deo liberè determinãte ipsius existentiam, destruatur Deo non determinãte liberè eius destructionem, ergo, &c.

Confirmatur nostra ratio.

4 Dices, gratiam liberè destrui à Deo, hoc ipso, quod concursum indifferẽtem præparavit voluntati ad peccandum: sed contrà quia ea præparatio concursus non sufficit, vt destructio gratiæ sit libera, & voluntaria, eoque liberè determinante contingens: alias etiam sufficeret, vt peccatum hominis Deo diceretur voluntarium, vbi enim per positionem vnius rei alia destruitur, non potest dici voluntaria destructio vnius, cui non dicitur voluntaria positio alterius.

1. Euasio præcluditur.

5 Dices secundò, licet voluntas præparans concursum ad peccatum nullo modo amet existentiam peccati, amare tamen destructionem gratiæ, non quidem absolutè, sed tantum conditionatè, nimirum sub conditione quod homo peccet, hoc enim ipso quod Deus homini iusto præparet cursum ad peccatum, vult destrui gratiam sub conditione, quod homo peccet: vnde peccante homine, liberè Deus destruit gratiam, nõ libertate exercita ex suppositione peccati prævisi, sed antecedenter; nimirum denominative à voluntate præparante concursum indifferentem: sed contra quia non alia de causa voluntas præparandi concursum ad peccandum est voluntas efficax destruendi gratiam, nisi quia peccatum ipsum iuxta aduersarios est essentialiter incompossibile cum gratia, tota ergo necessitas qua Deus posito peccato cogitur destruere gratiam nascitur ex peccato: atqui implicat vt Deus ab aliquo extrinseco, præsertim non posito ab ipso, cogatur ad destructionem gratiæ: ergo, &c. Quod si voluntas illa conditionata non esset essentialiter petita ab ipso peccato, sed posset separari ab apsa voluntate præparandi cõcursum, profecto tunc Deus liberè gratiam destrueret, nec aliunde quam à suo beneplacito necessitaretur ad illius destructionem, proindeque nullum reperiretur absurdum, quale reperitur in sententia adstruente essentialem oppositionem inter gratiam, & peccatum actuale.

Secunda

Reijcitur.

Voluntas obliqua concursus ad peccatũ non est voluntas destruẽdi gratiã sub conditione.

6 Et certè si solutio illa teneret, posset impune quis dicere posito actu merito-

ritorio non posse Deum divinitus negare præmium, nec aliunde, quam à suo beneplacito necessitari ad illud conferendum, quia videlicet voluntas præparatis cõcurrum ad actum meritorium esset voluntas efficax dandi præmium sub conditione actus eliciendi, quod si hoc reputatur absurdum, eo quod Deus necessitaretur ab actibus nostris ad aliquod producendum, multo magis reputari debet absurdum, quod posito actu peccati non posset Deus non destruere gratiam, siquidem absurdius est Deum necessitari ad aliquod destruendum ab existentia actus peccaminosi, quem Deus non amat, quam necessitari ad aliquod producendum ab existentia actus boni, quem Deus amat.

7 Confirmatur, implicat vt Deus necessitetur per existentiam peccati ad aliquod producendum, ergo & implicat quod necessitetur per existentiam peccati ad destruendam gratiam. Probatur consequentia, quia ad perfectionem D. Dominij nõ minus spectat potestas libera destruendi, & non destruendi, quam potestas libera producendi, & non producendi, si ergo quidquid Deus producit libere producit, quin ab alio, quam à suo beneplacito, necessitetur ad producendum, ita quidquid destruit, libere destruit, quin ab alio, quam à suo beneplacitõ, necessitetur ad destruendum: iam antecedens suadetur, tum quia si communiter ab omnib⁹ negatur creatura essentialiter in destructibilis, similiter quæ simul existes, & libere à Deo producta extorqueret à Deo sui cõservationem multo magis negari debet, quod peccatũ quod minimè à Deo producitur extorqueat à Deo alicuius rei productionem: tum quia si vnius creaturæ productio nequit ipsum necessitari ad alterius productionem, v. g. productio essentiæ ad productionem proprietatum, & productio materiæ ad productionem formæ, qua ratione communiter docent D. D. posse essentiam produci sine proprietatibus, & materiam sine forma, & teste Suario lib. 7. de gratia cap. 4. num. 5. dicũt communiter Theologi potuisse Deũ assumere hypostatice naturã humanam, & nunquam illi dare visionem beatam: multo minus vnius rei productio, quæ nõ à Deo, sed à voluntate humana fit, qualis est productio actus peccaminosi, Deum necessitare poterit ad productionem alterius rei, ergo nec necessitare ad alterius rei destructionem.

Confirmatur ite rum nostra ratio.

Non minus repugnat Deum à peccato cogi ad aliquid à se solo productum destruendũ quam ad aliquid producendum.

8 Dices tertiò hinc fieri posse divinitus componi in eadem voluntate amorem, & odium eiusdem obiecti, & in eodem intellectu assensum, & dissensum eiusdem veritatis, quod tamen est absurdum: sequela probatur quia voluntate eliciente amorem, poterit divinitus ibi conservari odium, & intellectu eliciente dissensum poterit divinitus conservari assensus. Respondeo sequelam esse nullam quia actus intellectus non producuntur à solo Deo, sed ab intellectu cum concursu Dei, intellectus autem nequit, dum elicit assensum, conservare dissensum, & similiter de voluntate, dum autem voluntas nostra elicit actũ peccati, potest Deus conservare gratiam, vnde elicientia actus peccaminosi nequit necessitare ad destructionem gratiæ, sicut elicientiam assensus necessitat ad destructionem dissensus.

3. Evasio.

Enervatur.

9 Dices: ergo saltem intellectu eliciente assensum poterit Deus conservare dissesum, quod tamen non potest admitti, alioquin intellectus simul assentiretur, & dissentiretur: respondeo admittẽdo sequelam iuxta sententiam, quę tenet actus intellectus esse qualitates absolutas, nego tamen inde sequi illud absurdum, quia in illo eventu non denominaretur intellectus dissentiens per dissensum à solo Deo productum, vbi ipse ab intrinseco producit actum oppositum. Præterquam quod valde probabilis est opinio eorum, qui censent actionem esse de conceptu intelligentis, quamvis admittant posse intellectionem ab extrinseco produci; nam iuxta hanc sententiam nullo eventu non denominaretur intellectus dissentiens defectu actionis, quæ est de conceptu intelligentis.

Alia instantia rejicitur.

10 Dices quartò, absurdum non esse quod peccante homine necessario expellatur gratia; hæc enim vt vniatur animæ debet præsupponere pro priori carẽtiam peccati, tanquam conditionem essentialiter requisitam ex parte subiecti ad illius receptionem; ergo cum in potestate hominis sit facere vt non existat illa carẽtia, in potestate hominis est facere ne existat in subiecto gratia. Respondeo implicatorium esse vt gratia à solo Deo producta, & vnita animæ prærequirat tanquam cõditionem essentialem ad sui vnionẽ cum subiecto illã carẽtiam, quia hinc sequeretur posse voluntatem nostram Deũ cogere vt aliquid destruat, quia ipse solus produxit, quod iam probabimus esse absurdum: nec cum fundamento potest dici ad existentiam vnionis gratiæ cum anima

4. Evasio reiecta.

Gratiæ infusio nequit essentialiter præsupponere carentiam peccati.

ma prærequiri illam carentiam, in quo enim genere causæ erit essentialiter requisita? Certè in nullo; quia Deus potest in genere causæ efficientis supplere omnem concursum, quem illa carentia præberet ad existentiam vnionis; cur enim non posset producere vnionem gratiæ cum anima non precedente dispositione ex parte passi, sicut potest vnionem eiusdem gratiæ producere cum lapide? Quare licet aliqua dispositio ex parte passi possit esse conditio essentialiter prærequisita, vt agens finitæ virtutis operetur, nequit tamen esse conditio vt operetur agens infinitæ virtutis, quippè quod potest omnem improportionem subiecti superare: vnde homo peccando poterit quidem præstare vt non maneat absolute iustus, & placens Deo, non tamen poterit efficere ne maneat cum gratia.

11 Dices: ergo per hoc præcisè quod gratiæ infusio sit peccati actualis impeditio pro eo instanti pro quo ipsa existit erit gratia essentialiter incompossibilis cum peccato actuali: at quamvis gratia sit expellibilis per peccatū actuale, nihilominus eius infusio poterit esse peccati actualis impeditio, ergo &c. Respōdeo negando minorem, nam hoc ipso quod gratia sit per peccatum expellibilis est compossibilis cum proxima potentia peccandi, nam si cum tali potentia incōpossibilis foret, redderet hominem impeccabilem, ac proinde non posset per peccatum expelli; hoc autem ipso quod sit compossibilis cum proxima potentia peccandi, nequit eius infusio esse impeditio peccati actualis: nec enim potest esse impeditio, seu impedimentum antecedens, alioqui læderet libertatem, & everteret proximam potentiam peccandi: nec impeditio seu impedimentū consequens, cum non sit exercitium illius proximæ potestatis, solum enim exercitium potentiæ liberæ oppositum peccato, vel aliquid supponens essentialiter hoc exercitium potest esse impedimentum cōsequens actus peccaminosi; gratia autem nec est exercitium potentiæ liberæ ad peccandum, nec supponit essentialiter exercitium illius potentiæ oppositum peccato, nempè actum bonum oppositum, alioquin iam ipsa non esset impeditio peccati sed peccatum supponeret impeditum.

Infusio gratiæ non est impeditio peccati actualis.

12 Sed instabis vnio hypostatica, est essentialiter incompossibilis cum peccato, & tamen est compossibilis cum proxima potentia peccandi, potuit enim promitti humanitati non peccāti, eiusve tribui in præmium peccati evitati, ergo similiter de gratia habituali. Respōdeo hoc ipso quod vnio hypostatica sit essentialiter incompossibilis cum peccato, & compossibilis cum proxima potentia peccandi nō posse eius infusionem esse impeditionem peccati pro eo instanti, pro quo est compossibilis cum proxima potentia peccandi, sed eatenus esse incompossibilem cum peccato, quatenus ad sui existentiā prætequirit carentiam peccati, sive actum essentialiter incompossibilem cum peccato, quare illa non impedit pro illo instanti peccatum, sed supponit impeditum libere à voluntate: pro reliquis vero instantibus impedit peccatum impediendo proximam potentiam ad illud, alioqui foret per peccatum expellibilis; vnde infusio gratiæ non alia ratione posset esse essentialiter incompossibilis cum peccato, & compossibilis cum proxima potentia peccandi, nisi quia pro priori ad sui existentiam præsupponit voluntatem non peccātem, hoc autem ipso non esset impeditio peccati, sed illud supponeret impeditum.

Instantia petita ab vnione hypostatica solvitur.

13 Sed adhuc vrgebis, ad hoc vt gratia sit essentialiter incompossibilis satis est quod eius infusio sit denegatio cōcursus ad peccandum in sensu composito illius, seu pro posteriori ad ipsam: hoc autem poterit habere, quamvis sit per peccatum expellibilis, quia nimirum infusio gratiæ est denegatio concursus ad peccādum in sensu composito, & non in sensu diviso, ergo optimè componitur gratiam esse expellibilem per peccatum, & tamē cum eo essentialiter incompossibilem: respondeo, si semel pro priori ad infusionem gratiæ non supponatur illa proxima indifferentia ad peccandum, & non peccandum determinata ad carentiam peccati, seu ad actum incompossibilem cum peccato, sed precisè supponatur proxima illa indifferentia ad vtrumque extremum, fieri non posse, vt per infusionem gratiæ potentia impediatur à peccando; illa nanque infusio gratiæ non potest impedire peccatum auferendo potentiam proximā ad illud, quomodo enim potest auferre, quod supponit? Nec potest auferre peccatum faciendo, vt voluntas se determinet ad actum incompossibilem, vbi enim semel intelligitur voluntas proximè expedita ad peccandum, vel non peccandū, à nullo alio quam à seipsa potest determinari ad operandum, quapropter repugnat dari aliquam formam essentialiter incō-

pos-

sibilem cum peccato, & compossibilem cum proxima potentia peccandi, nisi talis forma sit exercitium illiusmet potentiæ essentialiter incompossibile cum peccato vel illud exercitium essentialiter supponat.

14 Et confirmatur, nam si gratia non supponens pro priori ad sui infusionem potentiam iam diterminatam ad non peccandum, sed indifferentem ad peccādum, vel non peccandum, non esset compossibilis cum peccato, ergo essentialiter postularet voluntatem non peccare, haberetque connexionem essentialem cum eo, quod voluntas liberè se determinaret ad actum bonum: hoc autem repugnat iuxta principia Societatis, nam illa gratia esset veluti prædeterminatio Thomistica, quæ iuxta suos AA. supponit essentialiter potētiam indifferentem ad vtrumque extremum, illamque determinat ad vnum præ alio.

15 Vrgebis adhuc, absurdum non est, nec contra Dei dominium, quod nequeat conferre gratiam vnionis homini potenti peccare, nisi ex suppositione quod se determinaverit pro priori ad non peccandum, ergo similiter absurdum non erit, quod nequeat infundere gratiam homini potenti peccare, nisi ex suppositione quod se determinaret ad non peccandum: nego consequentiam, quia sanctitas infinita Verbi communicata humanitati essentialiter incompossibilis debet esse cum omni peccato, idque postulat infinita eius excellentia, non foret autem essentialiter incompossibilis cum peccato, si posset infundi homini proximè potenti peccare, quin pro priori præsupponeretur homo iam determinatus ad non peccandum; at gratia cum sit finita, & limitata non petit hoc habere; adde vnionem hypostaticam esse essentialiter incompossibilem cum peccato, quia tollit potētiam peccandi pro reliquis instantibus; non est autem inconveniens quod forma suapte natura inexpellibilis per peccatum requirat ex parte subiecti, tanquam necessariam conditionem ad sui existentiam carentiam peccati, ergo inde non sequitur posse voluntatem creatam peccato suo cogere Deum, vt aliquid à se liberè productum destruat.

16 Deinde à priori respondeo tam sanctitatem increatam, quam gratiam habitualem exigere tanquam dispositionem ad vnionem sui cum subiecto potenti peccare, quod se determinet prius ad non peccandum; cæterum non posse etiam divinitus vniri sanctitatem increatam animæ non præcedente illa dispositione, posse vero gratiam, quia Deus potest contra huius, non contra illius exigentiā agere.

17 Confirmatur rursus nostra sententia, quod gratia habitualis nequeat habere essentialem oppositionem cum peccato actuali quo expellitur.

SECTIO SECVNDA.

Suadetur iterum Quod gratia habitualis nequeat habere essentialem oppositionem cum peccato actuali quo expellitur.

18 PROBAVIMVS nostram cōclusionem, quia alioquin destrueretur gratia sine positivo decreto Dei, amante eius destructionem, quod probavimus repugnare, nunc instauro iterum argumentum: si gratia destrueretur per decretum liberum Dei, hoc decretum, vel esset ipsummet decretum infundendi gratiam, vel decretum permittendi peccatum, at neutrum potest esse, ergo. Maior constat, siquidem in præsenti negotio nullum aliud intervenit: minor probatur in primis quoad primam partem, nam decretum infundēdi gratiā, habet pro obiecto gratiæ infusionem, nō gratiæ destructionem, deinde probatur quia si peccatum actuale essentialiter pugnat cum gratia, nequit dari decretum liberum amans destructionem gratiæ sub conditione quod peccatum existat; nam omne decretum liberum amans aliquod sub aliqua conditione, supponit posse existere conditionem, quin sequatur conditionatum. Deinde probatur minor quoad secundam partem: nam decretum permittens peccatum, si amat destructionē gratiæ, vel eam amat absolutè, vel conditionatè; non primum, quia decretum permittens peccatum de se coniungibile est cum peccato, & cum carentia peccati, ergo ex se non tendit absolutè ad destruendam gratiam: non secundum, quia si decretum permittens peccatum, ex conceptu suo amat destructionem gratiæ sub cōditione quod homo peccet, certè hoc ideo debet esse quia ex conceptu suo permittit peccatum essētialiter inferens destructionem gratiæ: nam si peccatum permissum non inferret essentialiter destructionem gratiæ, nec decretum permittens deberet ama-

amare cõditionatè eam destructionem: at hoc ipso quod peccatum essentialiter inferret destructionem gratiæ non posset decretum illud amare destructionem gratiæ sub cõditione quod homo peccet, vbi enim conditio essentialiter infert conditionatum, nequit Deus liberè amare cõditionatum sub illa conditione, nam hoc ipso, quod Deus liberè amet obiectum sub aliqua conditione potest liberè nolle obiectum sub ea conditione, quod repugnat, vbi conditio est essentialiter connexa cum cõditionato: repugnat enim vt Deus sic statuat nolo vt ponatur conditionatum esto ponatur conditio habens essentialiter connexionem cum ipsius positione. Explicatur: nequit Deus habere hoc decretum; volo vt ponatur terminus sub conditione quod ponatur actio, quia hoc ipso posset habere istud, *Nolo vt ponatur terminus licet ponatur actio*, quod tamen decretum chymæricum est vtpotè supponens actionẽ posse existere sine termino.

19 Dices esto repugnet Deum habere illud decretum conditionatum liberum seorsim a decreto permissive, tamen non repugnat quod decretum ipsum permissivum sit virtualiter, & æquivalenter decretum conditionatum destruendi gratiam sub conditione peccati, quod appositè explicatur hoc exemplo: nam esto in sententia constituente peccatum habituale per privationẽ gratiæ nequeat Deus seorsim à decreto infundendi gratiam habere hoc decretum conditionatum volo vt per infusionem gratiæ remittatur peccatum sub conditione quod peccatum existat in subiecto. At ipsum decretum infundendi gratiam est virtualiter decretum remittendi peccatum habituale sub conditione, quod existat in subiecto, si enim gratia ipsa ex se est remissio peccati sub conditione, quod peccatum præexistat, nihil mirum quod decretum infundendi gratiam sit decretum remittendi peccatum sub eadem conditione.

20 Respondeti potest primo, Deũ velle absolutè infundere gratiam homini præexistenti in peccato habituali esse decretum absolutum remittendi culpam illi homini, quia gratia volita ex se est remissio peccati præexistentis, vnde per hoc precisè, quod præsupponat peccatum est remissio absoluta peccati, illudque decretum dicitur à nobis interpretative conditionatum quamvis ex se nullo modo sit cõditionatũ, circa aliquod obiectum, quia nimirum consideramus in decreto conditiones obiecti ab ipso immediatè, & formaliter amati: at decretum permittendi peccatum, nec potest quatenus liberum esse formaliter conditionatum erga destructionem gratiæ propter rationem assignatam; nec potest à nobis dici interpretative tale: ad hoc enim erat necessarium, vt obiectum ab illo decreto directè & immediatè amatũ esset destructio gratiæ præexistẽtis, quod tamen constat esse falsum: nam obiectum immediate, & formaliter amatum à decreto permittente peccatum est auxilium indifferens, & ipsa recta hominis operatio, quę ex se nec sunt destructio gratiæ, nec ad illam tendunt; sed potius ad eius conservationem: implicat autem vt decretum amans præcisè obiectum, quod ex se nullo modo tendit ad destruendam, sed potius conservandam gratiam, sit decretum conditionatè tendens ad destructionem: quare solum valeret paritas casu, quo Deus efficaciter amaret existentiam peccati actualis, si nimirum peccatum actuale haberet ex essentia sua expellere gratiam à subiecto præexistentem, decretũ efficaciter amans existentiam peccati, amaret destructionem gratiæ quasi conditionate, nimirum sub conditione quod præexistat.

21 Hinc novam nostræ sententiæ cõfirmationem elicio: nequit gratia à Deo destrui producta, nisi vi decreti amantis eius destructionẽ, atsi necessario destrueretur peccante homine, non destrueretur vi decreti amantis eius destructionem, ergo &c. Maior videtur ex terminis cõspicua, quia gratia nequit destrui, quin Deus à quo solũ infieri, & conservari dependet effective, concursum conservativum suspendat, implicat autem quod Deus concursum conservativum suspendat, quin velit suspendere. Minor probatur quia si gratia necessario destruitur peccante homine, vtique destruitur vi decreti permittentis peccatum; at decretum permittẽs peccatum non amat destructionem gratiæ quia si amaret, amaret vtique absolutè, vel conditionatè, neutro autem modo amat, non absolutè, quia decretum illud ex se componi potest cum carentia peccati, nec conditionatè, quia nec potest decretum illud quatenus liberum amare propriè, & formaliter conditionatè destructionem gratiæ, sub conditione nimirum, quod homo peccet, nec interpretative, & æquivalenter, non primum, quia si peccatum actuale essentialiter infert carentiam gratiæ, implicat quod Deus habeat

habeat hoc decretum conditionatum liberum. Volo destruere gratiam sub conditione quod homo peccet, Deus enim libere volens aliquod obiectum sub aliqua conditione; hoc ipso potest habere decretum ex diametro oppositum, & contradictoriè illi decreto conditionato, nimirum istud. *Nolo destruere gratiam quâvis homo peccet*. Rursus decretum permissivum peccati, nequit esse interpretativè decretum, amans cõditionatè destructionem gratiæ: ad hoc enim erat necessariũ vt obiectum directè, & immediatè, ac formaliter amatum ab illo decreto ex se tenderet ad destruendam gratiam, vel esset destructio eius sub conditione: at non sic se res habet, nam obiectum formaliter amatum à decreto permittente peccatũ, est auxilium indifferens, & potentia proxima peccandi suapte natura ordinata ad conservationem gratiæ potius, quam ad eius destructionem.

22 Confirmatur: ideo decretum infundendi gratiam est æquivalenter, & interpretativè decretum conditionatum destruendi peccatum habituale, nimirum sub conditione quod illud præexistat in subiecto, quia obiectum illius decreti nẽpe gratia est remissio peccati sub conditione, quod peccatum præexistat, ergo vt decretum permittens peccatum esset interpretativè decretum destruendi gratiã conditionatum, opus esset, vt eius obiectum ab eo amatum immediatè, & formaliter esset destructio gratiæ sub conditione quod gratia præextitisset, at hoc nõ habet, ergo &c.

23 Obijcies ex nostra sententia sequi posse Deum esse Authorem peccati, quia poterit infundere gratiam, & supposita gratia, parare, homini concursum ad peccandum. Hoc autem est absurdũ, quia inde sequitur Deum esse Authorem peccati, ideo enim cõcurrens per modum causæ vniversalis non est causa peccati, cum tamen homo cooperans cum homine ad actum peccati sit causa illius, quia videlicet Deus concurrit ad exigentiam causæ secundæ, & quia ad id ex munere causæ primæ est obligatus; quæ ratio cessat in casu posito, nam tunc potius haberet obligationem non concurrendi, siquidem existeret gratia exigens ne concurreret: si ergo hoc non obstante Deus concurreret, esset Author peccati, & se haberet sicut homo cooperans cum homine ad peccatum.

24 Hac ratione vtitur Ripalda ad probandum gratiam non posse opponi ex natura rei cum peccato, quin opponatur essentialiter, inefficaciter tamen. Et in primis argumentum absolutè non probat peccatum actuale non posse componi cum gratia, nam potest homo peccare, & peccato suo mereri, vt Deus destruat gratiam, ipsumque privet gratia habituali: nam vt idem Ripalda probat disp. vltim. num. 204. peccatum solum demeritoriè expellit gratiam, demeritum autem vt tale non habet connexionem cum pœna, sicut nec meritum cum præmio; peccet ergo homo actualiter, & Deus dicat; *Quãvis homo meretur sua culpa, vt ipsũ privet gratia habituali, nolo tamẽ illum pro meritis suis punire*. Certè in hoc casu Deus non concurreret ad peccatũ modo illi peculiari, seu nõ concurreret, quando non debet.

Reijcitur ratio qua Ripalda probat non posse gratiã opponi ex natura rei cũ peccato quin opponatur essentialiter.

25 Secundò respondeo posse Deũ pro priori infundere gratiam, & nihil attendendo ad eius exigentiam, & nihilominus offerre concursum indifferentem voluntati eo fine, vt cum gratia habituali eliciat actum obseruationis præcepti, & nego inde sequi fore Authorem peccati, quia nimirum concurreret purè determinatus à causa secunda; & præcisè vt causa sine qua non existat actus peccaminosus, & nullo pacto vt causa cur existat; item concurreret ad exigentiam voluntatis habentis cognitionem indifferentem, & exigentis vt sibi offeratur concursus ad libere obseruandum præceptum, & merendum; & impotentis aliter elicere actũ illum meritorium: rursus concurreret eodem omnino concursu, quo concurreret casu quo non existeret gratia in subiecto. Nec inde inferas posse hominem cooperari alteri ad peccatum, quin peccet, primò quia hominem offerre suum concursum non est debitum illi titulo suæ exigẽtiæ: nec enim homo habens cognitionem indifferentem, & potentiam ex parte sua expeditam exigit, vt alius homo offerat sibi concursum, sicut exigit vt Deus offerat suum concursum: secundò quia concursus à Deo oblatus est necessarius vt existat actus meritorius obseruationis præcepti, ad quem natura ipsa habet ius: at concursus ab homine oblatus ad id necessarius non est, quam vis ergo Deus habeat titulum ad honestè offerendum concursũ, non tamen homo: Tertiò quia Deus potest offerre concursum ad actum malum per actum vnice amantem existentiam actus oppositi, homo autem nequit offerre concursum suum ad actum malum nisi per

si per actum amantem potius existentiam actus mali, quam oppositi? Denique quia homo potens facile, & sine incommodo suo impedire peccatum alterius, peccat, cum tamen Deus non peccet, quamvis non impediat peccata, quæ facile posset, adhuc non evertendo iura nostræ libertatis, non ergo bonum sit argumentum in præsenti materia ab homine ad Deum.

Obiectio contendens posse dari peccatū actuale habens essentialē oppositionem cum gratia.

26 Obijcies: potest dari peccatum actuale habens essentialem oppositionem cum gratia habituali, quam expellit, nulla ergo est ratio probativa nostræ conclusionis, quia in illo peccato instatur. Antecedens suadetur potest Deus Petro revelare se subtracturum gratiam omni homini elicienti peccatum, & Petrus supposita hac revelatione potest habere hunc actum. *Quamvis Deus mihi hoc revelaverit, nolo tamen id credere*: qui actus peccaminosus est, & habens infallibilem connexionem cum privatione gratiæ, siquidem supponit essentialiter revelationem Dei, ergo &c.

Dilluitur

27 Respondeo primò in hoc eventu Deum non necessitari ab homine peccante ad destruendam gratiam, sed à suo decreto libero, quo apud se statuit privare gratia hominem peccantem, & quamvis actus ille discredens revelationi, supponeret essentialiter revelationem, non tamen propterea sequitur, quatenus peccatum est inferre essentialiter privationē gratię: imo hoc ipso quod supponat illud decretum liberum, cui inititur revelatio, supponit gratiam non excludi à se necessario, quatenus peccatum est, sed excludi à se quatenus actus essentialiter supponēs decretum liberum spoliandi gratia omnem hominem peccantem, quod decretū habet essentialiter supponeret ex vi prædicati præscindentis à malitia, nam si illa nolitio fieret necessario, adhuc supponeret illam revelationem, & tamen non esset peccatum.

18 Respondeo secundò illam nolitionem peccaminosam non supponeret essentialiter revelationem Divinam, nam hoc ipso talis nolitio esset supernaturalis, quidquid enim nequit existere quin præsupponat aliquid supernaturale, hoc ipso supernaturale est implicat autem vt actus peccaminosus sit supernaturalis: ratio ergo cur illa nolitio nō supponat revelationem est quia vel homo habens illam revelationem, cognoscit evidenter illam esse revelationem Divinam, vel non; si primum homo ille non posset continere assensum, implicat enim vt quis cognoscens evidenter Deum sibi loqui, possit dissentiri Deo loquēti, qui enim evidenter cognoscit hic, & nunc Deum sibi aliquid revelare, hoc ipso evidenter cognoscit objectum revelatum esse verum, vnde non potest voluntas tunc imperare nolitionē assensus, si ergo illam nolitionem habet signum est eum non cognoscere evidenter & quidditative an illa revelatio sit Divina, & supernaturalis, solum ergo id cognoscit probabiliter, ergo nolitio illa per se solum supponit cognitionem probabilem de existentia revelationis, actus autē voluntatis per se solum supponens cognitionem probabilem de existentia revelationis, non supponit essentialiter revelationem, nec cum eius existentia essentialiter connectitur, illa ergo nolitio peccaminosa non inferret essentialiter privationem gratiæ.

19 Dices hominem illum posse cognoscere existentiam revelationis per cognitionem supernaturalem obscuram: sed contra quia licet hoc sit verum, vnde nequit deduci nolitionem illam peccaminosam essentialiter supponere revelationem, quia non supponeret cognitionem illam obscuram, quæ supernaturalis est, & connexa essentialiter cum existentia revelationis, sed prout præscindit à supernaturalitate, & secundum quod convenit cum cognitione naturali obscura versanti circa idem obiectum.

20 Respondeo tertio: licet admittatur aliquis actus peccaminosus inferens essentialiter carentiam gratiæ, non quatenus est peccatum mortale, & constituit hominem dignum pœna æterna, sed ex alio prædicato speciali, quatenus nimirū supponit revelationem Divinam secundū quod prædicatum omnino præscindit à malitia, & in eo convenit cum actu bono essentialiter supponente eandem revelationem, licet inquam hoc admittatur nostram sententiam non labefactat.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur aliæ obiectiones contra nostram sententiam.

21 OBIICIES ergo ideo gratia habet essentialem oppositionem cum peccato habituali, quia per sui præcisè infusionem communicat aliquem effectum formalem animæ essentialiter incompossibilem cū pec-

cato habituali: hic autem effectus non est alius, quam effectus iusti, & sancti simpliciter, ergo gratia per sui præcisè infusionem communicat animæ effectum formalem iustæ, & sanctę simpliciter: tū sic: at hic effectus essentialiter incompossibilis est cum peccato actuali, ergo per sui præcisè infusionem communicat animę effectum essentialiter incompossibilem cum peccato, & consequenter est essentialiter incompossibilis cū peccato.

22 Respondeo negando minorem. Quod si interroges quinam ergo sit effectus formalis essentialiter incompossibilis cum peccato, vi cuius gratia excludit peccatum habituale. Respondeo esse hūc, constituere nempe animam dignam amore amicabili Dei, per hoc præcisè quod careat peccato actuali in eo instanti in quo habet ipsam. Hic nanque effectus formalis, licet sit compossibilis cum peccato actuali, non tamen cum peccato habituali, anima enim quæ nullo alio indiget, vt terminet amorem amicabilem Dei nisi carentia peccati actualis hoc ipso habet formam essentialiter incompossibilem cum peccato habituali: nam si illa forma esset incompossibilis cum peccato habituali, sane vt redderetur anima vi illius digna amore amicabili Dei, non solum indigeret carentia peccati actualis libera ipsi animæ, sed carentia peccati habitualis libera Deo, qui solus potest maculam relictam à peccato præterito tollere.

Quisnā sit effectus formalis primarius gratiæ habitualis.

23 Explico hunc effectum formalem primarium, & essentialem gratiæ, quem necessario præbet animæ per hoc præcisè quod illi vniatur, exemplo isto: sicut natura rationalis fundat ius ad beatitudinem naturalem, ita gratia, quæ est natura in ordine supernaturali, fundat ius in ordine ad beatitudinem supernaturalem: ius autem quod fundat natura rationalis in ordine ad beatitudinem naturalem est ius admittens exceptionem aliquam, nec enim vi illius iuris præcisè constituitur anima digna beatitudine naturali absolute, & simpliciter, nisi adiungatur carentia peccati: nam si natura illa peccet non erit absolute digna beatitudine naturali, ergo in ratione absolute dignæ involvit aliquod aliud præter suam entitatem, nempe carentiam peccati; sic ergo in nostro casu ius quod fundat gratia habitualis in ordine ad beatitudinem supernaturalem non est omnino absolutum, sed patitur aliquam exceptionem; si enim homo peccet actualiter non erit absolute dignus vi qualitatis gratiæ: vnde homo in ratione digni beatitudinis supernaturalis duo importat, nempe entitatem gratiæ habitualis sibi inhærentem, & carentiam peccati actualis.

24 Dices hoc exemplum esse abs re, quia ex illo probaretur gratiam habitualem non tribuere ius ad beatitudinem supernaturalem, nisi sub conditione quod homo aliunde careat peccato tam habituali, quam actuali: natura enim rationalis non est digna beatitudine naturali, nisi ex suppositione quod careat, tum peccato actuali, tum habituali. Respondeo exemplum adduci ad hoc, quod sicut natura rationalis vt vi suæ dignitatis constituatur simpliciter, & absolute digna beatitudine naturali expectat carentiam peccati, tam actualis, quam habitualis, ita gratia habitualis vt reddat hominem simpliciter, & absolute dignum beatitudine supernaturali expectat carentiam peccati actualis, non parificatur quoad expectandam carentiam peccati habitualis, & ratio discriminis est manifesta, quia natura rationalis non est forma suapte natura ordinata ad auferendam maculam habitualem, sicut gratia, vnde quamvis natura rationalis debeat expectare carentiam peccati habitualis, quia illam non inducit, gratia tamen non debet expectare illam carentiam: quia illam inducit, imo ipsa est formalis remissio illius maculæ.

25 Objicies secundò, ideo gratia est essentialiter incompossibilis cum peccato habituali, quia iuxta Tridentinum est vnica causa formalis nostræ iustificationis: non foret autem vnica causa formalis si nō afferret secum essentialiter carentiā peccati habitualis; siquidē nostra iustificatio involvit carentiam peccati habitualis; vnde si hæc carentia esset superaddita ad gratiā, & ab illa seperabilis; duplex esset causa formalis nostræ iustificationis, altera consistens in graria habituali, & altera consistens in cōdonatione extrinseca Dei, per quam formaliter deletur peccatum. At hæc ratio probat gratiam esse etiam essentialiter incompossibilem cum peccato actuali, nam si non sit essentialiter incompossibilis cum illo, duplex erit causa formalis nostrę iustificationis; nempe ipsa gratia, & carentia peccati actualis quæ per nos potest non dari quando datur gratia, quod est contra Concilium.

26 Respondeo in sensu Concilij gratiam esse vnicam causam nostræ iustificationis; etiam si effectus formalis iusti, & sancti simpliciter involvat præter gratiam aliquid aliud separabile ab illa, nempe carentiam peccati actualis. Nam Cõcilium liquitur supposita carentia peccati actualis; & hac supposita gratia est vnica causa formalis nostræ iustificationis; siquidem supposito quod homo careat peccato actuali, impossibile est quod habeat qualitatem gratiæ, quin sit iustus. Quod autem ita loquatur, patet, quia loquitur de iustificatione, & de gratia prout de facto infunditur homini peccatori: nunquam autem Deus infundit gratiam peccatori, si simul cum peccato habituali habeat actuale. Vnde nunquam Deus infundit peccatori gratiam nisi pro priori ad infusionem supponatur carentia peccati actualis. Quod vel inde patet, quia nunquam Deus infundit homini peccatori de facto gratiam, nisi pro priori præcederet dispositio contritionis, vel attritionis, illa autem dispositio est carentia peccati actualis pro illo instanti. Alia est ratio de peccato habituali, nam cum gratia infundatur homini ad remissionem peccati habitualis, infusio gratiæ non supponit carentiam peccati habitualis: ergo est vnica causa formalis nostræ iustificationis, quin supponatur carentia peccati habitualis. At hoc ipso debet ipsa per sui infusionem delere peccatum habituale, quia forma non supponens deletum peccatum habituale nequit esse vnica causa formalis nostræ iustificationis, quin ipsum deleat, nam si non delet, sed indiget nova forma ipsum delente, ergo iam duplex erit causa formalis nostræ iustificationis.

Ex eo quod gratia sit vnica causa formalis nostræ iustificationis, non probatur essentialiter pugnare cum peccato mortali actuali.

Sed solũ probatur delere per se ipsam peccatũ habituale.

27 Secundò respondere possumus; cum nos in præsenti non asseramus positive, gratiam habere essentialem oppositionem cum peccato habituali, sed solum positive asseramus non habere oppositionem essentialem cum peccato actuali; & tantum disputandi gratia admittamus habere hanc oppositionem cum peccato habituali: non cogimur ad assignandam rationem positivam, cur gratia essentialiter sit incompossibilis cum peccato habituali: sed solum cogimur ad dandam rationem, quæ probet positive gratiam posse componi cum peccato actuali, quæ non militet respectu peccati habitualis. Et sanè nostra ratio probat metaphysice repugnare gratiam habitualem essentialiter incompossibilem cum peccato actuali, si sit compossibilis cum proxima potentia peccandi; & tamen repugnare non potest gratia habitualis essentialiter incompossibilis cum peccato habituali. Si forsam adversarij contenderint illam rationem desumptam ex authoritate Concilij, definientis gratiam esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis non evincere oppositionem essentialem gratiæ cum peccato habituali; nihil ad nos, nam dum disputandi gratia admittimus gratiam habitualem habere essentialem oppositionem cum peccato habituali, supponimus disputandi gratia dari efficacem rationem, quæ persuadeat illam oppositionem: sive illa ratio desumatur ex authoritate Concilij, sive ex eo quod repugnet extrinseca condonatio. Solum ergo asserimus nullam adduci posse rationem quæ probet gratiam, non minus opponi essentialiter cum peccato habituali, quam cum actuali: absolute vero censemus illam rationem desumptam ab authoritate Concilij optimam esse ad suadendum gratiam habere essentialem oppositionem cum peccato habituali, nihil autem concludere de peccato actuali.

28 Obijcies tertiò: ideo gratia habitualis est essentialiter incompossibilis cum peccato habituali, quia alioqui non esset perfecta sanctitas; sed similiter non esset perfecta sanctitas, si non esset essentialiter incompossibilis cum peccato actuali, nam peccatum actuale non minus pugnat cum effectu formali iusti & sancti, quam peccatum habituale. Respondeo gratiam non fore perfectam sanctitatem, si non sit essentialiter incompossibilis cum peccato habituali, quia perfectior est sanctitas, quæ essentialiter sit incompossibilis cum peccato habituali, & talis sanctitas est possibilis. At gratia habitualis, & sanctitas creata purè physica compossibilis cum proxima potentia peccandi; & essentialiter incompossibilis cum peccato actuali est chymera; vnde ex eo quod gratia habitualis de facto existens non sit essentialiter incompossibilis cum peccato actuali, non sequitur quod non sit perfecta sanctitas intra genus sanctitatis cõpossibilis cum potentia proxima peccandi, seu non reddentis sub-

Quomõdo gratia sit perfecta sanctitas licet non opponatur essentialiter cum peccato actuali.

subiectum impeccabile. Ratio à priori, quia sanctitas compossibilis cum proxima potentia peccandi non ordinatur ad tollendum peccatum actuale, ordinatur autem ad tollendum peccatum habituale, non est autem perfecta sanctitas illa quæ non tollit id, ad quod tollendum ordinatur.

28 Obijcies quartò implicat Deū remittere homini omnia mortalia commissa antea, per infusionem gratiæ, & simul illum odio habere odio inimicitiæ; at hoc contingeret si gratia esset incompossibilis cum peccato actuali, ergo &c. Minor est perspicua: nam per nos cum Deus infundit homini gratiam habitualem, illi remittit omnia mortalia antea commissa, si ergo simul cum gratia potest admittere peccatum mortale, potest contingere ille eventus, nam Deus odio inimicitiæ aversatur peccatorem, vel saltem potest. Probatur autem minor, in qua est difficultas, nam dum Deus remittit homini omnia mortalia commissa, illum diligit amicabiliter, nam ipsa voluntas illi infundendi gratiam remissivam mortalium omnium, quæ antea commisit, est amor amicitiæ, implicat autem vt simul amet amore amicabili, & odio inimicitiæ prosequatur.

29 Respondeo voluntatem infundendi gratiam præcisè sumptam non esse amorem perfectè amicabilem, sed tantum in choactive, quemadmodum, si per condonationem extrinsecam Deus remitteret homini omnia mortalia; non propterea illum diligeret amicabiliter. amor ergo amicabilis perfectus, qui pugnat cum odio inimicitiæ, est ille, quo Deus ex complacentia in subiecto ordinat illud ad æternam beatitudinem: in hoc autem eventu non ita se haberet Deus, quia illud subiectum pecans simpliciter, illi displiceret, esseteque dignum odio inimicitiæ, strictè talis, quo nimirum Deus vellet efficaciter illi penam æternam propter culpam. Vnde tunc non esset dignum amore amicabili strictè tali, nimirum voluntate efficaci conferendi illi gloriam, vel absolute, vel sub conditione, quod retineat statum, in quo de præsenti est, quia stante peccato in homine, neutram ex his volitionibus potest Deus habere: non ergo tunc amaret Deus hominem amore amicabili strictè tali, sed solum amore quodam in choactive amicabili; nam vi illius qualitatis, quam Deus tunc infunderet, esset homo dignus amore amicabili sub conditione, quod careat peccato actuali; vnde superveniente carentia peccati, esset simpliciter, & absolute dignus.

30 Itaque amor amicabilis Dei erga hominem oppositus cum odio inimicabili non est voluntas infundendi qualitatem gratiæ; sed voluntas qua homini iusto, quia iustus est, decernit dare gloriam: odium autem inimicabile est voluntas, qua vult privare hominem propter peccatum æterna beatitudine. Et sane cum odium inimicitiæ, & amor amicitiæ opponantur, debent amare obiecta opposita, odium enim inimicitiæ etiam si sit odium circa personā est amor circa malum, quod Deus illi vult, amat ergo odium inimicitiæ privationem beatitudinis, & respicit peccatum vt motivum: vult enim infligere homini malum pœnæ propter malum culpæ: ergo amor amicitiæ vult conferre beatitudinem, quæ est communicatio amicabilis, & socialis Dei cum homine.

Vel dici potest voluntatem infundēdi gratiam homini carenti peccato actuali esse amorem amicabilem Dei erga hominem; quia voluntas infundendi gratiam in circunstantijs, in quibus caret homo peccato actuali est voluntas constituendi hominem amicum Dei, & dignum simpliciter vita æternæ. Eandem autem voluntatem infundendi gratiam in alijs circunstantijs, in quibus homo existit in peccato actuali non esse simpliciter amorem amicabilem; quia tunc non vult absolute constituere hominem dignum vita æterna. Admodum quo voluntas infundendi auxilium in circunstantijs, in quibus Deus prævidet hominem medio illo re ipsa obtenturum salutem, est prædestinatio illius hominis. Eadem autem voluntas in circunstantijs, in quibus Deus prævideret auxilium illud fore inefficax, non esset prædestinatio: quare voluntatem aliquam Divinam esse simpliciter amicabilem potest pendere ab aliqua circunstantia accidentali illi voluntati.

31 Obijcies quintò gratia habet essentialem oppositionem cum peccato habituali propter eius malitiam, sed eadem est malitia peccati actualis, ergo habet eandem oppositionem cum peccato actuali Distinguo maiorē: propter eius malitiā specificative sumptam, nego maiorem, propter eius malitiam vt habitualē

dumtaxat, seu vt non existentem physice, sed tantum moraliter, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Itaque propterea gratia opponitur cum peccato habituali, quia pugnat cum ipsius habitualitate, & perseverantia moralis nam peccatum præteritum eatenus perseverat moraliter quatenus manet in aliquo sui effectu; hic autem effectus est ipsa privatio gratiæ, quæ tollitur per gratiæ infusionem: quare mirum non est, quod Deus infundendo gratiam tollat peccatum; siquidem perseverantia moralis, seu habitualitas peccati vnice dependet à Deo vt determinate ad illam, nam supposito peccato actuali solus Deus efficit vt illud transeat ad rationem peccati habitualis, vel non trãseat, & in hoc sensu nullum est absurdum; quia tota malitia peccati habitualis est ipsissima malitia peccati actualis, solum enim differt ab actuali, quia hoc dicit malitiam illam vt existentem physice; habituale vero dicit malitiam vt physice transactam, & moraliter tantum perseverantem, vnde ille solus potest tollere peccatum habituale, qui potest auferre illius perseverantiam moralem; & hoc spectat ad solum Deum, voluntas vero creata potest tollere peccatum actuale vt actuale, quia eius existentia pendet vnice ab illa vt causa eligente, & determinante.

Pro maiori intelligentia nota, peccatum habituale, vel consistere in recto in privatione gratiæ, quatenus inducta per peccatum habituale præteritum, vt volunt Thomistæ, vel consistere in ipso peccato actuali præterito, quatenus per privationẽ gratiæ constituitur in ratione moraliter perseverantis: ita vt peccatum habituale importet in recto peccatũ actuale præteritum, & de obliquo privationem gratiæ, & in vtraque sententia tollitur formaliter per infusionem gratiæ. In sententia Thomistarum dicendum est ipsam privationem gratiæ constitui in ratione maculæ moralis inficientis, & deturpantis animam per ipsam malitiam peccati actualis. Itaque in illorum sententia, Deus amat maculam peccati habitualis secundum quod importat de materiali, & per modum subtracti, nempe carentiam gratiæ, non autem secundum quod importat de formali, seu per modum formæ. At in sententia opposita macula ipsa habitualis in recto sumpta est ipsa malitia actualis, & eius habitualitas consistit in privatione gratiæ: vnde iuxta hanc sententiam licet Deus amet habitualitatem, seu perseverantiam moralem illius maculæ, non tamen ipsam maculam. In sententia Thomistarum macula habitualis est carentia gratiæ, quatenus causata per malitiam peccati actualis, vnde illa macula non est malitia, licet in ratione maculæ moralis constituatur per malitiam; sicut subiectum album non est albedo, licet in ratione albi constituatur per albedinem. At in opposita sententia macula habitualis est ipsa malitia peccati actualis, quatenus perseverat moraliter, in ratione perseverantis moraliter constituitur per carentiam gratiæ.

SECTIO QVARTA.

An necesse sit eodem modo philosophari de peccato actuali, & habituali quoad oppositionem gratiæ cum peccato. Vbi pars negativa defenditur.

32 EODEM modo de vtroque philosophandũ docent AA. communiter; arbitror tamẽ diversam longe esse vtriusque rationem, ac proinde non esse necessario eodem modo de vtroque discurrendum, quod hac ratione mihi persuadeo: impossibilis est gratia habitualis, quæ coniungi possit cũ potentia proxima ad peccandum, & tamen coniungi non valeat cum peccato actuali: at non est impossibilis gratia habitualis, quę coniungi possit cum proxima potentia peccandi, & tamen componi nequeat cum peccato habituali, ergo non est necesse eodem modo philosophari de peccato actuali, ac habituali quoad oppositionem cum gratia habituali: consequentia est ligitima: præmissæ seorsim nobis probandę sunt.

33 Et imprimis probo maiorem, nam gratia habitualis, quæ compossibilis est cum potentia proxima peccandi, qualis est gratia habitualis de facto existens, & forsam omnis alia possibilis (nã opponi essentialiter cum proxima potentia peccandi videtur superare cõditionẽ gratiæ purè creatæ, quæ actus vitalis non sit, de quo tamen modo non disputo) illa inquam gratia hoc ipso per peccatũ actuale potest à subiecto expelli, vt appareat conspicuũ, at repugnat gratia habitualis, quę per peccatũ actuale possit expelli,

&

& tamen coniungi cum illo non valeat vt sequenti discursu constabit : ea quæ in sui existentia à solius Dei voluntate dependent, & ipso determinante producuntur, nequeunt destrui, nisi Deo determinante, & liberè decernente eorum destructionem, seu liberè suspendente concursũ illorum conservativum : ex terminis ipsis apparet absurdum Deũ ab extrinseco cogi, vt effectum destruat, quem libere produxit, haud aliter ac absurdum est ipsum ab extrinseco cogi, vt illum effectum primò produceret : at qui gratia habitualis in sui existentia à solius Dei voluntate dependet, ipsoque determinante producitur ergo nulla gratia habitualis potest destrui, nisi Deo liberè decernente ipsius destructionem ; sed si aliqua gratia habitualis foret essentialiter incomposibilis cum peccato actuali, per quod expellitur, illa destrueretur, minimè Deo decernente ipsius destructionem, ergo repugnat gratia habitualis, quæ sit essentialiter incomposibilis cum peccato actuali, per quod expellitur, & consequenter quæ per peccatum actuale posit expelli, & tamen cum illo coniungi non valeat quæ erat propositio, quam probandam assumpsi : reliqua constant minor sub sumpta suadetur, nam si aliqua esset essentialiter incomposibilis cum peccato actuali, per quod expellitur, peccante homine necessario ipsa destrueretur, at homo peccat quin Deus decernat vllo modo illius peccatum, ergo destrueretur, Deo minime decernente illius destructionem: quod confirmatur hominem peccare contingit sine libera aliqua Dei voluntate determinante ad existentiam peccati ; sed iuxta adversarios hominem peccare est gratiam destrui, vel saltem cum gratiæ destructione necessario cõnectitur, ergo iuxta adversarios gratiam destrui contingeret sine aliqua libera Dei voluntate, determinante ad eius destructionem ; at implicat, vt quod ponitur, Deo liberè determinante, ipsius existentiam, destruatur Deo non determinante liberè eius destructionem, ergo, &c.

34 Ex his satis probata manet prima nostri antecedentis pars, nempe impossibilem esse gratiam habitualem, quę coniungi possit cum proxima potentia peccandi, & tamen coniungi non valeat cum peccato actuali : nunc breviter probanda est secunda videlicet possibilem esse gratiam habitualem, quę coniungi possit cum proxima potentia peccandi, & tamen componi nequeat cum peccato habituali : hæc autem suadetur primo : quia ratio quam confeci ad probandam gratiam habitualem posse componi cum peccato actuali, per quod expellitur non probat ipsam posse componi cum peccato habituali, quod expellit (tam enim est proprium gratiæ posse peccatum habituale expellere, quã posse à peccato actuali expelli) ex eo enim quod sit essentialiter incõpossibilis cum peccato habituali, quod expellit, non vero cum actuali per quod expellitur, solum sequitur gratiam fortiorẽ esse ad expellendum peccatum, quam peccatum ad expellendam gratiam, non autem sequitur Deum cogi ab aliquo extrinseco ad remittendum peccatum habituale, illudque destruendum, sicut cogeretur ab aliquo extrinseco ad destruendam gratiam si hæc esset essentialiter incompossibilis cum peccato actuali, per quod expellitur.

35 Secundò suadetur ex discrimine, quod versatur inter peccatum habituale, & actuale ; nam actuale, vt tale minime est liberum Deo, nec existit ex determinatione divinæ voluntatis, sed ex determinatione solius voluntatis creatæ. At peccatum habituale, vt habituale, seu in esse habitualis à solius Dei voluntate dependet, non autem à voluntate peccatoris. Quod enim peccatum actuale transeat in habituale ; & moraliter perseveret, pendet vnice à voluntate Dei nolentis remittere homini suam culpam in illo instanti, in quo ab illa cessat. Nam si remmitteret pro tunc peccatum actuale non transiret in habituale, & si enim solus peccator author sit peccati habitualis specificative sumpti, seu actus peccaminosi, qui moraliter perseverat non tamen ipsi author est illius vt habitualis, seu vt moraliter perseverantis, post quam physice desijt ; sed hoc ad Deum spectat, quia actum moraliter perseverare postquam physice præterijt, non est malum culpæ, sed malum pœnæ ; quod Deus iustissime infligit propter peccatum actuale. Ex hoc discrimine constat nihil absurdi continere, quod per infusionem gratiæ necessario destruatur peccatum habituale, hoc enim nihil aliud est, quam infusionem gratiæ à solius Dei voluntate dependentem habere essentialem incompossibilitatẽ cũ morali perseverãtia.

Discrimen inter peccatum actuale, & habituale, quod illud quatenus tale est liberum Deo, secus illud.

peccati actualis præteriti, quod similiter à solius Dei nutu dependet. In quo nihil absurdi reperitur, non enim Deus ab alio quam à sua voluntate necessitatur ad destruendum peccatum habituale. At cum peccatum actuale à solius peccatoris voluntate causetur, certè si illo existente necessario destruenda esset gratia, cogeretur Deus ab aliena voluntate ad destruendum effectum, quem ipse solus pro libito produxit, quod est cõtra dominium Dei; ergo certum est non esse necessariũ philosophari eodem modo de oppositione peccati actualis, & habitualis cum gratia habituali.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur alia obiectiones contra nostram sententiam.

46 SED vrgebis, potest forma à solo Deo producta exigere essentialiter vt dispositionem necessariam ad sui existentiam aliquem actum liberum nostræ voluntatis, poterit ergo gratia essentialiter postulare ad existendum in voluntate potente peccare determinationem liberam ipsius volontatis ad non peccandum, at hoc ipso necessario destrueretur peccante homine, ergo. Patet reliqua probatur antecedens, nam revelatio supernaturalis, & Diuina est forma à Deo producta in nobis, vt à causa particulari, & determinante, illa autem revelatio potest supponere essentialiter consensum liberum nostræ voluntatis, quia potest Deus mihi revelare me non consensisse tentationi, qua ad peccandum pulsatus sum.

37 Respondeo negando antecedens, ad eius probationem respondeo revelationẽ non præsupponere actum liberũ vt dispositionem necessariam ex parte subiecti, sed vt verificativũ obtivũ. Quod patet, nã si mihi Deus revelet Petrũ non peccavisse dici nequit carẽtiã peccati esse dispositionẽ necessariam ex parte subiecti: tũ quia dispositio necessaria ex parte subiecti debet existere in eodẽ subiecto, in quo recipitur forma, tũ quia debet existere in eodem instanti in quo forma recipitur, illa autem carentia peccati, nec existit in eodem subiecto in quo revelatio, nec in eodem instanti. Quare revelatio illa non postulat actum liberam vt dispositionem, sed vt verificativũ. Ex eo autem quod revelatio postulare possit carentiam liberam peccati vt verificativum non licet inferre gratiã habitualem posse essentialiter postulare eandem vt dispositionem necessariam ex parte subiecti, alioqui sicut revelatio mihi facta postulare potest carentiã peccati in cura, vel Papa, ita, & gratia mihi infusa.

38 Asserimus ergo: quoties forma à solo Deo producitur in subiecto: posse produci sine dispositione aliqua naturaliter requisita ad eius productionẽ, quia Deꝰ potest supplere in genere causæ efficientis omnẽ cõcursũ quẽ præstãt dispositiones in formã eductam de potentia subiecti. Nec assignabilis erit aliqua forma physica extra casũ quæstionis nostræ, quæ ita ad sui productionem requirat dispositiones inhærẽtes subiecto vt nequeat Deꝰ sine illis dispositionibus eam formã producere, & subiecto vnire. Et ratio est quia formam educi de potentia subiecti, eique vniri non est formam vniri dispositionibus, & de earum potentia educi. Quod in nostro casu magis evincitur, nam gratia potest à Deo infundi animæ nõ habenti aliquem actũ liberum, v.g. homine dormiente: ergo vt educatur de potentia animæ non desiderat per modum dispositionis se tenentis ex parte subiecti actum liberum oppositum peccato.

39 Dices gratiam essentialiter postulare vt dispositionem requisitam essentialiter ad sui introductionem, & existentiam in anima, carentiam peccati sive liberam, consistentem vè in actu libero opposito actui peccaminoso, sive necessariã consistentem in defectu potestatis proximæ ad peccandum, & non peccandum, qualis defectus contigit in somnijs; sed contra primò, quia anima rationalis secũdum se præcisè est subiectum proximè capax recipiendi gratiã, quia potest Deus infundere gratiam animæ, quin pro priori ad hoc decretum statuerit aliquit aliud circa animam cur enim nequeat Deus post decretum creandi animam, & supposita eius existentia, statim ordine signorũ creare gratiam in anima, seu ex eius potentia obedientiali eam educere? Ergo anima in ratione proximè capacis recipiendi gratiã non cõstituitur per carentiã peccati. Contra secundò quia ſtãte cognitione indifferenti in anima, & reliquis requisitis intrinsecis ad liberè operandũ, potest anima nõ esse proximè expedita ad libere operandũ nimirum si Deus neget concursum indifferentem. Implicat autem vt in hoc casu sit proximè expedita ad recipiẽdam gratiam, & quod non sit expedita

etiam

etiam in casu; quo Deus stantibus ijsdem principijs intrinsecis offerret concursum indifferentem. Implicat enim vt subiectū eodē modo se habens intrinsece in duob⁹ casib⁹, in vno sit dispositum ex se ad recipiendā formam, & nō in alio: nam subiectū esse dispositū ex se ad recipiendā formam aliquid intrinsecum importat, ergo etiam pro casu, in quo non supponitur in anima defectus proximæ potestatis adpeccandū intelligeretur proxima capacitas recipiendi gratiā pro priori ad omne exercitium liberū, ergo proxima capacitas recipiendi gratiā non constituitur in anima per carentiam peccati, sive liberam, sive necessariam.

40 Hinc elicio novam rationem probandi nostrā conclusionem anima rationalis per sui præcisè entitatē, est subiectum proximè capax recipiendi à Deo qualitatē gratiæ habitualis, sicut lignum per sui præcisè entitatē est subiectum proximè capax recipiendi colorē, & paries recipiēdi albedinē, nec enim vt De⁹ infundat gratiā animæ necessè habet aliquid pro priori decernere circa animam, ergo qualitas gratię non est essentialiter incōpossibilis cū peccato actuali. Probo consequentiā, namq. infusa gratia potest De⁹ præparare animæ concursū indifferentē ad peccandū, eiq; tribuere cognitionē indifferentē cū cæteris requisitis ad peccandū, quo posito evidens erit animā posse in sensu cōposito gratiæ peccare, quia sicut potest cōiungere illā proximam indifferentiā cum peccato, ita potest coniungere cū peccato omnia, quæ committantur illā proximā indifferentiā. Quod autē supposita gratia possit De⁹ præparare homini concursū ad peccandū probatur, quia nihil datur essentialiter incōpossibile cum voluntate præparātē illū concursum. Dices ipsā voluntatē infundendi gratiā esse voluntatē negandi concursū ad peccandum pro illo instanti. Sed contra quia defacto coniungitur voluntas infundendi gratiā cū proxima potentia peccandi, vt patet in homine conservante gratiā, quā peccando potuit amittere in eo enim instanti in quo libere se determinat ad nō peccandū habet gratiā, & in eodem instanti habet potentiam proximam peccandi, ergo infusio gratiæ ex se non habet impedire potentiam proximam peccandi.

41 Dices hoc argumentum multum probare, quia oltēdit gratiam nec ex natura rei opponi cum peccato actuali, siquidem potest infundi animæ pro priori ad omnem aliam dispositionem, vt sic autem infusa nequit excludere ex natura rei potentiam proximam peccandi, si autem potentiam non excludit, nec ex natura rei potest excludere peccatum, quod potest connaturaliter cōiungi cum sua potentia proxima, & cum omnibus quæ intelligūtur pro signo indifferētiæ proximæ. Respondeti potest primo absurdum non esse quod gratia, nec ex natura rei opponatur cum peccato actuali, quia nec ad illud impediendum, nec ad illud expellendum ordinatur, sed solum ad expellendum habituale, vnde cum isto solo debet habere oppositionem; defacto tamen nunquā coiungitur cum peccato actuali, quia Deus de lege ordinaria non infundit gratiam homini potenti peccare, nisi ex suppositione, quod prævideat omissionem liberam peccati. Respondeti potest secundo gratiam ipsam postulare vt ex suppositione ipsius non præparetur homini concursus ad peccandum.

23 Objicies rursus. Quamvis voluntas nostra nequeat necessitare Deum ad producendam revelationem de aliquo exercitio suæ libertatis, potest tamen necessitare Deum ad non producendam illā revelationem, ergo licet peccator mediāte peccato nequeat necessitare Deum ad producendum de novo aliquam entitatem, necessitare potest eundem ad destruendam aliquam entitatem, non ergo rectè arguimus, quod Deus nequeat à suppositione à se non amata necessitari ad aliquod destruendum ex eo, quod ab illa suppositione nequeat necessitari ad aliquod producendum. Respondeo negando consequentiam, ratio disparitas, nam voluntas nostra necessitare Deum ad aliquid non producendum non est nisi volūtatem nostram necessitare Deum ad cognoscendum per scientiam visionis exercitium liberum ipsius: dum enim peccat infert necessitatem Deo cognoscendi peccatum eius, quia cum Deus ob suam infinitā incognoscendo perfectionē ex se necessitatus sit ad cognoscēdum omne cognoscibile, quicunque ponit aliquod cognoscibile, necessitat Deum ad scientiā visionis de ipso. Vbi autē in Deo existit scientia visionis de actu libero nostrę voluntatis, ipse est necessitatus ad non producendam revelationem affirmantem illum actum non existere; at vero voluntatem nostram necessitare Deum ad destruendā gratiam non est præcisè necessitare Deū ad cognoscendū aliquid nempe existentiā

peccati: nam gratia nõ destruitur per hoc præcisè quod existat in Deo scientia visionis repræsentans existentiam peccati, sed, & voluntatem nostram necessitare Deum ad habendum positivum actum voluntatis, terminatum ad destructionem gratiæ, quod est absurdum: nam implicat Deum aliunde, quam à suo beneplacito necessitari ad aliquem affectum liberum, quo aliquid ad extra ponat vel tollat.

43 Confirmo, quamvis iuxta AA. nostrę Societatis ponentes in Deo præfinitiones efficaces nostrorum actuum liberorum, possit voluntas nostra impedire præfinitionẽ, nimirum inducendo scientiam mediam de inefficacia auxilij reddentem impossibilem præfinitionem operis per illud auxilium, non tamen potest positive inducere in Deum præfinitionẽ, qua videlicet esto sit perfectio Divini intellectus ab extrinseco necessitiri ad aliquid cognoscendum; foret tamen maxima Divinæ voluntatis imperfectio ab extrinseco necessitari ad aliquid amandum; pariter ergo in nostro casu.

44 Sed insurges iterum, homo peccans necessitat Deum ad ipsum odio inimicitiæ prosequendum, non ergo est absurdum quod homo mediantè peccato necessitet Deum ad habendum aliquem affectum voluntatis, ergo poterit necessitare Deum ad habendum affectum destructivum gratiæ. Quod autem Deus necessario prosequatur odio inimicitiæ peccatorem, probatur, nam prosequitur necessario iustum amore amicitię, ergo prosequitur necessario peccantem odio inimicitiæ, nec enim est Deus magis necessitatus ad amandum obiectum amabile, quam ad odio habendum obiectum odibile.

Homo per peccatum non necessitat Deum vt ipsum odio habeat odio inimicitiæ.

45 Respondeo negando maiorem, nam Deum odio habere hominem peccantem est Deum velle homini peccandi malum aliquod, Deus autem nõ cogitur ab homine peccante ad volendum ipsi aliquod malum, quia Deus non potest velle ipsi homini malum culpę; ad volendum autem illi malum pœnæ nequit aliunde, quam à suo beneplacito necessitari. Dispar est autem ratio de homine iusto, quem Deus necessario amat, hoc ipso, quod illi gratiam infundat, amor autem benevolentiæ, qui est per modum desiderij, necessitat Deum ad gaudendum de bono illo, qui enim efficaciter amat existentiam alicuius boni, sibi necessitatem imponit gaudendi de existentia eius; vnusquisque enim necessitatus est ad gaudendum de adimpletione suæ voluntatis efficacis. Dices antequam peccatum existat, Deus serio vult, ne existat peccatũ, eiusque existentiam averset, quantum est ex se, ergo necessario displicet in existentia peccati: sicut enim Deus necessario complacere debet in adimpletione suę voluntatis; ita displicere necessario debet in non adimpletione eiusdem. Respondeo, hoc non probare Deum necessario displicere in homine peccante, sed in peccato ipso: sicut enim dum Deus prohibet peccatum per prohibitionem ipsam averset peccatum, illudque odio habet, nimirum volẽdo ipsi malum non existentiæ quin per hunc actum odio habeat peccatorem: (nam velle vt non existat peccatũ hominis potius est amare hominem, quam eum odio habere) ita dum peccatum existit, necessario displicet in peccato, quin necessario displiceat in homine.

Deus tamen necessario amat hominem iustum.

46 Difficilius potest opponi; quãvis liberum debeat esse Deo positis omnibus prærequisitis antecedentibus ad producendum, & non producendum, producere, & non producere; tamen non est absurdum, quod creatura peccando ponat impedimentum, vi cuius Deus reddatur impotens proximè producere aliquid; ergo quamvis suppositis omnibus requisitis ad conservandum, & non conservandum gratiam debeat Deus esse potens ipsam conservare, vel non conservare, non est tamen absurdum quod homo per peccatum ponat impedimentum, vi cuius Deus reddatur proximè impotens conservare gratiam. Probatur consequentia, quia ideo primum non est absurdum, quia esto productio rei à Deo dimanans debeat esse ipsi libera, nihilominus potentia proxima ad producendam quamcunque entitatem non debet esse ipsi libera, & volita ab ipso, siquidem potentia proxima ad producendam revelationem affirmantem existentiam peccati, constituitur per ipsammet existentiam peccati, & existentia peccati non est positive libera Deo, seu ab ipso volita: at similiter in nostro casu non est necesse vt potentia proxima conservandi gratiam sit libera Deo, sed potest constitui impotens conservare gratiam per existentiam peccati: cur enim per existentiam peccati possit Deus reddi proximè impotens producere aliquam entitatem, nempe revelationem, affirmãtem me non peccare, & per existentiam peccati non possit reddi impotens conservare gratiam. Res-

47 Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quia Deū non producere revelationem affirmantem me non peccare, quando ego pecco non eſt aliqua mutatio in rerum natura exiſtens; ſed conſiſtit præciſe in ſcientia viſionis, qua Deus cognoſcit exiſtentiā mei peccati: at gratiam à Deo productam deſtrui eſt aliqua mutatio in tempore exiſtens, verè enim gratia tranſit de eſſe ad non eſſe, & eſt mutatio, quæ debet exiſtere vi decreti poſitivi: implicat enim gratiā annihilari, niſi Deꝰ ſuſpendat concurſum, quia manente concurſu Dei perſeveraret gratia: implicat autē Deum ſuſpendere concurſum, quin velit ſuſpendere; ipſe enim cōcurſus exhibitus à Deo eſt exercitiū divinæ libertatis, ſeu mutatio inducta per eiuſmodi exercitium, nō poteſt autē exercitiū divinæ libertatis impediri niſi per exercitium oppoſitum.

48 Adhuc tamen poteſt vrgeri; quia vt intelligatur ceſſare concurſus divinus, & ſuſpendi, non eſt neceſsè quod detur decretum divinum poſitive amans illam ſuſpenſionem, cum enim illa ſuſpenſio ſit nihil non indiget poſitivo decreto ad ſui exiſtentiam; ſed ſatis eſt vt intelligamus reſultare carentiam gratiæ, vi cuius cenſeatur ipſa tranſire de eſſe ad non eſſe, quod non exiſtat novum decretum conſervandi gratiam diſtinctum à decreto primo producendi: vt autem intelligamus non exiſtere illud novum decretum non eſt neceſsè, vt intelligamus exiſtere aliud decretum oppoſitum; ſed ſatis eſt quod intelligamus exiſtere aliquid antecedens incompoſsibile cum tali decreto nempe ſcientiam viſionis repræſentantem exiſtentiam peccati; ſicut ad hoc vt intelligamus non exiſtere præfinitionem in Deo non eſt neceſsè, quod intelligamus exiſtere oppoſitum decretum; ſed ſatis eſt quod intelligamus exiſtere ſcientiam mediam eſſentialiter incompoſsibilem cum ſcientia media, quam eſſentialiter præſupponit præfinitio. Sicut ergo ideo non eſt abſurdum me poſſe mediante peccato impedire Deum ab aliquo producendo, quia impedio per hoc præciſè, quod cogo Deum ad habendam ſcientiam viſionis eſſentialiter incompoſsibilem cum decreto primo producendi rem illam; propter eandem rationem non erit abſurdum, quod impediam Deum ab aliquo conſervando, quia impedio per hoc præciſè, quod opponam impedimenta eſſentialiter incompoſsibilia cum decreto conſervandi: quia nimirum Deus videns illud impedimentum poſitum per hāc ipſam ſcientiam redditur impotens habere decretum conſervativum: vnde ceſſat neceſſario à conſervando.

49 Reſponderi poteſt primò ſuppoſita potentia proxima ex parte Dei ad aliquid conſervandum, impoſsibile omnino eſſe, vt impediatur à conſervando niſi per actum poſitivum ſuæ voluntatis. At in præſenti ſupponi ex parte Dei potentiam proximam cōſervandi gratiam, quia hoc ipſo quod Deus produxit gratiā, habet potentiam proximam ipſam conſervandi, nam ex parte Dei, quæ ſufficiunt vt ipſe conſtituatur proximè potens producere, & non producere gratiam de ſe capacem conſervari conſtituunt Deum proximè capacem conſervandi: implicat autem vt Deus proximè potens conſervare, & non conſervare, deſinat conſervare, niſi quia habet actum poſitivum, quo velit non conſervare: quod autem in præſenti ſupponatur Deus cum proxima potentia conſervandi, & non conſervandi gratiam, patet, quia ſaltem poteſt conſervare gratiam in anima impediendo peccatum ipſius.

50 Hinc poteſt elici nova noſtræ ſententiæ confirmatio, nam vt Deus producat in inſtanti A. gratiam in anima, nō eſt neceſſarium vt anima potens peccare in ſequenti nempe B. ſupponatur non peccatura in illo, ita nimirum, vt animam liberè omiſſuram eſſe in B. peccatum ſit conditio eſſentialiter requiſita, vt in inſtanti A. recipiat gratiam, vt eſt per ſe manifeſtum, ergo vt gratia producta à Deo in inſtanti A. conſervetur ab eo in B. non eſt neceſſarium vt in B. detur carentia peccati. Probo conſequentiam, nā Deus non pluribus indiget, vt conſervet quam vt primo producat, ſed potius ea, quæ ipſum conſtituunt proximè potentem producere, & non producere rem capacem durandi (hoc dico propter modum durationis eſſentialiter ſucceſsivum) conſtituunt etiam proximè capacem conſervandi, & non conſervandi.

51 Dices hoc argumentum eſſe fallax, & multum probans, quia nimirum probaret gratiam poſſe connaturaliter conſerveri ſimul cum peccato, quia vt Deus connaturaliter producat gratiam in anima pro inſtanti A. non eſt neceſsè, vt anima ſupponatur non peccatura in B. & tamen hoc eſt neceſſariū, vt gratia conſerveretur in anima pro inſtanti B. ergo poteſt Deus ſupponi potens pro-

producere, & non producere proximè connaturaliter gratiam; quin per hæc præcisè constitutiva constituatur proximè potens conservare, & non conservare connaturaliter gratiam; ergo pariter poterit Deus intelligi absolute potens producere, & non producere gratiam, quin intelligatur hoc ipso potens conservare, & non conservare. Sed negatur hæc consequentia, in primis constat; & non rectè argui ab vno ad aliud, quia sicut supposito quod producat Angelum, v g. absurdum non est, quod nequeat ipsum connaturaliter destruere, nihilominus absurdum esset, quod non posset ipsum absolutè destruere: ita licet absurdum sit, quod vt conservet connaturaliter aliquid indigeat aliquo, quo non indiget vt connaturaliter producat ipsum; absurdum tamen est, vt ad conservandum absolutè, & simpliciter aliquid, indigeat aliquo, quo non indiget ad eius productionem; sic absurdum non est, quod ad producendam connaturaliter formam in materia indigeat dispositionibus; absurdum tamen foret quod indigeret ad absolute producendū. Et ratio est quia indigere ad connaturaliter producendum, non est Deum indigere, sed formam ipsam productam; indigere autem absolutè est Deum habere defectum virtutis.

52 Potest tamen aliquis adhuc instaurare rationem sic, esto Deus hoc ipso quod producat gratiam supponatur proximè potens ipsam conseruare, vel nō conservare, hinc non probari suppositā ea potentia non posse eam destruere, nisi per decretum positivè amans destructionem: quia vt illa potentia conservandi, & non conservandi determinetur consequenter ad non coservandum nō est opus decreto positive amante destructionem; sed sufficit quodcunque decretum incompossibile cum decreto conservandi; hanc autem incompossibilitatem potest habere aliud decretum, quod non sit volitio positiva destruendi, nempe volitio ipsa permittens peccatum. Sed contra quia per volitionem permissivam peccati non excluditur decretum conservandi gratiā, implicat enim vt per actum ex se tendentem, & inclinantem ad conservādam gratiam, impediatur volitio conservandi ipsam, at decretum permittens peccatum ex se tendit ad conservandam gratiam: quia ex se amat rectam operationem: per quam gratia conservatur in anima, & odio habet peccatum, & per quod destruitur.

53 Melius posset responderi dicendo, hoc ipso quod Deus producat gratiam in anima supponi ex se proximè potentem conservare gratiam, quia supponitur proximè potens auferre à voluntate potentiam proximam peccandi prosequēti instanti, vel illam movere per auxilia, quibus infallibiliter præcaveat peccatum nō supponi tamen potentem proximè ad conservandam gratiam sub conditione, quod velit permittere peccatum. Vnde hoc ipso quod velit permittere peccatum imponere sibi necessitatem ad non habēdum decretum conservativum gratię, donec videat voluntatem non peccare.

54 Sed contra posset insurgere: quia vbi Deus supponitur proximè potens conservare gratiam, tam auferendo, quam conservando libertatem ad peccandum prosequenti instanti, ergo iam in instanti A. poterit Deus habere decretum efficax conservandi gratiam in anima pro B. relinquendo illi proximam potentiam peccandi: ergo anima manens in instanti B. cum proxima potentia peccandi poterit coniungere peccatum cum decreto efficaci conservandi gratiam, probo consequentiam, quia anima in instanti B. potest ponere à parte rei peccatum, ergo potest illud coniungere, vel cum decreto conservandi gratiam, vel cum ipsius carentia; sed non cum eius carentia, quia nequit decretum illud impedire, siquidem voluntas nostra solum potest impedire decretum essentialiter ex se dependens à nostra libertate, decretum autem conservandi gratiam non est essentialiter depēdens à nostra libertate, ergo potest coniungere peccatum cum illo decreto.

55 Video posse responderi decretum quo Deus statuit efficaciter conservare gratiam relinquendo libertatem supponere essentialiter scientiam mediā de efficacia aliquorum auxiliorum, quibus faciat hominem non peccare, ac proinde voluntatem nostram potentem impedire illam scientiam mediam, posse impedire eiusmodi decretum. Melius potest sic vrgeri: quia implicat, vt supponatur potens proximè absolutè non conservare, & tamen quod cesset re ipsa conservando nisi per decretum positivum essentialiter incompossibile cum decreto conservandi: quia Deum proximè potentem habere decretum conservandi, illud decretum non habere est formalissimè habere decretum oppositum: at decretum permittens peccatum ex se non est decretum

op-

oppoſitum decreto conſervandi gratiam: quia illud decretum ex ſe potens coniungi cum bona operatione, quam vnicè amat, & conſequenter cum conſervatione gratiæ: implicat autem vt opponatur eſſentialiter cum decreto efficaci conſervãdi gratiam decretum illud, quod ex ſe tendit ad conſervationem gratiæ, & cum illa poteſt coniungi.

56 Alia via poſſumus ſatisfaçere aſſerendo abſurdum eſſe quod voluntas medio peccato poſsit cogere Deum ad nõ producendam aliquam entitatem purè phyſicam, qualis eſt gratia, ex quo ſequitur ſimiliter abſurdum eſſe, quod poſſit cogere ad eam deſtruendam. Eſto non ſit abſurdum quod poſsit cogere ad non producendam aliquam revelationem eſſentialiter ſupponentem exercitium liberum. Ratio diſcriminis, quia quod Deus nequeat producere peccante homine revelationem affirmantem hominem non peccare in illo inſtanti attinet ad perfectionem Dei, quia perfectio Dei eſt non poſſe fallere: at quod nequeat producere in homine actu peccante gratiam non eſt perfectio Dei, quodnam enim attributũ Dei commendatur ex hac impotentia? Sanè quod homo per peccatum conſtituatur indignus gratia nequit eſſe impedimentum inferens neceſſario denegationẽ illius beneficij, immo maxima eſt perfectio Dei, quod indignis poſsit benefacere. Rurſus gratia à ſolo Deo producta nequit ex parte ſubiecti exigere neceſſario ad ſui vnionem cum illo aliquem actum liberum, vel exercitium quo impediatur peccatum, quia in nullo genere cauſæ poteſt eſſe eſſentialiter prærequiſita ad exiſtentiam gratiæ, & illius vnionis cum anima tale exercitium: non in genere cauſæ efficientis, quia illa diſpoſitio nó influit in gratiam, & eſto influeret, poſſet eius influxus ſuppleri à Deo: nõ in genere cauſæ formalis, quia nec gratia, nec eius vnio cum anima conſtituitur per illud exercitium: non in genere cauſæ materialis, tum quia hæc cauſalitas poteſt ſupleri à Deo per influxum efficientem: tum quia gratia non educitur de potentia illius exercitij (quod interdum poteſt eſſe pura omiſsio.) Denique ſi Deus poteſt gratiam creare, & illam ſic creatam vnire lapidi, cur non poterit gratiam creare, & illam ſic creatam vnire animæ abſque aliqua diſpoſitione ex parte illius? Nec enim vnio dependet eſſentialiter niſi ab extremis, quæ vnit, & à Deo, à quo cauſatur; cum ergo vnio gratiæ cum anima non vniat actum liberum cum gratia non poteſt eſſentialiter ab illo pendere.

57 Sed contra hoc poteris opponere: nam vnio hypoſtatica eſt entitas purè phyſica: & tamen humanitas per peccatum poteſt impedire eius productionem; quia eſt impoſsibile, vt humanitatem peccantem in ſenſu compoſito peccati Deus ſibi vniat. Reſpondeo primò. Humanitatem per peccatum non impedire vnionem hypoſtaticam, quia non impedit peccatum id, quod ex conceptu ſuo ſupponit impeditum: peccatum autem humanitatis ſupponit eſſentialiter potentiam proximam peccandi in humanitate, quæ eſt eſſentialiter incompoſsibilis cum vnione hypoſtatica: quia ſanctitas increata ſanctificat humanitatem ſummè infra Deum, ac proinde eam reddit impeccabilem. Vnde peccatum ſupponit impeditam vnionem hypoſtaticam per ipſam potentiam proximam peccandi, quę potentia proxima cum ſit à Deo non impeditur Deus à producenda vnione hypoſtatica ab aliqua ſuppoſitione à ſe non volita.

58 Secundò reſponderi poſſet nõ peccatum, ſed ſanctitatem increatãi mpedire Deũ ne producat vnionẽ hypoſtaticá ſui cum humanitate peccante, quia cum ſit ſumma ſanctitas eſſentialiter excludit commercium peccati; non eſt autem abſurdũ Deum cogi à ſanctitate infinita ad aliquid, ſed dices ſimiliter dici poſſet Deũ non à peccato, ſed à natura ipſius gratiæ cogi ad non vniendam illam humanitati peccati. Contra tamen quia gratia nequit hanc exigentiam habere ita vt eius iura Deus nequeat infringere, nam vt exiſtat vnio gratiæ cum anima in nullo genere cauſæ eſt eſſentialiter requiſita carentia libera peccati, nequit autem gratia cogere Deum niſi ad illa quæ ſunt eſſentialiter requiſita ad illius exiſtentiam.

59 Aliter, & forſam expeditius dici poteſt vniverſaliter loquendo. Sicut Deus non poteſt cogi ad aliquid producẽdum, vel conſervandum per aliquam ſuppoſitionem à ſe non volitam: ita nec poſſe cogi ad aliquid non producendum, vel non conſervandum: quia tam liber debet eſſe Deus in non producendo, & in non conſervando, quã in producendo, & conſervando. Quod ſi obijcias Deum cogi ab exiſtentia peccati ad non producendam revelationem affirmantem peccatum non exiſtere. Reſpondeo aſſumptum

eſſe

esse falsum, quia non peccatum; sed summa Dei veracitas extorquet à Deo, vt nõ producat revelationem affirmantem carentiam peccati vbi existit peccatum. Si enim existente peccato per impossibile existeret revelatio affirmans peccatum nõ existere nihil fieret contra exigentiam peccati, sed præcisè contra perfectionem Dei, quia solum fieret illam revelationẽ esse falsam, ac proinde Deum fallere.

60 Quod si objcias similiter dici posse Deum non à peccato, sed à sua perfectione cogi, ne conservet gratiam peccante homine. Respondeo hoc esse falsũ quia ex eo quod gratia coniungatur cum peccato, nihil sequitur contra Divinam perfectionem; solum enim sequitur Deũ non desistere à communicandis suis beneficijs propter malitiam hominis, nec punire peccatum vt potest: quare nisi reducatur ad contradictionem obiectorum, nequit probari esse imperfectionem in Deo cõiungere gratiam cum peccato.

61 Dices gratiam ipsam Deũ cogere ne ipsam conservet cũ peccato; sed contra quia cum vnunquodque essentialiter tendat ad sui conservationem, nequit forma essentialiter postulare, vt Deus ipsam destruat sub conditione quod homo peccet; nisi quia peccatum essentialiter postulat, ne gratia conservetur, vbi ipsum existit. Si enim peccatum essentialiter nõ postulat destructionem gratiæ, impossibilis est ex parte gratię exigentia, vt destruatur sub conditione peccati, cum melius sit gratiæ esse in anima in consortio peccati quam destrui.

62 Objcies contra nostram sententiam, Deus necessario amat iustum amore amicitiæ, ergo necessario aversatur peccantem odio inimicitię; Divina enim bonitas non minus obligat Deum ad detestandum malum, quam ad amandum bonum, sed odio habere hominem peccantem est velle illi malum privationis, gratiæ, ergo Deus necessario vult homini peccanti malum privationis gratiæ; ergo homo peccans necessario privatur gratia.

Añ Deo hominẽ peccantẽ odio habeat rãquam inimicũ.

63 Respondeo concesso antecedenti nego consequentiam: disparitas est, nam hominem esse amicum Dei est bonum à Deo causatum, & consequenter à Deo volitum; vnde hominem esse iustum supponit essentialiter amorẽ amicabilem, & est terminus amoris amicabilis. Deus enim volens homini gratiam habitualem, per quam constituitur Divinę particeps naturæ, & ius habet ad beatitudinem, hoc ipso illum diligit amicabiliter, quia vult illi summam fœlicitatem, & manifestationem Divinorum Arcanorum, quæ patefiunt per visionem beatam. At hominem peccare non est aliquid à Deo causatum, nec volitum vnde nequit esse terminus odij inimicabilis de cuius ratione est vt per ipsum Deus velit homini malum, tantunque abest vt peccatum actuale supponat odium Dei erga hominem peccantem, sicut gratia supponit amorem Dei erga hominem iustum, vt potius supponat amorem: nam peccatum actuale ex conceptu suo supponit divinam prohibitionem: prohibitio autem est odium ipsius peccati vtpotè tendens ad eius non existentiam; odium autem peccati est formalissime amor ipsius hominis, Deus enim odio habens peccatum, quia peccatum est, odio habet illud, quia malum hominis est, siquidem vt peccatũ est malum hominis; odio autem habere malum hominis, quia malum hominis est, est formaliter hominem amare, ergo peccatum ex conceptu suo potius est terminus amoris divini, erga hominem, quam sit terminus odij divini.

Quãvis Deus necessario amet hominem iustum; non tamen necessario odio habet hominem mortaliter peccantem.

64 Pro maiore claritate notandum est ex Caietano 12. quæst. 29. art. 1. quod sicut amor dividitur in amorem amicitiæ & concupiscentiæ (de quorum discrimine agit S. Thom. 12. quæst. 23. art. 1.) ita odium: & quidem odium oppositũ amori concupiscentiæ, solet appellari odium abominationis: odium oppositum amori amicitiæ appellatur odium inimicitiæ. Et sicut, inquit Caietan°, quia amare est velle alicui bonũ, duo ex parte obiecti includit scilicet ly bonum, & ly alicui: ita in obiecto odij duo clauduntur scilicet malum, & persona: quamvis autem amor amicitiæ, & concupiscentiæ vniformiter se habeant ad vtrunque, scilicet per modum affirmationis, seu consonantiæ. (Amor enim, vt inquit ibi S. Thom. in corpore „ est consonantia quædam appetitus in „ id, quod apprehenditur vt conveniens; „ odium vero est dissonantia quædam ap„ petitus in id quod apprehenditur vt no„ civum, & repugnans,) odium tamen abominationis, & odium inimicitiæ dissimiliter se habent ad hęc, nam odium inimicitiæ habet se ad personam per modũ negationis, & dissonantiæ, ad malum vero per modum affirmationis, & consonãtiæ: odium vero abominationis è converso ad personam se habet per modum affirma-

mationis, & conſonantiæ, ad malum autem per modũ negationis, & diſſonantiæ. Cum enim quis odit flagella, & ſimilia, illis quidem diſſonat, & ea ab affectu ſuo abnegat; ſeipſum autem, vel alterum, cui illa nollet, affirmat in affectu, eique conſonat. Contra vero cum odit quis hominem ipſum quidem à ſuo affectu abnegat, illique diſſonat, ſed malis illius conſonat, affirmatque illa in ſuo affectu, vult enim illi malum.

65 Vt vero explicet Caietanus quo pacto odium omne ſit diſſonantia quędam; quando quidem odium inimicitiæ non eſt diſſonantia reſpectu mali, quod quis velit alteri: aſſerit ſi res rectè inſpiciatur, diſſimilitudinem iſtam inter odium abominationis, & odium inimicitię non variare diſſonantiam odij à malo obiecto, & cauſa. Quoniam vtrobique id quod habet rationem mali, obiecti, & cauſæ odij abnegatur ab affectu, & diſſonat; nam in odio inimicitiæ perſona habet rationem mali obiecti, & cauſæ; & in odio abominationis, non perſona, ſed res mala habet rationem mali obiecti, & cauſæ.

66 Dices hęc rectè probare peccatum actuale non eſſe effectum odij inimicitiæ Dei erga hominem; ſicut gratia eſt effectus amoris amicitiæ, ſiquidem Deus non vult homini peccanti malum culpæ, ſicut vult homini iuſto bonum gratiæ: cæterum non probare, quod Deus ſuppoſito peccato non diſpliceat neceſſario in homine peccante, nam per peccatum homo conſtituitur fœdus, & abominabilis. Reſpondeo Deum ſuppoſito peccato neceſſario diſplicere in eius exiſtentia, ſicut illam antecedenter averſatus erat, quia ſicut per decretum infundendi gratiam, imponit ſibi neceſſitatem cõplacendi in homine iuſto, ita per prohibitionem peccati, & per odium antecedens illius imponit ſibi neceſſitatem diſplicendi in eius exiſtentia: vnuſquiſque enim diſplicet in non adimpletione ſuæ voluntatis; cæterum diſplicentia in peccato exiſtente, ſeu in eo quod homo ſit actu peccans, non eſt odium erga ipſum hominem, quia illa diſplicentia eſt odium abominationis conſequens, & correſpondet odio obominationis antecedẽtis, odiũ autem abominationis erga peccatũ potius eſt amor quam odium hominis peccantis; quare nihil eſſe poteſt, quod neceſſitet Deum ad odio habendum hominem peccantem, ſeu ad volendum ipſi malum: non enim ad volendum aliquid creatum poteſt Deus aliunde, quam à ſuo beneplacito neceſſitari. Malitia enim finita nequit rapere voluntatem ad odium; hic autem nõ datur beneplacitum antecedens, à quo neceſſitetur, ſolum enim datur prohibitio peccati: hæc autem cum non ſit odiũ hominis, ſed ſolius peccati, ſolum poteſt neceſſitare Deum ad diſplicendum conſequenter in peccato, non autem in homine ipſo. Ratio à priori quia Deum odio habere hominem eſt Deum velle illi malum ſicut autem peccatum nequit neceſſitare Deum ad inferendum malum homini peccanti, ita nec ad volendum ei malum.

SECTIO VLTIMA.

Inſtauratur ratio noſtræ ſententiæ.

67 DEVS averſatur odio inimicitiæ hominem peccantem mortaliter in eo inſtãti in quo peccat, & proeo inſtanti: ergo peccatum actuale non infert neceſſitate metaphyſica privationem gratię habitualis. Antecedens conſtat ex Concilio Moguntino cap. 4. vbi ait: Homo cum „ prævaricatus eſſet mandatum Dei, gra„ tiam, & notitiam, in qua erat conſtitu„ tus, iuſtiſſimo Dei iudicio amiſit, iræ „ ac damnationi obnoxius. Idque docent comuniter Patres, & Doctore, apud Suarium lib. 11. de grat. cap. 4. Probatur conſequentia, nam ſi Deus averſatur odio inimicitiæ hominem peccantem pro illo inſtanti in quo peccat: ergo pro illo inſtanti vult illi aliquod malum; vt enim inquit D. Thomas 12. quæſt. 46. art. 2. corp. *Oaimus aliquem in quantum volumus ei in eſſe aliquod malum*: At pro illo inſtanti non vult illi malum culpæ, vt patet: ergo malum pœnę; nempe privationem gratiæ, & privationem gloriæ, niſi poſtea reſipiens per pœnitentiam recuperet gratiam, & in ea decedat, quia Deus in eo inſtanti in quo homo peccat vult illi efficaciter privationem gratiæ intuitu peccati; & in pœnam illius. At non eſt neceſſarium vt ſuppoſito peccato, & intuitu illius Deus habeat decretum privãdi gratia hominem peccantem; nam homo nequit per peccatum imponere Deo metaphyſicam neceſſitatem habendi decretum; niſi Deus ipſe ex vi decreti prioris ſibi impoſſuerit neceſſitatem habendi illud decretum: creatura enim nequit creatorem neceſſitare ad aliquid efficaciter

cer decernendum, seu ad inferendum ipsi supplicium, nisi in vi decreti, quo Deus ipse sibi necessitatem imposuit sub conditione talis operationis creaturæ. Hic autem nullum intervenit decretum prius, vi cuius Deus sibi imposuerit necessitatem habendi secundum decretum: nam hic solum intervenit decretum permissivum peccati: at vi huius nequit Deus necessitari ad habendum secundum decretum; nam decretum permissivum amat serio, & quantum est ex se non existentiam peccati; cum importet decretū collativum auxilij sufficientis ad observationem præcepti, & negationem auxilij efficacis: implicat autem vt Deus necessiteturad habendum decretum essentialiter supponens existentiam peccati; quale est decretum efficax privandi gratia in pœná peccati per decretū amās non existentiam peccati: nam decretum amans non existentiam peccati, amat non existentiam decreti essentialiter supponentis existentiam peccati: implicat autem Deum necessitari ad habendum aliquod decretum per decretum prius amās non existentiam posterioris. Nam ad habendum decretum posterius solum potest necessitari per decretum prius amans existentiam posterioris.

68 Dices decretum permissivum peccati, etiam si qua parte confert auxilium sufficiens non amet existentiam secundi decreti, illam tamen amare virtualiter qua parte negat auxilium efficax; quia sub hac reduplicatione habet connexionem logicam cum peccato, & consequenter cum decreto privandi gratia propter peccatum: & sic amat virtualiter secundum decretum, & Deum necessitat ad illud habendū. Sed contra primò quia decretum permissivum peccati non habet connexionem logicam cum existentia peccati sub vlla formalitate: nam obiectum ab eo efficaciter amatum hanc connexionem non habet, & non aliunde potest habere hanc connexionem nisi ratione obiecti: quod autem res ita se habeat, suadetur, quia collatio auxilij A. sufficientis ad obseruandum præceptum, & negatio omnis alterius auxilij possunt coniugi cum obseruatione præcepti, siquidem Deus homini, cui denegavit omne aliud auxilium, & concessit dumtaxat auxilium A. præcipit vt obseruet præceptum, & non præcipit impossibilia: ergo possibile est, vt auxilium A. coniungatur cum obseruatione præcepti in sensu composito negationis omnis alterius auxilij: ergo illud complexum auxilij A. & negationis omnis alterius auxilij non habet connexionem cum non obseruatione præcepti, seu cum peccato. Contra secundò, quia permissio peccati amat obseruationem præcepti; implicat autem vt decretum amans obseruationem præcepti sit logice connexum cum existentia peccati: quia alioqui amaret aliquid impossibile: nam dum vult vt existat obseruatio præcepti, vult vt illa oriatur ab ipso, quia vult vt oriatur ab auxilio vt collato vi ipsius; vnde si aliunde esset essentialiter incompossibile cū obseruatione præcepti, vellet vt obseruatio præcepti coexisteret cum aliquo essentialiter incompossibili cum ipsa, ac proinde vellet chymæram: ergo decretum permissivum peccati non habet essentialem connexionem cum decreto puniente peccatum, seu inducente privationem gratiæ propter peccatum, ergo vel homo mediante peccato necessitat Deum ad aliquid decernendum, nempe ad decretum destruendi gratiam: vel hoc decretum est immediate in se liberum, ac proinde suppositio peccato potuit Deus non privare hominem gratia: at non potest dici primum; ergo debet dici secundum; ergo gratia est essentialiter compossibilis cum peccato actuali, quo expellitur; licet sit incompossibilis cum peccato habituali, quod expellit.

DISPVTATIO XI.

AN DEVS EX SE FVERIT NECESSITATVS MORALITER AD INCARNATIONEM?

Vbi de necessitate ad optimum.

Ad quæst. 1. 3. part. de convenientia Incarnationis.

SECTIO PRIMA.

Multiplex necessitas, & status quæstionis aperitur.

1 TRIPLEX est necessitas, physica, metaphysica, & moralis. Illud est metaphysice necessarium, cuius oppositum implicat cõtradictionem. Illud physice, cuius oppositum citra miraculum cõtingere nequit, & non nisi per potentiam absolutam Dei. Illud moraliter, cuius oppositum nunquã contingit, nec prudenter sperari, aut timeri potest, quamvis physice possibile sit. Cum autem oppositum eius, quod est necessarium, sit impossibile, tribus quoque modis aliquid impossibile dicitur. Primò quia metaphysice repugnat, vt hominem non esse animal. Secundò physice, quia à solo Deo miraculose potest induci supra omnem naturæ cursum, vt ignem non calefacere, accidentia existere extra subiectum, corpus poni in duplici loco. Tertiò denique moraliter, quia nimis arduum, & difficile, & propterea nunquam contingens, vt hominem destitutum speciali auxilio perseverare sine veniali noxa, piam Matrem potentem facile succurrere filio indigenti, illum sine ope relinquere: hominem vitijs induratum, vehementissima tentatione repente pulsari, & tamen ei fortiter resistere cum solo auxilio, quod fert providentia communis, militem honoris mundani amantissimum, Dei autem, & sui oblitum gravi contumelia affici, & tamen vindictam non sumere si commode possit. Hæc, & his similia moraliter impossibilia censentur.

2 Duo autem requiruntur ad impossibilitatem moralem, nec vnum sine alio sufficit iuxta Cardinalem de Lugo, & Patrem Ripalda, nimirum, vt id quod dicitur moraliter impossibile nunquam fuerit, vel futurum sit, immo neque videatur extiturum sub conditione in hac, vel in alia simili hypotesi, & præterea, quod hoc ipsum oriatur ex summa difficultate, quam vincere oporteret ad illud ponendum. Quod saltem de necessitate morali increatis est verum, nam si in Deo detur necessitas moralis ad vnũ, non propterea oppositum erit propriè difficile Deo. Alij cum Patre Antonio Perez sic necessitatem moralem describunt. Necessitas, inquiunt, moralis ad vnum est ea, vt oppositum eveniat repugnantia, qua prudentissime, & absque vlla deceptionis formidine iudicetur illud non esse eventurum; quamvis iudicium hoc adeo certum non sit vt falli non possit, sed vt nos de illo solicitos esse non oporteat.

3 In præsenti autem quæstione supponitur, vt certum, Deum absolutè non fuisse physice, aut metaphysice necessitatum ad incarnationem. Non metaphysice, quia dogma fidei est Deum liberè produxisse quidquid ad extra operatus est. Non physice: tum quia nulla causa ex necessitate physica agit illud, quod libere potuit non agere; tum quia necessitas physica, vt à metaphysica distinguitur solum habet locum in illis causis, quę superiorem habent, à quo possunt miraculose cohiberi, ne erumpant in motus sibi connaturales, Deus autem superiorem non habet: ergo &c. Supponitur rursus ad huc ex suppositione orbis conditi non fuisse metaphysice necessitatum ad incarnationem; cum natura nequeat habere connexionem cum miraculo omnium miraculorum maxime, & inter opera supernaturalia præstantissimo. Quæ ratio etiam evincit neque ex suppositione elevationis ad finem supernaturalem, neque ex suppositione lapsus primorum Parentum fuisse metaphysice necessarium Deo car-

carnem assumere quia nec gratia elevans naturam, neque lapsus primi hominis necessitatem inferre potuerunt Deo ad incarnandum.

4 Quæstio ergo solum potest agitari de necessitate morali, vel absoluta, vel saltem ex suppositione orbis conditi, & hominis in peccatum prolapsi: quia verò non potest quidquam in hac particulari materia definiri, nisi statuendo, an Deus ex se sit vniversaliter necessitatus moraliter ad optimum, ideo pro intelligentia huius quæstionis notandum est, hic non esse sermonem de optimo in ratione medij ad finem efficaciter præintentum; nam in hoc sensu suppositâ efficaci intentione finis metaphylice manet Deus necessitatus ad optimum, id est cõvenientissimum medium, per quod finis obtineatur in eo gradu, quo intentus est: nec rursus esse sermonem de optimo subiective, & per denominationem extrinsecam à bonitate electionis divinæ, sic enim quidquid à Deo efficaciter amatur, hoc ipso est optimum, quia melius est suo contradictorio, vtpotè magis placens Deo.

5 Sensus igitur quæstionis est, vtrum Deus necessitate morali teneatur ad illud, quod in se intrinsecè, & obiectivè est melius, id est conducentius ad manifestandas divinas perfectiones, & attributa; vt quia in hunc finem melius est aliquem mundum, quam nullum producere, & Deum incarnari, quam non incarnari saltem ex suppositione peccati, dubium est, an Deus fuerit moraliter necessitatus ad vniversi productionem, & ad incarnationem, vel absolutè, vel saltem ex suppositione peccati.

6 His positis Pater Granado disp. 3. de voluntate, & Pater Ruiz disp. 9. & 10. & cum ipsis nobiles Recentiores arbitrantur Deum esse moraliter necessitatum ad electionem optimi in his rebus, in quibus non datur processus in infinitum: nam in serie rerum, in qua non est reperire optimum, vt in mundi excellentia, magnitudine, numero, perfectione Angelica, &c. In hac inquam serie fatentur nil esse, quod non possit Deus liberrimè eligere alijs reiectis; nam alioqui nihil posset producere; cum quolibet accepto semper possit assignari excellentius, ac perfectius. Quæstionem igitur determinant ad optimum ex duobus contradictorijs quorum vnum sit altero melius omnibus inspectis ad manifestationem divinarum perfectionum.

7 Dixi omnibus inspectis, nam Pater Ruiz disp. 9. sect. 1. num. 110. advertit certum, & extra controversiam esse, Deum persæpe non facere optimum quod tale foret separatum à reliquis partibus vniversi, & serie operum divinorum & præcisè comparatum cum suo contradictorio, apponitque exemplum ex Divo Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. in humana natura donata impeccabilitatis gratia, quæ melior est secundum se, quam voluntas peccabilis, cum tamen ad totam seriem divinorum operum melior sit voluntas peccare potens: siquidem ex illa maximas Deus vtilitates capit ad suorum attributorum manifestationem, quas recenset ille Author num. 18. hanc sententiam novissime magna ex parte propugnat P. Ribadeneyra disp. 14. de voluntate, vt præcipuè constat ex numero 43. & 56.

8 Oppositam sententiam absolutè negantem necessitatem moralem Dei ad optimum tuentur apud eundem numero 6. Eximius Doctor Suarez, Vazquez, Valentia, Puente, Hurtado, Cardinalis de Lugo, Bernal, Erice, Arriaga, Martinon, & alij quam plures, & omnium rigidissime Pater Alderete relegãs à Deo omnẽ necessitatẽ moralẽ non solũ absolutã, sed cõditionatã; & ex suppositione vniversi producti. Et hęc est sententia cõmunis Recentiorũ, inter quos Pater Antoni⁹ Perez disp. 6. de voluntate totis viribus contendit, Deum ex se nullam habuisse necessitatem moralem ad producendum vniversum: cæterum ex suppositione, quod produxerit necessitatum esse moraliter ad optimum respectu illius. Negat tamen adhuc reperiri necessitatem moralem ex hac suppositione ad productionem alicuius supernaturalis. Quid autem ego censeam aliquibus conclusionibus declarabo.

SECTIO SECVNDA.

Ostenditur Deum saltem ex suppositione necessitari moraliter ad aliqua.

9 HÆC sit prima nostra Conclusio: Deus ex suppositione, quod aliqua faciat sæpè necessitatur moraliter ad aliqua alia facienda, quæ absolutè potest non facere. Est contra Patrem Alderete disp. 2. de incarnatione. s. 2. quam in efficaciter probant Patrum testimonia, quæ miranda eruditione congerit Pater Ruiz, à nobis

bis probatur primò ex illo Lucę 11. *Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Quo loci Chriſtus argumentatur à fortiori, & ex eo, quod incredibile ſit, vel Patrem daturum eſſe lapidem filio petenti panem, vel ſcorpioni petenti piſcem, ducit, Deum, qui bonitate, & amore erga ſuos ſuperat omnes parentes creatos daturum filijs ſuis ea, quæ ipſis expediunt, ſi debite poſtulaverint: ergo ſumma Dei bonitas, & amor erga iuſtos fundat certitudinem moralem quod exauditurus ſit eorum orationes, quibus debite poſtulent ſpiritum bonum, multo magis, quam amor parentis in filium, fundat infallibilitatem moralem, quod non dabit nociva petentibus neceſſaria, & proficua.

10 Secundò probatur ex illo Iſaiæ 49. *Num quid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Quo loci ſignificatur maiorem eſſe inclinationem Dei, vt miſereatur noſtri quam Matris, vt miſereatur infantis; at inclinatio Matris fundat moralem infallibilitatem: ergo & inclinatio Dei.

11 Pater Alderete diſp. 1. ſect. 2. in fine fatetur ex hoc loco rectè colligi, Deũ de facto neceſsitatum eſſe moraliter ad aliqua præſtanda; cæterum aſſerit hanc neceſsitatem fundari in complacentia libera, qua Deus inclinatur ad benefaciendum. Sed contra, quia in prędictis verbis arguit Dominus ab amore, ad quem moraliter ſunt neceſsitati Parentes increatis ad amorem, quo ipſe diligit iuſtos: ergo ex hoc amore præciſa quacunque alia cõplacentia neceſsitatur moraliter ad benefaciendum populo ſuo. Contra ſecundò, quia vt oſtendi diſp. 8. de voluntate repugnat Deo affectus liber pure inefficax, & cui nulla mutatio ad extra correſpondeat.

12 Tertio, quia moraliter eſt certum Deum collaturũ præmia virtutib° in alia vita, & vitijs ſupplicia, iſtaque certitudo fundatur in ipſa Dei iuſtitia lumine naturæ nota: ergo Deus eſt moraliter neceſsitatus ad non negandum virtutibus præmia, & ad non relinquenda impunita in alia vita ſcelera, quæ in hac expiata non ſunt. Antecedens probatur ex Clem. Romano lib. 3. recognitionum propè mediũ aiente: cum certum ſit Deum iuſtum eſſe, neceſſarium, & conſequens eſt aliud eſſe ſæculum, in quo quiſque pro meritis recipiens iuſtitiam, iuſtitiam Dei probet. Pauciſque interpoſitis: hoc ipſum, quod in præſenti vita non reddatur vnicuique pro actibus ſuis, fidem indubitabilem facit ſcientibus Deum eſſe iuſtum, quod iudicium erit.

13 Quartò, quia ſi ſemel nequit in Deo adſtrui neceſsitas moralis ad aliqua opera præſtanda ex ſuppoſitione aliorum, ſanè Deus quacunque ſuppoſitione facta non habente metaphyſicam connexionem cum opere ſubſequenti, manebit in omnimodo æquilibrio ad ponendum, vel non ponendum illud opus. Vnde nulla ſuppoſitio fundare poterit probabilitatem vnius partis contradictionis præalia, nam rationes Adverſariorum, vel nihil probant, vel hoc etiam perſuadent.

14 Sequelam autem iſtam eſſe abſurdam probatur primò: quia per ſe apparet incredibile præces Beatæ Virginis, immo, & ipſius Chriſti ex terminis non maiorem fundare probabilitatem doni petiti, quam præces peccatoris ſceleratiſsimi: non fundarent autem, ſi Deus ex ſe non haberet maiorem inclinationem ad audiendas præces Sanctorum, quam peccatorum: ergo habet illam. Secundò: quia hoc eſſet evertere innumeras Sanctorum argumentationes, qui magno molimine, quid convenientius ſit, inquirunt, atque ex eo inferunt Deum ſic feciſſe, v.g. ex eo, quod magis deceat dignitatem Matris Dei carere macula originali, inferunt eam fuiſſe immunem: ex eo, quod inordinatum videatur iuſtos in hoc mundo affligi, impios vero proſpera fortuna frui, & nullam deinde poſt hanc vitam fieri commutationem inferunt animæ immortalitatem, & ſurrectionem. Et multa alia eiuſmodi, quæ lato calamo ſcribit Ruiz ea diſp. 9. à ſect. 9. Eſſet, inquam, evertere horum Patrum argumentationes. Si enim poſita dignitate Matris v.g. Deus nullã habet inclinationem ad Virginem præſervandam potius, quam non præſervandam, quomodo ex Maternitate inferunt præſervationem; etenim ex antecedenti de ſe prorſus indifferenti ad duo contradictoria, neque magis determinato ad vnum, quam ad aliud nequit potius vnum, quam aliud inferri.

15 Dices, dignitatẽ Matris ex natura rei poſtulare illã præſervationẽ. Sed quid refert hæc exigentia, ſi ea poſita Deus adhuc manet in omnimodo æquilibrio ſine vlla propenſione ad vnum extremum

potius, quam ad alterum. Dices 2. cum Cardinali de Lugo disp. 2. num. 36. in dubio præsumendum esse Deum fecisse quod cõvenientius est. Sed quomodo hoc præsumere possumus; si ex se Deus non habet inclinationem ad faciendum, quod convenientius quam omittendum, omnis nanque rationabilis præsumptio fundari debet in probabilitate aliqua suadẽte vnũ potius, quam aliud futurum, nulla autem probabilitas hic intervenit, si semel Deus ex se non est magis inclinatꝰ ad præservandam matrẽ, quam ad non præservandã.

16 Quintò probatur nostra sententia, nam Ecclesiæ Patres defendentes providentiam Dei à calumnijs Hæreticorũ, qui opera Dei reprehendebant, vt imperfecta, contendentes fuisse melius, quasdam res nõ producere, quæ de facto productæ sunt; alias vero res alio meliori modo constituendas fuisse: ij inquam Patres dum contendunt Deum semper operari optimum, saltem intelligendi sunt de optimo respectu vniversi, ac proinde sentiunt Deum ex se habere necessitatem moralẽ tribuendi vniverso à se producto optimam dispositionem, & ordinem, ita vt nulla melior fuerit possibilis respectu eius: ex quo inferebant: si aliqua mutatio fieret in constitutione huius vniversi, aliterque res disponerentur, quam de facto sunt dispositæ, hoc ipso fore deteriorẽ, nihil enim esse in vniverso, cui si quidquã ad das, vel detrahas, non incidas statim in malum, à quo natura abhorret. Quod exemplo citharæ bene temperatæ explicat Sanctus Thomas, cui si cordam aliquam remittas, vel intendas dissolvitur optima armonia: ergo Deus ex se est moraliter necessitatus ad tribuendum vniverso optimam dispositionem, eam nimirum ex qua maior pulchritudo resultat.

16. Hinc Augustinus lib. primò de quantitate animæ cap. 35. *Iustitia inquit, summi Dei factum est, vt non modo sint omnia, sed etiam sic sint, vt melius esse non possint.* Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid, inquit, tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorẽm.* Quam veritatem lumine naturæ assecutus est Aristoteles dum 8. Physicorum cap. 6. textu 56. inquit: *Quod præstat in natura esse, modo possit arbitramur*: quasi diceret; quod melius est si possibile sit datur in rerum natura. Vnde Conimbricenses hunc textum exponẽtes: natura inquiunt, semper facit optimum, quod notesti quod autem de natura dicitur; de Authore quoque naturæ dici debet. Hinc Geneseos 1. laudans Deus suorum operum pulchritudinem: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Denique vt alia omittam hanc necessitatem moralem perspicue docuit Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ illis verbis: credamus Deum omnia velle, quæ meliora sunt.

SECTIO TERTIA.

Confirmatur nostra conclusio, & præcludantur Aduersariorum effugia.

17 CONFIRMATIO sit, nam ex oppositâ sententia fit nõ posse prudentem esse securum, quod ignis non erit vnquam frigidus: quod sol non sistet cursum suum in meridie, quod nõ dabitur vicissitudo hyemis, & veris; & negata necessitate morali ad concedendum rebꝰ naturalibꝰ id, quod ex natura sua exigunt Deus manebit cum omnimoda indifferentia, & æquilibrio, vt positis essentijs neget, vel concedat illis suas proprietates, vt cõcurrat, vel non concurrat, cum causis naturalibus ad suos motus; nam fundamenta negandi necessitatem moralem persuadent spectare ad perfectionem divinæ libertatis omnimodum æquilibrium: ergo nullum erit fundamentum quo prudenter possimus reddi securi.

18 Si dixeris fundamentum sufficiẽs esse, quod Deꝰ vt Author naturæ nequeat oppositum facere, contra est, quia hoc perinde est, ac Deum non posse oppositum facere, quin rebꝰ violentiam inferat: hoc autem nullum præbet fundamentum, si semel ex se nullam habet inclinationem ad non inferendam violentiam potius, quam inferendam.

19 Pater Alderete disp. 2. s. 1. n. 7. respondet hoc fundamentum aliunde, quã ex necessitate morali summẽdum esse, nimirũ ex quotidiana experientia, qua v.g. videmus ignem calefacere applicatam sibi materiam: id enim nobis persuadet miracula non fieri, nisi raro: cassus autem rarõs non pertimescimus. Et confirmat; nã, & nos inquit, qui necessitatem moralem Deo negamus, sine formidine iudicamus hominem medijs flammis immissum cõburandum esse; neque oppositi Authores negare possunt nostræ sententię probabilitatem, quare pertimescere deberent, si timoris carentia fundaretur in carentia necessitatis moralis.

Sed

20 Sed contra, quia ſi quotidianum experimentum componitur cum iudicio, quo quis ſibi perſuadeat non obſtãte illo experimento adhuc Deum eſſe in perfecto æquilibrio, & quin habeat maiorem inclinationem ad concurrendum cum igne quam ad non concurrendum, non poterit ex illo experimento ſecurus reddi de combuſtione futura; cũ eo non obſtante firmiter iudicet, tã contingens eſſe vnũ extremũ, quam aliud. Sanè hoc experimentum eatenus deſervire poſſet ad hãc ſecuritatem generandam, quatenus deſerviret, vt quis à poſteriori colligeret Deũ eſſe inclinatum ad non inferendam frequenter naturæ violentiam; & non niſi in aliquo caſu rariſsimo propter maius vniverſi bonum: cæterum ſi ad hoc non deſeruit, nullatenus poteſt ſecluſa ignorantia ſecuritatem gignere.

21 Nec refert oppoſitę ſententiæ Authores ſecuros eſſe: hanc enim ſecuritatem habent ex falſo, quo ſibi perſuadent experimentum illud ſufficere: nos autem iudicantes eorum ſententiam eſſe probabilem, non propterea timere debemus; quia ita hoc iudicamus, vt ſimul credamus eſſe falſam: dum autem id credimus nihil timere debemus. Dices, hoc nos credere tantum probabiliter, & conſequenter cum aliqua formidine, an forſam ſententia noſtra ſit falſa: ergo non ſumus ſecuri. Reſpondeo formidinem iſtam non reddere nos anxios de his eventibus; tum quia illa moraliter eſt fere nulla; tum quia non ita tuemur neceſsitatem moralem, vt iudicemus, vt quid evidens ea deficiente de futuram omnem ſecuritatem omnium eventuum, qui cauſis naturalibus ſunt annexi, ſed potius iudicamus probabile eſſe, etſi re ipſa falſum, ſecuritatem illam non fundari vnice in neceſsitate morali.

22 Reſpondent ſecundò aliqui Recentiores rationem huius ſecuritatis eſſe, quia ſicut Sol, v.g. connaturaliter connectitur cum exiſtentia lucis, ita affirmatio ſolis affert ſecum affirmationem lucis, quod coincidit cum reſponſione aliorum revocantium cauſam huius ſecuritatis in divinum quendam inſtinctum, quo agantur homines ad futura præſagienda. Sed contra, quia etſi ignis ex ſe exigat calorem, & in hoc ſenſu connectatur cum ipſius exiſtentia; hoc non ſufficit, vt cognitio ignis inferat ex natura rei cognitionem caloris: aſſertio enim vnius veritatis non infert aſſenſum alterius niſi quatenus repræſentat aliquid connexum cum exiſtentia talis veritatis: ſic præmiſſæ neceſsitant ad concluſionem, quia repræſentant veritatem connexam cum conſequenti. In præſenti autem negata omni inclinatione, & maiori propenſione Dei ad concurrendum cum igne, quam ad non concurrendum, cognitio affirmans exiſtentiam ignis nihil repræſentat abſolute connexum cum exiſtentia caloris.

23 Sed retorquet Pater Alderetẽ contra nos argumentum, quia certum eſt, Deum poſſe aliquando negare igni concurſum, vt calefaciat, idque morali poteſtate; neque enim dicere poſſumus Deum ex ſe eſſe moraliter neceſsitatum ad non patranda aliquando miracula. Potuit ergo moraliter contingere, vt in hoc inſtanti negaret concurſum igni ad comburendum; & nihilominus hoc non timemus, nimirum, quia miracula non poſſunt fieri niſi raro; & eventus raro contingens non præſumitur. Atqui etiam in ſententia oppoſita miracula non fiunt, niſi raro: ergo licet aſſeramus in Deo eſſe moralem poteſtatem efficiendi ſæpè eiuſmodi miracula non debemus præſumere, modo tale miraculum effi ciendum. Sed contra, quia in noſtra ſententia certi ſumus Deum eſſe moraliter neceſsitatum ad non facienda crebro miracula, ſed ſolum in cauſa raro ob excellentem aliquam cauſam divinæ gloriæ: hac autem cognitione ſuffulti, & inſuper non apparere modo neceſsitatem aliquam patrandi miraculum, ſecuri ſumus illud non eſſe patrandum. At in ſententia contraria iuxta quam Deus eſt moraliter potens patrare paſsim miracula, & omnem naturam invertere, non poſſumus prudenter iudicare hic non eſſe faciendum; quia eſto neceſsitatem illius patrandi non videamus, nihilominus cum ſciamus defectum illius neceſsitatis nihil referre, quia Deus in ſingulis inſtantibus iuxta Adverſarios eſt moraliter indifferens ad faciendum, vel non faciendum miraculum, non poſſumus prudenter coniectare vnam partem contradictionis potius quam oppoſitam, cum iuxta Adverſarios omnimodum æquilibrium ſit de conceptu divinę libertatis.

(?¤o?)

SECTIO QVARTA.

Ostenditur Deum esse moraliter necessitatum ad productionem vniversi, & alicuius vnionis hypostaticæ.

24 HÆC sit nostra secunda conclusio, quam à priori probo; nam Deus ex se habet inclinationem ad manifestanda sua attributa, nullamque habet inclinationem ad oppositum, quia ex terminis implicare videtur rem ex se habere inclinationē ad contradictoria, neque posse Deū quidquam decernere, quin agat contra propriam inclinationem, ergo est necessitatus moraliter ad manifestanda sua attributa per alicuius vniversi productionem. Consequentia probatur 1. quia, complacentia necessario conveniens agenti libero circa aliquod obiectum honestum fundat necessitatem moralem de electione illius obiecti, si non sit coniuncta cum aliqua complacentia, vel cognitione necessaria retrahente ab electione illius obiecti, & inclinante in oppositam electionem: prudens enim quisque iudicabit naturam rationalem habentem de se inclinationem ad aliquam electionem honestam, illam electionem futuram, si non adsit inclinatio aliqua invitans ad oppositum. Secundò quia si semel Deus ex se necessario potest esse inclinatus ad vniversi productionem, nihil absurdi continet hanc inclinationem esse tantam, quæ fundet moralem certitudinem.

25 Quod autem Deus ex se habeat inclinationē ad manifestationem suorum attributorum suadetur à priori ex natura boni, quod teste Dionisio cap. 4. de divinis nominib. *de se est diffusivum sui esse: & vt passim ibi repetit: natura boni est proferre in lucem, & conservare.* Cum ergo Deus sit summe bonus nō potest carere inclinatione diffundendi suum esse, & proferendi in lucem creaturas, in quibus eius perfectiones eluceseant.

26 Probatur 2. authoritate eiusdem Dionisij ibidē: *Ipse enim bonus Author eorū quæ sunt amor; cum prius in ipso bono excellenti, præstanti; ratione esset, non passus est, ipsum in se sterilem, & in fœcundum manere, sed eum impulit ad agendum, Singulari abundātia, quæ est procreatrix omniū:* ergo iuxta Dionisium amor ille necessarius, quo Deus suam infinitam bonitatem diligit eum impulit ad productionem creaturarum: ac proinde amor ille necessarius est inclinatio quædam se communicandi ad extra,

26 Nec refert, quod Deus non indigeat creaturis, vt ab illis perficiatur, melior vè reddatur; nam vt inquit Divus Thomas 1.part.quæst. 19. art. 2. in corpore, res naturalis non solum habet naturalem inclinationem respectu proprij boni, vt acquirat ipsum cum non habet, vel quiescat in illo cum habet, sed etiam vt proprium bonum in alia diffundat secundum quod possibile est. Vnde videmus, quod omne agens in quantum est actu, & perfectum facit sibi simile: ergo etiam Deus à quo per quandam similitudinem derivatur omnis perfectio, de se debet habere inclinationem, vt proprium bonum in alia diffundat: vt enim subiungit Angelicus Doctor, si res naturales, in quantum perfectæ sunt, suum bonum alijs communicāt, multo magis pertinet ad voluntatem divinam, vt bonum suum alijs per similitudinem communicet secundum quod possibile est. Confirmatur, nam Deus seipsum amat propter se, & quidem amore infinito: ergo habet inclinationem communicandi suā essentiam alijs. Probo consequentiam ratione à priori: qua Divus Thomas vtitur lib. 1. contra Gentes ad probandum Deum volendo se debere etiam velle alia. Quæ enim propter se amamus, inquit, volumus multiplicari quantum possibile est: ipse autem Deus suā essentiam propter seipsum vult, & amat, non autem secundū se augmentabilis, & multiplicabilis est, sed solū multiplicabilis est secundum suam similitudinem, quæ à multis participatur, vult igitur rerum multitudinem ex eo, quod suam essentiam vult, & amat.

27 Quamvis autem Deus ex se inclinatus sit ad alicuius mundi productionē, quia melius, & convenientius est aliquem, quam nullū produci, non tamen habet inclinationem ad plures simul producendos, quod egregie explicuit D. Thom. 1. part. quæst. 47. art. 3. vbi quærit vtrum sit vn° mund° tantum: & huic argumento: natura facit, quod melius est: & multo magis Deus: sed melius foret esse plures mundos, quam vnum, quia plura bona pauciotibus meliora sunt; ergo plures mundi facti sunt à Deo. Huic inquam argumento respondet, quod nullū agens intendit pluralitatē materialē, vt finē, quia materialis multitudo non habet certum terminum, sed de se tendit in infinitum: in

in infi-

infinitum autem repugnat ratione finis. Cū autē dicitur plures mundos eſſe meliores, quam vnum, hoc tantum dicitur ſecundum multitudinem materialem; tale autem melius non eſt de intentione Dei agentis, quia eādem ratione dici poſſet, quod ſi feciſſet duos, melius eſſet, quod eſſent tres, & ſic in infinitum.

28 Reſpondebit aliquis ex P. Alderete diſp 1. ſ. 5. n. 4. ex inclinatione Dei ſe communicādi ad extra non poſſe probari neceſsitatē moralem, quia illa inclinatio non eſt abſoluta, ſed ſolū conditionata, nimirum ſub conditione divini beneplaciti: quemadmodū anima noſtra, vel potentia loco motiva, inquit, innate propendet in motū localem, ſub conditione, quod voluntas velit motum illum. Eſt autem hoc beneplacitum iuxta hunc Authorem vehemens quædam complacentia libera, qua Deus propendebat in productionem huius vniverſi, & de hac complacentia exiſtimat dictum fuiſſe à Dioniſio, quod Deum impulerit ad agendum.

29 Sed contra 1. quia aliquam debemus concedere Deo propenſionē ad ſe cōmunicandum ad extra, quam ille ex ſe non habeat ad ſe non communicandum. Atqui ad ſe non communicandum etiam habet propenſionem conditionatam ſub conditione ſcilicet, quod vehementē complacentiā liberā non ſe communicandi cōcipiat: ſiquidem ex ſe propendet in adimpletionē vehemētis ſuæ cōplacentię, ergo ad ſe communicandū debemus concedere propenſionem abſolutam. Contra 2. quia amor, qui Deum impulit ad creandum, eſt amor, quo Deus fertur in ſuā infinitā bonitatem, ac proinde amor neceſſarius; vt enim inquit D. Thomas l. 9. exponens illū locū Dioniſij: ex amore bonitatis ſuæ proceſsit, quod bonitatē ſuam voluit diffundere, & cōmunicare alijs ſecundum quod fuit poſsibile, ſcilicet per modū ſimilitudinis, & quod eius bonitas non tantum in ipſo maneret, ſed ad alia effluereț.

30 Dices bonitatem quidem Dei ipſum inclinare ad ſe communicandum: cæterum maieſtatem à communicatione retrahere. Cum ergo par ſit bonitati maieſtas, Deus erit ex ſe in omnimodo æquilibrio ad producendum, vel non producendum vniverſum. Sed contra 1. quia implicat maieſtatem virtualiter identificatam bonitati habere propenſionem ipſi contrariam. Contra ſecundo: quia nequit eſſe bonum maieſtatis à nullo inferiori cognoſci, & adorari, ſed potius ipſam maxime decet timeri, & coli. Aſſero 2. Deum ex ſe eſſe moraliter neceſsitatū ad incarnationem. Nam ex ſe eſt ita neceſsitatus ad productionem alicuius vniverſi vndequaque perfecti, & cui nō deſit nobiliſsimus gradus entis, cuius exiſtentia per aliorū exiſtentiam non compenſatur, qualis eſt Chriſti Domini; nam vniverſū ſic perfectum produci melius eſt, quam produci hac perfectione carens. Rurſus Deus ex ſe moraliter neceſsitatus eſt ad illud, quod ſibi glorioſus, & mundo vtilius: nihil autē Deo glorioſus, nec mundo vtilius quā exiſtentia hominis Dei vt probāt quæ diximus diſp. 1. & quæ D. Thomas expēdit lib. 4 contra Gen. c. 54. ergo &c.

31 Aſſero 3. ad nullius entis in individuo productionem Deus eſt moraliter neceſsitatus. Ratio eſt; quia cum intra quemcumq; ſpeciē poſsibilia ſint infinita individua, tunc ſi Deus ex ſe foret neceſsitatus ad aliquod determinate, foret neceſsitatus ad infinita, cū par ſit de ſingulis ratio. Vnde cū aliunde impoſsibile ſit ea omnia ſimul produci, fieret inde Deū eſſe moraliter neceſsitatum ad impoſsibile.

32 Aſſero quartò ad nullius mundi determinate ſumpti creationem, neque ad vllius creaturę, vel vnionis hypoſtaticæ determinatè ſumptæ productionem habet Deus inclinationem, & propenſionem neceſſariam. Probatur, quia ſi haberet inclinationem determinatè ad aliquam, haberet ad infinitas. Vnde cum eas omnes ſimul producere nequeat, haberet ex ſe neceſsitatem agendi contra propriam inclinationem: ſiquidem ex ſe haberet neceſsitatem, ſe determinandi ad non productionem plurīū creaturarum, ad quarum productionem haberet neceſſariam propenſionem: ſequela autem ſatis videtur abſurda.

33 Dices: Deus neceſſario amat creaturas ſingulas poſsibiles amore cōplacentiæ: ſiquidē neceſſario amat artē ſuam factivā creaturarum, & tales rationes per artē imitabiles: ergo placent neceſſario artefactibilia, & idæata. Probatur conſequentia: quia ex hypotheſi, quod aliquis amet artē muſicā, ſeu pictoriā neceſſario cōplacet in muſica, vel pictura artefacienda. Tum ſic: at complacentia neceſſaria Dei in creaturis poſsibilibus eſt aliqua inclinatio ad dandum illis exiſtentiā: ergo cum aliunde ſit neceſsitatus ad non dandam exiſtentiam omnibus ſimul, iam erit neceſsitatus ad agendum contra propriam inclinationem.

34 Respondeo si Deus amat amore complacentiæ singulas creaturas possibiles, sicut amare probavi tractatu de voluntate, illam complacentiam talem debere esse, vt non inclinet Deum ad productionem sui termini determinate, sed ad illam, vel ad productionem alterius similis, in quo etiam resplendeat æqualiter, vel melius perfectio divina. Sic Artifex, quia complacet in infinitis artefactis cognitis vt possibilibus, ex complacentia omnium non inclinaretur ad productionem omnium, sed aliquorum dumtaxat. Quare complacentia illa, qua Deus necessario approbat pulchritudinem, & perfectionem singulorum possibilium; perseipsam inclinat vage ad producendam hanc vel illam rerum multitudinem, in qua perfectè resplendeant divina attributa.

SECTIO VLTIMA.

Solvuntur obiectiones.

35 CVM Scriptura, & Patres tantoperè nostræ sententiæ faveant, eam proculdubio omnes amplecterentur, si existimarent componi posse cum perfectione divinæ libertatis. Obijciunt ergo primo necessitatem moralem ad vnum pugnare cum perfectissima libertate ad oppositum; eo quod potentia ad omissionem eius, ad quod quis moraliter est necessitatus, impotentia absolutè dicitur: quo pacto homo absolutè impotens dicitur vitare omnia venialia, quia est necessitatus moraliter ad ea non vitanda collective. Respondeo tunc necessitatem moralem ad vnum esse absolutè impotentiam ad oppositum, quando oritur ex imbecilitate naturæ, ex imperfecta cognitione boni; & passionibus inclinantibus ad oppositum, quibus sine magna molestia nequit homo resistere, qualis est impotentia advitanda venialia. Aliter res se habet quãdo necessitas moralis provenit ex perfectione potentiæ, quæ ob exsuberantiam suæ bonitatis habet inclinationem se communicandi, quam potest non sequi absq; aliqua diminutione suæ fœlicitatis.

36 Obijciunt secundò: si Deus ex se habeat inclinationem necessitantem moraliter ad electionem optimi, neque physicè poterit, hanc electionem prætermittere; siquidem non habet potentiam physicam ad inferendam sibi violentiam agendo contra propriam inclinationem. Respondeo primò per instantiã; nam Adversarij præsertim P. Alderete disp. 1. s. 5. & in fine admittunt in Deo necessitatẽ moralẽ producendi vniversum proveniẽtem à libera aliqua cõplacentia erga mundi productionem; & tamen suppositâ illa cõplacentia adhuc Deus habet perfectissimam libertatem physicam non producẽdi vniversũ quin propterea inferatur habere potestatem inferendi sibi violentiam.

37 Respondeo secundò à priori Deũ non ex indigentia, sed ex abundantia perfectionis habere inclinationẽ illam se cõmunicãdi, in qua fundatur necessitas moralis: vbi autem hæc ex eo capite provenit non debet esse coniuncta cum potẽtia inferendi sibi violentiã. Tunc enim potentia ad agendum contra propriam inclinationem est potentia inferendi sibi violentiam, quando absque aliqua tristitia, dolore, vel incommodo, nequit exerceri, quod procul est à Deo, qui se communicando nullũ accipit incrementum imperfectionis, gaudij, aut delectationis; ac proinde sine vlla molestia potest electionẽ optimi prætermittere. Nos autẽ idcirco non possumus proprias inclinationes cohibere, quin aliquam violentiam, & coactionem patiamur, quia nostra inclinatio tendit ad complementũ internę fœlicitatis. Instatur quæ rursus agumentũ, nam potest homo contra inclinationẽ Dei agere, quin ei aliquã violentiam inferat, vt patet in reprobo qui contra Dei inclinationem salutem propriam amittit: quid ergo mirũ, quod Deus possit contra inclinationem suam agere absque violentia.

38 Obijciunt tertiò: Deus producit optimũ cum perfectissima libertate: hęc autẽ postulat summam indifferentiam in actu primo, id est omnimodum æquilibriũ non magis inclinans in vnum extremũ libertatis, quam in aliud, quod non componitur cum necessitate morali ad vnum: ergo &c. Respondeo primo per instantiã; nã suppositâ oratione B. Virginis aliquid à Deo postulantis, immo suppositâ creatione Christi D. haber Deꝰ perfectissimã libertatem ad faciendũ, vel non faciendũ, quod postulatur, & tamen non habet omnimodũ æquilibrium: alioqui orationes illæ nihil iuvarent ad flectendam, & inclinandam voluntatem divinam; siquidem eis positis maneret adhuc in omnimodo æquilibrio; quod tamen est falsum. Nam Scriptura Exodi 32. numerum 14. Deuteronom. 9. Psalmorum 29. 78. & 87. & Ioannis 17. prescribit formã orandi,

di, quæ validior eſt ad impetrandum proponendo rationes maioris gloriæ divinæ; fruſtra autem præſcriberet hoc, ſi poſita oratione Deus non eſſet abſolute magis inclinatus in vnum, quam in aliud.

39 Reſpondeo ſecundò à priori: vbi libertas eſt ad eligendum inter maius, & minus bonum eſſe imperfectam illam omnimodam indifferentiam, qui arguit voluntatem non eſſe ſumme perfectam, cum non propendeat magis in maius bonum: ergo quod Deus habeat perfectiſsimam libertatem ad eligendum optimum potius probat non eſſe inæquilibrio ſed cum maiori inclinatione ad electionem optimi quam ad eius omiſsionē. Et quidem cum omnes fateri debeant Deum ex ſe habere aliquam inclinationē ſe communicandi ad extra, fateri ſimiliter debent perfectiſsimam libertatem non afferre ſecum omnimodum æquilibrum.

40 Obijcies quartò: Deus abſque vllā difficultate, & ſumma cum facilitate potuit ſe determinare ad non producendum vniverſum: nequit autem quis moraliter neceſsitatus eſſe ad id, quod facile poteſt omittere: ergo, &c. Reſpondeo ſi difficultas proprie ſummatur, Deū abſque vlla difficultate potuiſſe omittere productionem vniverſi, quia potuit hoc præſtare ſine aliqua moleſtia, triſtitia, vel diminutione virium, & gaudij infiniti, quo fruitur. Cum hoc tamen rectè cōponitur, quod fuerit ex ſe magis inclinatus ad producendum, quam ad nō producendum vniverſum. Immo vnice inclinatus ad illud primum, ac proinde, quod fuerit moraliter neceſsitatus. Si difficultas late ſumatur, & metaphorice, vt nihil ſit aliud difficultas omittendi, quā inclinatio ad oppoſitum, hoc pacto non habuit Deus ſummam facilitatem omittendi productionem vniverſi, ſed tantam difficultatem, quanta eſt inclinatio ad oppoſitum. Addit Ruiz diſput. 10. ſect. 4. numero 13. aliquando difficile vocari, quod minus probabiliter exiſtimatur eſſe futurum, & in hoc ſenſu, Deum nolle facere optimum eſſe difficile non quidem ipſi, ſed nobis bene conſideranti. tibus propenſionem Dei.

41 Obijciunt quintò: omnia creata ſunt quaſi nihil reſpectu Dei, nam vt dicitur ſapientiæ 11. tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terræ, & tanquam gutta roris ante lucani: ergo nihil creatum voluntati divinæ vim aliquā adferre poteſt. Sicut ſiquis infinite amaret divitias: & poſſideret infinitas, non poſſet trahi extra indifferentiam volendi, aut nolendi per divitias finitas; quia nullū momentum adderent infinitis. Et vniverſim, quo quis in aliquo genere bonorum plus poſſidet, eo minus afficitur exiguo additamento v. g. minus æſtimat numum aureum, qui meliorem poſsidet, quam qui tantū centum: ergo nullo modo afficeretur, ſi poſsident infinitudinem bonorum: at qui Deꝰ in ſe poſsidet eam infinitudinem: ergo nullo modo à finito bono trahi poteſt.

42 In primis hoc argumentum multum probat; videlicet Deum ex ſe nullam habere inclinationem ſe communicandi ad extra, quia inclinatio aliqua ad vnum extremum tollit æquilibrium omnimodum ad vtrunque; probat etiam orationes, & merita Sanctorum nullum momentum adferre, vt voluntas divina ſit inclinata ad concedendum potius, quam negandum præmium, ac proinde nullam probabilitatem illius fundare: quæ ſanè abſurda ſunt.

43 A priori reſpondeo ex tractatu de voluntate nihil creatum ex ſe habere vim inclinandi divinam voluntatem, ſeu movendi, & faciendi, vt illa in ſe non ſit in æquilibrio, ſed ipſammet per ſeipſam illo carere: quia ex ſe habet propenſionem ſe communicandi creaturis: quare ſi ex ſe voluntas divina foret in omnimodo æquilibrio abſurdum eſſet extrahi ab illo vi cuiuſvis creaturæ; cæterum non ſic contingit. Nam propterea præces, & merita Sanctorum dicuntur flectere illam, quia ipſa ratione ſuæ bonitatis eſt conditionate inclinata ad concedendum aliquid ſub conditione quod merita, & orationes illud poſtulent. Vnde eis poſitis iam eſt abſolute inclinata ad concedendum potius quam ad negandum.

44 Obijciunt ſextò: nequit Deus eſſe ex ſe magis inclinatus ad volitionem, quam nolitionem mundi, niſi illa ſit melior iſta: at hoc eſt falſum, cum vtraque ſit infinite honeſta & laudabilis, ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo maiorem; niſi ſit melior abſolute, & in ſe nego, niſi ſit melior in ordine ad manifeſtanda divina attributa, concedo. Quia ergo bonitas divina ex ſe eſt inclinata, vt ſe diffundat, ideo eſt inclinata ad volitionem mundi: quia vero ex ſe non eſt inclinatus Deus ad ſe non communicandū, propterea non eſt inclinatus ad nolitionem mundi, licet eam

ratione sui dominij posset summa cum honestate exercere. Vide Ruiz d. 10. s. 6. num. 18. vbi inquit voluntatem non inclinari ad volitionem; nisi quatenus inclinatur ad obiectum; vnde si magis inclinatur ad hoc, magis debet inclinari ad illam quamvis non sit subiective melior, quam opposita nolitio.

45 Dices Deus, ex se est inclinatus, ne existant peccata: videt autem peccata extitura si mundus creetur: ergo ex se est inclinatus ne mundus creetur: ac proinde ad nolitionem mundi. Distinguo maiorem: ne existant ex determinatione voluntatis potentis peccare, id est est inclinatus, vt voluntas potens peccare non peccet. Concedo maiorem: ne existat ex defectu potestatis ad peccandum, id est, de se est inclinatus ne existant potentia peccandi, vt sic euitentur peccata, nego maiorem. Et concessa minori nego consequentiam. Itaque de se Deus est inclinatus, vt existat voluntas potens peccare, & rursus est inclinatus, vt sub conditione, quod sic existat libere omittat peccatum: ex quo potius sequitur Deum habere se inclinationem, vt mundus creetur.

46 Obijciunt septimò: si Deus ex se fuit moraliter necessitatus ad incarnationem: ergo frustra antiqui Patres aduentum Christi postularunt; vt quid enim postularunt id, ad quod concedendū Deus erat moraliter necessitatus independenter ab eorum orationibus. Confirmatur primo, nam si Deus ex se moraliter necessitatus est ad faciendum id, qnod melius est ad gloriam suam: ergo cum adhuc finem melius fuerit Christi fidem in mundo recipi, quam non ex se Deus erat moraliter necessitatus ad faciendum, vt reciperetur. Vt quid ergo Apostoli tam solliciti orabant pro fidei dilatione? Confirmatur secundò, quia nostra sententia tollit solicitudinem orandi; nam vel id, quod postulatur est melius ad gloriā Dei, quam eius oppositum, vel non. Si primum frustra est oratio; quia independenter ab illa eodem modo referat extitura. Si secundum, improvida erit, vtpote tendens ad impetrandum, quod Deus nunquam vlli concedit. Confirmatur tertiò: quia ex nostra sententia sequitur improvide Christum postulasse à Patre, vt ab ipso mortem averteret; siquidem petebat rem minus conducentem ad gloriam Dei; ac proinde moraliter impossibilem.

47 Respondeo ad argumentum negando consequentiam: tum quia Patres antiqui supponentes ex promissione diuina Christum venturum, non eius aduentum, sed aduentus accelerationem postulabant, quæ tamen non erat moraliter necessaria independenter ab eorum precib⁹, tum quia cum Deum ex se esse moraliter necessitatum ad aliquid faciendum, non tollat quod absolute absque aliqua vera difficultate possit facere oppositum, non tollit orationem postulantem, ne re ipsa faciat. Tum quia cum Deo maxime placeat vt ab ipso postulemus ea, ad quæ cōcedenda ipse habet inclinationem: & cum ipsum esse necessitatum moraliter ad aliquid faciendum, nihil aliud re ipsa sit, quam ex se habere inclinationem ad id, & nullam ad oppositam, constat necessitatem moralem, non impedire orationem. Et per hoc patet ad primam confirmationem. Apostoli nanque postulabant propagationem fidei in vniverso mundo, quia videbant Deo placere, vt ab ipso postulemus ea, quæ maiorem eius gloriam concernunt.

48 Ad secundam confirmationem nego sequelam: tum quia sæpè postulamus res indifferentes, quorum concessio independenter ab oratione non erat moraliter necessaria, sed talis constituitur per ipsam orationem: tum quia sæpè postulat aliquis, vt sibi determinate conferat Deus, quod erat moraliter necessarium, vt concederet alicui vage, non tamen ipsi determinate. Deinde quamvis antecedenter ad orationem melius foret rem mihi concedi, quā negari, ac proinde Deus esset moraliter necessitatus ad concedendum, non propterea inutilis esset ratio; cum placeat Deo, vt ab ipso postulemus ea, ad quorum elargitionem ipse erat inclinatus, & consequenter moraliter necessitatus: adde orantem nihil cogitare de necessitate illa morali, vel si cogitet non esse certum, an re ipsa detur; vnde ille non poterit vsum orationis impedire.

49 Ad tertiam respondere debent omnes. Siquidem Christum non mori supposita ordinatione Patris erat non solum moraliter, sed metaphysice impossibile. Postulabat ergo Christus rem omnino impossibilem. Absolute respondeo, Christum mori non fuisse optimum, nisi dependenter ab eius voluntate, quia licet melius foret Christum mori libere acceptando mortem, quam non mori, præscindendo tamen à libera acceptione non erat melius, nam si absolute ipse noluisset ac-

cep-

ceptare mortem, non esset conveniens ex hac suppositione, vt mortem subiret. Quare Christus postulans carētiam mortis, postulabat aliquid, ad quod non erat Deus moraliter necessitatus. Videbat tamen Christus se magis Deo placiturum, si acceptaret libere mortem, & propterea statim suam orationem corrigens subiunxit, verum tamen non mea, sed tua fiat voluntas.

50 Obijciunt octavò: ex nostra sententia sequi Dei beneficia multo minora esse, minusque digna gratiarū actione, quia forent minus gratuita, vtpotè procedentia à minori libertate; sicut enim si in Deo daretur absoluta necessitas producendi creaturas, productio non esset gratuita, & liberalis, ita si datur aliqua necessitas, nempe moralis, debet esse minus gratuita, & liberalis. Et confirmatur, nam ratio debiti deprimit rationem libertatis: Deus autem, si necessitatus foret ad creaturarum productionem, hanc aliqua ratione deberet: ergo minus liberaliter se gereret,

51 Respondeo negando sequelam nam infallibilitas moralis benefaciēdi proveniens ex infinita scientia comprehendente discrimen inter bona maiora, & minora, & ex redundantia divinę bonitatis, sicut est magis voluntaria &, magis libera ab omni coactione, immo ab omni necessitate antecedenti, quam Deus ab alio patiatur ad habendam eam infallibilitatem: & sicut est magis libera ab omni cupiditate proprij commodi, ita est magis liberalis, & gratuita. Et quidem si necessitas moralis benefaciendi proveniens ex amore, & inclinatione minueret beneficij æstimationem, magis æstimanda forent beneficia collata invito animo, & cum tristitia, aut dolore, quam collata animo libenti, & cum delectatione: quod constat esse absurdum; nam vt ait Philosophus 4. Ethicorum cap. 1. *Liberalis dabit cum voluntate, & sine vllo dolore; id enim quod per virtutem efficitur afficit voluptate.* Rursus sequeretur minus æstimabilia esse, vel fuisse Christi Domini, Beatæ Virginis, ac Sanctorum beneficia, vtpotè procedentia à necessitate morali.

52 Ad confirmationem respondeo. Deum necessitatum moraliter ad benefaciendum non debere alteri, sed sibi; vt enim docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 117. art. 5. ad 1. liberalitas non respicit debitum legale, sicut iustitia, sed debitum quoddam morale, quod attenditur ex quadam ipsius decentia, non ex hoc, quod sit alteri obligatus. vnde merito notavit Caietanus quæst. 19. art. 2. ad finem, liberalitatem non minui, quamvis motivum communicandi sua bona sit, quia decet ipsum Deum. Confert itaque Deus beneficium creaturis, non quia ipsis debeat, sed quia sibi debet liberalitatem congruentem summo bono exercere.

DISPVTATIO XII.

AN PVRVS HOMO POSSIT CONDIGNE SATISFACERE PRO PECCATO PROPRIO?

Ad quæstionem primam 3. part.

VT constet, an, & quo pacto incarnatio fuerit necessaria ad exhibendam Deo cōdignam satisfactionem pro peccatis, decernendū prius est, an possit purus homo, id est non vnitus physice Deo, satisfacere condigne pro peccato proprio, item an possit pro alieno. De hoc secundo disp. sequenti, nunc de primo: quia vero, si per aliquem actum potest homo cōdigne satisfacere pro peccato proprio, ille debet esse actus perfecte dilectionis Dei, & contritionis; totum disputationis pondus in hoc incumbit, an per huiusmodi actus possit ita satisfacere?

(??o?)

SEC-

SECTIO PRIMA.

Si contritio sit forma sanctificans, purus homo potest satisfacere condigne pro peccato proprio, quoad culpam.

IDEST, si sit forma delens per seipsam maculam habitualem; nam si per seipsam nō deleret, sed dumtaxat exigeret gratiam, aut condonationem extrinsecam per quam formaliter deleretur, alia forsam esset ratio. Hanc assertionem defendit Pater Vazquez 3. p. disp. 2. cap. 6. dum asserit hominem per actum perfectæ contritionis satisfacere condigne pro culpa, esto non satisfaciat pro toto debito contracto per peccatum; quia nimirum per istum contraxit debitum carendi auxilio sufficienti ad eliciēdam contritionem, quod debitum supponitur remissum ante contritionem per auxilij collotionem. Eandem defendunt ipsius Discipuli. Casp. Hurt. & Torres, item Meratinus disp. 3. de incarnatione sect. 12. Eandem supponit P. Suarez lib. 7. de gratia cap. 14. num. 3. dum inde potissimum impugnat sententiam P. Vazquez tribuentem contritioni formalem vim sanctificandi; quia ex illa sequeretur hominem posse condigne satisfacere pro mortali. Quo argumento vtuntur passim Doctores negantes illam vim contritioni. Est autem nostras sertio contra P. Ripalda disp. 97. de ente supernaturali num. 26. contra P. Alderete disp. 5. de Incarnatione sect. 1. & contra Cardinalem Esfortia in libello de pœnitentia num. 220.

2 Probatur autem à priori, quia ille condigne satisfacit pro culpa, qui facit quantum est satis ad illam extinguendam, seu vt persona offensa deponat offensionem conceptam occasione iniuriæ, & nequeat iam deinceps personam offendētem aversari, atque vt inimicum tractare; atsi actus contritionis sit forma sanctificans, peccator illum eliciens totum hoc præstat respectu Dei: ergo condigne satisfacit pro culpa mortali. Probatur minor: quia si contritio est forma sanctificans, per illam formaliter aboletur macula peccati, & extinguitur ius, quod ratione culpæ Deus habet ad odio habendum peccatorem, illumque tractandū vt inimicum infligendo pœnam æternam, cum repugnet hominem esse sanctificatum, & à culpa liberum; & tamen propter illam adhuc posse odio haberi, & in æternum puniri.

Probatio à priori.

3 Dices primò ex P. Alderete vbi supra num. 9. contritionem esto sit forma sanctificans, adhuc non esse satisfactionem condignam pro peccato, quia non est obsequium tantundem Deo placens, quantum ipsi displicuit offensa. Sed contra, qui eatenus id requiritur ad satisfactionem condignam, quatenus requiritur, vt obsequium vim habeat delendi formaliter offensam. Atqui si contritio sit forma sanctificans non requiritur, vt tantūdem placeat Deo, quantum ipsi displicuit offensa; vt istam formaliter deleat, ergo si sit forma sanctificans erit condigna satisfactio pro offensa. Probatur minor; nam vt forma sanctificans deleat formaliter offensam, non debet tantum bonitatis continere, quantum malitiæ illa continet, nam gratia habitualis in sententia huius Doctoris, & communiori inter Theologos cum S. Thoma, & P. Vazquez per seipsam delet formaliter peccatum; & tamen non tantam habet bonitatem, quantam illud malitiam, nam vel peccatum habet simpliciter infinitam in ratione offensæ, vel superioris ordinis, & licet neutram haberet; tamen evidentissimum est in multitudine peccatorum mortalium plus mali contineri, quam boni contineatur in vnico gradu gratiæ, & tamen vnicus gradus gratiæ sufficit delere quamcunque multitudinem peccatorum: ergo si contritio sit forma sanctificans poterit delere formaliter peccatum, quamvis non sit æque bona, ac illud est malum: ergo poterit esse condigna satisfactio pro illo.

Reijcitur solutio P. Alderete.

Potest contritio delere offensam quia tantum placeat Deo quantum displicuit offensa.

4 Dices secundò: satisfactio est iniuriæ illatæ recompensatio secundum iustitiæ æqualitatem, vt definit D. Thomas in 4. dist. 15. art. 1. quæstiuncula 3. in corpore: at actus contritionis non est iniuriæ illatæ recompensatio secundum æqualitatem iustitiæ, quamvis sit forma sanctificans, cum non contineat bonitatem æqualem malitiæ iniuriæ: ergo &c. Respondeo negando minorem, quia ad compensandam iniuriam secundū iustitiæ æqualitatem satis est aufere totam inæqualitatem inductam per iniuriam; tota autem hæc inæqualitas tollitur per contritionem, hoc ipso, quod sit forma sanctificans, quia tollitur tota culpa, in qua consistebat inæqualitas. Neque vero iustitia postulat, vt plus adhibeatur, quam sit necessarium ad tollendam inæqualitatem in-

Reijcitur 2. solutio.

inductam per iniuriam. Quare si contritio potest esse forma sanctificans, quin sit bonitatis æqualis malitiæ peccati, etiam poterit esse condigna satisfactio.

Solutio Cardinalis Fsfortia.

5 Dices tertiò ex Cardinali Esfortia, propterea ex eo, quod contritio sit forma sanctificans non sequi esse condignam satisfactionem pro mortali; nam aliud est, inquit, cõcurrere ad aliquid per modum causæ physicæ; aliud per modum causæ meritoriæ de condigno. Sic Beata Virgo potuit physice concurrere ad productionem hominis Dei; & tamen neque ipsa, neque alia creatura poterat hunc effectum de condigno mereri. Concursus enim physicus factus per elevationem non minuit summam æstimabilitatem effectus, sicuti concursus moralis per modum meriti condigni, si ergo contritio haberet ex sua perfectione morali, & quatenus est actus meritorius delere peccatum, & obtinere de condigno gratiam habitualem, vtique sequeretur prædictũ absurdum; secus est, si habeat iustificare tanquam forma physica, ita, vt eandem iustificationem præstaret, etiam si non eliceretur, neque libere, neque meritorie. Hæc ille.

Impugnatur.

6 Sed contra; quia hęc solutio licet evidenter probet peccatorem eliciẽtem contritionem per illam non satisfacere pro culpa merendo condigne culpæ remissionem: siquidem formalis remissio fit per ipsam contritionem, & evidens est eam non mereri seipsam, tamen minimè probat non satisfacere verè, & propriè. Sicut enim propriè facit formam, quæ delet culpam; ita propriè facit quantum satis est, ne iam Deus sit amplius aversus à peccatore, ipsique infensus: & sicut quod Beata Virgo non meruit de condigno Christum, non tollit, quod propriè ipsum produxerit, ita quod peccator eliciens contritionem emundantem à culpa non mereatur condigne illius remissionem nó tollit, quod proprie satisfaciat pro culpa.

Exponitur quid sit satisfactio condigna.

7 Nec vero peccator dici debet solum satisfacere per modum causæ physicæ, nam esto ipsa contritio non deleat culpam, tanquam causa moralis, & meritoria: siquidem eodem modo deleret, quamvis eliceretur necessario; tamen peccator ex quo libere ponit illam formã dici potest, ac debet causa moralis ipsius satisfactionis, sicut dicitur causa moralis suorum peccatorum, & actuum laudabilium.

8 Contra secundò, & principaliter, nam hic Author supponit satisfactionem condignam pro culpa esse illam, per quam offensor condigne mereatur, vt Deus infundat gratiam, qua illa formaliter remittatur, ac proinde supponit idem esse satisfactionem condignam pro culpa, ac meritum condignum remissionis. At hæc doctrina est falsa; nam satisfactio condigna pro culpa per seipsam formaliter delet maculam; meritum autem condignum remissionis non perseipsum, sed per præmium sibi correspondens hoc præstat. Vt intentum probem sumino culpam venialem pro qua iuxta communem Theologorum potest homo iustus condigne satisfacere: & sic argumentor. Nã si condigna satisfactio pro culpa non extinguit illam formaliter, sed indiget acceptatione: ergo post quam homo exibuit condignam satisfactionem pro culpa veniali, si Deus nolit illam acceptare, ad hunc manebit in homine culpa, & dignitas offensionis: ergo adhuc poterit Deus ab illo exigere vlteriorem satisfactionem; nam quandiu manet culpa, manet Deus cum iure exigendi satisfactionem pro illa; cum ius illud essentialiter imbibatur in culpa, quæ sicut peccatorem constituit dignum displicentia, & offensione divina, ita constituit dignum à quo Deus exigat satisfactionem. At implicat, vt postquam homo exhibuit Deo cõdignam, & æqualem satisfactionem pro offensa maneat Deus cum iure ad exigendum vlteriorem satisfactionem; quia Deus non habet ius ad exigendum ab homine tatione offensę nisi illam, quam ipse pro illa debet, satisfactionem, ipse autem solum debet satisfactionem æqualem, quando illam potest reddere: ergo Deus non potest exigere, nisi satisfactionem æqualem: ergo post quam pro offensa exhibuit homo satisfactionem æqualem, non potest Deus vlteriorem exigere: ergo quia offensa formaliter extinguitur per condignam satisfactionem.

9 Ex quibus deducitur responsionem Esfortiæ dumtaxat evincere peccatorem non posse mereri de condigno remissionem peccati mortalis per actum contritionis: minime tamen probat; dimissa iam parte debiti per collationem auxilij congrui, non posse condigne pro illo satisfacere, quoad totam culpam, & æternam pœnam.

10 Dices quartò ad delendum peccatum per modum formæ incompossibilis non requiri quidem tantum bonitatis

tis in forma expellente, quantum est malitiæ in peccato, vt evincit exemplum gratiæ sanctificantis, quæ minus bona est, quam sit malum peccatum, & tamen illud per seipsam formaliter delet. Sed cõtra, quia satisfactio, vt modo probavimus, non delet offensam per modum causæ moralis meritoriæ moventis personam offensam ad condonandam iniuriam, sed per modum obsequij incompossibilis cum vlteriori perseverantia morali iniuriæ, eamque extinguentis seipso formaliter: ergo si ad delendum peccatum per modũ formæ incompossibilis non requiritur bonitas æqualis malitiæ, neque ad delendum per modum satisfactionis.

4. Solutio.

Impugnatur.

11 Quare tunc obsequium debet esse æquale malitiæ peccati, vt sit condigna satisfactio pro illo, quando sine hac æqualitate habere nequit vim delendi formaliter offensam, vt contingere videtur in humanis: cæterum vbi obsequium sine bonitate æquante malitiam, perseipsam delet offensam nihil illi de esse potest, vt sit satisfactio condigna; prout contingit in contritione, si sit forma sanctificans, nam hoc ipso tantum valet ad placandum Deum, quantum valuit peccatum ad ipsum lacessendum. Vnde qui libere ponit illam formam, libere satisfacit pro peccato: qui necessario; satisfacit necessario; quare qui dicunt esse de conceptu satisfactionis pro offensa habere tantum bonitatis moralis, quantum illa habuit malitiæ, asserere debent idem esse satisfactionem condignam, ac meritum condignum veniæ, seu cui correspondeat vt præmium æquale remissio culpæ vnice posita à persona offensa, quod tamen ostendimus esse falsum

12 Dices quintò: non stat Deum gratis remittere peccatum, & tamen hominem condigne satisfacere pro illo: at si contritio sit forma sanctificans Deus gratis donans homini contritionem gratis illi remittit offensam; sicut gratis remittit, dum gratis infundit gratiam habitualem. Insto argumentum in contritione de venialibus cõmissis ab homine iusto, quæ elicita à iusto extinguit ius per seipsam formaliter, & culpã venialem per modũ condignæ satisfactionis delet; & est tamẽ donũ Dei gratis sæpè concessum. Dicendum ergo est nihil obesse contritionem esse donum Dei gratis datum, & sine præcedentibus meritis, ne sit satisfactio pro peccato, nam sicut componitur cum hoc, quod homo verè, & propriè ponat contritionem, ita componitur, quod per illam verè, & propriè satisfaciat.

5. Solutio.

Reijcitur.

SECTIO SECVNDA.

Impugnatur sententia Patris Ripaldæ.

13 DICES sexto ex P. Alderete, & Ripalda hominem ratione peccati gravis infamem contrahere servitutem, ob quam Deus illum vt vile mancipium tractare potest, iusque acquirit exigendi ab ipso omnia obsequia possibilia. Quod inde suadetur; nam titulo peccati potest peccatorem obligare ad pœnas æternas: ergo à fortiori ad obsequia æterna; nam arbitrio Iudicis supræmi pœna debita delicto potest cõmittari in obsequium personæ offensæ: obsequia autem æterna iure possunt exigi pro cruciatibus æternis; cũ peccatori melius sit illa præstare, quam hos subire. Hinc autem infertur, non posse hominem per actum contritionis condigne satisfacere pro culpa mortali, quãvis ille sit forma sanctificans: quippe vt sit satisfactio condigna pro peccato debet esse adæquata iuri, quod Deus habet in servitutem peccatoris; quæ adæquatio contritioni non convenit; nam ratione talis servitutis poterat Deus tanquam Dominus obsequiorum peccatoris exigere iure alium actum perfectiorem, seu intensiorem, aut vna cum actu contritionis actum religionis.

Proponuntur sententia illa.

14 Verum ad hominem contra hunc Authorem argumentor ex eis quæ ipse docet disp. 97. num. 3. ibi enim inde probat ad satisfactionem æqualem pro offensa non requiri bonitatem valentem obligare offensum ad amicitiam, & communicationẽ bonorũ, quã offensa demerita est, quia, inquit, ad satisfactionem æqualem pro offensa sufficit bonitas operis valens extinguere offensam, & inimicitiam cum offenso, vt est evidens. Tum sic: atqui si actus contritionis sit forma sanctificans, eius bonitas sufficit extinguere offensam, & inimicitiam cum offenso, vt est manifestum: ergo si sit forma sanctificans est satisfactio æqualis pro offensa.

Impugnatur ad hominẽ.

15 Iam ad argumentum respondeo hominem ratione peccati infamem contrahere servitutem, quia nimirũ quantum est ex se peccando animam Diabolo vendit, accepto tanquam prætio ipsa voluptatis dulcedine; vt exponunt Augustin. & Anselmus in caput 7. Epistolæ ad Ro-

Respondetur.

ma-

manos. Concedo etiam Deum ratione huius seruitutis posse exigere à peccatore infinita obsequia, dummodo nullum eorum sit forma sanctificans, nego tamen posse exigere infinita, si aliquod sit forma sanctificans, nam vbi per aliquod obsequium Deo exhibitum homo se sanctificat à culpa, extinguit ius in Deo exigendi vlteriora obsequia in satisfactionem culpę, sicut vbi per satispassionem, vel per opera satisfactoria delet reatum totius pœnæ extinguit in Deo ius ad exigendam satisfactionem pro pœna.

Exponitur seruitus, quã contrahit homo ratione peccati.

16 Vnde ad rationem Ripaldæ nego contritionem non esse satisfactionem adæquatam iuri, quod Deus habet in seruitutem peccatoris; nam illa satisfactio est adæquata iuri, quæ ius ipsũ extinguit: at contritio, si sit forma sanctificans, extinguit ius, quod Deus ratione peccati mortalis adquirit in æternam seruitutem peccatoris: cum extinguat culpam, quæ est fundamentum illius iuris, & qua ablata nequit homo manere dignus pœna æterna damni, & sensus, vt fert communior sententia, & ostendemus sect. sequẽti. Quamvis autem dimisso mortali quoad culpam remaneat reatus ad aliquam pœnam temporalem, hoc non efficit contritionem nõ esse condignam satisfactionem pro mortali, quoad culpam, sed solum quoad integram pœnam. Adde contritionem posse esse ita perfectam, vt ratione illius extinguatur omnis reatus ad pœnam, vt docet communis sententia apud Patrem Suarez de pœnitentia disp. 10. sect. 3. num. 7.

17 Dum autem dicitur ratione illius seruitutis potuisse Deum exigere alium actum contritionis perfectiorem, vel simul cum illo actum religionis. Respondeo, ratione illius iuris non posse Deũ exigere actũ quo ius ipsũ extinguitur: ac proinde non posse exigere contritionem, si hæc sit forma sanctificans: nam in signo in quo Deus exigit actum aliquem ratione seruitutis contractæ per peccatum, & intelligitur proxima potestas ad illum actum, & intelligitur talis seruitus: in signo autem proximę potestatis ad eliciẽdam contritionem sanctificantem à peccato, nequit intelligi seruitus per ipsum contracta; nam pro posteriori ad illud signum potest supervenire contritio liberans à peccato, & consequenter à tali seruitute: pro posteriori autem ad signum in quo intelligitur seruitus, nequit supervenire in eodem instanti reali forma ab illa liberans.

18 Ex alijs autem actibus non sanctificantibus potest Deus ratione illius iuris exigere perfectiores, & perfectiores in infinitum, quia quacunque multitudine exhibita, manet adhuc integrum ius ad alios infinitos. Si autem Deus per præceptum velit exigere contritionem, potest exigere quam voluerit in quacunque intensione non excedente vires actus primi. Quod si solum exigat contritionem necessariam ad satisfaciendum pro culpa, non potest obligare ad hanc intensionem præ illa: cum contritio si semel est forma sanctificans, non habeat vim sanctificandi præcise quatenus intensa, sed quatenus est dolor efficax de peccatis propter Deum summe dilectum.

SECTIO TERTIA.

Soluitur alia obiectio, vbi an possit culpa mortalis remitti, quin tollatur reatus pœnæ æternæ.

19 CONTRA nostram assertionem poterit quis sic insurgere: non est satisfactio æqualis pro culpa, & offensa, quæ non extinguit ius acquisitum Deo ratione offensæ ad exigendam satisfactionẽ pro ipsa. Atqui contritio licet sit forma sanctificans, tale ius non extinguit: ergo neque est condigna satisfactio pro offensa quoad culpam. Probatur minor, nam forma sanctificans solum extinguit ius ad aversionem, & odium inimicitię: hoc autem ius separabile est à iure exigendi satisfactionem pro offensa, vt cernitur in humanis, vbi potest homo offensus ab alio illum admittere in pristinam amicitiam, quin cedat iuri in compensationem iniuriæ acquisito.

20 Itaque iustitia postulare videtur, vt peccator vel per seipsum, vel per fidei iussorem offerat Deo satisfactionem tantundem ipsi placentem, quantum displicuit offensa; huic autem iuri Deus non cedit quamvis culpa deleatur per iustificationem, nam ratione culpæ iam dimissæ potest nunc competere Deo ius ad exigendam satisfactionem, prout cernitur in obligatione, cum qua post iustificationem manet homo ad luendam pœnam Purgatorij, pro qua Deus exigere potest satisfactionem in hac vita. Et sane frequens est loquutio apud Patres vt testatur Pater Suarez disp. 10. de pœnitentia sect. 3. num. 11. iustos etiam post dimissam

culpam

culpam satisfacere pro offensa, quam in Deum commiserunt.

21 Et confirmatur, quia stat hominem iustificari à culpa, per contritionem, & tamen adhuc manere cum reatu totius æternæ pœnæ debitæ peccato licet de fide sit de facto in iustificatione simul cum culpa remitti æternam pœnam, atqui manente illo reatu potest Deus exigere satisfactionem pro offensa iam dimissa, nimirum, vt peccatorem liberet ab æterna pœna.

22 Quod autem possit homo iustificari à culpa manente toto illo reatu, sententia est gravium Theologorum, eam enim defendunt post aliquos antiquos Cardinalis de Lugo disp. 7. de pœnitentia sect. 5. num. 69. & P. Ripalda disp. 91. de ente supernaturali à num. 41. quibus non obscure favet Pater Suarez disp. 10. de pœnitentia sect. 2. num. 9. Sunt pro hac sententia speciosa fundamenta, quæ recti methodi causa hic omittimus, vt maiori cum claritate, & brevitate diluantur ex dicendis sect. sequenti.

Doctores asserentes posse remitti culpam manente reatu ad æternam pœnam.

23 Nunc ad argumentum respondeo, deleto peccato quoad culpam vi satisfactionis exhibitæ à peccatore, implicatorium esse, quod maneat in Deo ius ad vlteriorem satisfactionem pro culpa: esto manere possit ad satisfactionem pro reatu pœnæ: quemadmodum si esset deletum, quoad culpam, & totum reatum pœnæ, nullam omnino iam Deus posset pro illo satisfactionem exigere, quia iam peccator nullam deberet. Et quemadmodum iustus post dimissam culpam venialem, si satisfaceret pro illa luendo totam pœnam ei respondentem non posset iam Deus ab eo exigere satisfactionem pro pœna, quia hæc satisfactio ordinatur ad liberandum à reatu pœnæ, & nullus tunc supereesset; ita deleto peccato quoad culpam per satisfactionem exhibitam à reo, nequit Deus exigere sanctificationem pro culpa, quia hæc ordinatur ad delendam culpam, & ista tunc supponeretur deleta.

Impugnatur illorum sententia.

24 Immo quamvis culpa non supponeretur deleta per actionem ipsius peccatoris, sed per gratiæ infusionem, iam Deus non posset exigere satisfactionem pro illa; quia dum remisit culpam, sicut abstulit à peccatore dignitatem odij & aversionis divinæ, ita abstulit debitum exhibendi satisfactionem pro culpa; eam enim eatenus tenetur exhibere, quatenus tenetur procurare, ne Deus sit ipsi infensus propter culpam: nequit autem Deus esse ipsi infensus postquam renunciavit iuri odio habendi propter culpam, quod præstitit, dum illam remisit, ergo postquam Deus condonavit offensam non tenetur homo ex iustitia pro illa satisfacere, licet titulo gratitudinis debeat Deo rependere obsequia pro beneficio remissionis.

25 Ex dictis patet post dimissam culpam posse quidem manere ius ad exigendam satisfactionem pro pœna cuius reatus manere potest dimissa culpa; non tamen ius ad exigendam satisfactionem pro culpa, vt distinctam à satisfactione pro pœna; sicut de illa loquimur in nostra assertione: Patres vero dum dicunt iustos post dimissam culpam adhuc satisfacere pro offensa, loquuntur de satisfactione pro pœna, quæ etiam dici potest quodam modo satisfactio pro culpa, quatenus reatus ad pœnam ex culpa dimanat.

Respondetur ad fundamentum sententiæ contrariæ.

26 Exemplum quod in confirmationem adducitur, & vt verum supponitur à nobis, tanquam falsum negatur. Nam hoc ipso, quod homo antiquam offensorem sui in pristinam amicitiam admittat cedit iuri exigendi ab illo compensationem pro iniuria; nam hæc eatenus fundabat ius ad illam, quatenus fundabat ius aversionis, & negandi offensori communicationem amicabilem: vnde, post quam offensus huic iuri cessit, iam non manet cum iure adcompensationem iniuriæ. Deinde quamvis id inter homines verum foret, in Deo locum habere nequit; inter homines nanque ideo verum esset, quia is, qui iniuriam passus est, quâvis illam gratis condoner, potest deinceps pati dolorem, aut ignominiam propter eius præteritionem, nisi illam ad æqualitatem compenset per humiliationem, & satisfactionem offensoris, quæ de se post quam est physice præterita, sit allativa tanti gaudij. & honoris, quantum iniuria præterita afferre potest doloris, & ignominiæ, quæ ratio cessat in Deo, qui ex iniuria præterita nullum dolorem, aut ignominiam pati potest.

27 Ad confirmationem permitto maiorem, nempe Deum posse remittere peccatum mortale quoad culpam manente reatu ad æternam pœnam, nego tamen minorem, nempe tunc posse Deum exigere satisfactionem pro offensa iam dimissa; solum nanque poterit exigere pro reatu pœnæ. Itaque argumentum in eo peccat, quod ex vna parte distinguit reatum odij inimicabilis constituentem ma-

culam

culam, à reatu pœnæ æternæ: & aliunde confundit ſatisfactionem pro culpa cum ſatisfactione pro æterna pœna, cum tamẽ ſatisfactiones iſtæ debeant diſtingui, ſi reatus diſtinguuntur: nam ſatisfactio pro peccato quoad culpam tendit ad extinguendum ius, quod Deus quatenus offenſus acquirit ad odiendum offenſorem ſuũ: ſatisfactio vero pro peccato quoad pœnam tendit ad extinguendum ius, quod quatenus ſupremus iudex, & gubernator habet ad infligendam pœnam commenſuratam delicto. Vnde argumentum ſolum concludit hominem non poſſe per contritionem ſatisfacere pro peccato, quoad reatum pœnæ æternæ, quod nos libenter concedimus, ſi ſemel poſsit homo dimiſſa culpa mortali manere reus æternæ pœnæ; nam hoc ipſo contritio, licet ſit forma ſanctificans, non poteſt delere reatum pœnæ æternæ per modum formæ incompoſsibilis: ſi autem hoc pacto non delet, non poteſt condigne delere; quia præter modum deſendi vt formã incompoſibilem, ſolum ſupereſt modus delendi per modum meriti, quo pacto nequid contritio condigne delere reatum pœnæ, obſequium enim, quod non eſt tam bonum, quam malum eſt peccatum, non poteſt condigne mereri remiſsionem totius pœnæ, illi correſpondentis.

Authores aſſerentes non poſſe remitti peccatum mortale manente reatu ad æternam pœnam.

28 Permiſsi, ſed non conceſsi maiorem, quia cum Sancto Thom. 3. p. quęſt. 86. art. 4. in corpore cum Soto in 4. diſt. 15. art. 4. concluſione 4. cum P. Vazquez 1. 2. diſp. 104. cap. 4. & 3. p. quæſt. 94. art. 1. dub. 2. num. 3. & 4. cum Alenſi, Scoto, Gabriel, & alijs veriſsimũ exiſtimo nõ poſſe remitti peccatum mortale, quin remittatur reatus æternæ pœnæ non ſolum ob rationem, qua ducitur P. Vazquez, nimirum, quia peccatum nequit deleri, niſi per infuſsionem gratiæ ſanctificantis, per quam homo conſtituitur dignus gloria æterna, cum quo non componitur illum habere reatum; ac proinde dignitatem æternæ pœnæ, ſed gratis admittendo poſsibilem eſſe condonationem extrinſecam, quæ nimirum inimicitiam deſtruat, quin amicitiam adſtruat, hoc autem ſect. ſequenti oſtendam.

(***)

SECTIO QVARTA.

Oſtenditur non poſſe hominem ſatisfacere pro mortali, quoad culpam, quin ſatisfaciat pro æterna pœna.

Probatur illa ſententia.

29 PROBATVR: implicat Deũ remittere culpam mortalem quin remittat æternam pœnam ipſi commenſuratam: ergo implicat per contritionem hominem ſatisfacere pro mortali, quoad culpam, quin ſatisfaciat, quoad æternam pœnam. Conſequẽtia eſt legitima, nam ſi antecedens eſt verum, deſtructio culpæ eſt etiam deſtructio reatus ad æternam pœnam: hinc autem legitime infertur non poſſe per contritionem deleri culpam quin deleatur talis reatus, iam probatur antecedens. Implicat Deum remittere culpam mortalem, quin cedat iuri averſandi odio inimicitię peccatorem: at implicat Deum cedere huic iuri manẽte reatu ad totam pęnam, nempe manente reatu ad pęnam æternam damni, & ſenſus: ergo implicat Deum remittere culpam mortalem manente toto illo reatu. Conſequentia eſt evidens, maior perſpicua; quia quamdiu Deus non cedit illi iuri, manet homo dignus odio inimicitiæ, tam diu autem manet peccator, & maculatus culpa læthali.

Voluntas infligendi homini pœnam æternam damni, & ſenſus propter culpam eſt formaliter odium inimicitiæ.

30 Probatur ergo minor: voluntas efficax Dei infligendi homini ęternum malum pœnæ damni, & ſenſus propter malum culpæ eſt formaliſsime odium inimicitiæ adverſus peccatorem: ſed implicat Deum cedere iuri habendi iſtam voluntatem manente reatu ad pœnam æternam damni, & ſenſus: ergo &c. conſtat hæc minor; quia manente reatu ad totam illam pœnam, ea tota manet homo dignus, implicat autem Deum cedere iuri ad infligendam illam pœnam, & tamen hominem manere illa dignum; quia quãdiu in homine datur dignitas ad pœnam in Deo datur ius ad illam infligendam: ac proinde ceſsio iuris ad infligendam pœnam propter culpam tollit reatum, & dignitatem pœnæ.

31 Quod autem illa voluntas efficax ſit odium inimicitiæ; prout dicebatur in maiori, ſuadetur: nam amare eſt velle alicui bonum, & odiſſe eſt velle alicui malum, vt habetur ex Phyloſopho 2. Rethoricorum cap. 4. & ex Divo Thoma 1. p. quæſt. 20. art. 1. ad 3. eſtque communis omnium ſenſus: ergo voluntas efficax

ficax infligendi homini æternam pœnam est odium inimicitiæ; cum vellit maximum malum, pœnam scilicet æternam damni, & sensus propter malum culpæ est formalissime odium inimicitiæ adversus peccatorem.

32 Confirmatur primò; nam Deum odio habere peccatorem propter culpam est velle illi aliquod malum, vt enim inquit D. Thomas 1.2 quæst. 46. art. 2. corpore. *Amamus aliquem, in quantum volumus ei inesse aliquod bonum: odimus autem aliquem, in quantum volumus ei inesse aliquod malum*; at non est velle illi malum culpæ; quia hanc Deus non amat: ergo est velle illi malum pœnæ: inter mala autem pœnę summum locum obtinet æterna pœna damni, & sensus, ergo dicendum est voluntatem infligendi hanc pœnam propter culpam esse stricte odium inimicitiæ.

33 Confirmatur secundò, nam voluntas efficax privandi hominem propter culpam gratia habituali, qua amicus, & filius Dei constituebatur, est odium inimicitiæ, vtpotè essentialiter opposita cum amore amicabili, qui consistit in voluntate efficaci dandi gratiam homini, qua filius adoptivus, & amicus Dei constituatur, vel in voluntate communicandi ei suppositа gratia hæreditatem æternæ gloriæ, vel in vtraque simul, nam cum vtraque ista voluntate simul sumpta, & cum qualibet earum seorsim opponitur essentialiter voluntas illa negandi gratiã propter culpam: ergo à fortiori voluntas efficax privandi hominem æterna beatitudine, & infligendi æternam pœnam ignis erit odium inimicitiæ.

Exponitur natura odij inimicitiæ.

34 Probatur consequentia primò: quia privatio gratiæ in tantum est ingens pœna in quantum ad illam consequitur privatio beatitudinis. Secundò: quia plus est negari homini in ęternum familiaritatem, & communicationem cum Deo per visionem, & amorem beatificum, & illum subijcere æternis flammis, magisque opponitur cum sincero amore amicitiæ, quam negare illi gratiam tribuentem ius physicum ad illam beatitudinem. Nam si concessa gratia homo privaretur æterna beatitudine, & deputaretur æternis flammis, parum illi prodesset gratia. E cõtra vero, si absque gratia assumeretur ad ęternam beatitudinem, & bona inde connaturaliter dimanantia, parum ei noceret carentia gratiæ habitualis. Tertio, quia voluntas hominem privandi propter culpam æterna beatitudine, eumq; deputandi æternis flammis non componitur cum voluntate efficaci dandi ipsi gratiam habitualem per totam æternitatem; quia implicat, vt Deus amicum suum propter culpam iam dimissam tam acerbè tractet; quid enim amplius facere posset, si esset inimicus infensissimus? Ergo voluntas puniendi in æternum pœna damni, & sensus propter culpam est etiam voluntas excludendi hominem in æternum à sua gratia, & amicitia, ac proinde est odium inimicabile.

35 Confirmatur vltimò; quia odium inimicitiæ contrarie opponitur amori amicitiæ: atqui voluntas efficax Dei communicandi homini æternam fœlicitatem est amor amicitię: ergo è contra voluntas infligendi homini propter culpam æternam in fœlicitatem erit odiũ inimicitiæ, cum habeat conditiones priori voluntati contrarias. Probatur minor; tum quia per illam vult Deus homini bonum illud, quod vult sibi ipsi, scilicet visionem, & fruitionem sui, in quo consistit amor amicitiæ, prout condistinguitur à simplici benevolentia, vt docet D. Thomas in 3. quæst. 1. art. 3. corpore: tum quia per illam vult Deus communicare homini sua secreta, & cum illo familiariter conversari per totam æternitatem; tũ quia per illam vult, vt homo maneat in æternum ipsi inseparabiliter coniunctus, & in eum mirabiliter transformatus per actus beatificos. Denique: quia si Deum velle vt homo per gratiam habitualem habeat ius physicum ad æternam fœlicitatem est ipsum amicabiliter diligere; ergo à fortiori velle ipsi efficaciter ipsam æternam fœlicitatem.

Dices ex Cardinali de Lugo disp. 7. de pœnitentia num. 91. Deum posse velle totam illam æternam pœnam propter culpam iam dimissam, non ex affectu odij & inimicitiæ in hominem, sed ex affectu iustitiæ vindicativę: quod confirmat Ripalda disp. 91. num. 41. in fine; nam odiũ inimicitiæ, inquit, & affectus vindictæ differunt, & separabiles sunt, tum quia Deus vindicat culpam mortalem dimissam supplicio temporali absque vllo odio inimicitiæ: tum quia odium inimicitiæ est aversio, & displicentia non solius culpæ, sed etiam personæ: odium vero vindictę non est formaliter aversio, & displicentia personæ, sed solius culpæ: quippe potest quis displicere in facinore commisso ab amico, ab eoque facinore per affectum

ctum averti, quin diſpliceat in perſona amici, ab eaque avertatur.

36 Hæc tamen ex dictis à nobis facile evaneſcunt; quia implicat culpam mortalem eſſe dimiſſam, & tamen hominem, qui illam commiſit, eſſe adhuc dignum puniri propter illam pœna æterna damni, & ſenſus. Vndè ſi propter culpam iam dimiſſam tota illa pœna plecteretur, propter culpam iam dimiſſam odio acerbiſsimo inimicitiæ illum Deꝰ everſaretur: quod in terminis implicat. Ad confirmationē Ripaldæ reſpondeo affectus illos ex genere ſuo diverſos, & ſeparabiles eſſe, in præſenti tamen materia ſeparari non poſſe, vt evincunt noſtra argumenta. Nec oppoſitū probat paritas adducta, nā licet voluntas infligendi temporalem pœnā ob culpā dimiſſam ſit aliquale odiū eius, qui peccavit, quatenus vult illi aliquod malū, non tamen eſt odiū inimicitiæ, prout iſtud contra diſtinguitur à ſimplici malevolentia: ſiquidem componitur cum amore amicabili amante efficaciter illi perſonæ gratiam habitualem, & communicationem intimam æternam cum Deo per viſionem, & amorem beatificum.

Non poteſt hoc eſſe dignus pœna æterna propter culpam iam dimiſſam.

37 Adde voluntatem illam non eſſe proprie odium adhuc ſimplicis malevolentiæ, quia etſi velit malum aliquod animæ Purgatorij, non tamen vt malum, ſed vt bonum quoddam eius, id eſt, tanquam medium, vt illa perveniat ad frutionē ſummi boni, ad quam pervenire non poteſt, niſi prius luat pœnam commenſuratam delicto pro quo in alia vita non ſatisfacit, & tanquam medium ad æternum gaudium, quod anima illa habebit de eo, quod culpam ſuam Purgatorijs flammis expiaverit, oſtenſaque in ipſa ſit iuſtitia punitiva. At æternam pœnam damni, & ſenſus nequit Deus amare, niſi vt malā peccatori, quia nequit illam amare vt medium ad bonum, & fœlicitatem peccatoris, qui nunquam gaudere poterit, ſed in æternū iraſceretur ob perpeſſionem tam acerbæ pœnæ, eſto Deꝰ illam pœnā amet, vt bonam alijs, quia caſus, & damnatio vnius ſolet eſſe occaſio, vt alij erigantur, & ſalvētur. Et pœna damnatorū eſt prædeſtinatis materia ſummi gaudij, quia per totā æternitatē gaudebunt de æterna oſtenſione iuſtitiæ punitivæ. Quare dū Deꝰ punit in Purgatorio, amat pœnā vt corrigentē, dū autē in inferno amat pœnā vt ex terminantē, prout loquitur D. Th. q. 8. de malo ar. 11. hoc autem ſecundum eſt ſtrictiſsime odio habere ipſum peccatorem, non autem illud primum.

Voluntas infligendi malū ordinatū ad fruitionem ſummi boni nō eſt proprie odium.

38 Nec obſtat ratio à priori reddita à Ripalda: illa nanque ſolum oſtendit affectum vindictæ ex genere ſuo non eſſe averſionem, & diſplicentiam perſonę; non tamen probat talem non eſſe voluntatem puniendi peccatorem æterna pœna damni, & ſenſus, quæ enim maior averſio Dei erga peccatorem quam illum in æternum ſeparare à ſeipſo, & æternis ſubijcere flāmis ob ſuam culpam, quodnam veacerbius inimicitiæ odium?

39 Hinc etiam diluenda eſt ratio à priori, qua Cardin. de Lugo ſuam ſententiam probat. Ea autem ſic habet: nam ex peccato actuali, inquit, duo iura naſcuntur in Deo contra hominem: alterum eſt ius ad rationabilem indignationem, & averſionē à peccatore per diſplicentiā, & odium ipſius, & dum Deus huic iuri non cedit, perſeverat moraliter culpa. Alterū eſt ius ſecundū iuſtitiā punitivā ad puniēdum peccatorē ſecundū menſurā delicti, quæ iura ſunt moraliter valde diverſa, nā ſi per impoſsibile Deus non eſſet ex officio gubernator, & iudex ſpecialis, licet haberet ius rationabile contra peccatorē, & per conſequens cedendo huic iuri poſſet condonare culpam, non tamen haberet ius ad puniendū hominē, neque poſſet cōdonare pœnā: ergo poterit Deꝰ cedere iuri ad odio habendū inimicabiliter, quin cedat iuri ad puniendum pœna æterna.

Ratio à priori, qua motus eſt Cardin. de Lugo ad aſſerēdum poſſe remitti peccatum mortale manēte reatu ad æternam pœnam.

40 Hæc, inquam, ratio ex dictis diluēda eſt, nā eſto in humanis duo illa iura ſeparentur, in Deo tamen ſeparari non poſſunt, vt ſatis probatum manet. In humanis quidē perſona offenſa acquirit ius negandi ſuā communicationē familiarē alteri homini, à quo gravem iniuriam accepit, quin propterea habeat ius ad illū puniendū authoritate propria; quia delictū illud non punitur privatione talis familiaritatis; cum ſine illa poſsit offenſor cumulatā fœlicitatē habere; at Deus formaliſſime quatenus offenſus, hoc ipſo, quod pariter habeat ius negandi in æternum cōmunicationem amicabilē offenſori, habet ius illū puniendi præcipua pœna, quia hęc in tali privatione conſiſtit, quia hæc eſt pœna damni privans formaliter beatitudine, & acerbiſsimum afferens dolorem deculpabili amiſsione illius. Deindē quatenꝰ offenſus habet ius puniendi gravē ſui iniuriam æterna pœna ſenſus, quia quatenus talis eſt ſupremus Princeps ſuperiorem non habens, ad quem ſpectat vindicare ipſius offenſas: vnde in ipſo eſt impræſcindibile ius, quod habet, quatenus

tenus persona offensa, à iure, quod habet, quatenus supremus Princeps.

41 Sed rogabis an saltem dimissa culpa mortali possit manere reatus ad æternam pœnam sensus solitarie sumptam? Affirmat amicus disp. 5. de pœnitentia n. 76. quamvis ibi latè probet non posse manere reatum ad pœnam damni, potest etiã simul cum gratia, & beatitudine supernaturali ad tẽpus stare obligatio ad pœnam sensꝰ, vt stetit in Christo; qui ex præcepto Patris obligatus fuit ad pœnã mortis, neq; enim æternitas obligationis ad pœnam sensus addit ex parte subiecti aliquam repugnantiam propter quam nõ possit stare simul cum homine amico, & familiari Deo, ac proinde cum homine ab omni peccato purgato.

An dimissa culpa, possit saltem manere reatus ad æternam pœnam sensus solitarie sumptã.

42 Hæc tamen sententia mihi falsissima est, quia repugnat vt Deꝰ hominẽ sibi amicissimum, & cũ ipso familiarissime conversantẽ per intimam vnionẽ affectuũ & manifestationẽ secretorum, pro vt cõtingit in patria, tam acerbe tractet propter culpam iam dimissam. Vide quamvis ante ingressum Cœli non esset remissus reatus pœnæ æternæ ignis, per ipsã tamen summi boni possessionem, & fruitionem remitti deberet. Quod vel inde convincitur; quia ad beatitudinẽ essentialẽ animæ connaturaliter consequitur gloria corporis cũ dote impassibilitatis: ergo implicat simul, quem esse beatum, & dignum pati pœnam sensus præsertim acerbissimam, & æternã ignis. Neque paritas adducta quid quàm probat, nam licet Christus ex præcepto Patris esset obligatus ad non impediendam mortẽ suam, & acerbissimos dolores, huius tamen pœnæ ipse dignus non erat: & quamvis ex miraculosa dispositione Patris illam passus fuerit, totũ hoc ordinatũ est in maiorẽ gloriam ipsius Christi: & neutrũ illorum locum habet in nostro casu.

Ostenditur pars negativa contra Amicũ.

SECTIO QVINTA.

Præcluditur quoddam effugium, & natura odij inimicitiæ amplius explicatur.

43 DICES forsam: odium inimicabile Dei adversus peccatorem consistere in displicentia, qua suppositæ existentia peccati necessario averfatur peccatorẽ, in ipsoque displicet; quia per peccatũ constituitur simpliciter malus, turpis, & fœdus. Sed contra 1. quia odium inimicabile Dei contra peccatorẽ debet esse liberũ suppositæ existentiæ culpæ: atqui illa displicentia per se est necessaria: ergo in illa non consistit odiũ inimicitiæ. Probatur maior; quia Deꝰ potest remittere culpã commissam in instanti A. cõcedẽdo iuri, quod ratione illi acquisivit ad æternũ odiũ inimicitiæ contra peccatorem; non potest autẽ cedere iuri habendi displicentiam necessario resultantem ex peccato: ergo in hac displicentia non cõsistit odium inimicitiæ.

44 Quod si respondeas ex peccato commisso in instanti A. resultare quidem necessario odiũ inimicitiæ contra peccatorẽ pro illo instanti, non tamen prosequẽtibꝰ, in quibꝰ iam non existat physice peccatum. Contra est: quia homo per peccatum commissum in instanti A. non solum constituitur dignus, vt odio habeatur pro eo instãti, sed prosequentibꝰ per totã æternitatẽ, istudque odiũ statim commissa culpa potest Deus concipere; quia est pœna peccati actualis, & pœna potest coexistere culpæ (nam habituale vt habituale nullã addit malitiã supra actuale, quæ expectãda sit ad concipiendũ odium) in intelligibile autem est, quid sit Deũ in instanti A. propter culpam tunc commissam odio habere peccatorem pro tota æternitate, nisi hoc sit, tunc Deum concipere voluntatem efficacem inferendi aliquod malum pœnæ in tota æternitate propter culpam commissam in instanti A.

Odium inimicitiæ adversus peccatorem, debet esse liberũ suppositæ culpæ.

45 Contra secundo: quia certum est Deum intuitu peccati cõmissi à Petro in instanti A. concipere posse voluntatẽ efficacẽ privandi illũ gratia, & gloria per totam æternitatẽ: hæc autem voluntas facit vt Petrus maneat habituãliter peccator per totã æternitatẽ: quia supposito eo decreto impossibile est, vt remittat ei offensam, illumque restituat in suam gratiã: ergo talis voluntas est odiũ inimicitiæ. Probatur consequentia; quia cum odium inimicitiæ non antecedat illã voluntatẽ, vel cum ipsa debet identificari virtualiter, vel ad ipsam necessario consequi: hoc autẽ secundũ est falsum: illud ergo primũ debet esse verum. Probatur minor: quia si consequatur ad talẽ voluntatẽ nihil aliud erit, quam displicentia pure speculativa resultans ex illa voluntate practica: hoc autem est omnino falsum, quia odiũ inimicitiæ cũ maxime debeat timeri ab homine, debet esse principiũ inferendi illi maximum malũ infœlicitatis æternæ. Non ergo potest consistere indisplicentia pure speculativa, & sterili ad inferendum homini aliquod malum; hanc enim præcisse sump-

ſumptam parum curarent homines, parumque timirent.

46 Contra tertio: quia falſo ſupponitur Deum ſuppoſita exiſtentia peccati neceſſario odio habere ipſam perſonam peccatoris, quia licet neceſſario diſpliceat in exigentia peccati, illamque reprobet, & abominetur, hoc tamen non eſt odio habere ipſam perſonam peccantem, dum propter culpam nullam malum ipſi amat, ſed potius videtur eſſe amor ipſius perſonæ: ſicut enim dum Deus antecedenter abominatur peccatum, ſuadendo, & quaſi deſiderando ne fiat illud, odium peccati dici ſolet amor ipſius peccatoris, quia eſt deteſtari malum hominis, vt malum hominis eſt: ita dum conſequenter reprobat, & abominatur peccatum iam factum, videtur amare perſonam ipſam, in cuius malo diſplicet.

Deum neceſſario diſplicere in exiſtentia peccati, non eſt Deum odio habere peccatorem odio inimicitiæ.

47 Confirmatur; quia ſi Deum neceſſario diſplicere in peccato iam facto eſt neceſſario odio habere perſonã peccatoris vel eſt illam odio habere odio inimicitiæ, vel odio abominationis. Neutrum autem dici poteſt: non poſſe dici primum probatur: quia odium inimicitiæ in genere eſt, *Velle alicui malum, vt malum illius eſt*, & vt explicat Caietanus 1.2. quæſt. 29. art. 1. & cum illo P. Vaſq. 1.2. diſp. 23. n. 7. odium inimicitiæ tendit per modum fugæ, & negationis in perſonam; cui volumus malum, & per modum proſecutionis, & affirmationis in malũ ipſum; ac proinde eſt amor mali, quod volumus inimico, & odium ipſius inimici: & quando malum volitum opponitur cũ vera amicitia, odiũ illud dicitur ſimpliciter inimicabile: ſin vero cum illo cõponatur dicitur ſimplex malevolentia. Iam vero Deus quatenus neceſſario diſplicet in peccato commiſſo, non vult malum aliquod peccatori, quia nec vult malum culpæ, nec pro tunc vult neceſſario malum pœnæ: ſicut enim Deus à peccato nõ cogitur ad inferendum malum pœnæ, ita neque ad illud volendum; & quamvis à peccato cogeretur ad inferendum malum privationis gratiæ, (quod tamen vt falſum alibi reiecì arbitratus gratiam non habere eſſentialem oppoſitionem cum peccato actuali, à quo expellitur, eſto illam habeat cum habituali, quod expellit,) tamen Deus quatenus diſplicens in peccato; & conſequenter in peccatore reduplicative, prout peccator eſt, non vult malum ipſi peccatori: ac proinde illum ſpecificative ſumptum non deteſtatur, licet deteſtetur conjunctionem eius cum peccato.

Quid ſit odium inimicitiæ.

48 Probatur deinde non poſſe dici ſecundum, nempe, quod Deum diſplicere in peccato, vt commiſſo, illiuſque exiſtentiam abominari, non ſit odio habere perſonam peccantem odio abominationis, ipſam vè abominari. Probatur inquam: quia id eſſet contra illud *nihil edifti eorũ, quæ feciſti*: quod intelligi debet de odio abominationis quatenꝰ ſcilicet Deus nequit abominari exiſtentiam illam quam ipſe inducit: intellectum autem de odio inimicitiæ eſſet falſum, nam Deus hominem fecit, & tamen illum idio inimicitiæ averſatur, dum vult illi malum pœnæ æternæ propter culpam.

94 Probatur rurſus, nam vt recte explicãt citati Authores, odium abominationis, quo ſcilicet deteſtamur, & abominamur malũ alicuius, tendit per modum affirmationis, & proſecutionis, in perſonam, cui volumus malũ, & per modũ negationis, & fugæ in ipſum malũ, ac proinde eſt odiũ mali, & amor perſonæ. Deꝰ ergo quatenus diſplicens in peccato commiſſo, quod eſt malum peccatoris, potius dicendum eſt amare, quam odio habere perſonam peccatoris.

50 Dices: Deꝰ neceſſario amat iuſtũ amore amicabili: ergo neceſſario averſatur peccatorẽ odio inimicabili. Reſp. negando conſeqentiã. Nam hominem eſſe iuſtum eſt effectus amoris amicabilis Dei; vnde dum ſupponimus hominem eſſe iuſtum, hoc ipſo ſupponimus eſſe amatum à Deo amore amicabili: at hominem peccáre non eſt effectus odij inimicabilis Dei; quia ille non vult homini malum culpę, ſicut ei vult bonum gratiæ. Vnde dum ſupponimus hominem peccare non ſupponimus Deũ illũ inimicabiliter averſari. Deinde cum gratia ſit bonum hominis, Deũ in illa conſequenter complacere, eſt quodam modo Deum gaudere de bono hominis, ac proinde illũ amare. At cum peccatum ſit malum hominis, Deũ conſequẽter in illo diſplicere potius videtur eſſe amare ipſam perſonam hominis, quin eſt diſplicere in malo ipſius. Quare ex eo, quod Deꝰ non minꝰ ſit determinatus ad diſplicendũ in malo, quam ad complacendum in bono, ſolam ſequitur neceſſitatum eſſe ad diſplicerdũ in peccato, ſicut eſt neceſſitatus ad complacendum in gratia, quamvis autem hoc ſecundum ſit etiam complacere in ipſa perſona, illamque amicabiliter proſequi: illud tamen primum non eſt diſplicere in perſona, ſed potius videtur eſſe quodam modo illam amare.

Eſto Deꝰ neceſſario amet iuſtum amore amicabili, non tamen neceſſario averſatur peccatorem odio inimicitiæ.

51 At acute replicabis : ergo sicut homo peccando cogit Deum ad displicendum in peccato, ita cogit ad amandam personam peccantem : ac proinde mediante peccato sibi amorem divinum conciliat, quo nihil videtur dici posse absurdius. Propter hanc rationem existimo, Deum non habere propriè displicentiam consequētem in peccato commisso, licet admittamus habere complacentiam consequentem in bono opere, quia cum peccatum sit essentialiter provocativum iræ divinæ contra peccatorem, nequit esse concialiativum amoris: foret autem si inferret displicentiam in peccato, quatenus est malum hominis, quia hoc est hominem amare. Cuius vlterior ratio esse potest : quia qui displicet in malo, quod præsupponit existens, quodam modo connatur in impossibile; quia quantum est ex se vellet, ne fuisset illud malum, quod supponitur esse; Deo autem repugnat connari ad non existentiam eius, quod supponitur existere. Vnde dum Deus dicitur reprobare malum, vt iam factum, iste potius est actus intellectus iudicantis, actionem illam inique esse positam, quam voluntatis displicentis, & quasi dolentis, quod fuerit posita.

Variè diluitur.

52 Deinde propter hanc rationem probabiliter dici potest, neque cōplacentias, neque displicentias consequentes existentiam boni, vel mali creati proprie Deo convenire, sed tantum metaphoricè : quia complacentia consequens est gaudium, & displicentia est tristitia quædam : repugnat autem cum summa fœlicitate, quam Deus ex se habet, quod contingenter possit gaudium capere, vel tristitiam, quia hæc minuit, & illud auget fœlicitatem: & vtrunque Deo repugnat.

53 Denique licet diceremus Deū proprie displicere consequenter in peccato, vt existenti, & illam displicentiam esse aliquod odium, inimicitiæ contra peccatorem, quatenus nimirum Deum inclinat ad infligendum ei pœnam æternam, adhuc dici debet illam esse odium inefficax, & imperfectum in ratione odij; præter quod assignari debet odium efficax inimicabile : hoc autem nequit esse aliud, quam voluntas efficax separandi hominē in perpetuum à sui visione, & communione, illumque deputandi æternis flammis.

SECTIO SEXTA.

An absolute purus homo possit condigne satisfacere pro peccato mortali proprio, quoad culpam?

54 AFFIRMANT Alexander Pallud. Ricardus, & Ruardus Taper, apud Patrem Vazquez hic disp. 2. num. 2. qui cum omnib⁹ suis discipulis hanc conclusionem defendit in sensu explicato sect. 1. licet absolute doceat nō posse hominem satisfacere perfectè pro peccato proprio, quatenus satisfacere non potest pro omni debito cōtracto per peccatum. Eandem sententiam amplecti videtur Caietan⁹ 3. p. q. 1. art. 2. vbi docet purū hominē in præsenti quæst. intelligi non solū per exclusionē coniunctionis cum supposito divino, sed etiā per exclusionē gratiæ. Et ibi § *Ad alterā vero*, asserit fore vt homo condigne pro peccato suo satisfaceret, si actū charitatis ex proprijs virib⁹ elicere posset. Respōdens enim ad argumentū Scoti statim proponendum, inquit : conceditur, quod infinitas offensę est infinitas secundum quid, & quod ipsam adæquaret infinitas etiam secundum quid actus charitatis in Deum, si satisfactor aliquis ex proprijs virib⁹ exhibere posset talē actum Deo offenso: sed quoniam non solū purus homo sed neque quæcunque creatura pura ad hoc se potest extendere, exigitur satisfactor simpliciter infinitus, qui scilicet ex propris virib⁹ possit actum infinitum secundum quid adæquantem offensam exhibere Deo. Eandem sententiam amplecti videtur Scot⁹ in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. quoad possibilitatē. Arbitratur tamen Subtilis D. vt homo possit condigne satisfacere pro peccato per contritionem requiri, quod hæc non sit alias debita, seu alio titulo à Deo postulata, nam ibidem art. 1. satisfactionem definit dicens: *Satisfactio est redditio æquivalentis, alias in debiti.*

Doctores affirmantes.

§. I.

Expenditur Scoti ratio.

55 IN favorem huius sententiæ arguit Scotus : Satisfactio est reddictio æquivalentis : sed quantum malum fuit aversio à Deo per peccatum, tantum bonum est conversio ad Deum per charitatem : ergo purus homo potuit æquivalens reddere. Præterea : quantum bonum natum fuit inesse

esse actui meo; tantum bonum, & non plus abstulit peccatum meum, & tantum bonum inesse potest actui meo: ergo per illum omnino æquivalens redditur. Hoc argumentum malè torsit Caietanum, cui videtur succubuisse, dum loco nuper citato concedit Scoto, fore vt purus homo satisfaceret cõdigne pro peccato proprio, si actum pefecte dilectionis eliceret viribus proprijs.

56 Nos tamen ad hominem contra Scotum facile ostendimus non posse hominem purum per contritionẽ etiam alias indebitam, nec petitam alio titulo, satisfacere condigne pro mortali; quia hic Author non agnoscit formam aliquam nobis inhærentem, quæ per seipsam expellat peccatũ, nec quæ ex natura rei exigat illius expulsionem. Nempe asserit gratiam habitualem solum habere quandam congruentiã, vt ea præsente Deus remittat peccatum, vt patet ex 4. dist. 1. quæst. 6. §. *Contra istam conclusionem*. Quod si id asserit de gratia, à fortiori idẽ dicet de contritione.

Arguitur ad hominem contra Scotum

57 Quo posito iam apparet minorem argumenti Scoti in suis principijs falsam esse, nempe, quod tantum bonum sit conversio ad Deum per charitatem; quantum malum fuit aversio per peccatum. Etenim hoc suapte natura meretur æternam pœnam iuxta fidem: at contritio in principijs Scoti non meretur cõdigne æternam gloriam ex se, nisi ex benignitate Dei ad eam aceptetur: ergo non est tantũ bonum, quãtum malum est peccatum. Deinde ex illa doctrina evincitur non esse condignam satisfactionem pro peccato, quia hanc condignitatem non habet satisfactio illa, quæ ex meritis suis nequit iniuriam delere, nisi accedat gratuita acceptatio personę offensæ; talis autem est contritio in principijs Scoti: ergo &c. Ad argumentum ergo respondebis distinguendo inter satisfactionẽ pro iniuria, & restitutionem rei ablatæ; nam ad restitutionem æqualem satis est si reddas alteri totum illud, quod contra iustitiam abstulisti, nimirum vt reddas centum, si abstulisti centum. At ad satisfaciẽdum pro iniuria illata in negando alteri, quod ei debebas, non sufficit, quod ei nunc reddas illud, quod ãtea iniuste negasti, v.g. siquis iniuriã intulit principi negando ei honorẽ debitum, puta non discoperiendo caput coram ipso, non satisfacit, si hunc honorẽ reddat postea, sed debet satisfactionem offerre sufficientẽ, vt Rex iustam indignationem deponat. Nam denegatio honoris debiti in præsentia Principis est quidẽ contemptus Regiæ Maiestatis, qui non tollitur per hoc, quod in alia occasione subditus honoret Regem, sed requiritur satisfactio contemptum compensans.

Discrimen inter satisfactionẽ pro iniuria, & restitutionem rei ablatæ.

58 Si ergo dicitur, creaturam, quæ dum violavit præceptum diligendi Deum v.g. contempsit infinitam eius maiestatem parvi pendens eius iussa, eumque offendẽs in præsentia ipsius, non satisfacere, si postea eliciat actum charitatis, sed opus esse, vt compenset illam iniuriam, & contemptum. Quæ compensatio non probatur ex eo, quod postea ex supererogatione eliciat similem actũ, alioqui qui peccavit mortaliter negando elemosinam ex præcepto debitam, satisfaceret condigne dando in alia occasione elemosinam ex supererogatione; ac proinde non solum actus charitatis, sed cuiuslibet alterius virtutis esset condigna satisfactio pro peccato mortali: quod est plane absurdum.

59 Explicatur: duplex est in homine obligatio respectu Dei, vel potius vna duplici æquivalens: altera non auferendi à Deo illud, quod suum est, ipsivè ex præcepto debetur: altera non indigne tractandi infinitam eius personam; eam contemnendo, & positive in honorando: dum autem homo transgreditur præceptum grave, vtranque obligationem violat: nam aufert à Deo actum præceptum, illum omittendo in his circunstantijs, in quibus debebat elicere, quod est quasi expoliare Deum re sua, & rursus indigne tractat personam divinam contemnendo eius præceptum in præsentia ipsius. Si spectaretur præcisè prima iniustitia, satisfacere, homo reddendo in alia occasione id, quod abstulit in ista: & hæc esset quædam restitutio. At spectando secundam, quę à prima inseparabilis est, non ita res se habet, sed requiritur, quod homo ponat obsequiũ sufficienter compẽsans contemptum illum divinæ maiestatis. In humanis potest quis auferre ab altero rem suã quin indigne tractet eius personã, & tunc satisfacit restituendo id, quod abstulit; si vero vt furaretur rem alienam, cõtumelia affecit dominum eius, licet per restitutionem satisfaceret pro re ablata, non tamen pro iniuria, & contemptu erga personam.

60 Rationi Scoti affinis est hæc alia: actus perfectæ dilectionis tantum Deo placet, quantum ei displicuit peccatum mortale; nam sicut per istud voluntas nostra prætulit creaturam Deo, ita per illum præfert Deum omnibus creaturis:

ergo sic per ipsum condigne satisfacit pro peccato mortali. Cui rationi negat antecedens Cardinalis de Lugo disp. 5. num. 11. quia plus est, inquit, vilissimam creaturam audere contra infinitum Creatorem, quam exhibere illi subiectionem mille titulis debitam. Sed posset quis cum Mæratio disp. 3. de incarnatione sect. 6. n. 4. & 5. contendere non semper esse indignius, quod vilis persona ob fragilitatem Deum graviter offendat, quam sit bonum, ac decens, quod ipsum ardentissime super omnia diligat. Validius ergo impugnatur illa ratio in hunc modum; nam si tantundē placeret Deo act° perfecte dilectionis, quantum displicet peccatū mortale, mereretur homo condigne per talē actū perseverantiam finalem; sicut per peccatū mortale condigne mereretur impœnitentiā finalem. Conseq. autem est falsum: alioqui omnis, qui semel Deum diligit super omnia, acciperet altissimum perseverantiæ donum; cum Dei benignitas nemini neget præmium quod condigne promeretur, esto non inferat supplicium, quoties quis illo dignus est.

Efficax eius impugnatio.

61 Quod si contra hanc solutionem instes in hunc modū: tantundē placet Deo quod peccatū vitetur, quantū ei displicet, quod committatur; at vrgente præcepto amandi Deum vitatur formaliter peccatum per actū charitatis: ergo iste tantundem placet Deo, quantū ei displicuit peccatum. Si inquam ita instes; in primis respondebitur argumentum pariter probare tantundem Deo placere quemlibet actum præceptum, quantum ei displicet omissio talis actus, quæ est peccatum mortale, item omissionem homicidij tam bonam esse, quam malum est ipsum homicidium.

62 Respondebitur secundo: distinguendo maiorem: tantumdem placet Deo moraliter, seu cōplacentia fundata in bonitate morali vitationis peccati movente ad remunerationem, nego, tantumdē placet quasi pure physice; & complacentia fundata in oppositione essentiali cum peccato: concedo. Vel aliter: tantumdē Deo placet per modum medij, & in ordine ad removendū peccatum, concedo: per modum finis ratione sui æstimabilis, & in ordine ad præmium, nego. At actum charitatis hoc pacto tantūdem placere non est illum esse tam bonum, quam malum est peccatum. Nam ad illud primum sufficit oppositio essentialis cum omissione peccaminosa sui. At ad hoc secundum opus erat, vt tantumdē præmij mereretur actus charitatis, quantum supplicij meretur peccatum mortale: quod iam ostendimus esse falsum.

§. II.

Nostra sententia vbi speciali ratione ostenditur actum contritionis esse formam sanctificantem.

63 DECISSIO huius dubij pendet à decisione illius celebris quęstionis, an actus cōtritionis sit forma sanctificans; nam cum sect. 1. probatum maneat hominem posse condigne satisfacere pro mortali proprio, quoad culpam, si contritio sit forma sanctificans, sane hoc ipso, quod probetur esse formam sanctificantem, concluditur posse hominem illo pacto satisfacere. Quanquā autem P. Suarez disp. 4. de incarnatione sect. 8. latissime disputet, an actus contritionis sit forma sanctificans; quia tamen id pro dignitate tractare spectat ad tractatum de iustificatione, ideo breviter transigenda res erit.

64 Notandum autem est, eos, qui opera posthuma P. Vazq. in lucem ediderunt, aliqua immutasse 1.2. disp. 8. vbi acerrime hic Doct. propugnat vim sanctificandi actus contritionis, nimirū vt temperarent sententiā, quæ ea tempestate multis dura videbatur. Nam ad finem illius disputationis notatur, scopum illius fuisse probare dilectionem Dei esse tantæ virtutis, vt sine gratia habituali, & sine novo favore ei accedente iustificare nos posset de potentia absoluta, si separaretur ab habitu; defacto tamen non iustificare, nimirum, quia supponit peccatum iam remissum per infusionem gratiæ, à qua iuxta hunc doctorem efficienter procedit, dum ex parte causæ materialis ad iustificationē disponit. At ex 3.p.disp.2. num.62. constat P.Vazq. asseruisse etiam factum ipsū: nam ibi docet contritionē, non solum habere hanc vim, sed defacto iustificare à peccato, atque sess. 1.2. disp 103.cap.3. ostendisse in Adulto, qui iustificatur extra Sacramentum, magis certum esse, eum iustificari contritione tanquam forma, quā gratia habituali. Quod tamen ibi non legimus, nimirum quia de industria expunctum est. Quanquam autem hæc sententia tunc dura videretur, postea passim sine vlla offensione propugnata est. Eamque non solum tradidere discipuli Patris Vazquez Ludovicus Turria. Et Gasp. Hurtado, sed latissime Meratius tomo secunde de gratia disput. 12. per duas, & triginta

Quid ediderunt opera posthuma Patris Vazquez, reperarunt eius sententiā de actu contritionis sanctificante.

sectio-

sectiones, noster Antonius Perez in manuscriptis de iustificatione, alijque multi Recentiores.

Proponitur nostra ratio.

65 Ego etiam probabilius existimo actum perfectæ dilectionis habere vim delendi formaliter maculam peccati mortalis, & defacto delere. Omissis autem alijs probationibus, hic tantum appendam rationem, qua vius sum anno 1662. in publicis disputationibus. Sic igitur argumentatus sum. Actus ardentissimæ charitatis erga Deum titulo suæ perfectionis physicæ est essentialiter incompossibilis cum omni peccato actuali comisso cum advertentia ad Deum, cum fieri non possit vt perfectissime quis Deum superomnia diligat, & tamen scienter aliquid admittat, quo scit eum offensum iri: ergo etiam est essentialiter incompossibilis cum macula habituali peccati mortalis, ac proinde illam formaliter delet. De antecedenti non ambigitur: probatur consequentia: quia si illa dilectio componi posset cum macula peccati mortalis, etiam posset componi cum formali offensa Dei actuali: si ergo hæc secunda compositio est incompossibilis, etiam erit illa prima. Probatur antecedens, nam si illa dilectio posset ita componi, adhuc in sensu composito illius foret homo dignus pœna æterna damni, & sensus: ergo etiam posset illa dilectio componi cum tota pœna debita peccato mortali, quæ per ipsam non remittitur: si enim in sensu composito illius, adhuc homo, qui peccavit mortaliter, est dignus tota illa pœna, in sensu composito eiusdem poterit illam pati: ergo cum decretum efficax detrudendi statim ad infernum, eiusque manifestatio sit pœna debita peccatori, sane si homo, qui peccavit mortaliter, in sensu composito illius dilectionis retinet maculam mortalem, & dignitatem pœnarum inferni, & consequenter decreti illas statim incipientis infligere, poterit in sensu composito illius dilectionis incipere experiri pœnas inferni; & evidenter cognoscere existentiam illius decreti, vt ab hac notitia torqueatur: totum enim hoc est pœna non excedens dignitatem culpæ mortalis, quam per te homo retinet, non obstante illa ardentissima dilectione Dei.

66 Tum sic; atqui status ipse damnationis sub experientiam hominis cadens & evidenter ab eo cognitus ipsum necessitat moraliter ad peccandum, cum advertentia ad Deum, eiusque offensionem: ergo si actus ardentissimi amoris Dei posset componi cum macula peccati mortalis, & consequenter cum statu damnationis ei correspondentis, vt iusta pœna, poterit etiam componi cum peccato actuali commisso cum advertentia ad Deum. Patet consequentia, quia quod componitur cum necessitate morali ad peccandum, componitur cum peccato, à quo illa nunquam separatur. Minor subsumpta est communis Theologorum apud Eximium Doctorem eam late probantem lib. 8. de Angelis cap. 8. & 11.

Confirmatur nostra ratio.

67 Confirmatur primo: nam vt inquit Magister Soto in 4. dist. 50. articulo 4. & 5. Sicut ex visione Dei sequitur in Beatis confirmatissimus ipsius amor; ita in damnatis ex consideratione suæ miseriæ sequitur obstinatissimum odium Dei quo velut hostem, eum perpetuo prosequuntur. Et sanè vt docet Pater Suarez eo cap. 11. numero 18. Damnati sunt moraliter necessitati ad odio habendum Deum: ergo si amor ardentissimus Dei potest componi cum macula peccati mortalis; & consequenter cum pœna damnationis, poterit componi cum odio Dei. Quis autem non videat non posse hæc duo cohærere, nempe hominem Deum ardentissime diligere, & simul ipsum infensissime aversari, blasphemiasque, & maledicta in illum evomere, idque cum plena advertentia divinæ offensionis? Damnatus enim peccat sciens sua peccata displicere Deo: immo quia scit ei displicere.

Confirmatur

68 Confirmatur Secundo: nam qui Deum ardentissime super omnia diligit omnino transformatur in ipsum, & vi huius ffectus cogitur detestari ea, quæ ei displicent. Nam vt ostendi disp. 2. de pœnitentia sect. 3. proprium est amoris amicabilis, præsertim valde perfecti, induere amantem inclinationibus personæ amatæ. Vnde fit, vt is, qui Deū super omnia diligit, non solum necessario debeat amare ea quæ requiruntur, vt Deus existat, & felix sit, & oppositum existentiæ, & felicitati Dei efficaciter detestari; sed etiam amare debeat ea, quæ ipsi placent, quia placent, & quæ displicent, detestari, quia displicent. Quæ est ratio cur diligens Deum amicabiliter nequeat in sensu composito huius dilectionis eligere peccatum, quod scit graviter ei displicere: immo nec culpam venialem cum advertentia ad di-

vinam displicentiam admittere, falsem vbi dilectio est perfectissima. Ergo amor Dei perfectissimus hominem in Deum transformans est essentialiter in coniungibilis cum damnatione hominis sic amantis, & consequenter cum macula peccati mortalis. Nam si componi posset cum damnatione cogeret hominem ad amandam ipsam, postquam expertus esset eius acerbitatem, vel saltem ad eam non detestandam efficaciter. Siquidem impossibile est aliquem diligere Deum ardentissime, & scire aliquid ab ipso efficaciter amari; & tamen conari efficaciter ad oppositum. At impossibile est, vt damnatus semel expertus acerbitatem pœnarum in sensu composito illarum habeat necessitatem eas amandi, vel saltem non detestandi: cum damnatio ipsa necessitet ad hanc detestationem, ergo &c.

69 Cum hoc argumentum primo proposuissem, responsum est, illum actum perfectissimę dilectionis impedimentum esse, ne Deus in illo instanti incipiat punire peccatorem pœna inferni. Sed contra institi: nam si dilectio illa non tollit maculam, & dignitatem supplicij, nec potest impedire ne statim inferatur. Potest quidem Deus voluntate sua decernere efficaciter ne homini statim inferatur supplicium, cuius est dignus; ac proinde illud pro aliquo tempore impedire quin impediat eius dignitatem. At forma inhæreca homini eatenus ob suam perfectionem physicam potest impedire existentiam supplicij, quatenus aufert dignitatem illius; cur enim à forma physica non sanctificante hominem à culpa cogatur Deus ad non castigandum illum?

1. Respō sio exhibita nostræ rationi, reijcitur.

70 Responderi secundo posset, experientiam pœnarum inferni defacto quidem necessitare moraliter ad peccandum; non tamen necessitaturam pro casu, in quo coniungeretur cum ardentissimo Dei amore. Sed contra, quia amor ille, si non aufert culpam, non impedit essentialiter acerbitatem pœnarum ipsi correspondentium, cum tota illa acerbitas non sit pœna excedens culpam. Vnde in sensu composito illius amoris patietur homo totam acerbitatem, quam experiretur seorsim ab illo. At hæc acerbitas est, quæ necessitat damnatum ad peccandum: ergo si ille amor potest componi cum experientia pœnarum inferni, poterit componi cum peccatis, quæ ad illam necessario consequuntur. Cum ergo hæc secunda compositio repugnet, repugnare quoque debet illa prima.

3. Resp.

Impugnatur.

71 Dices nostrum argumentum multum probare: pariter enim probat ardentissimam Dei dilectionem naturalem, qua ipsum supra omnia diligit, etiam sanctificare hominem à macula peccati mortalis. Hoc autem est absurdum, quia aliquis posset homo proprijs viribus iustificari à peccatis, quod esse contra fidem supponit P. Vazquez disp. 3. de incarnatione num. 1. Et constat ex his, quæ ipse adducit 1. 2. disp. 203. num. 81. ex Concilijs, & Patribus contendentibus contra Pelagium, veniam, & remissionem peccatorum esse gratiam. Respondeo hominem sine auxilio gratiæ non posse in statu naturæ lapsæ diligere Deum super omnia, quod non solum docet P. Vazq. 1. 2. disp. 194. sed P. Suarez cum communi Theologorum eam latè defendit lib. 11. de gratia cap. 34. præsertim num. 17. & brebiter Card. Bellarm. lib. 1. de pœnitentia cap. 6. §. 11. Cuius sententiæ veritas ratione à nobis facta roboratur, quia si posset homo lapsus viribus proprijs Deum perfecte super omnia diligere, posset viribus proprijs emundari à peccato.

Obiectio diluitur.

In statu naturæ lapsæ nō potest homo sine auxilio gratiæ diligere Deū super omnia.

72 Sed difficilius insurges, nam ratio nostra pariter probaret propositum efficax vitandi omnia mortalia conceptum ob metum gehennæ delere maculam peccati mortalis, quia si non deleret, posset componi cum experientia pœnarum inferni, & consequenter cum odio Dei, & alijs peccatis gravibus, quæ à damnatis committuntur. Respondeo propositum illud ex conceptu suo non pugnare cum omni peccato mortali, quia non pugnat cum ijs, quæ ipsum statum damnationis supponunt, quia hæc non merentur pœnam inferni, quam iam inductam supponunt: ac proinde iam metus pœnarum nequit ab his committendis arcere. Quare propositum illud solum potest habere efficaciam, vt pœnitens cognoscens aliquam actionem esse dignam pœnarum inferni, & contingens esse, vt propter illam damnetur: ab ea abstineat ob metum damnationis.

Difficilior obiectio cōtra nostram rationem.

73 Quod si instes, etsi defacto peccata commissa in inferno non puniantur, potuisse tamē puniri: quo in eventu ex vi propositi efficacis concepti ob metum pœnarum cogeretur homo non peccare adhuc in ipso inferno: ergo illud propositum est suapte natura incompossibile cum omni peccato gravi actuali, ac proinde cum macula peccati mortalis. Respondeo, quamvis Deus peccata in inferno commissa

Solvitur

miſſa puniret vlteriori pœna ſenſus, propoſitum efficax conceptum in via ex timore inferni non ſe extenderet ad illa peccata: tum quia non extenditur ad caſſum, in quo circunſtantiæ ſunt adeò immutatæ vt homo ſit moraliter neceſſitatus ad peccandum, vt contingit in damnatis: tum quia motivum illud eſt de ſe imperfectum & debile, ac proinde impotens vincere difficultatem ſummam, quam damnati habent abſtinendi à peccatis in inferno. At motivum charitatis, cum ſit de ſe infinitum, ſi voluntas illi adhæreat per ardentiſſimum amorem, debet eſſe potens vincere omnem difficultatem occurrentem. Vnde actus perfectiſſimæ dilectionis propter vim vniendi hominem cum Deo, & convertendi ad vltimum finem, habet eſſentialem incompoſsibilitatem, cum omni actuali offenſa Dei. Forma autem, quæ ex hoc titulo talem incompoſsibilitatem habet, incompoſsibilis debet eſſe cum ſtatu damnationis.

Inſtantia alia.

Diluitur.

74 Confirmatur, nam propoſitum vitandi peccata ob metum pœnarum, reſpicit, vt finem, cui, ipſam perſonam proponentem, & eſt vnio quædam illius cum ſeipſa. Vnde ſolum poteſt cogere ad vitanda illa peccata, quorum commiſsio apprehenditur, vt magis nociva, quam proficua committenti: ergo non poteſt cogere ad evitanda peccata, quæ ſupponunt ſtatum damnationis, nam damnati apprehendunt, vt ſibi convenientius Deum contemnere, & offendere, à quo tot mala patiuntur, quam ipſum honorare vitando peccata. At actus charitatis reſpicit Deū, vt finem, cui, in quem transformat amantem. Vnde vi illius cogitur amans vitare illud, quod apprehendit, vt contrarium Deo. At damnati apprehendunt ſua peccata, vt contraria Deo: ergo ſi in ſenſu compoſito damnationis retinerent amorem Dei ſuper omnia nullum peccatum poſſent admittere: ergo amor ille titulo convertendi in Deum, & vniendi hominem cum vltimo fine pugnat cum omni offenſa actuali Dei; quod non habet aliquis alius affectus reſpiciens ipſam creaturam, vt finem, cui.

75 Quod ſi iterum obijcias: ſaltem propoſitum efficax vitādi omne mortale ob eius turpitudinem, & diſſonantiam cum ratione eſſentialiter opponi cum omni peccato, cum iſtud pro omni eventu rationi diſſonet. Reſpondendum eſt ex dictis num. præcedenti. Nam ſi propoſitum illud deteſtatur peccata præciſè, quia ſunt malum naturæ rationalis creatæ, & nullo modo, quia ſunt malum naturæ increatæ; oritur præciſè ex amore naturæ creatæ erga ſeipſam: odium autem hinc ortum nequit naturam cogere ad evitanda peccata niſi pro eventu, in quo natura ipſa non iudicet, vt ſibi convenientius ea committere, quam vitare. At natura rationalis in inferno exiſtens apprehendit, vt ſibi convenientius peccare, quam evitare peccata: cum enim ipſe ſtatus damnationis eam neceſsitet ad odio habendum Deum tanquā inimicum, ipſam quoque neceſsitat ad reputandum vt bonum proprium id, quod advertit inimico ſuo diſplicere, nempe peccatum. Vnde odium illud nequit eſſe incompoſsibile cum peccatis commiſsis in inferno, ac proinde ex conceptu ſuo non pugnat cum omni peccato. At amor ardentiſsimus Dei ex terminis ſuis opponitur pro omni eventu cum omni formali offenſa Dei, titulo vniendi, & convertendi perfectiſsime animam ad Deum, quia cogit vitare peccata, quia Deo diſplicent; damnati autem, quamvis apprehendant vt bonum proprium Deum blaſphemare, & contemnere, id tamen apprehendunt, vt malum Dei. Vnde ſi ſimul cum pœnis inferni retinerent illum amorem, vi illius neceſsitarentur, ad vitandam omnem Dei offenſam. Implicat autem naturam rationalem ſimul eſſe neceſsitatam phyſice vi amoris ad evitandam omnem Dei offenſam, & vi ſtatus neceſsitatam eſſe moraliter ad procurandam Dei offenſam.

Alia inſtantia.

Diluitur.

76 Ex dictis conſtat contritionem perfectam delere formaliter maculam peccati mortalis, ac proinde ſanctificare ſaltem negative animam, non tamen propterea contendimus ſanctificare ſimpliciter poſitivè, ſed potius cenſemus in hoc genere ſolum ſanctificare ſecundum quid, quia eſſe iuſtum ſimpliciter dicit ſtatum permanentem filij adoptivi Dei, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 3. definienti iuſtificationem per hoc, quod ſit *tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei*: nec ſecum affert per modum radicis gratiam habitualem, & habitus ſupernaturales, quia nec per modum radicis phyſicæ, cum hæc permanere debeat ſimul cum fructu, & contritio non permaneat cum gratia habituali: nec per modum radicis moralis, cum eam de condigno non mereatur; in quo valde differt à peccato mortali merente privationem gratiæ. Vnde peccatum facit hominem

Contritio ſolū ſanctifi-car ſecūdū quid, & abſo-lute diſponit ad ſtatū iuſti.

nem simpliciter malum, quia reddit ineptum ad vltimum finem : contritio vero non reddit simpliciter bonum, quia licet pro semper auferat maculam peccati, non tamen reddit hominem permanenter recte dispositum ad suum finem: vnde positive solum sanctificat in instante, in quo existit.

77 Quod confirmatur ex doctrina Philosophi primo Rethoricorum cap. 7. vbi distincte agens de bonorum differentia, & inæqualitate, asserit bona eximia esse illa, quæ sunt maxime stabilia. Cum ergo forma reddens hominem simpliciter iustum, & filium Dei adoptivum sit bonum maxime eximium, debet esse forma suapte natura permanens, quod contritioni minime convenit.

§. III.

Præcauentur obiectiones desumptæ ex Concilio.

78 PLVRIMA obijci solent contra vim sanctificandi contritionis, validiora sumuntur ex Tridentino. Ego brevissime præcipua capita perstringam. Arguunt primo: nam Concilium sess. 6. cap. 6. inter dispositiones iustificationis recenset dilectionem, qua Deum, vt iustitiæ fontem à ligere incipimus; & post modum initio capitis 7. addit: *Hanc dispositionem, & præparationem iustificatio ipsa consequitur.* Verum ibi non loqui de dilectione perfecta, sed de dilectione quadam imperfecta, vt nomen ipsum, incipiendi denotat, post Vegam, & Cardinal. Belarm. ostendit clare P. Vazq. ea disp. 203. à num. 89. & quamvis ibi etiam sermo foret de dilectione perfecta, dici posset eam disponere ad iustificationem simpliciter, & absolute talem, quæ completur per infusionem gratiæ, & donorum. 1. Ex sess. 6 cap. 6. & 7.

79 Dices Concilium ibi statim subdere, *Iustificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed, & sanctificationem, & interiorem renouationem hominis per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum*; ergo tentit dilectionem Dei disponere ad remissionem peccatorum. Respondeo id non sequi: nam si quia iuxta Concilium iustificatio importat remissionem peccatorum licet deducere, vltimam dispositionem ad iustificationem etiam esse dispositionem ad remissionem, eodem pacto, quia importat voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, liceret inferre, dispositionem ad iustificationem esse dispositionem ad voluntarietatem susceptionis gratiæ; quod constat esse falsum, cum illa voluntarietas consistat formaliter in ipsis dispositionibus.

80 Arguunt secundo ex sect. 14. cap. 4. vbi de contritione in genere, prout abstrahit à perfecta, inquit, *Fuisse quauis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum.* Ergo cum nihil impetret seipsum, consequens est veniam peccatorum distingui à quacunque contritione. Resp. Concilium solum contendere nunquam impetrari veniam peccatorum sine aliquo motu contritionis, quod est verum, quamvis non impetretur, sed formaliter obtineatur per contritionem perfectam, ad quam regulariter peccator non pervenit, nisi præcedente dolore alio imperfecto. Dum enim quis recogitat peccata comissa, contritio imperfecta solet præcedere perfectam, vt notat Sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 6. in corpore. Quod à simili explicatur ex eo, quod hæc propositio sit vera, *Ad merendam beatitudinem requiritur actus animæ*; non licet inferre: ergo beatitudo non est actus animæ. Ergo pariter ex eo quod hæc sit vera: *Ad impetrandam veniam peccatorum requiritur motus contritionis*; non licebit inferre: ergo remissio peccatorum non fit per aliquem motum contritionis. 2. Ex sess. 14. c. 4.

81 Respondeo secundo ibi impetrationem sumi latè prout abstrahit à causa formali remissionis, & à causa meritoria, ac impetratoria, solumque Concilium intendere nunquam obtineri veniam peccatorum, sine motu contritionis, sive venia illa consequatur ad contritionē sive per eam formaliter fiat. Quod vel inde suadetur: nam etiam ad impetrandam veniam venialium est necessarius aliquis motus contritionis, & tamen in sententia D. Thomæ, quam Concilium, nec ignoravit, nec reijcit, per contritionem perfectam formaliter delentur venialia.

82 Arguunt tertio ex sess. 6. Can. 3. vbi definitur neminem sine prævia Spiritus Sancti inspiratione posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur. Responderi primo potest cum Card. Sforcia Concilium loqui de necessitate, vel antecedente, vel concomitanti; hoc est, vel in genere dispositionis, vel in genere causæ formalis, præscindendo, quo ad hoc ab vtraque sententia, vtpotè quam definire non oportebat ad intentum Concilij, 3. Ex sess. 6. Can. 3.

lij, sicuti si definiretur visionem Dei esse necessariam vt alicui conferatur beatitudo, non significaretur non consistere in visione, sed in amore; sed tantum excluderetur opinio nullo modo requirens visionem ad beatitudinem. Sed melius respondeo cum P. Vazquez Canonem illum editum fuisse contra reliquias Semipelagianorum, qui asserebant ex proprijs nostris viribus sine auxilio gratiæ per Christum præcedere in nobis fidem, spem, & aliquam dilectionem Dei; & pœnitentiam, quibus iustificationis gratiam à Deo impetramus, contra quos definit Concilium neminem sine gratia per Christum posse elicere actus, quibus impetret à Deo gratiam iustificationis, in quocunque illa consistat, sive in solo habitu, sive etiã in actu, de quo Concilium non curabat.

83 Arguunt 4. ex sess. 6. cap. 7. *Vbi gratia habitualis dicitur vnica causa formalis nostræ iustificationis.* Verum ibi solum contendere formam, qua iustificamur, non coalescere partim ex forma nobis extrinseca, nempe ex iustitia Dei, vel Christi, ostendit clare P. Vazquez ea disp. 203. num. 112. 4. Ex sess 6. cap. 7

84 Arguunt quinto ex illo Ioannis 24. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum.* Sed respondeo facile ibi non promitti dilectionem divinam deletivam peccati, sed cõmunicativam gratiæ habitualis, quam Deus infallibiliter confert homini diligenti eum super omnia.

85 Sexto late expendit P. Suarez lib. 7. de gratia cap. 14. à num. 27. testimonium ex sess. 6. cap. 8. vbi dicitur ideo homines gratis dici iustificatos, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiã promerentur. Respondeo totum hoc esse verum, licet actus perfectę dilectionis, & contritionis formaliter iustificet à peccatis, nimirum, quia illum per opera antecedentia non promeretur.

86 Septimo obijciunt Concilium sess. 6. cap. 14. docere nos non satisfacere pro culpa, & pœna æterna, sed tantum pro pœna temporali, eo quod pœna æterna simul cum culpa gratis remittitur. Ergo ex mente Concilij falsum est nos satisfacere pro culpa, & pœna æterna. Verum hoc testimonium non fideliter referri, observavit Vazq. ibidem num. 80. solum quippe docet Concilium per elemosinas, orationes, & alia pia opera, quæ post iustificationem fiunt in satisfactionem peccatorum, nos non satisfacere pro pœna æterna, sed solum pro temporali; quia pœna æterna vna cum culpa supponitur remissa per Sacramentum, vel votum Sacramenti: vnde potius hoc testimonium est pro nobis, quatenus significat per contritionem, quæ est votum Sacramenti, remitti peccata.

SECTIO VLTIMA.

An ex dictis sequatur posse purum hominem perfecte satisfacere pro peccato mortali proprio?

87 EX dictis sect. 1. & præcedenti constat purum hominem per actum perfectæ contritionis satisfacere pro peccato, quo ad culpam, quia facit quantum est satis ad illam extinguendam, ac proinde reddit æquivalens pro offensa in ordine ad auferendam displicentiam, & odium divinum contra peccatorem, licet non reddat æquivalens in ordine ad merendum, tantam complacentiam, quantam displicentiam meruit peccatum. Satisfactio enim condigna ex suo conceptu solum postulat æqualitatem cum offensa, vt auferenda; ita, vt ea posita, non sit necessaria liberalis condonatio creditoris. Nunc vero examinandum restat, an hinc sequatur posse purum hominem perfecte pro peccato proprio satisfacere. Respondetur.

§. I.

Defenditur ratio P. Vazq. & soluitur prima contra illam difficultas.

88 EGO cum P. Vazq. in præsenti disp. 2. num. 53. & cum eius discipulis Gaspare Hurtado disp. 1. difficultat. 12. & Meratio disp. 4. sect. 7. asseto non posse purum hominem perfecte, & integre satisfacere pro peccato suo mortali; quamvis per actum perfectæ contritionis condigne pro illo satisfaciat, quoad totã maculam remanentẽ post collatum auxilium. Probatur autẽ ratione Patris Vazquez. Non est perfecta, & integra satisfactio pro peccato illa quæ essentialiter supponit gratis condonatam partem debiti per ipsum contracti. At actus perfecte contritionis elicitus à peccatore, & per quem ille satisfacit pro culpa, essentialiter supponit gratis condonatam partem aliquam debiti contractam per ppeccatum; ergo talis actus non est perfe- Non potest homo perfecte, & integre satisfacere pro peccato suo mortali, quãvis per actum cõtritionis satisfaciat condigne pro illo quoad maculã,

perfecta, & integra satisfactio pro peccato mortali, ac per consequens per illum, nequit pro eo perfecte satisfacere. Ac proinde absolute non potest. Maior videtur ex terminis nota. Minor vero suadetur: nam homo per peccatum mortale contraxit debitum carendi auxilio congruo ad contritionem, & dilectionem perfectam, per quam deletur macula. Sicut enim, quia peccando contempsit amicitiam divinam, promeruit manere in æternum excluſus ab illa, ita promeruit carere medio efficaci ad illam recuperandam per proprios actus; quale est illud auxilium; debitum autem carendi auxilio gratis supponitur remissum pro priori ad contritionem per ipsam gratuitam donationem.

89 Multi sunt Authores in impugnanda hac ratione Patris Vazq. Objiciunt ergo primo aliqui. Nam debitum carendi auxilio non tollitur per illius collationem, quia identificatur cum macula peccati, vel ad illam necessario consequitur: macula autem non tollitur formaliter per auxilij collationem: sed per ipsamet contritionem: ergo homo eliciens contritionem delentem maculam satisfacit pro toto debito contracto per peccatum: ergo satisfacit perfecte, & integre pro peccato. Respondet P. Meratius debitum ipsum subiectivum, seu dignitatem carendi auxilio non tolli, vsque dum tollatur macula; dici tamen gratis remitti debitum, quatenus gratis conceditur auxilium, quo quis carere debebat; sicut in humanis, si quis propter delictum debeat duplicem pœnam, & vna tantum afficiatur, altera gratis ei condonatur.

90 Sed melius respondeo ipsam voluntatem divinam dandi homini auxilium ad eliciendam contritionem in instanti C. de peccato antea commisso esse cessionem iuris divini ad negandum pro tunc auxilium in pœnam talis peccati, ac proinde per illam extingui formaliter debitum carendi tunc auxilio. Quare si macula peccati adhuc maneret in C. collato iam auxilio, illa quidem fundaret debitum carendi auxilio pro instantibus subsequentibus, non tamen pro C. in quo iam supponitur collatum. Vniversaliterque censeo voluntatem efficacem Dei non infligendi homini pœnam debitam delicto esse cessionem iuris ad illam infligendam. Nam vbi conservatio iuris ad infligendam pœnam dependet à libera Dei voluntate, illi iuri censetur cedere, quoties sibi ipsi impossibilem facit punitionem.

§. II.

Secunda difficultas contra illam rationem, & prima illius solutio.

91 DIFFICILIVS impugnat aliqui rationem Patris Vazquez: nam ex illa sequi videtur, nec Christum Dominum perfecte satisfeciſſe pro peccatis nostris, nam per hæc contraximus debitum carendi Redemptore: quod debitum essentialiter supponit remissum satisfactio Christi. Huic obiectioni respondet Meratius non posse hominem per peccatum contrahere istud debitum, quia nullus hominum dignus esse potest vllo suo peccato, ne Deus alijs, vel hominibus, vel Angelis benefaciat, & gratiæ suę dona largiatur, ac proinde dignus, ne alicui humanæ, vel Angelicæ naturæ gratiam hypostaticæ secum vnionis communicet, ex qua communicata vnione, qui consurgit homo, vel Angelus, hoc ipso redemptor est, id est plene, perfecteque potens ad eos condigno pretio redimendos, qui redemptione opus habuerint: vnde sicut absurdum esset asserere peccatorem peccato suo dignum esse, ne Deus vlli mulieri Virginitatis simul, & fœcunditatis singularem prærogativam tribuerit, ita absurdum est asserere eundem dignum esse, ne vlli hominum, aut Angelorum gratia vnionis hypostaticæ conferatur.

92 Sed Contra hanc solutionem insurgit Pater Alderete disp. 5. sect. 1. num. 7. Nam satisfactio Christi potuit nõ acceptari à Deo in redemptionem peccatorum, vt docet Vazquez disp. 9. cap. 2. & 3. ergo peccator incurrit debitum, ne satisfactio Christi acceptetur pro peccato ipsius: ergo Christus non satisfacit adæquate pro toto debito peccati: nam eius satisfactio supponit remissum debitum nõ acceptandi ipsam. Verum hæc obiectio omninõ inefficax est. Pro ea diluenda notandum est, satisfactionem Christi non extinguere per seipsam maculam nostrorum peccatorum, vt est certissimum, sed eatenus deservire ad eam auferendam, quatenus per eam Deus placari potest, vt nobis conferat gratiam habitualem, vel auxilia congrua, quibus ad iustificationem promoveamur: quare Deũ anceptare satisfactionem Christi pro nostris peccatis, nihil aliud est, quam intuitu illius, vel nobis immediate infundere gratiam habitualẽ, vel cõferre auxilia congrua ad actum perfectæ

fectæ contritionis, & dilectionis, quibus formaliter deletur macula peccati. Hinc iam cõſtat obiectionem nihil concludere, quia ſolum probat ipſam acceptationem paſsivam ſatisfactionis Chriſti pro noſtris peccatis, quæ conſiſtit in eo, quod intuitu illius nobis Deus conferat gratiam iuſtificantem, ſive habitualem, ſive actualem, ſupponere gratis remiſſam aliquam partẽ debiti contracti per peccatum. Non probat autem hoc ſupponere ipſam ſatisfactionem Chriſti, vtpotè quæ de ſe per modum meriti condigni eſt ſufficientiſsima ad extinguendam eiuſmodi partem debiti, quia meretur condigne, vt Deus illã acceptet, & intuitu illius nobis conferat auxilium congruum ad contritionem.

93 Deinde falſum cenſeo hominem peccato ſuo mereri, vt Deus non acceptet ſatisfactionem Chriſti, quia peccator non eſt dignus, vt ipſi denegetur auxilium congruum quando Chriſtus petit, vt ei conferatur, & in hunc finem applicat ſuam paſsionem.

94 Sed dices contra eandem ſolutionem: quia licet peccator non mereatur, ne Deus alijs benefaciat, meretur tamen, ne benefaciat ſibi: ergo ſaltem meretur, ne Chriſtus veniat in remedium ſui, ſeu ne ſibi applicet merita ſua. Reſpondeo admittendo totum hoc. Verum inde inferri non poteſt ſatisfactionem Chriſti non eſſe integram, & perfectam pro toto debito contracto per peccatum: nam debitum illud non ſupponitur gratis remiſſum pro priori ad ſatisfactionem Chriſti, ſed formaliter extinguitur per ipſam, vt nobis applicatam.

95 Sed dices: ſi peccator meretur, ne Chriſtus pro ipſo applicet ſuam redemptionem, etiam merebitur ne Deus illum moveat per auxilia ad hanc applicationem faciendam: hoc autem debitum eſſentialiter ſupponitur remiſſum antecedenter ad ſatisfactionem: ergo hæc non eſt ſufficiens tollere omne debitum. Reſp. negando ſequelam, quia homo per peccatum nequit mereri, vt Deus privet Chriſtum donis ſibi debitis: debentur autem Chriſto auxilia, quibus conſtituatur potens ſatisfacere pro hominibus, vt hoc pacto potiatur gloria Redemptoris.

96 At replicabis: ſaltem homo per peccatum meretur, ne Deus moveat efficaciter Chriſtum ad exhibendam ſatisfactionem pro peccato ex affectu erga ipſum peccatorem: quia licet per peccatum non fiat dignus, ne Deus conferat Chriſto auxilia efficacia ad obtinendam gloriam Redemptoris; fit tamen dignus, ne conferat ex affectu erga ipſum peccatorem: defacto autem ex hoc affectu contulit, ergo antecedenter ad ſatisfactionem Chriſti ſupponitur liberaliter remiſſa aliqua pars debiti. Reſpondeo primo impoſſibile eſſe, quod Deus conferat Chriſto auxilia efficacia ad ſatisfaciendum pro nobis, quin intendat bonum noſtrum, ſeu quin conferat ex affectu erga nos, ſicut implicat, vt conferat homini auxilium efficax ad recte operandum, quin operationem illam intendat: nam intentio Dei eſt comprehenſiva in amando, & impliceat aliquod donum ex ipſis collatũ ſequi, quin ipſum intenderit: quare ſicut peccato ſuo non potuit mereri homo, ne Deus conferret Chriſto auxilia efficacia ad nos redimendum; ita non potuit mereri, ne conferret ex affectu erga nos.

97 Deinde amiſſo toto eo, quod aſſumit argumentum, non ſequitur ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe perfectam, nam illa pars debiti ſolum per accidens ſupponitur remiſſa, nam vt Chriſtus ſatisfaciat pro nobis. non requitur, quod præceſſerit illa ſpecialis benevolentia. Siquidem quamvis auxilia ad ſatisfaciendum pro nobis eſſent collata Chriſto præciſsè ex affectu erga gloriam eius, eodem modo ſatisfeciſſet pro nobis. Satisfactio autem non deſinit eſſe perfecta ex eo; quod per accidens ſupponatur gratis remiſſa aliqua pars debiti. Sic iuxta Patrem Vazquez ea diſp. 2. num. 6. actus contritionis eſt cõdigna ſatisfactio pro macula, quamvis hæc per accidens ſupponatur remiſſa per infuſionem gratiæ, à qua efficienter iuxta ipſum defacto procedit contritio: non eſt autem condigna ſatisfactio pro debito carendi auxilio, quia illud non per accidens, ſed eſſentialter ſupponitur remiſſum. Denique dicere poſſet aliquis hominem per peccatum neutiquam contrahere debitum carendi illa ſpeciali benevolentia præfinienti Chriſtum, vt Redemptorem. Nam illud dumtaxat donum videtur poſſe negari in pœnam peccati, quod exiſteret, vel ſaltem exiſtere poſſet, homine non peccante: at decretum mittendi Chriſtum vt Redemptorem noſtrũ non potuit exiſtere non præcedente peccato: ergo carentia huius decreti non potuit eſſe pœna peccati.

(*)

§. II.

§. III.

Secunda eius difficultatis solutio.

98 EA sit Christum satisfeciſſe perfecte pro peccatis noſtris, quia ille ſatisfacit perfecte pro peccato, qui ſatisfacit pro toto debito eſſentialiter conſequuto ad peccatum: Chriſtus autem ſatisfecit pro omni debito eſſentialiter conſequuto ad noſtra peccata: nam peccato mortali eſſentiale ſolũ eſt conſtituere hominẽ dignum inimicitia divina pœna, æterna damni, & ſenſus: & conſequenter dignum carere omni auxilio, quo ipſi peccatori detur proxima facultas ſe liberandi ab his malis. Pro toto autem hoc debito perfecte ſatisfecit Chriſtus, nam eius paſsio digniſsima fuit, vt hæc omnia debita nobis remittantur, nullumque horum eſſentialiter ſupponit liberaliter iam condonatum.

99 At non eſt eſſentiale peccato conſtituere hominem dignum carere Redemptore, eſto demus carentiam Redemptoris eſſe poſſe pœnam peccati, quia Deus citra omne miraculum poſſet decernere exiſtentiam Chriſti pro priori ad decretum producendi vniverſum, & conſequẽter pro priori ad decretum permittendi peccatum; quo in eventu homo per peccatum non conſtitueretur dignus carere Redemptore: quia nec poſſet conſtitui dignus carere exiſtentia Chriſti ſecundum ſe, cum hæc ſupponeretur pro priori ad prævisionem peccati iam præfinita, ac proinde non poſſet præfiniri eius carentia in pœnã peccati, nec poſſet conſtitui dignus, vt Chriſtus privaretur propter hominis peccatum poteſtate proxima redimendi hominem, & comparandi ſibi gloriam Redemptoris, quia nequit homo ſuo peccato mereri, vt Chriſtus privatur donis ſibi connaturaliter debitis, hoc enim eſſet prævalere malitiam peccati contra infinitam Chriſti dignitatem, quare ſolum poteſt homo per peccatum conſtitui dignus carentia Redemptoris pro eventu, in quo Deus differat determinationem ſuæ libertatis circa exiſtentiam, vel non exiſtentiam Chriſti vſque ad ſignum poſt prævisum abſolute peccatum. Vnde quia iſta dilatio eſt per accidens reſpectu peccati, ideo ipſi accidentarium eſt conſtituere hominem dignum carentia Redemptoris.

100 Sed contra hanc ſolutionem acute, & nervoſe poterit quis ſic inſurgere, nam ſimili argumẽto probari poſſet non eſſe eſſentiale peccato conſtituere hominem dignum carere auxilio cõgruo ad eliciendam perfectam Dei dilectionem, qua ſe emundet à macula peccati. Nam poteſt Deus ante quam videat Petrum peccantem in inſtanti A. concipere decretum efficax dandi illi auxilium congruum ad eliciendam talem dilectionem in inſtanti B. Quo in eventu non poſſet homo per peccatum commiſſum in A. conſtitui dignus carere in B. auxilio congruo ad eliciendam tunc Dei dilectionem emundantem à peccato. Ergo tunc per dilectionem elicitam in inſtanti B. ſatisfaceret homo pro toto debito contracto per peccatum commiſſum in A.

101 Verum hæc obiectio multum probat; ſiquidem probat non eſſe eſſentiale peccato mortali conſtituere hominem dignum carere in perpetuum amicitia divina, & viſione Dei: quod eſt evidenter falſum. Sequela probari poteſt eodem argumento, quo tu probas non eſſe ei eſſentiale conſtituere hominem dignũ care auxilio congruo. Quia nimirum ante prævisum abſolute peccatum Petri in inſtanti A. ſimiliter poterit Deus concipere decretum efficax dandi illi gratiam, & gloriam in inſtanti B.

102 Dicendum ergo eſt connaturaliter potuiſſe Deum præfinire exiſtẽtiam Chriſti pro priori ad decretum permittendi peccatum; non tamen potuiſſe præfinire pro priori conferre Petro dilectionem Dei in inſtanti B. & pro poſteriori permittere eius peccatum in inſtanti A. Ratio eſt, quia cum eſſentiale ſit peccato mortali commiſſo in inſtanti A. contemnere ſummum bonum, eiuſque amicitiam; eſſentiale illi eſt conſtituere peccatorem dignum carere in perpetuum poſſeſsione ſummi boni, eiuſque amicitia. Quæ dignitas eſſentialiter eſt dignitas carendi auxilio congruo, immo, & ſufficienti ad eliciendum in inſtantibus ſequẽtibus actum perfectæ dilectionis, quo ſe liberet ab illo debito carendi in æternum amicitia, & poſſeſsione ſummi boni. Implicat autem Petrum per peccatum commiſſum in inſtanti A. conſtitui dignum carere in inſtante B. auxilio congruo ad eliciendam perfectam Dei dilectionẽ, ſi pro priori ad decretum permittendi illi tale peccatum præceſsit in Deo decretum efficax præfiniens exiſtentiam illius auxilij.

103 Ratio eſt, quia nec per peccatum

catum commissum in A. potest constitui dignus carere illo auxilio in sensu composito decreti efficaciter præfinientis eius existentiam, quia hoc esset constitui dignum quadam chymæra, nempe frustratione decreti efficacis Dei: nec in sensu diviso talis decreti, quia hoc esset mereri sensum divisum illius decreti, nimirum merendo existentiam decreti oppositi, id est decreti negandi tale auxilium pro instanti B. implicat autem Petrum per peccatum existens pro posteriori ad aliquod Dei decretum, mereri decretum oppositum, vt extremum eiusdem indifferentiæ. Nam Petrus peccato suo solum meretur valet decretum, quod à Deo concipi potest intuitu talis peccati, & ex prævisione illius. At decretum sic contradictorie oppositum decreto antecedenti permissionem peccati, nequit concipi intuitu talis peccati, & ex prævisione illius: ergo Petrus per peccatum nequit mereri decretum, sic contradictorie oppositum decreto antecedenti permissionem peccati.

104 Probatur minor: quia tale decretum solum potest concipi à Deo pro priori ad decretum permissivum peccati, vtpote contradictorie oppositum decreto conferendi auxilium, quod per te antecedit decretum permissivum peccati: implicat autem, vt concipiatur intuitu peccati, & ex prævisione illius decretum illud, cui est essentiale existere pro priori ad decretum permissivum peccati: ergo de primo ad vltimum implicat Petrum per peccatum commissum in A. constitui dignum carere in B. auxilio congruo. Si pro priori ad decretum permissivum talis peccati præcesserit in Deo decretum efficax conferendi in B. eiusmodi auxilium: ergo cum repugnet Petrum peccare in instante A. quin contrahat debitum carendi tali auxilio in B. consequens est omnino repugnare, quod Deus pro priori decernat auxilium, & tamen pro posteriori permittat peccatum, quo Petrus constituitur dignus carere tali auxilio.

105 Et hæc est pulchra, & efficax ratio ad probandum non posse Deum remittere peccatum antequam committatur, id est per decretum antevertens peccati permissionem: contra id quod docet Recentiores cum Cardin. de Lugo disp. 7. de pœnitentia num. 126. & cum Ripalda disp. vltim. de ente supernaturali sectione 29.

§. IV.

Vltima eiusdem difficultatis enodatio.

106 Et sit actum contritionis elicitum à puro homine propterea non esse condignam satisfactionem pro omni debito contracto per peccatum: quia nec formaliter delere potest debitum carendi auxilio, cum in genere causæ formalis solum habeat vim abstergendi maculam: nec potest delere meritorie: quia nec potest homo formaliter mereri per contritionem auxilium requisitum ad ipsam, cum principium meriti non cadat sub merito: nec potest mereri æquivalenter, quia mereri hoc pacto est habere valorem sufficientem ad illud donum, si aliunde non obstaret defectus alterius requisiti: non habet autem valorem æqualem illi dono. Quod inde evincitur, quod per actum perfectæ dilectionis non potest purus homo mereri alteri auxilium congruum ad actum perfectæ contritionis, quo se emundet à peccato formaliter: nam Deum concedere peccatori tale auxilium est moraliter illi remittere peccatum. Nequit autem homo per actum contritionis, quo se emundat à peccato, mereri alteri remissionem peccati mortalis, vt constabit disp. sequenti: ergo nec potest mereri illi auxilium congruum ad contritionem, qua iustificetur à peccato; ergo nec æquivalenter potest sibi mereri auxilium ad ipsammet contritionem. Quod explicatur: nam licet principium meriti posset cadere sub meritum adhuc repugnaret, vt peccator per actum contritionis, quo se emundat à peccato mereretur condigne auxilium congruum, quo motus fuit ad talem contritionem, quia hoc esset mereri iustificationem à culpa mortali: ergo defacto, nec æquivalenter meretur illud bonum.

107 At vero quamvis daremus hominem per peccatum contrahere debitum carendi Redemptore, pro eoque non posse Christū formaliter satisfacere; adhuc posset satisfacere æquivaleter, quia illa impotentia non proveniret ex defectu valoris æqualis, sed ex speciali repugnantia, qua principium meriti nequit cadere sub meritum: nam illa satisfactio meretur vt homini relaxentur alia debita multo maiora, quam debitum carendi Redemptore: nam respectu hominis debitum istud incomparabiliter minus est debito subeundi pœnam æternam damni, & sensus.

Nam

Nam licet liberaretur à debito carendi Redemptore, si adhuc maneret cum toto debito subeundi æternam pœnam, parum illi prodesset illa liberatio. Econtra vero si liberaretur à debito carendi pœna æterna, quamvis non liberaretur à debito carendi Redemptore, parum hoc illi noceret: eatenus enim libertas ab hoc debito est æstimabilis respectu peccatoris, quatenus est medium, vt liberetur à debito subeundi pœnam æternam. Rursus Christus potest mereri alteri humanitati vnionem hypostaticam: ergo quod nequeat mereri propriam, non provenit ex defectu valoris. Denique quia Deus posset pœnam illam carendi Redemptore commutare in aliam, pro qua cumulatissime Christ⁹ satisfaceret cum excesso infinito.

107 Sed insurges ex Cardin. de Lugo disp. 5. num. 9. nam similiter pœnam carendi auxilio congruo posset Deus commutare in aliam pœnam, vt si homo per peccatum meruit pœnam æternam sensus vt quatuor, posset Deus commutare pœnam carendi auxilio in duos alios gradus pœnæ æternæ sensus, ita, vt iam homo non esset debitor carendi auxilio congruo, sed patiendi pœnam æternam vt sex. In hoc eventu collatio auxilij congrui facta peccatori non esset condonatio alicuius pœnæ, maneret enim adhuc homo dignus pœna intensa vt sex adequante totam dignitatem peccati: ergo tunc posset homo adæquate, & perfecte satisfacere pro toto debito peccati.

108 Sed hoc argumentum meo iudicio debile est: nam si semel actus perfectæ dilectionis per seipsum emundat à macula peccati mortalis, & à debito pœnæ æternæ, implicatorium est, vt debitū illud carendi auxilio congruo, & sufficienti ad eliciendam contritionem commutare possit Deus in aliquod augmentum pœnæ sensus: nam in æstimatione morali incomparabiliter plus est hominem habere debitum patiendi pœnam æternam, vt quatuor, & simul debitum carendi auxilio congruo, & sufficiente ad eliciendam contritionem, qua se liberet à toto illo debito, quam habere debitum patiendi pœnam æternam, vt sex, immo vt mille, sine debito carendi tali auxilio. Nam homini non magis nocere potest habere debitum patiendi pœnam æternam, vt mille, quam vt quatuor, si habet auxilium ad contritionem, per quā eodem modo tollitur debitum vtriusque pœnæ, quin sit, supposito auxilio difficilius tollere debitum pœnæ maioris, quam minoris.

DISPVTATIO XIII.

AN PVRVS HOMO POSSIT SATISFACERE AD ÆQVALITATEM PRO PECcato mortali alterius.

Ad quæst. pr. .. tertiæ part.

SECTIO PRIMA.

Status quæstionis, & Authorum sententiæ.

1 NON disquirimus, an possit satisfacere ex iustitia, seu per satisfactionem in qua serventur omnes conditiones rigorosæ iustitiæ: sed an possit condigne, nimirum exhibendo tale obsequium, quo Deus iuste placetur, propterea quod tantundem ipsi placeat, quantum displicuit offensa, Scotus, Liquetus, Paludanus, Maironus, Rubion, Sotus, Faventinus, & Caietanus apud Amicū disp. 5. sect. 7. affirmant potuisse purum hominem constitutum caput reliquorum pro peccatis totius generis humani condigne satisfacere, etsi non perfecte, & ex iustitia, quia illa satisfactio procederet ex gratia creditoris. Cui sententiæ favere videtur P. Suar. disp. 4. de incarnatione sect. 7. conclusione 1. vbi ait: de potentia absoluta fieri potuisse, vt homo purus innocens, & eximie Sanctus, satisfaceret de iustitia, & aliquo pacto de condigno pro peccatis aliorum, etiam totius

tius generis humani. Id quod iterum docuit lib. 3. de gratia cap. 16. num. 12. Verū absolute huic sententiæ contrariº est, quia ea sect. 7. §. *Hinc constat* asserit peccatum mortale, etiam si non sit simpliciter infinitum, esse inadæquabile per satisfactionem exhibitam à persona finita.

2 Cæterum vt ait P. Vazquez disp. 4. num. 17. pervulgata, & perantiqua, non solū Scholasticorum, sed etiā Patrum sententia est, nullā puram creaturam quantalibet gratia ornatam potuisse pro toto genere humano condigne, & perfecte satisfacere: eademque ratio est de satisfactione vnius puræ creaturæ pro quavis alia. Et pro hac sententia statim expendit plurima Patrum testimonia. Et P. Bernal disp. 3. num. 28. postquam asseruit gratiam vnionis fuisse simpliciter necessariam ad condignam satisfactionem pro Dei offensa gravi præstanda, appellat hanc sententiam certissimam, & sanè non auderem (inquit) ipsam in dubio revocare, nam habet pro se gravissimas argumentationes. Tum Summi Pontificis, tum Concilij generalis, & clarissima testimonia complurium Patrum, quæ apud ipsum videri possunt. Non parum tamen laborant Theologi in assignanda solida ratione huius sententiæ, quam tuentur omnes Thomistæ cum D. Thoma, & DD. Societatis cum P. Suarez, & Vazqu. Huius ergo disputationis labor in investiganda hac ratione communis asserti totus incumbet.

SECTIO SECVNDA.

Impugnatur sententia recurrens ad infinitatem peccati.

3 MODERNI Thomistæ impotentiam puri hominis ad satisfaciendum pro mortali, sive proprio, sive alieno existimant vnice petendam ex magnitudine offensæ. Arbitrantur enim peccatū mortale esse simpliciter infinitum in ratione offensæ post M. Alvarez disp. 3. de incarnatione. Quā infinitatē è nostris tuentur etiā P. Conin. Puent. Hurt. Taner. Merat. & acerrime P. Bernal disp. 4. de incarnatione Qua infinitate suppositā optimam conficiunt rationem: quia nulla satisfactio exhibita à pura creatura pro peccato, potest tantundem Deo placere, quantum ei displicuit offensa simpliciter infinita inclusa in illo peccato: ergo nulla exhibita à pura creatura potest esse æqualis satisfactio pro peccato alieno. Hanc rationem propter id, quod supponit, impugnāt reliqui omnes Societatis Authores cum Eximio Doctore disp. 4. sect. 7. & P. Vazquez disp. 2. cap. 2. Omnes Scotistæ cum Subtili Doctore in 3. dist. 19. & multi Thomistæ: nam Cabrera rigidissimus Thomista disp. 4. num. 81. appellat communem inter Thomistas sententiam negantem, peccatum esse simpliciter infinitum, quam etiam ego verissimam existimo. Et late eius veritatē ostendi disp. 2. vnde ex hoc capite non potest probari impotentia puri hominis ad satisfaciendum pro peccato alieno.

SECTIO TERTIA.

Aliæ rationes de impotentia puri hominis ad satisfaciendum pro mortali examinantur.

4 PROBAVIMVS hucusq; impotentiam istam non posse probari ex infinitate peccati, cum talis infinitas non detur. Nunc videndum, an licet sit simpliciter finitum adhuc sit in superiori ordine ad satisfactionem puræ creaturæ.

§. I.

Defenditur ratio Eximij Doctoris.

5 EXIMIVS Doctor Surez dis. 4. de incarnatione sect. 7. probat impotentiā puri hominis ad satisfaciendum pro mortali, ex infinitate personæ offensæ, quia offensæ gravitas pensari potissimum debet ex dignitate personæ offensæ; è contra vero valor meriti, & satisfactionis ex dignitate personæ satisfacientis. Cum ergo Deus offensus per peccatum mortale infinite distet à creatura satisfaciente, impossibile erit, vt satisfactio puræ creaturæ adæquet gravitatem offensæ mortalis. Contra hanc rationem acriter invehitur Pater Vazquez disp. 2. cap. 3. & post eum Card. de Lugo disp. 5. sect. 3.

6 Potissima impugnatio, quia ad condigne satisfaciendum pro offensa nō requiritur, quod persona satisfaciens sit æqualis dignitatis cum persona offensa: nam in humanis, si subditus

contumelia afficiat Principem; etiamsi non satisfaciat, se humiliando, & veniam petendo, potest tamen egregia aliqua obsequia Principi exhibere, quibus in prudentum æstimatione deleat iniuriam, & mereatur in gratiam Principis restitui, v. g. Si eum cum periculo propriæ vitæ à morte liberet, vel cum dispendio propriæ libertatis, à captivitate redimat: cur ergo non poterit creatura tot, tamque egregia opera in Dei honorem cum gratia ipsius edere, vt condigne per illa satisfaciat pro peccato mortali. Secundo suadetur, qui alioqui purus homo non posset condigne satisfacere pro veniali, quam sequelam, etsi aliqui admittant, negat tamen P. Suarez ea disp. 4. sect. 12.

7 Hæc tamen non multum vrget. Ad secundum respondebitur per peccatum veniale non contemni bonum infinitum, sicut contemnitur per mortale; nec Deum per illud offendi simpliciter, sed solum secundum quid: vnde persona infinite distans à Deo poterit nihilominus exhibere satisfactionem æqualem malitiæ veniali, & tantundem Deo placentem, quantum illi displicuit. At nulla satisfactio puræ creaturæ potest tantundem Deo placere, quantum illi displicuit peccatum mortale: nam vt optime probat Egidius de Præsentatione lib. 2. de beatitudine quæst. 5. art. 3. num. 8. homo per peccatum mortale, quantum est ex parte sua Deum contemnit, & bonum infinitum postponit bono finito; iste autem contemptus plus repugnat infinitæ Dei maiestati, eique displicet, quam ei placere possit quæcunque multitudo obsequiorũ exhibita à pura creatura, & mille titulis debita. Multo enim plus rationi dissonat, quod vilis creatura summum bonum contemnat, quam quod ei offerat obsequia, quorum ipse dignissimus est, & quæ comparata cum ipsius magnitudine parva reputari debent.

8 Hinc ad textum respondebitur: licet in humanis possit id contingere, non tamen habere locum respectu Dei, à quo homo infinite plus distat, quam plebeius distet à Rege. Nam propter hanc infinitam distantiam quodcunque obsequium exhibitum à pura creatura est minoris efficaciæ ad Deum placandum, quam peccatum mortale ad ipsum irritandum.

9 Potestque amplius confirmari sententia P. Suarez, quia licet peccatum mortale non sit simpliciter infinitum, quia quocunque posito, potest intra illum ordinem dari aliud maius: tamen ex eo, quod sit contemptus boni infiniti, merito constituitur in superiori ordine ad quamcunque satisfactionem puræ creaturæ. Nam cum certum sit, dari res aliquas, quæ licet non pertingant ad infinitatem, nihilominus collocantur in ordine superiori inadæquabile, per res alias inferioris ordinis, quantumvis in infinitum multiplicentur, cur non poterit id dici de peccato mortali respectu cuiuslibet satisfactionis penibilis à pura creatura? nimirum displicentiam in illo esse talis ordinis, vt quantumvis possit crescere, ac proinde non sit simpliciter infinita, nihilominus superet complacentiam habitam in quocunque obsequio puræ creaturæ; hoc pacto licet intuitio Dei non sit infinita, sed possit in infinitum augeri, est tamen in superiori ordine ad quascunque cognitiones aliorum obiectorum: similiter peccatum mortale, esto supponatur esse finitum, est in superiori ordine ad omnia venialia, & substantia spiritualis est in ordine superiori ad quascunque corporeas, & bonum vitæ ad quascunque divitias.

10 Dices, actum charitatis esse in ordine superiori ad actus virtutum moralium: & tamen istos, si multiplicentur, posse adæquare, immo superare vim meritoriam illius: ergo pariter in nostro casu. Respondeo primo, actum charitatis in ea ratione, in qua est superioris ordinis, non posse adæquari per actus virtutum moralium, nimirum in ratione iustificantis, vel vltimo disponentis ad iustificationem, & perfecte convertẽtis hominem ad Deum; in ratione autem merentis vitam æternam ex dignificatione gratiæ habitualis non esse superioris ordinis ad actus aliarum virtutum: nam virtus meritoria vitæ æternæ est proprietas consequuta ad omnem actuum supernaturalem honestum. Quare ex eo, quod sub hac ratione possit adæquari, nihil sequi contra rationem Pater Suarez.

11 Secundo respondeo, quod dentur res aliquæ superioris ordinis, quoad perfectionem physicam, & specificam, quæ possint adæquari in

ri in æſtimatione morali per res inferioris ordinis nihil obeſſe. Nam cum etiam dentur aliæ, quæ ita ſunt in ordine ſuperiori, vt nunquam poſsint adæquari adhuc in æſtimatione morali per res inferioris ordinis, iure optimo poteſt dicere P. Suarez, peccatum mortale participare hanc ſuperioritatem reſpectu ſatisfactionis puræ creaturæ, quamvis non ſit infinitum ſimpliciter. Nam rationes à nobis adductæ ſectione præcedenti evincunt non habere illam infinitatem; doctrina autem Patrum probat habere illam ſuperioritatem. Idque ſatis probabiliter ſuadet ratio Eximij Doctoris.

12 Quæ amplius confirmatur. Nam ex eiſdem capitibus, vnde creſcit offenſa, decreſcit ſatisfactio. Creſcit enim offenſa ex magnitudine perſonæ, cui irrogatur, & ex vilitate offendentis, & ex obligationibus, quibus hæc illi obſtringitur. Obſequium vero decreſcit ex omnibus his capitibus. Cum ergo Deus offenſus ſit ſimpliciter infinitus, & creatura ipſum offendens infinite à Deo diſtet, & ſit quaſi nihil reſpectu ipſius, innumeriſque titulis obligata illi inſervire, ſit conſequens, &c. Si enim diſtantia inter Regem, & plebeium facit vt plus æſtimetur percuſsio Regis, quam ſuſpenſio plebei; cur diſtantia Dei à creatura non efficiet, vt plus æſtimetur quæcunque gravis Dei iniuria, quocunque obſequio puræ creaturæ.

Satisfactio decreſcit ex eiſdem capitib⁹ ex quib⁹ creſcit ofenſa.

13 Poſſumus autem explicare illam ſuperioritatem ordinis in hunc modum. Nam purus homo, quantumvis ſanctus, per nulla opera mereretur donum perſeverantiæ: eſt enim adeo certum inter Theologos illud non cadere ſub meritum condignum noſtrum, vt graves Theologi cenſeant hoc aſſertum ad fidem pertinere: reliqui vero dicant, ſaltem ſine temeritate negari non poſſe, vt habes apud Ripaldam diſp. 94. de ente ſupernaturali numero 2. Poteſtque formari ratio ad probandum, non poſſe opera elicita ab homine iuſto mereri condigne proportione arithmetica donum perſeverantiæ, quia nequeunt ita mereri donum excellentius, ſi a dæqualitatem compenſantur per donum longe inferius: quælibet autem opera elicita ab homine iuſto ad æqualitatem compenſantur per determinatum augmentum gratiæ, quod eſt minoris æſtimationis, quam donum perſeverantiæ; nam illud augmentum eſt amiſsibile, & potens homo illo fruens eſſe in æternum miſſer: at donum perſeverantiæ finalis eſt inamiſsibile, & homo illo gaudens neceſſario debet eſſe in æternum beatus. Nulla ergo opera elicita ab homine iuſto mereri poſſunt condigne donum perſeverantiæ finalis. At peccatum mortale condigne meretur impœnitentiam finalem: ergo diſplicentia divina in peccato mortali eſt ſuperioris ordinis ad complacentiam in quibuſcunque operibus elicitis à puro homine iuſto, quamvis talis diſplicentia non ſit ſimpliciter infinita.

Explicatur ordinis ſuperioritas.

14 Nunc videndum, quid opponant Thomiſtæ contra hanc Eximij Doctoris doctrinam. Eorum Recentiores ſic illum impugnant poſt P. Bern. diſput. 4. num. 16. Nam ideo iuxta P. Suar. ex eo, quod perſona offenſa ſit ſimpliciter infinita, non deducitur offenſam eſſe ſimpliciter infinitam, quia cognitio Dei regulans offenſam, & act⁹ ipſe offenſivus ſunt aliquid finitum. At cognitio illa, & modus tendendi actus offenſivi non ſunt ſuperioris ordinis ad cognitionem regulantem actum ſatisfactorium, & ad modum, atque conatum illius: ergo nec offenſa erit in ſuperiori ordine ad ſatisfactionem puræ creaturę. Verum ex dictis ſect. præcedenti §. 8. facile reſpõdeo, ipſum actũ offenſivũ prout elicitum in talibus circunſtantijs habere illam ſuperioritatem; quia vt ſic elicitus eſt contemptus maieſtatis infinitæ; quod ſufficit ad eã ſuperioritatẽ, licet non ſufficiat ad infinitatem, eo quod intra gen⁹ contemptus maieſtatis infinitæ poteſt dari exceſſus maior, & maior ſine termino.

Proponũtur, & ſolvuntur argumenta ſententiã P Suarez de ſuperioritate ordinis impugnantia.

15 Obijciunt ſecundo: nam vel gravitas offenſæ mortalis ſumitur à perſona offenſa, vt à forma: vel eſt aliqua realitas phyſica, vel moralis identificata cum actu offenſivo, vel ad illum conſequuta. Si primum; offenſa non ſolum erit ordinis ſuperioris, ſed etiam infinita ſimpliciter. Si ſecundum, nec erit ordinis ſuperioris, cum actus offenſivus non ſit ſuperioris ordinis ad actum ſatisfactorium.

16 Et confirmatur, vel gravitas illa moralis cõmenſuratur cũ principio efficienti, ita vt illud nõ poſsit excedere, vel non cõmenſuratur. Si primũ, nequit eſſe ordinis ſuperioris, cum voluntas, quæ eſt principiũ illi⁹, nõ ſit ſuperioris ordinis ad creaturã ſatisfacientẽ gratiæ donis orna-

tam si secundum, non solum poterit esse ordinis superioris, sed etiam simpliciter infinita. Si nanque potest à principio ordinis inferioris superioritas ordinis sumi; etiam à principio finito poterit infinitas offensæ sumi.

17 Sed hæc etiam facile evanescunt ex dictis §. illo 8. Ad obiectionem respondeo, actum ipsum offensivum in genere imperfectionis, & mali moralis esse in superiori ordine ad satisfactionem puræ creaturæ. Ad confirmationem respondeo gravitatem offensæ commensurari cum principio elicienti, quantum ad hoc, quod non possit illud excedere. Hoc autem principium, nempe voluntas creata; licet in genere principij elicitivi actuum honestorũ non sit superioris ordinis ad puram creaturam, quatenus potentem viribus gratiæ satisfacere; est tamen superioris ordinis in genere principij defectivi, seu elicitivi actuum turpium, quia est potens elicere viribus proprijs aliquem actum, qui in ratione mali sit superioris ordinis od omnem satisfactionem puræ creaturæ, totaque gravitas offensæ continetur tanquam in prima radice in voluntate creata vt potente operari cum plena advertentia contra præceptum divinum in materia gravi. Et in hac ratione est superioris ordinis ad quancunque puram creaturã, vt potente operari viribus gratiæ.

18 Obijciunt tertiò, in nostra sententia non posse peccatum mortale esse in superiori ordine ad satisfactionem actus charitatis: offensa enim non est ordinis divini per essentiam, nec per cõmunicationem divinitatis, vt formæ seipsa dantis gravitatem, alias esset infinita simpliciter: ergo solum est ordinis divini obiective, & terminative: hoc autem pacto etiam actus charitatis est ordinis divini: ergo per istum poterit ad æqualitatem compensari.

19 Respondeo, offensam esse ordinis divini per modum recessus, seu per modum contemptus divinæ maiestatis summe indebiti: actum vero charitatis esse ordinis divini per modum accessus, & obsequij mille titulis Deo debiti. Primus autem ordo plus continet mali quam secundus contineat boni, vt probatum manet. Rursus offensa Dei abusive dumtaxat, & improprie, potest dici ordinis divini, quatenus est contemptus divinitatis, at actus supernaturalis charitatis dicitur ordinis divini, non solũ quatenus terminatur ad divinitatem, sed quatenus est ordinis supernaturalis, & participatio quædam dilectionis Dei erga seipsum. Denique etiam si odium Dei, & amor Dei sint eiusdem ordinis terminative, quatenus vterque actus terminatur ad Deum, tamen peccatum in ratione offensæ est superioris ordinis ad actum charitatis in ratione satisfactionis, quia hæc decrescit ex vilitate personæ amantis, illud vero crescit ex vilitate persone odio habetis.

§. II.

Expenditur alia ratio.

20 GREGORIVS Arimnensis apud P. Salas tractatu 13. num. docet peccatũ mortale mereri privationem totius gloriæ possibilis. Et hinc nobiles Recentiores laudati à P. Ripalda disp. 97. num. 7. probant, peccatum mortale esse supra satisfactionem puræ creaturæ. Nam maior est indignitas, & demeritum peccati, quã dignitas, & meritum cuiuscunque actus boni eliciti à puro homine: nam per peccatum fit homo indignus omni gradu amicitiæ divinæ, & beatitudinis supernaturalis, quantumvis intensissimẽ, at per nullum actum bonum fit dignus omni intensione gratiæ, & beatitudinis: ergo maior est malitia peccati mortalis, quam bonitas cuiuscunque actus puræ creaturæ. Patet consequentia, quia indignitas, & demeritum consequitur ad malitiam, sicut dignitas, & meritum ad bonitatem in eo gradu, in quo sunt bonitas, & malitia, hæc illi.

21 Quam rationem illustrare possumus. Nam quod homo per peccatum fiat positive indignus omni gradu amicitiæ, & beatitudinis, seu dignus privatione cuiuscunque gratiæ, & gloriæ, suadetur, tum à priori, quia qui peccat mortaliter, contemnit summum bonum, eiusque amicitiam, ac proinde dignus constituitur, qui spolietur à Deo omni iure amici, & qui sub moveatur omni gradu amicitiæ, tum àposteriori; nam si peccat homo iustus habẽs decem gradus gratiæ, omnibus illis privatur in pœnam peccati, & Deus vult illi privationem omnium illorum, vt malum æquale bono possessionis eorundem. Rursus, si peccet homo sanctissimus habens decem mille, omnibus illis spoliatur

liatur in pœnam peccati, eodemque modo spoliaretur gratia infinite intensa si illam possideret. Ergo peccator meretur per peccatum mortale privationem cuiuscunque gratiæ possibilis; tantum enim Dei odium meretur, vt vi illius spoliaretur peccator gratia infinite intensa, si illam ante peccatū possideret. Ergo maior est malitia peccati mortalis, quam bonitas cuiuscunque actus honesti; nullus enim cumulus actuum honestorum meretur omnem gratiam, & gloriam possibilem: ergo peccatum mortale est in superiori ordine ad satisfactionem puræ creaturæ.

22 Contra hanc rationem multa obijcit Ripalda, quæ solutione indigent. Opponit ergo primo: homo per peccatū veniale fit indignus vnione hypostatica, quo fieri dign° non potest per vllū actum supernaturalē, quantumvis perfectū. Et tamen non est maior malitia peccati venialis, quam bonitas omnis actus supernaturalis homini iusto possibilis: ergo quamvis homo per peccatū mortale fiat indignus omni gratia, & gloria possibili, qua fieri dignus nequit per illum obsequium possibile, non inde sequitur maiorem esse malitiam peccati mortalis, quā bonitatem cuiuscunque obsequij possibilis.

23 Opponitur secundò: nam inter homines, vt quis adæqualitatem resarciat iniuriam illatam Petro, seu pro illa satisfaciat, non est necesse, vt exhibeat obsequium dignum omnium bonorum, quæ ab illius liberalitate dimanare possunt: licet per iniuriam meruerit omnibus illis privari: ergo pariter, licet per peccatum mortale mereatur homo carentiam omnis gratiæ possibilis, & consequenter totius gloriæ, non propterea ad satisfaciendum pro illo erit necesse exhibere obsequium dignum omni gratia possibili.

24 In primis ad hanc secundam obiectionem respondeo, hominem per peccatum mortale mereri privationem cuiuslibet gratiæ possibilis non vt cunque, & tanquam meram cessationem à benefaciendo, sed tanquam inflictionem mali æqualis ipsorum bonorum possessionis: nam talis est malitia peccati mortalis, vt mereatur odium strictum inimicitiæ Dei adversus peccatorem, vi cuius homo spoliaretur gratia infinite intensa, si illam ante peccatum possideret: privatio autem boni perfecte possessi, & proprij ipsius possidentis est malum æquale illi bono.

25 At in humanis, qui iniuriam intulit Petro, licet per illam mereatur iacturam totius inimicitiæ possibilis, & bonorū, quæ ex liberalitate, & amicitia promanare poterant à Petro in ipsum, non tamen id meretur, vt malum æquale possessioni illorum bonorum, sed tanquā suspensionem beneficij indebiti. Petrus enim iniuriam passus nequit iusto inimicitiæ odio prosequi offensorem, nec cessare ex odio à benefaciendo liberaliter, quare dum negat offensori suo beneficia, quæ ex eius amicitia sperari poterant, si iuste negat, non ita negat, vt eodem modo esset negaturus, si illa essent in dominio perfecto offensoris: nam si res ita se haberet, non posset Petrus offensorem suum illis privare, quare dum eam negat iuste, non negat ex odio, sed præcisè negat, vt indebitam, & vt mere cessans ab amore, & idcirco illorum bonorum privatio non est tam mala, quam bona foret illorum possessio.

26 Vt enim privatio sit malū æquale bono ipsi, requiritur, quod bonū illud sit perfecte debitum, & proprium ipsius amittentis. Si autem non sit debitum, aliter se res habet. Maior enim pœna est auferre à Petro quatuor aureos proprios, quam negare ei centum, ad quos nullū ius habebat. Hæc ergo est ratio cur ad satisfaciendum digne pro mortali necessariū sit obsequium dignum quacunque gratia, & gloria possibili: quia nimirum peccatum mortale tantæ est malitiæ, vt per illud mereatur peccator iacturam facere cuiuscunque gratiæ possibilis adhuc vt sibi perfecte debitæ, & possessæ: quācunque enim possideret ante peccatum, eandem iustissime amitteret in pœnam illius. Et similiter hæc est ratio, cur ad satisfaciendum pro iniuria irrogata Petro, non sit necesse illi exhibere obsequium dignum omni dono, quod alias offensor sperare posset à libertate Petri; nam offensor Petri non meretur privationem horum donorum, vt malum æquale ipsorum possessioni, & dominio; sed vt meram cessationem à beneficientia indebita: si enim illorum donorum dominus esset, non posset à Petro illis iuste privari in pœnam talis iniuriæ.

Hinc ad primam obiectionem respondeo, hominem per peccatum veniale non mereri privationem vnionis hypostaticæ tanquam malum æquale possessori illius

illius, sed tanquam negationem beneficij in debiti, nam hoc ipso, quod homo, vel leviter Deum offendat, dat illi motivum, ne sibi benefaciat, præsertim comunicando bonum summum: nam quo maius est donũ, quod sperari potest ab alterius liberalitate, eo minor culpa sufficit, vt quis eo censeatur indignus. Deinde peccatum veniale essentialiter incompossibile est cum vnione hypostatica: vnde humanitas venialiter peccans admitteret quidem impedimentum essentiale vnionis; non tamen propterea vnionis carentia deberet esse pœna illius peccati. Quod si humanitas vnita Verbo, & habens absolutum ius ad perpetuitatem vnionis, per impossibile peccaret venialiter, non propterea mereretur privari possessione tanti boni, quia hoc esset puniri vltra condignum.

27 Sed quid, si per impossibile peccaret mortaliter, mereretur ne privationem vnionis hypostaticæ sicut peccator quilibet meretur privationem gratiæ habitualis? P. Alderete disput. 4. sect. 2. numer. 13. post Cardinal. de Lugo disput. 5. num. 44. respondet negative: redditque rationem; quia humanitas magis Deo placet ratione sanctitatis increatæ, quam illi displiceat ratione peccati mortalis: vnde privatio vnionis illius iam possessæ est pœna excedens gravitatem culpæ. Verum hoc difficile apparet: nam humanitas illa per peccatũ meretetur pœnam inferni: implicat autem esse dignã hac pœna, & non esse dignam spoliari vnione hypostatica. Quare vtrunque videtur sequi ex illa suppositione. Et propter hoc ipsum dici potest omnino repugnare, quod humanitas per peccatum expellat à se vnionẽ semel habitam, estò primam illius existentiam impedire valeat.

28 Sed instat à priori Ripalda: quia licet ad merendam maiorem gloriã requiratur, maior bonitas, quam ad merendam minorem; tamen ad demerendam maiorem non requiritur maior malitia, quam ad demerendam minorem: eadem enim malitia, quæ demeretur id, quod est minus, à fortiori demeretur, quod est maius: è contra vero bonitas, quæ meretur id, quod est minus, non idcirco meretur, quod est maius. Sicut in humanis, qui demeretur Episcopatum, aut Magistratum, à fortiori demeretur Pontificatum, & Imperium: è contra vero, qui meretur illud primum, non propterea meretur hoc secundum.

29 Sed contra: nam ideo ad meritum vitæ æternæ non requiritur bonitas æqualis omni gloriæ possibili: quia stat hominem esse dignum habere primum gradum, quin sit dignus habere reliquos. At non stat hominem esse dignum privari vltimo gradu gloriæ ad quem habebat ius, quin sit dignus privari reliquis omnibus, etiamsi ad illos haberet perfectum, & absolutum ius: ergo licet actus merens de condigno vitam æternam, non debeat sic mereri quemlibet gradum gratiæ, & gloriæ, tamen peccatum condigne demerens vnum gradum gloriæ, condigne demeretur reliquos: & sane in humanis ex eo, quod propter aliquod delictum mereatur quis priuari dignitate aliqua parva, cuius erat dominus, non propterea meretur privari dignitate magna: nam delictum, quod sufficit, vt Dux aliquis, vel Comes privetur dominio alicuius civitatis, non sufficit, vt privetur dominio integrę provinciæ. Et tamen delictũ, quod sufficit vt homo habens mille gradus gratiæ præviter aliquo, hoc ipso sufficit vt privetur omnib' illis collectivè ergo quia peccatũ mortale tantæ est malitiæ, vt de se mereatur privationẽ cuiuscunque gratię iam possessæ vt malum æquale bono possessionis.

30 Quare ratio Ripaldæ solum habet locũ in bonis in debitis, & ad quæ persona non habet ius: nam in terminis recte procedit illud argumentum. Non tamen in bonis debitis, & iure possessis: nam in his ex eo quod quis propter delictum mereatur multari privatione minoris, non sequitur, quod mereatur multari privatione maioris: alioqui, qui meretur multari privatione certum aureorum, meretur multari privatione mille.

§. Vltim.
Ratio Patris Vazquez.

31 SVBTILIS istes Doctor impugnatis aliorum rationibus disput. 4. cap. 4. aliam assignat cap. 5. cur purus homo nequeat condigne satisfacere pro peccatis aliorum: pro qua supponit primo bonum opus elicitum ab vno homine non posse in genere causæ formalis delere maculam alterius. Idquod videtur lumine naturæ notum, nam sicut dilectio supernaturalis Dei existens in Petro

tro nequit reddere Paulum diligentem Deum, ita nec mundatum à labe peccati. Solum ergo potest bonum opus vnius esse satisfactio pro peccato alterius per modum meriti condigne moventis Deum, vt remittat illi iniuriam. Secundo supponit malum peccati solum posse deleri per formam intrinsecam, nempe, vel per actum perfectæ dilectionis Dei, vel per gratiam habitualem.

32 Hinc probat non posse purum hominem, quantumvis iustum, satisfacere condigne pro peccato alterius: quia gratia habitualis, quæ est radix meriti, quãtumvis intensa, solum potest esse principium merendi gratiam, & gloriam subiecto, in quo est, non autem alijs. Quod probat primo à posteriori, quia defacto, nec Apostoli, nec Beata Virgo suis meritis, etsi ortis ab altissima gratia, vt à radice, nobis condigne promeruerunt vllũ, vel minimum gratiæ, & gloriæ gradum. Ergo nec ex divina ordinatione potest gratia esse principium condigne merendi alijs, cum illa ordinatio extrinsecam nullam addat operibus dignitatem. Secundo à priori, quia gratia est semen gloriæ, semen autem non fructificat, nisi in terra, in qua satum est: ergo nec gratia potest tanquam radix producere fructus gloriæ, nisi in subiecto, in quo est.

43 Hanc rationem multi impugnant, quia licet defacto, & iuxta providẽtiam ordinariam gratia non sit principiũ condigne merendi alijs, quia Deus prospiciens vtilitati ipsius merentis, totum valorem, & meritum condignum operum iusti acceptaverit solũ in præmiũ gratiæ, & gloriæ ipsi conferendũ; potuit tamen aliter res disponere, & acceptare opera illa ad gratiam alijs conferendam, dicunque gratiam in eo comparari semini, quia sicut hoc, non potest ferre fructum, nisi in solo, in quo satum est, ita illa solum potest tribuere ius ad gloriam per modũ hæreditatis homini, cui inhæret, sicut enim illum, & non alium constituit filium Dei adoptivum, ita illi, & non alteri tribuit ius ad hæreditatem paternam, cæterum in eo discriminari à semine, quod principium sit merendi gloriam, vt coronam: hanc autem vim posse ex institutione divina acceptari incommodum alterius.

34 Potest tamen sententia Patris Vazq. instaurari. Nam sicut gratia habitualis inhærens Petro non constituit illũ dignum, vt hæreditas gloriæ conferatur Paulo: ita nec opus bonum Petri, vt condignificatum à tali gratia potest illum constituere dignum, vt ipse privetur augmento gratiæ, vt ista conferatur alteri: ac proinde nunquam Petrus mereri poterit condigne alteri gratiam sanctificantem.

35 Assumptum probatur primo. Nam opus bonum Petri condignificatum à gratia constituit illum magis sanctum; sicut enim non potest homo esse dignus gloria, quin sit sanctus, ita nec potest esse magis dignus gloria, vel dignus maiori, quin sit magis sanctus: per opus autem bonum elicitum à gratia constituitur Petrus dignus maiori gloria, ac proinde magis sanctus. Ergo sicut per bona opera crescit Petrus in sanctitate, ita & in filiatione adoptiva, Atqui hæc solum constituit filium dignum, vt ipsi tribuatur hæreditas, non autem vt conferatur alteri. Ergo opus bonum elicitum à Petro iusto solum constituit dignum ipsum, vt ei conferatur gloria, non autem vt conferatur alteri. Nec refert, quod augmentum gloriæ correspondens operi meritorio dicatur corona; id enim non tollit, quod simul sit hæreditas, & correspondeat augmento filiationis adoptivæ, quia cum istud sit liberum operanti, hæreditas ipsi correspondens merito appellatur corona.

36 Probatur secundo. Nam opus bonum elicitum ab homine iusto, quo v.g. meretur sibi quatuor gradus gratiæ, & gloriæ dignum non est, vt propter illud detur vlterius alteri aliquis grad° gratiæ; siquidem adæqualitatẽ compensatur per collationem illorum quatuor: ergo per illud non constituitur merens dignus, vt alteri conferatur gratia, & gloria; quod si dixeris per actum meritorium, vt quatuor, merentem constitui dignum, vt sibi, vel alteri conferat Deus quatuor gradus gratiæ, & gloriæ: ac proinde licet non superfit dignitas ad gratiam conferendam alteri ex suppositione, quod merenti sit collata gratia, vt quatuor, posse tamen absolutè concedi: contra est, quia si condignitas meriti non respicit determinate gratiam, & gloriam conferendam merenti: sed vage, vt conferendam illi, vel alteri, connaturaliter poterit contingere, vt merens nihil gratiæ, & gloriæ lucretur sibi; nam vbi exigentia est vaga connaturaliter expletur per quemcunque ex terminis exactis. Sequela autem præterquam quod ab adversarijs non videtur concedi, absurda est.

37 Eeius absurditas ostenditur, quia cum homo iustus per actum supernaturalem fiat obiectum congruum divinę dilectionis augentis amicitiam habitualem hominis cum Deo, & ius ad beatitudinem, fieri non potest, vt connaturaliter hoc præmium commutetur in aliud, per cuius collationem impediatur dilectio illa. Si nanque Petrus per opera sua dignus est, vt amore amicabiliter ametur, non est consentaneum naturæ legibus, vt ego propter eius merita amen amicabiliter Paulum, cessando ab amore ipsius Petri. Hoc enim esset abuti dignitate meritorum Petri, quæ me movere non possunt ad aliquid faciendum, nisi mediante amore ipsius: ac proinde ad nihil me possunt obligare mediante cessatione ab amore Petri.

38 Quapropter, sicut homo sapiens, qui propter suam sapientiam dignus est, quem discipuli loquentem audiant, non est dignus, vt propter ipsum alius quidam audiatur, ea sapientia non præditus. Pariter homo iustus, qui propter suam operationem honestam dignus est admitti ad maiorem Dei amicitiam, maiorique gloria frui; dignus non esset, propter ipsum alius quidam hæc bona accipiat, & ipse illis maneat privatus.

49 Quod confirmatur; quia quod operatio honesta condigne mereatur gratiam, & gloriam, fundatur in amicitia ipsius merentis cum Deo; & in maxima illius inclinatione ad augendam amicitiam cum homine iusto, & communicationem amicabilē, per visionem, & amorem beatificum. Huic autem inclinationi non fit satis per collationem gratiæ factā alteri: ergo homo iustus non meretur gratiam, & gloriam conferendam alijs. Rursus quod iustus condigne mereatur gloriam, fundatur in aptitudine, quam per exercitium virtutum, & prēmium charitatis acquirit ad beatitudinem; quo enim homo est melior, & Dei amantior, eo est aptior ad fruendum ipso. Cum ergo hanc aptitudinem nequeat operatio iusti communicare subiecto extraneo: consequens est vt per illam nequeat iustus constitui dignus, vt alteri conferatur gloria.

50 Quare ius, quod homo iustus per suam operationem adquirit in gloriam, ita est proprium illius, vt non possi illud transferre in alium, sicut nec potest transferre dignitatem laudis. Et quamvis ipse vellet, vt præmium gloriæ correspondens suis operationibus non daretur sibi, sed alteri, non esset dignus exaudiri à Deo, quia quod ipse magis amet Deum non potest illum constituere dignum, vt minus ametur à Deo, seu, vt Deus transferat amorem illius in alium. Quod tamen contingeret, si per opus meritorium v.g. per actum charitatis constitueretur dignus, vt Deus conferret alteri præmiū gloriæ correspondens tali actui, non posset enim ita dignus constitui, quin constitueretur dignus privari amore amicabili Dei in ipsum collativo gloriæ.

51 Hoc pacto filius, qui ratione coniunctionis naturalis cum Patre habet ius, vt ille sibi indigenti succurrat, nequit hoc ius transferre in alium æque indigentem; & quamvis vellet, vt Pater non tibi, sed alteri succurreret, non esset dignus exaudiri à Patre. Et confirmatur: quamvis iustus posset pro libito suo amittere ius ad gloriam ipsi competens ratione gratiæ; non tamen potest hoc ius transferre in alium: ergo pariter non poterit prohibito suo transferre ius acquisitum ratione rectę operationis; nam quod hoc ius sit liberum, ius vero competens ratione primæ gratiæ sæpe sit independens à libertate, nihil refert: nam inhumanis non minus potest quis alienare ius acquitum sine meritis, quam ius proprio labore comparatum.

52 Ex dictis infero, ex eo, quod iustus possit applicare alijs satisfactionem suorum operum, minime sequi, quod possit applicare meritum condignum. Nam iactura gratiæ, & gloriæ nequit compensari: iactura vero satisfactionis abunde compensatur per actum charitatis, quo abdicat à se illam satisfactionem. Nam per illum meretur æternum gloriæ pondus. Melius autem est iusto obnoxium manere pœnæ temporali Purgatorij, & post illam maiori gloria ęterna donari, quam statim post mortem, in Cœlum convolare: vnde quamvis iustus volens transferre in alium satisfectionem suorum operum, dignus sit exaudiri, non tamen dum vult transferre sua merita, non tamen propter defectum ęqualitatis cum gratia alij conferenda, sed propter defectum proportionis.

53 Vnde solus Christus potuit mereri alijs gratiam, & gloriam, cum enim ipse independenter ab omni merito sit dignus omni gratia, & gloria sibi possibili, non potest iacturam pati gratiæ, & gloriæ, ex eo quod propter merita ipsius

alijs

alijs tribuantur ; & cum eius meritum sit simpliciter infinitum, nequit esse determinatum ad merendum dumtaxat gratiam, & gloriam proprio subiecto.

DISPVTATIO XIV.

AN SALTEM PVRVS HOMO POSSIT MERERI CONDIGNE ALIIS REMISSIONEM peccati morralis.

NEMPE condignitate arithmetica. Sunt nobiles Theologi, qui cum sententia communi admittentes non posse purum hominem satisfacere adæ qualitatem pro peccato mortali proprio, vel alieno; nihilominus censent posse hominem eximie iustum mereri alijs decondigno. Ita Ripalda, qui admittens disp. 97. num. 3. eam communem sententiam, nihilominus disp. 96. num. 47. docuit posse iustum mereri condignitate arithmetica remissionem peccati mortalis. De hac enim condignitate est controversia: nam si semel potest dari meritum coedignum distinctum à congruo, non habens æqualitatem arithmeticam cum præmio, non esset difficile adstruere hanc condignitatem respectu remissionis peccati, huius tamen difficultatis discussio attinet ad tractatum de merito.

SECTIO PRIMA:

Eligitur, & probatur sententia negans.

1 EGO partem negantem certam arbitror cum Card. de Lugo disp. 5. num. 144. Alderete disp. 6. sect. 2. Arriaga disp. 5. sect. 4. & 5. cum Puente, Hurtado, & alijs. Probatur autem, quia implicat, vt quis mereatur condigne alteri remissionem peccati, quin offerat Deo obsequium, in quo plus, vel saltem tantundem placeat, quantum displicuit in peccato: ergo si homo non potest condigne, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali alterius, nec condigne poterit mereri remissionem illius. Patet consequentia, & antecedens probatur. Nam si Deus displicet in peccato plus, quam complaceat in obsequio, fortius, & efficacius peccatum movet ad vindictam, & non remissionem, quam obsequium moveat adveniam, & remissionem: ergo meritum nequit prævalere adversus peccatum, & vincere eius resistentiam, nisi tantæ sit bonitatis, & virtutis, vt superet, vel saltem æquet malitiam peccati.

2 Explicatur, peccatum ipsum existens in peccatore in instante A. movet, & impellit Deum, ne infundat in sequenti instanti gratiam habitualem, qua deleatur huiusmodi macula; obsequium autem minus placens Deo quam displicet illud peccatum, quantumvis ex se vim habeat inclinandi divinam voluntatem ad infundendam gratiam illi homini pro instante B. nihilominus in præsentia contrarij validioris prævalere nequit; quare si Deus infundat gratiam, hoc erit præmiũ excedens vim meritoriam illius obsequij. Nec enim intelligi potest, quo pacto peccatum mortale resistens remissioni secundum totam suam malitiam vinci possit, nisi à bono contrario superiori, vel saltem æquali. Quemadmodum in physicis, vt agens connaturaliter introducat formam, debet superare resistentiam contrarij: quod si hanc vincere nequit, connaturaliter introducere non potest talem formã: quapropter licet iustus posset mereri non peccatori gratiam illam, tamen peccatori mereri non potest condigne.

3 Et sane cum Deum remittere peccatum, sit cedere iuri, quod habebat adversus peccatorem exigendi ab illo satisfactionem, ipsumque puniendi pœna æterna; non videtur quo pacto quis possit Deum meritis suis obligare ad faciendam hanc cessionem, nisi illa talia sint, vt plus, vel saltem non minus placeãt ipsi, quam displicuit peccatum. Si enim minus placeant, merito poterit ea parvi pendere, & vlteriora adhuc obsequia exigere, vt placetur.

Pro-

4 Probatur deinde authoritate Patrum, qui nulla facta distinctione inter meritum condignum remissionis, & satisfactionem, absolute docent non potuisse redimi genus humanum, nisi per Christum. Potuisset autem, si purus homo posset offerre prætiũ æquale remissioni peccatorum, & illo emere libertatem humani generis à peccato, Assumptum patet ex illis verbis magni Basilij ad illa verba Psal. „ 48. Frater non redimit, redimet homo: „ non homo nudus, sed homo Deus, quia „ nullus alius poterat condignum adferre „ prætium. Item ex illis Fulgentij de in„ carnatione, & gratia Epist. 4. Nullate„ nus humana natura ad auferendum pec„ catum mundi sufficiens, atque idonea „ fieret, nisi vnione Verbi Dei. Demum ex illis Sancti Leonis serm. 12. de passio„ ne: quia primi hominis vniversa poste„ ritas vno simul vulnere sauciata corrue„ rat, nec vlla Sanctorum merita condi„ tionem poterant illatæ mortis evincere &c. Quæ sunt potissima Patrum testimonia, quibus probari solet impotentia puri hominis ad satisfaciendum pro mortali. Hæc autem æqualiter probant impotẽtiam exhibendi prætium æquale pro libertate peccatoris à captivitate peccati.

SECTIO SECVNDA,

Soluuntur obiectiones.

5 OBIICIES primò fundamentum à priori P. Ripaldę; nã si ob aliquam rationem non posset purus homo mereri condignitate arithmetica remissionem peccati mortalis, maxime, quia nequit obsequium exhibitum à puro homine esse tam bonum, quam malum est peccatum; at hæc æqualitas inter obsequium, & malitiam, non requiritur ad meritum condignum remissionis peccati: ergo, &c. Probatur minor, nam ad hoc sufficit æqualitas arithmetica inter meritum, & præmium, id est inter obsequium, & bonum remissionis: potest autem dari hæc secunda æqualitas, sine illa prima: nam remissio peccati non est tam bona, quam malum est peccatum. Quod autem res ita se habeat, suadetur, tum quia peccatum mortale cõstituit hominẽ summe infœlicẽ, eius autẽ remissio non cõstituit summe fęlicẽ: tum quia peccatum reddit hominem dignum inimicitia divina; pura autem remissio non reddit dignum amicitia, nimirum, si fiat per condonationem extrinsecam. Denique, quia remittere peccatum nihil aliud est, quam hominem restituere in illum statũ quo ante peccatum fruebatur: ille autem status non erat tam bonus, quã malum est peccatum: ergo remissio peccati non est tam bona, ac malum est peccatum: ac per consequens potest purus homo exhibere obsequium æquale bono remissionis, quin sit æquale malo peccati; ac proinde condigne mereri remissionem peccati, quin condigne pro illo satisfaciat.

6 Pater Alderete ea disputa 6. sect. 2. num. 8. & sect. 3. num. 2. affirmat remissionem peccati non esse minus bonam, quam malum ipsum peccatum: nam hæc remissio (inquit) est ablatio mali debiti, cuius mali subiectum erat dignum; ablatio autem mali debiti non est minus bona, quam sit mala præsentia mali, quod aufertur. Idque explicat à contrario: nam ablatio boni debiti non est minus mala, quam sit bonum id, quo privat: iactura nanque centum aureorum, quæ tibi debentur, non est tibi minus mala, quam tibi foret bona eorum possessio: ergo pariter in nostro casu. Iuxta quam solutionem licet in genere, & inspectis rebus secundum se, non tam bonum sit, non esse infœlicem, ac malum est esse infœlicem: tamen liberari ab infœlicitate iam contracta, tam bonum est, ac erat malum illam perpeti.

7 Ergo respondeo remissionem peccati tam bonam esse in ordine ad auferendam infœlicitatem debitam ratione peccati, quam malum, est peccatum ad illam inducendam, esto non sit tam bona in ordine ad reddendum hominem fœlicem, quam malum est peccatum in ordine ad reddendum infœlicem, aioque sufficere illam bonitatem relativam remissionis ad hoc vt nemo possit illam condigne mereri, nisi per obsequium adæquans malitiam peccati, quia nemo potest suo obsequio condigne mereri ablationem tanti mali, nisi vincendo resistentiam peccati, quæ vinci nequit nisi à bono superiori, vel saltem æquali malo peccati.

8 Quod si vrgeas absolute, & omnibus inspectis, remissionem peccati non esse simpliciter tam bonam, ac malum est peccatum, quia se sola inducere non valet summam infœlicitatem, peccatum vero se solo summam infœlicitatem causare valet: ergo ad illam condigne promerendam non requiri obsequiũ adæquans malitiam peccati. Concesso antecedenti, nego consequentiam: nam esto

quan-

quando præmium eſt poſitivum conſiſtens in pura collatione boni, nullo reſiſtente econtrario; ad meritum condignum ſolum inſpici debeat æqualitas inter præmium, & meritum vt bonum ſubiecto merenti, tamen vbi præmium conſiſtit in ablatione mali reſiſtentis ſui deſtructioni, ad meritum condignum non debet ſola hæc æqualitas attendi, ſed inſuper æqualitas cum malo, quod vincitur. Hoc pacto in phyſicis, vt cauſa producat effectum in præſentia contrarij, non ſolũ inſpici debet æqualitas inter cauſam, & effectum, ſed inter cauſam, & contrariũ, quod ſuperari debet. Et ſic calidum vt vnum non poteſt introducere primum gradum caloris, vbi reſiſtit frigus ſummè intenſum, quem tamen gradum introduceret, ſi nullum reſiſteret contrariũ, cuius vires ſuperandæ eſſent ad introducendum calorem.

9 Hinc quamvis remittere peccatum ſit reſtituere hominem in priſtinũ ſtatum, quem haberet, ſi non peccaret, nihilominus illa remiſsio in ratione præmij maius quid eſt, quam immunitas à peccato, quia magnitudo huius præmij penſanda eſt ex ſtatu ſummæ miſeriæ, à quo liberat peccatorem, potius, quam ex ſtatu carentiæ peccati, in quo collocat.

10 Obijcies ſecundo: homo iuſtus poteſt mereri alteri gratiam habitualem; ergo etiam peccatori. Admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: quia maior virtus requiritur ad introducẽdam formam in ſubiecto contraria forma occupatum, quam in ſubiecto ab omni contrario liberum; maiuſque meritum eſt neceſſarium, vt perſona offenſa inimicum ſuum in priſtinam reſtituat gratiam, eique faveat, quam vt amico ſuo amplius benefaciat.

11 Obijcies tertio: poteſt purus homo alteri mereri præſeverationem à peccato mortali: ergo etiã poterit mereri alteri remiſsionẽ peccati. Probatur conſequentia, quia præſeveratio maius eſt beneficium, quam remiſsio: maius namque beneficium Deus contulit Beatæ Virgini illam præſeverando à lapſu, quam ſi ſem l lapſam erexiſſet. Admiſſo antecedenti, nego conſequentiam: etſi enim abſolute, & præſcindendo ab omni ſuppoſitione maiorem benevolentiam oſtendat Deus erga illum, quem præſervat à peccato aliquo, quam erga illum, quem ſinit cadere in tale peccatum, & poſtea erigit: nihilominus maius meritum requiritur ad movendum Deum, vt parcat homini lapſo, eique remittat peccatum, quam vt hominem teneat, ne cadat, propter reſiſtentiam validiſſimi contrarij, nempe peccati vehemẽter provocantis Deum ad ſummendam vindictam, & odio habendum peccatorem, quæ reſiſtentia nequit ſuperari à merito non habenti maiorem, vel ſaltem æqualem vim movendi adveniam, ac peccatum habet provocandi ad ſupplicium. Quæ ratio ceſſat in alio caſu, in quo nihil præcedit ex parte hominis recipientis beneficium præſervationis, reſiſtens illius communicationi. Vnde ad flectendam divinam voluntatem de ſe pronam ad benefaciendum homini, qui ſe nunquam indignum exhibuit illius beneficij, minor bonitas requiritur in merito.

12 Adde D. Thomam 2. 2. q. 106. art. 2. docere omnibus conſideratis, magis ad gratitudinem teneri pœnitentem, cui Deus dimiſsit mortale, quam innocentem, quem à mortali præſervavit, ſi reliqua omnia ſint paria, quia conſiderata conditione perſonæ recipientis, maior gratia confertur ei; qui ex inimico fit amicus, quam ei, qui manutenetur, ne ex amico fiat inimicus; eſto bonum innocentiæ, & præſervationis à culpa ſit quid vtilius recipienti, & abſolute eligendum; quia beneficium, & gratia multum creſcit ex indignitate ſubiecti. Vnde quod quis benefaciat inimico, opus eſt egregiæ charitatis, & meretur laudem, quam non meretur beneficientia erga amicum, & ſane ſi comparemus Petrum iuſtum in inſtante A. cum Paulo peccatore in eodem inſtante; & inquiramus, cuinam ex his duobus conferat Deus maius beneficium in inſtante B. an Petro manutenendo illum ne tunc peccet mortaliter, & amittat gratiam, an Paulo admittendo illum in priſtinam gratiam, & amicitiam amiſſam per peccatum; comperiemus huic ſecundo maiorem gratiam conferri, quam primo.

15 Obijcies vltimo: poteſt Deus conſtituere aliquem hominem iuſtum caput aliorum etiam exiſtentium in peccato ea lege, vt merente capite, membra recipiant gratiam cum remiſsione peccati, ſicut defacto conſtituit Adamum caput generis humani cum poteſtate tranſfundendi in poſteros culpam. Reſpondeo Deum potuiſſe quidem decernere dare gratiam iuſtificantem peccatoribus ſub conditione, quod aliquis iuſtus obſervaret tale, vel tale præceptum, non tamen po-

tuiſſe

tuisse efficere, vt iustus ille sua obedientia mereretur condigne peccatoribus gratiam iustificantem, vt evincunt nostra fundamenta: nam pactum illud nequit dare valorem operibus.

14 Nec exemplum Adami quidquam obtinet: quia culpa illius derivata est in posteros per transfusionem voluntatum, qua seppositâ, posteri redditi sunt formaliter inobedientes per ipsam inobedientiam Adami, ac proinde peccantes, & merentes pœnam æternam. At in nostro casu voluntates reliquorum non essent transfusæ in voluntatem illius hominis iusti, qui esset caput reliquorum; nam ille mereretur pro alijs. Si autem daretur illa transfusio, meritum illius esset meritum reliquorum, ac proinde non tam diceretur ille mereri reliquis, quam vnusquisque mereri sibi. Adde, quod sicut homo ille, quamvis eliceret actum meritorium, per illum non posset obtinere de condigno alicui peccatori gratiam iustificantem: ita nec membra illius possent sibi, vel alijs existentibus in peccato, mereri per actum sui capitis gratiam iustificantem. Deinde dicito non dari transfusionem voluntatum in ordine ad meritum condignum gratiæ, & gloriæ, vt probat optime Ripalda disp. 16. de ente supernaturali à num. 43. Nam meritum condignum gratiæ, & gloriæ non solum involvit bonitatem moralem actus, sed sanctitatem physicam subiecti: quamvis autem posteri possent reddi moraliter boni per bonitatem operationum sui capitis; non tamen possunt reddi sancti per ipsius sanctitatem physicam: vnde meritum condignum gratiæ, & gloriæ, nunquam potest transfundi, licet possit transfundi meritum condignum pœnæ æternæ, quia condignitas ad pœnam identificatur adæquate cum malitia actus, condignitas autem ad gloriam non identificatur adæquate cum bonitate actus.

DISPVTATIO XV.

AN PVRVS HOMO POSSIT CONDIGNE SATISFACERE PRO PECCATO VENIALI.

præcipua controversia erit de peccato veniali proprio. Ex consequenti autem aliquid dicemus de satisfactione pro veniali alieno.

SECTIO PRIMA.

Authorum placita.

1 PRIMA sententia negat, quia licet peccatum veniale sit offensa levis comparatum cum mortali, in se tamen non est parvi pendendum, cum sit offensa maiestatis infinitæ. Vnde ex illa trahere debet superioritatem ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, quia vbi persona satisfaciens infinite distat à persona offensa, nequit illius obsequium adæquare huius iniuriam. Ita Petrus Soto lect. 18. de pœnitentia P. Vuadingus disp. 1. de Incarnatione num. 65. & alij.

2 Secunda sententia affirmat, quia licet peccatum veniale sit offensa personæ infinitæ, solum analogice, & secundum quid participat rationem offensæ, nec avertit hominẽ à Deo vltimo fine licet retardet accessum ad illũ, & quãvis offensa crescat ex persona offensa, potest tamen adeò decrescere ob levitatem materiæ, vel imperfectionem deliberationis, vt obsequium personæ finitæ adæquet, immò superet offensam aliquam personæ infinitæ. Et ita docet hæc sententia iustum per actum perfectæ contritionis perfecte, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali. Ita multi cum P. Suarez disp. 4. de Incarnatione sect. 11. & P. Vazq. disp. 3. cap. 3. Qui tamen Doctores inter se non conveniunt in modo defendendi hanc assertionem, nam Eximius Doctor censet contritionẽ elicitam ab homine iusto non delere maculam

culam venialem independenter ab acceptatione divina, novoque favore, ſicut ſentit de gratia habituali, reſpectu peccati mortalis.

3 At Pater Vazquez arbitratur illam contritionem per ſeipſam in genere cauſæ formalis delere maculam venialem, ſicut lux expellit tenebras. Non ſolum autem docet iuſtum poſſe ſatisfacere per illam pro ea macula, ſed hanc ſatisfactionem eſſe vndequaque perfectam, longe aliter, ac contritio in ipſi⁹ ſententia eſt ſatisfactio pro mortali: cenſet enim hominem iuſtum per peccatum veniale non contrahere debitum carendi auxilio congruo ad contritionem, ſicut illum contrahit peccator per mortale. Vnde fit nihil deeſſe illi contritioni elicitæ ab homine iuſto, quominus ſit perfecta ſatisfactio pro veniali, cum nullam partem debiti ſupponat gratis remiſſam, quanquam contritio elicita à peccatore pro mortali ob oppoſitam rationem non ſit perfecta ſatisfactio pro illa, eſto per ſeipſam deleat maculam vt manet explicatum diſp. 3. ſect. 1.

4 Tertia ſententia affirmat, poſſe quidem iuſtum ſatisfacere perfecte pro offenſa levi, quia iuxta leges amicitiæ eſt, vt leves offenſæ, quæ etiam inter amicos ſunt inevitabiles, poſſint per obſequia compenſari, & tolli, quantumcunque digna ſit perſona, quæ leviter offenditur: cæterum ait regulariter nunquam, aut raro tolli maculam illam per ſatisfactionem condignam. Tum quia tollitur per gratuitam Dei remiſsionē, quod ab authoritate ſacræ paginæ probat. Tum quia ei correſpondet acerbiſsima pœna Purgatorij, quæ arguit vix eſſe vllum obſequium iuſti, quo vnice compenſetur, quandoquidem in eius compenſationem poſſunt prudenter exigi plurima, & diuturna virtutum opera. Ita Cardinalis de Lugo diſp. 5. ſect. 7.

5 Quarta ſententia eſt Patris Ripaldæ duo aſſerentis diſp. 97. ſect. 3. Primum eſt, actum charitatis regulariter elicitum à iuſto ex ſe eſſe ſatisfactorium de condigno pro culpa levi; ſecundum eſt, nec illum, nec vllum aliud obſequiū elicitum ab homine iuſto eſſe poſſe in præſenti providentia condignam ſatisfactionem pro offenſa levi, nimirum, quia iuxta præſentem providentiam Deus acceptat totum valorem actuum honeſtorum iuſti in præmium vitæ æternæ, ac proinde nullus illi ſupereſt valor ad ſatisfaciendum pro veniali, licet ex ſe, & in actu primo ſufficientiam habeant. Itaq; iuxta hunc Authorem, vt obſequia de ſe ſufficientia ad condigne ſatisfaciendum pro offenſa; &. illam extinguendam in genere cauſæ formalis, re ipſa ſatisfaciant, & offenſam abſque remiſsione extinguant, opus eſt, vt non ſint remunerationi expoſita, ſed illam ab offenſo ſolvendam excludant. Quam doctrinam ſequitur etiam, & explicat exemplis moralibus P. Arriaga diſp. 6. ſect. 2. præſertim num. 11. vbi probat, quod ſi offenſor exhibeat obſequium, quod independendenter ab iniuria illata alias debebat, non ſatisfacit pro iniuria, eſto obſequium ſit æquale offenſæ.

SECTIO SECVNDA.

Noſtra ſententia variis aſſertionibus propo-nitur.

6 ASSERO primo, ſi actus contritionis elicitus ab homine iuſto ſit perfecta ſatisfactio pro venialibus, non indiget acceptatione ſuperaddita, vt deleat maculam venialē, ſed illam delet formaliter perſeipſum, vel quod in idem recidit, non delet maculam illam per modum meriti cōdigne impetrantis à Deo eius remiſsionem, ſed per modum formæ incompoſsibilis. Hæc concluſio ſufficienter probata manet diſp. 7. ſect. 1. §. *Contra* 2. Nam ſi ille actus eſt perfecta ſatisfactio pro veniali, iam Deus pro illa culpa nequit vlteriorem ſatisfactionem exigere: nam ratione culpæ ſolum debet homo exhibere ſatisfactionem perfectam, & æqualem: poſſet autem Deus ita exigere, ſi adhuc remaneret macula, quæ eſſentialiter eſt debitum ſatisfactionis. Ratio autem à priori eſt, nam iniuriam antea à me cōmiſſam contra aliquem perſeverare moraliter, nihil aliud eſt, quam me iniuriam intuliſſe alteri, & nec illum mihi eam remiſiſſe, nec me exhibuiſſe condignam ſatisfactionem. Quare tollitur formaliter illa perſeverantia, tam per gratuitam remiſsionem creditoris, quam per condignam ſatisfactionem debitoris.

7 Dices primo: ſatisfactio Chriſti fuit perfecta pro noſtris peccatis; & tamen potuit Deus illam non acceptare: ergo pariter ſatisfactio iuſti pro venialibus poteſt eſſe perfecta, quamvis indigeat acceptatione. Reſpondeo negando

gando consequũ etiam. Disparitas est, quod satisfactio vnius pro alio nequit per seipsam in genere causæ formalis rectificare voluntatem delinquentis, eumque emundare à macula, sed tantum id valet per modum meriti præstare, movendo scilicet, & inclinando personam offensam, vt deponat indignationem contra offendentem: vnde potest non acceptari; quia persona offensa acquirit ius contra offendentem, vt ipse perseipsum exhibeat, quam potest, satisfactionem, ac proinde, quod alium satisfacientem loco illius admittat, gratia est, quam potuit negare. Vnde satisfactio vnius pro alio non habet efficaciam tollendi peccatum independenter à libera acceptatione personæ offensæ.

8 At satisfactio exhibita ab offensore, si sit perfecta, & æqualis perseipsam in genere causæ formalis delet iniuriam. Quia non stat me exhibuisse condignam satisfactionem pro iniuria, & adhuc dignum esse, quem offensor averseretur, sicut antea. Vnde cernitur perspicuum discrimen, nam satisfactio condigna exhibita à Christo pro nostris peccatis, licet reddat illum dignum, vt eius intuitu Deus nobis non irascatur, non tamen facit nos dignos: vnde potest cohærere cum offensa se tenente ex parte nostra, & nos reddente dignos supplicio; at satisfactio condigna exhibita ab ipsomet offensore, cum reddat illum dignũ, vt Deus ei non irascatur, nequit cohærere cum macula peccati præbente dignitatem oppositam.

9 Dices secundo: iustus condigne meretur gloriam, & tamen potest Deus merita illius non acceptare: ergo similiter poterit iustus condigne satisfacere pro veniali, quamvis Deus possit non acceptare satisfactionem illam. Nego consequentiam; quia Deus nequit constitui debitor ad dandum aliquid creaturæ independenter à sua promissione, & voluntate, cum ex se nihil debeat creaturæ, vnde si suppositis meritis condignis, debet gloriam merenti, ideo est; quia eam promisit: vnde cum potuerit non promittere, consequenter potuit non acceptare merita illa ad præmium glorię. Quamvis autem Deus nequeat induere rationem debitoris independenter à sua voluntate, potest tamen exuere, seu amittere rationem creditoris independẽter à sua voluntate, quia ad hoc sufficit, si debitor solvat totum, quod deberet: iam vero iustus satisfaciens ad æqualitatem pro veniali solvit totum, quod debet pro illo, ac proinde extinguit in Deo ius ad exigendum ab illo satisfactionem. Vno verbo plus requiritur, vt homo constituat sibi Deum debitorem, quam vt ipsum constituat non creditorem, faciendo seipsum non debitorem. Quanquam ergo primum contigere nequeat sine voluntate divina superaddita merito condigno; poterit contingere secundum sine voluntate superaddita satisfactioni.

10 Dices tertio, satisfactio pro pœna indiget acceptatione supuraddita ad hoc, vt liberet à pœna: ergo & satisfactio pro culpa, vt liberet ab illa. Negat consequentiam Cardinal. de Lugo, & ex illo P. Ripalda. Nam pœna (inquit) debita subiecta est arbitrio iudicis, cui competit illam definire, & taxare, & non arbitrio delinquentis, qui debet sustinere pœnam, quam iudex decreverit proportionatam culpæ, nam obligatio pœnæ non est ad se castigandum, sed ad patiendum castigationem à iudice præscriptam; quare etiam si delinquens seipsum acerbissime castiget, & acerbius etiam, quam à iudice decerni solet; si iudex nolit eam castigationem acceptare; & aliam decernat, tenetur deliquẽs sustinere; & ideo iustus seipsum affligens quantum meretur culpa venialis, licet afflictio in ratione pœnæ sit æqualis culpæ, non satisfacit in actu secundo debito pœnæ, nec extinguit ius divinum ad ipsum castigandum, nisi Deus velit eam afflictionem acceptare; & tenetur ferre aliã pœnam si Deus eam pro arbitrio definierit. Verum obligatio satisfactionis pro offensa est debitum agendi, seu exhibendi offensori obsequium æquale culpæ, atque adeo extinguitur ea obligatio, vbi tale obsequium æquale extiterit, etiamsi offensor nolit illud acceptare. Hæc illi.

11 Hæc solutio in eo mihi vehementer displicet, quod omnino distinguat satisfactionem pro culpa à satisfactione pro pœna, id enim esse aperte falsum ostensum est quoad peccatum mortale disp. 3. sect. 4. Et inde aparitate ostenditur quoad veniale. Et à priori res nunc declaratur, nam satisfactio pro culpa eo tendit, vt auferat à Deo ius aliquod ipsi acquisitum ratione peccati. Deus autẽ ratione peccati solum acquirit ius inferendi nobis malum aliquod pœnæ propter malum culpæ, sive privando

Satisfactio pro culpa nõ distingui tur à satisfactione pro pœna.

privando nos aliquo bono, sive inferendo aliquod positivum malum, & quamvis acquirat ius ad exigendam satisfactionem, hoc ius dumtaxat illam respicit vt medium ad impediendam inflictionem pœnæ: nec enim potest Deus efficaciter velle, vt homo subeat omnem pœnam debitam suo peccato, & simul velle, vt sibi exhibeatur condigna satisfactio pro illo. Ergo repugnat hominem omnino satisfacere pro culpa, quin satisfaciat pro pœna, vel pro omni, vel saltem pro principali.

12 Quod amplius manifestatur notando discrimen inter satispassionem, & satisfactionem pro culpa. Nam satispassio ex se non dicit meritum, aut quasi meritum, sed solum dicit perpessionem pœnæ proportionatã culpæ, quæ perpessio interdũ est involuntaria patiẽti. At satisfactio dicit perpessionẽ quadã humiliationis contrariã exaltationi peccati mixtã dignitati meritoriæ, aut quasi meritorię per quã humiliationem satisfaciens constituatur dignus non pati pœnam, cuius dignus effectus fuerat per culpam. Quare satisfactio pro culpa ordinatur ad liberandum à satispassione: & vbi fuerit perfecta pro peccato proprio extinguet per seipsam formaliter ius divinum ad infligendam pœnam, vbi autem fuerit perfecta pro peccato alieno, movebit condigne Deum, vt cedat huic iuri.

13 Hinc infero primo: si aliquis satisfaciat omnino perfecte in actu secundo pro peccato mortali, debere extinguere omne ius, acquisitum Deo ratione illius ad infligendam pœnam; quare vbi remissa culpa, manet debitum pœnæ temporalis luendæ in Purgatorio, illa satisfactio non fuit omnino perfecta in actu secundo, licet in actu primo talis possit dici, quando ex se habet valorem, intuitu cuius posset Deus remittere non solum pœnam æternam inferni, sed etiam temporalem Purgatorij, vt contingit in satisfactione Christi habente de se sufficientiam ad remissionem omnis pœnæ, licet defacto, nec à Christo fuerit applicata, nec à Patre acceptata pro omni pœna tollenda independenter à satisfactione propria ipsius peccantis.

14 Infero secundo tunc solum posse iustum omnino perfecte satisfacere pro veniali, quando potest elicere actum ita perfectum, vt vi illius extinguatur in Deo ius ad omnem pœnam, quam illi poterat infligere ratione venialis. Si autem, supposita satisfactione, adhuc restat luenda aliqua pœna ratione talis culpæ, illa satisfactio non fuit omnino perfecta.

15 Nec solidum est discrimen assignatum ab his Doctoribus: nam quamvis pœna debita delicto subiecta sit arbitrio iudicis; non tamen reatus ad illam: hunc autem reatum potest tollere ipse delinquens, si exhibeat condignam satisfactionem pro illa pœna. Quia sicut iuxta hos Authores implicat, vt quis exhibeat Deo condignam satisfactionem pro iniuria irrogata ipsi, quin extinguat in eo ius ad illam aversionem, quam intuitu iniuriæ poterat habere, ita repugnat, vt exhibeat condignam satisfactionẽ pro pœna sibi infligenda à Deo propter culpam, qui extinguat in Deo ius ad infligendam illam pœnam.

16 In humanis quidem, vbi pœna publica non solum infligitur in vindictam culpæ, sed præcipuè ad exemplum aliorum, reatus non extinguitur per satisfactionem delinquentis, nec extingueretur per hoc, quod ipse voluntariè, sibi imponeret pœnam illam, quam iudex poterit illi taxare, quia ad bonum publicum spectat; vt pœna non relinquatur arbitrio delinquentis, sed decernatur à iudice. At respectu Dei reatus ad pœnam extinguitur per satisfactionem ipsi⁹ delinquentis, si semel ex se omnino perfecte pro iniuria satisfaciat. Quid? Quod in humanis etiam is, qui graviter contra Rempublicam deliquit, posse talia facinora in eius vtilitatem edere, eamque à talibus liberare malis, vt per proprias actiones extingueret reatum pœnæ, quã eius culpa promerebatur.

17 Præterea, quamvis vbi delictum non meretur determinate aliquam pœnam, sed hanc, vel illam vage; in arbitrio iudicis maneat hanc præ illa decernere; si tamen delictum meretur determinate pœnam A. illam, & non aliam posset iudex infligere. Is vero, qui condignam satisfactionem exhibet pro pœna debita suo delicto, extinguere formaliter debet per talem satisfactionem reatum illius pœnæ. Vnde dico hominem iustum, si perfecte satisfaciat in hac vita pro tota pœna debita suo peccato; per eam satisfactionem extinguere totum reatum ad illam; si autem perfecte satisfaciat pro parte, extinguere reatum illius partis, ita, vt supposita ea satisfactione,

repug-

repugnet Deum vt iudicem totam pœnam infligere.

18 Quod si satisfactio pro pœna non extinguat reatum illius, non erit satisfactio condigna, & perfecta, sed congrua, & imperfecta, quatenus congruum est, vt Deus remittat pœnã Purgatorij, iusto se affligenti in hac vita, ad eiusque benignitatem expectat, vt qui nunc de seipso vindictam sumit ob culpam commissam, non puniatur in alia vita ob eandem. Maneat ergo fixum, hominem iustum non posse perfecte satisfacere pro veniali, cum talis satisfactio per seipsam extinguat non solum iniuriam, sed & reatum pœnæ, & consequenter ius divinum ad puniendum iustum propter culpam.

19 Superest, vt absolute decernamus, an per actum perfectæ dilectionis, & contritionis possit hanc perfectam satisfactionem exhibere in hac rerum providentia. Qna in re in primis contra Ripaldam censeo, nihil officere merito vitæ æternæ, quod dilectio illa elicita à iusto sit condigna satisfactio pro veniali, ex eo enim, quod condigne satisfaciat pro culpa, non minuitur eius vis ad promerendam vitam æternam, nec minus meritoria ex se erit, dum elicitur ab homine iusto; qui antea peccavit venialiter, quam dum elicitur à iusto, qui antea non peccavit, si cætera sint paria, sicuti gratia habitualis infusa homini, qui antea erat in peccato, non minus constituit illum hæredem vitæ æternæ, eiusque opera dignificat ad præmium gratiæ, & gloriæ, quam infusa homini, qui antea esset constitutus in pura natura. Nec quod deleat maculam peccati mortalis, impedit vim eius condignificativam bonorum operum.

20 Ratio autem à priori est, quia maculam venialem delet illa satisfactio in genere causæ formalis, seu per modum formæ incompossibilis, at gratiam, & gloriam causat in genere causæ efficientis moralis moventis, & allicientis divinam, voluntatem: vna autem ex his causalitatibus non retardat aliam. Nam sicut, quod deleat maculam, non tollit, quod sit opus honestum, & supernaturale; ita non tollit, quod condignificetur à gratia ad nouam gratiam, & gloriam, siquidem gratia habitualis vim habet elevandi ad meritum vitæ æternæ omne opus honestum, & supernaturale ab ipsa ortum, & hanc elevationem necessario præstat in genere causæ formalis, & consequenter, quin à Deo possit impediri.

21 Aliter se res habet in inhumanis, vbi satisfactio pro iniuria non cõstituit satisfacientem dignum corona, & remuneratione apud iniuriatum; quia nimirum non adest principium constituens illam satisfactionem dignam remuneratione. Et sicut iustus non minus meretur vitam æternam per opera debita ex præcepto, quam per opera consilij, ita non minus meretur vitam æternam per opus, quod est satisfactio pro veniali, quia veniale præcessit, quam per opus, quod non ideo est satisfactio pro veniali, quia veniale non præcessit, immo quamvis Deus tanquam Dominus proprietatis exigeret ab homine iusto dilectionem Dei supercmnia, non minus mereretur iustus vitã æternam per talem dilectionem, quam si non esset sic petita: nam illam esse sic petitam, & consequenter debitam, non tollit eius honestatem, & supernaturalitatem, ac proinde nec proximam capacitatem, vt à gratia habituali condignificetur in ordine ad præmium vitæ æternæ.

SECTIO TERTIA.

Continuatur materia præcedens, vbi multa de remissione venialium: præsertim an tollantur per satisfactionem.

22 DEINDE examinandum restat, an actus perfectæ dilectionis sit essentialiter incompossibilis cum peccato veniali habituali prout oportet, vt sit condigna satisfactio pro illo. Pars negans potest hac peculiari ratione suaderi. Actus charitatis elicitus ab homine iusto, non habet vim formaliter delendi maculam venialem secundum prædicata, in quibus à supernaturalitate abstrahens convenit cum dilectione naturali, sed secundum differentiam specificam, & quatenus dilectio supernaturalis est: ac proinde si delet, hoc debet habere ob perfectionem, quã haurit ab habitu charitatis, à quo producitur. At impossibile videtur quod hinc hauriat hanc perfectionem: nam habitus charitatis, quantumvis in infinitum intendatur, non est essentialiter incompossibilis cum macula peccati venialis: non ergo poterit hanc perfectionem communicare actui: nam cum sit maxi-

ma maxima perfectio ſanctitatis, non ſolum emundare à macula gravi, ſed etiam à levi, non videtur, quo pacto habitus charitatis non habens vim emundandi à macula veniali, poſsit hanc vim derivare in actum charitatis.

23 Quod ſi primo objicias poſſe actum habere oppoſitionem cum macula veniali, quamvis eam non habeat habitus, ſicut opponitur cum peccato actuali veniali, quamvis cum eo non opponatur habitus. Reſponderi poteſt diverſam eſſe rationem: nam hæc ſecunda oppoſitio non oritur ex prædicato ſupernaturalitatis, ſed ex tendentia vitali actꝰ charitatis, quia eſt efficax voluntas non committendi peccatū vllū adhuc veniale, cum quo propoſito non ſtat admiſsio talis peccati. At vis delendi maculam habitualem oritur ex perfectione ſupernaturalitatis, quam nequit communicare habitus, ſi in ſe non habet.

24 Si objicias ſecundo ad communicandam illam perfectionem ſatis eſſe, quod habitus illam contineat virtualiter. Reſpondeo non poſſe habitum continere virtualiter incompoſsibilitatem, cum macula veniali, quatenus continet actum incompoſsibilem, quin ipſe contineat formaliter talem incompoſsibilitatem, ſicut cauſa nequit continere virtualiter ſubſtantiam, quin ipſa ſit ſubſtantia, & ratio eſt, quia eſſentialis oppoſitio cum macula veniali eſt maxima perfectio formæ ſanctificantis, ac proinde debet contineri formaliter in habitu charitatis, vt eam poſsit derivare in actum.

25 Melius poſſet objici rationem illam dumtaxat probare habitum gratiæ, & charitatis non poſſe cauſare contritionem, quæ ſecundum ſe habeat incompoſsibilitatem cum macula veniali, bene tamen, quæ illam habeat, vt ortam à gratia, & coniunctam cum illa; quia ſicut habitus perficitur per actum, ita quatenus perfectus per illum poteſt habere oppoſitionem cum maculâ, quam nec ipſe ex ſe, nec actus ex ſe habet, quia actus ille, vt ortus à gratia erit condigna ſatisfactio pro culpa veniali, eam eſſentialiter excludens, quem conceptum ſatisfactionis, nec haberet illa contritio ſeorſim à gratia, nec gratia ſeorſim à contritione.

26 Quamvis hæc obiectio probabiliter ſolvat illam rationē, nihilominꝰ à poſteriori efficaciter probare poſſum, contritionē illam adhuc vt ortam à gratia non eſſe eſſentialiter incompoſsibilē cum macula veniali: quia ſi res ita ſe haberet, iuſtus decedens cū multis venialibꝰ per actum ferventem charitatis elicitum in inſtante ſeparationis animæ à corpore emundaretur ab omnibus illis, & pro eis perfecte ſatisfaceret, non quidem per modum meriti, quia tempus merendi cum vita finitur, ſed per modum obſequij incompoſsibilis cum vlteriori perſeverantia morali peccatorum venialium. Hoc autem, quamvis defendat P. Vazq. cum ſententia communiori 3.p. quæſt.87. art.1. dub.2. num.17. mihi falſum apparet, impoſsibile nanque cōſeo, deleri maculam peccati, ſeu auferri moralem perſeverantiam illius, manente reatu ad integram pœnam illi correſpondentē. Vt autem fatetur P. Vazq hoc cōtingeret, ſi macula peccati venialis illo pacto tolleretur in inſtante ſeparationis: ergo nō tollitur. Probatur ſequela minoris, tū quia non eſt ratio, cur illa dilectio remittat vnā partē pœnæ potius, quā aliā: tum quia ſi ſemel dilectio tunc elicita tolleret reatum alicuius partis pœnę, ſi eſſet valde intenſa, tolleret omnem, ſaltem intra aliquam morā brevem temporis: hoc autem eſt falſum, cum conſtet propter culpas veniales torqueri animas Purgatorijs flammis per multum tempus.

27 Quod autem nequeat remitti culpa venialis manente reatu ad integram pœnam, vt aſſerebat Pater Vazquez, & conſtat ex dictis, & poteſt denuo hac ratione ſuaderi; nam ſi nihil pœnæ remittitur: ergo anima, quæ peccavit, adhuc poſt dimiſſam culpam manebit propter illam digna eadem diſplicentia divina, quam merebatur ante culpæ dimiſsionem, quod eſt implicatorium. Probatur ſequela: nam ante quam remitteretur culpa illa, anima iuſti eatenus per illam merebatur diſplicentiam aliquam divinam, quatenus merebatur, vt Deus propter illam culpam iuſſigeret aliquam pœnam temporalem damni, & ſenſus; implicat enim Deum diſplicere in perſona, quæ peccavit, niſi quatenus propter culpam vult ei aliquod malum pœnæ. Nam ſi nullum malum pœnæ vult propter culpam, præciſe reprobat exiſtentiam culpæ; hoc autem non eſt reprobare exiſtentiam perſonæ, quippe quam efficaciter amat, nec eſt aliquo pacto in illa diſplicere, quia potius reprobare malum

personæ, vt malum illius est, est quodam modo illam amare. Nisi ergo Deus aliquod malum saltem per simplicem affectum velit subiecto, nequit in illo displicere, nec enim odium Dei est sicut nostrum per amaritudinem quædam animi, & comotionem internam: ergo vbi homo manet dignus eisdem malis pœnæ à Deo infligendis, quibus antea dignus erat, manet cum eadem culpa, ac proinde repugnat remitti culpam manente reatu ad integram pœnam.

SECTIO QVARTA.

Ostenditur peccata venialia remitti in alia vita per satisfactionem.

8 Si autem quæras, quo pacto remittantur culpa venialis, cum quibus iustus decedit. Respondeo, vel remitti per condonationem extrinsecam, vel per infusionem alicuius modi supernaturalis constituentis gratiam habitualem remissivam culpæ venialis; vel denique per satisfactionem pœnarum Purgatorij. Arbitror enim cum Scoto, & Nominalibus, citatis ab Amico disput. 6. de pœnitentia numer. 159. culpam venialem omnino deleri per satisfactionem, ita vt implicatorium sit eam perseverare moraliter, postquam homo solvit integram pœnam ipsi debitam: postquam enim integre solvit, nihil debet: ergo manet iam liber à macula peccati: nam quandiu hæc inquinatus est, dignus est, qui arceatur ab ingressu gloriæ, inquam nihil coinquinatum introibit, vt dicitur Apocalips. 21. Hoc autem ipso, quod ita sit dignus, convincitur non dum exolvisse totam pœnam, nam illa detentio, & remotio ab ingressu gloriæ est pœna ipsius culpæ.

9 Confirmatur, & explicatur: demus Deum homini iusto decedenti cum venialibus merentibus annum Purgatorij denegare omnem gratiã intrinsecam, & favorem extrinsecum, & deinde denegare concursum ad eliciendã dilectionem Dei per integrum illum annum, iam inquiro, an anima post hoc spatium temporis digna sit statim evolare in cœlum, vel non? Si primum ergo per satisfactionem elicit maculam venialium, nam si illa vlterius perseveraret, digna esset amplius arceri ab ingressu gloriæ. Si secundum: ergo illa peccata venialia non solum merebãtur privationem visionis beatificæ per vnum annum, sed per totam æternitatem. Quod est implicatorium, & contra statum gratiæ, in quo iustus decedit, vi cuius constituitur dignus, vt post determinatum tempus pœnarum Purgatorij intret in gaudium domini sui. Qnare peccatum veniale, tandiu durabit moraliter, quandiu nec tollatur per remissionem Dei, nec per satisfactionem condignam hominis iusti, à quo commissum est, nec per satisfactionem pœnarum, per quamcumque ex his formis impedietur in æternum, vlterior perseverantiam illius, & per inde se habebit in ordine ad iaficiendam deinceps animam, ac si nunquam commissum fuisset.

10 Confirmatur rursus: ex eo quod Deus nolit gratiosse remittere culpam venialem non sequitur iustum cum illa decedentem debere ob illam in æternum privari visione beatifica: hoc enim esset illam esse mortalem: proptium enim est solius peccati mortalis constituere hominem dignum æterna privatione Dei, si non remittatur: ergo solum meretur privari per tempus determinatum: hoc ergo transacto, omnino cessat perseverantia moralis illius culpæ; quia quandiu hæc moraliter perseverat, potest ob illam anima iusta arceri ab ingressu cœli: ergo per satisfactionem eluitur macula venialis.

11 Dices peccatum veniale relinquit maculam in anima, sicut illam relinquit mortale: macula autem non potest tolli nisi per internam animi pulchritudinem: ergo non per satisfactionẽ. Respondeo ex D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 1. in corpore peccatum veniale non relinquere maculam in anima proprie loquendo, quamquam oppositum teneat communior sententia apud P. Suarez disput. 11. de pœnitentia sect. 1. & P. Vazq. 3. p. quæst. 87. art. 1. dub. 2. num. 11. & 12. Præter rationem autem assignatã ibi à D. Tho. hanc ego reddo: nam licet peccatum veniale in instante in quo committitur, sit macula contra rationem, quatenus privat aliqua pulchritudine actus boni debita tunc, & quatenus positive contrarius est rationi, tamen pro instantibus sequentibus non relinquit maculam, quia non relinquit privationem habitus charitatis, vel aliarum virtutum, quas certum est non minui per peccata venialia:

nec

nec item relinquit privationem actus virtutis, cui contrariatur: nam sola carentia libera actus debiti est macula animi: hanc autem carentiam non causat peccatum veniale, nisi in instante, in quo physice existit, non autem pro sequentibus, in quibus iam non adest potentia physica ad omittendam illam actionem, quatenus pro primo instante peccaminosa est.

31 Quare licet ad tollendum peccatum mortale habituale sit requisita interna pulchritudo, quia nimirum peccatum mortale relinquit in anima maculam, postquam iam physice transactum est, nempe privationem gratiæ habitualis, quæ non tollitur, nisi per ipsius gratiæ infusionem; non tamen est necessaria interna pulchritudo ad tollendum peccatum veniale habituale, seu ad impediendam eius perseverantiam moralem; cùm illud postquam physice transactum est, nullam maculam relinquat, quam opporteat tolli per internam pulchritudinem.

32 Quam doctrinam denuò confirmo; nam vt inquit Divus Thomas 3. part. quæst. 87. articul. 2. corpore, sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, vno modo per privationem eius, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitę proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta, luti, aut pulueris. Ita etiam animæ dupliciter inducitur macula, vno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale. Ex qua doctrina infero, licet peccatum mortale postquam physice transactum est, relinquat in anima maculam, quæ tolli nequeat, nisi per pulchritudinem internam: quia nimirum relinquit privationem gratiæ, peccatum tamen veniale non relinquere maculam aliquam, quæ indigeat aduentu alicuius pulchritudinis, vt tollatur. Nam ipsum peccatum veniale dum existit, est macula positiva, quæ physice desinit deficiente actu peccati; nec manet moraliter in aliqua privatione permanenti, quam post se relinquat, vt effectum sui, & quæ tollēda sit per introductionem formæ positivæ, cum peccatum veniale non privet dono aliquo permanenti, & habituali solum ergo manere dicitur, quatenus homo ratione culpæ comillæ manet in æstimatione diuina dignꝰ tali, vel tali pœna. Ac proinde, vt delinat perseverantia moralis peccati venialis, satis erit, quod homo solvat totam pœnam, vel quod Deus cedat iuri illam infligendi.

33 Sed dices: ergo si peccatum veniale mereatur decem dies Purgatorij, & Deus cedat iuri infligendi quinque, retento iure infligendi reliquos, peccatum illud ex parte erit sublatum, & ex parte manebit, vnde homo ille erit in statu peccati venialis, & simul non erit. Respondeo peccatum veniale etiāsi consistat in indivisibili quoad sui existentiam physicam, non tamen quo ad perseverantiam moralem, quia potest manere in ordine ad vnam partem pœnæ, & non in ordine ad aliam. Absolute vero dicitur manere moraliter, quandiu homo iustus ratione illius dignꝰ est pati pœnam damni, per aliquod tempus: vnde non censetur simpliciter, & absolute remissum quousque tollatur omnimode reatus ad pœnam præcipuā carentiæ visionis Dei post mortem in gratia, qui reatus non tollitur, nisi Deus cedat iuri infligendi totam illam pœnam, vel anima per satispassionem illam luat. Postquam autem totam illā luerit, impossibile est, vt perseveret amplius moraliter illa culpa.

34 At replicabis: ergo nec peccatum mortale censebitur remissum, quando infunditur gratia, quousque anima exsolvat pœnam Purgatorij, cuius manet debitrix post iustificationem. Nego consequentiam, qnia peccatum actuale mortale relinquit in anima maculam permanentem, consistente in privatione gratiæ, qua manente, impossibile est, vt peccatum illud remittatur, quia dum Deus propter culpam præteritam privat hominem gratia sua, ille manet in statu peccati, & inimicitiæ, cum terminet odium inimicabile. Per infusionem autem gratiæ tollitur illa macula, & remittitur mortale, quia iam non manet homo dignus odio inimicabili; nec reus pœnæ æternæ, dignitas enim illius odij, & reatus huius pœnæ omnino coincidunt, vt in superioribus probatum manet.

35 Quamvis autem maneat reatus ad pœnam temporalem, hoc non sufficit, vt homo dicatur manere in statu peccati mortalis. Nec item manere in statu peccati venialis, quia hic status impor-

importat reatum pœnæ temporalis non vtcunque, sed manentem ex commissione venialis. Solumque æquivalenter dici potest propter reatum pœnæ temporalis manentem, dimissa pœna æterna, homo æquivalenter esse in statu peccati venialis, quatenus propter peccatum mortale iam dimissum, quatenus mortale, & quatenus relinquens maculam in anima; manet iustus obnoxius pœnæ temporali perinde, ac solet manere propter venialia non dimissa.

35 Ex dictis colligitur hominem iustum non satisfacere condigne pro peccato veniali proprio, quia si per aliquem actum, maxime per actum perfecte dilectionis Dei; probavimus autem per hunc non satisfacere, quia nec per modum meriti, vt constat ex sectione 2. nec per modum formæ incompossibilis, vt constat ex nuper dictis. Et probari vlteriùs posset testimonijs sacræ paginæ adductis à P. Ripalda disp. 97. n. 44.

36 Sed quid dicendum respectu venialis alieni, poterit ne iustus condigne pro illo satisfacere, merendo scilicet condignitate arithmetica illius remissionem? Qui dicunt posse iustum mereri alteri gratiam, & gloriam, à fortiori dicere debet, posse mereri remissionem venialium. Sed consequenter ad principia P. Vazq. stabilita disp. præcenti dicendum est, non posse, nimirum, quia totus valor meritorius de condigno operum iusti insumitur in promerenda gratia, & gloria proprio subiecto; quate solum de congruo poterit iustus alijs impetrare remissionem venialium.

DISPVTATIO XVI.

DE SVFFICIENTIA SATISFACTIONIS CHRISTI AD REDIMENDVM genus humanum.

PROBAVIMVS hucusque satisfactionem puri hominis non fuisse ad hoc sufficientē. Nunc videndum, an Christi satisfactio fuerit ad hoc sufficiens, & ex se condigna.

SECTIO PRIMA.

Stabilitur communis, & vera sententia.

1 SCOTVS, Durandus, Gabriel, Almainus, & Ioannes Medina apud Pater Vazquez disput. 5. cap. 1. docent satisfactionem Christi ex se, & independenter ab acceptatione divina, non habuisse condignitatem, & sufficientiam per modum actus primi, ad redimendum genus humanum. Verum communis sententia reliquorum Theologorum oppositum tenet, cuius veritas à priori constabit disp. sequenti, vbi examinabitur infinitas satisfactionis Christi.

Impugnatur Scotus 1. ex eo quod acceptatio est operibus Christi extrinseca.

2 Nunc opinio illa Scoti impugnatur 1. nam acceptatio divina ipsis operibus penitus extrinseca non sufficit, vt Christus dicatur cōdigne satisfacere pro nostris peccatis. Vel enim independenter ab ipsa acceptatione opera Christi habebant valorē æqualē malitię peccatorū, & bonitati remissionis, vel non. Si primū; frustra recurritur ad talē acceptationē. Si secundū, illa nequit dare condignitatē in genere causæ formalis, quia si independenter à divina acceptatione opus non est dignū aliquo præmio, hanc dignitatē non accipit ratione illius: alioqui, quia Deus acceptat contritionē perfectam peccatoris extra Sacramentum, & imperfectam in Sacramento ad gratiam iustificantem; peccator seorsim à Sacramento eliciens contritionem, vel in illo eliciens attritionē, merebitur de condigno gratiam habitualē, & gloriā. Similiter dici poterit plebeiū, qui graviter Regem offendit, condignā ei exhibere satisfactionem per oscūlū manus, si Rex sub ea conditione veniā promisit, & ea levi satisfactione contentus sit. Quæ omnia sunt absurda.

3 Impugnatur secundo: quia ex Patribus constat, vnionem hypostaticā Personæ Divinæ cū natura creata fuisse necessariam, ad condigne satisfaciendū pro peccatis hominū: hæc autē doctrina foret falsa, si vera esset sententia Scoti: quia si semel Deus sua acceptatione extrinseca potest facere, vt opera Christi ex se nō habentia valorē æqualē redemptioni generis humani, nihilominus illud con-

2. Ex necessitate vnionis hypostaticæ ad satisfaciendū.

condigne redimant. Etiam poſſe ſua acceptatione elevare opera puri hominis ad condignam redemptionem, ad quam ex ſe non habent æqualem valorem.

4 Nec ſufficit, ſi reſpondeas in operibus Chriſti fuiſſe congruitatem ad hanc elevationem, quæ non reperitur in vllo opere puri hominis. Nam illam congruitatem non habuerunt actus elicti ab humanitate Chriſti ſecundum ſe inſpecti: quippe qui ſunt eiuſdem ſpeciei, immo, & intenſionis cum actibus poſſibilibus puro homini: ergo illam congruitatem habuerunt, inſpecta dignitate perſonæ operantis: ratio autem, quæ probat, hinc trahere congruitatem, probat etiam debere trahere æqualitatem, & ſuperioritatem reſpectu quorumcunque peccatorum: cum maior ſit dignitas Verbi, immo, & humanitatis, vt ſanctificeatæ per ipſum, quam indignitas quorumcunque peccatorum.

5 Vltimo, quia vt facetur Philippus Fabernobilis Scotiſta in 3. diſtinct. 55. num. 1. Scotus non negat meritum Chriſti eſſe abſolute, & ſimpliciter, omnibuſque inſpectis infinitum. Ex quo ſic arguitur: ſatisfactio Chriſti eſt infinita. At hoc eſſet falſum, niſi opera Chriſti ex ſe, & independenter ab acceptatione extrinſeca, forent digna, vt eorum intuitu Deus liberaret genus humanum à captivitate peccati: ergo &c. Probatur minor, quia ſi opera Chriſti ex ſe non habet dignitatem, & valorem, ſed hunc accipiũt ab extrinſeca acceptatione; profecto dignitatem non habebunt, niſi reſpective ad illud præmiũ, ad quod fuerint acceptata: de facto autẽ non ſunt acceptata niſi ad præmium finitum: ergo illi° dumtaxat erunt condigna, ac proinde finita. Probatur minor, quia De° ſolũ acceptat meritũ illud ad præmium, quod decernit dare intuitu illius, intuitu autem meritorum Chriſti ſolũm decrevit dare præmium finitum. 3. Ad hominem.

6 Nec vero dici poteſt merita Chriſti ex acceptatione eſſe infinita, quia De° voluit ea eſſe infinite digna. Inquiro enim quodnam obiectum directe reſpiciat illa volitio, dum vult merita eſſe infinita? Si enim dumtaxat vult humanitatẽ elicientẽ opera meritoria eſſe hypoſtatice vnitã perſonæ divinæ. Sane hoc non eſt merita illa reddi condigna per acceptationẽ extrinſecam, ſed per vnionem phyſicã Verbi cum humanitate, quod per inde eſt, ac merita illa, vt elicita à Chriſto eſſe ex ſe condigna omni præmio poſsibili, ſeu infinite digna. Si vult quidquam aliud, certe hoc debet eſſe ipſum præmium. Nam ſi talis acceptatio in genere cauſæ formalis præſtat, vt merita illa ſint infinite digna, & aliunde non amat exiſtentiam præmij, vel alterius rei à ſe diſtinctæ. Sane illa ſeipſam præciſſe reſpiciet pro obiecto, quod eſt implicatorium, & rem inexplicatam relinquit.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones.

7 OBIICIES primo: Chriſtus agere non potuit Æterno Patri cõ dignas gratias pro omnib° beneficijs: ergo nec condignam ſatisfactionem exhibere pro omnibus offenſis. Reſpondeo conſequentiã eſſe nullã, nam ipſa gratiarũ actio pro beneficijs acceptis eſt novum beneficium, ac proinde dignũ gratiarũ actione ſuperveniente ad ipſius exiſtentiam: vnde nihil mirum, quod nulla gratiarum actio poſsit adæquare cuncta beneficia. At ſatisfactio Chriſti pro offenſis hominũ non eſt Dei offenſa, ſed maximum obſequium; vnde nihil prohibet eam adæquare omnes Dei offenſas. 1. Obiectio. Reſponſio.

8 Obijcies ſecundo, Chriſtus oravit Patrem, vt remitteret hominibus offenſas ipſi irrogatas: ergo eius ſatisfactio non erat ex ſe condigna pro illis: fruſtra enim funduntur præces ad impetrandam gratuitam condonationem iniuriæ, quãdo pro illa exhibetur cõdigna ſatisfactio. Reſpondeo primo eam Chriſti orationẽ non fuiſſe neceſſariam, vt ei° ſatisfactio eſſet in actu primo condigna, & ſufficiẽs, ſed vt eſſet efficax; & in hunc ſcopum non fuiſſe inutilem, nam quamvis Chriſti ſatisfactio ex ſe digna erat, propter quã Deus infunderet peccatoribus gratiam iuſtificantem; non tamen ad id Deũ neceſsitabat: vnde optime potuerunt fundi præces, vt acceptarentur. Secundo reſpondeo ipſam Chriſti orationem, vel internam voluntatem, qua ſuam Paſsionẽ, & alios labores obtulit in ſatisfactionem noſtrorum peccatorum, fuiſſe partem conſtitutivam illius ſatisfactionis: licet autem admitteretur, fruſtra eſſe orationem, quæ illam non ſuponit. 2. Obiectio. Reſponſio duplex.

9 Obijcies tertio: De° non tenebatur Chriſti ſatisfactionẽ acceptare, quod con-

constat, quia de facto non acceptavit pro multis: ergo illa ex se non erat condigna.

3. Obiectio. Probatur consequentia, quia satisfactio condigna independenter à gratuita acceptatione delet iniuriam. Respondent aliqui, Deum teneri acceptare satisfactionem Christi, si ipse illam efficaciter applicat pro remissione peccatorum. Sed melius, concesso antecedenti, negatur consequentia, quia licet vbi satisfactio condigna pro iniuria offertur ab ipsomet iniuriante, eam deleat independenter ab acceptatione gratuita, non tamen id est necesse, vbi offertur ab alio.

Responsio.

10 Sed interrogabis, quænam acceptatio requiratur ad hoc vt opera Christi satisfaciant in actu secundo pro peccatis hominum? Aliqui arbitrantur, non aliam requiri præter illam, qua Pater Christum se offerentem, vt fideiussorem, ad solvendum pro nobis admisit, & acceptavit. Ad modum, quo in humanis, vbi creditor acceptat aliquem in fideiussorem sui debitoris; si ille loco huius exhibeat satisfactionem condignam, extinguit ius in creditore ad exigendam tale debitum. Sed dicendum est in satisfactione Christi vel non sufficere acceptationem illam in fideiussorem hominum, vel eam includere pactum, seu promissionem, qua Pater efficaciter decreverit conferre parvulis gratiam iustificantem, & adultis auxilia, quibus ad illam promoveantur per hoc præcisè, quod Christus pro illis applicaret suam Passionem, & labores.

Quænã acceptatio requiratur

11 Quare satisfactio Christi solum per modum meriti comparatur ad redemptionē generis humani, alioqui per hoc præcisè, quod Christus, vt fideiussor hominum se humiliaret coram Patre, per hanc humiliationem in genere causę formalis deleret peccata hominum, extinguendo ius divinum ad ipsos odio habendum. Vnde pro priori ad infusionē gratiæ, iam parvulis esset remissum peccatum originale, & adultis personale. Quod est manifeste falsum.

12 Quapropter Christum satisfacere pro nostris peccatis, est Christum se humiliare coram Deo pro nobis, quasi fideiussorem nostri, apponendo scilicet humiliationem, & reverentiam contrariam exaltationi, & irreverentiæ repertæ in nostris iniurijs adversus Deū, & illa supposita humiliatione, condigne meteri, vt nobis Deus remittat peccata. Vt enim dicatur Christus pro nobis satisfacere, non satis est, quod Deus nobis remittat peccata intuitu dignitatis Christi, significantis Patri, sibi placere illam remissionem; nam si ego veniam concedam Petro, quia Deus mihi significavit id sibi placere, non ideo Deus dicetur mihi proprie satisfacere. Requiritur ergo quod Christus tanquam substitutus hominum, & tanquam fideiussor illorum exhibeat Deo signa reverentiæ, & humiliationis, quæ debebant homines exhibere. Et hoc pacto moveat Deum ad condonandum ipsis iniurias, adversus eum commissas.

DISPVTATIO XVII.

DE INFINITATE SATISFACTIONIS CHRISTI.

QVM ex dictis constet Satisfactionem Christi nō deleviſſe peccata generis humani per modum formæ incompossibilis, seu in genere causæ formalis, restat, vt illam solum deleat in genere causæ meritoriæ. Vnde infinitas satisfactionis Christi concludetur, vbi infinitas meritorum ostensa fuerit. Nam satisfactio Christi, & meritum differunt tanquā includens, & inclusum, nam omnis satisfactio Christi est meritū, non autem omne meritū est satisfactio, hæc nanque connotat iniuriā, & debitū, cuius remissio per satisfactionē obtinetur, meritum vero ab hac connotatione præscindit, & præcisè respicit præmiū. est ergo satisfactio *meritum remissionis iniuriæ*. Item, quia in tractatu de merito Christi de infinitate meritorū agendum erit, hic infinitatem satisfactionis breviter tantum attingimus, vt ad illa tractandā eamus, quæ in hoc dumtaxat tractatu locum habet.

Quo differat meritum à satisfactione.

2 Igitur satisfacionem Christi esse infinitam, docet communis sententia

Sententia Thomistarum.

tentia Thomistarum, quæ probari solet ex extravaganti, *Vnigenitus* de pœnitentia, & remissione, edita à Clemente VII. vbi dicitur, Christum suis meritis acquisiviſſe infinitum Thesaurum hominibus, ne formidandum, ne exhauriatur, vel minuatur propter infinita Christi merita, cuius quidem vna gutta sanguinis, propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiſſet. Probari etiam solet multis Patrum testimonijs videndis apud Pat. Suar. & Vazq.

3 Omnes autem Thomistæ tribuentes infinitum valorem meritorium, & satisfactorium operibus Christi, affirmant hunc valorem ipsis convenire, quia eliciuntur ab humanitate physice vnita cum Verbo. Sed dissident in explicando, quo pacto inde sumatur valor iste. P. Suar. disp. 4. sect. 4. refert, & late impugnat modos aliquos, qui, vt iam improbabiles omnino deseruntur. Quibus prætermissis, aliqui apud eundem desumunt hanc infinitatem ex re oblata, asserentes, propterea satisfactionem Christi fuiſſe infinitam, quia pro nobis obtulit prætium infinitum, nimirum sanguinem vnitum cum Verbo, & ab illo participantem infinitam æstimationem: & eorum nonnulli distinguunt inter satisfactionem, & meritum, asserentes, infinitatem huius desumi vnice ex infinitate operantis: infinitatem vero satisfactionis sumi, ex infinitate rei oblatæ.

Impugnatur quoad modum.

4 Sed contra primo: quia licet meritum, vt tale dumtaxat respiciat præmium, satisfactio autem connotet offensam, vel debitum extinguendum; tamen non aliter Christus pro nobis satisfecit, & nos à servitute diaboli redemit, nisi quatenus sua passione, & meritis vincendo resistentiam peccati, nobis obtinuit gratiam iustificantem: non ergo potest infinitas satisfactionis ex re oblata peti, si semel infinitas meriti inde non sumitur. Contra secundo: quia infinitas rei oblatæ non sufficit, vt eius oblatio pro peccatis sit redemptio, & satisfactio: nam Beata Virgo pro nobis obtulit Filium suum Æterno Patri, & Sacerdos quotidie Christum immolat pro peccatis, quin tamen Beata Virgo, vel Sacerdos redimant, vel satisfaciant. Demum, quia infinitas rei oblatæ se tenet ex parte obiecti, infinitas autem obiecti non refundit infinitatem in actum.

Præsupponitur ea sio Thomistarũ.

5 Quod si dixeris, satisfactionem Christi fuiſſe infinitam ex re oblata, non vtcunque, sed vt constitutam sub perfecto Christi dominio, qui posuit quidem pro nobis vitam infiniti valoris, potens eam conservare. Contra est primo, quia quamtumvis pura creatura plenum dominium supra Christi humanitatem haberet, Christumque ex divina concessione, vt victimam pro peccatis hominis offerret, non propterea hæc oblatio esset satisfactio infinita pro peccatis. Contra secundo: quia perfectum Christi dominiũ supra propriam vitam eatenus potest voluntariam mortis acceptationem infinite æstimabilem reddere, quatenus dignitas Christi exponentis vitam suam morti refunditur in illam acceptationem: hoc autem iam est infinitatem non sumere præcisè à re oblata, sed præcipuè ab offerente. Contra demum, quia si satisfactio Christi fuit infinita præcisè, quia vitam obtulit infiniti valoris ille, qui habebat potestatem eam servandi; è contra peccatum occidentium Christum haberet infinitam malitiã ex vita infiniti valoris iniuste ablata, cum potestate, & dominio non auferendi.

§. VNIC.

Vnde, & quomodo habeat infinitatem satisfactio Christi.

6 VERA ergo, & communis sententia Theologorũ hanc infinitatem desumit ex dignitate principij satisfacientis. Sed adhuc est dissidium, an infinitus valor satisfactorius, & meritorius operum Christi colligendus sit præcisè ex dignitate humanitatis, vt sanctificatæ per sanctitatem increatam, an præcipuè ex dignitate ipsius personæ Divinæ operantis per humanitatem sibi hypostatice vnitam, & habentis rationem principij *quod* respectu satisfactionis. Primum acriter defendit Pater Vazquez disput. 6. cap. 2. Secundum vero communiter affirmant Thomistæ cum Divo Thoma, & nostri cum P. Suar. asserentes, propterea satisfactionem Christi esse infinitam, quia vt loquuntur Patres, est operatio Theandrica, id est, Dei virilis, seu Dei, & hominis actio; trahit enim ex infinitate personæ infinitã dignitatem & va-

Dignitas personæ Divinæ refundit infinitatem in satisfactionẽ Christi.

& valorem, hunc enim intrinsece constituit dignitas ipsa infinita Verbi secundum se, & non præcisse, vt circunstantia cognita, nullumque proinde potest assignari præmium, cui valor ille impar sit.

6 Id, quod specialiter cernitur in ipsa satisfactione, quatenus importat humiliationem personæ satisfacientis contrariam exaltationi peccati; cum enim Christus sit infinite dignus non pati humiliationem, ignominiam, aut dolorem; sanè quod ille voluntarie hæc omnia subierit, mortemque ipsam pro hominibus sustinuerit, res est summa admiratione, & laude digna: voluntaria laborum susceptio eo est laudabilior, quo persona est excellentior, quare vbi est infinita, necessario refundit infinitam æstimabilitatem in ipsam: nam quo magis excellentia personæ resistit passioni, eo magis laudabile est, quod voluntarie vincat hanc resistentiam, & suam dignitatem deprimat, cùm ergo maiestas Christi sit infinita, infinite æstimabile est, quod tantam maiestatem humiliaverit vsque ad mortem pro hominibus: ergo ex dignitate personæ satisfacientis hausit infinitum valorem Christi satisfactio.

7 Libet etiam breviter subiungere rationes alias, quæ dum probant quodlibet opus meritorium Christi mereri omne præmium possibile, evincunt satisfactionem Christi esse infinitam. Sic igitur argumentor primo: Christus vt homo dignus est omni bono, quod non implicat cõtradictionem ipsi conferri, nam illo bono sumus digni, quod, relatione facta ad nostram dignitatem, non potest censeri magnum, relatione autem facta ad dignitatem Christi, nullum bonum creatum potest censeri magnum: ergo Christus dignus est omni bono creato, quod non implicat contradictionem ipsi conferri; nam hoc, quod est tribui Christo propter actum meritorium præmium quodcunque, bonum possibile est.

Opera Christi merentur omne præmium possibile.

8 Secundo Christus, vt homo iuxta Paulum ad Hæbreos 10. *Est hæres vniuersorum*: ergo habet ius hæreditarium ad omnia, quæ ipsi conferri possunt à Deo, sed nullum est præmium, vel collectio præmiorum, quæ ipsi conferri non possit à Deo propter actionem meritoriam; ergo habet ius hæreditarium, vt propter actionem meritoriam tribuatur ipsi quodlibet præmium, aut collectio præmiorum; sed qui habet ius hæreditarium ex vi propriæ dignitatis, & cõstitutionis intrinsece, vt sibi aliquid conferatur propter actionem meritoriam, dignus est illo præmio, illudque condigne meretur: ergo Christus condigne meretur quodlibet præmium, aut præmiorum collectionem.

9 Tertio nihil potest Deus Christo vt homini propter actionem meritoriam conferre, quod Christi hominis dignitatem superet: vbi autem personæ merenti nihil à Deo conferri potest propter actionem meritoriã, quod eius dignitatem superet: persona illa digna est, vt propter talem actionem quod cunque præmium sibi conferatur. Quid enim est meritum condignum, nisi actio, *Qua iustum est, vt agenti aliquid detur*: vt definit D. Thom. 3. p. quæst. 99. art. 3. Iustum autem est personæ merenti propter actionem, detur quidquid personæ merentis dignitatem non superat. Quod in Christo probatur: quia nihil tale potest Deus conferre, nisi hoc volente persona Verbi, ac proinde exigente iure, ac persona infinitæ dignitatis, vt illud donum humanitati conferatur. Vbi autem persona Verbi iure, ac dignitate sua digna est, vt aliquid Christo vt homini conferatur, non potest donum illud Christi hominis dignitatem superare, eadem enim est Christi vt hominis, ac Verbi persona, & consequenter Christus vt homo dignus accipere omne donum, quod ille acciperet.

10 Confirmatur: propter coniunctionem, & veluti moralem identitatem, quæ in creatis reperitur inter Patrẽ, & Filium, non potest Filius dignus esse, vt aliquod stipendium, vel donum Parenti suo à Rege conferatur, quin Pater ipse hoc ipso dignus sit, vt sibi donũ illud conferatur: ergo propter identitatem non moralem, sed physicam, & realem inter personam Verbi, & Christi hominis personam, non potest persona Verbi digna esse, vt aliquid Christo vt homini conferatur tanquam bonum ipsius, quin Christus vt homo dignus sit, vt illud ipsum sibi conferatur. Atqui nihil potest Deus conferre humanitati propter actionem meritoriam, quin persona Verbi digna sit, vt illud Christo Domino conferatur, quia nihil potest Deo conferre Christo homini propter actionem meritoriam, nisi hoc decernente persona Verbi, quæ iure suæ infinitæ excellentiæ digna est, vt detur merenti, quid-

quidquid ipsa vult eidem dari : ergo nihil potest Deus Christo homini conferre propter eius actiones meritorias, quin dignus sit, vt illud sibi conferatur, ac proinde nihil conferre potest superans ipsius dignitatem.

DISPVTATIO XVIII.

AN CHRISTI SATISFACTIO HABVERIT OMNES CONDITIONES STRICTÆ iustitiæ commutativæ.

NVNC videndum, an in satisfactione Christi serventur omnes conditiones strictæ iustitiæ? Sex conditiones ad id exigi solent ; scilicet, quod sit ad alterum ; quod non fiat ex bonis creditoris ; quod exhibeatur ab offendente ; quod nequeat non acceptari ; quod fiat ex alias indebitis ; quod non fiat ex acceptis ab ipsomet creditore.

SECTIO PRIMA.

De prima conditione iustitiæ commutativæ, seu satisfactionis ex illa, scilicet, vt sit ad alterum.

Hæc cõditio videtur defuisse satisfactioni Christi, quia est eadem persona cum Verbo læso.

1 SATISFACTIONEM ex iustitia debere esse ad alterum docuit Aristoteles 5. Ethicorum cap. 1. asserens eiusdem ad seipsum iustitiam esse non posse, & cap. 6. dicens eiusdem ad seipsum non esse iniustitiam, nimirum, quia nemo seipsum lædit contra ius irrogando sibi iniuriã, quæ volenti inferri non potest. Hæc conditio videtur defuisse satisfactioni Christi, quia satisfactio ista exhibetur Deo, & Christus, qui satisfacit, Deus est: ergo non distinguitur satisfaciens ab eo, cui fit satisfactio. Nec sufficit, quod aliqui respondent, nempe Christum satisfeciisse Patri, à quo realiter distinguitur: nam Christus satisfecit Patri, vt Deo, quia vt Deus læsus est per peccatum; quæ autem conveniunt Patri, vt Deo, communia sunt toti Trinitati. Christus ergo satisfecit Verbo, cum quo est eadẽ persona: ergo ista satisfactio non videtur fuisse ad alterum.

Diluitur dubitatio multis exemplis.

2 Verum non maior apparet difficultas in hac conditione, quam in alijs rebus, quæ sine vlla controversia Christo tribuuntur cum omni proprietate: sicut enim ratio naturalis docet eiusdem ad seipsum, nec iustitiam, nec iniustitiam esse ; multo clarius eodem modo dictat neminem posse apud se meriri, seipsum orare, & adorare, sibique ipsi proprie obedire. Cum ergo exploratum sit inter Catholicos Christum Dominum meruisse apud Deum, ipsumque orasse, & adorasse, Deoque obedisse, certum quoque debet esse proprie satisfeciisse Deo pro peccatis hominum, ac proinde detectu huius conditionis non posse eius satisfactionem excludi à rigore iustitiæ.

At (opponit Vazq:) totus valor satisfactionis est à Deo.

3 P. Vazquez disp 8. n 8. docet ex hac parte potuisse Christum satisfacere ex rigore iustitiæ, si aliud non obesset, nimirum, quia satisfactio Christi non solum tribuenda est Verbo suppositanti humanitatem, sed etiam ipsi humanitati, tanquam principio *quod* : Absolute tamen censet, ex alio capite defuisse hanc conditionem satisfactioni Christi, nempe, quia in bonis divinitatis, & humanitatis non est distinctio secundum valorem, quia valor totius provenit à Deo, cui est exhibenda satisfactio. Vnde hæc non est ad alterum.

4 Sed contra primo : quia, quod valor satisfactionis sumatur à divinitate, tanquam à forma significante, nequit tollere, quod satisfactio fiat alteri, si semel humanitas est principium, *quod* satisfaciens, nam humanitas non est Deus, ac proinde satisfacit alteri, dum satisfacit Deo: quare id non poterit impedire hanc primam conditionem, quidquid

quid sit, an impediat secundam, nempe quod satisfactio ex iustitia non fiat ex bonis propris ipsius creditoris.

5 Contra secundo: nam sicut vere dicitur Christus obediſſe Deo, Deumque adorasse; ita vere dicitur satisfeciſſe Deo pro hominibus. Christus autem non supponit pro humanitate, Nam Christus est Deus, & humanitas Deus non est. Deinde falsum est eam esse principium *quod* satisfactionis. Nam comparata ad Verbum, in quo subsistit, est veluti entis ens, ipsaque vnio cū Verbo facit, vt iam non possint tribui ipsi, vt principio *quod* actiones ipsius; actiones enim sunt subsistentium; humanitas autem Christi simpliciter non subsistit: vt enim inquit D. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 2. Illa subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Humanitas autem existit in alio, & quidem infinite digniori, nempe in Christo, tanquam pars in toto, & in Verbo tanquam natura in supposito: ergo simpliciter non subsistit. Quod etiam docuit ipse P. Vazq. 3. p. disp. 31. num. 19. Nam quod in alio quoquo modo est (inquit) quomodo dicitur per se esse? Ac proinde quomodo dicetur subsistere?

Humanitas non est principium quod.

6 Omissa ergo hac solutione, respōdetur, sufficere distinctionem realem penès naturas ad satisfactionem ex rigore iustitiæ, sicut sufficit ad satisfactionem latè sumptam, ad orationem, & meritū iuxta omnes. Vnde Verbum quatenus subsistens in humanitate satisfecit sibi ipsi vt subsistenti in divinitate, seu Christus vt homo, sibi ipsi vt Deo. Ratio à priori est; quia vbi naturæ sunt distinctæ, vnaquęque habet peculiatem voluntatem, libertatem, & dominium, atque ius distinctum, in quibus fundatur iustitia, & iniustitia: ac proinde invenitur, quod sufficit, vt altera natura sit rationabiliter invita ex operatione alterius, & vt vna sit obligata non operari contra ius alterius.

Ad iustitiam sufficit distinctio personarum, licet suppositum idem sit.

7 Nec refert quod satisfaciens specificative sumptus non sit distinctus ab eo, cui exhibetur satisfactio. Nam sicut non sufficit ad iustitiam distinctio personarum, vbi natura est eadem, vt cernitur in divinis personis, inter quas proprie iustitia esse non potest: ita non obstat personæ identitas, si adsit naturarum distinctio. Aristoteles autem propterea ad iustitiam postulavit, quod sit ad alterum simpliciter, in quo importatur distinctio suppositorum, quia ad iustitiam requiritur distinctio realis voluntatum, & libertatum, quæ iuxta ipsum, non agnoscentem distinctionem inter naturam, & suppositum, dari non poterat sine distinctione suppositorum: & iuxta omnes ex natura rei sine illa reperiri non potest. Absolute vero non postulatur talis distinctio; sed sufficit distinctio moralis, quæ hinc intervenit propter physicam distinctionem inter humanam, & divinam naturam; Verbum nanque vt subsistens in humanitate, moraliter est suppositum distinctum à seipso, vt subsistente in divinitate. Sic tutor, quia personam suam, & pupilli agit, moraliter est duplex suppositum, & quatenus repræsentans personā pupilli, potest ex bonis ipsius sibi ipsi satisfacere ex rigore iustitiæ pro bonis eis propris, quæ intuitu pupilli consumpsit,

Aſt non sufficit distinctio suppositorū vbi natura eadē est.

SECTIO SECVNDA.

De secunda conditione, nempe quod satisfactio non fiat ex bonis creditoris,

8 HANC conditionem requiri ad satisfactionem ex iustitia constans est, Nam si ego debeam centum Petro, quæ furto sublata consumpsi, & apud me in deposito habeam alia centum eiusdem Petri, non satisfaciam debito cōtracto per furtum, reddendo illa centum, quorum sum depositarius. Istam vero conditionem defuisse satisfactioni Christi, inde videtur suaderi, quod totus eius valor desumitur à divinitate, quæ per peccatum fuit offensa: ergo dum Christus satisfecit, satisfecit Deo creditori per ipsummet Deum creditorem: ergo non satisfecit ex rigore iustitiæ. Vrgetur amplius dubitandi ratio; nam ille honor Deo accrescens ex operibus Christi erat sub dominio physico, & morali ipsius Dei, vtpotè quid creatum, & contingens: ergo Christus satisfaciens per exhibitionē illius honoris, satisfaciebat ex bonis creditoris: ergo non ex rigore iustitiæ.

Ratio dubitandi.

Vrgetur.

9 Respondent aliqui opera Christi, vt satisfactoria non fuisse sub dominio Dei, quia vt talia includunt dignitatem intrinsecam ipsius Verbi, quæ non erat sub dominio Dei. Verum hæc solutio futilis est: primo, quia si obstat rigori satisfactionis, debitorem exhibere creditori valorem aliquem adæquatè distinctum à creditore, cuius ipse antecedenter

Quorundā solutio.

Explodi tur

denter erat Dominus, multo magis obstabit exhibere valorem in adæquate distinctum à creditore, cuius ipse propterea antecedenter non erat Dominus, quia dominium supra se non habebat, minus enim potest fieri satis creditori per ipsummet creditorem, quam per aliquid distinctum ab ipso, cuius ipse dominus est. Secundo, quia absolute valor operum Christi fuit sub perfecto Dei dominio: etsi enim Deus facere nequeat, ne existat dignitas Verbi secundum se, potest facere, ne existat, vt dignificans opera humanitatis, impediendo nimirum opera ipsa. Sic sanctificatio humanitatis est sub pertecto Dei dominio, licet ipsa sanctitas increata secundum se eidem non subiaceat.

Secũdo.

10 P. Suar. disp. 4. sect. 6. respondet, non esse contra rigorem satisfactionis, quod fiat ex bonis constitutis sub dominio creditoris, licet sit contra rigorem restitutionis, nimirum, quia hæc reparat damnum illatum creditori in reb' suis, satisfactio vero versatur in actibus ad iniuriæ recompensationẽ, ad quam nõ exigitur translatio dominij, sed exhibitio reverentiæ, æquivalentis pro iniuria priori, licet ad restitutionem requiratur dari aliquid creditori, quod non esset ante sub ipsius dominio.

Solutio Suarij.

20 Hæc solutio à P. Vazq. impugnatur, & post ipsum à Card. de Lugo ex eo, quod satisfactio, quæ est actus iustitiæ, est vera restitutio, & solum differt ab alijs speciebus restitutionis, quod per illas reddatur pecunia, vel fama ablata, per hanc vero restituatur honor. Quare sicut ad restitutionem pecuniæ exigitur, pecuniam non esse antea sub perfecto dominio creditoris, ita ad satisfactionem honoris exigitur honorem, qui redditur, non esse antea sub pleno dominio creditoris, cum igitur Deo ita exhibeatur satisfactio opere ipso, vt eo solo compensetur iniuria ipsi facta, & non aliquo honore, aut fama inde profecta, & in ipsam actionem Deus dominium habeat, sequitur, nullam posse ei exhibere satisfactionem ex vera, & propria iustitia; sicut nec posset fieri restitutio famæ alicui per famam, quæ ex se esset sub dominio illius: omnis enim satisfactio, inquit Vazq. num. 49. in materia iustitiæ, sicut etiam quævis restitutio postulat, vt ille, qui restituit, tribuat aliquid alteri, quod ex se sub dominio illius non esset, sive is, qui restituit, illud à se abdicet, vt in bonis, quæ pecunia æstimantur, sive illud denuo efficiat, & gignat, vt cum verbis, & signis generat honorem, aut famam in alijs, in quibus antea eam deleverat.

Impugnatur à P. Vazq. & Lugo.

12 Verum hæc non convincũt doctrinam Eximij Doctoris. Etsi enim aliquando satisfactio pro iniuria sit vera restitutio, nimirum illa, quæ tendit ad reparandum damnum illatum per iniuriam: satisfactio tamen in genere ab hoc præscindit, quia aliquando iniuria non relinquit damnum ab ipsamet distinctũ, & quod per restitutionem resarciri debeat, & talis est omnis iniuria facta Deo. Quamvis autem satisfactio, quæ simul est restitutio, deberet habere conditionem assignatam à P. Vazq. non tamen illam debet habere satisfactio pure talis. Satis enim est ad puram satisfactionem exhibere reverentiam, & humiliationem æquivalentem iniuriæ priori: cũ ergo huic exhibitioni non obstet, quod satisfactio sit etiam sub dominio creditoris, non obstabit defectus illius conditionis requisitæ à P. Vazq. vt Christus posset satisfacere ex rigore iustitiæ pro peccatis hominum.

Vindicatur Suar.

13 Pro maiori autem intelligentia notandum est, restitutionem proprie sumptam locum non habere apud Deum. Et ratio est, quia restitutio tendit ad reparandum damnum perseverans post iniuriam, eiusque ablationem respicit, vt materiam. Quia sicut fuit iniuria damnum illud inculisse, ita est iniuria illud non auferre per restitutionem. Hoc autẽ damnum ex sua ratione debet esse malum illius, qui passus est iniuriam, ab illaque distinctum, idque quamvis nova culpa non intercedat. Non enim duntaxat est malum Petri, quod per furtum spolietur pecunijs in instante A. sed ipsa negatio peculiaris pecuniarum in instante B. est novum malum, & ad istud impediendum tendit restitutio. At respectu Dei nullum malum remanet distinctum à culpa, ea transacta, quod per restitutionem impediri debeat. Si enim nova culpa non adveniat, totum malum relictum est culpa præterita, & malum pœnæ, malum autem pœnæ non est malum Dei, cum, suppositia culpa, sit Deo gloriosum, & ab ipso amatum, sed præcisse est malum illius, qui punitur. Vnde restitutio locum habere nequit respectu Dei, sed pura satisfactio pro culpa præterita, quæ sola est malum Dei, non qui-

Deo non fit proprie restitutio.

quidem tanquam damnosum, sed tanquam malum, & contemptivum Dei.

14 Quod si obiecer is, posse hominem offendere Deum generando in mentibus aliorum pravam de Deo opinionem: tunc autem debere facere restitutionem. Respondeo nullum malum divinum ibi intercedere præter malum culpæ; nam error genitus in mentibus aliorum eatenus Deo displicet, quatenus illi displicet culpa, ex qua connaturaliter error ille dimanat, ea autem supposita, error non displicet nova displicentia, ac proinde non est novum malum divinum, ad quod impediendū obliget iustitia erga Deum: sed est malum proximi, qui iniuste, decipitur, ad quod impediendum obligat iustitia erga proximum. Ex his constat satisfactionem exhibitam Deo pro iniuria non esse restitutionem, ac proinde non obesse rigori iustitiæ, quod fiat ex bonis creditoris.

Obviatur instãtia.

15 Absolute nostra responsio sit, tunc ad satisfactionem ex iustitia requiri, quod non fiat ex bonis creditoris, quando huius dominium est incompossibile cum dominio debitoris. Nihil autem obesse rigori iustitiæ, quod satisfactio fiat ex bonis constitutis sub dominio creditoris, si illa pariter proprie sint sub dominio ipsius satisfacientis. Ita vt nequeant poni, nisi pro nutu ipsius. At opera Christi satisfactoria pro peccatis ita erant sub dominio Dei, vt essent verissime sub dominio Christi, vt hominis. Ratio autem à priori est, quia sicut actū meum liberum esse sub dominio Dei, nō tollit, quod ego sim vera causa illius, verusque dominus, & quidem vnice determinans ad existentiam illius, suppositā indifferentia proxima ad vtrunque: ita non tollit, quod ego per elicientiam illius merear apud Deum, & satisfaciam pro iniuria illata (si aliud non obstat) me humiliando coram ipso.

Dominiū creditoris componitur cū satisfactione, si componatur cū dominio debitoris.

16 Nec etiam obest, valorem satisfactionis Christi provenire ab ipsa dignitate Dei creditoris: quia si hoc officeret satisfactioni, etiam officeret merito: non enim minus repugnat, quod quis constituatur merens per ipsummet præmiantem, quam satisfaciens per ipsummet, cui irrogavit iniuriam: ratio autem cur neutri officiat, est, quia dignitas Verbi ita per naturam est dignitas Dei offensi, vt per gratiam vnionis sit verissime dignitas humanitatis assumptæ, quæ per illam constituitur suo modo infinite digna, & æstimabilis. Vbi autem dignitas creditoris est etiam in re dignitas ipsius debitoris, iste optime potest solvere per opera, quorum valor præcipuè proveniat ab ipsomet creditore sibi intrinsece vnito. Quamvis autem valor satisfactionis proveniat à creditore, est tamen simpliciter liber debitori, & constitutus sub ipsius dominio, quatenus liberum est ipsi ponere, vel non ponere actionem, quæ à dignitate infinita creditoris, quæ simul est dignitas ipsius satisfacientis, accipat valorem infinitum.

Præsumitur replica.

Solutionis ratio

17 Ratio autem meo iudicio potissima, cur dominium Dei supra actus liberos voluntatis creatæ nō tollat, quod hæc possit per illos ex iustitia satisfacere Deo pro iniuria, est, quia quamvis ratione illius dominij possit Deus pro libito suo impedire existentiam nostræ actionis liberæ independenter à nobis, non tamen inducere, cū sit de conceptu actionis nobis liberæ, vt non possit à Deo poni, nisi ex determinatione nostræ voluntatis, & pro nutu ipsius, & quamvis admittatur, impossibilem esse metaphysice eventum, in quo non suppetant Deo media efficacia ad faciendum, vt voluntas nostra eliciat consensum liberum; hoc nihil refert, quia impossibile est, vt medium aliquod habeat efficaciam ad exprimendum à nobis consensum liberū, nisi ex ipsomet consensu, & dependenter ab illo, saltem vt prævisо per scientiam mediam. Vnde potestas Dei ad faciendum, vt reipsa existat actio nobis libera, essentialiter dependet in operando à nostra voluntate: quia illa potestas solum est ad conferendum voluntati nostræ virtutem, & præparandum illi concursum; suppositā autem virtute, & præparatione concursus facta per decretum indifferens, iam non est penes Dei dominium, & libertatem, quod ponatur actio satisfactoria potius, quam eius omissio, sed id vnice pendet à voluntate creata vt eligente, & determinante, licet non vt efficienti: ergo dominium Dei supra actiones liberas creaturę non tollit, quod voluntas creata possit per illas ex rigore iustitiæ satisfacere.

(*)

SEC-

SECTIO TERTIA.

De alia conditione, quod ſatisfactio fiat ex proprijs, & non ex gratuito acceptis à creditore.

18 HANC conditionem præcedentii annectimus, quia ex eiſdem principijs nobis exponenda eſt. Eam autem eſſe neceſſariam ad ſatisfactionem ex rigore iuſtitiæ, ſentiunt Capreolus, Caiet. Ferrara, Soto, & Ioannes de Medi apud P. Vazq. diſp. 8. cap. 1. & paſſim poſteriores Theologi: & probatur: nam ſi quia debitor non eſt ſolvendo, creditor miſericordia motus tribueret ei, aut alteri pro eo ſummam argenti, ex qua integre pro ſe, vel alius pro eo ſolveret, non interveniret rigoroſa ſatisfactio, & reſtitutio ex iuſtitia, ſed potius quædam gratuita, & liberalis condonatio creditoris.

Dubitãdi ratio.

19 Hinc probari videtur ſatisfactionem Chriſti pro nobis ob defectum huius conditionis non fuiſſe ex iuſtitia, quia Chriſtus ſatisfecit pro nobis, quatenus homo, ac proinde ſecundum humanitatem: hæc autem non ſatisfecit ex proprijs, ſed ex gratuito acceptis à Deo creditore, & quidem eo fine, vt pro nobis ſatisfaceret; nam vnionem hypoſtaticam, ex qua deſumitur valor ſatisfactorius, omnino gratis accepit humanitas, & ſubindè auxilia, quibus indiguit ad eliciendam actionem ſatisfactoriam: non ergo ſatisfecit ex rigore iuſtitiæ.

20 Varie Doctores ſolvunt hanc difficultatem, vt defendant ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex toto rigore iuſtitiæ. Primo reſpondent aliqui, gratiam vnionis fuiſſe factam humanitati, non autem Chriſto: iſtum autem, & non illam fuiſſe principiũ ſatisfaciens, *vt quod*

1. Reſponſio.

iam vero Chriſtum ſatisfeciſſe ex proprijs: quia valor ſatisfactionis ſumebatur à propria excellentia ſuppoſiti diuini terminantis humanitatem: auxilia autem neceſſaria, vt humanitas eliceret actionem ſatisfactoriam, erant debita Chriſto ob infinitam ipſius excellentiã.

21 Secundo reſpondent alij, tunc gratiam creditoris officere rigori iuſtitiæ, quando creditor dat debitori prætium, quo ſolvat, cum pacto explicito, vel implicito, vt ex illo ſolvat: tunc

2. Reſponſio.

enim gratia creditoris, non ſolum antecedit ſolutionem debiti: ſed in illa imbibitur, quia debitor non exhibet aliquid, quod ſit abſolute ſuum, ſed aliquid ipſius creditoris acceptum cum onere ſolvendi debitum. Aliter autem ſe rem habere, quando creditor dat ſine tali pacto prætium, vnde debitor ſolvat, eſto det eo fine, vt inde ſolvatur debitum: quia dictum prætium datum ſine eo onere fit proprium ipſius debitoris. Vnde iam iſte ſolvit ex ſuo, quia poſſet ſine iniuria creditoris prætium illud retinere: eiuſque pro inde ſolutio, licet ſupponat gratiam, non tamen includit. Iam vero licet humanitas gratuito acceperit à Deo vnionem hypoſtaticam, eo fine, vt ſatisfaceret pro hominibus, non tamen cum onere ſic ſatisfaciendi.

22 Alij aliter rem exponunt: ego in examinandis his ſolutionibus non immorabor. Ex dictis autem ſect. præcedenti reſpondeo, ſatisfactionem Chriſti non deficere à rigore iuſtitiæ ex defectu huius conditionis; quia tunc ſolum obeſt ſatisfactioni ex iuſtitia, quod quis ſatisfaciat ex gratuito acceptis à creditore, quando ex hoc infertur non ſatisfacere ex proprijs: iam vero Chriſtus vt homo, eſto ſatisfecerit ex gratuito acceptis, vere tamen ſatisfecit ex proprijs, quia licet operationes honeſtæ, quibus pro nobis ſatisfecit, ſint abſolute donum Dei, & gratia reſpectu humanitatis: ſunt tamen vere conſtitutæ ſub dominio humanitatis non minus, quam ſi illas eliceret ex viribus ſibi congenitis.

23 Quare licet daremus humanitatem ipſam fuiſſe principium *quod* huius ſatisfactionis, adhuc defendi poſſet ſatisfeciſſe ex proprijs, quia ſatisfecit per operationes proprie conſtitutas ſub dominio ſuo, quas pro libito potuiſſet omittere. Et quidem gratiam creditoris hic intervenientem, non impedire rigorem iuſtitiæ, vel inde ſuadetur, quod gratia creditoris, quæ dirigitur ad faciendũ debitorem perfecte dominum illorum bonorum, per quæ facienda eſt ſatisfactio, non poteſt impedire rigorem iuſtitiæ, cum tendat ad faciendum, vt debitor ſolvat de ſuo. At gratia collata à Deo creditore humanitati ad ſatisfaciẽdum pro peccatis noſtris, eo dirigebatur, vt humanitas haberet in ſua poteſtate, & dominio bona, vnde ſatisfaceret: ergo illa gratia non impedivit ſatisfactionem ex iuſtitia.

24 Nec obſtat dubitandi ratio, quippe, quæ ad ſummum probat, non potuiſſe humanitatem ſatisfacere formaliter

liter per ipſammet vnionem hypoſtaticã; non tamen probat non potuiſſe, ea mediante, lucrari, vnde ſatisfaceret: nimirum bene vtendo ſanctitate increata ſibi gratioſe communicata, iſte enim bonus vſus eſt infinite æſtimabilis, & eſt ſub perfecto dominio humanitatis, ac proinde habet, quidquid requiritur, vt ſit prætium, quo illa ſolvat pro peccatis hominum. quare Deus conferens humanitati vnionem hypoſtaticam ex intentione redemptionis generis humani, ſe habet, vt creditor, qui conferret gratioſe debitori pecuniã, qua ipſe negotiaretur, & acquireret, vnde ſolveret totum debitum.

Quid dubitandi ratio evincat.

25 Nec refert diſcrimen hic adductum à P. Vazq. quod videlicet in negotiatione, & mercatura, quã quis facit ex pecunia, ipſe eſt præcipuus Author lucri, pecunia autem gratis ab alio accepta, eſt quaſi inſtrumentum ipſius: gratia autem collata humanitati, vel potius Deus per gratiam eſt præcipua cauſa illius lucri ſpiritualis, ſeu operationis. Non, inquam, refert: nam licet Deus in genere cauſæ efficientis ſit præcipuus Author operis liberi boni; in genere tamen cauſæ eligentis, & determinantis, voluntas creata eſt cauſa principalis, immo vnica. Et ſicut, quod Deus ſit præcipuus Author, non tollit, quod voluntas creata ſit vere domina illius actus, ita non tollit, quod vere ſolvat de ſuo.

SECTIO QVARTA.

De altera conditione, nempe, quod fiat ex non debitis alio titulo.

16 HANC conditionem eſſe neceſſariam ad ſatisfactionẽ ex iuſtitia docent communiter Theologi cum Anſelmo lib. 2. cur Deus homo cap. 19. Nam ſiquis deberet Petro cẽtum ex mutuo, & centũ ex emptione, non ſatisfaceret vtrique debito, reddendo centum. Propter defectum huius conditionis: arbitrantur non pauci Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ex iuſtitia, quia quidquid Chriſtus poterat facere, quo mereretur, & ſatisfaceret pro nobis, totum debebat Deo alijs titulis.

Dubitãdi ratio.

17 Ad hanc difficultatem varie reſpondent Authores defendentes ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex toto rigore iuſtitiæ. Quidam enim primo reſpondẽt per opus infiniti valoris non poſſe diſſolvi duplex debitum, bene tamen per opus infiniti valoris, quale eſt opus Chriſti. Sed hanc ſolutionem vt inſufficientem merito reijcit P. Vazq. diſp. 8. num. 79. quia quamvis vnum opus ſit infiniti valoris, ſi tamen ſecundum totum illum valorem correſpondet vni debito, non poteſt ſimul correſpondere alteri opus infinitum, vbi debitum exigit ſolutionem infinitam.

1. Solutio.

18 Secundo reſpondet P. Suar. diſp. 4. ſect. 6. §. *Reſpondetur primum* prædictam conditionem ita eſſe intelligendam, vt ſatisfactio non fiat ex alias debitis titulo iuſtitiæ, aut ex ijs, quæ exigi poſſunt à creditore eo titulo: fieri tamen poſſe ſatisfactionem perfectam ſecundũ rigorem iuſtitiæ ex debitis alio titulo, quam iuſtitiæ, nempe gratitudinis, obedientiæ, aut miſericordiæ. Nam ſæpe ſolvendo debitum iuſtitiæ implet homo præceptum, & poſſet ſimul verum, & formalem actum obedientiæ exercere, & miſericordiæ, & gratitudinis, ſi neceſſitas, vel occaſio ſe offerret. Redditque diſcrimen inter hæc duo: nam præſens conditio, quod ſatisfactio non fiat ex alias debitis, eatenus requiritur ad ſatisfactionem ex iuſtitia, quatenus in ea debet ſervari æqualitas. Obſtat autẽ æqualitati ſatisfactionis, quod fiat ex alias debitis titulo iuſtitiæ. Nam quando duo debita iuſtitiæ concurrunt, non poteſt illis adæquari vnica ſolutio, cum vnumquodque poſtulet ſuam peculiarem ſolutionem: vnde quoties multiplantur debita iuſtitiæ, multiplicantur res ipſæ, quæ debentur, vt ſi debeam Petro decem ex mutuo, & decem ex emptione, iam debeo viginti. Econtra vero quod ſolvitur ex debito alterius virtutis, vt obedientiæ, miſericordiæ, &c. Non impedit æqualitatem debiti iuſtitiæ; quia hæc debita ſunt diverſi generis, & vnũquodque poteſt eſſe ſimul cum alio in eadẽ re.

Suãrij ſolutio.

19 Hanc ſolutionem impugnant late P. Vazq. diſp. 8. cap. 6. oſtendens non poſſe fieri ſatisfactionem ex iuſtitia per opus alias debitum ex alia virtute, quamvis non debeatur ex iuſtitia. Nam ſiquis debeat centum loco ſacro ex voto pure interno, & centum ex iniuſta læſione rerum illius loci, non ſatisfaciet vtrique debito ſolvendo cẽtum, perinde, ac ſi prior obligatio fuiſſet ex iuſtitia.

Suarium impugnat Vazquez.

20 Card. de Lugo diſp. 4. num. 29. reſpondet non eſſe contra ſatisfactionem ex iuſtitia, quod fiat per opus, quod poſſet exigi à creditore alio titulo, ſi de-

Aliæ duæ ſolutiones.

facto

facto non exigatur. Vnde ait propter defectum huius conditionis non esse excludendam satisfactionem Christi à rigore iustitiæ, quia nimirum licet eius opera possent exigi à Deo alio titulo, & tunc deberentur ex alio; defacto tamen non exiguntur, & per consequens non debẽtur, sed deberentur. Quam solutionem impugnat P. Alderete desp. 12. sect. 5. Vbi ipse respondet hanc conditionem non fuisse desideratam in satisfactione Christi, quia Deus ex pacto obligavit se ad non exigendum titulo supremi dominij proprietatis à Christo opera illa, quibus pro hominibus satisfecit: & ideo reliquisse locum, vt Christus per illa satisfaceret ex rigore iustitiæ; quod præstare non posset, si maneret in Deo ius ad exigenda illa opera titulo supremi dominij.

21 Ego his placitis examinandis non immoror: tantum assero tunc solum officere satisfactioni ex iustitia, quod opꝰ, quod fit, sit debitum alio titulo, quando id est in causa ne sit æquale debito pro quo extinguendo offertur. Secus, si hoc non obstante, opus illud manet æquale debito extinguendo. Iam vero, quod opera Christi debeantur Deo alijs titulis, non tollit quod sint æqualia debito nostrorum peccatorum extinguendo. Quod adeo verum existimo, vt quamvis Deus, tanquam supremus Dominus proprietatis obligaret Christum ex iustitia ad sacrificandũ illi propriam vitam, & Christus sic obligatus illam sacrificaret, adhuc posset per illius sacrificationem satisfacere pro peccatis hominum, quia per illam oblatam, vt pretium redemptionis nostræ dignus esset accipere in præmiõ redemptionem totius generis humani: vnde si saltem vlterius accederet promissio, seu pactum ex parte Dei ipsum obligans ex iustitia ad acceptandam illam Christi satisfactionem, hic satisfaceret ex iustitia pro peccatis hominum, quia nimirum solveret pretium æquale obligans Deum ex iustitia ad remittendum hominibus peccata. Ratio autem à priori est, quia satisfactio ista est per modum meriti: non impedit autem rationem meriti, quod opus sit alias debitum: nam homo potest constitui dignus præmio, per hoc quod muneri suo satisfaciat, & propriã adimpleat obligationem, alioqui non mererentur per opera præcepta.

Vera solutio.

22 Quod si dicas hoc non esse admittere in satisfactione Christi rigorem satisfactionis, sed solum rigorem meriti, atque hac ratione rigorem iustitiæ non propriæ, sed generalis ei tribuere, quatenus satisfactio eius apud Deum perfecte condigna fuit tanta redemptione, nec vlla indiguit ipsius Dei condonatione, & favore: id totum admittit Pater Vazq. qui est præcipuus Author sententiæ negantis satisfactionem Christi fuisse ex rigore iustitiæ. Respondeo cum P. Suar. qui est præcipuus Author sententiæ affirmantis, rigorem illum meriti in præsenti materia sufficere ad rigorem iustitiæ, saltem si accedat ex parte Dei promissio antecedens, ipsum obligans ex iustitia ad liberandum genus humanum à servitute peccati, sub conditione, quod Christus in prętium offerat vitam suam, & Passionem.

Præluditur quædam evasio.

SECTIO QVINTA.

De alijs duabus conditionibus satisfactionis ex iustitia.

23 QVINTA conditio ordine satisfactionis est, quod satisfactio ex iustitia exhibeatur ab ipsomet debitore personaliter. Hanc autem conditionem ponunt aliqui ex antiquis, eamq; defendit Card. de Lugo disp. 4. sect. 2. qui consequenter docet propter defectum huius conditionis defecisse satisfactionem Christi à rigore iustitiæ.

24 Sed nobis dicendum est cum Eximio Doctore disp. 6. sect. 4. initio, eam conditionem non requiri ad satisfactionem ex iustitia, quia licet creditor habeat ius ad exigendam satisfactionem ab ipsomet iniuriante, iustitia tamen cõmutativa hoc non exposcit, vtpote quæ solum attendit ad æqualitatem inter id, quod redditur, & id, quod ablatum est, & solum postulat ne aliqua pars debiti gratis, & sine solutione condonetur. Verum quidem est antecedenter desiderari aliquam gratiam creditoris, nempe quod contentus sit, vt sibi offeratur satisfactio ab alio, loco debitoris. Hæc tamen gratia antecedens non impedit rigorem iustitiæ. Quod probari potest exemplo: nam si mihi surripias equum valentem centum, illumque nolis reddere, paratus dare prętium summum pro illo, & ego consentiam huic commutationi, & malim prętium, quam equum restitui, satisfacies ex iustitia restituendo centum, licet

Potest alter satisfacere ex iustitia pro olterius culpa.

cet ego habeam ius, vt mihi equus in specie restituatur, & me invito, nequeat iuste detineri: ex quo tamen malui, vt pretium mihi redderetur, iustitia iam non postulat, vt equus mihi reddatur, sed fit satis reddendo prætium, pariter ergo in nostro casu, &c.

25 Vltima conditio est, quod satisfactio ex iustitia non possit non acceptari à creditore, eo quod debeat extinguere ius illius etiam inviti, & nolentis. Hanc conditionem requiri ad satisfaciendum ex iustitia, & ob illius defectum, satisfactionem Christi non fuisse ex iustitia pugnacissime defendit Pater Vazq. disp. 9. cap. 2. & 3. Et probatur, quia satisfactio ex iustitia adæquare debet omnem obligationem, & debitum iustitiæ, ac proinde ponere totam æqualitatem, quam iustitia procurat: si autem totam ponit, profecto seipsa extinguit debitum: nam posita omnimoda æqualitata, nullum ius manet in creditore, cum omne ipsius ius oriatur ex aliqua inæqualitate.

26 Nobis dicendum est cum P. Suar. disp. 4. sect. 5. §. *In hac re*, & duobus sequentibus, ad hoc vt quis satisfaciat ex iustitia pro iniuria, opus esse, vt nulla alia satisfactio similis ab eo exigi possit, sive hoc præveniat ex natura ipsius satisfactionis, quæ independenter ab omni pacto per seipsam formaliter extinguit ius creditoris, vt dum homo homini condigne satisfacit pro iniuria, quam ei intulit; sive proveniat ex pacto antecedenti, vi cuius creditor se obligavit ad condonandam iniuriam offensori, sub conditione, quod alius pro illo exhibeat satisfactionem æqualem iniuriæ, Deus autem necessario acceptavit satisfactionem Christi pro nobis necessitate proveniente, vel à voluntate Christi efficaciter applicante satisfactionem pro nobis, & sua infinita excellentia necessitate Deum ad illam acceptandam, vt quidam volunt, vel à pacto, seu promissione divina, qua Deus admisit Christum, vt fidei iussorem hominum, & se obligavit ad liberandum genus humanum à captivitate peccati sub conditione, quod ille pro nobis mereretur.

27 Vbi nota satisfactionem omnino æqualem iniuriæ, si exhibeatur ab ipsomet offensore, extinguere formaliter ius creditoris ad exigendam similem satisfactionem independenter ab omni pacto, & consensu ipsius creditoris, si vero non exhibeatur ab ipsomet, sed ab alio loco illius, licet ex se sit æqualis, & in actu primo sufficiens, non tamen esse efficacem in actu secundo independenter à consensu creditoris, quia cum ipse habeat ius ad exigendam satisfactionem ab ipsomet offensore determinate; non potest per satisfactionem alterius hoc iure privari, nisi ipse libere consentiat, quod alius pro offensore satisfaciat: hic tamen consensus non impedit satisfactionem ex iustitia, quia non impedit omnimodam æqualitatem inter solutionem, & debitum, vt supra explicatum est.

28 Adde satisfactionem, & solutionem factam à fideiussore, vel capite morali debitoris (qualis est Christus respectu hominum) moraliter fieri ab ipsomet debitore: faciunt enim ambo moraliter vnum, vt procurator, & principalis, tutor, & pupillus, curator, & minor.

29 Quæ in hac disp. diximus probant, satisfactionem Christi fuisse ex rigore iustitiæ, si ei non desit altera conditio, quam communiter exigunt Authores, nempe, quod Deus illam acceptaverit obligatus ex iustitia. De qua agendum disp. sequenti, quia celebrem continet difficultatem. Vbi etiam decernemus, an id reipsa fuerit necessarium, vt Christus dicatur satisfecisse pro nobis ex rigore iustitiæ.

(*)

DIS-

DISPVTATIO XIX.

AN DEVS PER SATISFACTIONEM CHRISTI FVERIT OBLIGATVS EX IVSTITIA ſtricta ad remiſſionem peccati?

SEV an Deus acceptaverit obligatus ex ſtricta iuſtitia. Si Deus ſit capax obligationis ex ſtricta iuſtitia non erit dubiū, quod ex illa de facto acceptaverit ſatisfactionem Chriſti; ſi enim alicui creaturæ potuit ſe obligare, maxime Chriſto, vt homini. Si autem potuit, profecto ita præſtitit, cum id indicent Sacræ Paginæ teſtimonia, quæ ſi poſſunt, debent in proprio ſenſu exponi. Tota ergo difficultas revocatura d poſsibilitatem huius obligationis.

SECTIO PRIMA.

Senſus quæſtionis, & Authorum placita.

1 IVSTITIA latiſsime ſumpta accipitur pro quacunque virtute conſtituente æqualitatem cum regula rationis. Secundo minus late pro omni virtute ad alterum, quæ ſcilicet conſtituit æqualitatem cum regula rationis in ordine ad alium, quo pacto comprehendit religionem, gratitudinem, obedientiam, pietatem, & ſimiles. Tertio ſtriſtiſsime, ac proprie pro virtute conſtituente æqualitatem alteri debitam ratione iuris quod habet ad illam, tanquam ad rem ſuam eo rigore, vt ſi tali iuri non fiat ſatis irrogatur iniuria ei. Non eſt dubium Deum acceptaſſe ſatisfactionem Chriſti ex aliqua iuſtitia, ſeu ex aliqua virtute, quæ iuſtitia dicatur, ſaltem late. Controverſia eſt, an illam acceptaverit ex ſtricta iuſtitia, cuius munus eſt reddere vnicuique ius ſuum, ſeu rem illam, ad quam habet ſtrictum ius, & quod ſine iniuria contemni nequeat. Multiplex iuſtitiæ acceptio.

2 In hac controverſia acri contentione inter ſe pugnant. Eximius Doctor, P. Suar. & P. Vazq. iſte totis viribus contendit propriam, & ſtrictam iuſtitiam imperfectionem importare in ſuo conceptu eſſentiali, ac proinde à Deo relegandam. Ita docuit 1. p. diſput. 85. & 86. & 1. 2. diſput. 223. & 3. part. tom. 1. diſput. 7. & duobus ſequentibus, item toto 4. quæſt. 85. articul. 3. dub. vni; ideo autem toties hanc quæſtionem agitavit, quia novis argumentis Patris Suar. cogebatur denuo in arenam deſcendere. Sententia P. Vazq.

3 At Eximius Doctor è contra arbitratur propriam, & ſtrictam iuſtitiam in ſuo conceptu eſſentiali ab omni imperfectione præſcindere, ac proinde Deo competere. Ita primo docui tomo 1. in 3. part. diſput. 4. ſect. 5. & 6. Deinde in ſpeciali opuſculo de iuſtitia Dei: & in opuſculo de libertate divina diſput. 2. ſect. 2. Et demum lib. 12. de gratia cap. 30. Vterque pro ſe adducit plurimos ex antiquis, & ex modernis: vtrumque ducem ſequuntur ſtrenui milites: Eximium Doctorem Bellarminus Valentia, Raguſa, Azor, Salas, Albertinus, Rebel, Granad. Tanner. Ruiz, Petr. Hurt. Rayn. Faſſolus Alderete, Anton. Perez, Arriaga, & alij; quam ſententiam communiter tuētur Thomiſtæ: Patrem Vazquez ſequūtur Molina, Leſsius, Torres, Coninch, Beccanus, Gaſpar Hurtad. Meraciur, Thom. Sanchez Cardinalis de Lugo, Bernal, & alij. Sententia P. Suar.

4 P. Ripalda diſp. 83. ſect. 3. media incedit via aſſerens, Deum non poſſe obligare ex iuſtitia ſuam poteſtatem moralem abſolutam conſulentē bono excellentiæ divinæ, poſſe tamen obligare ex iuſtitia ſuam poteſtatem moralem ordinariam, & rebus creatis connaturalē, conſulentē bono creaturarum, tum privato, quam cōmuni. Prior poteſtas eſt, qua Deus nullis adſtrictis legibus, & exigentijs creaturarum operatur ſupra earum exigētias pro arbitrio, & bono ſupremæ excellentiæ. Poſterior poteſtas, qua iuxta creaturarum exigentiam operatur conſulens ipſorum bono, quare ſicut omnes Theo- Ripalda media via incedit.

logi distingunt in Deo dudlicem potestatem physicam, aliam naturalem, & ordinariam, qua quid fit iuxta exigentiam naturæ creatæ, nullam inferens ipsi vim; aliam omnino absolutam, & supernaturalem, qua agit supra leges, & exigentiam physicam naturæ, & plerunque contra illam, rebus creatis inferens vim: sic iste Author distinguit duplicem potestatem moralem vtendi rebus creatis, aliam ipsis connaturalem, & ordinariam, qua iuxta exigentiam moralem, & iuxta creaturæ rationalis vtitur rebus creatis: aliam absolutam, & supremam, quia supra exigentiam moralem, & iura creaturæ rationalis pro iure, & bono suæ excellentiæ de rebus creatis disponit; affirmat ergo Deum non posse obligare ex iustitia hanc potestatem, posse vero illam.

SECTIO SECVNDA.

Impugnatur sententia P. Ripaldæ.

5 SENTENTIA huius Doctoris nuper expositam sic impugno. Quia implicat Deum obligare ex iustitia suam potestatem ordinariam tribuendo verum ius creaturæ, quin obliget suam potestatem absolutam; nam si creatura habet strictum ius morale, vt Deus tribuat rem promissam: ergo hic nulla potestate potest illam sine iniuria negare. Nam si Deus non obstante promissione, habet aliquam veram potestatem negandi citra iniuriam rem promissam, profecto vi illius promissionis non se obligavit simpliciter, & absolute ad conferendam rem illam, ac proinde creatura non habet veram ius aduersus illam: quomodo enim ego habeam verum ius, vt mihi Petrus aliquid concedat pro aliquo casu, si relate ad eundem Petrus habet veram potestatem negandi mihi rem illam citra iniuriam? 1. Argumentum contra Ripald.

6 Contra secundo, quia obligationem ex iustitia colligit hic Author sect. 7 ex illo Apostoli: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri*: & ex alijs similibus, in quibus si obligatio iustitiæ continetur, profecto ea est talis, vt reddat iustos omnino securos retributionis futuræ, & vi cuius possint absolute pronunciare Deum fore iniustum, si ipsis in gratia decedentibus negaret coronam meritorum, huiusmodi autem obligatio talis debet esse, vt nulla potentia possit citra iniuriam violari: alioqui posset Deus sine vlla iniustitia illorum operum oblivisci. 2 Argumentum.

7 Contra tertio: nam potentia ordinaria est illa, qua Deus operatur attendendo ad rerum exigentias, & non supra, vel contra illas: implicat autem, vt Deus libere obliget ex iustitia, vel ex fidelitate ad aliquid faciendū hanc potestatem ordinariam, vt ratione distinctam ab absoluta. Nam Deum sic obligare suam potestatem ordinariam ad aliquid faciendum est Deum sibi imponere obligationem moralem, ac proinde necessitatem metaphysicam non omittendi rem illam vtendo potentia ordinaria; est autem chymærica huiusmodi obligatio, cum antecedenter ad illam sit metaphysice impossibile, vt Deus omittat productionem illius rei, vtendo potentia ordinaria, siquidem omissio rei debitæ essentialiter est vsus potestatis absolutæ. Quis autem non videat Deum non posse libere imponere sibi obligationem moralem non omittendi rem illā, ad quam non omittendam ante omne decretum liberum, erat ipse metaphysice necessitatus. Quare obligatio illa moralis debet ligare potentiam absolutam imponendo illi obligationnē ad non impediendum id, quod vt Author naturæ, & secundum potentiam ordinariam tenetur facere, seu id, quod exigunt naturæ rerum. Quia si potentiam absolutam non ligat, nullam re ipsa imponit necessitatem: & solum hic Author vltimate asserit non posse Deum negare aliquid ex natura rei debitum, nisi vtendo potentia absoluta. Hoc autem verissimum est independenter ab omni obligatione morali, quam Deus sibi libere imponat: nihil ergo reipsa dicit hic Author, si obligatio ex iustitia non ligat potestatem absolutam. 3. Argumentum. Deus nō potest obligare suam potentiam ordinariam ad aliquid faciendum:

8 Sed oppones ex eodem: Prætor, & Respublica potest ex contractu obligare civis potestatem privatam, qua prospicit bonis particularium, & non altam, & publicam, qua prospicit bonum commune. Ergo pariter poterit Deus obligare potestatem ordinariam, quin obliget potestatem absolutam. Concesso antecedenti, neganda est consequentia: nam illa obligatio Prætoris ipsum ligat ex iustitia ad non vtendum bonis illis, de quibus contrahit cum cive Occurritur obiectioni factæ à Ripalda.

cive in vtilitatem propriam vel alterius particularis; licet maneat cum iure ad vtendum illis bonis in favorem boni cõmunis, si necessitas hoc exposcat, in quo nulla est contradictio: quia Prætor antecedenter ad illam obligationem poterat vti illis bonis incommodum propriũ, vel alterius personæ particularis, & post illam iam non potest. At in nostro casu aperta est contradictio in eo, quod ligetur potentia ordinaria, quin ligetur absoluta.

9 Nam vi illius obligationis interdicit sibi Deus vsum denegandi rem debitam ex natura rei, quem vsum posset habere, secluſa illa obligatione: vsus autem denegandi rem ex natura rei debitam est formalissime vsus potestatis absolutæ: ergo per illam obligationem interdicit sibi Deus vsum potestatis absolutæ: hanc ergo ligat obligatio illa. Et ratio à priori est, quia omnis obligatio ex iustitia ad aliquid faciendum ligat potestatem aliquam, quæ antecedenter dabatur ad illud non faciendum: omnis autem potestas antecedens Dei ad non faciendum id, quod est rerum naturis consentaneum, & debitum, est formalissime potestas absoluta: ergo omnis obligatio ex iustitia quam Deus sibi imponit ad faciendum id, quod est naturis rerum consentaneum, & debitum, ligat potentiam absolutam

SECTIO TERTIA.

An obligatio ex iustitia lædat Dei dominium?

10 PATER Ripalda sect. 5. ex perfectione divini dominij probat, non posse Deum obligare suam potestatem absolutam ex iustitia, & huic fundamento insistunt Recentiores negantes hanc obligationẽ. Nam ea supposita, non haberet Deus potestatem denegandi rem creaturæ, cui se obligavit: hoc ipso non maneret cum dominio absoluto eius boni, quod promisit: nam dominus absolutus rerum potest citra iniuriam alterius de rebus suis disponere: cui enim iniuriam irrogat, qui vtitur iure suo, & dominio rerum suarum? Ergo repugnat Deo obligatio ex iustitia.

Ratio dubitandi.

11 Pater Suarez tractat breviter hanc difficultatem eo cap. 30. numer. 40. ad illamque respondet per hanc obligationem non lædi divinum dominium, sicut nec læditur per obligationem fidelitatis, vel sicut non minuitur libertas Dei per immutabilitatem sui decreti: ad hanc enim immutabilitatem pertinet hæc obligatio, nam quia promisit, & sic promisit, seipsum negare non potest, & implendo promissum, suam voluntatem maxime implet, & sua potestate vtitur, prout vult. Vnde potestatem integram retinet, non vult autem aliter ea vti, nec vnquam volet, quia ita, & sub tali conditione, & ratione, ac honestate decrevit. Hæc ille.

Solutio P. Suar.

12 Sed contra hanc solutionem vrget non levis difficultas. Nam Deus per suam promissionem nequit à se abdicare dominium perfectissimum, quo pollet in ordine ad negandum homini decedenti in gratia gloriam sine iniuria; cum hoc dominium sit Deo essentiale: ergo licet per promissionem sit physice ligata potestas, & iam simpliciter in sensu composito ipsius nequeat Deus denegare gloriam; tamen si per impossibile coexisteret denegatio gloriæ cum ea promissione, non propterea foret iniuriosa homini: ac proinde promissio Dei potest quidem reddere impossibilem negationem gloriæ, non tamen iniuriosam homini, quia adhuc in hypotesi, quod negatio gloriæ coniungeretur cum promissione, oriretur à perfectissimo Dei dominio, quia oriretur à divina voluntate identificãte secum virtualiter illud dominium: ergo oriretur à perfectissima potestate denegandi gloriam sine iniuria hominis; at denegatio gloriæ orta ab hac potestate, nequit esse iniuriosa homini: ergo in illa hypotesi denegatio gloriæ non foret iniuriosa homini.

Contra Suar. arguitur: quia Deus nequit à se abdicare perfectissimum dominiũ, quo pollet, promissione alinquã

13 Quod hac paritate confirmatur: nam licet voluntas nostra de se proxime expedita ad amorem, & odium, per positionem amoris excludat odium, si tamen per impossibile simul cum amore poneret odium, istud in illa hypotesi existeret libere, nimirum, quia oriretur à potentia proxime indifferenti ad odio habendum, vel non odio habẽdum, & idem est odium existere libere, ac oriri ab illa indifferentia. Ergo similiter licet Deus per promissionem gloriæ essentialiter excludat eius denegationẽ, ipsamque reddat impossibilem in sensu composito promissionis, si tamen per impossibile illa denegatio coexisteret

cum promissione, non propterea foret iniuriosa homini, quia adhuc oriretur à potestate Dei denegandi gloriam sine injuria; à qua potestate debet illa denegatio denominari non iniuriosa, non minus, quam à potestate proxima indifferenti debet odium coexistens cum amore denominari liberum.

Doctrina Suarij instauratur 1. per instantiã.

14 Potest tamen hęc obiectio, doctrinam Eximij Doctoris impugnans, sufficienter solvi; & in primis instatur in obligatione fidelitatis. Nam sicut ad perfectum Dei dominium supra gloriam spectat posse illam denegare homini citra iniuriam illius, ita posse denegare citra omnem culpam, & imperfectionem ipsius Dei: at quamvis hoc secundum spectet ad perfectionem divini dominij, nihilominus cum eo componitur, quod si per impossibile denegaret, supposita promissione, denegaret cum culpa, & imperfectione, nimirum cum vitio infidelitatis: ergo quamvis illud primum spectet ad perfectum Dei dominium, cum eo componitur, quod si per impossibile denegaret gloriam supposita promissione, denegaret cum iniuria hominis, seu cum peccato iniustitiæ.

Diluitur obiecto facta contra doctrinã Suar.

15 Ad obiectionem ergo responderi potest, denegationem gloriæ cõpossibilem cum promissione non esse exercitium illius potestatis antecedentis, quam Deus habet ad negandam gloriam homini sine iniuria illius; quia Deus non habet hanc potestatem in ordine ad eventum, in quo promiserit gloriam, & in ordine ad denegationem compossibilem cum tali promissione: sicut non habet relate ad illum eventum potestatem denegandi sine infidelitate. Vnde in eventu, in quo per impossibile coniungeretur denegatio gloriæ cum promissione illius, talis denegatio non denominaretur iusta ab illa potestate antecedenti denegandi gloriã sine iniuria, siquidem illa respicit vt exercitium suum denegationem gloriæ incompossibilem cum promissione, & eam dumtaxat denominat iustam: vnde per hoc præcisè, quod aliqua denegatio gloriæ supponatur coexistens cum promissione, iam supponitur incapax denominari iusta ab illa potestate antecedenti.

16 Similiter ad confirmationem dici valet, odium in illo eventu non denominatum iri liberum: nam in differentia illa antecedens, est potestas ad amorem, vel odium essentialiter incompossibile cum ipso: nam potestas ad amorem, & odium inter se compossibilia non est indifferentia ad amandum, vel odio habendum; siquidem omnis indifferentia libertatis ad duo extrema, est potestas electiva inter illa, ac proinde ea respicit, vt exercitia inter se incompossibilia. Quare hoc ipso, quod fingatur, odium coexistere cum amore, supponitur non adesse in actu primo libertatem ad eligendum immediate inter amorem, & odium, à qua possit istud denominari liberum in actu secundo.

Pariter, & confirmatio enervatur.

17 Solutionem Patris Suar. sequuntur Recentiores Themistæ, qui ad difficultatem præsentem initio sectionis propositam respondent, de ratione supremi dominij esse quidem facultatem absolutam, & antecedentem vtendi re sua in quoscunque vsus absque iniuria alterius, non tamen facultatem consequentem, & ab omni libera suppositione expeditam: nam sicut suprema libertas non excludit necessitatem ex suppositione, sed solum necessitatem absolutam, & antecedentem, ita supremum dominium non excludit obligationem ex suppositione, sed solum antecedentem, & absolutam. Ac proinde respondent non esse contra dominium Dei, quod supposita promissione onerosa, & purificata conditione, non possit Deus potentia consequenti, & in sensu composito promissionis denegare rem promissam sine iniuria alterius, quia potest absolute, & potentia antecedenti, atque in sensu diviso promissionis.

Suario adhærẽt Themistæ Recentiores.

Nova cõtra solutionem difficultas.

18 Sed contra hanc ipsam solutionem nova vrget difficultas, quia ex illa sequitur Angelum, vel hominem promittentem rem alteri, vel donantem, quamvis, supposita promissione, eiusque acceptatione, nequeat rem illam retinere absque iniuria alterius, adhuc tamen manere cum perfecto dominio illius, quia tota illa impotentia est consequens exercitium suæ libertatis, nempe liberam promissionem, vel donationem. Sequela autem est falsa: quia postquam Angelus, vel homo rem suam alienavit per promissionem, vel donationem, iam non habet dominium illius, sicut habebat ante promissionem, & donationem, quia in creatis nequit dominiũ eiusdem rei perfectum, & in solidum esse

apud

apud duos: sicut ergo in hoc casu tollitur dominium, quamvis impotentia vtendi sine iniuria, sit consequens; pariter continget in Deo, si per promissionem confert creaturæ verum ius adversus ipsum Deum. Et ratio à priori videtur esse, quia licet non sit contra perfectionem dominij, quod vsus aliquis antecedenter possibilis reddatur consequenter impossibilis per vsum oppositum: videtur tamen esse contra illam, quod vsus aliquis reddatur impossibilis titulo iniuriæ irrogandæ alteri: vnde vsus dominij, qui facit, vt vsus opositus sit deinceps iniurioſus alteri, videtur perimere dominium, illudque transferre in alterum.

19 Propter hanc difficultatem aliqui Recentiores, quos suppresso nomine laudant Cardinalis de Lugo, & Ripalda, parum fidentes solutioni traditæ à Patre Suarez ad alias confugere. Quidam ergo dixerunt, ideo Deum manere perfecte dominum rei promissæ, suppositа promissione onerosa obligante ipsum ex iustitia, quamvis iam sine iniuria nequeat rem promissam denegare; quia ex hac suppositione denegatio illa est vsus Deo metaphysice impossibilis. Etsi autem sit de ratione dominij perfecti supra rem aliquam, quod possit illam dominus denegare citra iniuriam alterius pro omni eventu *possibili*, non esse tamen de ratione illius, quod possit eam denegare sine iniuria pro eventu impossibili; quia non pertinet ad perfectionem dominij extendi ad casus chymæricos. Ex quo conficitur hominem, qui suppositа promissione obligante ex iustitia, nequit denegare rem promissam, iam non manere perfecte dominum illius, sicut antea, quia nimirum, non obstante promissione, homo absolute potest dengare rem promissam: est autem contra dominium, quod vsus rei absolte possibilis Domino, sit iniurioſus alteri.

20 Sed contra, quia si Deus concipiat simplex propositū efficax dandi gratiam alicui, ex hac suppositione est impossibile illam denegare: & tamen ad perfectionem dominij spectat, vt sit verum affirmare, quod si per impossibile, suppositо illo decreto, negaret, non propterea foret iniustus: ergo licet non sit contra dominium Dei, quod non extendatur ad vsum *simpliciter*, & absolute impossibilem; poterit tamen esse contra illud, quod non extendatur ad vsum impossibilem ex suppositione, absolute tamen possibilem.

21 Contra secundo: nam etsi Angelus supponatur esse inflexibilis, vt volunt Thomistæ, quin scilicet possit vnquam amplecti oppositum eius, quod semel elegit; nihilominus poterit promittendo alteri rem aliquam suam cum vero proposito adimplendi promissum, abdicare à se dominium rei illius. Et tamen ex hac suppositione maneret cum potestate vtendi sine iniuria re illa promissa pro omni libito sibi possibili: siquidem libitum denegandi rem iam non foret ei absolute possibile: ergo in genere non sufficit ad perfectū dominium, quod vsus, qui suppositа promissione, est possibilis promittenti, non sit iniurius alteri; si tamen vsus contradictorius foret iniurius casu, quo existeret ex illa conditione: ergo non sufficit ad perfectum dominiū Dei, quod nullus vsus illi absolute possibilis post promissionem sit iniurius alteri, si tamen vsus contradictorius foret iniurius casu, quo existeret ex illa suppositione.

22 Secundo respondent, vt refert Pater Ripalda, graves, & illustres Recentiores; posse Deum absque detrimento sui dominij, manere obligatum ex iustitia homini, quia non repugnat dominium gloriæ esse apud Deū pro tota æternitate, & simul esse apud hominem vi promissionis divinæ, quoniam inter homines potest dominium eiusdem rei insolidum esse apud duos pro vno instante temporis: nam in instante, quo Petrus donat pallium suum Paulo, habet perfectum illius dominiū, quia antecedenter ad donationem potest in illo instante disponere de pallio pro libito suo absque iniuria alterius, & in eodem instante Paulus ex vi donationis sibi factæ adquirit dominium in pallium, quia iam ex suppositione in illo instante potest disponere pro libito suo de pallio illo absque iniuria alterius. Transacto autem instante donationis, iam dominium pallij non est apud Petrum, quia iam non potest disponere de illo sine iniuria Pauli.

23 Hinc inferent, posse dominium gloriæ esse insolidum penes Deum, non solum pro vno instante, sed pro tota æternitate, nimirum, quia voluntas Dei conferens homini ius in gloriam, durat indeviſibiliter per totam

Alia RR. solutio.

Impugnatur 1.

Verum dominiū extendi-tur ad vsum rei sub ali-qua con-ditione impossi-bili.

Impugnatur 2.

Alia in RR. so-lutio.

Domi-nium rei insolidū penes duos.

æternitatem, & se habet relate ad illam sicut voluntas Petri donantis pallium, se habet relate ad primum instans, in quo concipitur, quia per totam æternitatem illa Dei volitio est immediate libera, non minus, quam volitio Petri pro primo instante. Vnde sicut dominium Petri donantis pallium Paulo, non repugnat in illo primo instante cum dominio Pauli, quamvis in illo instante obligetur Paulo ad non negandum illi pallium sine iniuria: ita dominum Dei promittentis, & donantis gloriam homini non repugnabit cum dominio hominis, quamvis obligetur per æternitatem ad non negandam homini gloriam sine iniuria.

24 Si autem ab his Authoribus quæras, cur dominium eiusdem pallij possit esse pro primo instanti apud Petrum, & Paulum, non autem pro sequentibus? Respondent causam esse, quia pro primo instante, quando Petrus dat dominium, & Paulus illud recipit, nequit vnius libitum repugnare libito alterius, cum donator velit, vt donatarius vtatur pallio pro libito suo. Quare ratio cessat in sequentibus instantibus, in quibus donator potest voluntatem mutare. Deus autem cum eandē volitionem libere exerceat per totam æternitatem, ita confert alteri dominium rei suæ, vt simul illud semper retineat.

25 Contra hanc solutionem multa opponi possunt. Primum sit Petrum non posse in instante A. habere dominiū pallij, & illud transferre in Paulum pro eodem instante, sed solum posse in A. transferre dominium pro B. quia Petrus donans pallium Paulo, abdicat à se dominium illius, & consequenter privat se dominio illo, quo antea potiebatur; implicatorium autem est, vt instante A. hoc præstet pro A. quia tunc pro priori ad donationem videt rem esse suam, vultque se exuere dominio illius, & illo induere Paulum: non potest autem id præstare in A. pro A. quemadmodum sit ipse sit indutus pallio in instanti A. non potest ex hac suppositione velle illud exuere pro eodem, sed potest in instante A. velle exuere pallium pro B. & vt illud tunc induat Paulus, & quamvis Petrus in A. possit promittere pallium Paulo, & iste possit tunc promissionem acceptare: hinc non fit Paulum ex instanti A. esse iam dominum pallij; quia videlicet Petrus illud tunc promittens, & volens transferre eius dominium in Paulum, non vult in A. pro A. sed in A. pro B. quia alioqui vellet duo cōtradictoria. Vnde licet promissio acceptata à Paulo in A. pariat ei dominium pallij, non tamen tunc, sed in instanti sequenti.

Impugnatur 1. quia dominium penes duos esse vel pro vno instanti repugnat.

26 Secundo opponi potest: quia esto admittatur dominium pallij esse tunc apud vtrumque, apud neutrum tamen est perfectum, & in solidum: ac proinde hac paritate non potest probari dominium perfectum gloriæ esse apud Deum, & apud hominem. Nam qui in aliquo instante est perfecte dominus rei, nequit inferre iniuriam alteri per aliquem vsum illius rei sibi possibilem in illo instante. At Petrus donans Paulo dominium pallij in instante A. potest inferre iniuriam Paulo per aliquem vsum pallij sibi possibilem in illo instante: & similiter Paulus Petro: ergo neuter est in illo instanti perfecte dominus pallij. Impugnatur 2.

27 Probatur minor quoad Petrum; nam hæc duo recte cohærent, nempe Petrum velle dare Paulo dominium pallij in instante A. & tamen nolle tradere ipsum pallium; sicut recte cohærent Petrum se obligare per votum ad aliquid faciendum, & tamen nolle rem promissam exequi, quia aliud est velle se obligare ad rem exequendam, aliud velle illam exequi. Petrus ergo donans dominium pallij potest pro posteriori naturæ ad donationem habere voluntatem retinendi pallium. Hæc autem voluntas est iniurioſa Paulo: ergo Petrus potest tunc inferre iniuriam Paulo. Deinde probatur minor quoad Paulum, nam iste potuit in instante donationis pro priori ad illam contrectare pallium invito Petro: ergo potuit iniuriam illi inferre in vsu pallij. Velle se obligare ad rem exequendā non est velle rē exequi.

28 Quare falsum est, quod Authores illius solutionis dicebant, nempe pro instante donationis dominij non posse libitum vnius hominis discordare à libitu alterius. Falsa rursus est ratio, qua ad id ducebantur: nam esto is, qui transfert dominium palij in alterum, hoc ipso velit, vt alius ex hac suppositione sit potens vti pallio pro libito suo; non tamen est necesse, vt hoc ipso velit alium vti pallio pro libito suo, ac proinde non est necesse, vt libitum dantis conformetur cum libito recipientis.

29 Quapropter falsum est Petrum & Pau-

& Paulum eſſe dominos pallij in ſolidum pro eodem momento : nam dominium vnius non eſt ſubordinatum dominio alterius : dominus autem inſolidum excludit dominium alienum non ſubordinatum ſibi. Vnde in illo eventu dominium eſſet diviſſum inter vtrumque : nam Petrus haberet dominium in ordine ad vſus non ſupponentes donationem pallij, circa quos nullum ius haberet Paulus : è contra vero iſte haberet ius in ordine ad vſus ſupponentes donationem, circa quos nullum dominium haberet Petrus. Abſurdiſsimum autem foret ſimiliter philoſophari de dominio Dei, & creaturæ circa eandem rem.

SECTIO QVARTA.

Noſtra ſolutio.

29 ARBITROR obligationem ex iuſtitia optime componi cum perfecto Dei dominio erga rem illam, ad quam conterendam ex iuſtitia obligatur : eſto in creatis nequeat dominium eiuſdem rei eſſe inſolidum penes duos, etiam pro vnico inſtante. Cenſeoque rationem petendam eſſe ex eo, quod licet creatura acquirat ſtrictum ius erga rem promiſſam, nihilominus non acquirit plenum, perfectumque dominium illius, ſed imperfectum & in ordine ad aliquem vſum ortum potius à poteſtate dominativa Dei, quam à poteſtate creaturæ : nam per promiſsionem ſolum adquirit ius, vt à Deo tamquam à cauſa efficienti ; & dominative determinanti recipiat rem promiſſam, non autem vt de re promiſſa diſponat pro libito ſuo abſque iniuria Dei : ac proinde ius illud magis eſt ad recipiendum, quod Deus diſponit circa rem illam, quam ad diſponendum de ipſa pro libito ſuo. Vnde vi illius promiſsionis obligantis Deũ ex iuſtitia non acquirit creatura dominium rei promiſſæ, quale accipit Paulus circa pallium ſibi donatum à Petro.

Ratio petitur ex eo, quod ſtat ius ad rem ſine pleno rei dominio.

30 Nam dominium eſt poteſtas vtendi re pro libito abſque iniuria alterius, & conſequenter vtendi etiam contra libitum alterius ſine iniuria illius. Quo pacto Paulus accipiens à Petro dominium pallij, accipit poteſtatem vtendi pallio pro libito ſuo ſine iniuria Petri etiam contra libitum Petri. Homo autem, cui Deus promiſsit coronam gloriæ ſub conditione meritorum, etiam ſi poſitis meritis, habeat verum ius, vt ſibi Deus conferat gloriam, & ne ab vllo impediatur ab eius conſequutione, non tamen habet poteſtatem diſponendi gloria pro libito ſuo ſine iniuria Dei, etiamſi operetur contra Dei libitum, non ſolum quia homo accipiens à Deo gloriam vi illius promiſsionis, & meritorum ſuorum, nullum alium vſum poteſt habere circa illam, quam vſum fruendi ipſa, ſiquidem, nec illam poteſt deſtruere, nec alienare, ſed etiam quia licet gloria foret res, quam poſſet Beatus alienare pro libito ſuo contra libitum Dei, vel aliter de illa diſponere, ad eum ſcilicet modum, quo Paulus poteſt diſponere de pallio ſibi donato à Petro ; nihilominus vi promiſsionis, non acquireret poteſtatem ad hoc faciendum contra libitum Dei ſine iniuria ipſius, ſicut Paulus accipit poteſtatem diſponendi de pallio contra libitum Petri ſine iniuria ipſius, ac proinde non acquireret perfectum dominium.

31 Ratio autem eſt : quia dominium illud hominis ad ſic diſponendum de gloria argueret, Deum non retinere perfectum dominium gloriæ, ſed illud à ſe abdicaſſe per promiſsionem, ſicut Petrus abdicat dominium pallij, donando illud Paulo : non enim eſt pefecte dominus alicuius rei ille contra cuius libitum poteſt alius re illa vti, quin ei inferat iniuriam. Vt cernitur in Petro donante pallium Paulo, qui propterea non retinet dominium pallij donati, quia poteſt donatarius de illo diſponere pro libito ſuo, etiam contra libitum Petri ſine iniuria ipſius Petri.

Deũ eſſe obligatũ ex iuſtitia non arguit ipſum à ſe dominiũ abdicaſſe.

32 En ergo rationem cur obligatio ex iuſtitia non ſit contra dominium Dei, nempe, quia non arguit Deum illud à ſe abdicaſſe. Quandoquidẽ etſi ſuppoſita promiſsione, vt abſolute obligante Deum ex iuſtitia ad reddendã rem promiſſam, homo, cui facta eſt promiſsio, habeat ſtrictiſsimum ius ad gloriam : hoc tamen ius reſpicit pro termino vſum aliquem ortum à poteſtate dominativa Dei, ad quem ſibi impoſuit neceſsitatem per ipſam promiſsionem, ac proinde ius illud eſt eſſentialiter ſub ordinatum Deo, vt domino gloriæ, quia

respicit vsum provenientem à potestate dominativa Dei circa gloriam. Nequit autem esse contra dominium causæ in aliquem terminum ius illud, quod respicit pro vsu, ac exercitio suo exercitium potestatis dominativæ illius causæ in talem terminum. Aliter se res habet in casu Petri donantis Paulo dominium pallij, nam ius illud, quod Paulus adquirit respicit pro vsu, & exercitio actionem aliquam vnicè spectantem ad potestatem dominativam ipsius Pauli, & nullo pacto ad potestatem dominativam Petri.

Obviatur replica.

33 Nec refert, quod suppositâ illa promissione vt absolute obligante, nequeat iam Deus in sensu composito illius negare rem promissam sine iniuria; nã ipsa collatio gloriæ est exercitiũ perfectissimę potestatis liberæ ad ipsã negãdam sine iniuria; cũ sit exercitiũ illius potestatis liberæ, quã Deus per promissionẽ obligavit ad conferendã gloriã, quæ potestas est formalissime ipsa potentia Dei antecedens ad negandam gloriam sine iniuria: non potest autem esse contra perfectissimum dominiũ causæ alicuius ius illud, quod expletur, & reducitur ad actũ secundum per exercitium potestatis antecedentis, quam habet talis causa ad negandam sine iniuria rem illam, quæ est terminus, & complementum iuris. Et ad hoc explicandum faciunt, quæ supra diximus in defensionem sententiæ. P. Suarez præsertim paritas obligationis ex fidelitate.

34 Et quamvis Deus adhuc ex suppositione promissionis maneat perfecte dominus, non sequitur, quod si ex suppositione promissionis negaret, non inferret iniuriam. Promissio enim illa obligans ex iustitia non aufert potestatem dominativam circa gloriam, quam Deus antecedenter habebat, sed eam ligat, atque determinat: Deus enim non habebat potestatem ad denegandam gloriam in sensu composito promissionis, licet in sensu composito promissionis haberet potestatem ad negandam gloriam in sensu divisso promissionis. Hanc autem potestatem negandi in sensu divisso retinet Deus simul cum promissione: sicut voluntas amans simul cum amore habet potestatem ad odium, quia amor non destruit potestatem antecedẽtem ad odium, sed eam determinat ad non odio habendum.

35 Itaque ex suppositione promissionis habet Deus potestatem antecedentem ad denegandam gloriam sine iniuria, non tamen ad denegandam ex suppositione primissionis: quemadmodum voluntas ex suppositione amoris, & simul cum illo habet potestatem antecedentem ad ponendum odium, non tamen ad ponendum ex suppositione amoris, quod est habere potestatem antecedentem, & in sensu divisso, non tamen consequentem, & in sensu composito.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones.

36 OBIICIES primo: nemo potest debere alteri ex iustitia vsum sui dominij; at collatio gloriæ, v.g. est vsus divini dominij: ergo non potest Deus debere creaturæ ex iustitia collationem gloriæ. Obiectio 1.

Respondent aliqui huic argumento per instantiam: nam prodigus est dominus pecuniarum suarum; & tamen Deo debet ex iustitia vsum rectum, & non prodigum illarum, vsus enim prodigus pecuniarum, licet non sit iniuria alterius hominis, est tamen iniuria Dei, cum sit peccatum, & omne peccatum sit iniuria Dei. Sed hæc instantia non vrget, nam licet prodigus sit perfecte dominus suarum pecuniarum relate ad alios homines, quia potest pro libito suo illis vti sine iniuria aliorum, etiamsi id faciat contra ipsorum libitum, non tamen est perfecte Dominus relate ad Deum, quia sine iniuria Dei, nequit vti pecunijs illis nisi in ordine ad illos, vsus, quos Deus ipse præscripserit, & ideo vtendo pecunijs contra libitum Dei irrogat ipsi iniuriam, quia Deus est perfectissimus Dominus illarũ. Cum ergo Deus absolute, & simpliciter, & comparatione facta ad quamcumque personam à se distinctam, sit perfecte dominus gloriæ, non poterit alteri debere exercitium sui dominij, sicut quia prodigus relate ad alios homines est perfecte dominus pecuniarum, non debet ex iustitia alijs vsum illarum.

37 Aliter ergo respondeo distinguendo antecedens: nemo potest debere alteri vsum sui dominij independenter à sua libera voluntate exercente formaliter illud dominium concedo: dependenter à sua voluntate exercente formaliter illud dominium, nego. Quia ergo Deus 1. Solutio.

Deus non debet collationem gloriæ, niſi mediante promiſsione ſua involuntate voluntatem efficacem dandi gloriam, quæ voluntas eſt exercitium perfectiſsimi dominij, quod Deus habet ad dandam, vel negandam gloriam pro libito ſuo ſine iniuria alterius, ideo ex eo, quod debeat alteri exercitium ſui dominij, non ſequitur, quod non habeat perfectiſsimum dominium.

38 Vel aliter diſtinguo antecedens: nemo poteſt debere alteri ex iuſtitia vſum ſui dominij immediatum, concedo, vſum mediatum, ſub diſtinguo, dependenter ab vſu immediato eiuſdem dominij, nego: aliter: admitto antecedēs, & nego conſequentiam. Collatio autem gloriæ debita ex iuſtitia eſt vſus mediatus divini dominij ſupponens Deum determinatum ad gloriam dandam per promiſsionem, quæ eſt vſus immediatus poteſtatis antecedentis quam Deus habet ad diſponendum de gloria pro libito ſuo abſque iniuria alterius. 2. Solutio.

39 Obijcies ſecundo: Deus non poteſt ſe privare dominio vllius rei creatæ exiſtentis; at ſe privaret parte dominij integri, & ſolidi, ſi deberet aliquid creaturæ ex iuſtitia; quia id, quod debetur creaturæ, eſt ſuum ipſius, & quod eſt ſuum creaturæ, non poteſt eſſe alienum, quatenus eſt ſuum, vt pallium, quod eſt Petri, quatenus eſt Petri, nequit eſſe Pauli; at omnia noſtra ſunt Dei: ergo. 2. Obiectio.

40 Reſpondeo propterea Deum non ſe privare dominio perfectiſsimo rei, quam ex iuſtitia debet creaturæ vi promiſsionis, quia id, quod debetur à Deo creaturæ eſt dumtaxat in ordine ad vſum eſſentialiter ſubordinatum Deo, & qui eſſentialiter eſt exercitium divini dominij: quod autem hoc modo eſt ſuum creaturæ, quatenus ſuum, eſt principaliter alterius, nempe Dei. Itaque ius creaturæ adverſus Deum eſt eſſentialiter ſubordinatum Deo, quia conſtituitur per decretum ipſius imbibitum in promiſsione, & reſpicit pro termino effectum determinandum vi talis decreti. Non eſt autem contra perfectum Dei dominium ius, illud, quod reſpicit pro termino effectum determinandum vi decreti divini, quo pro tota æternitate formaliter exercetur dominium ipſum, quod Deus habet ad diſponendum de re illa pro libito ſuo abſque iniuria alterius: nam per tale decretum expletur adæquate, & per totam æternitatem poteſtas denominativa Dei. Iam vero pallium Petri idcirco quatenus Petri nequit eſſe Pauli, quia eſt ſuum Petri in ordine ad vſus, qui non ſunt exercitium dominij Pauli, nec explent libitum ipſius, ſed potius poſſunt eſſe contra illud, idque abſque aliqua eius iniuria. Solutio.

41 Hinc infero ſolutionem tertiæ obiectionis contendentis Deum non fore perfectum dominum gloriæ, ſi illam deberet ex iuſtitia homini, ex eo, quo res debita alteri ex iuſtitia, potius eſt creditoris, cui debetur, quam debitoris. Dicendum nanque eſt, tunc id eſſe verum, quādo ius creditoris eſt in ordine ad vſus, qui non ſunt principaliter exercitium dominij ipſius debitoris, ſecus ſi ſit in ordine ad vſus habentes hanc conditionem: nam tunc expleri ius illud eſt potius expleri libitum debitoris, quam creditoris: nam ius illud expletur quatenus pervenit ad effectum voluntas efficax illius, qui ſe voluntarie debitorem fecit. Nam per eā voluntatem ſe obligavit alteri in ordine ad eum vſum, qui determinandus erat ex vi talis voluntatis. Vnde eo in caſu debitor ſimpliciter eſt ſuperior creditore, quia totum iſtius ius dimanat ex efficaci determinatione debitoris, & reſpicit pro termino effectum illius. Solutio 3. obiectio.

42 Obijcies quarto: Deus non poteſt communicare creaturæ dominium iuriſdictionis adverſus ſeipſum: ergo nec dominium proprietatis. Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt: nam habens dominium iuriſditionis in aliquē poteſt vt ſuperior ipſi præcipere, eumque vt ſibi ſubditum dirigere in ſuum finem. vnde eſſe ſubditum eſt proprium illius, qui vel nondum aſſecutus eſt ſuum finem, vel adhuc poteſt aſſequi perfectius: vtrūque autem longe abeſt à Deo, qui ſibi ipſi finis eſt ſeipſum perfectiſsime poſsidens ante omnem creaturæ productionem: repugnat ergo ipſi, obedire creaturæ, & conſequenter huic habere dominium iuriſditionis in illum. Hæc autem ratio ceſſat in dominio proprietatis, ad quod ſolum ſpectat tueri libertatem dominij, & facere, ne alij impediant illud ab vſu rei. 4. Obiectio diſſolvitur.

43 Obijcies quinto Cum Cardin. de Lugo ex noſtra ſententia ſequi poſſe Deum vi ſuæ præmiſsionis fieri ſervum creaturæ, quia ſi ex iuſtitia poteſt obligari ad faciendum vnum opus ad libitum ipſius, poterit obligari ad facienda, quęcumque: vnde poterit obligari ad 5. Obiectio Lugo.

ri ad sternendum Petro lectum, ad condiendos cibos, & alia huiusmodi præstãda, quæ propria sunt servi. Quid ergo tunc illi deesset ad veram servitutem, cum hæc constituatur per debitum iustitiæ, quo vnus debet alteri sua opera ad libitum ipsius? Respondeo ex eo, quod Deus possit obligari ex iustitia ad conferendam, v.g. Petro gloriam, sub conditione, quod illam condigne mereatur, non sequi, quod possit obligari ad obeunda quæcumque munia Petrus voluerit, & ad sequendum nutum ipsius, sicut ex eo, quod Rex possit obligari ex iustitia ad conferendum militi Iacobeum stemma, v. g. si arcem defenderit, non sequitur posse obligari ex iustitia ad faciendum in eius obsequium quidquid illi libuerit.

Diluitur.

44 Deinde rogo, an ad omnes illas actiones præstandas pro libito creaturæ possit Deus obligari ex fidelitate, vel non? Si secundum immerito contra nos arguunt; si primum, etiam poterit obligari ex iustitia sine vllo absurdo. Negamusque inde sequi fore servum illius creaturæ, quia Deus essentialiter superior est omni creatura, eius voluntatem flectere potens quo voluerit, & vitam eius auferre pro libito potens: qui autem has conditiones habet respectu alterius, nequit enominari servus illius, esto ex indulgentia suæ voluntatis possit ei obligari ex iustitia.

45 Obijcies sexto cum eodem Card. Servus, vt Servus non potest adquirere ius adversus dominum, quia quid quid Servus adquirit, domino acquirit; at creatura essentialiter habet servitutem respectu Dei: ergo nequit adquirere ius adversus illum. Respondeo, Servum legalem, & civilem; qualis est vnus homo respectu alterius, non posse quatenus servum adquirere ius adversus dominum, quia omnes operæ ipsius sunt domini, sub cuius potestate ipse existit: non stat autẽ illa opera esse domini, & simul esse servi, ac proinde non stat, servũ habere dominium proprietatis supra rem aliquam, quam vt servus acquirit, quia si haberet in ordine ad illam, iam exueret servitutem, & posset compellere dominum, vt relinqueret illi liberam eius rei dispositionem, etiam contra nutum ipsius. At servus naturalis, qualis est homo respectu Dei, potest ex voluntate domini acquirere ius adversus ipsum, quia stat Deũ communicare homini ius in rem aliquã, & tamen retinere perfectum illius dominium, cum tamen homo nequeat homini concedere ius in rem aliquam, & tamen sibi retinere perfectum eius dominium.

6. Obiectio ex eodem.

46 Vltimo obijcies nos reipsa non concedere creaturæ verum ius proprietatis in tẽ promissam à Deo; si enim vi talis promissionis nõ conceditur creaturæ facultas vtendi re illa pro libito in quoscumque vsus, non conceditur ipsi verum dominium. Respondeo vt Deus dicatur obligari ex iustitia homini ad aliquid ei conferendum, non esse necesse, & simul cum retradat ius disponendi de illa pro libito suo: tum quia res promissa sæpe talis est, vt circa illam vnicum tantum vsum realis possessionis, & fruitionis possit homo habere; vt cernitur in gloria, quæ eatenus sua hominis esse potest, quatenus ea frui valet, quin ab eius possessione deturbari possit, non vero, quia ipsam possit alienare; vel aliter de illa disponere. Tum quia licet circa rem promissam possit homo habere plures vsus liberos, nihilominus Deus vi obligationis posset concedere facultatem in ordine ad vnum vsum, & non ad alios. Cur enim nequeat Deus obligari ad concedendam rem in ordine ad aliquos vsus, & non in ordine ad alios? Vt cernitur in humanis, vbi potest quis habere ius ad aliquem vsum rei, quin habeat ad omnes. Sic vsufructuarius ius habet ad percipiendos fructus vineæ v.g. non tamen ad illam alienandam. Patet ergo optime posse Deum obligari homini ex iustitia, quin conferat homini potestatem disponendi de re promissa pro libisto suo, quia aliud est obligari ex iustitia ad concedendum illi facultatem ad quoscumque vsus.

Vltima obiectio.

Solutio.

Obligatio ex iustitia nõ illico dat creditori ius ad quoscumque rei vsus.

47 Sed quæres, an possit Deus obligari ex iustitia ad conferendum Petro rem cum plena potestate morali, seu iure disponendi de illa pro libito suo sine iniuria aliorum pro omni eventu possibili? Respondeo posse relate ad alios homines, vel alias creaturas: quia potest facere, vt res illa ita sit illius, vt in nullo evẽtu possint alij homines licite re illa vti eo invito, non tamen posse concedere hanc potestatem perfectam relate ad ipsum Deum; quia est possibilis eventus, in quo homo disponat de re illa contra voluntatem Dei, & Deus nequit tribuere ius homini ad hoc, quia id foret Deũ spoliare seipsum dominio proprietatis

erga

erga rem illam, cum implicet manere cum vero dominio rei, & tamen alium habere ius ad vtendum re illa contra voluntatem eius, quia implicat dari verum ius ad vtendum re contra voluntatem domini. Quis enim non videat Deo repugnare, quod seipsum spoliet dominio rei creatæ, cum sit primum eius principium, & vltimus finis: vnaquæque enim res propria est illius personæ ad quam, tamquam finem cui ordinatur. Quapropter, etsi Deus possit ex iustitia obligari ad dandum homini dominium alicuius rei, quod sit plenum relate ad ad alias creaturas, non tamen quod tale sit relate ad ipsum Deum: id enim esset concedere dominium non subordinatum sibi.

48 Ex his deduces: dum Deus sua promissione obligatur ad dandam Petro gloriam, vel aliquod aliud accidés ipsi inhærens, vt subiecto, solum obligari ad producendum, & conservandum tale accidens: nam cum istud sit entis ens, ex suppositione quod existat, est suum illius substantiæ, cum ipsam respiciat, vt finem cui directum, ac principale: vt enim inquit D. Thom. 1. p. quæst. 21. art. 1. ad 3. Dicitur suum alicuius, quod ad ipsum ordinatur.

SECTIO SEXTA.

Concluditur Deum acceptasse ex iustitia satisfactionem Christi.

49 VIDIMVS hanc satisfactionem ex iustitia Deo non repugnare titulo perfecti dominij, quia istud recte componitur cum obligatione iustitiæ. Nunc videndum, an ex alijs capitibus id repugnet P. Vazq. multis contendit Deum non acceptasse satisfactionem Christi ex iustitia stricta, quia nec ex distributiva, nec ex commutativa. Non primum, quia distributiva respicit æqualitatem geometricam, quæ vt minimum versatur inter duas proportiones, nempe duarum rerum, & duarum personarum, & tunc intercedit, quãdo aliqua præmia, vel bona communia dividenda sunt inter plures, servando eam proportionem inter præmia, quæ datur inter dignitates personarum, vt tantumdem præmium vnius excedat præmium alterius, quantum dignitas vnius excedit dignitatem alterius, vt si Achilles excedit Ayacem in dupla portione, & inter eos pecuniæ communes dividendæ sunt, & Ayaci dantur duo nummi aurei, Achilli dentur quatuor. Constat autem Deum in remunerandis meritis Christi non attendisse ad hanc æqualitatem proportionis: ergo non acceptavit eius satisfactionem ex iustitia distributiva.

Vazquez opinio, & arg.

50 At nec ex commutativa: nam hæc iuxta Philosophum 5. Ethicor. cap. 4. respicit æqualitatem inter datum, & acceptum; atqui inter Deum, & creaturam nequit dari æqualitas dati, & acceptati, cum nos nihil propie dare Deo possimus, nec ille à nobis accipere iuxta illud Iobi 25. *Si iuste ageres, quid donabis ei*; multa in hunc scopum cogerit Vazq. contendens ex Philosopho in omni subiecto exercente iustitiam commutativam, reperiri contrapassum, seu repassionem in eo sitam, vt tantundem damni patiatur vtervis contrahentium, quantum commodi accipit, quatenus in alium transfert tantundem iuris, & bonorum, quantum accipit ab alio.

51 Respondeo Deum acceptasse satisfactionem Christi ex iustitia commutativa respiciente æqualitaeem inter rem, & rem, nimirum inter ius, & terminum iuris. Ad fundamentum autem P. Vazq. respondeo cum P. Suar. in opusculo de iust. sect. 2. num. 7. & lib. 1. de gratia cap. 3. num. 36. illas esse imperfectiones iustitiæ commutativæ humanæ, de qua loquebatur Philosophus, à quib⁹ præscindit iustitia commutativa vt sic; quemadmodum D. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 2. ait materiã liberalitatis esse pecuniam, & temporalia bona: id intelligitur de liberalitate humana: nã liberalitas vt sic ab hoc præscindit, & proprie reperitur in Deo respectu nostri, vt ipse docet 1. p. quæst. 12. art. 1.

Deus acceptavit Christi satisfactionem ex iustitia commutativa.

52 Quod si iustitia vt sic dicatur respicere æqualitatem inter datum, & acceptum; *Ly datum* non debet sumi stricte, prout significat id, quod in alterius vtilitatem cedit, & cuius dominium ei de novo acquiritur, sed latius prout cõplectitur omne id, quod cedit in alterius honorem. Quod ad hominem confirmare possumus: nam P. Vazq. 1. 2. disp. vlt. num. 82. docet Deum remunerare merita nostra ex gratitudine, & dum ipsi objicitur gratitudinem secundum D. Thom. esse virtutem recompensativam beneficiorum, respondet illam definitionem ita explicari posse, vt nullam imperfectionem exprimat, nimirum si nomine beneficij

Vrgetur ad hominem cõtra Vazq.

ficij accipiamus opus alteri gratũ. Quid ergo mirum, quod dum dicitur iustitiam commutativam respicere æqualitatem inter datum, & acceptum nos dicamus datum, & acceptum non esse intelligendum materialiter, & vt sonat, sed altius vt significat quidquid alteri exhibetur, sive per modum obsequij, sive per modum afferentis verum commodum, & vtilitatem.

53 Et ne quæstionem faciamus de nomine, solum contendimus in Deo reperiri formaliter virtutem, cui proprie conveniat definitio iustitiæ strictæ, tradita ab Vlpiano, & explicata à D. Thoma 2. 2. quæst. 61. In qua dicitur *Iustitia constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi.* Fundamentum præcipuum sumitur ex scripturis, & ex Paulo ad Hæbreos 6. *Non est iniustus Deus, vt obliviscatur operis vestri.* Ex 2. ad Thimoteum: *Superest mihi corona iustitiæ, quam reddit mihi in illa die iustus Iudex.* Item ex 1. ad Chorintios 9. & 2. ad Thimoteum 1. vbi corona gloriæ nomine depositi, & bravij significatur, quæ quidem ex iustitia debentur. Item ex verbis Christi in parabola Mercenariorum vineæ: *Non ne ex denario convenisti mecum, tolle, quod tuum est.* Vbi & explicatur obligatio Patris familias orta ex conventione, quæ ad iustitiam pertinet, & ius proprium Mercenarij, cum ei dicitur, *Tolle, quod tuum est.*

54 Quæ omnia, si possunt, debent in proprio, ac rigoroso sensu accipi secundum communem regulam interpretandi scripturas, & non ita exponuntur ab ijs, qui iustitiam strictam Deo denegant. Quorum aliqui docent, Deum remunerare merita iustorum ex gratitudine, alij ex fidelitate, alij ex iustitia providentiali, quæ est virtus, qua Deus providet rebus, concedens ea, quæ secundum naturam suam in physicis, & secundum moralem decentiam in moralibus exigunt. In nullo autem ex his dicendi modis salvatur Deum fore proprie iniustum, si negaret gloriam merentib⁹, quod tamen scriptura significat, & testatur D. Augustinus de natura, & gratia, cap. 2. dicens: *Non est iniustus Deus, vt iustos frandet mercede iustitiæ*, & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. inquiens: *Deus ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verum non admittitur iustus.*

55 Addit P. Alderete disp. 11. sect. 8. quod quamvis non posset obligari ex iustitia ad conferendam gloriam iusto, quia hoc ipso videretur abdicare dominium ipsi essentialiter competens ad denegandam gloriam sine iniuria, tamen potuisse obligari ex iustitia propter merita Christi ad remittenda hominibus peccata, seu ad extinguendum ius, quod ratione peccati acquisierat ad puniendos æterna pœna peccatores: sicut autem Deus dum liberaliter condonat peccatũ, abdicat à se ius istud, cum non possit iuste infligere pœnam inferni propter culpam iam dimissam, ita potuit obligari ad illud abdicandum sub conditione, quod Christus offerat merita sua in hunc finẽ: nam vniversaliter, qui potest à se abdicare ius aliquod, potest se ex iustitia obligare ad illud abdicandum. Opinamentum P. Alderete.

56 Sed hæc doctrina difficilis est, quia si Deus hac de causa potest obligari creaturæ ex iustitia ad abdicandum à se ius ad puniendum peccatorem; ergo quia potest condonare gloriam merenti, potuerit ad id obligari ex iustitia. Rursus sicut Deo essentiale est posse sine iniuria negare gloriam homini merenti; ita essentiale est posse negare sine iniuria remissionem peccati alieni. Ergo si quia primum est essentiale Deo, nequit ex iustitia obligari homini ad dandam illi gloriam, quia secundum est etiam essentiale Deo, non poterit obligari homini ad dandum illi remissionem peccati alieni. Difficile redditur 1. Secundo.

57 Ad vltimum quæres primo, an, vt satisfactio Christi dicatur ex rigore iustitiæ, necessarium fuerit, quod Deo illam acceptaverit obligatus ex iustitia? Respondeo affirmative, quia cum hæc satisfactio sit per modum meriti, eatenus Christus potuit ex iustitia satisfacere pro nostris peccatis, quatenus ex iustitia meruit, vt Deus nobis remitteret peccata, non datur autem meritum iustitiæ vbi remuneratio ex iustitia non debetur. Secundo: quia vbi quis ex rigore iustitiæ satisfecit creditori pro aliquo debito, nequit iam creditor sine iniustitia debitum illud exigere: ergo implicat Christum ex rigore iustitiæ satisfeciſſe Patri pro debitis nostrorum peccatorum, id est pro æternis pœnis, & quod ex suppositione talis satisfactionis posset Pater sine iniustitia à nobis exigere pœnas illas: id autem contingeret, si non teneretur ex iustitia acceptare satisfactionem Christi pro debito nostrorum peccatorum: ergo, &c.

58 Quæres secundo, an Deus potuerit oblihari Christo ex sola fidelitate ad remittendum hominibus peccata sub

sub conditione, quod ille pro tali remissione offerret sua merita? Respondeo negative: nam vt ostendit Pater Suarez in opusculo de libertate divina disput. 2. sect. 2. à num. 41. promissio divina onerosa sub conditione æquali rei promissæ parit promissario strictum ius: iam vero meritum Christi non solum est æquale remissioni peccatorum, sed eam infinite excedens.

DISPVTATIO XX.

AN CHRISTVS SATISFECERIT DEO OBLIGATVS EX IVSTITIA.

VM Christus satisfecerit Patri, vt fideiussor hominũ, non potest ex iustitia obligari ad exhibendam satisfactionem, nisi quatenus illi per peccatum contraxerunt debitum iustitiæ, an vero contraxerint, pendet ex eo, an peccatum mortale sit stricta Dei iniuria? Et ideo hic omnes quæstionem istam attingunt, quã nos etiam breviter discutiemus.

SECTIO PRIMA.

An peccatum mortale sit stricta iniuria Dei vbi defenditur pars affirmatiua.

1 NEGANT multi cum P. Vazquez disp. 9. de incarnatione, quos citat Ripalda disp. 88. num. 1. affirmant vero multo plures cum P. Suarez disp. 2. sect. 3. quam sententiam præter citatos à Ripalda, tuetur P. Alderete, P. Antonius Perez in manuscriptis Vuadingus, & alij. Media via incedit Card. de Lugo disp. 3. sect. 3. asserens creaturam posse exercere strictam iniustitiam aduersus Deum, nimirum pro casu, in quo ille, vt dominus proprietatis obsequium exigeret, & creatura negaret: cæterum reipsa non nisi rarissime creaturam inferre Deo strictam iniuriam.

2 Nostra conclusio sit omne peccatum mortale esse stricte Dei iniuriam; rationem breviter attigimus disp. præcedenti. Nam Deus est perfectissimus dominus proprietatis voluntatis nostræ, & libertatis, cum sit primum principium, & vltimus finis illius: quæ ratio vltimi finis est potissima ad fundandum hoc dominium, vt eleganter expendit P. Lessius lib. 10. de perfectione divina cap. 5. Quoties ergo homo mortaliter peccat, vtitur re propria Dei, vt supremi domini contra voluntatem ipsius serio prohibentis illum vsum, est ergo iniuria domini: ergo &c.

Peccatũ mortale est stricta Dei iniuria.

3 Dices primo: scienti, & volenti nulla fit iniuria iuxta regulam iuris 27. in 6. & Aristotelem 5. Ethicorum cap. 9. atqui Deus invitus non est in actu peccati, tum quia potens impedire, non impedit, tum quia vltro, & spontè ad illum concurrit. Respondeo Deum sufficienter esse invitum erga actum peccati, vt istud sit stricta iniuria illius. Esto enim libens conferat voluntati auxilium, & offerat concursum indifferentem; habet tamen ius, vt homo recte vtatur illo determinate auxilio, & concursu indifferenti, hominique præcipit rectum illum vsum; vnde dum homo peccat facit contra hanc Dei voluntatẽ, & cõtra ius Dei, quod non poterat expleri, nisi dependẽter à consensu libero hominis, ad quẽ vnice spectat determinare indifferentiam auxilij, quod ex hoc ipso quod Deus. Contulit, habet ius, vt cum illo determinate voluntas operẽtur, idque præcipit, & desiderat: cui voluntati resistit arbitriũ, dum peccat: ergo vtitur ipso contra voluntatem supremi domini; ac proinde ei irrogat iniuriam, quia licet prævideat abusum, nullatenus tamen illum vult, vnde licet scienti, & volenti non fiat iniuria, id perperam applicatur ad nostrum casum.

Deus invitus est erga actum peccati.

4 Dices secundo: non omnem vsum rei alienæ, qui fit invito domino, esse ipsi iniuriosum, sed duntaxat vsum rei alienæ, vt alienæ: iam vero peccatum non esse eiusmodi, quia est vsus voluntatis, prout est potentia peccandi; voluntas autem, prout est potentia peccandi, non est à Deo. Respondeo, voluntatem,

Voluntas vt est potentia peccandi est à Deo.

rem, vt est potentia peccandi esse à Deo secundum totum id, quod dicit in recto, & intrinsece, quia sic nullum prædicatū dicit, quod sit à se, & non ab alio: & omnia prædicata, quæ importat, sunt inter se non solum realiter, sed virtualiter intrinsece identificata: ergo non est ibi assignare vnum prædicatum, quod sit à Deo, & aliud, quod non. Et quamvis peccare sit malum moraliter, & nequeat tribui Deo: posse tamen peccare malum non est, sed est medium ad egregium bonum, nempe ad gloriam non peccandi, cum peccare possis, ad quam gloriam consequendam tribuit Deus homini potentiam peccandi, vnde hęc, vt talis, idcirco præcisè dicitur non esse à Deo, quia non est collata ad peccandum, seu ex complacentia in peccato. Id autem non tollit, quod peccatum sit vsus rei alienæ, vt alienæ contra voluntatem domini: nam est vsus voluntatis vt est potentia ad vtrumque, sub qua ratione est Dei secundum omnia prædicata sibi intrinseca.

5 Dices tertio, voluntatem liberam esse suorum actuum dominam, ac proinde nulli posse facere iniuriam vtendo dominio suo. Sed contra, quia aduersarij non negabunt potuisse Deum, vt dominum proprietatis exigere actum perfectum: quo in eventu maneret voluntas cum dominio talis actus, & tamen inferret iniuriam Deo, illum omittendo: ergo voluntatem esse dominam suorum actuum non probat, quod non inferat Deo iniuriam, dum peccat. Respondeo, ergo voluntatem esse quidem dominam suorum actuum, dominio tamen essentialiter subordinato alteri, & imbibente seruitutem respectu Dei, ac proinde esse dominium physicum ad eliciendum, vel non eliciendum actum præceptum sine iure morali ad eius omissionem: non enim habet ius voluntas ad vtendum seipsa, & potentijs sibi subordinatis contra voluntatem præceptivam Dei, sed solum habet ius ad vtendum secundum præscriptum supremi domini; dominium autem pure physicum supra actus non probat, quod illi non sint iniuriosi alteri. Sic latro habet dominium physicum supra actionem suam furandi, & tamen quia ad illam non habet ius: & alter habet ius, ne talis actio ponatur; ideo talis actio est stricte iniuria. Et hoc pacto se habet res in nostro casu: quia voluntas non habet ius ad exercendam actionem peccaminosam, & Deus habet ius, ne illam exerceat.

Dominium voluntatis erga suos act° est alteri subordinatum.

6 Dices quarto: Deum præcipientem nobis aliquem actum non exigere illum à nobis, vt dominum proprietatis, sed tantum vt dominum iurisdictionis: ergo licet peccatum sit inobedientia, non tamen stricta Dei iniuria. Respondeo Deum non posse præcipere aliquid voluntati, quin præcipiat, vt dominus proprietatis: quia nequit præcipere, quin seipsum respiciat vt vltimum finem illius præcepti, & quin dum præcipit, consulat principaliter bono suæ gloriæ, & dirigat voluntatem creatam ad consequendum ipsum Deum, vt vltimum finem: Deus ergo quoties præcipit creaturæ, præcipit vt vltimus finis ipsius. Atqui Deus vt vltimus finis creaturæ est formalissime dominus proprietatis illius: ergo quoties præcipit creaturæ, præcipit vt dominus proprietatis.

Deus non potest præcipere voluntati, quin vt dominus proprietatis præcipiat.

7 Itaque Deus præcipit, vt dominus iurisdictionis, & simul vt dominus proprietatis: vt dominus iurisdictionis, quatenus dirigit alios ad consequendam propriam fœlicitatem, & suum finem, & quatenus prospicit illorum bono; vt dominus proprietatis, quatenus præcipit vt vltimus finis illorum, prospicit bono excellentiæ propriæ vtrumque necessario intendens, & vtilitatem creaturarum, & gloriam propriam: ipsa enim fœlicitas creaturarum rationalium, quam vt dominus iurisdictionis intendit, & simul gloria extrinseca ipsius Dei, quam ex amore sui intendit, vt dominus proprietatis, est finis vltimus creaturarum rationalium, quibus præcipit, quod enim est Deo maxime gloriosum, est creaturæ maxime vtile.

8 ✠ Vnde vt sapienter inquit P. Lessius lib. 14. de perfectione diuina num. 62. *Non minus Deo gratias agere debemus, quod quærat gloriam suam, quam quod quærat salutem nostram, quia gloria eius est salus nostra: hoc in hymno Angelico Ecclesia insinuat, cum ait: gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* beneficia enim ipsius in nos sunt gloria eius. Quapropter actus iurisdictionis diuinæ aliquid præcipientis necessario est etiam exercitium dominij proprietatis, quia præcipit, vt vltimus finis creaturæ, & sub illa ratione est ipsius dominus: ideoque Deus habet potestatem præcipiendi creaturis, quia est illarum dominus, nec sine hoc proprietatis dominio potestatem illam præcipiendi, & obligandi haberet, & quamvis increatis dominium iurisdictionis

nis

nis non coniungatur cum dominio proprietatis erga personas, quibus superior præcipit: nihilominus dominium hoc iurisdictionis immediate supponit dominium proprietatis divinæ erga illas personas, & ex illo derivatur: ideo enim Deus communicat vni creaturæ potestatem præcipiendi alijs, quia est dominus illarum, & vult, vt obediant potestati humanæ: quemadmodum inter homines sæpe dominus mancipij vult, vt obediat alteri; ac proinde omnis iurisdictio humana vim suam accipit à proprietate divina, ideo enim habet vim obligandi personas subditas, quia operatur nomine Dei habentis dominium proprietatis in illas.

9 Probatur secundo principaliter nostra conclusio: quia omnis indigna tractatio personæ dignæ est ipsi iniuriosa, quia ex iustitia distributiva tenemur vnumquemque iuxta suam dignitatem honorare; ac proinde inhonoratio & indigna tractatio personæ dignæ est contra iustitiam. At omne peccatum mortale est indigna tractatio personæ infinite dignæ, nempe Dei: ergo omne peccatum mortale est stricta Dei iniuria. Probatur minor; quia qui peccat mortaliter summum bonum vilipendit; illud postponendo alicui commodo, vel delectationi temporali, & vt inquit P. Suar. disp. 2. de pœnitentia sect. 3. num. 6. *Priuat Deum, quantum est in affectu peccantis, dignitate vltimi finis, & illum constituit.* Denique Deum ipsum contemnit; ideo enim peccatum mortale habet tam ingentem malitiam, quia est contemptus Dei, vt vidimus agentes de eius infinitate. Deum autem vili pendere, postponere creaturæ, atque contemnere est personam infinite dignam indigne tractare.

2. Conclusionis probatio.

10 Dices tunc indignam tractationem personæ dignæ esse contra iustitiam, quando affert illi nocumentum aliquod: nos autem peccatis nostris Deo nocere non possumus. Sed contra, quia sicut ad actum inimicitiæ non requiritur illatio nocumenti, siquidem per peccata mortalia reddimur Dei inimici, quin per illam Deo noceamus, ita nec ad actum iniustitiæ requiritur illatio nocumenti. Ratio est, quia sicut ex iustitia tenemur non inferre nocumentum alteri, ita tenemur alterum non contemnere.

11 Sed contra obijcies primo. Nequit omissio actus præcepti esse stricta Dei iniuria, nisi actus ipse præceptus sit ex iustitia Deo debitus; at hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor, quia homo iustus per actum præceptum obligat Deum ex iustitia, vt sibi reddat coronam gloriæ recte operanti promissam: non obligaret autem si illum actum ex iustitia deberet Deo. Nemo enim potest ex iustitia obligari ad remunerandum id, quod alias sibi ex iustitia debetur. Sed hoc argumentum facile solvitur ex dictis disp. 9. sect. 4. nam sicut quod actus præceptus sit Deo debitus ex iustitia non tollit, quod sit honestus, & supernaturalis, dignusque vita æterna, dum elicitur ab homine iusto, ita non tollit, quod per illum possit iste Deum ex iustitia obligare, supposita promissione ad reddendum sibi præmium, quod condigne meretur talis actus, quare argumentum solum probaret, Deum independenter à sua promissione non potuisse obligari ex iustitia ad remunerandum actum sibi alias ex iustitia debitum.

12 Obijcies secundo: si homo peccans inferret Deo strictam iniuriam, teneretur ex iustitia Deo statim satisfacere pro peccato, sicut tenetur satisfacere homini, cui iniuriam irrogavit. P. Suarez respondet ideo hominem non obligari ad festinam satisfactionem faciendam Deo, sicut ad festinam restitutionem faciendam homini, quia dilectio non est nociva Deo. Cardinal. de Lugo respondet, propterea hominem iniurium Deo non teneri ad restitutionem, seu compensationem ex iustitia, quia non potest restituere in individuo actum, quem iniuste negavit pro instanti sibi iniuncto: æquivalentem vero non tenetur ex iustitia dare, quia id potest Deus, quoties voluerit, sine incommodo recuperare, eliciens ex nostra voluntate actum, quem voluerit, quod idem est moraliter loquendo, ac illum in bonis habere: sicut non tenebor ex iustitia compensare damnum Petro illatum, si ille curam habeam meæ facultatum, & possit ipse pro libito meis sumptibus rem ablatam recuperare.

13 Petrus Hurtadus respondet, ideo non obligari hominem ad compensationem iniuriæ, quia talis compensatio, etiam in humanis non est debita, nisi quãdo per iniuriam relinquitur aliquod damnum, seu nocumentum in bonis domini; qui enim detrahit de alio, non tenetur ad restitutionem, seu compensationem, nisi per detractionem læserit bonum alterius

terius nomen, & malam de illo opinionem persuaserit. At omnis iniuria Dei nõ relinquit aliquod nocumentum, seu damnum honoris, si secludamus blasphemiã, & contumeliam in Deum, quæ interdum generant apud homines contemptum, & malam opinionem Dei: ergo quamvis in hoc genere iniustitiæ existat obligatio alicuius compensationis, tamen ea non erit alijs iniuriæ generibus annexa. Has omnes solutiones latè impugnat Ripalda. Ego in illis examinandis non immoror.

14 Sed ex dictis in tractatu de pœnitentiæ virtute disp. 3. in qua egi de præcepto contritionis, respondeo propterea hominem non obligari ad statim satisfaciendum Deo pro iniuria eo modo, quo potest per illius perfectam contritionem, & detestationem, quia potestas ad ita satisfaciendum est beneficium, & privilegium misericorditer à Deo concessum peccatori, & obligatio, quæ hãc potestatem committatur, non est instituta in favorem Dei creditoris, sed ipsius hominis debitoris: vnde non oportuit, vt statim premeret, quia si statim peccator obligaretur elicere contritionem, hæc obligatio vergeret in periculum animarum.

SECTIO SECVNDA.

Resolvitur quæstio.

15 NON potuit Christus obligatus esse existentia ad satisfaciendum pro hominibus, nisi illi peccando intulissent Deo strictam iniuriam, indeque contraherent obligationem iustitiæ pro illa satisfaciẽdi: sectione præcedenti permisimus dari in peccatore illam obligationem, & reddidimus rationem, cur non statim premeret. Nunc absolute decernendum, an Christus satisfecerit obligatus ex iustitia. Partem negantem tuetur aliqui, quia cũ nemo ad impossibile teneatur, & cũ peccatori impossibile fuerit exhibere Deo perfectam satisfactionem pro mortali, non tenebatur ex iustitia satisfacere pro illo: ergo nec Christus, vt fideiussor peccatoris ad id ex iustitia tenetur.

16 Sed mihi magis placet sententia opposita: si enim peccator teneretur ex iustitia satisfacere Deo pro suo peccato per contritionem illius, casu, quo illa tantumdem placeret Deo, quantum displicuit offensa: ergo non manet liber ab hac obligatione ex eo, quod contritio de facto minus placeat Deo, quam illi displicuit offensa. Sic quamvis plebeius gravem iniuriam inferens Magnati, non intelligatur ad æqualitatem satisfacere, sed humiliando coram illo, non propterea eximitur ab hac obligatione: nam iustitia postulat, vt qui alium iniuste contempsit, eidem satisfaciat: quod si non valeat ad æqualitatem, saltem tenetur facere quantum potest. Iniquumque esset dicere Magnatem offendentem alium eiusdem dignitatis teneri ex iustitia ad se humiliandum coram illo, quia hæc humiliatio compensat iniuriam ad æqualitatẽ: plebeium vero offendentem Regem non teneri ex iustitia ad se humiliandum, quia illa humiliatio non compensat offensam ad æqualitatem.

DISPVTATIO XXI.

DE CAVSA FINALI INCARNATIONIS, VBI AN CHRISTVS VENIret Adamo non peccante.

Ad 3. quæst. 1. 3. part.

SECTIO PRIMA.

Status controversiæ.

1 NOMINE causæ finalis plerique intelligunt in præsenti motivum, sed cum tractatu de voluntate dixerim nihil creatum posse movere divinam voluntatẽ præsertim per modũ finis, sed Deũ vnice; nomine causæ finalis in præsenti intelligo vltimum termi-

num

num; & præcipuum scopum creatum, in quem collimavit primum decretum præfinitivum Christi, seu bonum illud, ad quod consequendum ordinavit Deus Incarnationem, an videlicet finis iste fuerit redemptio generis humani, an quidquam aliud: vt autem advertit Exim. D. d. 5. sect. 2. in hac quæstione vnum est, quod ad rem maxime pertinere videtur, an scilicet hoc mysterium intentum fuerit à Deo per primam voluntatem, qua hoc vniversum perfectum condere decrevit, sicut creatio Angelorum, & hominum fuit per se intenta: an vero solum quasi per accidens, post permissum, & prævisum peccatum.

2 Duplicem autem habere potest sensum quæstio ista, an Christus veniret, Adamo non peccante. Primus est an veniret ex vi præsentis decreti, quo mysterium Incarnationis defacto prærordinatum est: nimirum, vel quia Christus per primum decretum ordinatus est ad aliquem finem independenter à peccato: vel quia licet ordinatus fuerit ad finem redimendi homines à peccato, simul ordinatus est ad alium finem independenter à peccato, propter quem, etiam non incidente peccato, advenisset. Secundus sensus est, an veniret, Adamo non peccante, saltem ex vi alterius decreti, quod tunc Deus haberet casu quo non prævidisset Adamum peccaturum. Pater Valentia, & P. Vazquez in præsenti notant quæstionem in priori sensu agitari communiter à Theologis; in secundo autem sensu esse prorsus inutilem, quia nihil potest definiri in alterutram partem de ijs, quæ Deus faceret in alia rerum serie. Intra tamen dicemus ex vi decreti, quod defacto Deus habuit, posse deprehendi, quid fecisset in alia hypothesi.

SECTIO SECVNDA.

Sententia S. Thom. eiusque fundamentum.

3 SANCTVS Thomas hic quæst. 1. articul. 3. sequitur vt probabiliorem partem affirmantem Christum non venturum, Adamo non peccante, eamque probat hac ratione. Ea, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Vnde cum in Sacra Scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, conveniens dicitur Incarnationis opus à Deo ordinatum esse in remedium contra peccatum; ita quod peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Hanc sententiam sequuntur omnes Thomistæ, & plurimi è Nostris cum P. Vazq. & Valentia: iuxta hanc autem sententiam primo Deus decrevit independenter ab Incarnatione totum ordinem rerum, qui antecessit peccatum. Secundo prævidit peccatum. Tertio in eius remedium præfinivit Incarnationem.

4 Plurima autem sunt Scripturæ & Patrum testimonia pro hac sententia. Quæ ad tres classes reduci possunt. Prima est eorum, in quibus dicitur Incarnationem factam fuisse in remedium peccati vt Lucæ 19. versiculo 10. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et prima ad Thimotheum 1. versiculo 15. *Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere.* Et in symbolo, *qui propter nos homines, &c.* Secunda classis est eorum, in quibus dicitur nullam fuisse necessitatem Incarnationis, secluso peccato, quod habent Origenes, & Athanasius, aliique Patres apud Valentiam.

5 Tertia classis est eorum, in quibus dicitur Christum non fuisse venturum in mundum, non fuisse descensurum de Cœlis, non assumpturum carnem nostrã, &c. Non existente peccato: quod testatur Iræneus lib. 5. adv. Hær. cap. 14. *Si non haberet*, inquiens, *caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis iustorum inquiri; nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Et August. serm. 8. de Verbis Domini; *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset*, & serm. 9. de Verbis Apostolorum, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere.* Demum Sanctus „ Leo serm. 3. in Pentecost. Si enim „ homo ad imaginem, & similitudinem „ Dei factus, in suæ naturæ honore man„ sisset, nec diabolica fraude deceptus, à „ lege sibi proposita per concupiscentiam „ deviasset, Creator mundi creatura „ non fieret.

6 Sed quanquam hæc fundamenta gravia sint; sufficienter eis respondetur ab oppositæ partis Authoribus. Ad primam rationem respondetur etiam in scripturis, & Patrib. reperiri sufficiens fundamentum ad asserendum Christum

præfinitũ fuiſſe antè permiſsionem peccati tanquam ſupremum Principem, cui deſervirent omnes creaturæ: idque redundare in maximam Chriſti gloriam: hinc autem rectè colligi ipſum venturum, Adamo non peccante. Ad primam autem claſem reſpondetur ex P. Suar. d. 5. ſect. 3. & 4. Incarnationem quidem factam fuiſſe in remediũ peccati, quia præfinita eſt duplici decreto adęquato, altero antecedenti permiſsionẽ peccati, & amãte Incarnationẽ propter ipſius excellentiam, & propter gloriã, quæ ex illo Deo accreſcit, vi cuius Chriſtus veniret etiam ſi non exiſteret in Deo ſcientia media futuri lapſus: altero ſupponente permiſsionem peccati, & amante Incarnationem propter redemptionem generis humani.

7 Ad ſecundam claſem reſpondebitur ideo, ſecluſo peccato, nõ fuiſſe neceſſariam Incarnationem, quia ſolum ad finẽ exhibendi Deo condignam ſatisfactionem pro ofenſa gravi, neceſsè fuit abſolute Deum incarnari; nam omnes alij fines poſſent abſolute ſine hoc medio obtineri.

8 Ad tertiam claſem reſpondebitur illa omnia intelligenda eſſe de adventu Chriſti in terras, & conſanguinitate nobiſcum per aſſumptionem carnis paſsibilis, & originem à primo Parente. Quia quamvis Adamo non peccante, Verbum aſſumeret naturam creatam, vel humanam, vel Angelicam, non tamẽ aſſumeret paſsibilem, nec deſcenderet ad converſandum cũ hominibus. Ac proinde peccatum fuiſſe quidem cauſam, vel occaſionem adventus Chriſti, non tamen Incarnationis ſecundum ſe. Quod autem hæc duo diſtinguantur, videtur ſupponere Eccleſia, dum orat; per Incarnationem tuam, per adventum tuum. Et quod attinet ad Irenæum ab omnibus debet exponi cum aliqua limitatione, ne alioqui in abſurdum incidamus. Dum enim dicit: ſi non haberet ſanguis iuſtorum inquiri, nequaquam ſanguinem habuiſſet Dominus, id eſt, niſi effuſus fuiſſet, iniuſte ſanguis iuſtorum: Conſtat enim Chriſtum ex vi præſentis decreti extiturum, quamvis non effunderetur iniuſte ſanguis iuſtorum, quia potuit efficaciter inſpirare Tyrannis, ne iuſtos perſequerẽtur. Sicut ergo quoad hanc partem accipi debet authoritas Irenæi cum limitatione; ita poteſt accipi quoad priorem.

(o)

SECTIO TERTIA.

Scoti ſententia, eiuſque fundamenta.

9 SCOTVS in 3. diſt. 7. quæſt. 3. Alex. Albertus, Catherinus, & aliqui ex noſtris affirmant Chriſtum venturum, Adamo non peccante, non tamen in carne paſsibili, arbitrantes Chriſtum ſecundum ſe præfinitum eſſe independenter à peccato, vt paſsibilem vero non niſi dependenter ab illo. Præter fundamenta autem ab authoritate ſcripturæ, & Patrum, nullæ rationes conficiuntur pro hac ſententia. Prima ſit: quia ſi Chriſtus non fuiſſet præfinitus ante prævisionem peccati primi Parentis, ſed occaſione illius, Incarnatio eſſet bonum occaſionatum, hoc eſt non cadens ſub primariam Dei intentionem, ſed ſolum ſub ſecundariam, nempe poſito peccato, quod Deus ex ſe vult non eſſe. Id autem videtur abſurdum.

10 Secunda ratio: cæteri homines prædeſtinati ſunt ante quam prævideretur peccatum primi Parentis: ergo, & Chriſtus, qui eſt caput, & exemplar prædeſtinatorũ iuxta Apoſt. Rom. 8. antecedens probatur primo, quia Deus vult nobis gratiam, & gloriam, antequã videat oppoſitum illarum, nempe peccatum. Secundo: quia ſi prædeſtinatio noſtra fuiſſet poſt prævisſum peccatum, poſſet dari cauſa reprobationis ſcilicet peccatũ: nam in ſigno, in quo non obſtante peccato originali, prædeſtinati ſunt aliqui, alij relinquerentur in maſſa perditionis propter peccatum.

11 Tertia: quia ſi Chriſtus prædeſtinatus eſt propter noſtram redemptionẽ, & ſalutem, ſequitur noſtram prædeſtinationem fuiſſe finẽ prædeſtinationis Chriſti, ac proinde nos prius fuiſſe prædeſtinatos, quam illum. Quarta: nam ordinate volens prius vult finẽ, deinde ea, quæ ſunt ad finẽ inter hæc autẽ prius ea, quæ ſunt propinquiora fini: cũ ergo Deꝰ velit ſeipſum, & gloriã ſuam vt finẽ, cætera autẽ vt mediũ, debuit prius velle Incarnationem, quam reliqua, cum illa ſit propinquior Deo.

11 Quinta: Chriſtus fuit cauſa gratiæ, tum Angelorũ, tum primi hominis in ſtatu Innocentiæ: at gratia illa præfinita fuit à Deo ante prævisũ peccatũ primi Parentis: ergo à fortiori Chriſtus.

13 Sexta quia nulla prędeſtinatio ad gloriam alicuius hominis, aut Angeli pendet à prævisione peccati proprij, vel

vel alieni: né alicui detur occasio gaudendi de peccato: ergo nec prædestinatio Christi.

14 Iuxta hanc sententiam: primò Deus decrevit Incarnationem propter eius excellentiam, & humanitatem Christi prædestinavit ad summam gloriam independenter à peccato: secundo prævidit lapsum Adami futurum. Tertio decrevit, & Christus veniret in carne passibili ad redimendum genus humanum.

15 Hæc tamen fundamenta facile solvuntur ab oppositæ sententiæ Authoribus. At primam rationem respondent nihil repugnare, quod Incarnatio sit bonum per accidens occasionatũ: quia quod Deꝰ eam præfinierit occasine peccati, & non aliter maxime cõmendat ipsiꝰ charitatẽ erga homines propter quos non quasi obiter, & aliud agens sed ex instituto venit.

16 Ad secundam respondent negando antecedens, & asserendo nec Adamũ, nec aliquẽ alium hominẽ electum fuisse efficaciter ad gloriam, nisi post prævisum originale peccatum. Vnde ad primã probationem antecedentis respondetur Deũ simplici dumtaxat affectu velle omnibus gloriam, antequàm prævideat pecatũ originale. Ad secundam vero dicitur reprobationis à gratia dari quidẽ causam communẽ ex parte reprobi, nempe peccatum originale; non autem peculiarem: reprobationis vero à gloria dari causam peculiarem ex parte reprobi.

17 Ad tertiam respondent Christum fuisse prædestinatum in finem nostræ salutis; hinc autem solum probari eam prius fuisse volitam à Deo per modum finis simplici voluntate, non autem efficaci: volebat enim Deus nostram salutem, quia ex se illi placebat, sed efficaciter nulli dare eam decrevit, nisi ex meritis Christi, qui tolleret debitum carendi ipsa, contractum per peccatum.

18 Ad quartam omissis alijs solutionibus potest facile responderi id ad summum esse verum de volente finẽ obtinendum vi, & causalitate mediorum, non autem de volente finem, qui supponitur iam possessus, & propterea movet, vt intendantur alia, tanquam participantia eius bonitatem; vt contingit in præsenti; Deus enim seipsum necessario diligit, vt finem omnium non quidem causandum, & obtinendum; sed manifestandum, & participãdum. Qui autem amat hunc finem, non debet amare prius ea, quæ sunt propinquiora illi: nec enim Deus ex amore sui cogitur amare prius ea, quæ sunt in se perfectiora: sed potest intendere vt finem gloriam suam extrinsecam resultantem ex æterna hominum fœlicitate; & ad hunc finem consequendum amare Incarnationem.

19 Ad quintam respondet P. Vazquez gratiam collatam Adamo ante lapsum non fuisse ex meritis Christi, sed dumtaxat eius gratiæ reparationem. Ad sextam respondeo nullum posse prudenter gaudere de peccato proprio, vel alieno, etsi Deus pro sua misericordia ex peccato occasionem sumpserit ad cõmunicandum beneficium prædestinationis, hoc enim non duxit ortum ex meritis peccati, quod ex se potius inclinat ad puniendum.

SECTIO QVARTA.

Sententia P. Suarez.

20 EXIMIVS Doctor d. 5. sect. 3. & 4. docet Deum decrevisse Incarnationem ex duplici motivo totali: primo ante prævisum absoluta peccatum ob excellentiam mysterij. Secundo post prævisum peccatum ob nostram salutem, ita vt per vtrũque decretum voluerit totaliter, & sufficienter Incarnationem per primum quidem abstrahendo à carne passibili, & impassibili. Per secundum vero determinando carnem passibilem. Atque ex vi primi decreti Christum venturum pro casu, in quo non daretur in Deo scientia media de futuro lapsu Adami: cæterum quia defacto talis scientia præcessit, addit vi *primi* decreti venturum Christũ, Adamo non peccante. Quod explicat sect. 5. dicens illud primum decretum fuisse de communicanda sua persona divina humanæ naturæ modo perfectissimo, & aptissimo ad sua attributa manifestanda, ac proinde hoc decretum; supposita scientia media futuri lapsus, necessitalle Deum ad secundum decretũ referens Incarnationem ad redemptionẽ generis humani, & determinans vitam passibilem; quia supposita illa præscientia, hic erat modus congruentissimus veniẽdi ad manifestanda divina attributa.

21 Quapropter iuxta Patrem Suarez conditionalis illa: *Si Adamus non peccasset* dupliciter potuit apponi, vt Adamus prævideretur non peccaturus quocunque modo relinqueretur

à Deo; & in hoc casu censet Christum venturum ex vi illius primi decreti, quāvis Adamus non peccasset; quia cum tunc foret impossibilis, manifestarentur per Incarnationem perfectissime divina attributa, quamvis Christus non veniret ad redimendum. Vel potuisse apponi cōditionem illā ita vt à Deo prævideretur occasio aliqua, in qua peccaturus esset Adamus: & in hoc casu ait P. Suar. Christum non venturū adhuc ex vi primi decreti, Adamo non peccante; quia supposita aliqua scientia media futuri lapsus, ex vi talis decreti cogebatur Deus permittere peccatū, quia hæc permissio erat tunc medium necessarium, vt per Incarnationem manifestarentur perfectissime divina attributa.

22 Hæc solutio displicet primo; quia supponit possibilem esse evētum, in quo sub nulla tentatione appareat Adamus per scientiam mediam lapsurus. Secundo; quia cum illa sciētia sit ante omne liberū decretū; sanè si supposita scientia media futuri lapsus, modus congruentissimus exequendi Incarnationem est illam ordinando in redemptionē peccati; primū decretū amans supposita illa scientia, Incarnationē ad manifestanda atributa congruentissimo modo præfinit Christum vt Redemptorē ante prævisum absolute peccatū: quod hic Doct. ibi sect. 3. §. *Dico itaque primo*, negat esse possibile, vel saltē cogit ad permittendū peccatū ex fine redemptionis, seu ad ordinandā permissionē peccati, vt mediū in finē redemptionis, quod idem absurdum continet. Deniq; quia vi talis decreti concepti post scientiam mediam futuri lapsus cogitur Deus de industria colligere Adamo vocationem illam, cum qua prævidit lapsurum, non collaturus eam, si videret fore efficacem ad observandum præceptum. Quod pugnat cum ijs, quæ docet Eximius Doct. lib. 8. de Angelis cap. 4.

SECTIO QVINTA.

Ostenditur Christum fuisse præfinitum ante permissionem peccati.

23 EGO probabilius existimo nullam creaturam fuisse præfinitam ante Christū, sed vel Christū fuisse præfinitū ante omnes, vel simul cum omnibus, tanquam finem earum, & tanquam caput hominū, & Angelorum; ac proinde decretum Incarnationis antecessisse permissionem peccati. Hāc assertionem præter Alexādrum, Albertum, Scotum, Iacobum de Valentia Albertum Pigium, & Claudiū Taurenensem, Nicolaū de Cussa, & Clitovæum; magno rationū, & authoritatū pendere defendit P. Salm. tom. 5. id est, tom. 3. in Epist. Pau. d. 3. in 5. assert. à pag. 30. vsque ad 42. Et Exim. D. disp. 5 de Incarnatione sect. 2. & sequentibus, & post ipsum P. Puent. Hurt. Martinus Per. & Martinon d. 3. de Incarnat. sect. 2. & novissime P. Alderete d. 19.

24 Expendit Eximius D. pro hac sententia illud sapientiæ 8. versic. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum ante quam quidquam faceret à principio*: Vbi septuaginta habent: *Dominus creavit, seu condidit me initium viarum suarum.* Quæ verba de Christo vt homine, exponit ingens Patrum multitudo (vt inquit noster Salazar ad eum locum) qui vt Arianis occurrerent, eo loco contra Filij Divinitatē abutentibus, quamvis eorum argumēta alijs expositionib⁹ diluere possent, maluerunt de Christi humanitate, seu de Christo vt homine interpretari. Hoc supposito, sic format argumentum. P. Suar. d. 5. sect. 2. locus iste ex cōfessione PP. accipiendus est de Christo, vt homine: ergo Christus vt homo conditus est abæterno in initio viarū Dei: sed non secundum rem: ergo secundum propositū, & intentionem Dei. Nec solum significatur vtcūque Consilium Dei ęterno conditum: hoc enim commune est rebus omnibus, quæ in tempore creantur, sed singulari quodam modo, nimirum quia in ipsa mente Dei primatum habuit.

25 Expendit etiam locum Apostoli ad Colossenses primo. In quo Christus dicitur. *Primogenitus omnis creaturæ*; quod secundum communem expositionē Patrum, & secundum Concilium Sardicense in Epist. ad omnes fideles intelligi debet de Christo, vt homine: nam vt *Deus* dicitur vnigenitus, *vt homo* primo genitus.

26 Denique concludit Apost. vt sit in omnibus primatum tenens; ergo iuxta Apostolum Christus vt homo est finis propter quem, & in cuius honorē Deus omnia creavit: ergo in intentione divina Christus est prior omnibus creaturis, vel saltem non est posterior.

27 Probat etiam P. Salm. hanc sententiam ex Apost. Rom. 8. vbi Christus dicitur, *Primogenitus in multis fratribus*;

hoc

hoc enim non dicitur de æterna generatione, in qua Christ⁹ Fratres non habuit, nec de generatione temporali secundum carnem, quia vt dicitur Hebr. 1. *Nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio*: ergo superest, vt de generatione in Dei prædestinatione, in qua illum principiũ, & fundamentũ posſuit omnium electorẽ, de quo accipiendum sit illud Apostoli ad Colos. 1. *Qui est primogenitus omnis creaturæ.*

28 Multa etiam Sanctorum Patrum testimonia expendunt pro hac sententia P. Suarez, & P. Alderete, eam sanè eleganter tradit Rupertus de gloria, & honore filij hominis in Math. lib. 13. in „ quiens, Religiosè dicendum, reverenter „ que est audiendum, quia propter istũ „ filium hominis gloria, & honore coronandũ Deus omnia creavit. Quod probat ex illis verbis Apostoli ad Hæbr. 2. *Propter quẽ omnia, & per quem omnia*: quibus expensis concludit: *Ergo ipse causa est, propter quẽ creauit omnia.* Pro hac sententia communiter etiam expendi solet Cyrillus lib. 5. Thesaur. cap. 8. vbi versans illud prouerbio 8. Ante sæcula fundabit „ me, inquit, præfundatur ante nos Chri„ stus, & in ipso nos omnes super edifica„ mur, idque ante initium mundi in præ„ sentia Dei, vt cum ordine diuino bene„ dictio maledictionem antecesserit, & „ damnationem in mortem vitæ pollicitatio. Item Iræneus lib. 3. cap. 33.

29 Sed vt alia via hanc sententiam validius confirmemus, supponendum est Adamum ante peccatum habuisse reuelationem Christi venturi, nimirum in sopore illo, quem Deus in ipsum immisit. Genesis 2. vers. 11. à quo excitatus dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; Christum significans vt docet D. Thom. hic quæst. 1. art. 3. ad 5. & 2. 2. quæst. 2. art. 7. est que communis sententia, vt testatur P. Suar. lib. 3. de ope sex die cap. 18. n. 8. & P. Vazq. hic d. 12. num. 19. Secundo supponendũ est Adamum auxisse gratiam habitualem occasione illius reuelationis, quia si illa fuit obscura, meruit prębendo ei assensum, si fuit clara occasione illius habuit affectum aliquem honestum, & consequenter meritorium. Hoc supposito, probatur, decretum efficax mittendi Christum fuisse ante permissionem peccati.

30 Quia si Deus præfinivit Christũ, quia prævidit Adamum transgredientem præceptũ non comedendi de ligno: ergo præfinivit Christum, quia prævidit Adamum eo peccato amisisse totam gratiã habitualem, quam habuerat in instante antecedenti ad transgressionem præcepti: ergo quia prævidit amississe gratiam, quam acceperat sine meritis, & quam occasione reuelationis suis meritis acceperat: ergo præfinivit primo Christum per decretum supponens iam fidem Christi venturi, & consequenter supponens iam decretum efficax Christi, quod est implicatorium.

31 Probatur vlterius: nam si reuelatio Christi venturi facta Adamo supponebat peccatum istius, vt absolute futurum pro tempore sequenti: ergo gratia acquisita occasione huius reuelationis etiam supponebat tale peccatum: hoc autem est impossibile: nam gratia illa destructa est per positionem talis peccati; implicat autem, vt rem destruat illud ipsum, quod aliquo modo causat eius existentiam primam: sicut enim hæc nequit impediri sui conservationem, ita nec illud à quo talis prima existentia depẽdet.

32 Denique suadetur: quia congruum est, & maxime expectãs ad Christi dignitatem, quod sicut est primus quoad perfectionem, ita sit primus in intentione Dei, & decernatur vt finis creatus omnium creaturarum.

SECTIO SEXTA.

An absolute Christus veniret Adamo non peccante.

33 NEGANT non pauci ex ijs, qui nobiscum sentiunt Christum fuisse præfinitum ante omnem creaturam, quorũ aliqui affirmant primum illud decretũ fuisse de Christo vt Redemptore; quorum sententiã alibi impugno, quia eandẽ habet difficultatem, ac illa, quæ adstruit præfinitionem efficacem pœnitentiæ ante prævisum absolute peccatum: alia via Pater Alderete disp. 21. contendit primum illud decretũ esse essentialiter connexum cum peccato, quamvis antecedat eius permissionem, nimirum quia regulatur per scientiam visionis repræsentantẽ peccatum Adami, vt absolute futurum non quidem in seipso, sed in medio aliquo extrinseco; nempe incomplexo complacentię liberæ creandi mundũ, & scientię mediæ repræsentantis Adamũ peccaturum, si creetur, & creandũ si Dᵉ habeat eam liberã complacentiã: qua posita, iã Dᵉ ante omne efficax decretũ cognoscit

Adamum absolute peccaturum, & hac scientia instructus incipit seriem decretorū efficacium per perfinitionem Christi Redemptoris, quam sententiam alibi impugno.

34 Mihi probabilior apparet sententia asserens Christum absolute venturum, Adamo non peccante, quam hac ratione suadet P. Salmeron: nam in illo eventu magis Christus exaltaret Deum, quam omnes Angeli, & iusti Viri: si ergo tunc darentur Sancti, qui Deum laudarent, etiam tunc esset Christus, in quo Deus multo magis sibi complacuit, & veluti artifex in perfectissimo opere quievit; quemadmodū in creatione, formato homine, qui typus erat Christi, dicitur Deus quievisse ab omni opere suo. Præterea Christus est perfectior toto vniverso: ergo natura sua magis optabilis: sicut ergo Deus voluit propter se res, & bonitate earū vsus est ad manifestandā gloriā, & bonitatem suam, quanto magis vsus fuisset hoc admirabili, & perfectissimo opere, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & bonitatis divinæ.

35 Id quod defendi posset, etiam si de facto Christus non fuisset præfinitus ante prævisum absolute peccatum: nam etiam si Deus distulisset præfinitionem Christi vsque ad signum prævisionis peccati; tamen decretum illud mittendi Christum conceptum ex tali prævisione amaret hoc mysterium, præcipuè propter eius excellentiam, & minus præcipuè propter remedium peccati, & ex illo modo amandi posset deprehendi, quod tunc veniret Christus propter excellentiam ipsius mysterij, quia de facto amata fuisset Incarnatio ob hanc causam, tanquam de se sufficientem movere hic, & nunc divinam voluntatem quamvis simul amata fuisset ob remedium peccati. Vnde ex presenti modo amandi sufficienter colligeretur, quod veniret Christus, Adamo non peccante, non quidem quod veniret per hoc decretum, sed per aliud. Sic ex modo, quo quis statuit ire Matritum ob duos fines, quorum alter sine altero sufficienter inclinat eius voluntatem colligitur illum iturum, quamvis deesset vnus ex illis finibus; iturum, inquam, non per affectum, quem de facto habet, vtpotè alligatum vtrique fini, sed quem haberet tunc. Alibique ostendi Deum in præsenti determinatione nostræ voluntatis posse infallibiliter cognoscere, quid fecisset hic, & nunc circa idem obiectum sub alijs circunstantijs: v.g. ex modo succumbēdi alicui tentationi potest infallibiliter deprehendere, quod non succubuisset, si tentatio foret minor in certo quodam gradu.

36 Nec contra nostram sententiam militant testimonia scripturæ affirmantia, Christum venisse in remedium peccati: quia nullibi dicitur propter hoc solum venisse, sed tacite supponitur venisse ob excellentiam ipsius mysterij ratione sui maximè amabilis, & expetibilis, etiam secluso remedio peccati. Vnde Christus primo, ac principalitèr existit gratia sui, & per seipsum est causa finalis huius mysterij, immo rerum omnium creatarum, & quidem primaria infra Deum, qui est vltimus finis omnium, & ideo Apost. 1. Corinth. 3. versic. 23. ait: *Omnia vestra sunt, vos autē Christi, Christus autem Dei.* Ideo autem Sacri Scriptores sæpe mentionem faciunt de adventu Christi ob finem redemptionis, quia in animo illis erat sæpe nobis inculcare, quanta passus sit Filius Dei pro abolendo peccato, vt sic gratitudinem excitarent, & permoverent ad cavendum in posterum tantum malum.

37 Quod si aliquid Patres dicere videntur, quod non venisset ob aliā causam, interpretandi sunt (inquit Salmeron) quod non veniret, vt medicus, vt passibilis, vt Salvator per gratiam, & sanguinem suum. Quod si obstinate quis velit ita causam facere peccatum, vt præter hanc causam nulla alia sit adventus: Christus faciet illos falsum dicere, & secum pugnare. Nam quomodo verum erit, quod agnus dixit; veniendi nulla alia causa fuit, quam peccatores salvos facere: cum Scripturæ aliam assignent. Ait enim Dominus: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati,* & alibi *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Hæc Salmer.

SECTIO SEPTIMA.

Modus specialis conciliandi illa duo, & quod Christus non veniret Adamo non peccante, & quod nihilominus sit præfinitus ante omnes creaturas.

38 QVAMBIS vt probabilius tutati simus Christū venturū Adamo non peccāte: cui

cui hæc ſententia diſplicuerit, non propterea cogetur aſſerere Chriſtum fuiſſe præfinitū poſt prævisum abſolute peccatum, quomodo autem hæc duo interſe conciliari poſsint, omiſsis aliorū placitis, ſic expono. Authores, qui affirmāt Chriſtum non venturum, Adamo non peccante, aſſerere hoc ipſo debent melius, & convenientius eſſe quod Chriſtus tunc non veniret nimirum, quia opus iſtud Incarnationis, cum ſit maxime ſupernaturale, & omnium miraculorum maximum, non debuit fieri, niſi maxima cauſa, atque neceſsitas ſubſiſteret, ſi enim convenientius, & melius foret ad manifeſtanda divina attributa, quod tunc veniret, profecto veniret, quia vt conſtitit, diſput. 2. Deus ſemper facit id, quod melius eſt ad oſtenſionem ſuorū attributorū.

39 Deus ergo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit melius eſſe carnē aſſumere pro caſu, in quo per ſcientiam mediam appareat Adamus peccaturus, & infecturus totum genus humanū, ſi conſtituatur caput morale poſterorum cum tali libera poteſtate, qualem defacto habuit transfundendi in illos iuſtitiam originalem, media obſervatione præcepti, vel iniuſtitiam, & peccatum originale, media tranſgreſsione: hoc ſuppoſito ſi accedat ſcientia media repræſentans Adamum peccaturum ſub tali conditione, iam Deus abſolute iudicat melius, & convenientius eſſe decernere Incarnationem, quam non decernere, oppoſitum abſolute iudicaturus, ſi daretur ſcientia media oppoſita. Tunc vero concipit decretum efficax mittendi Chriſtum, vt primo genitum omnis creaturæ, quod decretum amat excellentiam myſterij, & redemptionem in actu primo, & quaſi medicinæ præparationem; non tamen amat redemptionem in actu ſecundo, & actualem morbi curationem, quia finis iſte non repræſentatur, vt amabilis pro illo ſigno propter rationes repugnantiæ, quæ dantur in eo, quod Deus ante prævisum abſolute peccatum amet efficaciter finem eſſentialiter dependentem ab ipſo: ſed ſolum repræſentatur vt amabilis pro ſigno ſequenti ad prævisionem abſolutam peccati.

40 Licet autem Deus per illud primum decretum non vellit abſolute, vt Chriſtus redimat hominem à peccato, vult tamen, vt ſit paratus in remedium peccati imminentis, & conſequenter vult redemptionem conditionatē, nimirum ſub conditione, quod Deus ipſe permittat Adamo pro poſteriori peccatum, & iſtud appareat per ſcientiā viſionis; licet autem illud decretum non moveat directe ad permittendum peccatum, movet tamen indirecte, & per modum removentis prohibens; quatenus Deus non permitteret lapſum totius naturæ in Adamo, niſi videret bona, quę mediante Chriſto iam præfinito, colligenda erant. Optime ergo cohęrent illa duo, & Chriſtū non venturum, Adamo non peccante, in illis circunſtantijs, in quibus defacto peccavit, & tamen Chriſtum fuiſſe præfinitum ante prævisum abſolute peccatum, non vteumque, ſed per decretum minime connexum cum peccato: quod quidem non daretur defacto, ſi non præexiſteret ſcientia media futuri lapſus, poſſet tamen dari.

41 Dices dumtaxat eſſe melius, & convenientius Chriſtum venire ex ſuppoſitione peccati originalis prævisi per ſcientiam viſionis: quia ſuppoſita ſcientia Media repræſentante Adamum peccaturum ſub tali conditione, potuit non dari peccatum, tum quia potuit Deus non producere Adamum, tum quia potuit illum ponere ſub alia hypotheſi, in qua videretur non tranſgreſſurus præceptum. Reſpondeo, vt Deus abſolute iudicet convenientius, & melius eſſe carnem aſſumere, quam non aſſumere, non eſſe expectandam ſcientiam viſionis peccati originalis, ſed ſufficere ſcientiam mediā futuri lapſus ſub ea hypotheſi, de qua Deus cognoſcat melius eſſe ponere Adamum ſub ea, quam ſub alia, qualis abſdubio eſt hypotheſis illa, ſub qua Deus de facto Adamum collocavit: quia ſuppoſita illa ſcientia, iam imminet peccatum originale, quia videtur per ſcientiam mediam infallibiliter futurum, ſi Adamus conſtituatur ſub tali hypotheſi, & occurſu rerum, & circunſtantiarum, & Deus videt ſe maxime inclinatum ad ſic conſtituendum, quia videt melius eſſe Adamum creare, & conſtituere ſub illo rerum occurſu, quam non creare, vel conſtituere ſub alio, in quo appareat non peccaturus, vnde, quia imminet morbus, ſapientiſſime Deus medicum parat, vt curet infirmos ſub conditione, quod incidant in infinitatem; quia tunc ceſſet melius eſſe medicum illum mitte-

re, quam non mittere. Si autem per scientiam mediam appareret Adamus non peccaturus sub eadem hypothesi, in qua defacto apparuit peccaturus: tunc non immineret peccatum; ac proinde Deus non censeret melius esse mittere Christum, quam non mittere: & ideo non mitteret, quamvis absolute posset.

SECTIO VLTIMA.

Resoluuntur aliqua dubia.

42 DVBITATVR primò, an Christus vt passibilis primario venerit propter solum originale, venturus ex vi præsentis decreti, quamuis nulla peccata actualia futura essent in posteris Adami. Respõdeo affirmative cum P. Vazq. disp. 13. quia Christus, vt passibilis in nostra sententia, & secundum se in sententia Sancti Thomæ præfinitus est præcipuè occasione originalis peccati inficientis totam naturam; actualia vero iam supponunt Christum præfinitum, quia supponunt auxilium sufficiens collatum ex meritis Christi, vnde ad medendum peccatis actualibus ordinata est Incarnatio per aliud decretum.

43 Dubitatur secundò, an veniret Christus, si sola peccata actualia sine originali inficerẽt naturam humanam in omnibus fere individuis. Negat Pater Vazq. ibi; quia Christus non venit propter remediũ peccatorũ, quæ alias essent, sed eorum, quæ defacto fuerunt: ergo his deficientibus nullo modo veniret. Verũ hoc gratis dicitur, quia quod defacto Christus præfinitus sit in remedium originalis, probat quidem non venturũ tunc per præsens decretum: at quod nullo modo veniret, vnde quæso probatur?

44 Nobis ergo affirmandum est cum P. Valencia disp. 1. puncto 6. in fine, siquidẽ in illo eventu haberet locum causa principalis, ob quã Christus defacto venit, scilicet vt genus humanũ alienatũ à Deo salvaretur, & reconciliaretur Patri, vnde quãvis tunc non veniret per decretum præsens, veniret tamen per aliud. Idque sufficienter colligitur ex modo, quo de facto venit. In sententia autem D. Thom. si non essent futura peccata nullo modo veniret, nec per præsens, nec per aliud decretum; idque sufficienter colligitur ex eo, quod de facto venerit, iuxta ipsum vnice in remedium peccati.

DISPVTATIO XXII.

DE VNIONE HYPOSTATICA SECVNDVM SE.

Ad art. 7. quæst. 2. 3. part.

SECTIO PRIMA.

Quid hæc vnio, & quomodo facta.

1 HANC vnionem non esse solum moralem, & affectivam, nimirum per consensionem voluntatum, sed physicam, & veram, diffinitum est in Concilio Ephesino contra Nestorianos asserentes post Incarnationem mansisse in Christo duas personas. Quare Incarnationis mysterium, teste Petavio lib. 1. de Incarnatione cap. 9. nihil aliud esse existimabant, quam habitationem Dei in homine, velut in domicilio suo, ac templo; excellentiori tamen modo, quam in Moysi, ac reliquis Prophætis habitasse dicitur; vnde Theophorum, id est Deiferum appellabant Christum, non verè Deum: Beatamque Virginem dicebant non esse appellandam Theotocon, sed Christocon, id est non Deiparam, sed Christiparam, ac proinde solum in eo sensu dicebãt Christum esse Deum, quo olim Moyses Deus Pharaonis nuncupatus est, nimirum authoritate, & repræsentatione, non vnitate, & realitate.

2 Huic Hæresi se oppossuerunt Euthychiani, qui, vt Nestorianis contradicerent, asseruerunt vnam tantum in Christo post vnionem mansisse naturam; vel

vel quia ſomniarunt divinitatem converſam fuiſſe in carnem, vel quia putarunt divinitatem, & carnem vnitas fuiſſe ad componendam tertiam quandam naturã, ſicut corpus, & anima vniuntur ad componendam naturam humanam. Vtroque autem extremo damnato, Catholica Fides docet in Chriſto eſſe duas integras, & perfectas naturas, divinam ſcilicet, & humanam, & eas in vnam coaluiſſe perſonam, vt vnus, & idem ſit verus Deus, & vnus homo, & in hoc ſenſu D. Thom. quæſt. 2. art. 1. docet vnionem non eſſe factam in natura: & art. 2. factam eſſe in perſona. Nam ibi agit de termino ex vnione reſultante, qui non eſt vna natura, ſed vna perſona ſubſiſtens in duplici natura, divina, & humana. Non vero agit de termino, cui vnita eſt humana natura.

3 Mirabilem hanc vnionem explicant Patres exemplo inſitionis, per quam nobiliſsimo trunco ramus alienus inſeritur; & ignitionis, quæ totam ferri naturam penetrat, & ad ſuam puritatem, & nitorem trahit. Denique exemplo vnionis, qua anima rationalis, cum in ſe ſit ſubtilis, immortalis, viva, & intelligens, copulatur corpori torpenti, corruptibili, ſenſu, ac ratione deſtituto, illudque reddit pulchrum, vivum, & mobile. Quæ exempla eleganter proſequitur P. Leſius libr. 12. de perfectione divina cap. 5.

4 Supponimus cum noſtris Doctoribus adverſus Thomiſtas ſecutos Magiſtrum Albarez eſſe modum quendam ſubſtantialem intrinſece ſupernaturalem receptum in humanitate, & terminatum ad Verbum. Supponimus etiam, Verbũ non habuiſſe ſpecialem influxum in hãc vnionem, vt late probat Bernal diſp. 11. ſect. 4. ex Concilijs, & Patribus. Sufficiat nobis authoritas Concilij Toletani „ 11. in confeſsione fidei: Incarnationem „ Filij Dei tota Trinitas operaſſe creden„ da eſt, ſolus tamen Filius formam ſervi „ accepit, in ſingularitate percepit. Omittimus quæſtiones faciliores, v.g. an hæc vnio ſit indibiſibilis, an potius compoſita ex particularibus vnionibus, quarũ vna recipiatur in materia, alia in anima: & an præter iſtas aſsignanda ſit alia, per quam vnio ipſa intercedens inter animam, & corpus vniatur Verbo; & an prius natura fuerit animam, & corpus vniri Verbo, quam vniri inter ſe, vt ad difficiliora tranſeamus.

SECTIO SECVNDA.

An hæc vnio ſit intrinſeca Verbo?

5 ID eſt, an Verbum intrinſece denominet vnitum. Ratio dubitandi, quia ſi intrinſeca ſit, videtur mutari Verbum, aliter ſe habens intrinſece, ac antea. P. Leſius eo lib. 12. num. 23. partem negativam amplectitur, dicens hoc eſſe maxime mirabile, & incomprehenſibile in hoc myſterio, quod abſque aliqua nova habitudine ad humanitatem poſsit eam ita adſtringere, vt ratione illius vnionis verè dicatur, & ſit homo; hoc autem provenire ex infinitate Verbi, quod ſicut in alijs, ita etiam in ratione hypoſtaſis vim infinitam habet, qua ſubſtantiarum omnium exiſtentias per modum hypoſtaſis poſsit terminare. Sicut enim intellectio divina ob ſuam infinitatem in propria linea ſe extendit ad futura contingetia abſque acceſsione habitudinis realis ad illa: ita ſimiliter hypoſtaſis.

6 Hæc ſententia videtur eſſe communis inter Theologos antiquos, nam Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. §. *De primo dico*, affirmat hanc vnionem eſſe relationem diſquiparantiæ, realem in vno extremo nempe humanitate, & ſolius rationis in alio, ſcilicet in Verbo. Et D. Bonaventura ibidem ait Verbum per vnionem incipere denominari vnitum ſicut columna, poſito homine, incipit denominari dextera. Eodem modo loquitur D. Thom. quæſt. 16. art. 1. ad vltimum, & art. 6. ad ſecundum.

7 Poſſetque hæc ſententia exponi dicendo hypoſtaſim Verbi ob ſuam actualitatem infinitam ex ſe determinatam eſſe, vt per hoc præciſe, quod humanitas incipiat immutari, & trahi ad Verbum media vnione hypoſtatica, iſtud incipiat illam poſsidere vt ſuam peculiari titulo, eamque teneatur regere vt propriam, ſicut Petrus, v.g. potentias ſuas regere debet, & ſpeciali titulo incipiat intime præſens eſſe illi, quia licet modus vnionis intrinſece non afficiat Verbum, illud tamen ita humanitati adnectit, vt ſi per impoſsibile ratione immenſitatis ei intime præſens non aſsiſteret, tamen vi illius vnionis hanc præſentiam acquireret, & in hoc conſiſtere, quod Verbum perſonet humanitatem, & cum ea ſit vere, ac phyſice vnitum.

8 Quamvis autem hæc ſententia

tia sic explicata possit probabiliter sustineri: contraria tamen præferenda est vt verior, & modo communior, quam defendit Card. de Lugo disp. 11. sect. 7. & alij post Suar. disp. 8. sect. 4. & omnes defenderent, si sperarent posse solide explicari, quomodo Verbum incipiat de novo suscipere denominationē intrinsece vniti, quin mutetur. Dico igitur, non mutari, quia non vnitur vt potentia passiva vnionis, sed vt pure terminus, ideo autem vt pure terminus vnitur, quia non vnitur, vt perfectibile, sed vt pure perfectivum, nec vt acceptivum, sed vt communicativum perfectionis, & hoc ideo, quia ex se supponitur infinite perfectum in omni genere, & vt eminenter præhabens quidquid est perfectionis in humanitate. Quare licet verbum in ratione communicantis perfectionem se habeat intrinsece aliter, quam antea, non propterea mutatur, quia mutari est absolute, & simpliciter se habere aliter, quam prius hoc autem significat habere modo formaliter aliquam perfectionem, qua antea carebat si mutatio sit positiva; vel aliqua carere, quam autea habebat, si sit negativa.

9 Quod patet ex ipsa definitione motus, qui est via ad mutationem in facto esse, *Nam motus est actus entis in potentia prout in potentia*: ergo res, quæ mutatur debet esse absolute in potentia ad perfectionem, quam acquirit. Deus autem non est absolute in potentia ad perfectionem humanitatis, cum eam eminenter in se contineat, tantundemque valeat seclusō, ac simul cum illa, & non possit aliquid esse in potentia ad id, quod in se perfectissime continet cum ad id potius sit in actu, quare licet Deus in tempore habeat, immo sit aliquid vere, & proprie, quod antea non erat, nempe homo, non propterea mutatur: quia rem mutari est ipsam esse, vel habere de novo aliquid, quod antea simpliciter, & omnimodo non habebat, scilicet nec formaliter, nec eminenter, seu ex vi perfectionis se sola æquivalentis complexo sui, & alterius, quod in nulla creatura locum habet; quia cum quælibet sit finita, coniuncta cum alia facit maius in ratione entis; vnde implicat vnam creaturam vniri intrinsece alteri, quin mutetur.

(o)

SECTIO TERTIA.

Quo pacto saluetur Verbum assumpsisse naturam, & non personam.

10 COMMVNIS sententia, asserens personam creatam addere aliquid positivum supra naturam, facile respondebit propterea non assumpsisse personam, quia non assumpsit illam proprietatem positivam, quæ naturam complet in ratione personæ; in nostra autem sententia, non videtur facile posse exponi.

11 Vt difficultati occurram; præmitto dilucidam explicationem hæresis Nestorianæ adductę à Bellarmino lib. 3. de Incarnatione cap. 5. Asserebant itaque Nestoriani Beatam Virginem purum hominem peperisse, huic autem Filium Dei postea multis modis fuisse vnitum, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed accidentaliter; primo, secundum habitationem, quia Verbum habitavit in homine Christo, tanquam in suo templo iuxta illud Ioannis 2. *Soluite templum hoc, & tribus diebus, &c.* Et propterea dicebant caute scriptū esse Isaiæ 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel, id est non Vocabitur Deus, sed nobiscum Deus, id est in nobis habitans*; secundo, per vnionem voluntatis, qua filius hominis coniunctus erat semper cum voluntate Dei; tertio, secundum operationem, quia Christus homo erat instrumentum, quo vtebatur Verbum in operibus illis admirandis, quæ à Christo facta sunt; quarto, secundum participationem, quia Verbum illi homini impertivit nomen, & dignitatem suam, vt nimirum Deus, & Filius vocaretur Dei, & ab omnibus creaturis adoraretur, non propter se, sed propter eum, à quo assumptus fuerat, eo modo, quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos adorantur.

12 Hoc supposito respondeo: propterea Verbum non assumpsisse personam, quia naturam assumpsit per vnionem substantialem, & physicam, & non per vnionem moralem, atque accidentalem, qualem adstruebant Nestoriani, & enim hoc ipso, quod Verbum physice vnitum, sit humanitati, hæc non manet perse, ac separatim existens, in quo consistit eam propria personalitate gaudere, vt sectione sequenti explicabo. Quare Nestoriani propterea in Christo duas perso-

personas adstruebant, quia existimabant humanitatem per se existere, ac separatim à Verbo, & è contra, nec inter vtrũque intercessisse veram, & physicam vnionem, vt constat ex Anathematismo 3. Concilij Ephesini, in quo error ille „ his verbis damnatur: Siquis post na„turarum vnionem subsistentias in vno „ Christo dividit, naturasque ea tantum „ copula nectit, quæ est secundum au„thoritatem, vel dignitatem, anathe„ma sit.

13 Vt constat etiam ex actis eiusdem Concilij, vbi Cirillus ait, Op„tare Catholicos, vt Nestorius admitte„ret veram, & physicam vnionem inter „ Verbum, & humanitatem, & non pre„extitisse aliquem hominem, cui postea „ copulatum sit: additque fore in Eccle„sia Dei pacẽ, si hęc Nestorius concederet. Tertio ex quinta synodo generali collatione 8. Can. 5. sic definiente: „ Si quis non confitetur Dei Verbum carni „ secundum subsistentiam vnitum fuisse, „ & propter hoc (expendite vim causa„lis) vnam eius subsistentiam, seu perso„nam, anathema sit. Denique ex Boetio lib. de duabus naturis relato à Divo Thoma in 3. dist. 5. quæst. 1. art. 3. sic „ differente: Si non est vna persona in „ Christo, nulla vnio facta est divinita„tis, & humanitatis, nisi secundum simi„litudinem gratiæ, quod etiam Nesto„rius posuit. Idem autem est Verbum non assumpsisse humanam personam, ac vnam tantum in Christo esse personam: ergo, si ideo vna in Christo est persona, quia Verbum physice vnitũ est humanitati, sanè ideo Verbum non assumpsit personam, quia physice coniunctum est humanitati, cum qua coniunctione non cohæret eam existere per se, quod tamen erat necessarium, vt foret persona.

SECTIO QVARTA.

Notantur aliqua quæ præ oculis habenda sunt ad intelligendum mysterium Incarnationis.

§. I.

An personalitas Verbi reddat subsistentem humanitatem?

14 ITA in scholis quotidie audimus. Sed nisi hæc loquutio probe intelligatur, dicetur res planè absurda: nam si substantia Verbi per modum formæ, aut quasi formæ redderet subsistentem vt *quod* humanitatem, sanè faceret, vt humanitas esset persona humana, & creata, & purus homo: nam vt inquit P. Lesius ex communi omnium sensu lib. 12. de perfectionibus divinis num. 24. *Purus homo nihil aliud est, quam natura humana individua per se subsistens.* Est autem contra fidem, quod in Christo detur purus homo.

15 Et sanè nec Patres, nec Concilia, nec vnquam D. Thomas ita locuti sunt vt dicant, personalitatem Verbi reddere subsistentem humanitatem. Sed solum dicunt Verbum subsistere in humanitate, nimirum illam supponendo, & exercendo munus personæ respectu illius: & humanitatem subsistere in Verbo, nimirum tanquam in supposito, & principio quod, cui tribuantur principaliter eius operationes.

16 Ne offendantur imperiti, qui forsam scandalizabuntur, si audiant negari propositionem, quam quotidie in scholis audiunt supponi vt veram, cum tamen meo iudicio sit manifestè falsa: distingue illam propositionem, *Personalitas Verbi reddit subsistentem humanitatem simpliciter, & absolute*: nego maiorem (nam vt inquit Angelicus Doctor D. Thom. 1. p. quæst. 29. art. 2. Ea simpliciter, & „ absolute subsistere dicimus, quæ non „ in alio, sed in se existunt. At personalitas Verbi mediante vnione hypostatica facit vt humanitas existat in alio, nempe in Verbo tanquam in supposito, & in Christo tanquam pars in toto ergo non facit vt subsistat, ac proinde non reddit subsistentem.) Reddit subsistentem in ipso Verbo, concedo. Hoc autem potius est facere, vt humanitas simpliciter non subsistat, quam facere vt subsistat, & reddere subsistentem.

Quomodo tempe randa sit assumpta propositio.

§. II.

An subsistentia Verbi suppleat subsistentiam propriam humanitatis.

17 INdiscriminatim ita Magistros in scholis passim loquentes audimus. Sed propositio distinguenda est, ne dicatur res planè absurda. Distinguo ergo hanc propositionem. *Subsistentia Verbi supplet subsistentiam propriam humanitatis*, sumpta subsistentia in sensu Conciliorum, ac Patrum,

Patrum, concedo, ſumpta ſubſiſtentia in ſenſu Scholaſticorum, nego. Nam vt inquit P. Vazquez 3. p. diſp. 16. num. 18. ſubſiſtentia apud Patres, ac Concilia non eſt idem, ac apud Scholaſticos: apud hos enim idem eſt quod perſonalitas, ſeu vltimus terminus naturæ, quo completur, & trahitur ad eſſe ſuppoſiti: apud illos vero idem eſt, ac perſona. Quod prius obſervaverat D. Thomas 3. p. quæſt. 2. art. 3. *Subſiſtentia autem*, inquit, *idem eſt, ac res ſubſiſtens*, quod eſt proprium hypoſtaſis vt patet per Boetium lib. de duabus naturis. Subſiſtentia ergo ſumpta pro perſona, verum eſt ſubſiſtentiam divinam ſupplere humanam; quia nimirum perſona divina facta eſt mediante vnione hypoſtatica perſona humanitatis, exercendo reſpectu illius munus ſuppoſiti, & perſonæ, quia perſona divina eſt principium quod intimum, cui tribuuntur operationes humanitatis, quæ operationes creatæ tribuerentur ſuppoſito creato, ſi natura illa non eſſet aſſumpta; quia nimirum ſi humanitas illa non fuiſſet aſſumpta, ipſa eſſet perſona, & ſuppoſitum. Vnde perſona divina exercet munus, quod exerceret perſona creata. At ſumpta ſubſiſtentia pro perſonalitate, ſeu pro illo complemento, quod in creatis perſona addit ſupra naturam; impoſſibile eſt vt ſubſiſtentia Verbi ſuppleat munus ſubſiſtentiæ humanæ: idque eſt certo certius: nam perſonalitas creata facit, vt humanitas ipſa ſit perſona; at ſubſiſtentia Verbi mediante vnione hypoſtatica facit vt humanitas illa, quæ alias eſſet perſona, & ſuppoſitum, iam non ſit perſona, ſed exiſtat in Verbo tanquam in ſuppoſito. Rurſus ſubſiſtentia propria facit, vt natura humana per ſe, ac ſeparatim exiſtat: ſubſiſtentia Verbi facit vt non exiſtat per ſe, ſed in alio: ergo ſubſiſtentia Verbi non ſupplet ſubſiſtentiam humanã ſumptã in ſenſu Scholaſticorum: nam vnum oppoſitorum non ſuppletur per aliud: munera autem exiſtendi per ſe, & exiſtendi in alio ſunt oppoſita.

Perſona Verbi ſupplet humanã ſubſiſtentiam.

Subſiſtentia Verbi non ita.

§. III.

An perſonalitas Verbi ſuppoſitet, & perſonet humanitatem in eodem ſenſu in quo illam ſuppoſitaret perſonalitas propria, quatenus eſt aliquid ſuperadditum naturæ.

18 RESPONDEO negative: nam perſonalitas Verbi perſonat vt quod exercendo munus perſonæ, & ſuppoſiti reſpectu humanitatis aſſumptæ, & extorquendo ab illa munus perſonæ. At perſonalitas propria perſonaret vt quo, faciendo vt humanitas ipſa eſſet perſona.

§. IV.

An perſonalitas Verbi reddat naturam humanam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito.

19 RESPONDEO negative: nam mediante vnione hypoſtatica communicatur humanitas alteri vt ſuppoſito: ergo non redditur mediante illa, incommunicabilis alteri nempe Verbo, vt ſuppoſito. Quod ſi dicas, communicari ipſi quidem Verbo vt ſuppoſito, cæterum reddi mediante ſubſiſtentia Verbi incommunicabilem alteri ſuppoſito diſtincto à Verbo. Reſpondeo, nec hoc modo reddi incommunicabilem: nam perſonalitas Verbi mediante vnione hypoſtatica reddit humanitatem exiſtentem in Verbo tanquam in ſuppoſito: exiſtere autem in Verbo tanquam in ſuppoſito non opponitur cũ eo, quod ſimul exiſtat in aliquo alio tanquam in ſuppoſito, nempe in Patre, & Spiritu Sancto. Vnde poterit ſimul humanitas aſſumi à triplici ſuppoſito diuino, niſi aliunde oſtendatur repugnantia. Ratio autem eſt, quia ſolum ſubſiſtentia illa, quæ reddit ſubſiſtentem vt quod humanitatem, & facit vt humanitas ſit perſona, reddit illam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito, quatenus reddit illam omnino per ſe exiſtentem: quia implicat exiſtere omnino per ſe, & tamen exiſtere in alio tanquam in ſuppoſito.

§. V.

Quæ Incommunicabilitas ſit de ratione perſonæ.

20 PERSONA ſecundum celebrem definitionem Ricardi Victorini lib. 4. de Trinitate

nic. cap. 23. *Est rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*, id est incommunicabile subsistens, vt exponit Vazquez 1. p. disp. 126. nam apud Patres *subsistentia* sumitur pro re subsistente vt vidimus supra: duo itaque sunt de conceptu personę nempe esse substantiam completam incōmunicabilē, & per se existentem. Incommunicabilitas autem, quæ in hac definitione postulatur, non est communicabilitas per vnionem, sed per prædicationem, & identitatem realem cum pluribus. Quod patet: quia illa particula posita est ad excludendum à ratione personæ secundas substantias, id est rationes communes, quæ sunt prædicabiles de pluribus realiter distinctis, & ad excludendum à ratione personę hunc numero *Deum*, quia licet sit aliquid completum, & per se subsistens (vt communis sententia inter Thomistas, & Scotistas tenet, & inter Doctores Societatis cum Patre Suarez agnoscentes in Deo subsistentiam absolutam) nihilominus non est persona, quia prædicatur de pluribus realiter distinctis, nempe de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Et similiter ad excludendum *Spiratorem*, quia licet sit aliquid completum per se subsistens, tamen quia prædicatur de duobus suppositis realiter distinctis, nempe Patre, & Filio, non est suppositum. Idque patet ex D. Thoma, qui id docet ex communi sententia quæst. 8. „ de potentia art. 8. inquiens: Hoc nomē „ hypostasis significat substantiam indi„ viduam, id est, quę non potest de plu„ ribus prædicari. Et 3. p. quæst. 3. art. „ 1. ad secundum, dicens: Persona dici„ tur incommunicabilis, in quantum „ non potest de pluribus suppositis prædicari. Quod dixit Angelicus Doct. vt ostenderet, non esse contra conceptum personæ communicari per vnionem, vt patet in Verbo vnito humanitati. Patet secundo, illum esse sensum illius definitionis: quia alioqui hic numero Deus esset persona: cum sit aliquid per se subsistens incommunicabile alteri vt supposito per vnionem; cum ratione suæ perfectionis infinitæ ei ab intrinseco repugnet existere in aliquo à se distincto tanquam in supposito. Tertio constat ex Boetio apud quem persona est *rationalis naturæ individua substantia*, quatenus substantia individua idē est, ac substantia particularis, quæ de vno solo prædicatur. Quarto quia si sermo esset de incommunicabilitate per vnionem, hæc sufficienter explicaretur per rationem *subsistentis*, vt implicat subsistentiam creatam esse omnino per se, & communicari alteri per vnionem, in quo existat vt in supposito. Vnde frustra in definitione diceretur debere esse *incommunicabile subsistens*.

Incommunicabilitas personæ est per prædicationem, non per vnionē.

21 Hinc humanitas in Christo non definit esse persona, quia non sit substantia quædam particularis, & incommunicabilis in sensu, quo postulatur in illa definitione, sed quia deficit illi ratio per se existentis, seu subsistentis. Omnis quidem persona est incommunicabilis alteri vt supposito. Cæterum hæc incōmunicabilitas convenit naturæ creatæ, quatenus habet modum per se existendi in sensu composito cuius, repugnat vt communicetur alteri substantiæ, & ista non est incōmunicabilitas, de qua fit mētio in definitione personæ, nec ratio personalitatis, & suppositalitatis recte explicatur per hoc quod reddat naturam incommunicabilem alteri vt supposito: sic enim in ipsa definitione suppositi supponeretur explicata ipsa ratio suppositi, dū suppositalitas explicatur per ordinem ad suppositum.

§. VI.

An in creatis multiplicetur persona multiplicata personalitate?

22 DEMVS disputandi gratia suppositum in creatis addere aliquid positivum, & hoc supposito, inquirimus, an multiplicato illo positivo, seu multiplicata suppositalitate, vel personalitate, multiplicetur persona. Respondeo negative: quia personalitas secundum id quod superaddit naturæ, nihil aliud est, quam modus perfectitatis, reddens naturam per se existentem: quamvis autem eadem natura afficeretur triplici modo perfectitatis, non esse triplex subsistens: ergo non esset triplex persona, seu suppositum.

23 At in Deo alia est ratio: quia ibi personalitas est per se subsistens, & est subsistentia *vt quod*, nec personalitas illa facit vt natura divina sit persona; ita vt denominatio personæ cadat in recto supra naturam divinam: nam persona est substantia completa incommunicabilis, & per se existens: Paternitas autem non facit vt natura divina sit substantia incōmunicabilis; quia ratione sui est prædicabilis de pluribus realiter distinctis: quare substantia relativa non reddit formaliter sub-

subsistentem naturam divinam; quia subsistentia relativa est personalitas, & si redderet subsistentem relativè naturam divinam faceret vt illa esset persona. Quare subsistentia relativa est subsistentia naturæ divinæ in eo sensu, in quo est relatio naturæ divinæ; sicut autem non est relatio naturæ divinæ, quia illam reddat relatam, ita non est subsistentia naturæ divinæ, quia illam reddat subsistentem; alioqui redderet subsistentem relative; sed dicitur subsistentia naturæ divinæ, quatenus exigitur à natura divina, & cùm illa identificatur.

DISPVTATIO XXIII.

AN SIT PROPRIVM PERSONAE INFINITÆ OB EIVS INFINITATEM alienam posse suppositare naturam.

Ad quæst. 3. 3. part. articul. 1.

AFFIRMAT Angelicus D. 3. p. quæst. 3. art. 1. ad secundum, vbi ait: *Proprium esse personæ infinitæ propter eius infinitatem vt fiat in ipsa concursus naturarum secundum subsistentiam.* Et cum eo omnes Thomistæ. Eandem sententiam tenet Durandus in tertium dist. 1. quæst. 5. Aureol⁹ ibidem quæst. 3. art. 4. pag. mihi 365. §. *Ratio autem.* Henricus quodlib. 11. quæst. 10. Picus Mirandulanus, Apolog. quæst. 4. & 6. Pater Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 13. sect. 4. P. Vazq. disp. 25. cap. 3. Lugus disp. 12. num. 91. appellans hanc sententiam communem, Tannerus, & alij. Qui consequenter affirmant omnino repugnare personę creatæ alienam suppositare naturam, non solum quia repugnat vt illam sibi hypostatice vniat; sed quia repugnat vt illam terminet. Quæ sententia, quamvis communis sit admodum difficile est, eam solida confirmare ratione, vt animadvertunt Patres Suarez, & Vazquez.

(Authores cum D. Tho. affirmãtes.

SECTIO PRIMA.

Singulari ratione probatur sententia affirmans.

1 EGO huic sententiæ communi libenter subscribo, asseroque, ita proprium esse personæ infinitæ suppositare alienam naturam, vt implicet contradictionem, personam creatam exercere munus suppositi, & personæ respectu naturæ extraneæ; ac proinde assero, nec de potentia absoluta Angelum posse fieri hominem. Missis autem rationibus quæ communiter afferri solent à Thomistis, à Durando, ab Eximio Doctore, à Patre Vazq. & alijs; singulari ratione conclusionem communem ostendam.

Præmittitur, personam creatam importare in recto naturam

2 Vt autem rationem confi-ciam, suppono personam creatam importare in recto naturam substantialem completam in linea naturæ, & de obliquo vel negationem existendi in alio digniori, cui tribuantur eius operationes. Vt ego probabilius censeo, & latè ostendam disp. 28. vel certe modum positivum perfectitatis, ratione cuius fiat, vt natura omnino per se existat, sitque sui, & non alterius, cui tanquam principio *quod* tribuantur aius operationes; vt fert communior sententia. Quæ suppositio omnino explorata mihi videtur, nam suppositum teste Suario disp. 34. metaphysicę sect. 1. nihil aliud est, quam *substantia completa, & incommunicabilis: vel substantia completa individua subsistens incommunicabiliter*, vt definit Bañez 1. p. quæst. 3. art. 3. quis autem non videat denominationem per se existentis nõ cadere supra modum illum perfectitatis, sed supra ipsam naturam, quæ ab illo modo tanquam à forma denominatur per se existens, sicut ab intellectione denominatur intelligens, & à modo durationis denominatur durans? Quod etiam patet ex illa celebri definitione

definitione personæ tradita à Richardo Victorino, & ab omnibus Theologis admissa, iuxta quam persona nihil aliud est; *Quam rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*, id est incommunicabile subsistens. Vt exponit P. Vazq. 1. p disp. 126. Nam subsistentia apud Patres sumitur pro ipso concreto subsistente vt quod; constat autem denominationem subsistentis vt quod cadere supra ipsam naturam creatam: nam modus ille perfectatis non est subsistens vt quod, nec de illo verificari potest quod sit *principium quod*; seu id cui tribuuntur operationes naturæ.

3 Hinc constat, non posse Angelum fieri hominem, seu vniri substantialiter cum natura humana ad faciendum vnum per se cum illa; quin natura Angelica vniatur substantialiter cum humana; quia persona Angeli importat in recto naturam. Vnde nequit persona Angeli vniri naturæ humanæ, prout oportet vt illam personet, & supponat, quin natura Angeli vniatur substantialiter cum natura humana.

4 Hoc supposito sic argumentor: proprium est personæ infinitæ ob ipsius infinitatem, quod possit vniri substantialiter alienæ naturæ quin amittat rationem personę, & suppositi. E contra vero proprium est personæ creatæ ob sui finitatem, quod nequeat vniri substantialiter cum aliena natura ad faciendum vnum per se cum illa, quin amittat rationem personæ, & suppositi: ergo proprium est personæ infinitæ ob ipsius infinitatem, alienam posse suppositare naturam: & personæ finitæ, non posse ob suam finitatem. Patet consequentia: quia persona creata nequit suppositare alienam naturam, quin cum illa vniatur vnione substantiali ad faciendum vnum per se, sicut persona Verbi vnita est: ergo si nequit ita vniri, quin amittat rationem personæ, non poterit suppositare, & personare alienam naturam: nam quo pacto mediante vnione cum humana natura poterit persona angelica, v.g. Michael, personare illam naturam, seu exercere munus personæ, & suppositi respectu illius, si mediante eadem vnione amittit conceptum personæ, & suppositi? Et quidem nihil clarius, quam non posse vnam substantiam exercere munus suppositi, & personæ respectu alterius, si nequit ipsi vniri, quin amittat rationem personæ: munus enim personandi, & suppositandi, essentialiter postulat, vt id, quod suppositat, & personat alienam naturam, dum suppositat, & personat sit suppositum, & persona; alioqui exercitium causandi destrueret causam, quod est in terminis repugnans.

Conficitur ratio probans solâ personâ infinitam posse alienam suppositare naturam.

5 Quod autem sit proprium personæ creatæ ob sui finitatem, quod nequeat vniri substantialiter alienæ naturæ, quin amittat rationem personæ, probatur: nam persona creata importat in recto naturam, & de obliquo modum subsistentiæ, & perfectatis; nequit autem natura creata, v.g. natura Michaelis, vniri substantialiter naturæ alienæ, v.g. humanæ, quin amittat rationem personæ: ergo persona creata nequit vniri substantialiter naturæ alienæ, quin amittat rationem personæ. Probatur minor; nam hoc ipso quod natura Michaelis vniretur substantialiter cum humanitate ad faciendum vnum per se, natura Michaelis existeret in aliquo digniori se, nempe in illo toto resultante ex ipsa, & humanitate, esset enim stricte, & propriè pars illius totius, non continens totam illius perfectionem, sed potius contenta in illo, est enim de conceptu compositi resultantis ex extremis finitis, quod sit maius quolibet illorum seorsim, nam finitum additum finito facit maius, & totum maius est sua parte, & ideo merito aiebat D. Thom. in 3. sent. quæst. 2. art. 3. ad 1. „ quod bonum creatum se habet ad in„ creatum, sicut punctum ad lineam, vn„ de sicut punctum additum lineę non fa„ cit maius, ita nullum bonum crea„ tum additum in persona bono increato „ facit melius. Implicat autem naturam Michaelis existere in aliquo toto digniori, & perfectiori se, & tamen retinere conceptum suppositi, & personæ: ergo implicat naturam Michaelis vniri substantialiter alienæ naturæ; quin amittat rationem personæ.

Persona creata nequit vniri substantialiter alienæ naturæ, quin amittat rationem personæ.

6 Minor autem subsumpta, ad quam tota revocatur difficultas, probatur primo, nam vt inquit Ang. Doct: „ 3. p. quæst 2. art. 2. ad tertium; Non „ quodlibet individuum in genere substantiæ, etiam in rationali natura, habet rationem personæ, sed solum illud „ quod per se existit, non autem quod „ existit in alio perfectiori: vnde manus „ fortis, quantumvis sit quodam individuum, non tamen est persona; quia non „ per se existit, sed in quoddam perfectiori, scilicet in suo toto. Ex quo principio deduxit Angelicus Doctor, huma-

Implicat retinere conceptum personæ id, quod existit tanquam pars in toto.

humanam naturam in Christo non esse personam, licet sit quoddam individuum in genere substantiæ rationalis; quia videlicet existit in aliquo digniori, & perfectiori se, nempe in Christo; ergo implicat naturam Michaelis existere in aliquo toto digniori, & perfectiori se; & tamen retinere conceptum personæ.

7 Probatur secundo; quia id quod venit in vnionem alicuius magis completi, nequit habere rationem hypostasis, & personæ: atqui natura Michaelis faciens vnum per se cum humanitate, venit in vnionem, & compositionem alicuius magis completi; siquidem totum illud per se ex vtraque resultans, est quid completius, & perfectius qualibet ex illis seorsim accepta: ergo natura Michaelis nequit tunc habere rationem hypostasis, & personæ. Probatur minor ratione, qua vtitur D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 3. ad solvendum argumentum, quo contendebatur, in Christo præter hypostasim Verbi esse aliam hypostasim creatam, eo quod hypostasis nihil aliud est secundum Boetium, quam substantia particularis, & in Christo præter hypostasim Verbi est quædã alia substãtia particularis, scilicet compositũ ex corpore, & anima. Ad hoc enim argumentum respõdens inquit: Ad secundum dicendum, „quod hypostasis significat substantiam „particularem non quocunque modo, „sed prout est in suo complemento: se„cundum vero quod venit in vnionem „alicuius magis completi, non dicitur „hypostasis, sicut manus, vel pes; & si„militer humana natura in Christo, „quamvis sit substantia particularis, quia „tamen venit in vnionem cuiusdam cõ„pleti, scilicet totius Christi, prout est „Deus, & homo non potest dici hypostasis, vel suppositum.

Cur in Christo non sit persona creata, quamvis sit substãtia creata, singularis, & indivisa S. Thom.

8 Probatur tertio, quia Patres disputantes cum Nestorianis, inde probant, non dari in Christo personam creatam, nimirum, quia humanitas illa non fuit producta vt per se existens, sed vt pars Christi. Quod patet ex authoritatibus adducendis disp. 21. sect. 4. item ex Boetio lib. de duabus naturis sic dissente: si non est vna persona in Christo, nulla vnio facta est divinitatis, & humanitatis, nisi secundum similitudinem gratiæ, quod etiam Nestorius posuit: ergo sentit omnino repugnare, quod humanitas verè, & propriè vniatur cum alio ad faciendum vnum per se, & tamen quod retineat conceptum personæ: ergo repugnat naturam creatam existere vt partem in aliquo digniori se, & tamen retinere rationem personæ.

9 Ratio autem â priori est, quia quod existit tanquam pars in aliquo digniori se, existit in illo toto tanquam in supposito, & non tanquam suppositum illius totius: quia pars vt pars non est sui, sed alterius, nempe totius, vbi hoc est aliquid completius, & perfectius parte secundum se, prout est omne totum resultans ex partibus finitis: totum vero resultans ex illis partibus, non est alterius, sed sui. Vt autem inquit optime Arreolus in tertium dist. 1. quæst. 1 art. 1. pág. „mihi 336. Suppositum debet significari vt hoc, & vt totum; natura vero, „& pars concipitur non vt hoc, sed vt huius. Quod prius docuerat D. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 2. in corpore inquiens: *Suppositum significatur vt totum*: ergo implicat, vt id, quod existit tanquam pars in aliquo toto digniori, & excellentiori, quam sit ipsum secundum se, retineat rationem personæ. Rursus, suppositum est id, quod simpliciter, & absolute subsistit: est id quod Aristoteles appellat *hoc aliquid*: est id, cui tribuuntur *operationes*, hæc autem omnia dumtaxat conveniunt toti, seu composito resultanti ex partibus finitis; nulli autem earum convenire possunt, nam pars existens in toto digniori se, non est quid simpliciter subsistens, vt enim inquit S. Thom. 1. p. quæst. 29. art. 2. *Ea subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt*, nec item *est hoc aliquid*, cum sit totius, & non sui, & cũ in illo, & non per se existat, nec denique parti tribuuntur operationes toti° tanquã principio quod, sed potius toti tribuuntur operationes partis; totum enim est, quod operatur. Quod demum confirmatur: nam teste D. Thom. 1. p. quæst. 29. art. 3. in corpore, *Persona significat id quod est perfectissimum in natura*. Ergo natura Michaelis vnita humanitati ad faciendum vnum per se cum illa non haberet rationem personæ; siquidem totũ ex vtraque resultans, esset perfectius illa: vnde illud totum potius foret ipsum suppositum.

Cur id quod existit tanquã pars in aliquo toto digniori se, nequeat retinere rationem suppositi.

Suppositum significatur vt totum.

Et vt hoc aliquid.

Quænã dicantur subsistere.

Persona significat id, quod est perfectissimũ in natura.

10 Constat ergo, personam creatam ob sui finitatem non posse alienam suppositare naturam; quia nequit vniri substantialiter alienæ naturæ, quin amittat rationem personæ. Econtra vero persona divina optime potest alienam suppositare naturam; non solum quia fides id docet

docet; nam *Verbum caro factum est*; sed quia aperta ratio id ostendit: nam persona divina ob sui infinitatem vnitur substantialiter alienæ naturæ, quin amittat rationem personæ, & suppositi; cum enim ipsa ob eam infinitatem contineat eminenter quidquid est perfectionis in toto illo denuo resultante ex ipsa, & humanitate; illud totum non est quid perfectius, completius, & dignius, quam persona Verbi secundum se, vnde existēs in illo toto, non existit in alio digniori, cui tribuantur ipsius operationes vt principio quod, & tanquam supposito; ac proinde non existit in illo composito incipiente in tempore tanquam in supposito, sed potius tanquam suppositum illius; nec propriè, & stricte est pars illius compositi substantialis incipientis in tempore, sed est totum illius totius, & totum illud est eminenter, & æquivalenter, quasi pars respectu Verbi; quia potius continetur à Verbo, quam contineat Verbum; potius est id, cuius operationes tribuuntur Verbo, quam id, cui tribuantur operationes Verbi: illud enim complexum substantiale, quatenus complexum substantiale, incipit in tempore, & est quid contingens, & quid creatum; implicat autem, vt operationes increatæ tribuantur alicui creato, vt tali, tanquam principio quod: nam esse principium quod, est aliquid pertinens ad excellentiam, & dignitatem, & est dominari operationibus; implicat autem vt aliquid creatum dominetur operationibus increatis: ergo implicat, vt aliquid creatum, vt tale, sit principium quod operationum increatarum.

11 Quod Verbum non existat in Christo tanquam pars, docet expressè D. Thom. opusc. 2. seu in compendio Theologiæ cap. 211. his verbis: Quia „persona, hypostasis, & suppositum de„signant aliquod integrum, si divina na„tura in Christo est, vt pars, & non vt „aliquid integrum, sicut anima in com„positione hominis; vna persona in Chri„sto non se teneret tantum ex parte na„turæ divinæ, sed esset quodam consti„tutum ex tribus; sicut & in homine „persona, hypostasis, & suppositum „est, quod ex anima, & corpore consti„tuitur: sed quia divina natura est ali„quid integrum, quod sibi assumpsit per „quandam ineffabilem vnionem, perso„na se tenet ex parte divinæ naturæ. Ani„ma vero, & corpus trahuntur ad per„sonalitatem personæ divinæ. Idem do„cet opusc. 3. contra Græcos, & Armen. vbi probat repugnare perfectioni divinæ naturę quod sit pars; *Nam hominis pars* (inquit) *imperfecta est*. Rationem nostram fusè hucusque propositam ad breves terminos redactam sic propono. Substātia finita nequit alienā suppositare naturam, quia nequit vniri cum illa ad faciendum vnum per se, quin amittat rationem suppositi: nam hoc ipso quod faciat cum aliena natura vnum per se, existit in illo tanquam in supposito, ac proinde nequit ibi existere tanquam suppositum: nam totum per se resultans ex partibus finitis præeminet cuilibet seorsim; ac proinde illud debet esse habens, & principium quod; pars vero debet esse habita, & principium quo. At substantia infinita ob prærogativam infinitatis vnitur alienæ naturæ ad faciendum vnum per se, quin amittat rationem suppositi: quia totum resultans ex Verbo, & humanitate, quatenus sic resultans, non est maius Verbo secūdum se, quod nobis sufficeret; immo est quid minus; quia inde resultat Christus vt homo, qui vt talis est minor. Patre, iuxta illud, *Pater maior me est*, ac proinde est minor Verbo secundū se, quia licet includat Verbum, non tamen vt perficiens humanitatem tantundem, ac seipsum: vnde Verbum in Christo vt homine non existit tanquam in supposito, sed tanquam suppositum.

SECTIO SECVNDA.

Infertur ex dictis, cur in Christo non detur persona creata, & quomodo ille sit persona composita.

12 ET hæc est ratio à priori, cur in Christo non detur persona creata, & incipiens in tempore: nam complexum illud substantiale resultans in tempore ex Verbo, & humanitate, in vi complexi, & quatenus est aliquod contingens, nequit comparari vt principium quod respectu operationum Verbi secundum se; alioqui Christus, vt homo, esset verè, & propriè principium quod Spiritus Sancti: compararetur autem, si foret persona, & suppositum: ergo non est. Probatur minor: nam vbi compositum est persona, & suppositum, operationes provenientes à partibus inclusis in illo toto verissime, & proprijssime tribuuntur illi; sic operationes

elicitæ ab anima, proprijsime tribuuntur homini. Rursus si compositum illud, vt tale, foret suppositum, partes constitutivæ illius existerent in illo tanquam in supposito, & illud esset suppositum illarum. Implicat autem vt Verbum existat in aliquo creato tanquam in supposito, & quod aliquid creatum sit suppositum Verbi: ergo repugnat vt compositum resultans ex Verbo, & humanitate, sit suppositum. Quare potius illud compositum existit in Verbo tanquam in supposito, quam Verbum in ipso.

14 Ex ijs deduco veram esse sententiam Durandi, Paludani, Ricardi, Alexandri, Bonaventuræ, & Altisyodorensis, qui apud Patrem Vazquez, tom. 1. in tertiam partem disp. 69. cap. 2. affirmant hanc propositionem esse falsam: *Christus in quantum homo est hypostasis, seu persona.* Non solum ob rationem, quã ipsi reddunt, nimirum, quod illa reduplicatio denotat humanitatem esse causam, cur Christo conveniat esse personam, quod est falsum: sed etiam, quod Christus, vt homo, est quid contingens, & creatum; nihil autem creatum est in Christo persona: alioqui daretur in Christo duplex persona, nẽpe persona increata Verbi, & persona creata.

Hæc suppositio est falsa: Christus in quantum homo, est persona.

15 Deduco secundo: in quo sensu Christus sit persona composita; quod docent Theologi cum Divo Thoma 3. p. quæst. 2. art. 4. vt videre est apud Patrem Vazquez disp. 16. & apud Patrem Suarez disp. 6. sect. 4. conclusione 3. dicendum namque est, esse personam compositam, non quidem compositione efficiente personam, sed afficiente, & denominante personam iam præexistentem, & illam constituente in ratione hominis: nam compositio illa si efficeret personam, daretur in Christo duplex persona, altera, quæ efficeretur per vnionem hypostaticam in tempore; altera quæ produceretur per generationem abæterno. Ratio à priori est, quia compositum illud resultans ex Verbo, & humanitate physice inter se vnitis, quatenus compositũ ex ijs, non est persona, quia non est aliquid perfectius Verbo secundũ se, sed potius quodam modo minus perfectum; quia illud compositum, vt tale, est quid contingens, & creatum: quod autem est quid creatum, minus perfectũ est, quam Verbum secundum se; vtpotè quod formaliter includit omnem perfectionem sine imperfectione. Quare licet Verbum imbibatur in illo composito, minus tamen illud perficit, quam ipsum sit perfectum quoad se. Ac proinde illud compositum eminenter se haberet vt pars respectu Verbi, estque potius habitum à Verbo quam habens Verbum: Et in hoc sensu veram censeo sententiam Durandi, qui asseruit in Christo dari compositionem *huius ad hoc*, nempe Verbi ad humanitatem, non tamen *huius ex ijs*: si enim velit dicere Christum non esse personam compositam ex Verbo, & humanitate: sed solum esse personam divinam compositam, & vnitã ad humanitatem; ita vt ex hac compositione non resultet denuo persona; verissime censet. Si vero neget dari ibi aliquam veram compositionem ex Verbo, & humanitate, falso loquitur, & in hoc sensu illum impugnat Pater Vazquez ea disp. 16. cap. 3.

In quo sensu Christus sit persona composita.

Compositum resultans ex Verbo, & humanitate vt tale, est minus perfectũ, quã Verbum secundum se.

In Christo datur compositio huius ad hoc, non tamen huius ex ijs.

16 Sed dices: omnis compositio est ex partibus: Sed Verbum Divinum non potest habere rationem partis, quia omnis pars habet rationem imperfecti: ergo quia impossibile est, quod Christi persona sit composita. Respondeo cum D. Thom. 3. p. q. 2. art. 4. ad 2. „ Quod illa compositio, quæ datur in „ Christo ex divinitate, & humanitate „ non dicitur esse ratione partium, sed „ potius ratione numeri; sicut omne il„ lud, in quo duo conveniunt, potest „ dici ex ijs compositum.

SECTIO TERTIA.

Alia ratione ostenditur, proprium esse personæ infinitæ alienam terminare naturam.

17 PRIMA sectione ostendi non posse naturam Angelicam vniri humanæ, & simul retinere rationem suppositi; ac proinde non posse suppositum Angelicum humanam terminare naturã, & in illa subsistere, tanquam hypostasis illius: ad modũ quo suppositum divinũ humanam terminavit naturã exercendo respectu illius munus suppositi, personæ, seu hypostasis: modo autẽ alia via longe diversa contendã, substantiam Angelicã non posse exercere munus suppositi respectu naturæ humanę, quamvis posset ipsi vniri, & in sensu composito huius vnionis retinere propriã suppositalitatem, sicut Verbum Divinum retinet propriam rationem suppositi, dum vnitur naturæ humanæ.

Ante

18 Antequam autem conclusionem probem, prius declarabo quid sit suppositare aliquam naturam, seu esse suppositum, hypostasim, seu personam illius. Igitur esse hypostasim, suppositum seu personam alicuius naturæ idem est, ac esse *id cui tribuuntur operationes talis naturæ*, vt loquitur Divus Thomas 3. p. quæst. 2. art. 3. in corpore S. Thom. verba sunt: Hypostasis est, cui tribuuntur operationes, & proprietates naturæ, & ea etiam, quæ ad naturæ rationem pertinet in concreto: dicimus enim quod hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationale: & hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia sicut licet supponitur ijs, quæ ad hominem pertinent eorũ prædicationẽ recipiens. Vnde dimanuit illud vulgare proloquiũ, *Actiones sunt suppositorum*: quia nimirum actiones dimanantes à natura, proprie tribuuntur supposito illius naturæ, seu supposito subsistenti in illa natura. Hinc familiare est Divo Thom. dicere, quod Verbum Divinum subsistit in duplici natura, in divina scilicet, & humana, vt patet ex 3. p. quæst. 2. art. 3. ad primum & art. 4. in corpore; vbi inquit: *Persona Christi subsistit in duabus naturis.* Et apud eundem idem est esse personam, ac esse subsistens in rationali natura; vt patet ex 1. p. quæst. 29. art. 3. in corpore vbi ait: Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, id est subsistens in rationali natura. Subsistere autem in aliqua natura idem est ac esse rectum illius naturę de quo scilicet ipsa, & eius operationes prædicantur in concreto, vt subsistere in humana natura est esse hominem, & esse hominem idem est, ac habere humanitatem; vt enim ex Damasceno docet D. Thom. opusc. 48. & 3. p. q. 4. art. 3. in corpore, & q. 13. art. 1. *Homo de suo principali significato dicit habens humanitatem; eaque ratione Verbum dicitur subsistere in humanitate, & esse hominem, quia est habens humanitatem*; nequit enim in alio sensu homo prædicari de Verbo, vt optime expendit Caiet. 3. p. q. 3. art. 2.

Præmittitur, quid sit suppositum hypostasis, & persona.

Omne concretum directe supponit pro habente formam.

19 Et vniversaliter omne concretum directe supponit pro habente formam. Vt enim optime observat Hærveus quodl. 3. q. 6. art. 2. Concretum, & abstractum in eo differunt ex modo significandi, quod abstractum semper significat naturam, qua aliquid est tale, vt humanitas illud, quo homo est homo formaliter; concretum semper significatur vt habens. Quod etiam observavit Durandus in primum dist. 34. q. 1. his verbis: *Concretum directe supponit pro habente formam, abstractum vero pro forma habita.* Et sicut in concretis substantialibus esse concretum alicuius naturæ est subsistere in illa, ita in accidentalibus esse concretum alicuius formæ, est subsistere in illa; quæ phrasis non est inusitata apud Divum Thomam; nam 3. p. quæst. 3. art. 1. ad secundum. Sic habet: Non est contra conceptũ personę sic communicari, vt subsistat in pluribꝰ naturis: quia etiã in personam creatã possunt plures naturæ concurrere accidentaliter, sicut in persona vnius hominis invenitur quantitas, & qualitas. Idem autem est subsistere in pluribus naturis accidentalibꝰ, ac subesse pluribus accidentibus, tanquam id, cuius sunt illa accidentia: subsistere enim tunc perinde est, ac existere sub accidentibus, tanquam subiectum illa sustentans; & idem est subsistere in diversis naturis substantialibus, ac subsistere illis; seu sub illis existere, non quidem tanquam subiectum inhæsionis, sed tanquam subiectum prædicationis, cui scilicet proprie tribuuntur operationes illarum naturarum, & tanquam id, cuius sunt illæ naturę. Quod patet ex eodẽ D. Thoma 3. p. quæst. 2. art. 3. ad primum vbi sic habet, Manifestum est, quod alteritas, quæ provenit ex differentia accidentali, potest ad eandem hypostasim vel personam pertinere in rebus creatis: eo quod idem numero potest diversis accidentibus subesse: non autem cõtingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere possit diversis essentijs, vel naturis, sed vnus, & idem Christus subsistit in duabus naturis.

Subsistere pluribus naturis, tum accidentalibus, tum substantialibꝰ, quid significet.

20 Vnde P. Molina 1. p. q. 29. art. 2. disp. 3. §. *Tertio modo* inter alias acceptiones huius Verbi subsistere, ponit hanc, vt perinde sit subsistere, ac sub alijs omnibus sistere, seu esse: *Quod solis* (inquit) *rebus incommunicabilibus, suppositis ve conuenit*; vnde in hac acceptione subsistere, & esse suppositum, idem sunt, quandoquidem suppositum idem est, ac sub omnibus positum, quod soli individuæ, id est incommunicabili substantiæ convenit.

Quid sit subsistere.

21 Quare esse suppositum alicuius naturæ, & subsistere in illa, idem est, ac esse id, cui primo tribuuntur tanquam basi, & fundamento naturæ omnia quæ de natura dicuntur; idem ac esse

id, quod in prædicatione subijcitur omnibus ijs, quæ de natura enuntiantur; ita vt suppositum naturæ sit id quod habet naturam, eiusque actionibus denominatur, & vt suas respicit. Vnde si suppositum distinguatur realiter à natura, cuius est suppositum; hæc comparari debet cum illo vt entis ens, vt scilicet suppositum sit *hoc aliquid*, *hoc subsistens*, natura vero si huius: ad modum quo apud Aristotelem sola substantia est ens simpliciter, accidentia vero sunt entis ens, quia non sunt sui, sed substantiæ: substantia est *hoc aliquid*, *id est id*, *quod* est simpliciter, accidentia vero sunt id, quo substantia habet tale vel tale esse. Et hoc pacto comparatur humanitas Christi cum persona Verbi, vt enim docet Rusticus Cardinalis in Dialogo contra Azephalos, qui habetur tom. 6. Bibliotecæ novæ, quamvis humanitas Christi nullo modo sit accidens, habet tamen in Christo modum essendi similem accidenti, quia comparatur cū Verbo sicut obliquum cum recto, & non dat Verbo esse simpliciter, sed esse secundum quid, nempe esse hominem; quod perinde comparatur respectu Verbi, sicut esse album respectu hominis; sicut enim homo antecedenter ad albedinem intelligitur esse simpliciter, ita Verbum antecedenter ad vnionem cum humanitate. Vnde Divus Thomas 3. part. quæst. 3. art. 1. ad tertium sapienter dixit: Natura humana non constituit personam divinam simpliciter, sed constituit eam secundum quod denominatur à tali natura; non enim ex natura humana habet filius Dei quod sit simpliciter, cum fuerit abæterno, sed solum quod sit homo.

Humanitas in Christo habet modum existendi similem accidenti.

22 Id opportunè notavit Ioannes de Neapoli quæst. 9. punt. 3. vbi cum dixisset modum essendi proprium substantiæ esse, quod sit alteri non innixa, & modum essendi proprium accidentis, quod sit alteri innixum, seu inhærens; quatuor essentiarum genera distinguit. Est enim quædam essentia substantialis quantum ad rem, & quantum ad modum, vt humanitas sortis; est alia accidentalis quantum ad rem, & quantum ad modum, vt albedo sortis. Est & alia tertia accidentalis quantum ad rem, & substantialis quantum ad modum, vt quantitas Eucharistica; est denique alia substantialis quantum ad rem, & accidentalis quantum admodum, & hæc est humanitas Christi, quæ realiter quidem est substantia, vtpotè non indigens inniti alteri, vt videlicet sit in rerum natura: habet tamen modum accidentis, non quidem quantum ad hoc quod sit inhærens sicut accidens, sed quia est innixa supposito alterius naturæ, divinæ scilicet, sicut accidens innititur supposito alterius naturæ videlicet substantiæ. Hinc Divus Augustinus, & Scotus apud Bellarminum lib. 3. de Christo cap. 8. modum quo Verbum sustentat humanitatem, & suscipit prædicationem eorum, quæ dicuntur de humanitate, comparant modo, quo substantia sustentat accidentia, & suscipit denominationem eorum, quædicuntur de accidentibus, ab illisque denominatur. Ait que Augustinus hāc propositionem *Deus est mortuus*, esse similem huic *Philosophus est mortuus*: vt enim Philosophia non est capax mortis, & tamen *Philosophus* dicitur mortuus, quando ille homo perit, qui erat Philosophus: sic etiam licet divinitas non possit mori, vere tamen Deus mortuus dicitur, quia ille homo mortuus est, qui erat etiam Deus. Solum datur discrimen, quod substantia sustentat accidentia per modum causæ materialis, ab illisque perficitur: Verbum vero seclusa omni imperfectione modo sustentat humanitatem. In hoc autem datur vtrobique paritas, quod nec accidens est sui, sed substantiæ; nec humanitas est sui, sed Verbi, & sicut accidens est purum *quo* in ordine ad operandum; ita & humanitas, & sicut quando substantia est libera, & mediis facultatibus accidentalibus elicit operationes liberè, istæ primario subiacent substantiæ, & sunt sub ipsius denominatione: ita operationes illius humanitatis vnitæ Verbo, tribuuntur Verbo vt principio quod vere continenti illas actiones, & dominanti super illas.

Modus quo Verbum sustentat humanitatem, est similis modo, quo substantia sustentat accidētia ablatis imperfectionib⁹.

Doctrina Ioannis de Napoli notatu digna.

23 Hoc iacto fundamento, iam argumentum conficio ad probandum non posse suppositum Angelicum v.g. supposítare naturam humanam, id est non posse Angelum fieri hominem; sed hoc esse privilegium suppositi infiniti ob eius infinitatem. Sic igitur argumentor. Esse suppositum naturæ humanæ est esse id, cui proprie tribuantur operationes naturæ humanæ, sed Angelus nequit esse id, cui proprie tribuantur operationes naturæ humanæ; ergo &c. Probo minorem: nam is, cui proprie tribuuntur operationes

Confirmatur ex dictis ratio.

nes

nes naturæ humanæ, verè, & propriè debet dici peccans peccante humanitate, & merens illa merente; at Angelus nequit verè & propriè dici peccans peccante humanitate; nec Deus potest facere vt sit id, cui propriè tribuantur hę, & aliæ omnes operationes humanitatis: ergo &c. Probatur minor, quia Angelus vnitus humanitati non est capax, vt ipsi tribuatur peccatum humanitatis præcisè quia illi vnitus est, nisi ex vi illius vnionis teneatur regere humanitatem, eiusque peccata impedire: hoc autem est impossibile, quia cum actiones humanitatis non dependeant ex se ab Angelo vt à principio, nec ex vi illius vnionis Angeli cum humanitate hanc dependentiam incipiant habere, sanè suppositа quacunque vnione Angeli cum humanitate, poterit voluntas humana quocunque voluerit seipsam flectere: quin Angelus valeat eam ab operando cohibere: ergo per nullam vnionem sui cum humanitate potest Angelus subire obligationem regendi humanitatem; hæc enim obligatio supponit perfectum dominium Angeli supra humanitatem flectendi illam quo voluerit; quod dominium, nec Angelus ex se habet, nec acquirere potest mediante vlla vnione; vt enim docēt Theologi cum Divo Thoma 1. 2. quæst. 9. art. 6. proprium est solius Dei movere voluntatem ad suos actus: ergo Angelus nequit esse suppositum naturæ humanæ. Quare cum solus Deus sit principium influens cum humanitate ad suos actus, nullaque alia substantia hoc habeat; solus Deus est qui potest fungi munere suppositi respectu illius: nam cum ex se sit principium illorum actuum, si accedat vnio ad humanitatem erit principium intimum, cui proprijssime tribuantur operationes illæ.

Angelus adhuc vnitus humanitati non teneretur illam regere.

24 Dices posse Deum elevare Angelum vt concurrat cum humanitate ad omnes suos actus: ergo poterit Angelus saltem suppositа illa elevatione fungi munere suppositi respectu naturę humanæ. Respondeo primò, antecedens esse falsum; quia actus humanitatis postulant provenire ab ipsa; vt à principio proximo; & à Deo vt à causa prima: non postulant autem adhuc vage provenire à substantia Angeli: nequit autem causa elevari ad productionem effectus non postulantis, vel determinatè, vel saltem vagè provenire ab illa, vt ostendi in physicis. Repondeo secundo admisso antecedenti, negando consequentiam, primo, quia concursus ille præstandus ab Angelo minime esset necessarius vt humanitas eliciat suas operationes, v. g. actus liberos; quia ad hos eliciendos satis est concursus ipsius animæ, & concursus causæ primæ; neutrumque horum supplere posset Angelus, vt patet, nam concursus causæ primæ insupplebilis est, & etiam concursus Voluntatis in actionem liberam, cum implicet esse liberam immediate voluntati actionem illam, quæ non oritur immediate à voluntate: ergo posset humana natura elicere operationes omnino independenter ab Angelo; ergo Angelus non foret suppositum terminans naturam humanam, quia implicat esse suppositum alicuius naturæ id, cui tribui non possunt operationes omnes naturæ. Secundò, quia suppositum alicuius naturæ est id cui ex natura rei tribuuntur operationes naturæ, hoc ipso quod sit suppositum terminans naturam, quam rationem suppositi illius naturæ debet habere per formam intrinsecam (nec enim esse suppositum alicuius naturæ potest esse denominatio extrinseca) nimirum, vel quia identificatur realiter cum natura, vel illi physicè vnitur; ergo si Angelus ex vi vnionis cum humana natura præcisè, & secluſa omni elevatione extrinseca nequit esse id, cui tribuantur omnes operationes naturæ, sanè Angelus incapax est suppositare humanam naturam.

Concursus voluntatis in actionē liberam nequit ab alio suppleri.

Nequit Angelus elevari ad concurrendum cū humanitate ad omnes actus illius.

25 Confirmatur primò: esse suppositum alicuius naturæ est esse rectum illius naturæ, esse ens primum intimè, qua ratione humanitas Christi non est suppositum; nam vt sapienter inquit Pater Antonius Perez Assertion. 191. „Hoc ipso quod vniatur Verbo non „est iam primum intime, quia suppo„nit aliud prius, & vnitum, scilicet „ipsum Verbum. At Angelus nequit esse rectum humanitatis, nec ens primum intime relate ad illam; quia ad hoc requirebatur vt esset ex se Angelus prior naturā respectu humanitatis, ad hoc vt accedente vnione fieret primum intimè.

26 Confirmatur secundo: esse suppositum alicuius naturæ est esse principium quod intimum respectu operationum talis naturæ; ad quod duo requiruntur, nimirum, & esse principium

& esse intimum, horum alterum habet Verbum Divinum ex se cum ex se sit principium perfectissimè influens in omnes operationes naturæ humanæ: alterum autem nempe esse intimum habet media vnione hypostatica. At Angelus ex se non habet esse principium operationum humanæ naturæ; nec ratione vnionis potest hoc accipere: ergo media vnione nequit constitui in ratione principij intimi operationum naturæ humanæ, ergo nec in ratione suppositi naturæ humanæ; id est suppositantis naturam humanam. Quare sola illa substantia erit capax terminandi alienam naturam vt suppositum, & hypostasis eius, quæ ex se fuerit principium omniū operationum ipsius, hæc enim sola mediante vnione constitui potest in ratione principij intimi primi respectu omnium illarum: vnio enim dare potest rationem intimi, non autem rationem principij. At sola substantia increata hoc habet; ergo, &c.

Suppositum alicuius naturæ debet esse ex se principium operationum illius.

27 Confirmatur: nequit Angelus sustentare naturam humanam in vllo vero sensu: ergo nequit esse suppositum eius. Patet consequentia: quia proprium est suppositi terminantis naturam alienam illam sustentare. Hinc proloquium est Doctorum omnium (inquit Bernal disp. 12. num. 76.) *Humanitatem pendere à Verbo tanquam à sustentante*, quia ab illo suppositatur. Hinc suppositum dicitur subsistere in natura, seu subsistere naturæ, quam terminat, quia illam sustentat in rei esse. Hinc iuxta Divum Thomam 3. p. quæst. 3. art. 1. ad secundum, & quæst. 2. art. 3. ad primum potest idemmet suppositum creatum subsistere in diversis naturis accidentalibus: *Quia potest*, inquit, *idem numero diuersis accidentibus subesse*. Non tamen potest subsistere in diversis naturis substantialibus, eo quod (inquit) *In rebus creatis non possit idemmet subsistere in diuersis essentijs, vel naturis*. Subsistere autem diversis naturis idem est, ac illas sustentare. Iam probatur antecedens: nam Angelus non potest sustentare naturam humanam in genere causæ materialis, hæc enim nequit dependere ab Angelo tanquam à subiecto: nec in genere causæ finalis, vt patet: nec in genere causæ efficientis, quia nequit Angelus creare animam, & materiam quibus homo constat: immo nec eius vnionem efficienter attingere, quia iuxta sententiam communem, nequit Angelus extra se, nisi motum localem producere: nec denique in genere causæ formalis; quia sustentare hoc modo naturam est reddere illam subsistentem, & facere vt in se existat independenter ab alio: quod præstare nequit Angelus; hoc enim munus non est proprium suppositi alieni, sed subsistentiæ propriæ: vnde infra constabit Verbum non reddere subsistentem humanitatem Christi. Sola ergo persona infinita potest suppositare naturam alienam: quia sola persona infinita potest illam in genere causæ efficientis intimæ sustentare: quia media vnione fit intima, & ex se est principium efficienter sustentans quancunque naturam creatam.

In nullo genere causæ potest Angelus sustentare naturam humanã.

28 Ex his deduces, non solum falsam quoad factum ipsum, sed omnino chymæricam esse sententiam Origenis, qui vt testatur Divus Hieronymus in Prologo super Malachiam, censuit Ioannem Baptistam, & Malachiam fuisse Angelos, qui suapte nimirum perfectione assumpsissent hypostatice naturas istorum. Item sententiam Tertuliani, qui pariter in lib. de carne Christi existimavit, Angelos assumpsisse hypostatice illa corpora, in quibus perhibebantur sæpe apparuisse hominibus, vt Genesis 18. & 19. lib. 6. Daniel 8. & 9.

29 Quare vt docet D. Hieronymus Agæi 1. Malachias, & Baptista non ideo in Scriptura appellantur Angeli, quia in suo esse verè fuerint Angeli; sed propter officium, quia nimirum fuerunt nuncij divinitus missi; Angelus enim idem est ac latinè nuncius, vt enim Gregorius ait, *Nomen est officij, non naturæ*; Angeli autem qui in Scriptura leguntur apparuisse in specie humana, Viri dicuntur, vt apud Danielem vbi supra, *Ecce Vir Gabriel*; non quia re vera homines facti fuerint, sicut Deus factus est homo, sed quoniam Viri videbantur, loquebantur, agebantque vt Viri, vt enim docent Theologi omnes, & videre est apud Patrem Valentiam tom. 1. quæst. 2. de Angelis punt. 1. solum erant vniti illi Angeli illis corporibus, tanquam motores; illaque corpora ex aere tantum condensato fuerunt compacta in speciem humanam.

30 Infero secundo ex dictis aliter Verbum suppositare naturam humanam Christi, quam suppositat personalitas Petri eius naturam; nam Verbum suppositat vt

sitat vt quod: est enim hypostasis, suppositum, & persona illius naturæ, vt enim Damascenus ait libr. 3. fidei cap. 11. „paulo post initium, Verbum assumpsit naturam in individuo considerata, „non quæ secundum seipsam subsisteret, & individuum prius esset, & sic „ab ipso assumpta, sed quæ in eius hypostasi subsisteret: nam ipsa hypostasis „Dei Verbi facta est carni hypostasis. Et paulo post medium eiusdem capitis „ait: Naturam Verbi incarnatam esse, „est vnitam esse carni, & carnem factū „esse Verbum, est ipsam Verbi hypo„postasim invertibiliter factam esse car„nis hypostasim, & in eodem lib. cap. 2. „ad medium: Ipsumm autem Dei Ver„bum carni suppositū hypostasisque est „non enim ei, quæ secundum seipsam an„tea subsisteret suppositumque esset, vni„tus est Deus Verbum, sed Sanctæ inha„bitans Virginis vterum in sua hypo„stasi, supposito, subsistentia, persona, „ex castis semper Virginis sanguinibus „carnem animatam anima rationali, & „intellectuali sustentavit, primitias assu„mens humanæ conspersionis, ac mas„sæ ipsum Verbum carni factum hypostasis. At vero personalitas creata quatenus est quid superadditum naturæ præcisè suppositat vt quo, ad summum enim est aliquis modus substantialis complens naturam Petri in ratione suppositi, ipse tamen non est suppositum vel persona, tum quia persona debet esse aliquid per se existens, debet esse hoc aliquid, debet esse id cui tribuuntur operationes naturæ,

Verbum suppositat naturam humanam vt quod.

31 Nihil autem horum convenit illi modo perfectatis, qui & inhæret naturæ, & est aliquid illius, nec naturæ, eiusque actionibus denominatur, tum quia persona secundum Divum Thomam significat id quod est perfectissimum in natura, nempe subsistens in natura rationali, ille autem modus hoc non habet, vt ex terminis est manifestum. Tum quia suppositum naturæ humanæ est homo; ridiculum autem foret dicere modum illum perfectatis esse hominem, nam teste Divo Thoma 3. part. quæst. 4. articulo 3. in corpore, & quæst. 13. articulo 1. & opusculo 48. & teste Damasceno apud eundem, *Homo idem est, ac habens humanitatem.* Denominatio autem habentis humanitatem nequit cadere supra illum modum, quia est denominatio excellentiæ, & perfectionis, vt enim inquit Philosoghus in libr. 6. princip. cap. vltimo & 7. metaphysic. textu 79. *Semper quod est principale est habens*: denominatio autem eiusmodi cadit supra id, quod in vnoquoque perfectissimum est, nempe supra naturam ipsam humanam, quæ est substantia simpliciter, non autem supra modulum illum, qui substantia non est simpliciter, sed aliquid substantiale ad summum, reductive tantum pertinens ad prædicamentum substantiæ.

Contra vero personalitas creata suppositat dumtaxat vt quo, ad summum enim est modus.

32 Ex his infertur tertio aliud discrimen inter munus, quod præstat subsistentia Verbi respectu humanitatis. Et illud quod præstat modus subsistentiæ respectu humanitatis Petri: nam iste modus est subsistentia vt quo præcisè, & nullo pacto est subsistens vt quod. Vnde solam naturam Petri reddit subsistentem vt quod. Subsistentia autem Verbi est in se subsistentia vt quod, seu subsistentia subsistens: & respectu humanitatis non exercet munus subsistentiæ vt quo ita scilicet vt denominatio subsistentis vt quod cadat supra humanitatem Christi, & proveniat à subsistentia Verbi tanquam à forma, sicut denominatio subsistentis vt quod cadit supra humanitatem Petri, & provenit à modo perfectatis tanquam à forma, vel complemento vltimo formæ denominantis. Hæc illatio mihi videtur evidentissima, & probatur apertè primo: nam si subsistentia verbi redderet subsistentem vt quod humanitatem, eam constitueret in ratione personæ creatæ, & puri hominis, ac proinde duplex in Christo foret persona, altera creata, nempe ipsa humanitas per se subsistens, altera increata nempe ipsum Verbum; quod & in se est persona, & humanitatem compleret in ratione personæ, sicut eam compleret in ratione personæ subsistentia propria, si ea gauderet. At consequens est contra fidem docentem contra Nestorium, in Christo vnicam esse personam. Sequela autem ostenditur, nam purus „homo nihil aliud est, quam natura „humana individua per se subsistens, vt ex communi Doctorum consensu tradit Lessius libr. 12. de perfectionibus divinis numero 24. ergo si subsistentia Verbi redderet naturam humanam per se subsistentem, omnino illam

Subsistentia vt quo subsistēs reddit naturam subsistentem vt quod.

Verbum autē non ita, quia non subsistit vt quo, sed vt quod.

compleret in ratione personæ. Foret ergo humanitas Christi persona, licet in ratione talis compleretur per aliquid increatum; sed non foret persona ipsa Verbi; nam persona Verbi est ipsum Verbum: humanitas autem licet redderetur subsistens ratione Verbi, non propterea esset ipsum Verbum, ergo foret persona distincta à persona Verbi: ergo daretur in Christo duplex persona.

33 Confirmatur: nam vt expendimus sect. 1. suppositum nihil aliud est quam substantia completa subsistens, & incommunicabilis, vt ex communi docet P. Suarez disp. 34. metaph. sect. 1. At humanitas ex se est substantia completa, & incommunicabilis; cum ex se sit impotes existere in pluribus per identitatem; (quæ est incommunicabilitas quæ ponitur in definitione personæ; defectu cuius hic numero Deus non est persona) ergo si aliunde redditur absolute subsistes vt quod per subsistentiam Verbi; nihil ei deerit ad rationem personæ.

34 Probatur deinde illatio, nam humanitatem Christi reddi subsistentem *vt quod* ratione subsistentiæ Verbi sibi cõmunicatæ media vnione hypostatica, est implicatio in terminis nam vel esse subsistens simpliciter, est idem ac omnino existens per se, qui effectus à nobis explicatur per negationem existendi in alio quovis modo: *Nam quod in alio quocunque modo est*, (inquit P. Vazquez 3.p disp. 31. num. 33. & disp. 32. num. 19.) *Quomodo dicetur per se esse?* Esse enim per se idem est, quod in se, & non in alio esse, vt ait ibidem idem Vazquez 3 & vt loquitur D. Thom. 1.p. quæst. 29. art. 2. *Ea subsistere dicimus quæ non in alio, sed in se existunt.* Et iuxta hanc significationem *subsistentis*, evidens est humanitatem Christi non esse subsistentem *vt quod* ratione subsistentiæ Verbi sibi vnitę, nam ratione vnionis ad Verbum redditur simpliciter existens in alio nempe in Verbo tanquam in supposito, & in Christo tanquam in toto ipsam continente vt partem. Vel esse subsistens simpliciter idem est ac esse sub omnibus alijs existens; id est esse id quod suscipit omnia quæ dicuntur de natura tanquam subiectum prædicationis. Et hoc pacto evidens quoque est humanitatem Christi non subsistere; nam cum ipsa existat in Christo, Christus, seu persona Verbi est quæ suscipit prædicationem eorumque in concreto dicuntur de humanitate.

Humanitas non existit sub omnibus alijs vt subiectum prædicationis.

35 Consulatur Pater Molina 1. p. quæst. 29. art. 2. disp. 3. vbi docet hoc Verbum *subsistere* tribus modis vsurpari, primo vt idem sit ac per se existere, id est independenter ab alio tanquam à subiecto: in hoc autem sensu humanitas Christi non per subsistentiam Verbi, sed per seipsam subsistit; quia hoc habet omnis substantia ex suo conceptu. Secundo vt idem sit, ac omnino & absolute per se esse, ita vt in sua existentia non pendeat ab aliquo cui quasi inexistat, & à quo sustentetur. Et in hoc sensu humanitas Christi non subsistit (inquit Molina ibi §. *Nulla item*) quia vt modo per Incarnationem habet esse in Christo, pendet à Verbo Divino, cui quasi inexistit, & à quo sustẽtatur. Tertio vt idem sit, ac sub omnib⁹ alijs sistere, seu esse: quo solis rebus incommunicabilibus, suppositiſve convenit. Vnde in hac acceptione (inquit) subsistere, & esse suppositum idem sunt: quãdoquidem suppositum idem est, ac sub omnibus positum, quod soli incommunicabili substantiæ convenit, ac proinde non convenit substantiæ, quæ alteri communicatur actu, qualis est humanitas Christi: ergo in nullo vero sensu verificari potest de humanitate Christi, quod sit simpliciter, & absolute subsistens vt quod: vt enim ait Vazq. 3. p. disp. 71. num. 11. quod per alienum, vel in alieno supposito subsistit, non est absolute, & simpliciter subsistens. Nec Patres, & Concilia vsquam docent humanitatem reddi subsistentem per subsistentiam Verbi, sed solum docent humanitatem subsistere, seu existere in Verbo, & Verbum subsistere in humanitate modo, quod perinde dictu est, ac Verbum esse hypostasim humanitatis. Consulatur D. Thom. 3.p. quæst. 2. art. 3. ad primum, & artic. 4. in corpore, & Damascenus cap. 27. Dialecticæ vbi sic „ ait: Caro Domini non subsistens secũ„ dum seipsam, non hypostasis, sed ma„ gis enhypostatos est, in hypostasi enim „ Verbi Dei subsistit assumpta ab ipsa, & „ hanc habuit, & habet hypostasim. Cõsulatur P. Suarez disp. 14. de Incarnatione sect. 1. §. *Dices*, vbi ait naturam assumptam non subsistere in se, sed in alio, quod proprie dicitur subsistere in illa.

Triplex significatum Verbi *subsistere*.

SECTIO QVARTA.

Ratio perſuadens non poſſe perſonam creatam alienam ſuppoſitare naturam.

36 QVIA Angelicus Doctor D. Thom. 3. p. quæſt. 3. art. 1. ad ſecundum ait, „proprium eſſe perſonæ infinitæ propter „ eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus „ naturarum ſecundum ſubſiſtentiã. Cum illo, & cum communi noſtrorum Doctorum aſſerimus perſonã creatam non poſſe alienam ſuppoſitare naturam, ſed id eſſe privilegium perſonæ infinitæ ob eius infinitatem; ac proinde dicimus non potuiſſe de potentia abſoluta Angelum fieri hominem. Omiſsis autem rationibus, quæ communiter circunferuntur à Doctoribus ad hoc aſſerendum, quia illas nõ cenſemus efficaces: ſententiam communem hac ſingulari confirmamus ratione.

Michael v. g. nequit humanitatẽ ſuppoſitare, quin hoc ipſo deſinat eſſe perſona.

37 Si perſona creata alienam nequit ſuppoſitare naturam, quin amittat rationem perſonę, & ſuppoſiti; id planè ei abſolute repugnat. Tum quia id quod aliquis exercere nequit ſine ſui deſtructione, abſolute non poteſt: tum quia munus ſuppoſitandi alienam naturam cum eſſentialiter afferat ſuppoſitum, nequit illud perimere; ſicut munus reddendi intelligentem nequit intellectionem deſtruere. At perſona creata nequit alienam ſuppoſitare naturam, v.g. Michael humanitatem, quin amittat rationem perſonæ. nam perſona iuxta illam celebrem Ricardi Victorini definitionem ab omnibus Theologis acceptam eſt *rationalis naturæ incõmunicabile ſubſiſtens*: Quæ denominatio *ſubſiſtentis vt quod* in creatis cadit præcipue, & in recto ſupra naturam, ipſa enim eſt ſubſiſtens, & principium quod ſuarum operationum, non autem modus ſubſiſtendi, & perfectatis. Natura vero Michaelis nequit ſuppoſitare humanitatem, quin amittat rationem perſonæ: quia nequit hoc præſtare, quin ei vniatur vnione ſubſtantiali ad faciendum vnum per ſe cum illa, & nequit ſic vniri quin amittat rationem perſonæ, & ſuppoſiti: nam hoc ipſo exiſtit in alio digniori ſe, nempe in toto illo reſultante ex ipſa, & humanitate: nam finitum aditum finito facit maius, & totum eſt maius ſua parte, quando hæc eſt finita, & non continens eminenter aliam. Quod autem exiſtit in toto digniori ſe, hoc ipſo exiſtit in illo tanquã in ſuppoſito, & iam non eſt ſuppoſitum vt enim inquit Angelicus Doctor Divus Thomas 3. p. quæſt. 2. art. 2. ad tertium. „Non quodlibet individuum in genere „ ſubſtantiæ etiam in rationali natura, „ habet rationem perſonæ, ſed ſolum il„ quod per ſe exiſtit, non autem quod exi„ ſtit in alio perfectiori. Vnde manus „ fortis quantumvis ſit quoddam indivi„ duum, non tamen eſt perſona, quia non „ per ſe exiſtit, ſed in quodam perfe„ ctiori, ſcilicet in ſuo toto: ergo de primo ad vltimum perſona creata ob ſui finitatem nequit alienam ſuppoſitare naturam.

38 E contra vero perſona infinita poteſt venire in compoſitionem ſubſtãtialem cum aliena natura, quin exiſtat in alio digniori ſe, ac proinde quin amittat rationem perſonę, & totalitatem propriam ſuppoſiti; cum enim finitum additum ſimpliciter infinito non faciat maius, totum per ſe reſultans ex natura creata, & perſona divina non eſt quid dignius, & completius perſona divina ſecundum ſe, ac proinde hæc non exiſtit in illo tanquã in ſuppoſito, ſed potius tanquam ſuppoſitum illius. Et ita Verbum Divinum eſt ſuppoſitum Chriſti, non tamen exiſtit in Chriſto tanquam in ſuppoſito.

Finitum additum infinito, nec maius, nec perfectius, facit.

39 Brevius ſic: ſi Angelus nequit retinere rationem ſuppoſiti hoc ipſo quod vniatur cum natura humana ad faciendum vnum per ſe cum illa, profecto Angelus nequit ſuppoſitare naturam humanam, & eſſe homo: quia munus ſuppoſitandi nequit rationem ſuppoſiti deſtruere. At Angelus nequit vniri cum natura humana ad faciendum vnum perſe cum illa, quin amittat rationem ſuppoſiti: quia hoc ipſo quod faciat vnum per ſe cũ humanitate exiſtit in illo toto per ſe tanquam in ſuppoſito, nempe tanquam pars in toto digniori ſe: ergo non exiſtit ibi tanquam ſuppoſitum. At ſubſtantia infinita ob prærogativam infinitatis poteſt vniri cum natura humana ad faciendum vnum per ſe cum illa, quin amittat rationem ſuppoſiti; quia perſona infinita exiſteret in illo toto non tanquam in ſuppoſito, ſed tanquam ſuppoſitum, quia exiſteret vt præeminens illi toti, potiuſque vt habens quam vt habita ab illo toto.

40 Vel ſic, proprium eſt ſubſtantiæ finitæ ob ſui finitatem, vt nequeat vniri cum natura aliena ad faciendum vnum per ſe cum illa, quin totum illud ex vtroque extremo reſultans, ſit maius ſingulis partibus ſeorſim: nam finitum additum

tum finito facit maius, ac proinde quin totum illud præmineat singulis partib⁹ seorsim sumptis. At hoc ipso substantia finita nequit retinere rationem suppositi in sensu composito vnionis ad alienam naturam, quia hoc ipso existit in aliquo digniori se: ac proinde iam non est substantia completa per se subsistens, & cõsequenter non est suppositum. Si autem suppositum non est, profecto suppositare nequit. At substantia infinita ob prærrogativam infinitatis potest vniri ad faciendum vnum per se cum natura aliena, quin totum illum sit maius substantia divina secundum se ipsive præmineat, ac proinde quin substantia divina desinat esse suppositum: nam potius substantia divina secundum se præeminet toti resultanti in tempore: nam Christus vt homo minor est verbo secundum se.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones.

1 OBIICIES primo: quamvis totum resultans ex Angelo, & humanitate sit perfectius Angelo secundum se, hoc non tollit quod Angelus sit suppositum illius totius, seu principium quod omnium operationum illius: ergo poterit Angelus suppositare naturam humanam. Probatur antecedens: nam quamvis totum resultans ex substantia, & accidenti, v.g. ex Angelo, & intellectione sit quid perfectius, quam substantia secundum se, Angelo, v.g. hoc non tollit quod Angelus sit suppositum in illo toto: ergo pariter in nostro casu. Respondeo ex substantia, & accidenti non resultante vnum per se; ac proinde de conceptu accidentis esse non constituere primam substantiam, seu hypostasim, & suppositum; siquidem idem numero suppositum potest subesse diversis accidentibus. Vnde vt inquit D. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 3. ad ,, secundum, Manifestum est, quod alteritas, quæ provenit ex differentia ac,, cidentali, potest ad eandem hypostasim, vel suppositum pertinere in rebus ,, creatis, eo quod idem numero potest ,, diversis accidentibus subesse: non autem contingit in humanis, quod vnus, ,, & idem numero subsistere possit in diversis essentijs, vel naturis, sed vnus, & ,, idem Christus subsistit in duabus naturis. At vero vt Angelus suppositaret naturam humanam deberet ex illo, & natura humana resultare vnum per se quod esset *hic homo*. Implicat autem aliquid finitum venire in compositionem substãtialem cum alio finito, & tamen esse suppositum, quia hoc ipso existit in alio digniori se, & quod sic existit nequit esse suppositum vt probatum manet.

Idẽ suppositum subest diversis accidentibus; non tamen diversis naturis.

42 Sed non quiescit adhuc animus: replicabunt enim adversarij posse ita Angelum venire in compositionem cum humanitate, vt Angelus ipse esset rectum illius totius, & cui tribuerentur operationes humanitatis: sicut quando vniuntur habitus cum substantia, operationes habituum tribuuntur substantiæ. Foret ergo tunc Angelus habens humanitatem, & id cui tribuerentur operationes humanitatis, & consequenter foret homo, & suppositum humanæ naturæ. Respondeo hoc esse impossibile: nam accidens suapte natura est entis ens, ac proinde essentialiter postulat, vt eius operationes principaliter tribuãtur substantiæ, ipsa enim est quæ operatur, & quæ dominatur actionibus habituum, & potentiarum: vnde implicat, accidens constituere aliquod totum, cui vt distincto aliquo pacto à substantia tribuantur operationis ipsius accidentis: istæ enim debent tribui ipsi substantiæ vt cõdistinctæ ab accidenti tanquã principio quod: ita vt ibi accidens se habeat pure vt forma denominans, non autem vt constituens subiectum quod denominatur. At vero humanitas cum ex se sit substantia, non comparatur ad Angelum tanquam entis ens. Vnde quamvis veniat in compositionem physicam cum Angelo, non est, nec esse potest vt tribuantur eius operationes Angelo secundum se: sed potius est necesse, vt præcipuè tribuantur toti per se, resultanti ex Agelo, & humanitate, seu ex natura Angelica, & humana; quia cum illud totum sit quid perfectius, quam Angelus secundum se, illud totum erit suppositum, non vero ipse Angelus: quia implicat, aliquam substãtiam existere tanquam partem in aliquo toto per se, & tamen illam partem esse suppositum illius totius, seu existere in toto illo tanquam suppositum eius: sed potius debet existere in illo tanquam in supposito. Nam illud totum est hoc aliquid, & est quid excellentius Angelo secundum se: ergo debent operationes Angeli tribui vt principio quod illi toti; nã hæc tributio debet cadere supra id quod

Actiones accidentis tribui non possunt alicui toti vt distincto à substantia.

est

est excellentissimum ibi: totum autem illud est excellentius qualibet parte: ergo illi debent tribui operationes: at istæ attribuuntur suppositis: ergo illud totum est ipsum suppositum.

43 Confirmatur; nam vt inquit Aureolus in 3. dist. 1. quæst. art. 1. §. *Nunc ostenso*. Conceptus suppositi se habet vt habens, conceptus vero naturæ vt habitum, & à fortiori conceptus partis: semper autem quod est principale, est habens, vt dicitur 7. metaph. textu 79. At in nostro casu totum per se resultans ex Verbo, & humanitate non est quid perfectius in vi complexi, & compositi, quam Verbum; sed est quid minus perfectum cum sub illa reduplicatione sit quid contingens, & creatum. Certum est de fide, Verbum existere in Christo tanquam suppositum Christi. Implicat autem existere in Christo reduplicative vt homine, quatenus est complexum in tempore incipiens, & existere in illo sic sumpto tanquam in supposito. Alioqui simul esset in alio tãquam in supposito, & esset suppositum: quod est falsum, quia de ratione suppositi est non posse communicari alteri vt supposito. Quod autẽ totũ per se resultans in tempore ex Verbo, & humanitate sit quid minus perfectum Verbo secundum se, si illud totum sumatur reduplicative, & in vi complexi incipientis, rursus patet; nam sub hac reduplicatione, idẽ est, ac hic homo, quatenus hic homo; seu idem ac Christus, quatenus homo, Christus autem quatenus homo est minor seipso quatenus Verbo; nã vt constat ex illis verbis Christi Ioan. 14. *Pater maior me est*, Christus quatenus homo est minor Patre; at quatenus Verbum est æqualis Patri: ergo quatenus homo est minor seipso vt Verbo.

Subsistentia, vt principalior, est habens, adeoque suppositum.

44 Alia etiam via possumus reddere perspicuam rationem, cur si Angelus vniretur humanitati, non possent Angelo tribui operationes humanitatis vt principio quod; possint autem, ac debeant tribui operationis humanitatis assumptę Verbo ob ipsius infinitatem; nimirum, quia operationes humanitatis essentialiter pendent à Verbo vt à causa influente in illas; vnde per hoc præcisse, quod humanitas approprietur Verbo per vnionem physicam, iam illæ operationes, quæ alias tribuerentur ipsi humanitati vt principio quod, debent tribui Verbo vt principio quod: non dependent autem operationes humanitatis essentialiter à Verbo independenter ab ipsius infinitate, quia nisi Verbum essentialiter esset immensum, & vbique existens, operationes naturæ humanæ, quę potest de quocunque loco moveri ad alium, non essent determinatæ vt orirentur à Verbo; quia humanitas non haberet ex se potestatem habendi semper sibi intime præsens Verbũ, prout oportebat, vt concurreret cum ipsa ad eius operationes. At vero operationes humanitatis non sunt determinatæ ex se vt oriantur ab Angelo. Vnde quamtumvis humanitas vniretur Angelo, non propterea eius operationes tribuerentur ipsi vt principio quod; sed dumraxat possent tribui toti resultanti ex vtraque natura.

Declinatur alia via obiectio.

45 Sed omissa pro nunc hac solutione, solum insistimus primę, & dicimus propterea operationes ortas ab humanitate vnita Verbo vt vnita non solũ esse tribuendas toti resultanti in tempore ex Verbo, & humanitate, seu illi homini quatenus homo est, sed præcipuè ipsi Verbo secundum se; quia operationes debent tribui præcipuè illi, quod perfectius est; sed Verbum secundum se perfectius quid est, quam Verbum reduplicative vt homo: ergo illi secundum se tanquã principio quod debet tribui operationes humanitatis assumptæ. Ita vt vnio cum humanitate sit conditio vt ipsi tribuantur, & humanitas sit principium quo illas eliciens, Verbum vero principium quod. E contra vero operationes elicitæ à natura Angelica vnita humanitati debent præcipuè tribui toti resultanti ex vtraque natura, ac proinde illud totum debet esse suppositum, nec natura Angeli existere in illo tanquam suppositum eius, sed tanquam in supposito. Cum è contra Verbum existat in hoc homine, vt suppositum eius, & tanquam in supposito. Alioqui aliquid creatum esset quid excellentius Verbo: nam vbi suppositum distinguitur realiter à re existente in illo tanquam in supposito, debet esse quid excellentius, & perfectius re illa secundum se, quia debet significari vt habens rem illam, quæ existit in ipso tanquam in supposito: *Semper autem quod est principale, est habens*, vt inquit Philosophus 7. Metaphysicæ.

Operationes præcipuè tribuuntur illi, quod perfectius est.

46 Ex ijs deduco illud complexum substantiale resultans ex Verbo si sumatur in vi complexi non esse suppositum: quia alioqui Verbum existeret in aliquo creato tanquam in supposito: nam

illud

illud complexum vt tale incipit in tempore; & est quid contingens; implicat autem vt Verbum existat in aliquo creato vt imposito; sed debet existere in illo vt suppositum. Quare Christus vt homo si sumatur reduplicative non est persona, & hypostasis, vt docent Durandus, Bonaventura, Ricardus, & Alensis, sicut sub illa reduplicatione non est Deus, licet si sumatur specificative sit persona; quatenus persona Verbi dum est in Christo retinet conceptum personæ; & exercet munus personandi humanitatem.

Christus vt homo reduplicative, non est persona.

57 Quod si dicas, Christus vt homo est vnum totum per se, sed non est vnum tanquam vna natura: ergo est vnum tanquam vnum suppositum. Respondeo etiam spirator vt talis, est vnum totum per se, & non est vnum totum tanquam vna natura: nec tanquam vnum suppositum. Sicut autem spirator quamvis sit vnum per se resultans ex natura divina, & spiratione activa; non tamen est suppositum, quia est quid communicabile, ita ex alio capite in nostro casu Christus vt homo reduplicative acceptus, licet sit vnum per se incommunicabile, nihilominus non est suppositum, quia est vnũ per se minorem, exprimens perfectionem, quã alterum ex constitutivis ipsius, nempe quam Verbum; ac proinde est incapax comparari vt suppositum respectu Verbi, quia suppositum sustentans constitutivũ sui, à quo distinguitur debet esse perfecti illo constitutivo, & comparari proprie vt habens respectu illius. Quod nequit competere Christo vt homini, nam potius est habitum à Verbo, quam habens Verbum, potius contentum, quam continens vnde eminenter comparatur vt pars respectu Verbi secundum se; totum autem, quod eminenter est pars respectu alterius ex suis constitutivis, nequit esse suppositum, quia hoc ipso illud constitutivum, ipsum eminenter continens, existit in illo toto tanquam suppositum eius; ac proinde nequit existere in illo tanquam in supposito, quia hæc duo sibi repugnãt: quoties autem complexum in vi complexi est suppositum, quodlibet constitutivum ingrediens ad illius constitutionem existit in illo tanquam in supposito.

48 Sed dices: Christus est persona composita, vt dicunt Concilia, & Patres apud Patrem Vazq. disp. 16. & communiter Theologi: ergo compositũ resultans ex Verbo, & humanitate est persona. Respondetur ex Patre Vazq. ibi num. 16. cum dicitur per hanc compositionem fieri, aut resultare vnam personam compositam; non dicimus (inquit ille) fieri aut resultare aliam personam, quæ ante Incarnationem non esset, sed eandem fieri, & resultare cõpositam ex duabus naturis. Vnde distinguenda est illa propositio, Christus est persona composita, compositione efficiente personam; nego: compositione afficiente personam præexistentem, seu efficiente vt persona præexistens subsistat in natura humana, & ab illa incipiat constituta in ratione hominis, concedo antecedens, & distinguo consequens. Compositum illud specificative sumptum, quatenus dicit in recto personam Verbi, & de obliquo naturam humanam, est persona, concedo: si sumatur reduplicative, & significando vtrãque partem in recto, ipsarumque vnionem, nego. Itaque Patres dixere, Christum esse personam compositam, ad significandum, in Christo dari duplicem naturam in vna persona; quarum altera ei advenit mediante vnione, & compositione Verbi ad humanitatem; & quia nomen Christus non significat nudam personam Verbi secundum se, sed illam vt subsistentem in humana natura; propterea Christus appellatur persona composita; non quia per illam compositionem, quæ temporalis, & contingens est, fiat persona: sic enim fieret persona aliqua creata, & sic in Christo non esset tantum vna persona: sed quia per illam compositionem fit vt persona divina incipiat personare humanitatem, & in illa subsistere, & esse homo, & ad hoc significandum dixit Durandus, personam Christi non esse compositam ex humanitate, sed esse compositam humanitati: quod loquendo de persona illa specificative sumpta, verum est, quia persona increata Verbi, licet sit composita, & vnita humanitati in tempore, non tamen ex se est composita ex humanitate; alioqui persona divina ex se esset homo. Verum quia Patres dum dicunt Christũ esse personam compositam non loquuntur de persona Christi specificative sumpta, sed de illa reduplicative vt subsistit in humanitate; propterea loquendum cum communi Theologorum, Christus est compositus ex humanitate. Ex hac tamen compositione non resultat persona, quia sic resultaret persona nova; sed resultat nova denominatio substantialis personæ præexistentis, quæ incipit esse homo.

Christus quo sensu sit persona cõposita.

Sed

49 Sed dices: totum resultans ex Verbo, & humanitate, quatenus est quid ex vtroque compositum includit Verbum, & aliquid amplius: ergo non est minus perfectum, sed magis etiam, saltem extensive. Distinguo includit vt perficiens tantundem illud complexum, vt tale, ac perficit seipsum, nego, nam seipsum reddit ens à se, æternum, & necessarium, & non facit vt illud complexum in vi complexi sit ens necessarium, & à se: includit vt minus perficiens, concedo.

50 Sed replicabis, hoc pacto etiam dici posse Angelum vnitum substantialiter humanitati constituere totũ, quod in vi totius sit minus perfectum, quam Angelus secundum se. Nam Angelus secundum se est incorruptibilis, & tamen totum resultans ex Angelo, & humanitate non foret incorruptibile. Verũ simili argumento probari potest totum resultans ex anima, & corpore non esse quid intensive perfectius anima secundũ se; siquidem ista secundum se est incorruptibilis, & tamen illud totum est corruptibile: quod est apertè falsum. Dicendum ergo est, totum per se resultans ex Angelo, & humanitate, si per impossibile daretur, fore intensive perfectius, quia implicat duas substantias finitas vnitri substantialiter quin constituant aliquid intensive maius: nam est de essentia finiti, vt additũ finito, faciat maius: plures enim effectus simul posset producere illud totũ resultans ex natura Angelica, & humana, quam natura Angelica seorsim; alioqui hæc esset virtutis simpliciter infinitæ, cuius privilegium est vt tantum possit se sola, quantum simul cum alijs. Vnde natura Angelica perficeretur per humanam in ratione potentis agere; & similiter in alijs perfectionibus: totum autem inde resultans, vt resultans divina virtute ex vtraque, vel foret incorruptibile, sicut ipse Angelus; ita vt nullum agens naturale posset destruere vnionem inter illas naturas, sicut nullum agens naturale potuit destruere vnionem hypostaticam Verbi ad humanitatem; licet potuerit destruere vnionem naturalem inter animam, & corpus: vel si foret corruptibile, hæc imperfectio compensaretur alijs pluribus emolumentis resultantibus ex vnione vtriusque naturæ sicut quod anima rationalis sit incorruptibilis, & homo corruptibilis, non probat illam esse perfectiorem isto, quia licet incorruptibile sit, cęteris paribus, melius sit, quam corruptibile, non tamen cæteris imparibus.

Totum ex Angelo, & humanitate foret intensive perfectius Angelo.

51 Obijcies vlterius contra nostram rationem. Si esset contra rationem suppositi existere in aliquo toto perfectiori, sequeretur humanitatem per se existentem non esse suppositum; siquidem existeret in complexo resultante ex ipsa, & ex illo modo perfectatis, seu subsistentiæ: totum autem illud quid perfectius est humanitate secundum se, quia finitum additum finito facit maius: ergo non est contra rationem suppositi existere in aliquo toto digniori se: ergo natura Angeli non desineret esse suppositum ex eo quod existeret in toto per se resultante ex illa, & humanitate. Alia obiectio.

52 Respondeo hoc argumentum non tam impugnare nostram sententiam, quam modum illum subsistentia, & perfectatis superadditum naturæ; siquidem ex eo quod natura constituatur in ratione suppositi per aliquam entitatem, vel modum substantialem sibi superadditum, sequitur ipsam esse suppositum, & non esse suppositum; esse quidem, quia per illud modum completur in ratione per se existẽtis, & vt affecta illo modo, est substantia completa incommunicabilis, & per se existens, quæ est definitio suppositi. Non esse, quia per coniunctionem cũ illo modo substantiali constituit vnum totum substantiale perfectius ipsa natura secundum se. Vnde hoc argumento poterit quis moveri ad persuadendam sententiam apud me verisimam; nempe suppositum in creatis nihil positivum addere supra naturam, sed hanc esse suppositum per hoc præcisè quod non existat in alio digniori, cui tribuantur eius operationes, in qua sententia corruit vis argumenti: nam cum natura non debeat coniungi cum aliquo alio ad hoc vt sit persona, non sequitur humanitatem per se existentem non esse suppositum. Diluitur primo.

53 Respondeo secundo, argumentum corruere, si dicamus suppositum importare in recto vtrumque, nempe naturam humanam, & illum modum perfectatis: nam tunc, quamvis ipsa natura dicatur existere in aliquo digniori se, nempe in illo complexo resultante ex ipsa, & modo perfectatis: illud tamen complexum non existit in alio, ac proinde licet natura non sit suppositum; illud tamen complexum est suppositum. Ad nostram autem sententiam satis est, quod suppositum Secũdo.

ſitum creatum non importet in recto ſolum modum perfeitatis, quod apud omnes eſt certiſsimum, ſiquidem modus ille non eſt homo, nec eſt id cui principaliter tribuuntur operationes naturæ, nam quamvis ſuppoſitum non importet ſolam naturam in recto, ſed naturam, & modum illum perfeitatis; nequit ſuppoſitum Angelicum vniri ſubſtantialiter cum humanitate ad illam ſuppoſitandam, quin vniatur natura Angelica; quia ſi ſolus ille modus vniretur, hoc non ſufficeret vt Angelus diceretur vnitus humanitati, & factus homo; quia ille modus non eſt Angelus; ſed complexum ex natura, & illo modo. In divinis quidem ſatis eſt, vt vniatur immediate, & formaliter humanitati perſonalitas Verbi ad hoc, vt dicatur Verbum fieri hominem, tum quia cum illa perſonalitas ſit realiter ipſa natura, implicat vniri perſonalitatem, quin realiter, & vere ſimul vniatur natura. Tum quia, cum illa perſonalitas ſit per ſe ſubſiſtens, eſt perſona, & nequit verificari perſonalitatem illam eſſe vnitam humanitati, quin verificetur perſonam divinam eſſe vnitam humanitati.

Tertio. 54 Reſpondeo tertio, admittendo quod perſona creata importat in recto ſolam naturam, & de obliquo modum perfeitatis, & nego inde ſequi, quod natura humana affecta illo modo, non ſit perſona; nam coniunctio cum modo illo habet ex eſſentia ſua facere, vt natura ſit per ſe, & non exiſtat in alio, nequit, ergo facere, vt natura exiſtat in alio, & deſinat eſſe ſuppoſitum; ſiquidem per hoc præciſè quod natura rationalis completa, qualis eſt humanitas, exiſtat per ſe, eſt perſona, quia hoc ipſo eſt ſui, & non alterius, & eſt ſubſtantia completa incommunicabilis, & per ſe exiſtens. Vnde licet coniunctio humanitatis cum alia ſubſtantia faceret vt humanitas eſſet in alio, nempe in toto reſultante ex vtraque ſubſtantia, non tamen coniunctio cum illo modo, cum potius hæc coniunctio eſſentialiter exigat, vt natura humana exiſtat per ſe, & in ſe, & non in alio perfectioni ſe; implicatque vt ex illo modo, & natura reſulter aliud ab ipſa natura; modus enim ille nõ efficit vt detur aliud, ſed ſolũ facit vt natura ſit aliter, quam ſi careret illo modo, nempe vt exiſtat per ſe. Eſtq; eſſentiale omni modo, vt cum re, cuius eſt modus, nõ faciat, aut conſtituat aliud, aut alium ſimpliciter; ſed vt conſtituat rem eandem aliter ſe habentem.

55 Deinde notandum eſt, humanitatem non vindicare ſibi illum modum, quia intra lineam ſubſtantiæ creatæ eſt imperfecta, ſed potius quia eſt perfecta, & non indiget vnione ad aliam ſubſtantiam ad hoc vt ipſa perſiſtat in rerum natura: hinc enim fit, vt connaturaliter reſultet ille modus poſitivus; cuius reſultantia ſolum poſſet impediri per hoc quod illa ſubſtantia vniretur Verbo. Etenim ſi admittatur ille modus, dicendum mihi videtur, implicatorium eſſe, vt natura careat illo modo, & ſimul careat vnione ad aliquam perſonam divinam, quia natura in illo eventu foret, & non foret perſona: foret, quia eſſet ſubſtantia completa per ſe exiſtens, & incommunicabilis: non foret autem, quia non haberet modum perfeitatis, qui per te requiritur vt natura ſit perſona. Rurſus ſi admittatur ille modus, dicendum mihi videtur, naturam connecti naturaliter cum exiſtentia illius modi; non tamen illum poſitive exigere; nam cum implicatorium ſit naturam habere illum modum, & eſſe vnitam alicui perſonæ divinæ, ſi exigeret illum modum, exigeret aliquid, quo privaretur vnione ad Verbum, ac proinde exigeret carere vnione ad Verbum: quia habere illum modum eſt formaliter carere vnione ad Verbum: ergo illum exigere, eſſet exigere carere vnione ad Verbum. Optimeque intelligitur naturam connecti naturaliter cum illo modo, quin illum exigat; ſicut connectitur naturaliter cum ſui interitu, quin iſtum exigat. Eſt quidem natura intra proprios limites contenta, & ſic non exigit vniri cum Verbo, quamvis hoc multo melius illi foret, quam eſſe per ſe, non tamen propterea debet exigere carere vnione cum Verbo: quia eſſet nimis ſtulta hæc exigentia cum tenderet ad malum ſubiecti.

Natura connecti tur quidam cũ modo perfeitatis; non tamen exigit illum.

56 Itaque natura humana nec exigit vnionem hypoſtaticam: nec exigit illa carere; ex eo vero quod Deus nolit elevare naturã ad vnionem cum Verbo reſultat neceſſario ille modus. Quare iſte modus non eſt proprietas humanitatis ſtricte: quia proprietates poſitive poſtulantur à natura, cuius ſunt proprietates; ille autem modus non poſtulatur à natura; licet naturaliter ex illa reſulter. Et ideo Patres, & Concilia dum dicunt Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam cum omnib⁹ ſuis proprietatibus, loquuntur de proprietatibus ſtricte talibus perfeitis poſi-

tis poſitive ab ipſa natura, ſine quibus natura eſſet in ſtatu violento. Ex quo colligitur, vel perſonalitatem propriam nõ addere aliquid poſitivum ſupra naturam, vel ſi addit, hoc poſitivum non eſſe ſtricte proprietatem, ac proinde non eſſe poſtulatum à natura. Itaque natura humana non exigit eſſe perſonam quia hoc ipſo exigeret carere vnione ad Verbum, per quam amittit rationem perſonæ. Verum quidem eſt naturam compleri per modum illum in ratione ſuppoſiti: compleri tamen in ratione perſonæ, & ſuppoſiti eſt illam naturam eſſe diviſam, & ſeparatam à ſummo bono vt ſubſiſtente in ipſa, & ideo nequit cadere ſub exigentiam naturæ.

57 Vnde deduco naturam non indigere ſubſiſtentia propria, vt operetur, quia cum exigat poſitive operari, ſi ad operandum indigeret ſubſiſtentia, eam poſitive exigeret. Vnde licet actiones humanitatis ſint illius ſuppoſiti, in quo ipſa eſt, non tamen poſitive exigunt eſſe illius, niſi ex ſuppoſitione, quod natura ſit illius ſuppoſiti: nam operationes quantum eſt ex ſe indifferẽtes ſunt, vt ſint alterius ſuppoſiti, ſi natura ſit alterius ſuppoſiti. Nec dici poteſt quod humanitas ad operandum exigat vage vel exiſtere in ſuppoſito divino, vel in ſuppoſito humano, vel potius eſſe ſuppoſitum humanum. Siquidem nec vage poteſt natura expoſcere vnionem cum Verbo; alioquin ad illam connaturaliter pervenire poſſet. Nec item dici poteſt exigere determinate ad operandum ſubſiſtentiam creatam: alioqui exiſtens in Verbo iam non poſſet ex hac ſuppoſitione connaturaliter operari. Quamvis autem ſubſiſtentia propria non ſit conditio prærequiſita ad operandum poſtulata vage aut determinate ab operationibus humanitatis: de facto tamen prius eſt naturam exiſtere per ſe, quam operari; ſiquidem reſultantia illius modi perfectatis ex natura eſt magis neceſſaria, quam operatio naturæ. Vnde quia magis neceſſaria ſunt priora minus neceſſarijs, ſicut in Deo ſunt prædicata neceſſaria priora liberis, prius intelligitur natura exiſtens per ſe, quam operans. Abſolute tamen potuit Deus decernere concurrere cum humanitate ad aliquam operationẽ, ante quam decerneret vt modus ille perfectatis actu reſulter ex natura vt ſi decerneret negare humanitati omittenti actum virtutis, vnionem cum Verbo, & illam vnionem concedere ſi eliciat illum actum. Quo eventu operatio in illo ſigno non eliceretur à ſuppoſito.

Natura non æget ſubſiſtentia propria, vt operetur

SECTIO SEXTA.

Soluuntur aliæ obiectiones.

58 OBIICIES primò; Petrus ſuppoſitat naturam humanam vt quod: ergo quamvis Michael ſit ſubſtantia finita, poterit ſuppoſitare vt quod humanitatem, nimirum ſupplendo munus ſuppoſiti reſpectu humanitatis, quod exercet Petrus: nam ad ſupplendũ munus ſuppoſitandi humanitatem Petri, non requiritur, quod ſubſtantia ſupplens hoc munus ſit infinita: nam ad ſupplendum munus, quod præſtatur à cauſa finita per ſe non requiritur virtus infinita. Sic quia obiectum creatum quatenus concurrit ad ſui viſionem finitum eſt, ad ſupplendas eius vices ſufficit ſpecies finita: ergo ſi Petrus, quatenus ſuppoſitans naturam humanam eſt aliquid finitum, ad ſupplendas eius vices in ſuppoſitanda natura humana, non requiritur perfectio infinita.

59 Reſpondeo Petrum idcirco ſuppoſitare humanitatem vt quod, quamvis ſit aliquid finitum, quia ſuppoſitat, tanquam aliquid identificatum cum ipſa humanitate. Petrus enim nihil aliud eſt, quam talis numero humanitas per ſe exiſtens: ad ſuppoſitandum autem humanitatem tanquam aliquid indiſtinctum ab ipſa ſufficit perfectio ipſius humanitatis, nam eſſe ſuppoſitum humanitatis A. nihil aliud eſt, quam eſſe id, cui tribuuntur operationes illius humanitatis, tanquam principio quod: at per hoc præciſsè, quod humanitas A. per ſe exiſtat, ipſi tanquam principio quod tribuuntur operationes ab ipſa elicitæ; quia hoc ipſo illa eſt ſui, & non alterius dignioris, cui debeant attribui. At ad ſuppoſitandam humanitatem A. tanquam aliquid diſtinctum ab ipſa requiritur perfectio infinita, quia requiritur ſubſtantia conſtituens vnum per ſe cum humanitate, & tamen præeminẽs toti reſultanti ex vtraque, & retinens rationem ſuppoſiti in illo toto, quod non poteſt convenire ſubſtantiæ finitæ. Vnde patet, nullam eſſe paritatem adductam: cum ad ſupplendum munus obiecti in ordine ad concurrendum ſatis ſit continere in genere cauſæ efficientis illam viſionem, tanquam virtus obiecti finiti, ad quod nulla requiritur infinitas.

Obij.

60 Obijcies secundo: quamvis totum resultans ex substantia, & accidenti sit perfectius substantia secundum se, nihilominus substantia non amittit rationem suppositi: ergo quamvis totum resultans ex natura Angelica, & humana foret perfectius Angelo secundum se, non propterea Angelus amitteret rationem suppositi. Respondeo negando consequentiam, nam propterea substantia non amittit rationem suppositi, quamvis vniatur cum accidenti, quia operationes ortæ ab accidenti debent tribui principaliter ipsi substantiæ vt principio quod, illamque denominare, cum accidens sit entis ens & suapte natura famuletur substantiæ, proinde substantia est incapax faciendi cum accidenti hoc aliquid, seu hypostasim, cui tribuantur operationes, potius quam ipsi substantiæ; quia ipsi substantiæ non autem toti resultanti ex ipsa, & accidenti debent tribui operationes ipsius accidentis. At substantia Angeli hoc ipso, quod vniretur humanitati ad faciendum vnum per se cum illa, hoc ipso amitteret rationem suppositi, quia operationes humanitatis, quæ est ens simpliciter, & non comparatur ad Angelum vt entis ens, non possunt tribui substantiæ Angelicæ principaliter: ergo deberent tribui toti resultanti ex vtraque: ergo hoc esset suppositum. Implicat autem vt totum resultans ex partibus finitis sit suppositum, & tamen quod aliqua ex partibus existat in illo tanquam suppositum, quia si totum per se est suppositum; pars finita illud continens existit in illo tanquam in digniori, ac completiori se, ac proinde existit in illo tanquam in supposito. Implicat autem existere in alio tanquam in supposito, & existere tanquam suppositum: idcirco autem Verbum non amittit rationem suppositi, quamvis faciat vnum per se cum humanitate, quia propter suam infinitatem existit in illo toto, tanquam suppositum, & quid principalius secundum se, quam ipsummet vt subsistens in humanitate: & hæc comparatur ad Verbum, tanquam entis ens: est enim essentialiter determinata, vt si vniatur cum substantia infinita, ipsius operationes tribuantur potius substantiæ infinitæ vt tali, quam toti resultanti in tempore ex vtraque.

Operationes accidentis tribuuntur substantiæ.

Non itē Angelo operationes humanitatis.

61 Obijcies tertio: possibilem esse personalitatem creatam, quæ possit terminare duplicem naturam Angelicam v.g. & humanam: ponamus, ergo Angelum tali personalitate gaudere: & illam communicari humanitati. In hoc eventu natura humana redderetur subsistens per subsistentiam Angelicam: ergo Angelus fieret homo, sicut Verbum factum est homo, quia natura humana reddita est subsistens per subsistentiam Verbi. Respondeo transeat esse possibilem modum personalitatis, qui possit simul duplicem naturam terminare: nego tamen hinc sequi Angelum posse fieri hominem, quia modus ille subsistentiæ superaditus naturę Angelicæ non est Angelus, nec suppositum, nec naturam Angelicam supponitat vt quod, exercendo scilicet munus suppositi respectu illius, sed solum vt quo faciendo vt ipsa natura Angelica sit suppositum. Vnde si illa personalitas simul terminaret humanitatem; faceret vt humanitas foret persona, ac proinde duplex tunc persona existeret, & vnica personalitas; duplex subsistens, & vnica subsistentia; sicut si vna intellectio simul communicaretur Angelo, & homini daretur duplex intelligens; non ergo tunc Angelus foret homo, quia ad hoc opus esset, vt non ipsa humanitas foret persona, sed vt Angelus exerceret munus personæ respectu illius. Verbum autem non propterea factum est homo, quia subsistentia Verbi reddat humanitatē subsistentem vt quod vt constitit disputatione præcedenti: nam si redderet subsistentē vt quod, non exerceret munus personæ respectu illius, sed faceret vt ipsa humanitas esset persona: ideo ergo Verbum factum est homo, quia extorsit ab humanitate munus suppositi, & illud traxit ad se.

Angelus non fieret homo licet eius subsistentia terminaret humanitatem.

62 Hinc deduces parum solidum esse fundamentum, quo Cardinalis de Lugo disp. 12. de Incarnat. num. 91. secutus Patrem Suarez probat, non posse personam creatam alienam terminare naturam, ex eo nimirum, quod subsistentia creata est modus, & modus nequit communicare suum effectum formalem, nisi rei illi, cuius est modus: hæc namque ratio solum probat, non posse subsistentiam Angeli reddere subsistentē vt quod naturam humanam, & illam constituere in ratione personæ sicut constituit naturam Angelicam: non probat autem intentum; quia potius si subsistentia Angeli redderet subsistentem humanitatem, Angelus non foret homo, sed ipsa humanitas in ratione hominis constitueretur per subsistentiam Angelicam, nam personalitas Angeli superaddita naturę non est persona:

vnde

Vnde ex eo quod illa vniretur naturæ humanę, non ſequitur perſonam Angeli terminare naturam humanam. Authores illi cenſent Angelum fore hominem, ſi ſubſtantia Angeli ſuperaddita naturę redderet pariter ſubſiſtentem humanitatem, & nos probavimus hoc eſſe falſiſsimum: quia potius tunc daretur duplex perſona, & vna non eſſet alia.

63 Vbi notandum eſt diſcrimen inter perſonalitatem divinam, & illam perſonalitatem ſuperadditam naturę Angelicæ: nam perſonalitas divina eſt per ſe ſubſiſtens, & eſt perſona; & non facit, vt ipſa natura divina ſuſcipiat formaliter denominationem perſonæ, ſed ipſa eam ſuſcipit in recto, & principaliter: & dum vnitur humanitati non facit, vt illa ſit homo, ſed hoc munus extorquet ab ipſa, & trahit ad ſe. At perſonalitas Angeli non eſt per ſe ſubſiſtens, nec perſona, ſed facit vt natura Angelica ſit perſona, & vnita humanitati non eſſet perſona humanitatis, ſed faceret vt humanitas eſſet perſona.

64 Admiſsi diſputandi gratia, poſſe ſubſiſtentiam Angeli reddere ſimul ſubſiſtentem humanitatem; abſolute id cenſeo repugnare, quia munus ſubſiſtentiæ Angelicæ eſt reddere naturam Angelicã per ſe exiſtentem, & incommunicabilem per modum ſubſtantiæ extraneæ naturæ: modus autem, cuius eſſentia eſt ſeparare naturam Angelicam ab humanitate, non poteſt ſimul ſeipſum communicare vtrique, & intime coniungere.

SECTIO SEPTIMA.

Aliæ obiectiones.

65 OBIICIES prętęrea ex Och. in 3. quæſt. 1. ad terminãdum naturam vnam ſufficit virtus finita, & ad terminandum alteram, ſatis etiam eſt finita virtus; alioqui nec Angelus poſſet terminare ſuam naturam, nec homo ſuam, cum neuter habeat virtutem infinitam. Det igitur Deus vel Angelo, vel homini duplo, vel triplo maiorem virtutem finitam, ſic vt habeat tantam quanta eſt neceſſaria ad terminandam vtranque naturam.

66 Confirmat Pater Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 3. part 6. quia licet perſona iam creata per illam perſonalitatem, qua eſt prædita, nequeat terminare alienam naturam, eo quod illa perſonalitas habet virtutem commenſuratam ſuæ naturæ, v.g. perſonalitas Angeli habet virtutem commenſuratam naturæ Angelicæ, ac proinde non poſsit alienam terminare. Cæterum per potentiam abſolutam poſsibile eſt, aliquam perſonam creatam eiuſmodi perfectione eſſentiali ab initio ſuæ creationis eſſe prædítam, vt poſsit hypoſtasè terminare alienam naturam: ſiquidem non videtur eſſe neceſſaria perfectio infinita ad terminandum plures naturas, ſed ſufficit finita longè maior, quam ſit iam in perſona quæ ſolum poſsit terminare ſuam naturam: nihil autem repugnat, vt perfectio illa maior tribuatur alicui perſonæ creatæ poſsibilis.

67 Parum tamen vrget hoc argumentum. Pro ſolutione nota, quod terminare naturam aliquam ſtat dupliciter: vel terminare vt quod, vel terminare vt quo: terminare vt quod idem eſt eſſe ſuppoſitum illius naturæ. Sic Petrus terminat naturam humanam, quia eſt ſuppoſitum naturæ humanæ: & Gabriel Angelicam, quia eſt ſuppoſitum naturæ Angelicæ: ſic etiam Verbum terminat naturam humanam: nam licet ex ſe ſolum ſit ſuppoſitum naturæ divinæ, nihilominus media vnione hypoſtatica factum eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, vt paſsim docent Concilia, & Patres: terminare vt quo nihil aliud eſt, quam eſſe rationem formalem, à qua natura habet eſſe vltimo terminatam, id eſt à qua habet eſſe in ſe exiſtentem, & non in alio digniori, cui tribuantur eius operationes: hoc pacto modus ſubſiſtentiæ proprię in creatis terminat naturam, quia facit vt natura ſiſtat in ſe, & ſit ſui, & non alterius ſubſtantiæ dignioris, & completioris, cui debeant tribui eius operationes: ac proinde facit vt compleatur in ratione ſuppoſiti. In hoc autem ſenſu ſubſiſtentia relativa in divinis non terminat naturam; ſiquidẽ hæc ratione ſui formaliter eſt incapax exiſtendi in alio digniori, cui tribuantur eius operationes, ac proinde ipſa ratione ſui eſt quo, & quod: eſt enim alterius, & comparati cum illo tanquam obliquum cum recto, eſt imperfectio, quæ procul abeſt à natura divina. Vnde natura divina ratione ſui formaliter eſt *hoc aliquid* per ſe ſubſiſtens, ſolumque deficit à conceptu perſonæ, quia eſt quid commune pluribus realiter diſtinctis, in quibus poſtulat exiſtere non ex indigentia, ſed ex fæcunditate, in quo valde differt à ſecundis ſubſtantijs, nempe à rationibus communibus logicè, quę non ſunt aliquid

Duplex mod° terminandi naturam.

per se subsistens vt quod, quia vt sint indigent individuis, nec aliter possunt consistere nisi in illis, & ratione illorum: homo enim ideo existit, quia existit Petrus, vel Paulus, &c. At hic numero Deus non ideo existit, quia existit Pater, quia existit Filius, vel Spiritus Sanctus; sed potius è contra; ideo Pater existit, quia existit, hic numero Deus, qui est prima radix, & origo omnium diuinarum relationum. Quare subsistentiæ relativæ solum terminant vt quod naturam diuinam, quatenus sunt suppositæ illius naturæ; sunt enim subsistentiæ per se subsistentes; in quo valde differunt à subsistentia creata, quæ non est subsistentia subsistens: sed subsistentia faciens vt natura sit subsistens. Vnde illæ non faciunt vt natura sit subsistens; cum enim sint subsistentiæ relativæ, & personales, sanè si redderent subsistentem, redderent relatam, & personam, quod est falsum, constituerentque illam in ratione incommunicabilis; cum potius ad hoc dentur, vt ratione illarum natura diuina communicetur.

68 His positis, respondeo ad argumẽtum: ad terminandam naturam vnam, sufficit virtus finita, distinguo, ad terminandum vt quo præcisè, concedo antecedẽs: ad terminandum vt quod sub distinguo: si natura illa sit aliena, & distincta ab ipso terminante vt quod, nego antecedens: si sit propria, & indistincta ab ipso terminãte, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio sumitur ex probatione nostræ conclusionis. Ad terminandũ vt quod naturã propriam non requiritur virtus infinita; quia terminare vt quod naturã propriã nihil est aliud quam esse id cui tribuantur operationes illius naturæ: quod sanè habet humanitas Petri v.g. per hoc præcisè quod sit per se existens, nam per hoc præcisè quod hæc humanitas sit per se existens, non est alterius, sed sui, ac proinde ipsi, & non alteri tribuuntur eius operationes; quia ipsa, & non alius dominatur tanquam principium intimũ quod supra suas operationes, ad quod sanè non requiritur virtus infinita. At vero ad terminãdum vt quod alienam naturam requiritur virtus infinita: non quidem quia terminans vt quod alienam naturam exhibeat aliquem influxum in ipsam naturam, quatenus eam terminat, quia terminare non est influere: sed quia ad hoc vt terminet vt quod aliquis alienam naturam, debet esse tantæ perfectionis, vt dum alienæ naturæ vnitur, totum ex vtroque resultans non sit aliquid perfectius, quam ipse terminans: nam si totum ex vtroque extremo resultans est quid perfectius quolibet extremo seorsim; iam ipsum compositum est id, quod terminat vt quod naturam illam, quia illud compositum habet rationem suppositi: ac proinde nullum ex extremis vnitis potest habere rationem suppositi; quia quodlibet habet rationem partis: repugnat autẽ esse propriè partem, & simul retinere rationem suppositi. Cur ergo privilegium sit substantiæ infinitæ, vt dũ venit in compositionem cum altera, non amittat rationem totius, nec constituat aliquid perfectius se: privilegium est solius substantiæ infinitę alienam posse terminare naturam gerendo munus suppositi respectu illius.

69 Sed replicabis: si ad terminandam naturam vt quo sufficit virtus, seu perfectio finita: ergo possibilis erit subsistentia aliqua creata potens terminare duplicem naturam Angelicam, v.g. & humanam. Non ergo repugnabit quod subsistentia Angelica terminet vt quo etiam naturam humanam. At subsistentiam Angelicam posse terminare naturam humanam, perinde est, ac posse Angelum fieri hominem, humanamvè suppositare naturam, sicut subsistentiam diuinam posse terminare humanam naturam, perinde est, ac Deum posse fieri hominem: ergo potest Angelus fieri homo, atque humanam suppositare naturam.

70 Ante quam huic obiectioni occurram, notare oportet debilem nimis esse rationem, & inerme fundamentum, quo Cardinalis de Lugo disp. 12. de Inc. num. 91. secutus Patrem Suarez, probat non posse personam creatam alienam terminare naturam. Inde enim hoc probat Cardinalis de Lugo, quia subsistentia creata est modus, modus autem nequit communicare suum effectuum formalẽ, nisi illi rei, cuius est modus. Parum, inquã solidum est hoc fundamentũ; ex illo enim apertè deducitur, si subsistẽtia creata esset aliqua entitas absoluta, fore vt posset persona creata alienam suppositare naturam, id quod expressè concedit P. Suar. disputatione illa 13. de Incarnatione sect. 4. §. *Quo circa*: hoc autem est apertè falsum: nam licet subsistẽtia creata sit aliqua proprietas absoluta naturæ, vt aliqui dicunt de vbicatione; certum tamen est subsistẽtiam Angeli non esse Angelum, nec subsistentiam hominis esse hominem: quia vt supra probatum manet suppositum creatum

Etsi subsistentia creata foret absoluta; non posset alienã naturã suppositare creata persona.

creatum apud omnes importat in recto naturam, vel solam, vel simul cum subsistentia, seu personalitate, sive hæc sit modus, sive aliquid absolutum: illa enim subsistentia cùm sit quædam proprietas consequuta ad naturam, nequit esse id, quod habet naturam, & cui tribuantur eius operationes, ita vt natura sit aliquid illius, sicut accidens dicitur esse entis ens: quia denominatio habentis naturam, & exercentis munus principij quod respectu operationum ipsius, nequit cadere in aliquã proprietatẽ, quæ est longè imperfectior quã sit natura: ergo ex eo quod subsistentia Angeli terminaret naturam humanam, non sequeretur suppositũ Angeli supposítare naturam humanam; si enim illa subsistentia non est suppositum, qua ratione poterit exercere munus suppositi respectu alienæ naturæ. Deinde quia si daremus subsistentiam Angeli terminare simul naturam Angelicam, & humanã, sanè tunc illa subsistentia sicut constitueret naturã Angeli in ratione suppositi, ita naturã hominis constitueret in ratione suppositi: ergo hinc daretur duplex suppositum; cum enim illa subsistentia sit purè quo, eiusq; munus sit reddere naturã cui vnitur per se subsistentem vt quod, & incommunicabilẽ; & cum in hoc cõsistat ratio suppositi: sanè illa personalitas constitueret tunc duplicẽ personã, sicut eadẽ albedo in duplici subiecto constitueret duplex album. At hoc ipso suppositũ Angelicum non terminaret naturã humanã, nec verificari posset Angelum esse hominẽ: ad hoc enim verificandum requiritur quod humanitas non sit suppositum, sed quod Angelus fungatur munere suppositi respectu illius, vt patet exemplo verbi, quod hoc ipso quod factum sit homo, humanitas assumpta non est homo, nec suppositum.

71 His animadversis ad replicam respondeo, impossibilem esse subsistentiam, quæ simul terminare valeat naturã Angelicam, & humanam, non solũ quia subsistentia est modus, & impossibile videatur, eundem modum modificare substantias tam diversas, quæ minimè inter se comparantur per modum actus, & potentiæ: sed speciali ratione, quæ singularis est pro modo subsistentiæ, & non militat in alijs modis: nam subsistentia reddens naturam Angelicam subsistentem, reddit illam per se existentem, & separatam ab omni alia substantia, cum qua faceret vnum totum: ergo talis subsistentia ex conceptu suo petit non identificari cũ subsistentia naturæ humanæ. Probatur consequentia; quia si identificaretur, redderet, & non redderet naturam Angelicam separatim ab humanitate existentem: redderet, vt supponitur, quia redderet subsistentem; & subsistere est per se, ac separatim existere, ac proinde non componere cum alio vnum totum excellẽtius ipsis; non redderet autem, quia illa subsistentia esset modus indivisibilis per seipsum vnitus vtrique illi naturæ: ergo vniret vtranq; illam naturã inter se; implicat enim modum aliquẽ esse vnionem sui cum duobus extremis, quin sit vnio illorum inter se.

72 Confirmatur: implicat vt humanitas intelligatur per se existens, & natura Angelica similiter; & tamen quod ita inter se sint colligatæ, vt quo tendit vna, necessario debeat tendere alia, quin scilicet possint in diversis locis existere, & ad diversas partes se movere. Hoc autem contingeret, si idem modus indivisibilis subsistentiæ afficeret vtranque naturam; hic enim modus, cum non posset existere simul in distinctis locis, essentialiter postularet, vt illæ naturæ dum per ipsum subsistunt, essent semper in eodem loco. Præterea licet subsistentia non esset modus sed quid absolutum, non posset vtraq; natura reddi subsistens eadem subsistentia, quia subsistentia reddens naturam Angelicam subsistentem, essentialiter postulat, vt in sensu composito illius nequeat natura Angelica vniri naturæ humanæ, siquidem non stat esse subsistentem, & esse vnitam alteri substantiæ; forma autem postulans vt subiectum quod informat, & denominat, non vniatur alteri subiecto, incapax debet esse vniri illi alteri subiecto, quomodo enim poterit magis separare subiectum, cui inest, quam seipsam ab illo subiecto.

73 Deinde ex eo quod esset possibilis illa subsistentia terminans vt quo naturam Angelicam, & humanam, non sequeretur posse Angelum fieri hominem, seu posse suppositum Angelicum terminare naturam humanam, vt nuper ostendebamus contra Lugum, & Suarium.

SECTIO OCTAVA.

Ratio à priori, cur suppositum creatum nequeat supposítare alienam naturam.

74 VG. cur Angelus nequeat supposítare naturam humanam, & sic fieri homo, ratio

autem est ; quia vbi suppositum distinguitur à natura, illam proprie dicitur sustentare : sic enim loquuntur Theologi passim, qui dicunt Verbum Divinum sustentare humanitatem, & hanc inniti Verbo vt supposito, & vt inquit, Bernal disp. 12. num. 76. est proloquium Doctorum omnium, illic humanitatem pendere à Verbo, & pendere ab illo tanquam à sustentante ; æquè patet ex ipsa notione hypostasis, quæ idem est ac suppositum : & hypostasis nominatur, vt inquit D. Thomas 3. part. quæst. 29. art. 2. in corpore, secundum quod supponitur accidentibus. Vnde ablatis imperfectionibus, non minus proprie Verbum sustentat naturam humanam, quam Petrus sustentat accidentia : dicitur enim Verbum subsistere naturæ humanæ, seu subsistere in natura humana, sicut Petrus, v.g. dicitur subsistere, seu subesse accidentibus, vt constat ex D. Thoma 3. p. quæst. 2. art. 3. ad 1. vbi docet, *Diuersa accidentia in rebus creatis posse ad eandem hypostasim, vel suppositum pertinere* ; eo quod idem numero potest diversis accidentibus subesse : non tamen posse ad eandem hypostasim in creatis pertinere duplicem naturam substantialem eo, quod in rebus creatis non possit idem numero subsistere diversis essentijs, vel naturis. Sed hoc esse proprium hypostasis infinitæ, in qua propter eius infinitatem possunt concurrere plures naturæ, potestque idem numero suppositum divinum diversis subsistere naturis.

75 Suppositum itaque terminans alienam naturam debet illi subsistere, eamque sustentare. At Angelus nequit sustentare naturam humanam: ergo non potest illam supponitare. Probatur minor : quia nequit suppositum aliquod sustentare alienam naturam, nisi vel in genere causæ materialis, quo pacto Petrus sustentat albedinem, vel in genere causæ efficientis, quo pacto Deus omnia sustentat in esse, etenim si nullam habet suppositum causalitatem in naturam, non apparet quo pacto eam verè, & propriè dicatur sustentare. At Angelus neutro modo sustentare valet naturam humanam : quia nec potest illam efficere ; solius enim Dei est creare animam, & materiam, easque in esse conservare, vt supponimus : nec in genere causæ materialis potest sustentare naturam humanam quæ à causa materiali est independens : ergo &c.

76 Quare cum solius Dei sit omnia in esse sustinere, & conservare soluspue ipse possit creare animam rationalem, & materiam primam, quibus constat humanitas ; ipse solus potest supponitare naturam humanam : quod præstabit vniendo eam sibi ; sustentare enim per modum suppositi dicit causare naturam sibi intrinsecam : importat itaque duo, nempe facere illam naturam propriam sibi, eam sibi copulando vnione substantiali, & illam in esse conservare. Quæ duo iuxta P. Bernal disp. 12. sect. 2. identificatur ; siquidem iuxta ipsum productio humanitatis fuit eiusdem vnio ad Verbum, sicut eductio accidentium est eorundem vnio ad subiectum, vt probavi in Physica (id quod videtur docuisse Leo Primus apud ipsum ibidem num. 57. atfirmans, naturam humanam Christi ipsa Assumptione fuisse creatam, & alij Patres ab ipso relati.) Et sicut actio eductiva essentialiter pendet à subiecto ; ita actio productiva humanitatis dependet essentialiter à Verbo tanquam ab extremo vnibili. In sententia autem communi productio humanitatis distinguitur ab vnione hypostatica : & in hac sententia propterea sustentare humanitatem per modum suppositi est solius Verbi proprium, quia sustentare naturam est illam efficere vt propriam, id est illam efficere, & vnire sibi. Quomodo Verbum sustetet humanitatem.

77 Confirmatur : quia nisi Verbum in genere causæ efficientis dicatur sustentare humanitatem ; non suppetit aliud genus causæ in quo sustentet : non in genere causæ materialis ; nec in genere causæ finalis, vt patet : nec denique in genere causæ formalis, ad modum quo subsistentia propria dicitur sustentare humanitatem Petri : etenim sustentare in genere causæ formalis est reddere naturam subsistentem : Verbum autem non reddit subsistentem humanitatem, vt alibi à nobis latè probatum est : ergo &c. Restat ergo, vt propterea dicatur sustentare Verbum humanitatem per modum suppositi, quia illam producit, & conservat in esse tanquam principium intimum, quod soli Verbo competit.

(o)

DIS-

DISPVTATIO XXIV.

AN SI TRES DIVINAE PERSONÆ ASSVMERENT EANDEM HVMANITATEM, resultaret triplex homo, an vnus dumtaxat.

Ad quæst. 3. 3. part. articul. 6.

SENTENTIAM affirmantem in illo eventu fore vnicum hominem sequitur Eximius Doctor, Pater Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 13. sect. 3. Molina 1. part. quæst. 36. art. 4. disp. 3. Arrubal, Coninch. & Didacus Ruiz, disp. 77. de Trinitate sect. 7. plures alios referens, & Cardinalis de Lugo disp. 13. de Incarnatione sect. 3. & novissimi Paret Alderete disp. 44. de Incarnatione sect. 7. & 8. Ego vero sententiam oppositam pro viribus defendendam suscipio, & ad quæstionem respondeo, in illo eventu foret tres homines. Ita sentiunt Marsil. in 3. part. quæst. 2. art. 3. dub. 2. Gabriel dist. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 3. Caietanus 3. part. quæst. 3. art. 6. & 1. part. quæst. 39. art. 3. Medina ad eundem locum tertiæ partis. P. Arriaga disp. 27. de Incarnatione num. 22. & 1. part. disp. 54. num. 11. P. Hurtadus de Incarnatione disp. 39. sect. 5. P. Bernal disp. 24. sect. 2.

SECTIO PRIMA.

Probatur vera sententia, quod foret triplex homo.

1 CONCLVSIONEM probo: homo idem significat, ac habens humanitatem; at in illo eventu forent tres habentes humanitatem: ergo & tres homines. Consequentia est legitima: præmissæ seorsim probandæ erunt. Et primo probatur maior à priori, quia vt optime observat Durandus in 2. dist. 34. quæst. 1. hoc est discrimen inter concretum, & abstractum, quod *Concretum directe supponit pro habente formam, abstractum vero pro forma habita*: ergo concretum humanitatis, nempe homo, idem est, ac habens humanitatem, & concretum Deitatis, nempe Deus, idem, ac habens Deitatem; & concretum albedinis, idem, ac habens albedinem, & sic de reliquis. Secundo probatur à posteriori ex mysterio Incarnationis; nam hæc propositio est vera, *Deus est homo*. At non esset vera, nisi esse hominem idem foret ac habere humanitatem: siquidem in nullo alio sensu potest verificari quod Deus sit homo, nisi in illo, si enim esse hominem idem sit, ac esse humanitatem terminatam subsistentia, seu humanitatem suppositatam: falsum erit dicere *Deus est homo*, quia Deus non est humanitas suppositata. Item si esse hominem idem sit, ac esse compositum ex humanitate, & subsistentia, etiam erit falsa illa propositio, quia Deus non est compositum ex humanitate, & subsistentia, non enim Deus est humanitas, & subsistentia simul: ergo Deum esse hominem idem est, ac Deum esse personam suppositantem humanitatem, seu habentem humanitatem media vnione hypostatica, tanquam id cui operationes humanitatis tribuantur, & ratio est, quia ad veritatem propositionis aliquid affirmantis de subiecto requiritur, quod id quod ex parte subiecti importatur in recto, habeat identitatem realem cum eo, quod importatur in recto ex parte prædicati: atqui humanitas non habet identitatem realem cum Deo, quod ex parte subiecti importatur in recto in illa propositione: ergo in illa propositione nequit humanitas importari in recto, sed dumtaxat in obliquo. At hoc ipso quod humanitas importetur in obliquo, debet in recto importari solum Verbum, quod est suppositum habens humanitatem: ergo idem est dicere Deus est homo, ac dicere Deus est habens humanitatem, ergo idem est homo, ac habens humanitatem.

Quo sensu vera sit hæc propositio *Deus est homo*.

2 Tertio probatur eadem propositio authoritate D. Th. opus. 48. seu in tra-

„ctatu de ſubſtantia, vbi ait : Homo de „ſuo principali ſignificato dicit habens „humanitatem ; & quia habens humanitatem poteſt eſſe ſuppoſitum non humanum, vt patet in humanitate Chriſti, quæ ſupponitur, ſuppoſito divino, ideo in creatis differūt ſuppoſitum, „& natura. Et 3.p. quæſt. 17. art. 1. in „corpore. Deus (inquit) ſignificat habentem Deitatem, & homo ſignificat „habentem humanitatem. Idem repetit 1. part. quæſt. 39. art. 3. ad 1. Quam Divi Thomæ doctrinam optimè confirmat Caietanus 3 part. quæſt. 3. art. 2. §. *Quæſtio* : nam homo idem eſt, ac ſubſiſtens in humanitate, & ſubſiſtens in humanitate idem omnino eſt, ac habens humanitatem ; quod probat ex myſterio Incarnationis : Ex hoc enim (inquit ille) quod huic humanitati nihil „deeſt, niſi propria ſubſiſtentia, & niſi „proprium ſubſiſtens in hac humanitate, & conſtat quod nihil deeſt niſi „proprium habens illam humanitatem; „manifeſtè patet, quod ratio ſubſiſtentis in natura, & ratio habentis naturam vna, & eadem eſt. Deinque probatur eadem maior autoritate Damaſceni lib. 3. fidei cap. 11. vbi inquit: „Deitas naturam oſtendit : Pater vero „hypoſtaſim : Deus autem, & communę naturę ſignificat, & vnā quanque hypoſtaſim denominat nam Deus eſt diuinā naturā habens, & homo humanam.

3 Iam probatur minor, nempe in illo eventu fore tres habentes, ita vt ratio habentis multiplicaretur : nam ratio habentis humanitatem in illo eventu caderet vnicè ſupra perſonam divinam : & vnaquæque vt condiſtincta ab alia, eſſet habens humanitatem : ergo multiplicaretur ratio habentis humanitatem, & conſequenter ratio hominis. Antecedens quoad primam partem conſtat ex dictis in probatione majoris : nam ſi ratio habentis humanitatem non caderet vnice ſupra perſonam divinam, ſed inadæquate ſaltem ſupra humanitatem, illa propoſitio eſſet falſa *Deus eſt homo*, ſeu Deus eſt habens humanitatem, quia tunc rectum prædicati eſſet aggregatum ex perſona divina, & humanitate : ac proinde diſtingueretur à recto ſubiecti : quoties autem rectum prædicati diſtinguitur à recto ſubiecti falſa eſt propoſitio affirmans vnum de alio. Quoad ſecundam vero partem facile ſuadetur, quia vnaquęque perſona vt condiſtincta ab alia vniretur ei humanitati ſecundum peculiare quod dicit, & per diſtinctam vnionem : ergo vnaquæque perſona vt condiſtincta ab alia eſſet habens humanitatem.

4 Secundò probatur noſtra concluſio. Si tria ſuppoſita haberent eandem albedinem, proculdobio reſultarent tria alba : & ſimiliter ſi haberent eandem artem, reſultare triplex artifex, & vniverſaliter, ſi multiplicatur ſubiectum habens formam accidentalem, multiplicatur concretum accidentale reſultans ex illa forma, & ſubiecto, ſive ſit ſubſtantivum, vt artifex, Doctor, &c. Sive adiectivum, vt doctus, ſapiens, &c. Vt eſt in confeſſo apud omnes cum D. Thoma 1.p. quæſt. 36. art. 4. & quæſt. 39. art. 3. ergo ſi tria ſuppoſita divina aſſumerent eandem humanitatem, reſultaret triplex homo Probo conſequentiam ; quia ſicut hæc prædicatio eſt accidentalis ; *Petrus eſt artifex*, ita hæc, *Deus eſt homo*, vel hæc, *Pater eſt homo*, *Filius eſt homo*, *Spiritus Sanctus eſt homo*, ſunt accidentales, tam enim accidit Deo eſſe hominem, quam Petro eſſe artificem, & ſicut concretum reſultans ex Petro, & albedine importat in recto Petrum, & de obliquo albedinem : ita concretum reſultans ex perſona aſſumente, & humanitate aſſumpta, importat in recto perſonam, & humanitatem ſolum de obliquo. Atqui ratio vnica propter quam multiplicatur concretum accidentale multiplicato ſubiecto, eſt, quia illud concretum accidentaliter prædicatur de ſubiecto, & formam accidentalem ſolum importat de obliquo, ſubiectum vero ipſum in recto : ergo cum concretum reſultans ex perſona aſſumente, & ex humanitate aſſumpta, nempe homo, accidentaliter prædicetur de illa perſona, & humanitatem importet ſolum de obliquo, perſonā vero ipſam in recto ; debet multiplicari multiplicatis perſonis aſſumentibus: ergo ſicut ex triplici ſubiecto, & vna arte reſultaret triplex artifex, ita ex triplici perſona divina, & vna humanitate reſultaret triplex homo.

Concreta accidentalia ad ſubiecti multiplicitatē multiplicantur.

5 Confirmatur primo ; quia eadem ratio, quæ probat, vnitatem, vel multiplicitatem concreti accidentalis petendā eſſe ex vnitate, vel multiplicitate ſubiecti, pariter probat in myſterio Incarnationis vnitatem, vel multiplicitatem concre-

concreti homo petendam esse ex vnitate, vel multiplicitate personæ assumentis humanitatem: nam ratio quæ primum probat ex natura rerum petita, est illa, quam optime expendit P. Bernal disp. 24. de Incarnatione num. 27. nimirum quia subiectum, & accidentalis forma in ordine ad termini constitutionem, & suppositionem ita se habent quasi ens simpliciter, & entis ens, ita scilicet vt subiectum censeatur simpliciter esse ens, forma vero censeatur esse ens ipsius, vnde sicut solum subiectum constituitur ens, ita solum ipsum, si vnicum sit, causat vnitatem, si vero multiplex multiplicitatem concreti accidentalis solum ipsum in recto significantis; hæc autem ratio pariter probat secundum: nam persona divina, & humanitas in ordine ad constitutionem, & suppositionem huius concreti homo, ita se habent, quasi ens simpliciter, & entis ens; minus enim est humanitas comparata Verbo, quam accidens comparatum substantiæ; vnde in illo concreto resultante ex vtroque, persona divina censetur simpliciter ens, humanitas vero veluti entis ens, quia non tam est sua, quam Verbi, in quo existit, & cui ipsius operationes principaliter tribuuntur: ergo &c.

6 Confirmatur secundo; quia si quæramus discrimen inter concreta accidentalia, & substantialia, vt hæc multiplicentur pro multiplicitate formæ significatæ per nomen, illa vero non multiplicentur ad multiplicationem formæ, comperimus concretum homo resultans ex persona divina, & humanitate imitari potius naturam concretorum accidentalium, quorum vnitas, vel multiplicitas non sumitur ab vnitate, vel multiplicitate formæ significatæ, sed præcisè ab vnitate, vel multiplicitate subiecti; quam naturam concretorum substantivorum, de quibus D. Thom. 1. p. „ quæst. 39. art. 3. dixit, Quod singula„ ritas, vel pluralitas nominis substan„ tivi attenditur secundum formam sig„ nificatam per nomen. Vt enim scitè notat P. Coninch. disp. 7. de Trinitate dub. 2. num. 65. non in eo differunt concretum substantivum, & concretum accidentale, quod vnum significet substantiam, & aliud accidens: sed quod accidentale significat formam, non vt rem substantem suæ significationi, sive vt id, quod per ipsum significatur esse, sed tanquam ad iacentem rei, quæ per ipsum significatur esse; sive tanquam formam qua aliud, quod in recto dicitur, tale, vel tale denominetur: contra vero concretum substantiale significat rem explicite significatam non vt alteri adiacentem, aut convenientem, sed secundum se consideratam, & quæ ipsi significationi immediate subsistet, quæ per nomen dicitur secundum se esse. At hoc concretum homo resultans ex persona divina, & humanitate non significat humanitatem vt substantem immediate significationi illius nominis: (alioqui sicut vere dicitur Verbum est homo, vere diceretur Verbum est humanitas) seu tanquam id quod per ipsum significatur esse, sed tanquam advenientem Verbo, & tanquam formam, per quam Verbum quod in illo concreto importatur in recto, constituitur in ratione hominis: ergo concretum istud homo, dum resultat ex persona divina, & humanitate debet sequi normam concretorum accidentalium: ac proinde vnitatem, vel multiplicitatem debet capere non à forma significata de obliquo, nempe ab humanitate, sed à subiecto, vel quasi subiecto habente illam formam, nempe à persona divina, quæ tanquam suppositum habet humanitatem, mediante vnione hypostatica, eiusque operationes ipsi tribuuntur.

Cui non sit verum, Verbum esse humanitatem.

7 Quod denuo confirmatur ex ratione, quam affert D. Tho. ad probandum quod concreta accidentalia capiant vnitatem, vel multiplicitatem à subiecto; „ quia videlicet, accidentia sicut esse ha„ bent in subiecto, ita ex subiecto susci„ piunt vnitatem, vel multiplicitatem: ergo cum humanitas habeat esse in Verbo, ex Verbo debet capere vnitatem in ratione hominis: si ergo esset in trib. personis, ex illis caperet multiplicitatem. Quare vniversaliter censeo nullum concretum multiplicari posse, nisi multiplicetur id quod importatur in recto; nec è converso fieri posse vt multiplicetur totum id quod importatur in recto, quin multiplicetur concretum: quamvis id quod importatur de obliquo nullatenus multiplicetur.

(*)

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur 2 obiectiones & exponitur cur licet sint tres personæ habentes Deitatem non sint tres Dij vbi ostenditur quod non multiplicatur ratio habentis Deitatem.

8 CONTRARIAM sententiam asserenrem in illo eventu fore vnum tantum hominem sequuntur plures graviſsimique Theologi, Suarez tom. 1. in 3 p. disp. 13. sect. 3. Molina 1. p. quæst. 36. art. 4. disp. 3. §. *Quando vero.* Raguſa, Arrubal, Coninch. disp. 7. de Trinit. dub. 2. num. 89. Ruiz disp. 77. de Trinit. sect. 6. num. 7. cum alijs plurib⁹, quos ibi refert Cardinalis de Lugo disp. 13. de Incarnat. sect. 3. P. Alderete disp. 44. de Incarnatione sect. 7. & 8.

9 Obijcies primo: ſi vera eſt noſtra doctrina vniverſaliter asserens omne concretum directe ſupponere pro habente formam, ac proinde concretum homo ſupponere pro habente humanitatẽ, & concretum Deus pro habente Deitatẽ: ſiet dari tres Deos in Trinitate: nam dãtur tres perſonæ, & quælibet eſt habens Deitatẽ. Conſequens autem eſt contra fidem.

10 S. Thomas 1. p. quæſt. 39. art. 3. ad 1 argumentum, quo contendebatur nomina eſſentialia prædicari in Deo pluraliter, quia Deus idem ſignificat, ac habens Deitatem, tres autem perſonæ ſunt tres habentes Deitatem, reſpõ. „det his verbis: Licet Deus ſignificet „habentem Deitatem, eſt tamen alius „modus ſignificandi, quia Deus dicitur „ſubſtantive, ſed habens Deitatem dici„tur adiective: vnde licet ſint tres ha„bentes Deitatem, non tamen ſequitur „quod ſint tres Dij. Conſequenter ad hanc doctrinam docuerat in corpore ar„ticuli, ea quæ ſignificant eſſentiam ad„iective, prædicari pluraliter de tribus „propter pluralitatem ſuppoſitorum: di„cimus enim (inquit) tres exiſtentes, vel „tres ſapientes, aut tres æternos, aut in„creatos, & immenſos: ſi ſubſtantive ſu„mantur, dicimus vnum increatum, im„menſum, æternum, vt Athanaſius dicit. Quæ tamen doctrina difficultatem ingerit; ſi enim *Deus*, & *habens Deitatem*, ſunt nomina omnino ſynonima, nequit multiplicari ſignificatum vnius, quin multiplicetur ſignificatum alterius; ſicut quia album, & habens albedinem ſunt nomina omnino ſynonima, nequit multiplicari ratio habentis albedinem, quin multiplicetur ratio albi; nec ratio habentis artem, quin multiplicetur ratio artificis. Deinde, quia abſolute iuxta hanc ſententiam, concedi poſſunt tres omnipotentes, immo concedi debent, quia omnipotens eſt nomen adiectivum, & ſimiliter tres immenſi, tres increati, &c. Hoc autem videtur falſum: nam iuxta ſymbo„lum, omnipotens Pater, omnipotens Fi„lius, omnipotens Spiritus Sanctus; & „tamen non tres omnipotentes, ſed vnus „omnipotens.

11 Quare conſequenter ad noſtra principia reſpondeo negando ſequelã, nepe quod multiplicetur ratio habẽtis Deitatẽ: licet enim Pater ſit habens Deitatem, & habens Deitatem Filius, & habens Deitatem Spiritus Sanctus, non tamen tres habentes, ſed vnus habens. Vnde ſi numerus afficiat rationem habentis, non ſunt tres habentes, quia ratio habentis non multiplicatur: licet ſint tres perſonæ habentes, ſeu quæ habent Deitatem. Ratio autem cur non multiplicetur ratio habentis Deitatem eſt, quia nomen habentis eſt nomen excellentiæ, & perfectionis, & dominij, ſignificans nimirum primum intimum, cui tribuuntur operationes Deitatis, quatenus Dei eſt; hoc autem nequit eſſe relatio divina: quia relatio eſt proprietas quædam ipſius naturæ, & veluti modus illius; proprietas autem naturæ nequit eſſe id, cui tribuuntur primo, & per ſe operationes naturæ, quatenus natura eſt; nec poteſt denominatio habentis naturam cadere ſupra eius proprietatem. Licet ergo Pater Æternus ſit habens Deitatem, non convenit tamẽ illi hæc perfectio propter prædicatum relativum, in qno differt à Filio, ſed propter prædicatum commune, in quo convenit: ergo prædicatum habentis Deitatem non multiplicatur: ſolum enim in divinis multiplicantur illa prædicata, quæ conveniunt perſonis ob peculiaria prędicata in quibus differunt ab alijs.

Tres perſonæ habentes non ſunt tres habentes Deitatẽ.

12 Quod confirmo: quia ſicut Deitas, quatenus talis, eſt communis tribus perſonis, ita debet illi correſpondere ſuum concretum commune tribus perſonis; cum enim ipſa ſit infinite perfecta in omni genere, & eminenter contineat omnem perfectionem relationum, non poteſt denominatio habentis Deitatem cadere ſupra aliquid virtualiter ab ipſa diſtinctum. Quod inde ſuadetur; quia di-

Conceptus habẽtis eſt cõceptus primarię perfectionis.

vinæ

vinæ naturæ ideo repugnat suppositari per suppositum creatum, quia de ratione suppositi est, quod sit id, quod habet naturam, & cui tribuantur operationes naturæ; proindeque est denominatio excellentiæ, & dominij: repugnat autem, quod aliquid creatum dominetur operationibus naturæ divinæ, & suscipiat denominationem habentis naturam divinam. Hæc autem ratio etiam probat, non posse denominationem habentis naturam cadere in recto supra relationes, quia istæ vel nullam dicunt perfectionem secundū esse ad; vel si dicunt perfectionem, illa est omnino secundaria, & minus principalis: ideo enim relationes erunt infinitæ perfectæ, quia ratione sui exigunt identificari cum essentia divina, è contra vero essentia divina non ideo est infinitæ perfectionis, quia exigit identificari cum relationibus. Denominatio atem habentis Deitatem nequit cadere supra perfectionem secundariam, nam conceptus habentis naturam divinam, & dominantis operationibus naturæ divinæ, vt talis, est conceptus primariæ præfinitionis.

13 Confirmatur rursus; quia cum relationes divinæ, præsertim filiatio, & spiritio passiva, ex conceptu suo supponant pro priori ad sui existentiam relativā, naturam divinam, vt perfectissime operantem, nimirum vt intelligentem, & animantem, sunt incapaces vt supra ipsas cadat denominatio habētis naturam, quia nequeunt esse primum principium intimum, cui tribuantur operationes illius naturæ. Præterea, esse Deum, intrinsece est quid perfectius, quam non esse Deum: ergo natura divina nequit constitui in ratione Dei per aliquid à se virtualiter distinctum, quia hoc ipso intensivè perficeretur; implicat autem vt natura divina intensivè perficiatur, cum enim sit simpliciter infinite perfecta, non potest intensive crescere in perfectione.

14 Confirmatur: esse Deum est perfectio simpliciter simplex, quia in vnoquoque est melior ipsa, quam non ipsa; sicut esse intelligentem, esse amantem, &c. At qui naturæ divinæ vt virtualiter distinctæ à relationibus debet convenire omnis perfectio simpliciter simplex, quia ratione sui, & vt virtualiter distincta à relationibus, est simpliciter infinitè perfecta, easque non exigit ex indigentia, sed ex fecunditate: ergo naturæ divinæ, vt virtualiter condistinctę à relationibus, convenit esse Deum: ergo ratio habentis Deitatem, nequit primatio cadere supra aliquid relativum.

15 Obijcies secundo, & instabis contra dicta nequit hoc nomen *Deus* supponere pro aliquo communi, sed necessario debet supponere pro relativo: sed hoc ipso, quod supponat pro relativo, multiplicari debet ratio habentis Deitatem; siquidem relativum, pro quo supponit, multiplicatur: ergo &c. Maior, in qua sola est difficultas, suadetur: nam hæc propositio est vera *Deus generat*, vt docēs omnes Theologi cum D. Thoma 1. part. quæst. 39. art. 4. licet hæc sit falsa, *Essentia divina generat*, quæ damnata fuit ab Ecclesia cap. *Damnamus* de summa Trinit. contra Abbatem Ioachimum; at qui illa, *Deus generat*, esset falsa; & consequenter esset vera eius contradictoria, *Deus non generat*, si simul hoc nomen *Deus* significaret aliquid absolutum: quia cum absolutum non distinguatur realiter à Filio, falsū esset dicere *Deus generat, Filium*; & consequenter esset verum dicere *Deus non generat*, quod est contra D. Thomam, & communem Theologorum ibidem. Solvitur 2. obiectio & exponitur suppositio huius nominis *Deus*,

16 Respondeo cum D. Thoma ibidem in corpore articuli, cum Caietano in cōmentario illius articuli §. *Ad evidentiam*. Cum P. Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 13. punt. 3. § *Secundum quod*, cum P. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 14. Deum quandoque supponere pro hoc numero Deo communi tribus personis: vt cum dicimus, *Deus creat; hic numero Deus est Trinitas: hic Deus est realiter communis tribus personis*: quandoque supponere pro persona, vel pro vna tantum, vt cum dicitur, *Deus generat*: vel pro duabus, vt cum dicitur, *Deus spirat*: ratio vero, cur possit supponere hoc nomen *Deus*, pro persona, est quia cum ex se significet habentem Deitatem, & vnaquęque persona sit habens Deitatem, potest pro vnaquaque persona supponere: quare in illa propositione, *Deus generat*, supponit pro persona Patris, & sumitur Deus identice, id est, *Quod est Deus, & habens Deitatem*, nempe *Pater* generat.

17 Dicendum tamen est cum P. Suarez ibidem num. 5. & 6. Deum ex se, & sine vlla restrictione positum supponere immediate pro hoc Deo communi tribus personis, quatenus virtualiter distincto à relationibus; nempe pro hoc subsistente in divinitate realiter communi tribus personis. Rationem reddit Eximius Doctor, quia ille terminus, cum sit concre- Nomen *Deus* supponit pro hoc Deo communis trib. personis.

concretum, ex modo suæ significationis habet supponere pro re subsistente: quatenus vero terminus singularis est, habet etiam supponere pro subsistente singulari, quantum potest; sed potest supponere pro tali subsistente particulari, & realiter communi, quia re ipsa datur: ergo vere pro illo supponit. Quod ipsum expræsse docet Damascenus lib. 3. fidei, cap. 4. Illud (inquiens) animadvertendum est, quod humanitatis, & divinitatis vox essentias, seu naturas indicat: at Dei, & hominis vocabulum tum de natura vsurpatur, tum de personis, nimirum, eo quod specialius est, generalioris nomen suscipiente. Vide etiam D. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 1.

18 Quare ad supponendum pro pro persona debet aliunde restringi, nimirum, ex aliquo adiuncto. Vtrumque expræsit D. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 5. ad 3. per se (inquit) supponit pro natura communi, sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam; Vnde cum dicitur, *Deus generat*, ratione actus notionalis supponit hoc nomen Deus Pro persona Patris. Hinc neutiquam deduci potest absolute loquendo esse tres habentes Deitatem; nam hoc nomen *habens Deitatem* sine aliqua restrictione sumptum supponit pro singulari communi tribus personis, nempe pro hoc subsistente in natura divina, sed solum ex nostra sententia infertur esse tres, qui habent Deitatem, ita vt multiplicetur id quod habet non tamen ratio habentis.

Supponit etiã pro persona, & quomodo.

19 Dices; hoc nomen Deus est nomen suppositi: ergo nequit supponere pro aliquo realiter communi tribus personis; siquidem non datur in divinis suppositum aliquod realiter commune tribus personis. Antecedens probatur: hoc nomen *homo* est nomen suppositi, & sic de reliquis concretis substantialibus creatis: ergo & hoc nomen Deus erit nomen suppositi. Huic difficultati respondet optime Caietan° ad illum articulum 4. §. *Ad euidentiam notandum est* (inquit) diligentissime, quod inter Deum, & cæteras substantias hoc inter est, quod in reliquis hæc duo scilicet natura, & habens naturam oportet sic se habere, vt habens naturam sit suppositum: natura vero sit ipsa essentia. In Deo vero habens essentiam, dupliciter invenitur, scilicet suppositum, vt *Pater*, *vel Filius*, *& singulare*, id est, hic Deus. Itaque in divinis considerandæ sunt tria, scilicet, essentia, hic Deus, & supposita divina, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. In reliquis autem duo tantum inveniuntur, puta humanitas, & sortes: non enim hic homo est aliud, quam sortes. Hic tamen Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Statimque subdit, rationem diversitatis esse, quia natura divina ex se ipsa subsistit, nec mendicat subsistentiam à suppositis, immo confert eam illis. Cum autem connaturalissimum sit cuique termino concreto supponere pro habente significatam formam, consequens est, (inquit) quod Deus primo supponat pro hoc Deo, & quia hic Deus significat singulare naturæ divinæ, ideo dici à D. Thom. quod supponit, pro natura in concreto: & quia hoc singulare est commune tribus suppositis, ideo quandoque dicit quod stat pro personis distincte; & quia est idem cuilibet suppositio, & concreto significatur, ideo potest stare pro singulis personis.

§. VNICVS.

Exponitur, cur hoc nomen Deus non sit nomen suppositi: homo autem sit nomen suppositi.

20 EX qua doctrina perspicuum est discrimen cur homo sit nomen suppositi, non autem Deus: & ratio est, quia homo significat subsistens in natura humana: & Deus subsistens in natura divina, subsistens autem in natura humana hoc ipso quod sit creatũ, est incommunicabile pluribus per identitatem realem, quia nihil creatum potest esse idem realiter cum pluribus realiter distinctis: hoc autem ipso illud subsistens est suppositum, & persona, quia persona nihil aliud est, quam *rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*, id est, incommunicabile subsistens, vt exponit P. Vazquez 1. p. quæst. 29. art. 1. & P. Molina loco statim citando ex communi Theologorum, qui subsistentiam positam in definitione personæ accipiunt in concreto, in quo sensu tres divinæ personæ frequenter appellantur à Patribus, tres subsistentiæ, vt videre est apud Vazquez 1. p. disp. 24. At vero subsistens in natura divina non est suppositum, quia est communicabile pluribus per identitatem realem; nam hic numero Deus, seu hoc singulare subsistens in natura divina est realiter cõmune tribus personis. Quod patet ex ipsa significatione nominis *suppositum*. Vt enim

enim inquit P. Molina 1.p. quæſt. 29. ar. 2. diſp. 3. §. *Tertio modo, ſuppoſitum idem eſt quod ſub omnibus poſitum.* Ex qua Ethimologia nominis conſtat ſuppoſitum non eſſe illud quod pluribus realiter communicatur per identitatem, vt enim inquit Durandus in 3. diſtinct. 1. queſt. 2. num. 6. ſuppoſitum eſt ſic ſub alio poſitum, quod ſub ipſo non eſt aliud poſitum; omne autem quod eſt communicabile pluribus habet aliquid poſitum ſub ſe, & ideo non eſt propriè, & ſimpliciter ſuppoſitum.

21 Conſtat etiam hoc ipſum ex definitione perſonæ, quam ex Boetio amplectuntur Theologi, vt ſit: Rationalis „naturæ individua ſubſtantia, nam per „ly individua ſubſtantia, intelligunt Theologi ſubſtantiam completam per ſe exiſtentem, & incommunicabilem, ſeu quæ non ſit communis pluribus per identitatem realem. Vnde eſſentia divina licet ſit ſingularis eſſentia, non tamen eſt ratione ſui formaliter individua ſubſtantia: quia ſubſtantia individua eſt illa quæ „in vno ſolo reperitur; eſt enim indivi„duum quod de vno ſolo prædicatur: & vt inquit D. Thom. 3.p.quæſt.77.art.2. „in corpore. Eſt de ratione individui „quod non poſsit in pluribus eſſe. Vnde vt optime exponit Vazquez 1.p. quæſt. 29. in explicatione articuli, & definitionis perſonæ, nomine ſubſtantiæ intellexit Boetius quod alij nomine ſubſiſtentiæ, & per individuã intellexit, quod alij per incommunicabilem, dum definiunt perſonam, *Rationalis naturæ incommunicabilem ſubſiſtentiam*, ac proinde eo nomine intellexit ſubſtantiam completam per ſe exiſtentem, & incommunicabilem pluribus per identitatem.

SECTIO QVARTA.

Soluitur 3. obiectio, & oſtenditur contra Cardinalem de Lugo, hunc numero hominem non ſignificare aliquid habens hanc numero humanitatem, & ſimiliter hunc numero Deum aliquod habens Deitatem, ſed hoc numero habens humanitatem.

22 OBIICIES tertio principaliter perperam à nobis inferri in caſu noſtræ quæſtionis fore tres homines, eo quod homo reſultans ex perſona Verbi, & humanitate includat in recto perſonam: quia ſtat includere in recto perſonam, & tamen non multiplicari, non enim importat *hic numero homo*, hoc numero ſuppoſitum, ſed hoc vel illud, & hanc numero naturam; vt hic numero homo idem ſit, ac aliquod habens hanc numero naturã. Ita diſcurrit Cardinalis de Lugo diſp. 13. de Incarnatione ſect. 3. & cum eo P. Alderete diſp. 52. qui dicunt, hæc concreta *Deus, homo*, importare in recto ſubſiſtentiam, non minus quam hoc concretum *perſona diuina, perſona humana*, quia hæc eſt vera prædicatio: *hic homo eſt hæc perſona*, quæ non eſſet vera, ſi vtrumque concretum non importaret idem in recto: nihilominus non reſultare plures homines, vel Deos ex vnica natura cum pluribus perſonis, quia licet *perſona, & homo*, (inquit Cardinalis num. 23.) dicant in recto ſolam ſubſiſtentiam terminantem naturam, & licet plures perſonalitates cum vna natura ſint plures perſonæ, non tamen plures homines, quia termini ſubſtantivi *homo, Deus, &c.* Significant explicite naturam, & valde implicite, & confuſe ſuppoſitum, & ideo termini vnitatis, & determinationis ſuppoſiti determinant, vel deſignant naturam, non perſonam. Quare hic homo non ſignificat hoc ſuppoſitum habens aliquam humanitatem; ſed potius è contra ſuppoſitum in confuſo habens hanc humanitatem; & per conſequens variata ſubſiſtentia manet hic idem homo; ſi manet ſuppoſitum cum eadem humanitate, quia manet totum id, quod ſignificat hic homo. At vero hæc perſona, quia determinat explicite perſonalitatem, etiam determinat, & ſignificat idem quod *hæc ſubſiſtentia habens aliquam naturam rationalem.* Ex quo fit, tres perſonas eſſe vnum Deum, quia hic Deus eſt ſubſiſtentia terminans hanc Deitatem, in quo conceptu conveniunt omnino tres perſonæ, quia quælibet eſt aliqua ſubſiſtentia terminans hanc Deitatem: ergo in eſſe Dei non diſtinguntur. At hæc perſona eſt hæc ſubſiſtentia terminans aliquam naturam, in quo differunt tres perſonæ, quia hæc non eſt illa ſubſiſtentia, ſed alia. Ex quo concludit terminum vnitatis, vel determinationis additum concreto naturæ, determinare naturam licet ſignificatam in obliquo: additum vero perſonæ determinare perſonalitatem. Quæ doctrina videtur eſſe Suarij tom. 1. in 3 p. art. 6. in commentario vbi ait: *Hic homo formaliter deſignat hanc humanitatem vt ſubſiſtentem*, ſeu ſubſiſtens in hac humanitate: quia de ratione

ratione huius hominis non est hoc suppositum, sed tantum subsistens in hac humanitate.

23 Sed contra primo, quia falsum supponit solutio plures personalitates creatas cum eadem natura facturas plures personas, vt constat ex disp. 22. sect. 6. & constabit infra sect. 5. Contra secundo, quia si in illo eventu resultaret vnus tantum homo, vera esset hæc propositio Pater est idem numero homo, ac Filius: hæc autem falsa est, *quia non est possibile* (verba sunt D. Thom. 3. part. quæst. 16. art. 1. in corpore) *intelligi, quod duorum, quæ sunt secundum suppositum, vel hypostasim distincta, vnum proprie prædicetur de alio*: qua ratione probat Angelicus Doctor in sententia Nestorij ponentis duo suppositа, vel duas hypostases in Christo, non posse salvari illam propositionem *Deus est homo*: quæ tamen salvaretur si vera est doctrina adversariorum: quia tunc duo suppositа, alterum creatum alterum increatum suppositarent eandem numero naturam: ergo essent idem numero homo si semel tres divinæ personæ assumentes eandem numero humanitatem, essent idem numero homo.

Impugnatur Lugo.

24 Contra tertio, quia quod homo explicite significet humanitatem, & implicite suppositum non probat, concretum illud nō debere multiplicari multiplicato suppositо: nam etiam album, & omnia concreta accidentalia significant explicite formam, qua constituuntur, & implicite subiectum, & tamen multiplicantur multiplicato subiecto, quamvis non multiplicetur forma.

25 Respondet Lugo disparem esse rationem, nam termini adiectivi, & consequenter concreta accidentalia, licet significent formaliter formam, significant tamen eam per modum accidentis, & habiti à subiecto; cum autem accidens sit ens in alio, seu adveniens alteri, iam supponit subiectum, quasi hoc aliquid constitutum, quod possit, & debeat designari, & determinari per signum oppositum, ideo ly *hoc* positum cum albo determinat subiectum albedinis, quia ipsum subiectum significatur vt ens constitutum, & per se, cui albedo advenit. At vero terminus substantivus, vt homo, non significat humanitatem vt habitam, seu vt adveniente alteri, sed substantive, id est vt constituentem primario illud ens, & vt primario essentiam illius, quando humanitas significatur formaliter, & explicite per terminum substantivum; determinationem cadere supra humanitatem formaliter, & explicite significatam, non supra subsistentiam; quæ non significatur (inquit num. 24. in fine) vt subiectum habens humanitatem, sed vt terminus eam terminans.

Eius evasio.

26 Sed contra: quia sicut albedo advenit subiecto iam constituto in esse entis simpliciter; ita humanitas advenit personæ divinæ vt constitutæ in esse entis per se, & simpliciter talis: ergo si propter illam rationem hoc concretum album multiplicatur, multiplicato subiecto, ita hoc concretum homo resultans ex persona divina, & humanitate debet multiplicari, multiplicata persona supppsitante humanitatem. Quod si dixeris humanitatem advenire quidem personæ divinæ, quatenus est persona divina, seu quatenus est Deus, non tamen advenire illi quatenus est homo: similiter albedo advenit subiecto vt constituto in esse substantiæ, non autem in esse albi. Vnde si in primo casu personæ habentes humanitatē sunt plures, quin dentur plures homines; ita in secundo casu subiecta habentia albedinem erunt plura, quin dentur plura alba. Contra secundo, quia falsum est terminum homo non significare humanitatem vt habitam: significat enim per inde habens humanitatem, sicut album habens albedinem: ac proinde vtrobique forma concreti significatur vt habita, vt enim supra diximus ex Durando, omne nomen concretum supponit pro habente formam; abstractum vero pro forma habita. In eo autem differunt homo, & album quod homo significat habens humanitatem præscindendo ab eo, quod illud habens sit distinctum, vel non sit distinctum ab humanitate habita: at vero album significat habens albedinem vt distinctum ab albedine: quia esse album semper est prædicatum accidentale subiecto, de quo prædicatur: at esse hominem non semper est prædicatum accidentale subiecto, de quo prædicatur: licet enim Deo sit prædicatum accidentale esse hominem, non tamen Petro. Vnde albedo nunquam potest esse alba, humanitas tamen potest esse homo, nimirum si non sit vnita substantiæ digniori, cui tribuantur ipsius operationes: per hoc enim præcisè quod humanitas non esset tali substantiæ vnita esset homo: quia homo est habens humanitatem, & habens humanitatem idem est, ac primum intimum

Præcluditur.

Homo significat humanitatē vt habitā præscindendo à distinctione, vel identitate cū eadem.

cui

cui tribuuntur operationes humanitatis primario, & principaliter; ſi autem hu-manitas non eſſet vnita ſubſtantiæ extraneæ ipſi tribuerentur ipſius operationes; ipſa ergo eſſet homo. Quæ eſt doctrina expreſſa D. Thomæ, vt multis probavi diſp. præcedenti.

27 Sufficiat modo vnum teſtimonium Angelici Doctoris ex 1.p.quæſt. 29. art. 1. ad ſecundũ, vbi inquit: *Humana natura in Chriſto non eſt perſona, quia eſt aſſumpta à digniori, ſcilicet à Verbo.* Et alterum ex 3.p. quæſt. 2. art. 2. vbi reſpondens ad tertium argumentum, quo contendebatur Verbum aſſumpſiſſe perſonam humanam, eo, quod aſſumpſit naturam individuam, & iuxta Boetium perſona nihil aliud eſt: Quam rationalis naturæ individua ſubſtantia (inquit) non quodlibet individuum in genere ſubſtantiæ etiam in rationali natura habet rationem perſonæ, ſed ſolum illud quod per ſe exiſtit, non autem illud, quod exiſtit in alio perfectiori: licet ergo hæc natura humana ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ; quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Dei Verbi, conſequens eſt, quod non habeat perſonalitatem propriam, & conſequenter quod non ſit perſona. Et 3. ſent. diſt. 6. quæſt. 1 art. 3. ad 5. vbi expreſsè docet, quod ſi Verbum naturam humanam, quam aſſumpſit deponeret, eſſet homo illud coniunctum ex duabus ſubſtantijs, nempe ex anima, & corpore vnitis reſultans. Sentit ergo perſpicuè D. Thom. quod humanitas ſeparatim exiſtens eſſet homo, & perſona humana; at vero albedo quamvis ſeparatim exiſtat, nunquam erit alba.

28 Adde album non dicere albedinem vt inhærentem ſubiecto, ſed præciſsè vt vnitam ſubiecto habenti; nam ſi Deus produceret albedinem per creationem, & illam vniret ſubiecto, reſultaret album. Hoc autem modo etiam homo reſultans ex perſona divina, & humanitate dicit humanitatem vt vnitam perſonæ divinæ. Solumque datur diſcrimen, quod Verbum eſt habens humanitatem citra omnem ſui mutationem, ſubiectum vero non habet albedinem abſque ſui mutationem.

29 Denique in illa ſolutione non poſſum non animadvertere, falſo à Cardinali dictum eſſe ſubſiſtentiam non ſignificari vt ſubiectum habens humanitatem, ſed ſolum vt terminum, etenim cum de ſubſiſtentia divina ſit ſermo, falſum eſt, illam non ſignificari vt ſubiectum, non quidem inhæſionis, ſed denominationis: licet enim reſpectu vnionis hypoſtaticæ dicatur Verbum ſe habere vt pure terminum, humanitatem vero vt ſubiectum, hoc ideo eſt, quia humanitas mutatur, & perficitur per illam, non vero Verbum; cæterum in ordine ad denominationem hominis, Verbum eſt ſubiectum, humanitas vero eſt terminus; quia Verbum eſt habens humanitatem, ſeu Verbum eſt id, cui tribuuntur operationes humanitatis; non tamen humanitas eſt habens Verbum. Quare licet non ſit ſubiectum inhæſionis, eſt tamen ſubiectum prædicationis, in quo convenit etiam cum ſubiecto habente accidens, quia ſubiectum dicitur habens formam accidentalem, è converſo non dicitur forma habens ſubiectum.

Verbum eſt ſubiectum denominationis reſpectu humanitatis.

30 Impugnatur tertio principaliter ſententia Cardinalis de Lugo: quia falſo ſupponit, hoc concretum homo ſolum ſignificare expreſsè humanitatem: & enim expreſsè ſignificat habens humanitatem: ergo ſi ratio habentis humanitatem ſignificata expreſsè, & ſimul ſignificata in recto multiplicatur, debet multiplicari homo.

31 Impugnatur quarto à priori, quia ideo concretum album multiplicatur, multiplicato ſubiecto, & ſic de omnibus alijs concretis accidentalibus; quia ſignificat formam non vt rem ſubſtantem ſui ſignificationi, ſive vt id, quod per ipſum ſignificatur eſſe, ſed tanquam adiacentem rei, quæ per ipſum ſignificatur eſſe, vt ait P. Coninch. diſp. 7. de Trinitate dub. 2. num. 65. Atqui etiam hoc concretum homo reſultãs ex perſona divina, & humanitate non ſignificat humanitatẽ vt rem ſubſtantẽ ſuæ ſignificationi, ſive vt id, quoad per ipſũ ſignificatur eſſe habẽs humanitatem, ſed tanquam adiacentem perſonæ divinæ, quæ per illud concretum ſignificatur vt habens humanitatem, & quæ in ratione hominis per humanitatem conſtituitur: ergo hoc concretum homo reſultans ex perſona divina, & humanitate non debet eſſe vnum vel multiplex ab vnitate, vel multiplicitate humanitatis, ſed ab vnitate vel multiplicitate ſuppoſiti: ac proinde ſicut homo ſignificat habens humanitatem, ita *hic homo* ſignificare debet *hoc habens humanitatem, & aliquis homo, aliquod habens humanitatem.*

Deni-

Denique impugnatur illa sententia; quia si hic numero Deus non significat hoc numero habens Deitatem, sed aliquod habens hanc numero Deitatem falsa erit hæc propositio. *Hic Deus est Trinitas*; quia si hic numero Deus importat in recto suppositum, idem est, ac aliquod suppositum habens hanc Deitatem: falsum autem est dicere, quod aliquod suppositum habens Deitatem, est Trinitas: quia propositio indefinita, & indeterminata non verificatur nisi ratione alicuius individui determinati, v.g. hæc, *homo currit* non verificatur, nisi quia vel Petrus currit, vel Paulus currit. Vnde ad sui veritatem, requirit, quod aliquis homo determinate existat in rerum natura, cui competat currere, licet ex modo significandi non postulet, quod ille homo sit potius Petrus, quam Paulus: ergo cum nulla persona determinate sit Trinitas, consequens est, vt illa propositio in sententia Cardinalis sit falsa, *Hic numero Deus est Trinitas*. Quare merito D. Thom. 1.p. quæst. 39. art. 6. in corpore, vt reddat rationem cur sit vera hæc propositio *Deus est Trinitas*, recurrit ad individuum Deitatis communne realiter tribus personis: sic enim „ ait: Quia hoc nomen Deus per se ha„ bet supponere pro essentia, ideo sicut „ hæc est vera, essentia est tres personæ, „ ita hæc vera est, Deus est tres personæ. Et in responsione ad primum, quo contendebatur, sicut hæc est falsa, *homo est omnis homo*, ita hanc debere esse falsam, *Deus est Trinitas*. Respondet quod hoc nomen *homo* per se habet supponere pro persona, & ideo hæc est falsa *homo est omnis homo*, quia pro nullo supposito verificari potest; sed hoc nomen *Deus* per se habet quod stet pro essentia. Vnde licet pro nullo suppositorum naturæ divinæ hæc sit vera, *Deus est Trinitas*, est tamen vera pro essentia.

Nomen Deus supponit pro essentia.

33 Confirmatur, quia si Deus significat suppositum, vel aliquod determinate, vel aliquod vagè, vel omnia collective; nihil autem horum dici potest, quia si significaret aliquid determinate esset falsa hæc propositio Deus est Pater, & Filius. Si vagè, esset falsa hæc *Deus est plures personæ*; quia falsum est dicere, aliquam personam esse plures personas. Si omnes collective, esset falsa ista: Pater est Deus: restat ergo hoc nomen *Deus* absolute, & sine aliquo addito prolatum supponere ex se, & primario pro hoc numero Deo communi tribus personis; & hanc, & non aliam suppositionem habere in illa propositione, *Deus est Trinitas*.

SECTIO QVINTA.

Soluitur alia obiectio, cuius occasione ostenditur, ex vna humanitate cum triplici subsistentia creata, non resultare nisi vnum hominem, quamvis ex eadem, & triplici subsistentia diuina resultaret triplex.

34 OBIICIES quarto: si eadem natura humana terminetur triplici subsistentia creata non resultabit nisi vnus homo: ergo similiter si terminaretur triplici subsistentia divina non resultaret nisi vnus homo. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio est, quia in illo eventu, in quo vna humanitas esset terminata triplici subsistentia creata, non esset nisi vnus habens humanitatem, ac proinde non esset nisi vnus homo. Ratio est; quia subsistentia creata est modus quidam perfectitatis, quæ reddit naturam positive per se existentem: seu non existentem in alio digniori, cui tribuantur ipsius operationes, seu quæ reddit naturam incommunicabilem alteri vt supposito; quod per inde est, ac præstare, quod denominatio habentis naturam, & principij quod operationū ipsius nequeat cadere supra substantiam extraneam: ac proinde denominatio habentis humanitatem nequit cadere supra modum illum perfectitatis, sed necessario cadere debet supra humanitatem ipsam, quæ hoc ipso quod non sit vnita substantiæ nobiliori, est id, cui tribui debent operationes ipsius, ac proinde est habens seipsam: quare modus ille subsistentiæ constituet denominationem hominis cadentem supra humanitatem, sicut albedo constituit denominationem albi cadentem supra subiectum. At vero casu, quo humanitas assumeretur à tribus personis, denominatio hominis, seu habentis humanitatem non posset cadere supra ipsam, sed supra personas, quia denominatio habentis est denominatio dignitatis, & excellentiæ; vnde debet cadere supra illud quod potissimum est in concreto. Cum ergo persona divina sit potissimum in concreto resultante ex ipsa, & humanitate, & hęc minus sit respectu illius, quam accidens respectu substantiæ; consequens est vt illud concretum debeat importare in recto personam divinam. Cum

ergo

ergo multiplicato recto alicuius concreti, concretum ipſum multiplicetur, mirum non eſt quod in illo eventu reſultarent tres homines.

Subſiſtentia diuina quomodo ſupplear munus propriq?

35 Dices: ſubſiſtentia divina ſupplet munus ſubſiſtentiæ creatæ: ergo ſicut triplex ſubſiſtentia creata terminans eandem naturam non conſtituit niſi vnum hominem; ita nec triplex ſubſiſtentia divina. Reſpondeo illam locutionem ſolum eſſe veram in hoc ſenſu, quatenus ſubſiſtentia divina vnita humanitati trahit ad ſe denominationem illam, quam ſubſiſtentia creata tribueret humanitati: quia ſubſiſtentia divina vnita humanitati trahit ad ſe denominationem hominis, illamque quaſi extorquet ab humanitate; at vero ſubſiſtentia creata non traheret ad ſe illam denominationem, ſed potius eſſet vltimum complementum, vt talis denominatio caderet ſupra humanitatem. Ratio diſparitatis eſt; quia ſubſiſtentia creata non ſuſtentat vt quod humanitatem, cum ſit modus quidam illius, & potius ab illa ſuſtentetur; ſed tantum vt quo, quatenus facit vt humanitas in ſe ſiſtat, ſeu vt per ſe exiſtat, ſeu non exiſtat in alio digniori, cui tribuantur eius operationes. At vero ſubſiſtentia divina ſuſtentat vt quod humanitatem, quia illam habet, tanquam ſuppoſitum, cui debent principaliter tribui operationes humanitatis.

36 Quare rigoroſe loquendo falſum eſt humanitatem reddi ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam Verbi in eo ſenſu, in quo redderetur ſubſiſtens per ſubſiſtentiam propriam; nam effectus formalis ſubſiſtentiæ vt exponit Vazquez 3. parte diſp. 31. num. 33. & diſp. 32. num. 19. „ Eſt reddere rem ſimpliciter per ſe exi„ ſtentem, qui effectus formalis rectè à „ nobis explicatur per negationem exi„ ſtendi in alio quovis modo: nam quod „ in alio quoquo modo eſt (inquit ille) „ quomodo dicetur per ſe eſſe? Vnde D. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 2. *Illa* (inquit) *ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Et vt alij ſentiunt, effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt *reddere naturam incommunicabilem alteri*, nimirum, vt ſuppoſito, id eſt facere vt in ſenſu compoſito, illius modi nequeat natura communicari ſubſtantiæ extraneæ, quæ reſpectu illius gerat rationem ſuppoſiti, eamque dicatur habere. Ex quo conſtat munus ſubſiſtentiæ reddentis naturam ſubſiſtentem eſſe reddere naturam per ſe exiſtentem, id eſt non exiſtentem in alio; ac proinde non exiſtentem in Verbo, aut alia quavis perſona divina, & incommunicabilem alieno ſuppoſito; ac proinde incommunicabilem Verbo. Quo poſito, quis non videat non reddi humanitatem ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam Verbi ſibi vnitam, quia per illam vnionem potius humanitas redditur exiſtens in alio, eique communicatur: quomodo ergo redderetur per ſe exiſtens, & incommunicabilis? Reſtat ergo vt humanitas potius dicenda ſit ſubſiſtens in Verbo, quam ſubſiſtens per Verbū. Quod ſi ſubſiſtens dicatur, tunc ſubſiſtens in alio ſenſu debet accipi, vt perinde ſit eſſe ſubſiſtentem, ac eſſe perſonatam, id eſt eſſe naturam Verbi vt perſonæ, quæ naturam humanam dicatur habere.

SECTIO SEXTA.

Soluitur 5. obiectio, & exponitur quo pacto Chriſtus ſit homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum.

37 OBIICIES quinto ex noſtra ſententia ſequi Chriſtum non eſſe hominem eiuſdem ſpeciei cum nobis: nam in hac propoſitione *Petrus eſt homo*, concretum *homo* importat in recto humanitatem; at in hac propoſitione *Chriſtus eſt homo*, concretum *homo* importat humanitatem in obliquo, quia Chriſtus non eſt humanitas, alioqui non eſſet Deus. Æquivocè ergo prædicatur de Chriſto, & nobis. Reſpondeo concretum *homo* prædicatum de Petro habere eandem ſignificationem formalem, ac prædicatū de Chriſto; quia vtrobique ſignificat habens humanitatem, vt enim inquit S. Thom. opuſc. 2. cap. 211. *Nomen hominis attributum Petro, & Chriſto idem ſignificat, ſcilicet naturam humanam, ſed non idem ſupponit, quia hic ſupponit ſuppoſitum æternum Filij Dei, ibi autem ſuppoſitum creatum.* Vnde vnivoce prædicatur de Chriſto, & de Petro, immo vnivocè prædicatur de Deo, ac de Petro: ſicut enim dum dicimus, *Deus eſt homo*, ſenſus eſt, *Deus eſt habens humanitatem*; ita dum dicimus, *Petrus eſt homo*, ſenſus eſt, *Petrus eſt habens humanitatem.* Idem ergo ſignificatum formale eſt vtrobique; licet ſignificatum materiale ſit diverſum: in Petro enim denominatio habentis humanitatem cadit ſupra ipſam humanitatem, quæ proinde importatur in recto, & in obliquo: at in Deo denominatio habentis humanitatem cadit ſupra perſonam

Verbi

Verbi. Vnde non ſolum prædicatur vnivocè de vtroque, quatenus prædicari vnivoce nihil aliud ſit, quam prædicari proprie, vt contendit Bernal diſp. 45. à num. 66. ſed prædicatur vnivoce, quatenus prædicari vnivoce eſt ita prædicari, vt ratio directe ſignificata per prædicatum ſit eadem in inferioribus: id quod negat Bernal: quia inquit, ratio ſignificata per nomen homo non eſt eadem in Petro, & Deo; nam in Petro eſt conſtitutum ex humanitate, & ſubſiſtentia: in Deo vero eſt perſona Verbi terminans humanitatem. Etenim licet perſona Verbi ſit res valde diverſa ab humanitate, non tamen eſt diverſa prout ſignificatur per illud nomen homo: nam vtrobique correſpondet eis idem conceptus formalis; nempe habens humanitatem.

38 Vnde falſum exiſtimo quod hic Author aſſerit, nempe hoc concretum homo poſt incarnationem diverſam accepiſſe ſignificationem, ac antea habebat: nam dum poſt incarnationem prædicatur de Deo ſignificat idem ac habens humanitatem; at dum prædicatur de Petro ſignificat idem, ac complexum ex humanitate, & ſubſiſtentia. Falſum, inquam, exiſtimo, quia in eodem ſenſu, in quo antea vnumquodque ſuppoſitum humanum dicebatur homo, factus eſt Deus homo, quia videlicet Deus per incarnationem incepit habere humanitatem, & eſſe id, cui tribui deberent operationes illius: eſſe autem hominem idem eſt, ac habere humanitatem, & quamvis eſſe hominem accidentaliter prædicetur de Deo, & eſſentialiter de Petro; hoc non tollit quominus in eodem ſenſu, & in eadem ſignificatione vſurpetur terminus homo: quia nimirum illud diſcrimen non ſignificatur per nomen, quod præciſsè ſignificat habens humanitatem præſcindendo à modo habendi humanitatem, an ſcilicet habeatur eſſentialiter, an accidentaliter.

Concretum homo idem ſignificat poſt, ac ante Incarnationem.

39 Ratio autem cur Chriſtus ſit homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum eſt, quia conſtat natura humana eiuſdem ſpeciei cum noſtra. Quia enim denominatio hominis provenit ab humanitate tanquam à forma, identitas ſpecifica in ratione hominis debet ſumi ab identitate ſpecifica formæ: vnde non poſſet Chriſtus dici homo diverſæ ſpeciei, niſi haberet naturam ſpecie, diverſam à noſtra; nam differentia ſumitur à forma, & quāvis concretum homo, quod prædicatur de Deo, & Chriſto, non importet in recto naturam, nihil refert: quia ſat eſt illam importet in obliquo, vt perſona Verbi in ratione hominis ſit eiuſdem ſpeciei; quia concretum habentis ſpecificatur à forma habita: vnde cum humanitas habita à Verbo, & humanitas habita à Petro ſint eiuſdem ſpeciei; Verbum in ratione habentis humanitatem non differt ſpecie à Petro. Quod confirmatur: quia ex communi Philoſophorum *lac*, & *nix* non differunt in ratione albi, ſed faciunt duo alba eiuſdem ſpeciei; quia videlicet vbi forma habita eſt eadem, ſubiecta non differunt ſpeciei in ratione habentium formam; ſed materialiter, & entitative. Sicut autem in concretis accidentalibus quamvis identitas, vel diverſitas ſpecifica ſumatur à forma ſignificata de obliquo, nihilominus diſtinctio numerica ſumitur à ſubiectis, ita vt tot ſint alba, quot ſunt ſubiecta habentia formam; ita in noſtro caſu multiplicatio hominis ſumitur à multiplicatione ſubiecti, vel quaſi ſubiecti habentis humanitatem, ac proinde vbi tria ſuppoſita divina haberēt eandem humanitatem, darentur tres homines.

Concreta ſpecificantur à forma habita.

SECTIO SEPTIMA.

Soluitur 6. obiectio, & explicatur, quomodo vnitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attendatur ſecundum formam ſignificatam.

40 OBIICIES ſexto regulam illam traditam à Divo Thoma 1. p. quæſt. 39. art. 3. pro multiplicatione nominum ſubſtantivorum, & adiectivorum in myſterio Trinitatis, quæ vniverſalis videtur eſſe: nam poſtquam dixit, quod nominum eſſentialium quædam ſignificant eſſentiam ſubſtantive, quædam adiective, & poſtquam aſſeruit ea, quæ ſubſtantive eſſentiam ſignificant, prædicari de tribus perſonis tantum ſingulariter, vt eſſe Deum, eſſe creatorem; quæ vero adiective eſſentiam ſignificant prædicari pluraliter, vt eſſe ſapientem &c. Rationē reddit: quia, inquit: nomina ſubſtantiva ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ, nomina vero adiectiva ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubiecto: ſubſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem, vel multitudinem: inde: & ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen. Accidentia

tia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem, vel multitudinem: ideo in adiectivis attenditur ſingularitas, & pluralites ſecundum ſuppoſita.

41 Ex qua doctrina ſic arguunt adverſarij. Homo eſt concretum ſubſtantivum: ſed vnitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen: ergo cum forma ſignificata per hoc nomen homo ſit humanitas; nequit reſultare multiplex homo, vbi vna tantũ fuerit humanitas: ergo in caſu, in quo tres divinæ perſonæ aſſumerent eandem humanam naturam, non daretur niſi vnus homo. Reſponderi poteſt primo diſtinguendo illam propoſitionem minorẽ: attenditur ſecundum formã ſignificatã per nomen, quando forma ſignificata per nomen importatur in recto, & ſtat per ſe, concedo; quando forma ſignificata per nomen importatur in obliquo tantum, & ſtat in alio, cui tribuntur eius operationes, nego minorem: ſiquidem tunc, quamvis nomen ſit ſubſtantivum, non attenditur ad eius vnitatẽ vnitas formæ, ſed ſubiecti, & ſuppoſiti, vt patet in hoc nomine artifex, & alijs concretis accidentalibus ſubſtantivis; quæ vnitatem, vel multiplicitatẽ ſumunt ex vnitate, vel multiplicitate ſubiecti. Cum ergo in illo caſu, in quo tres perſonę divinę vnirentur eidẽ humanitati, concretũ homo reſultãs ex perſona divina, & humanitate importet in recto ſolam perſonam divinam, & in obliquo tantum humanitatem, quod patet eo eo, quia alias foret falſa illa prędicatio: *Deus eſt homo*; conſequens eſt, vt in illo evẽtu triplex homo reſultare deberet.

39 Deinde reſponderi poteſt, D. Thomam ſolum loqui de concretis, quando conſtitutio ſubſtantiæ eſt connaturalis; quod ſufficiebat inſtituto, de quo agebat; nempe de vnitate, vel multiplicitate concretorũ, quæ eſſentialiter de Deo prædicantur; non fuiſſe autem locutum vniverſaliter de omni concreto, etiam de illis, quæ ſignificant conſtitutionem ſubſtantiæ non connaturalem; quale eſt concretum homo reſultãs ex perſona Verbi, & humanitate. Quod ſuadetur ex ratione quam affert Angelic. Doct. quæ ſolum eſt efficax pro concretis ſignificantibus ſubſtantiam connaturaliter conſtitutam: ideo enim dicit vnitatem, vel multiplicitatem concreti ſubſtantivi ſumendam eſſe ex vnitate, vel multiplicitate formæ; quia illa concreta ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ; ſubſtantia autem ſicut perſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem, vel multiplicitatem. Hæc autem ratio ſolum militat quando concreta ſunt connaturalia; tunc enim forma ſignificata, debet in recto importari; quia natura ſubſtantialis, quæ eſt forma ſignificata per illa concreta, hoc ipſo quod connaturaliter exiſtat, non debet exiſtere in alio digniori, cui tribuãtur ipſius operationes, ac proinde ipſa debet importari in recto tanquã immediatũ ſuſceptivũ ſignificationis nominis concreti, v.g. humanitas hoc ipſo, quod cõnaturaliter exiſtat, non debet eſſe vnita ſubſtantię digniori ſe, cui ipſius operationes tribuãtur, & ſupra quã in recto cadat denominatio hominis, id eſt habentis humanitatẽ; ac proinde denominatio hominis debet cadere ſupra ipſam: vnde homo debet eſſe vnus, vel multiplex pro vnitate vel multiplicitate humanitatis, quãdo hæc connaturaliter exiſtit. Nõ valet autẽ hæc ratio, quando concreta nõ ſunt cõnaturalia; quia tũc humanitas ſignificata per nomen non importatur in recto; ſed tantũ de obliquo; ac proinde denominatio hominis in cõcreto non magis poteſt cadere tunc ſupra ipſam, quã denominatio albi ſupra albedinẽ, & denominatio artificis ſupra artẽ. Sicut ergo tunc ſignificatio huius concreti homo non afficit humanitatem, ſed perſonam divinã habentem humanitatem media vnione hypoſtatica, ita vnitas, vel multiplicitas illius concreti homo non debet deſumi ex humanitate, ſed ex perſona divina habente humanitatem.

Concreta ſumũt vnitatẽ à forma, quando conſtitutio eſt cõnaturalis ſubſtantiæ.

43 Dices diſcrimen eſſe inter concreta accidentalia, & hoc concretum homo, etiam quando non eſt connaturale: quod concreta accidentalia ſemper important formam vt inherentẽ ſubiecto, ac proinde vt ſumentem ſuam vnitatem, vel multiplicitatẽ in concreto ab vnitate, vel multiplicitate ſubiecti: at concretum homo ſemper ſignificat humanitatem vt ſubſtãtiam; ac proinde vt per ſe ſtantem independenter ab omni ſubiecto: ergo vt habentem ſuam vnitatem, vel multiplicitatem in concreto independenter ab omni alio.

44 Reſpondeo concretum homo ſemper ſignificare humanitatem vt habentem ſuam vnitatem, vel multiplicitatẽ in concreto independenter ab omni alio vt ſubiecto, cui inhæreat, vel in quo recipiatur; idq; ſolũ concludi ex vi partitatis; non autẽ vt habentem omnino inde-

pendenter ab omni alio; nam cum humanitas posit existere in alio tanquam in supposito, cui inexistat, & cui tribuantur ipsius operationes, vt contingit in humanitate vnita Verbo, potest habere vnitatē, vel multiplicitatē sui concreti dependenter ab alio, tanquā à principali constitutivo supra quod cadat significatio concreti. Perinde autē est humanitatē existere in supposito divino, ne denominatio hominis cadat supra ipsam; ac accidens existere suapte natura in subiecto, ne denominatio in cōcreto cadat supra ipsum.

45 Sicut autem parum interest quod nomen sit substantivum, ne multiplicetur pro multiplicitate suppositorū, quando forma significata per nomē importatur solū de obliquo: ita parū interest, quod sit adiectivum, vt multiplicandū sit pro multiplicitate suppositorum; si forma importata in obliquo ex modo significandi simul importetur in recto, tunc enim quāvis nomen sit adiectivum, non debet multiplicari nisi multiplicetur forma v. g. hoc concretum habens Deitatem, habens omnipotentiam &c. In ijs enim concretis Deitas, & omnipotentia ita importantur in obliquo, vt simul importentur in recto: quando enim forma significata per nomē est summe perfecta, & primaria, atque principalis perfectio reperta in supposito, nequit denominatio habentis illam formam formaliter cadere supra aliquid ab ipsa realiter, vel virtualiter distinctum. Et hæc est ratio à priori, cur D. Thomas in symbolo absolute, & sine vlla limitatione dixit non multiplicari nomina illa, quæ significant perfectiones absolutas, etiam si sint adiectiva; etenim *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed Vnus omnipotens*, & sic de reliquis; quia videlicet omnipotens idem est, ac habens omnipotentiam; æternus idem, ac habens æternitatem; & cum omnipotentia, æternitas, &c. virtualiter identificetur cum natura divina, dicantque summam perfectionem intensivam, & primatiam, denominatio habentis illam perfectionem nequit cadere supra aliquid virtualiter distinctum ab illa primario & in recto; quia omnis perfectio divina virtualiter distincta à perfectionibus absolutis est perfectio relativa, & veluti proprietas perfectionis absolutæ, ac proinde est perfectio secundaria, & minus principalis: nequit autē denominatio habentis perfectionem primariā cadere supra perfectiones secūdarias. Vnde licēt Pater sit habēs Deitatem, nihilominus hæc denominatio non cōpetit illi ratione relativi, ita vt supra illud primario cadat, sed ratione absoluti, ac proinde ibi divinitas est habens, & habita.

SECTIO OCTAVA.

Septima, & præcipua obiectio contra nostram sententiam, vbi quomodo hoc nomen spirator supponat pro habente formam, & an detur spirator, quod sit individuum quoddam per se subsistens, commune duabus personis; sicut hic numero Deus est individuū per se subsistens, commune tribus, vbi pars affirmans defenditur.

46 OBIICIES septimo principaliter contra nostram cōclusionem evertendo principiū, quod sumpsimus, nempe omne cōcretū supponere pro habente formā. Etenim hoc nomen spirator est nomen concretum substantivum, & tamen non supponit pro habēte formā, nam vt tenet cōmunis Theologorū sententia cū D. Tho. 1.p. q. 39. art. 4. in divinis non datur duplex spirator, sed vnus: & Pater, & Filius sunt vnus spirator: quę assertio satis colligitur ex veritate fidei definita in Cōcilio Lugdunensi sub Gregor. X. quæ refertur cap. vnic. de summa Trinit. in sexto, nempe, *Quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationib⁹, sed vnica spiratione procedit.* Ex quo arguunt Theologi, quod sicut Pater, & Filius non possunt dici duo principia Spiritus Sancti, sed debent dici vnum principiū; ita non possunt dici dno spiratores, sed debeant dici vnus spirator; licet iuxta communem sententiam possint dici duo spirantes adiective; vt probat Fasol. tom. 3. quæst. 36. art. 4. dubit. 1. n. 10.

47 Ex quo principio sic efformatur argumentum contra nostram sententiam; si spirator supponeret in recto pro habente formam nempe pro habente spirationem activam; concedi deberent duo spiratores; nam concedi debent duo habentes spirationem, siquidem cum denominatio habentis spirationem activam, nequeat cadere supra hunc numero Deum communem tribus personis; quia habere spirationem activam, ac posse spirare, seu esse id, cui tribuitur actio spirandi, quæ sunt prorsus idē; debet cadere supra suppositū; ergo supra Patrē, & Filiū:

ergo

ergo debet multiplicari ratio habentis ſpirationem activam; ergo ratio ſpiratoris: ergo ſpirator debet in recto ſupponere pro ſpiratione activa vt exiſtente in ſuppoſito, ita vt directe ſignificet virtutē ſpirandi connotando ſuppoſita habentia talē virtutē vagè hoc, vel illud: vt contendit Vazq. 1. p. diſp. 149. n. 9. Qui idem cenſet de hoc concreto Deus, diſp. 158. cap. 2. & de hoc concreto homo, nempe directe ſignificare naturam connotando ſuppoſitum. Probatur conſequentia; quia alioqui non poterit verificari, quod Pater, & Filius ſint vnus ſpirator.

Pro quo ſupponat directè ſpirator.

48 Reſpondeo ſpiratorem directe ſupponere pro habente ſpirationē, ſeu potente ſpirare, vel potius ſpirante, nego tamen directè, & immediatè ſupponere pro ſuppoſito; ſed pro aliquo individuo ſingulari communi Patri, & Filio, nimirū pro ſubſiſtēte in ſpiratione activa. Sicut enim ex eſſentia, & ſpiratione paſsiva reſultat Spiritus Sanctus, qui eſt terminus Spiratus, ita ex eadē eſſentia, & ſpiratione activa reſultat ſpirator, qui eſt principiū ſpirās, & ſicut ex eſſentia, & Paternitate reſultat Pater; ita ex eſſentia, & ſpiratione activa reſultat ſpirator. Quare reſpondeo eodē modo philoſophandū eſſe de recto illius concreti *Spirator*, ſicut de recto huius cōcreti *Pater*. Vnde ſicut denominatio Patris, & potentis generare cadit in recto ſupra Paternitatē; ita denominatio potentis ſpirare cadit in recto ſupra ſpirationem activā. Hanc ſententiā tuentur Ocham. & Gabr. apud Fal. tom. 3. q. 36. art. 4. dub. 2. n. 13. eamq; egregie propugnat P. Mol. 1. p. q. 36. art. 4. diſp. 2. & P. Vazq. 1. p. diſp. 149. dicit non eſſe minus probabilē, quā illā, quæ dicit dari individuū Deitatis realiter cōmune tribus perſonis, videlicet hunc numero Deum, quam tuentur Illuſt. Theologi, nempe D. Thom. 1 p q. 39. art. 6. in corpore. Scotus in prim. d ſt. 4. q. 2. §. *Sed pro quo*. Caietanus 3. p. q. 3. art. 2. §. *Quæſtio*. P. Suar. lib. 4. de Tr. n. cap. 14. Fatol tom. 3. q. 39. art. 4. dub 1. n. 3. & omnes qui admittunt ſubſiſtentiā abſolutam in Deo quos refert, & ſequitur Fatol. q. 30. art. 1. dub. 3. Quod Patris Vazq. iudicium ſatis firmatur authoritate D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 14. vbi „ ait: Sicut Pater, & Filius, & Spiritus „ Sanctus ſunt vnum principium creaturarum; ita Pater, & Filius ſunt vnum „ principiū Spiritus Sancti: ergo quando quidē tres divinæ perſonæ ſunt vnū principiū, quia ſunt hic numero Deus realiter communis ipſis, qui eſt principiū operandi ad extra vt docet D. Thom. 1. p. q. 39. art. 4. vbi ait, in hac propoſitione *Deus creat*, Deū non ſupponere immediate pro perſonis, ſed pro eſſentia. Ita ſimiliter Pater, & Filius erunt vnum principiū, quatenus ſunt hic numero ſpirator, reſultans ex eſſentia, & ſpiratione activa.

Spiratoē eſt vnum per ſe ſubſiſtēs.

49 Hanc ſententiam, vt dixi, illuſtrat optimè Molina, qui poſtquam retulit argumenta fieri ſolita contra Ocham. & Gabriel. nihilominus ſtatuit primam „ concluſionē, dices: Non videtur negandum, ſpiratorem eſſe vnum per ſe ſubſiſtens ex eſſentia divina, & relatione ſpirationis activæ conſtitutū, quod idcirco „ individuū ſit, & non perſona, quod Patri, & Filio ſit commune. Et magis ſuā ſententiam explicans, concludit, rationē ſpiratoris eſſe vnum per ſe conſtitutū ex eſſentia, & ſpiratione activa; ac proinde eſſe quidpiā ſubſiſtens, non quidem in ea acceptione, qua ſubſiſtens, ac ſuppoſitum idē ſunt, ſed in ea, in qua dicimus divinā eſſentiam eſſe quid ſubſiſtens, id eſt exiſtens indepēdenter ab omni alio, cui quaſi inexiſtat. Cui ſententiæ adeo firmiter adhæſit Molina vt ibi §. *Quo loco*, dicat, ſe „ non ſatis videre quanam ratione Pater, „ & Filius dici poſsint vnicum principiū „ ſpirans vt quod Spiritum Sanctū, vt Eccleſia dici, ac eſſe definit, ſi non dicatur; „ nomen ſpirator ſignificare immediate „ quidpiam in ſua ratione formali includens ſimul eſſentiam & ſpiratione activam, in quo Pater, & Filius ſint vnicum „ principiū quod Spiritus Sancti; licet ſint „ plures res, & plura ſuppoſita, quorum „ quodvis, quatenus cum altero in illa ratione formali convenit, Spiritum Sanctum ſpirat.

50 Ex qua doctrina obiter infero rationem ſpirantis vt quod non multiplicari, ſicut ſupra dixi de ratione habentis Deitatē; quia videlicet Pater, & Filius ſicut ſunt vnus ſpirator; ita ſunt vnū principiū quod; quare licet Pater ſit ſpirans, & Filius ſit ſpirans, non tamen ſunt duo ſpirantes, ſed vnus ſpirans, ſi numerus afficiat rationem ſpirantis; licet ſint Duo, quorum quilibet ſpirat. Et in hoc ſenſu, & non in alio exiſtimo verum eſſe, quod Theologi communiter docent cum Divo Thoma 1. p. q. 39. art. 3. nempe nomina eſſentialia adiectiva, ſeu quæ eſſentiam ſignificant, adiectivè prædicari pluraliter de tribus, propter pluralitatem ſuppoſitorū; *Dicimus enim tres exiſtentes, vel*

tres sapientes, aut tres æternos, & increatos, & immensos, inquit ibi D. Thomas; hoc enim non ita intelligendum est, vt numerus afficiat rationem omnipotentis, immensi &c. Sic enim est falsa propositio, & in eo sensu negatur in symbolo dum dicit, *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.*

51. Quod autem in hoc sensu, & non in alio loquantur Theologi, colligo ex *Scoto in 1. dist. 2. q. 1.* Vbi dans discrimen inter nomina concreta adiective, & substantive sumpta, ait quod vt illa dicantur pluraliter, satis est pluralitas suppositorū, non vero vt dicantur pluraliter ista hanc ratione illius regulæ tradit: nam duo adiectiva ita sunt affecta, vt neutrum determinet alterum, sed vtrunque determinet substantivum, vt patet, quando dicimus *Petrus est magister albus*, per modum enim est, ac dicere Petrus est Magister, & albus. Quia ergo adiectiva eius sunt naturæ, vt non se determinent mutuo, sed determinent substantivum se tertium ex parte subiecti; hinc est, vt sensus huius propositionis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æterni, adiective sit iste, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres, & eorum quivis est æternus; quia vtrumque adiectivum immediate afficit subiectum. At vero si terminus positus ex parte prædicati sit substantivus, & cum illo coniungatur terminus numeralis, tunc numerus determinat prædicatum, & multiplicat rationem formalem illius: vnde hæc est falsa: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Dij, quia cum numerus non afficiat tunc subiectum, non est sensus: Pater & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres, & quilibet est Deus, qui esset verus: sed numerus afficit prædicatum, & denotat multiplicari Deitatem.

Duo adiectiva non se, sed substantivū determinant.

52. Vt autem redeam ad sententiam Patris Molinæ, quamvis illa à Patre Vazquez censeatur eiusdem probabilitatis cum ea, quæ ponit concretū Deitatis realiter commune tribus personis, nihilominus non omnes, qui illud concretū admittunt, concedunt concretum spiratoris prout ponitur à P. Molina: nam P. Suar. illud primum concedens sententiam Molinæ impugnat lib. 10. de Trinit. cap. 4. Vbi docet Spiritum Sanctum non posse procedere ab aliquo constituto ex spiratione activa; quia, inquit, spiratio activa vt dicitur esse quarta relatio, non vnitur immediate essentiæ vt essentia est sed Patri, & Filio, quos supponit secundū ordinem rationis spirantes, asseritque idem esse sufficiens, & immediatum principium productionis per voluntatem, quod est immediatum principiū productionis per intellectū; ac proinde Patrem vt constitutum proprietate personali immediate spirare, sicut immediate generat, non vero solum mediate virtualiter, seu ratione nostra; quatenus scilicet identificatur cum spiratore vt Molina asserit. Quare inter Paternitatem, & spirationem activam hoc constituit discrimen; quod Paternitas supponitur generationi vt proprietas constituens personam generantē; spiratio autē sub nulla ratione supponitur ad productionem Spiritus Sancti; quia non est necessaria ad personā constituendā, quæ est principiū Spiritus Sancti. Et ratio differentiæ est (inquit) quia ante Paternitatem non supponitur aliquod constitutū, quod possit esse principium productionis ad intra; ad spirationem autem activam iam supponitur. Asserit proinde Patrem, & Filium immediate spirare per amorem tanquam per virtutē spirandi, sicut Pater generat per intellectionem, tanquam per virtutem generandi. Et lib. 5. cap. 9. tradens discrimen inter spirationē activam, & relationes personales, ait, in hoc maxime differre, Primo, quod relationes personales per se, & ex propriis conceptib subsistentes sunt, alias non possent constituere personas: spiratio autē activa, cum adveniat personis iā constitutis, nec est ratio subsistendi, nec ex proprio conceptu secum affert subsistentiā, sed illam habet à personis, quibus inest nostrō intelligendi modo. Secundo quod relationes personales non sunt, nec intelliguntur à nobis tanquā resultantes, sed tanquā per se primo convenientes divinæ naturæ, at vero spiratio (inquit) est in Deo quasi per resultantiam, seu indirectam consecutionem, solumque intelligitur existere, quatenus ex productione personæ iam constitutæ consequitur.

Doctoris Eximij sententia.

53. Hanc Suarij sententiam difficilem iudico. Primo, quia si semel Pater, & Filius intelliguntur spirare, quin intelligatur aliqua relatio realis distincta virtualiter à Paternitate, & Filiatione: ergo in divinis non est ponenda quarta relatio realis: nam ad quid erit necessaria relatio illa pro posteriori natura resultans? Quare resultantia illa solū potest esse ex modo nostro concipiendi: sicut ex actione generativa concipimus resultare relationē Paternitatis in creatis, cum

Impugnatur I.

cum tamen in probabiliori ſententia relatio illa non ſit modus realis reſultans. Secũdo, & principaliter, quia in hac ſententia nequit explicari ſupra quid cadat denominatio ſpiratoris, ſe principij potentis ſpirare; certum enim eſt debere cadere in recto ſupra aliquid relativum; nam ſpirator realiter diſtinguitur ab Spiritu Sancto; nihil autem abſolutum diſtinguitur ab Spiritu Sancto: ergo ſupra nihil abſolutũ poteſt in recto cadere illa denominatio: ergo ſinõ admittitur relatio aliqua diſtincta virtualiter à Paternitate, & Filiatione, quæ conſtituat ſpiratorẽ per modũ actus primi illa denominatio immediate debet cadere ſupra Paternitatẽ, & Filiationẽ, hoc autem eſt abſurdũ; quia illæ duæ relationes, cum non ſint identificatæ, non poſſunt conſtituere vnũ numero rectũ illius concreti ſpirator: ergo erunt duo ſpiratores. Tertio, quia de quacunque ex duabus perſonis ſpirantib⁹ prædicatur ſpirator, vere enim dicimus, *Pater eſt ſpirator, Filius eſt ſpirator.* Quæro ergo quid prædicetur de Patre in illa propoſitione? Certe non poteſt prædicari ſola voluntas, quę in ſententia Suarij eſt virtus ſpirandi; voluntas enim præcisè ſumpta non eſt ſpirator, nec volũtas vt modificata per relationẽ Patris, & Filij: Pater enim non eſt voluntas vt modificata per Filiationẽ, & Paternitatem; nec voluntas vt modificata per Paternitatẽ; alioqui intelligetur ſpirator antequã intelligatur Filius. Reſtat ergo vt in illa prædicatione intelligatur volũtas vt connotans relationẽ ſpirationis activæ, ac proinde ſpirator ſeu principiũ ſpirandi debet eſſe complexum ſaltem ex voluntate divina, & aliqua relatione communi Patri, & Filio, ſive illa relatio habeat ſe per modũ virtutis, ſive ſolũ ſit conditio, vt virtus ſpirandi in voluntate conſiſtens intelligatur completa; in hoc enim puncto eodẽ modo philoſophandũ erit de illa relatione in ordine ad Spiritum Sanctum, ac de Paternitate in ordine ad Filium: vnde ſi Paternitas fuerit virtus generandi, ſpiratio activa debet eſſe virtus ſpirandi: ſi vero Paternitas ſolum fuerit connotatum, & complementum virturis generandi conſiſtentis in intellectione; ſpiratio activa ſolum erit connotatum virtutis ſpirandi conſiſtentis in volitione.

54 Duo tamen certa eſſe debent: primum, licet dicatur virtutem ſpirandi non importare in recto ſpirationẽ activã, ſicut nec virtutem generandi importare Paternitatem; nihilominus ſpiratorem neceſſario importare in recto relationem ſpirationis activæ; ſicut Pater neceſſario importat in recto Paternitatem; nam ſpirator quatenus talis diſtinguitur realiter ab Spiritu Sancto: ergo cum non diſtinguatur ratione abſoluti debet diſtingui ratione relativi: ergo importat in recto ſpirationem activam oppoſitam ſpirationi paſſivæ. Secundum quod certum eſſe debet, eſt, virtutem ſpirandi non poſſe eſſe Paternitatem, & Filiationem, quamvis virtus generandi dicatur eſſe Paternitas. Vt enim docet Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 5. num. 3. res eſt certa, & in qua conveniunt omnes Theologi, nempe in Patre, & Filio vnam tantum eſſe virtutem ſpirandi, eandem numero, & vtrique realiter communem: & ratio eſt, quia ſi Pater, & Filius ſimul cum diſtinctione perſonali haberent etiam virtutes ſpirandi realiter diſtinctas, nihil ſuper eſſet propter quod dici poſſent vnũ principium vere, & in re ipſa; prout Concilia definiunt. Deinde, quia ſi virtus ſpirandi conſiſteret in Paternitate, & Filiatione, vel quælibet ſeorſim eſſet tantum virt⁹ partialis, & ſic foret quælibet virtus imperfecta; vel eſſet virtus totalis, & ſic neceſſario admittendi eſſent duo ſpiratores, ſicut admittuntur duæ virtutes totales ſpirandi.

Virtus ſpirandi non eſt Paternitas, & Filiatio.

55 Contra ſententiam Patris Molinæ, & in favorẽ ſententiæ Patris Suarez plura adducit P. Faſol. tom. 3. quæſt. 36. art. 4. dub. 2. à num. 19. quæ tamen diſolvere non eſſet operoſum, ſi noſtri inſtituti foret. Vnum tamen animadverto, quo omnia concurrunt, quæ ibi congerit, videlicet ſpirationem activam non convenire immediate Patri, & Filio, quia ſpirant Spiritum Sanctum; vt falſo ibi adſtruit hic Author, nec convenire Patri, & Filio ratione proprietatum perſonalium, ſed immediate convenire eſſentiæ divinæ: hæc enim ſicut eſt intellectio, & amor; ita petit ratione ſui relationes, quibus communicetur quatenus intellectio, & quatenus amor. Vnde ſpiratio activa non minus convenit immediate eſſentiæ, quam Paternitas; ſicut enim Paternitas eſt relatio per quã eſſentia communicatur vt intellectio ita ſpiratio activa, eſt relatio per quam communicatur, vt amor. Vnde non minus eſt per ſe ſubſiſtens ſpiratio activa, quam paternitas, licet non ſit ſubſiſtens in eo ſenſu, in quo ſubſiſtere idem eſt, ac eſſe ſuppoſitum,

Spiratio activa cõ venit immediate eſſentiæ divinæ.

ſiquidem vt optimè ait Durandus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. num. 6. eſſe ſuppoſitum eſt eſſe incommunicabile; quia ſuppoſitum eſt ſic ſub alio poſitum, quod ſub ipſo non eſt aliud poſitum. Omne autem quod eſt communicabile pluribus, habet aliquid poſitum ſub ſe, & ideo non eſt proprie, & ſimpliciter ſuppoſitum, & ſubſiſtere in hac acceptione nihil aliud eſt, quam ſub omnibus exiſtere, ſeu omnib⁹ ſubijci: quod non competit niſi prædicatis individuis, de quib⁹ alia prædicantur, ipſa vero non prædicantur de alijs, quia ſunt vltima, & minimè communia pluribus; quales in divinis ſunt ſolum perſonæ, non autem ſpirator, qui prædicatur de Patre, & Filio tanquam ſuperius de inferioribus: vnde potius Pater, & Filius exiſtunt ſub ſpiratore, quam è converſo. Non eſt ergo ſpirator ſubſiſtens in hoc ſenſu, ſed in alio, nempe in illo in quo ſubſiſtere idem eſt, ac per ſe exiſtere independenter ab omni alio, cui tribuantur eius operationes, in quo ſenſu eſſentia vt condiſtincta virtualiter à relationibus ſubſiſtens eſt, conſulatur Molina 1. p. quæſt 29. art. 2. diſp. 3. §. *Tertio modo*, vbi explicat varias acceptiones ſubſiſtentiæ.

56 Probabile que exiſtimo ſpirationem activam omnino concomitanter cum Paternitate dimanare ab eſſentia divina virtualiter; licet prius origine operetur Paternitas quã ſpiratio activa; nullam enim prioritatem videtur habere Paternitas reſpectu ſpirationis activæ: in tantumque dicetur Patrem communicaſſe Filio ſpirationem activã, quatenus cõmunicavit illi eſſentiam vindicantem ſibi tanquam proprietatem illam ſpirationem activam.

57 Quod ſi contra hanc ſententiam objcias, ex illa fieri Spiritum Sanctũ non procedere à Patre, & Filio, ſed ſolũ procedere ab ſpiratore. Nego ſequelam; quia nequit procedere ab ſpiratore realiter cõmuni Patri, & Filio, quin à Patre, & Filio dicatur procedere, non tanquam à duplici principio quod, ſed tanquam ab vnico principio quod. Sicut creaturæ nequeunt procedere ab hoc numero Deo realiter communi tribus perſonis tanquã à principio quod, quin vere dicantur procedere à tribus perſonis. Quare propoſitio negans procedere à Patre, & Filio eſt falſa: vnde eſt vera propoſitio affirmans procedere à Patre, & Filio, & ſimiliter quæ affirmat procedere ab ſpiratore.

58 Petes an Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, quatenus ſunt plures; an præciſè, quatenus ſunt vnum? Reſpondet Molina q. 36. art. 4. diſp. 5. §. *Ex ijs*. Simpliciter, & abſolute loquendo Spiritum Sanctũ procedere à Patre, & Filio, quatenus ſunt hoc numero individuũ qui dicitur ſpirator, & ſimiliter procedere ab illis in quantum ſunt multa ſuppoſita, in quantum id eſt conditio ſine qua ab vtroque ſuppoſito non diſtingueretur. Sed contra poteſt argui, quia quod Pater, & Filius inter ſe opponantur relative, & diſtinguantur realiter non eſt per ſe conditio vt producant Spiritum Sanctum; dummodo enim opponantur cum Spiritu Sancto, illum producent: ſic quod perſonæ divinæ inter ſe diſtinguantur, non eſt per ſe conditio vt producant creaturas; dummodo enim eſſent hic numero Deus, quamvis inter ſe eſſent identificatæ, producerent. Immo productio Spiritus Sancti non magis per ſe poſtulare videtur pluralitatem ſuppoſitorum, quam productio creaturarum; ſicut enim Deus eodem modo produceret creaturas quamvis non eſſet realiter trinus; ita ſpirator produceret eodem modo Spiritum Sanctum, quamvis identificaretur cum ſolo Patre. Et in hoc ſenſu aſſeruit Scotus in primum diſt. 12. q. 1: per accidens eſſe in principio quod Spiritus Sancti pluralitatem ſuppoſitorum, & rationem reddit, quia tota virtus ſpirandi perfectiſsima eſt in qualibet perſona, nec in duabus ſimul eſt perfectior, quam in ſingulis: ergo ad ſpirandum accidentarium eſt illi quod ſit in duabus perſonis: alias Scoti rationes vide apud Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 6. num. 1.

Diſtinctio inter Patrem, & Filiũ non eſt conditio ad ſpirandum neceſſaria, iuxta Scotum.

59 P. Molina ib. §. *Puto tamen* ait: ad productionem Spiritus Sancti realiter diſtincti à Patre, & Filio per ſe requiri in principio Spiritus Sancti pluralitatem ſuppoſitorum Patris, & Filij, tanquam conditionem ſine qua non produceretur talis; nam ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab illo non diſtingueretur: licet ſi per impoſſibile Filius non concurreret ad productionem Spiritus Sancti, ſolus Pater ſufficeret vt illum produceret; tametſi tunc non eſſet diſtinctus à Filio. Quam ſolutionem reddit etiam Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 6. num. 6.

60 Cæterum quamvis hæc ſolutio recte adhibeatur à Suario negante Spiritum

ritum Sanctum procedere immediate ab aliquo ſubſiſtente communi Patri, & Filio; & aſſerente procedere immediate à Patre, & Filio, vt conſtitutis proprijs relationibus; quia hoc ipſo Spiritus Sanctus ex vi ſuæ propriætatis perſonalis dicit immediate relationem ad Patrē, & Filiū, & procedit à Patre, & Filio, quatenus Pater, & Filius ſunt, ly quatenus reduplicante conditionē neceſſariam ad ſpirandum, non autem virtutem ſpirandi; vt explicat Caietanus 1.p. quæſt. 36. art. 4. Quamvis, inquam hæc ſolutio recte adhibeatur à Suario iuxta ſua principia; non tamen videtur adhiberi congrue poſſe è Molina aſſerente, Spiritum Sanctum procedere immediate ab aliquo ſubſiſtente communi Patri, & Filio: nam iuxta hanc ſententiam Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis ſolum reſpicit immediate, & formaliter tanquam principium quod ſui illud ſubſiſtens commune, nempe ſpiratorem, qui in ſuo conceptu formali non includit Paternitatem, nec Filiationem: ſed ſpirationem activam, & eſſentiam: ergo ſi Spiritus Sanctus reſpiceret tanquam principium reale ſui Patrem, & Filium, vt tales, ſolum illos reſpiceret vt principium reale mediatum. Atqui hoc modo non reſpicit; quia Pater, & Filius non ſunt principium reale ſpiratoris: immo nec principium virtuale, ſiquidem relatio ſpirationis activæ immediate dimanat ab eſſentia iuxta Molinam: ergo nullo modo reſpicit, niſi ſolum per accidens, quatenus ſcilicet Pater, & Filius identificantur realiter cum ſpiratore, quem per ſe ſupponit ergo ſi per impoſsibile Pater & Filius non identificarentur realiter cum ſpiratore; vel ſi per impoſsibile maneret ſpirator deficiente Patre, & Filio, adhuc maneret Spiritus Sanctus cum hac numero perſonalitate quam defacto habet, ſiquidem manente principio quo, & quod alicuius effectus, poteſt manere effectus, quamvis reliqua omnia deficiant.

61 Immò hinc poteſt contendi falſam eſſe ſententiam Molinæ de illo ſubſiſtente communi realiter Patri, & Filio: quia ex hac ſententia videtur ſequi ſpiritum Sanctum non diſtingui à Patre, & Filio, ſed dumtaxat ab ſpiratore: ſi enim Pater, & Filius non producunt Spiritum Sanctum immediate, ſed ſolum quaſi mediate, nimirum, quatenus identificātur realiter cum principio quod producente, nempe cum ſpiratore: ergo ſolum dicuntur diſtingui, quatenus ſpiratos, cum quo identificantur, diſtinguitur. Atqui hoc non ſufficit vt dicantur abſolute diſtincti: nam eſſentia divina etiam identificatur cum ſpiratore, qui diſtinguitur ab Spiritu Sancto, & tamen ipſa ab illo non diſtinguitur.

62 Nihilominus reſpondendum eſt veram eſſe ſententiam Molinæ: ſcilicet Spiritum Sanctum ita procedere à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vno ſpiratore, vt ſimul procedat ab eiſdem quatenus plures; ita tamen vt illa particula, nec reduplicet principium quo, nec principium quod immediatum, & formalem, ſed conditionem neceſſariam, vt principium quod producat hunc Spiritum Sanctum cum hac characteriſtica proprietate, quam habet defacto. Quare licet ſi per impoſsibile maneret ſpirator deficiente Filio; nihilominus Pater ſpiraret; non tamen produceret Spiritum Sanctum eiuſdem rationis. Ratio eſt, quia Spiritus Sanctus procedit vt mutuus amor Patris, & Filij, & vt inquit Henric. in ſum. art. 54. principium ſpirandi eſt voluntas concors duorum, qui ſe mutuo diligunt: ergo ex vi ſuæ proprietatis perſonalis poſtulat vt virtus ſpirandi ſit in duobus ſuppoſitis, quod bene confirmat Vazquez 1.p. diſp. 150. num. 8. ex Ricardo de Sancto Victore 3. de Trinitate cap. 37. & 41. vbi docet amorem eſſe non poſſe perfectū, & iucundum, niſi ſit ſaltem duorum, vt enim ipſe ait cap. 16. Nihil „ definitur cōtrarium naturæ, ſi plenitu„ do ſapientiæ dicatur eſſe in vna tantum „ perſona; in vna nanque perſona plenitu„ do ſapientiæ eſſe poſſet: at plenitudo „amoris natura ſua exigit plura ſuppoſita, „ vt perfectus ſit; perfectio enim amoris „ in eo conſiſtit vt mutuus ſit: ergo cum Spiritus Sanctus procedat vt amor perfectus, conſequens eſt, vt procedat vt mutuus amor; quod ſane non haberet, ſi ab vna tantum perſona procederet.

Diſtinctio Patris à Filio eſt conditio neceſſaria ad ſpirandum

63 Quo circa differentia eſt inter potentiam creandi, & potentiam ſpirandi; quia licet illa neceſſario ſit in tribus perſonis, & creatura neceſſario à tribus procedat, non tamen vt tria ſunt, ſed vt in vnitate conveniunt, quia videlicet eſto hic numero Deus, qui creat, ſit in tribus perſonis; at per ſe non poſtulat illā exiſtētiam in tribus perſonis titulo creandi;

Creator quo differt ab ſpiratore

dit quia eodem modo crearet, eosdemque effectus, quamvis esset in vna tantum persona: at virtus spirandi vt talis necessario postulat esse in duobus, ac proinde hic numero spirator per se debet esse communis duabus personis vt possit producere Spiritum Sanctum. Quapropter Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, quatenus sunt duo supposita, & quatenus sunt vnus spirator. Et consequenter Spiritus Sanctus per se potit procedere à pluribus, concurrentibus tamen per eandem virtutem per se subsistentem.

64 Ad confirmationem, qua contendebatur falsam esse sententiam Molinæ respondetur, Spiritum Sanctum non solum opponi relative cum spiratore, sed etiam cum Patre, & filio, quia ab vtroque procedit. Vnde spiratio activa habet nõ solum referre spiratorem ad Spiritum Sanctum, sed etiam Patrem, & Filium; nam Pater, & Filius sunt supposita, quæ secundum se exigunt producere Spiritum Sanctum, licet non exigant producere per suas relationes tanquam per virtutẽ producendi, nec tanquam per principium quod immediatum ratione nostra; sed exigunt producere Spiritum Sanctum per spiratorem, qui proinde supponit Patrem, & Filium tanquam supposita, quæ verè, & realiter denominentur producẽtia ab actione, quæ oritur ab ipso spiratore. Vnde simile non est, quod affertur de natura divina; hæc enim ita identificatur cum spiratore, vt nec exigat esse, nec sit capax essendi principium producens Spiritum Sanctum. Quod autem hoc habeant Pater, & Filius, non vero essentia, sufficienter colligitur ex principijs fidei, quæ docet Spiritum Sanctum à Patre, Filioq; procedere; non docet autẽ procedere ab essentia, sed potius docet non procedere, quia hoc ipso, quod ab illa procederet, essentia non esset in Filio per realem identitatem; ex eo autem quod Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, neutiquam sequitur quod non procedat immediate ab spiratore realiter communi vtrique personæ: immo ex eo quod fides doceat Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, recte colligitur admittendum esse spiratorem, qui sit aliquid subsistens, & commune Patri, & Filio, vt diximus supra cum P. Molina

(*)

SECTIO NONA.

Solvitur alia obiectio, & eius occasione differitur de Christi prædestinatione.

65 OBIICIES octavo contra nostram sententiam, si humanitas dimitteretur à Verbo, maneret idem numero homo, qui antea existebat; atqui hoc esset falsum, si semel hic numero homo idem est, ac hic numero habens humanitatem; siquidem suppositum tunc habens humanitatem esset creatum, & suppositum antea habens erat increatum. Esset autem verum si semel hic numero homo idem sit, ac aliquod habens hanc numero humanitatem; siquidem cum tunc maneret hæc numero humanitas, maneret aliquis habens hanc numero humanitatem: ergo hic numero homo non est idem, ac hic numero habens humanitatem. Atqui hoc est fundamentum vnicum ad asserendum, quod in casu triplicis personæ divinæ assumentium eandem humanitatem, resultaret triplex homo: ergo in illo eventu non resultaret triplex homo. Maior sola probatione indiget: ea autem in hunc mundum suadetur: nam ex communiori sententia Theologorum cum D. Thoma 3.p. quæst. 24. art. 1. & 2. Christus quatenus est hic numero homo prædestinatus est vt esset Filius Dei; seu hic numero homo, qui est Christus prædestinatus est vt esset Filius Dei. Atqui si non esset idem numero homo, ille qui resultaret in illo eventu humanitatis dimissæ, ac qui datur in eventu humanitatis vnitæ; falsa esset illa communis sententia Theologorum; siquidem hoc ipso, hic numero homo, qui de Christo dicitur, importat determinatè hunc numero habentem humanitatem in recto, nempe personam Verbi vnitam humanitati. Quo posito, nequit hic numero homo dici prædestinatus vt sit Filius Dei; siquidem nemo potest dici prædestinatus vt sit illud, quod ipse est, vel vt habeat id, quod supponitur habere in suo cõceptu essentiali; siquidem subiectum, quod prædestinari dicitur, debet per prædestinationem dirigi ad accipiendum aliquod beneficium supernaturale distinctum à seipso. Hic autem numero homo in suo conceptu essentiali includeret esse Filium Dei: ergo non posset in illa sententia dici prædestinatus vt esset Filius Dei.

66 Hæc obiectio postulat vt aliquid

quid dicamus de prædeſtinatione Chriſti de qua diſputant Theologi ad illum locum tertiæ partis: inter quos cum nulla in re ſit diſſenſio, eſt tamen magnum diſſidium de modo loquendi, vt enim inquit Caietanus in commentarijs illius articuli primi quæſtionis 24. ſecundum rem nulla eſt inter Catholicos quæſtio de prædeſtinatione Chriſti: omnes namque conveniunt, in tempore factum eſſe à Deo per gratiam vnionis, vt homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo, & totum hoc fuiſſe abæterno præordinatum, & prædeſtinatum à Deo. An autem hoc ſufficiat vt hic homo dicatur verè prædeſtinatus vt eſſet Filius Dei, diſputant. Aditque Caietanus totam quæſtionem eſſe de verificatione Verborum Apoſtoli ad Roma. 1. vbi de Chriſto Domino loquens, inquit: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Quomodo ſcilicet intelligenda ſunt, an proprie, an minus proprie?

67 Pro clariore quæſtionis reſolutione notandum eſt in præſenti nomine prædeſtinationis non intelligi decretum efficax æternum Dei perducendi creaturam poſsibilem ad gloriam; in quo ſenſu eſſe prædeſtinatum ſolum poteſt competere perſonæ efficaciter electæ ad gloriam. Sed nomine prædeſtinationis intelligi æternam Dei præordinationem eorum quæ per gratiam Dei in tempore fiunt, vt enim inquit D. Thom. in hoc ipſo articulo, vbi inquirit an Chriſto cõ„veniat prædeſtinatum eſſe, prædeſtina„tio proprie accepta eſt quædam divina „præordinatio abæterno de ijs, quæ per „gratiam Dei ſunt facienda in tempore.

Nomine prædeſtinationis quid intelligatur.

68 Secundo animadvertendum eſt poſſe prædeſtinationem adhuc accipi bifariam, vel abſolute, vel reſpective: in priori ſenſu dicitur prædeſtinatio omne decretum Dei producendi aliquid ſupernaturale, & gratuitum: in ſecundo prædeſtinatio eſt decretum efficax Dei dirigens creaturam rationalem ad aliquem finem ſupernaturalem, & gratuitum. Ratio eſt, quia prædeſtinare, ſicut etiam deſtinare, ſi proprijſsime accipiatur, directionem dicit alicuius ad aliquid. Hinc decretum efficax dirigens hominem ad vitam æternam, proprijſsime prædeſtinatio dicitur. In hoc ſenſu ſumpta prædeſtinatio duo reſpicit, nempe rem illam, quæ deſtinatur, & beneficium, ad quod deſtinatur: res quæ deſtinatur vocari ſolet obiectum prædeſtinationis, item, & ſubiectum; beneficium vero, ad quod deſtinatur, appellatur terminus prædeſtinationis: in priori ſenſu prædeſtinare, idem eſt, ac antecedenter animo ſtatuere, ſeu vt inquit Anſelmus in Conc. *Præordinare, quod eſt ſtatuere futurum eſſe.* In ſecundo ſenſu idem eſt, ac tranſmittere, vel ordinare, dirigere rem prædeſtinatam ad finẽ, ſeu terminum, quem non poteſt natura ſua attingere; ſicut ſagita mittitur à ſagitante in ſignum, ſeu ſcopum. Quo exẽplo vtitur D. Thom. 1. p. quęſt. 23. art. 1. *Nam deſtinare* (inquit Auguſtinus de Deo in fine corp.) *eſt mittere.*

69 His ſuppoſitis aſſero primo ſaltem in priori ſenſu convenit Chriſto eſſe prædeſtinatum ita D. Thom. 3. part. quæſt. 24. art. 1. probat, quod conveniat, Chriſtum prædeſtinatum eſſe, ſe„quenti ratione. Prædeſtinatio proprie „accepta eſt quædam divina præordina„tio abæterno de his, quæ per gratiam „Dei ſunt facienda in tempore, eſt autem „hoc in tempore factum per gratiam „vnionis à Deo, vt homo eſſet Deus, & „Deus eſſet homo; nec poteſt dici quod „Deus abæterno non præordinaverit „hoc ſe facturum in tempore: quia ſe„queretur quod divinæ menti aliquid de „novo accideret: & ideo oportet dicere, „quod ipſa vnio naturatum in perſona „Chriſti cadat ſubæterna Dei prædeſti„natione: & ratione huius Chriſtus di„citur prædeſtinatus. En D. Thomas probat, Chriſto convenire eſſe prædeſtinatum; quia nimirum omne illud, quod in tempore fit per gratiam Dei, debet eſſe abæterno prædeſtinatum; ſed in tempore factum eſt per gratiam Dei, quod homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo: ergo id prædeſtinatum eſt abæterno: ſed hominem eſſe Deum, & Deum eſſe hominem eſt Chriſtum exiſtere: ergo abæterno prædeſtinatum eſt vt Chriſtus in tempore exiſteret: at illi, cuius exiſtentia abæterno prædeſtinata eſt, proprie convenit eſſe prædeſtinatum; ergo Chriſto proprie convenit eſſe prædeſtinatum.

70 Aſſero ſecundo, Chriſto non convenit eſſe prædeſtinatum, niſi quatenus homo eſt. Ita D. Thom. ib. art. 2. Probatur, nam vt inquit ibi Angelicus Doctor, *Id dicimus convenire alicui ſecundum quod homo, quod convenit illi ratione humanæ naturæ*: atqui eſſe prædeſtinatum non convenit Chriſto, niſi ratione ſolius humanæ naturæ: ergo non convenit eſſe prædeſtinatum Chriſto, niſi quatenus homo. Reliqua conſtat. Minor probatur ratione

Chriſtus quatenus homo dũtaxat prędeſtinatus eſt.

„ tione D. Thom. ibidem: Nam in prædestinatione (inquit) duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius prædestinationi æternæ, & secundū hoc importat antecessionē quādam respectu eius, „ quod sub prædestinatione cadit: alio „ modo potest considerari secundum esse„ ctum temporalem; qui quidem est ali„ quod gratuitum donum Dei. Tum sic, at secundum vtrumque istorum attribuitur prædestinatio Christo ratione solius humanæ naturæ: nam humana natura non semper fuit vnita Verbo, & ei etiam hoc per gratiam est collatum vt Filio Dei in persona vniretur: ergo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio cōpetit Christo. Vnde Augustinus in lib. „ de prædest. Sanct. dixit: Prædestinata „ est ista humanæ naturæ tanta, & tam „ excelsa subiectio, vt quo attolleretur „ vlterius non haberet.

71 Sed dubium est an quæ diximus duabus conclusionibus præcedentibus sufficiant vt sit vera hæc propositio, *Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei.* Affirmat S. Thomas, qui in illo articulo secundo probat illam propositionem esse veram; & ad hoc probandum adducit rationem numero præcedenti relatam: nam postquam art. 1. probabit, convenit Christo esse prædestinatum; in secundo probat, non convenire illi, nisi quatenus homo: & ex hoc principio in fine articuli concludit illam propositionem esse veram.

72 Durandus in 3. dist. 7. quæst. 3. asserit, proprie quidem dici quod humana natura fuerit prædestinata, vniri Filio Dei, & quia ex tali vnione verificantur istæ propositiones; *Deus est homo, & homo est Deus*; posse verè, & propriè dici, quod prædestinatum fuit, hominem esse Deum, & Deum esse hominem: non posse tamen cum proprietate dici, quod Filius Dei est prædestinatus vt esset homo, vel quod homo est prædestinatus esse Filius Dei. Idem tenet Palud. ibi quæst. etiam 3. & Lorca disp. 89. de Incarnat. memb. 3. Bonavent. & Masil. apud Vazq. Bernal disp. 68. num. 11. Primum probat Durandus, quia illud, quod convenit alicui propria virtute, non convenit ei proprie per prædestinationem: vna enim ex conditionibus prædestinationis est, quod id, ad quod aliquis prædestinari dicitur conveniat ei ex dono gratuito, & non virtute propria. At esse hominem convenit Filio Dei per assumptionem humanæ naturæ, quæ facta est propria virtute ipsius; ergo &c. Secundum vero suadet, quia cum illud ad quod quis prædestinatur, cōveniat ei per gratiam, debet ipsum supponere, sicut gratia supponit naturam; ac proinde subiectum prædestinationis debet saltem natura antecedere terminum, ad quem prædestinatur: atqui homo, de quo dicitur esse Filium Dei, non antecedit natura ad esse Filium Dei; siquidem non prius natura intelligitur hic homo, quam intelligatur Filius Dei: ergo ille homo non potest proprie dici prædestinatus, vt esset Filius Dei.

73 His non obstantibus, plures gravissimique Theologi censent in omni rigore esse veram hanc propositionem: hic homo prædestinatus est vt esset Filius Dei. Ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 50. sect. 2. Vazquez ibi disp. 90. cap. 3. Lugo disp. 32. de Incarnatione sect. 2. & alij apud ipsos. Qui omnes ad fundamentum Durandi respondent, ad prædestinationem non requiri, quod subiectum prædestinationis sit prius natura, quam habeat illum terminum, ad quem prædestinare dicitur; sed satis esse quod sit prius ratione, ita vt in suo conceptu obiectivo non includat illum terminum, ad quem prædestinari dicitur. Et hoc dicunt evenire in præsenti.

74 Quod vnusquisque explicat iuxta sua principia. Pater Suarez, & ex eo Cardinalis de Lugo id explicat, quia hic homo ex conceptu suo non petit esse Filius Dei: quia in conceptu huius numero hominis non includitur suppositum divinum; quia hic homo non significat hoc subsistens in humanitate, sed subsistens in hac humanitate, ita vt importet suppositum vage, & naturam determinate. Verum hic modus explicandi concreta substantiva latè supra à nobis refutatus est; siquidem determinatio debet cadere supra id, quod concretum importat in recto. Vnde cum homo importet in recto habentem humanitatem; hic numero homo debet esse hic numero habens humanitatem; sicut homo vt sic est habens humanitatem.

75 At Pater Vazquez iuxta suam doctrinam, quod concreta substantiva naturarum directe, & in recto significant naturam, connotant autem consequenter, & indirecte suppositum; ait de conceptu huius hominis non esse quod sit Filius Dei, quia esset idem numero homo, si maneret eadem humanitas cum subsistē-

tia

tia creata, ac proinde hic numero homo recte potest dici prædestinatus vt sit Filius Dei: cum enim prędestinare (inquit ille num. 22.) sit opus rationis, satis est, præcedat secundum rationem id, quod prædestinatur, finem, ad quem prędestinatur nostro modo intelligendi; iuxta quem de prędestinatione, & fine illius loquimur.

76 Contra hanc rationem opponit Lorca, opus esse vt in ratione diuina prædestinante præcedat subiectum prædestinationis terminum, ad quem prędestinatur: hoc autem modo non præcessisse hunc hominem ad esse Filium Dei: nam Deus non prius concipit hunc hominem, quam concipiat esse Filum Dei: licet enim nos qui confusè res concipimus, possimus ita cognoscere, non tamen Deus qui res concipit prout sunt in se: hic autem homo, qui est Deus re ipsa in ratione hominis non constituitur hic, & nunc nisi per suppositum diuinum: ergo dum Deus vult vt existat hic homo, vult Verbum Diuinum vniatur humanitati: ergo velle vt hic homo sit Filius Dei, non est gratia facta huic homini prout oportebat ad prædestinationem.

77 Huic obiectioni respondet Lugo, Deum in sua prædestinatione respexisse ad subiectum determinatum, nempe ad humanitatem, nullumque aliud habuisse decretum, quam dandi vnionem hypostaticam humanitati; quod sanè potuit velle absque vllo conceptu hominis ex parte subiecti. Cæterum hoc ipsum sufficere vt cum proprietate possimus dicere Deum prædestinasse *hunc hominem, vt esset Filius Dei.*

78 Sed contra Cardinalem opponit Alderete, quia cum prædestinare sit ordinare subiectum ad finem aliquem seu receptionem beneficij; non possumus vere dicere Deum prædestinasse hunc hominem ad beneficium filiationis Dei ex eo, quod ordinaverit humanitatem ad beneficium vnionis hypostaticæ, quia re vera per decretum suum non ordinavit hunc hominem, sed hanc humanitatem ad beneficium illud recipiendum: siquidem humanitas non est homo, sed denominatio hominis cadit supra Verbum. Contra secundo, & fortius possumus nos agere; quia de conceptu huius numero hominis est esse hunc numero habentem humanitatem: sed hic numero habens humanitatem non potuit ordinari ad recipiendum tanquã beneficium hoc, quod est esse Filium Dei, siquidem hic numero habens in suo conceptu includit esse Filium Dei: ergo.

SECTIO DECIMA.

Exponitur nostra sententia de prædestinatione Christi.

79 MIHI dicendum videtur; posse quidem dici hominem prædestinatum esse Filium Dei; non posse tamen dici hunc hominem esse prædestinatum vt sit Filius Dei, si semel requiritur, quod terminus prædestinationis non includatur essentialiter in subiecto, quod prædestinari dicitur. Hoc secundum patet; nam hic numero homo idem est, ac hic numero habens humanitatem: sed hic numero habens humanitatem est persona Verbi: ergo hic numero homo includit essentialiter personam Verbi; & esse Filium Dei: ergo nequit prædestinatus dici vt sit Filius Dei, si semel terminus prędestinationis non debet includi in subiecto prædestinationis. Primum verò probatur, quia dum Deus decrevit vt Verbum subsisteret in hac humanitate, voluit vt in hac humanitate non subsisteret suppositum creatum: ergo voluit vt subsistens in hac humanitate esset Deus, & non pur⁹ homo: ergo voluit vt homo constitutus hac humanitate esset hic numero, nempe Deus, & non esset purus homo: ergo Christus quatenus homo, id est quatenus subsistens in hac humanitate prædestinatus est vt esset Filius Dei; quia hoc nihil aliud est, quam Deum voluisse vt subsistens in hac humanitate, esset Filius Dei.

80 Dices ad prædestinationem requiri quod fiat beneficium subiecto dũ ei confertur terminus: nullum autem beneficium Christo fieri posse, quatenus homo, quia sic reduplicatur tantum ratio communis hominis, quæ non est capax beneficij, nisi prout est in singulari. Respondeo illam reduplicationem non reduplicare rationem communem humanitatis sed præcisè rationem cummunem habentis hanc numero humanitem, sub qua reduplicatione capax est beneficij, nimirum ratione huius numero naturæ, cui Deus maximum contulit beneficium dũ voluit vt subsistens in ipsa esset persona divina: itaque Christus debet sumi in illa reduplicatione, quatenus homo per

hanc

hanc numero humanitatem, vt sit sensus, Christus quatenus homo, id est, quatenus subsistēs in hac numero humanitate, prædestinatus est Filius Dei: in hoc autem sensu vera est propositio. Siquidem quod in tempore factum est per gratiam Dei, abæterno prædestinatum est à Deo: sed per gratiam Dei factum est in tempore vt subsistens in hac humanitate esset Deus: siquidē maximū fuit beneficiū huius humanitatis, quod in ipsa Deus subsisteret: ergo abæterno prædestinatum est à Deo, vt subsistens in hac humanitate esset Deus: ergo subsistens in hac humanitate prædestinatus est esse Filius Dei, non quidem per gratiam factam ipsi subsistenti ratione suppositi, sed ratione naturæ, & forsan hæc fuit mens Divi Thomæ, qui in citatis locis non dicit Christum quatenus est *hic homo*, sed quatenus est homo, fuisse prædestinatum esse Filium Dei.

81 Objicies tamen contra secundam partem nostræ conclusionis, in qua diximus hunc numero hominem nō posse dici prædestinatum vt sit Filius Dei, testimonium Apostoli ad Rom. 1. vbi loquens de Christo, inquit: Qui factus „ est ei ex semine David secundum carnem (id est homo) qui (scilicet homo) „ prædestinatus est Filius Dei in virtute „ secundum Spiritum Sanctificationis ex „ resurrectione mortuorum. Vbi de illo homine, qui factus est ex semine David, dicit prædestinatum esse Filium Dei. At qui hic numero homo, qui est Deus, factus est ex semine David: ergo hic numero homo, qui est Deus, prædestinatus est esse Filius Dei.

82 Respondeo primo, etiam si ille locus intelligatur cum hoc rigore, nihil contra nos dicere; sed ad summum probare, falsum esse, ad prædestinationem requiri, vt subiectum quod dicitur prædestinari, ordinetur ad aliquid ita gratuitum ipsi, vt non includatur in illo; sed satis esse quod sit beneficium respectu naturæ, licet non sit distinctum à toto composito, & iuxta hunc discurrendi modum licet humanitas non sit prædestinata vt ipsa sit Filius Dei, quia humanitas non est capax huius denominationis, sufficit tamen humanitatem esse prædestinatam, vt constituat hunc hominem Deum, ad hoc vt Christus, quatenus *hic homo* dicatur prædestinatus esse Filius Dei. Et ita sane videtur sentire D. Thom. illa quæstione 24. art. 1. ad 1.

Prima solutio.

Secunda.

83 Secundo respondeo ex illo loco non deprehendi hunc hominem dici posse prædestinatum, vt esset Filius Dei, vt ingenue fatetur P. Vazq. disp. 90. cap. 1. vbi plures affert expositiones illius loci, easque satis probabiles, duæ tamen sunt magis plausibiles. Prima Græcorum Patrum, quibus Toletus assentitur, de qua omnibus expensis ait P. Vazquez illa disp. 90. num. 12. sibi maxime probari, qui loco Verbi *prædestinatus* legūt *declaratus*, quasi per virtutem miraculorum, & sanctificandi, atque redimendi homines, & per resurrectionem mortuorum innotuerit, Christum esse Filium Dei naturalem. Etenim vbi nos legimus prædestinatus, legunt Græci, definitus voce derivata à nomine definitio, quæ est oratio explicans naturam rei; quasi tam clarè proposita fuerit Christi divinitas per resurrectionem, ac proponi solet essentia per definitionem, cum qua incidit aliorum expositio dicentium, Christum esse prædestinatum Filium Dei, non quia sit prædestinatus, vt sit, sed vt cognoscatur esse iuxta phrasim Scripturæ, in qua non nunquam dicitur aliquid tunc fieri, quando manifestatur vt Apocalyps. 5. dicitur, *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere divinitatem*, non quidem in re, quia hoc sub merito non cadit, sed in aliorum cognitione. Secunda principalis expositio est, hunc hominem Christum verè, & propriè fuisse prædestinatum, non quidem vt esset Filius Dei absolutè, siquidem hoc iam includebatur in conceptu huius hominis, *Sed vt esset Filius Dei in virtute secundum Spiritum Sanctificationis*. Id est vt ad nos descenderet cum potestate, & efficacitate ad salvandos homines, ex resurrectione mortuorum, id est moriendo, & resurgendo propter homines; vel secundum Spiritum Sanctificationis, quem ex mortuis resurgendo ad nos misit; non enim fuit Spiritus Sanctus datus, donec Iesus fuit glorificatus.

84 Omnibus expensis, verius existimo non esse veram illam propositionem, hic homo prædestinatus est vt esset Filius Dei, quia esse prædestinatum vt esset Filius Dei, nequit cōvenire huic homini nisi ratione humanitatis: nam ratione personæ divinæ, nequit conuenire ei quod sit prædestinatus ad esse Filium Dei, cum hoc habeat ex se; at rationæ humanæ naturæ non potest hoc convenire huic subsistenti in humanitate; quia nequit Verbum vt subsistens in humanitate habere per communicationem idiomatum

Hic homo non est prædestinat⁹ vt esset Fili⁹ Dei.

ratio-

ratione humanitatis, nisi illa prædicata, quæ humanitati secundum se conveniũt, non autem quæ illi secundum se repugnant; at esse prædestinatam vt sit Filius Dei non est prædicatum potens convenire humanitati, cui illi repugnans: ergo, &c. Quare humanitati solum potest convenire esse prædestinatam, vt constituat hunc hominem cum persona divina: hoc autem prædicatum nequit per communicationem idiomatum convenire huic homini, quia hic homo non constituit hominem, sed est ipse homo.

85 Hinc patet contra nostram sententiam non posse fieri argumentum ex prædestinatione Christi, nam vel hic homo non est prædestinatus, vt esset Filius Dei, vel licet prædestinatus, non est de conceptu prædestinationis, vt terminus prædestinationis non includat in subiecto quod, sed satis est quod terminus illo sit gratia respectu naturæ constituentis subiectum prædestinationis.

SECTIO VLTIMA.

Soluuntur rationes dubitandi.

86 DENIQVE obijcies, quia si in illo eventu restituarentur tres homines, vel essent eiusdem, vel diversæ speciei. Neutrum autem dici potest, non secundum, quia alioqui etiam Christus non esset eiusdem speciei nobiscum; non primum, quia qua ratione probatur esse plures homines numero distinctos, probatur debere distingui specie, non enim sunt plures ratione naturæ, quia esset vnica in omnibus: ergo ratione personalitatum, sed istæ sunt species diversæ: ergo ratione illarum sunt plures, sunt plures species diversæ.

87 Huic argumento respondi in publica disputatione, recumque respondeo, personalitates illas esse species diversas materialiter, & in ordine ad se, nõ autem formaliter, & in ordine ad constituendum hominem; quia licet constituerent tres hominis personalitates species diversæ, non tamen constituerent, quatenus differunt, sed quatenus conveniunt; quia ideo Pater esset homo, non quia Pater, sed quia est habens humanitatem, & similiter Filius non ideo esset homo, quia Filius, sed quia est habens humanitatem, & similiter de Spiritu Sancto: ergo si conceptu hominis convenirent, non quidem convenientia quantaxat generica, quia cum denominatio hominis tanquam à forma desumeretur ab humanitate, quæ eadem esset in omnibus, non posset illa convenientia esse solum generica: ergo esset specifica: ergo licet ratio hominis multiplicaretur, non multiplicaretur specifice in ratione hominis. Quamvis enim Pater vt Pater differat quasi specie à Filio vt Filio, nihil hominis hæc diversitas neque inducere diversitatem specificam in ratione hominis, quia videlicet diversificari specie in vno prædicato neque inducere diversitatem specificam in alia ratione formali, ad quam de materiali se habet diversitas illa specifica.

Tres habentes humanitatẽ non essent tres homines specie diversi.

88 Hoc explicui duplici exemplo. Primo ex sententia communi Philosophorum, iuxta quam lac, & nix non sunt duo alba specie diversa: quia licet lac in ratione substantiæ differat à nive, quia tamen ex hac differentia specifica non habet esse album, sed ex eo, quod sit habens albedinem, in quo conceptu non differt, sed potius omnino conuenit; ideo in ratione albi sunt eiusdem speciei. Secundo, ex sententia communi Theologorum, iuxta quos intellectus humanus, & Angelicus in ratione elevabilium ad videndum Deum non differunt specie, licet differant specie sub alia ratione, quia videlicet in ordine ad videndum Deum æqualiter, vel inæqualiter, de materiali se habet inæqualitas potentiarum, sed solum attendit vt ad conuenientiam, vel disconvenientiam in lumine gloriæ: cæterumque convenit homo cum Angelo in ratione elevabilis ad videndum Deum, quantum cum alio homine.

Essent autẽ tres distincti numero.

89 Sed instabant: nam in ratione habentis humanitatem, nec numero quidem differunt tres divinæ personæ. Respondi, non differre in illa cognitione abstrahente rationem habentis humanitatem ab omnibus, differre tamen numero ex parte rei: quia à parte rei multiplicatum illa ratio, & identitas realis alijs rationis communis cum diversitate specifica, quam habent inter se, causat distinctionem numericam in ratione hominis; quia implicat à parte rei esse plures habentes humanitatem, & non esse plures homines, licet non possit causare diversitatem specificam in illa ratione, siquidem Pater non habet esse homo ex illo prædicato, ex quo habet differre à Filio, quod tamen erat necessarium, vt esset homo diversæ speciei, vt patet: nam ratio habentis

tis albedinem multiplicatur numero hoc ipso quod subiecta sint plura; & tamen ex eo quod subiecta sint specie diversa, non sequitur, quod alba sint specie diversa. Et ratio à priori est; quia licet in ijs concretis forma importetur in obliquo, nihilominus denominatio sumitur à forma, licet cadat supra subiectum; subiectum denominatur album ab albedine, & persona divina denominaretur homo ab humanitate. Vnde cum iuxta axioma commune, differentia specifica sumatur à forma, nequeunt concreta differre specie: nisi formæ, à quibus denominantur, sint specie diversæ. Vnde licet subiecta specie differant nihilominus concreta non differunt specie, quia non sumunt suam speciem à subiectis, sed à formis, vel à subiecto non nude sumptis, sed quatenus respiciunt formas; sub quo conceptu nequeunt differre specie, nisi formæ quas respiciunt specie differant.

90 Et hæc est ratio à priori cur Christus sit homo eiusdem speciei nobiscum; quia licet homo qui prædicatur de Christo, & de Deo, importet in recto personam Verbi, siquidem Christus est suppositum divinum subsistens in natura divina, & humana, & homo, qui prædicatur de nobis, importet in recto aliquid creatum, quod non solum specie, sed etiam genere differt à Verbo: nihilominus, quia denominatio hominis sumitur ex humanitate, & hæc est eiusdem speciei in nobis, & in Christo, ideo Christus est homo eiusdem speciei nobiscum. Et hæc est manifesta instantia contra illud argumentum; quia vel nihil probat, vel evincit, Deum non factum esse hominem eiusdem speciei nobiscum. Alia instantia esse potest nam si tres divinæ personæ assumerent tres humanitates, proculdubio essent tres homines, & tamen distinctio illorum hominum desumeretur non à distinctione humanitatum (nam iuxta communem, & verisimam sententiam, si verbum assumeret tres humanitates, non essent tres homines (alioqui in Christo, in quo dantur duæ naturæ, darentur duo viventes masculinè, quod est absurdum) sed à distinctione suppositorum: nam pluralitas illorum concretorum debet desumi à pluralitate eorum quę importantur in recto; vt patet in concretis accidentalibus; illa autem concreta proculdubio importarent in recto personas divinas (alioqui non verè diceretur Verbum est homo) ergo ab illis sumeretur pluralitas: & tamen a distinctione especifica illorum non sumeretur diversitas specifica. Idem ergo respondeo in casu argumenti.

91 Sed instabant in forma, in illo eventu esset verum dicere: Pater, quatenus Pater terminat humanitatem; sed terminare humanitatem est esse hominem: ergo quatenus Pater est homo. Sed quatenus Pater differt à Filio: ergo constituit diversum specie hominem. Distinxi, Pater quatenus Pater terminat; si Paternitas reduplicetur tanquam ratio quæ, & solum denotetur vnionem factam esse in Patre ratione relativi, & non ratione absoluti, concedo: si reduplicetur vt ratio formalis sub qua, nego. Paternitas enim ideo terminaret humanitatem, quia esset subsistentia divina, in quo conceptu convenit cum alijs, non vero quia Paternitas. Sicut potentia Angeli, quatenus potentia Angeli elevatur ad videndum Deum, si reduplicetur differentia specifica vt ratio quæ; non vt ratio formalis sub qua. Adde illum arguendi modum esse sophisticum; quia ex eo quod Pater quatenus Pater differat specie à Filio, & sit homo, non sequitur quod differat specie quatenus homo; nisi quatenus Pater sit homo, in hoc sensu, vt esse hominem conveniat illi ex eo quod sit Pater: sicut esse rationale convenit Petro ex eo quod sit homo, quod constat esse falsum.

DISPVTATIO XXV.

AN SI VNA DIVINA PERSONA ASSVMERET TRES HVMANITATES, ESSET vnus tantum homo, an forent tres.

Ad quæst. 3. 3. part. art. 7.

SECTIO VNICA.

Probatur, fore vnum tantum.

1 RESPONDEO cum S. Tho. hic, cum P. Suarez, cum Caietano, Valencia, Cardinali de Lugo, & alijs, quod tunc resultaret vnus tantum homo simpliciter, & absolute. Probatur primo, quia vt inquit D. Tham. in corpore huius articuli 7. „ quæstione 3. Nunquam nomen ab ali„ qua forma impositum pluraliter dicitur „ nisi propter pluralitatem suppositorum. „ Homo enim, qui est duobus vestimen„ tis indutus, non dicitur duo vestiti, sed „ vnus vestitus duobus vestimentis: natu„ ra autem assumpta quantum ad aliquid „ se habet per modum indumenti, licet „ non sit similitudo quantum ad omnia: & „ & ideo si persona divina assumeret duas „ naturas humanas propter vnitatem per„ sonæ diceretur vnus homo habens duas „ naturas humanas.

2 Probatur secundo: nam vt constat ex dictis disputatione antecedenti, homo de suo proprio, ac formali significato, idem est, ac habens humanitatem: at tunc non essent multi habentes humanitatem, sed vnus habens multas humanitates: ergo esset vnus homo simpliciter, & absolute.

3 Confirmatur, quia vt observavit Ioannes de Neapoli quæst. 9. punt. „ 3. Humana Christi natura, licet reali„ ter sit substantia, habet tamen modum „ accidentis, nõ quidem quantum adhoc „ quod sit inhærens, sicut accidens, sed „ quia est innixa suppositio alterius natu„ ræ, scilicet Divinæ, sicut accidens „ innititur suppositio alterius naturæ, sci„ licet substantiæ. Quibus addo in hoc etiam assimilari naturam humanam in Christo, accidenti, quia sicut accidens non est simpliciter ens, sed entis ens, & non est sui, sed substantiæ, cui innititur, nec ipsi tribuuntur operationes ab illo tanquam à virtute agendi ortæ, sed tribuuntur substantiæ, cuius est accidens. Ita humanitas in Christo comparata cum Verbo, cui innititur tanquam suppositio, non est simpliciter ens, sed est entis ens; nec ipsi tribuuntur operationes ab ipsa ortæ, sed principaliter tribuuntur Verbo, quia Verbum dicitur homo, dicitur intelligens, amans, &c. Cum ergo humanitas vnita personæ divinæ imitetur modum accidentis: implicat vt multiplicetur concretum homo multiplicata præcisè humanitate, si non multiplicatur suppositum cui innititur: sicut implicat, vt multiplicetur concretum album v.g. per hoc præcisè quod multiplicetur albedo; si non multiplicatur subiectum, seu suppositum, cui albedo inexistit. Sicut ergo vnum subiectum cum triplici albedine, non est triplex album, sed vnũ; ita vna persona, seu vnum suppositum divinum cum triplici humanitate, non est triplex homo, sed vnus.

4 Probatur tertio: nam si vna persona divina vnita tribus humanitatibus esset plures homines masculinè; de facto Christus esset plures viventes masculinè: quia defacto habet plures naturas viventes nempe divinam, & humanam: nec potest assignari ratio cur vna persona habens plures naturas humanas possit dici plures homines; & non possit Christus dici plures viventes ex eo quod habeat plures naturas viventes.

5 Probatur quarto: nam si diversitas illa naturarum, quæ concurrunt in Christo, nempe divina, & humana, non obstat, quominus Christus sit vnus, & plures: ita multiplicitas humanitatum, quæ per vnionem hypostaticam concurrent in eadem hypostasi, seu persona divina, non obstaret quominus esset vnus homo, & non plures.

Qua-

6 Quare multiplicitas naturarum concurrentium in vna persona divina non sufficit, vt sint multi masculinè, sed propter vnitatem personæ multæ naturæ constituunt vnum dumtaxat masculinè: vt constat ex illis verbis symboli, *Qui licet Deus sit, & homo; non duo tamen, sed Vnus est Christus.* Ergo multæ humanitates communicatæ eidem personæ divinæ non constituerent multos homines; sed vnum.

7 Quod confirmatur: nam ponamus Verbum assumpsisse humanitatem A. & humanitatem B. & quatenus subsistit in humanitate A. appellari Iesu, & quatenus in humanitate B. Appelari Emmanuel, tunc esset verum dicere, Iesus est Emmanuel, & Emmanuel est Iesus sicut modo est verum dicere: *Deus est homo, & homo est Deus*: sicut enim modo concurrunt in eadem persona divina natura humana, & natura divina, & propterea est vera secunda prædicatio; ita tunc concurrerent multæ humanitates in eadem persona divina, & propterea foret vera prima prædicatio. Atqui hoc ipso quod Iesus tunc esset Emmanuel, & Emmanuel esset Iesus; Iesus, & Emmanuel non essent multi masculinè, sed vnus; quia si essent vnus, & alius, esset falsa illa prædicatio: quia tunc prædicatum non identificaretur cum subiecto: ergo tunc non resultarent multi homines, sed vnus tantum.

8 Pro maiori dictorum intelligentia nota, Patres loquentes de Christo dicere, quod in Christo est aliud, & aliud propter diversitatem naturarum, non tamen alius, & alius propter vnitatem personæ. Sic in actis Concilij Ephesini cap. 7. num. 2. propè finem dicitur, Non est „ alius, & alius, sed aliud, & aliud, licet „ in Sacræ Triados mysterio contrarium „ reperiatur: ibi enim est alius, & alius, „ ne hypostases confundantur; non ta„ men aliud, & aliud. Ergo licet in vno supposito divino essent plures humanitates, non esset ibi, vnus, & alius homo; licet ibi daretur vnum, & aliud, id est vna & altera natura.

9 Sed interrogabis, an sicut in Christo datur vnum, & aliud propter diversitatem naturarum; ita ipse Christus possit absolutè dici vnum, & aliud. Respondeo, quamvis ab Augustino in Enchiridion cap. 35. & ab Anselmo de Incarnat. cap. 5. Christus dicatur aliud, & aliud, quia sufficienter constat Verborum explicatio, scilicet hoc dici propter diversitatem naturarum: absolute tamen, & sine explicatione negandum esse, quod Christus sit vnum, & aliud, vt docet D. Thom. quæst. 16. art. 1. ad 2. licet negandum non sit in Christo esse vnum, & aliud: quia simpliciter hæc propositio concedenda est: *Christus est Vnum*, quia non est nisi vnum suppositum, & vna res completa per se existens, non autem duæ res completæ per se existentes. At P. Suarez ad art. 1. quæst 12. monet, illam propositionem: Christus est aliud, & aliud esse distinguendam; & concedendam si solum significet diversitatem naturarum; vt solet accipi à probatis Authoribus.

DISPVTATIO XXVI.

AN SVBSISTENTIA IN CREATIS IDENTIFICETVR CVM ACTIone creativa rerum subsistentium?

VG. An subsistentia Michaelis identificetur cum actione creativa naturæ Michaelis? Et subsistentia Petri cum actione creativa humanitatis Petri.

SECTIO PRIMA:

Proponitur sententia Patris Bernal affirmantis.

1 IN hac quæstione affirmat P. Bernal disp. 12. de Incarnat. sect. 1. §. 2.

§. 2. Vt autem conclusionem probet supponit rem apud me verissimam, quã latè in Philosophia probavi, nempe inhærentiam accidentis in subiecto, non distingui realiter ab actione eductiva per quã accidens producitur dependenter à subiectonẽ; nam illa actio est realiter passio, & per seipsam intrinsecè dependet à subiecto, illique affigitur, & ei vnitur & inhæret; aliunde vero ipsamet actio eductiva accidentis intrinsecè per seipsam adhæret ipsi accidenti per ipsam productionẽ, ipsi que affigitur, vnde est vnio sui cum subiecto, & cum termino; ac proinde nectit, & vnit formaliter terminum cum subiecto; & sicut in genere causæ efficientis, & tanquam causalitas principij efficientis facit, vt terminus existat; ita in genere causæ formalis facit vt existat in subiecto, illique inhæreat.

2 Hoc supposito sic probat suam sententiã: primo subsistentia rei creatæ duos effectus ad summum habet, reddere naturam independentẽ à supposito, seu non indigentem alio, quo substantialiter compleatur; & reddere illam independentẽ à subiecto à quo sustentetur, sed vtrunq; effectũ præstat in Angelica Michaelis substantia, creatio ipsi concessa: ergo talis creatio realiter est idem cum eiusdẽ Angeli subsistentia. Probat minorem: illa creatio æquè propria, connaturalis, & debita est Angelicæ substantiæ, ac eductio albedini: sed eductio simul reddit formam albedinis in suo esse completam, & à subiecto pendentẽ: ergo creatio naturę Angelicę simul eam reddit in suo esse completam, & à subiecto independentem: vel aliter æquè postulat entitas Angeli compleri in suo esse substantiali, & independere à subiecto; ac postulat entitas albedinis compleri in suo esse accidẽtali, & à subiecto pendere: sed entitas albedinis duos illos effectus sibi debitos habet realiter ab eductione sibi debita: ergo entitas Angeli duos illos effectus sibi debitos habet à creatione sibi debita.

3 Secundo probat à priori, Michaelis entitas per illam sui creationem est independens à supposito; proinde illa creatio est illius independentia positiva à supposito, ac proinde propria illius subsistentia. Prima pars; quæ sola quæstionem habet, ostenditur; quia Michaelis entitas ideo est independens à subiecto per sui creationem, quia totum suum esse habet per hanc actionem; & hæc est à subiecto independens, vt quo; ideoque necessario reddit entitatem illam à subiecto independentem vt quod. Sed hæc eadem creatio est independens à supposito, cum nec attingat, nec possit attingere suppositum; & proinde est à supposito independens per seipsam, & vt quo: ergo realiter constituit suum terminum à supposito independentem, vt quod, seu formaliter subsistentem.

4 Tertio probat exemplo Theologico. Nam subsistentię divinarum personarum procedentium, seu productarum, sunt idem realiter cum ipsarum productionibus, vt omnes Catholici fatentur. Immo sunt idem formaliter, vt asserit Molina, & plerique Recentiores. Quod si subsistentia Divini Verbi realiter, & formaliter, est idem cum eiusdem Verbi productione: ergo subsistentia Michaelis est realiter idem cum eiusdem Michaelis productione. Si enim vna, & eadem origo secundum vnum realem, & formalem conceptum, est simul communicatio passiva, per quam essentia divina Verbo Dei communicatur, & simul est productio passiva Verbi, & eiusdem propria subsistentia, cur vna, & eadem via, per quam Michaeli datur actualis existentia, seu Michael ipse producitur, non erit simul eiusdem Michaelis subsistentia? Si tria illa nec formaliter differunt, cur hæc duo, vel tria illis respondentia, realiter distinguantur?

SECTIO SECVNDA.

Ostenditur contra Bernal subsistentiam creatam non subsistere in actione creativa.

5 DOCTRINAM nupèr adductam impugno primo, quia materia prima, & anima rationalis Petri vere terminant actionem creativam; & tamen nec anima rationalis Petri vere subsistit, neque eius materia prima; sed dumtaxat vere subsistit compositum ex vtraque resultans, nempe ipse Petrus: ergo actio creativa non est subsistentia,

quod non subsistat materia prima, neque vlla pars, sed dumtaxat totũ, recte probat P. Vazq. 1. p. disp. 125. 127. & disp. 174. num. 15. & 3. p. disp. 32. cap. 2. & 3. contra P. Suarez, qui tom. 1. Metaph. disp. 39. sect. 5. admittit in materia prima suum modum substantialem subsistendi, & alium modum subsistentiæ in forma: rectè probat etiam Caietanus 3. p. q. 5. ad art. 3. vbi ostendit subsistentiam esse prorsus indivisibilem, tam in substantijs spiritualibus, quam corporalibus; negatque materiam primam in homine habere modum proprium subsistentiæ, eo quod in suo esse, & subsistere pendeat ab ipso esse, & subsistere animæ rationalis. Prior autem: quia vt inquit D. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 2. Ea „ substantia secundum quod per se exi- „ stit, & non in alio, dicitur subsisten- „ tia; illa enim subsistere dicimus, quæ „ non in alio, sed in se existunt. Ergo cum materia prima Petri, & eius anima existant in ipso Petro tanquam partes in toto, neutra proprie subsistit; quia, tam materia, quam anima existit in alio à se distincto. Confirmatur, quia proprium est subsistentiæ reddere rem per se existentem; non existit autem per se, quod verè existit in alio, vel tanquam forma in subiecto, vel tanquam pars in toto, vel tanquam natura in supposito vnde ait D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 2. ad 3. ait, humanam naturam in Christo non esse personam, quamvis sit substantia singularis, & individua, quia existit in alio perfectiori, nempe in „ Christo, quia (inquit ipse:) Non quod „ libet individuum in genere substantiæ „ etiam in rationali natura habet ratio- „ nem personæ, sed solum illud, quod „ per se existit; non autem illud, quod „ existit in alio perfectiori: vnde manus „ fortis licet sit quoddã individuum, non „ tamen est persona; quia non per se exi- „ stit, sed in quodam perfectiori, scili- „ cet in suo toto. Idem docet perspicuè „ quæst. de vnione Verbi art. 1. & art. 2. in corpore, & ad 3. & ad 10. vbi hæc „ habet: Humana natura qnandiu est „ Verbo vnita, quia non secundum se „ existit, non habet proprium supposi- „ tum, vel hypostasim, præter per- „ sonam Verbi, sed si separetur à Verbo, „ haberet, non solum proprium supposi- „ tum, sed etiam propriam personalita- „ tem; quia iam per se existeret: sicut „ etiam pars continui, quandiu est indi- „ visa à toto, est in potentia, & non in „ actu, sed solum facta divisione.

6 Quod confirmatur ex Damasceno in sua dialect. cap. 27. vbi inquit: „ Enypostaton dicitur ab altera hypostasi. „ si assumpta natura, & in ipsa habens „ existentiam: vnde, & caro Domini nõ „ subsistens secundum seipsam, neque ad „ temporis momentum non hypostasis, „ sed magis enypostatos dicitur. Ergo sicut repugnat humanitatem subsistere simpliciter, & existere in alio digniori, nempe in Christo; ita repugnat materiã primam Petri, eiusque animam subsistere, quando existunt in suo toto.

7 Impugnatur secundo, quia actio creativa naturæ Michaelis non est essentialiter incompossibilis cum eo, quod natura illa assumatur à Verbo: at subsistentia propria Michaelis incompossibilis essentialiter est cũ eo, qnod natura Michaelis assumatur à Verbo; ergo quia actio creativa naturæ Michaelis non est subsistentia propria naturæ Michaelis. Consequentia liquet: seorsim probandæ sunt præmissæ. Et in primis probatur maior: nam actio creativa naturæ, eidẽ connaturalis, debet esse compossibilis cum omni eo, cum quo natura ipsa est compossibilis; tum quia actio connaturalis termino potest ipsum comitari vbicunque extiterit; tum quia propterea actio creativa materiæ est compossibilis cum vnione ad formam, quia materia ipsa est coniungibilis cum forma; & propterea creatio animæ rationalis coniungibilis est cum vnione animæ ad corpus, quia ipsa anima cum corpore coniungitur. At natura Michaelis est compossibilis cum vnione ad Verbum, quia potest assumi à Verbo: quia actio creativa naturæ Michaelis, ipsique connaturalis potest componi cum vnione ad Verbum. Deinde probatur minor, quia naturã Michaelis gaudere propria subsistẽtia idem est, ac naturam Michaelis per se existere; seu idem est ac gaudere propria personalitate, & esse personam Angelicam: nam persona nihil aliud est quam rationalis naturæ incommunicabile subsistens: seu substantia completa per se existens, & incommunicabilis. Vnde purus homo nihil aliud est, quam natura humana individua per se existens vt inquit P. Lesius lib. 12. de perfect. num. 24. & purus Angelus nihil aliud, quam natura Angelica individua per se existẽs. Implicat autẽ naturã Michaelis per se existere.

& si-

& ſimul exiſtere in alio, nempe in Verbo: implicat ergo eſſe purum Angelum; & ſimul aſſumi à Verbo: quia cum aſſumitur à Verbo, non eſt ſui, ſed Verbi; dum autem eſt purus Angelus, eſt ſui, & non alterius: dum aſſumitur à Verbo eius operationes non tribuuntur ipſi, ſed Verbo; dum autem eſt purus Angelus, eius operationes tribuuntur ipſi, & non alteri, quia ſubſiſtentia propria Michaelis incompoſsibilis eſt cum eo quod aſſumatur à Verbo.

8 Impugnatur tertio, nam natura Michaelis exigit actionem creativam ſui ſibi connaturalem; at natura Michaelis non exigit formam eſſentialiter incompoſsibilem cum eo, quod aſſumatur à Verbo, quia actio creativa Michaelis ipſi connaturalis non eſt eſſentialiter incompoſsibilis cum eo quod aſſumatur à Verbo, & conſequenter non eſt ſubſiſtentia propria naturæ Michaelis, nam hæc, quatenus talis eſt eſſentialiter incompoſsibilis cum eo, quod natura aſſumatur à Verbo: cum *omnino* repugnet exiſtere per ſe, & exiſtere in alio; eſſe totum, & eſſe partem. Cætera conſtant, probatur minor: quia natura Michaelis exigens formam eſſentialiter incompoſsibilem cum vnione hypoſtatica, exigeret carere vnione hypoſtatica, ſiquidem habere illam formam, eſſet carere vnione hypoſtatica, natura autem Michaelis nequit habere exigentiam carendi vnione hypoſtatica, quia hoc eſſet faſtidire, & averſari bonum infinitum ſibi communicandum mediante vnione, quod prorſus repugnat, etſi enim natura non exigat dona ſupernaturalia quibus maxime perficitur, quia ob ſuam excellentiam ſuperant meritum, & ius naturæ; non tamen exigit illis carere. Vide hoc ipſo quod natura rationalis ſit perfectibilis per gratiam ſanctificantem, nequit exigere vt ſibi connaturalem modum aliquem eam reddentem incapacem recipiendi gratiam in ſenſu compoſito ſui.

SECTIO TERTIA.

Sententia P. Bernal, quod poſsit aſſumi humanitas retinendo propriam ſubſiſtentiam, & perſonalitatem, proponitur, & impugnatur.

9 DICES cum P. Bernal diſp. 24. de Incarnat. ſect. 2. poſſe aſſumi à Verbo naturam creatam propriam retinendo ſubſiſtentiam, ac proinde, quamvis actio creativa naturæ Michaelis ſit eius ſubſiſtentia propria, non inde ſequi quod non poſsit componi cum aſſumptione naturæ illius à Verbo. Quod ſi illi opponas cum P. Suar. modum eſſendi per ſe, & modum eſſendi in alio eſſe ita oppoſitos, vt deſtruant ſibi invicē effectus formales, atque adeo vnam inferre carentiam alterius; ergo neque divinitus eſſe compoſsibiles. Reſpondet ibi num. 10. hanc rationem principium petere; nam quæſtio, inquit, ſolum eſt, an illi modi ſint ita oppoſiti, ſicut in antecedenti proponitur: ſimili autem ratione probaretur, notitiam claram, & obſcuram eiuſdem obiecti eſſe in eodem intellectus incompoſsibiles. Quare concludit, modum eſſendi per ſe, & eſſendi in alio ſolum eſſe oppoſitos, quatenus exiſtente vno nequit naturaliter alius exiſtere, ſicut eſſe ſimul idem corpus in duobus locis, infra, & ſupra.

10 Quod ſi illi cum Vazquez iterum opponas, repugnare eandem naturam ſimul eſſe per ſe, & in alio, quia dum eſt per ſe, non eſt in alio: ergo &c. Reponder num. 11. falſum eſſe antecedens cum ſua probatione. Natura enim, quæ per ſuam ſubſiſtentiam eſt per ſe, ſi dum eſt ita per ſe vniatur alienæ ſubſtantiæ, eſt in alio, vt in ſuppoſito alieno, cuius neque indigentiam, neque appetitum naturalem habet: id vero non magis repugnat quam idem accidens eſſe ſimul in ſubiecto proprio, & alieno: eandem formā ſublunarem in materia, quam exigit, & in alia, quam non exigit.

11 Sed contra primo, quia dum natura gaudet propria ſubſiſtentia eſt ens ſimpliciter, eique tribuuntur operationes, tanquam digniori, & principio primo intimo; dum autem exiſtit in Verbo tanquam in ſuppoſito, non eſt ens ſimpliciter, ſed quaſi entis ens, neque ei tribuuntur operationes tanquam digniori; & primo principio intimo; ſed Verbo; ipſaque natura creata, v.g. humanitas eſt purum inſtrumentum coniunctum reſpectu Verbi, non operans nomine ſui, ſed nomine Verbi: dum exiſtit per ſe, eſt ſui, & non alterius; dum exiſtit in Verbo, eſt alterius, & non ſui: dum exiſtit per ſe, ipſa eſt homo: dum exiſtit in Verbo, non ipſa eſt homo, ſed facit vt Verbum ſit homo, qui ſunt modi eſſentialiter incompoſsibiles.

12 Contra secundo, quia illa doctrina est contra Patres, qui oppositionem agnoscunt essentialem inter hoc, quod est, humanitatem existere per se, seu habere propriam personalitatem, & existere in Verbo tanquam in supposito: nam vt humanitas gaudeat propria personalitate, & sit persona, & homo requirunt, vt existat separatim, & seorsim ab vnione cum Verbo: & apud ipsos ex eo quod vniatur Verbo, ex terminis arguitur quod non sit homo, seu persona. Id patet primo ex Divo Thoma quæst. de vnione Verbi art. 1. & 2. in corpore, & ad 3. & 10. Vbi hæc habet: humana natura „ quandiu est Verbo vnita, quia non se„ cundum se existit, non habet pro„ prium suppositum, seu hypostasim „ præter personam Verbi, sed si sepa„ raretur à Verbo, haberet non solum „ proprium suppositum, sed etiam pro„ priam personam, quia iam per se exi„ steret, sicut etiam pars continui quan„ du est indivisa à toto, est in potentia, „ & non in actu, sed solum facta divi„ sione. Et eadem habet in 3. dist. 6. quæst. 1. art. 2. ad 5. & 3. part. quæst. 2. ad 3. & art. 5. ad 1. quæst. 16. articulo 12. corpore, & ad 2 quæst. de potentia art. 2. ad 7. & 13. & art. 4. corpore, & 4. contra gent. cap. 49. ad 9. & 10. quodlib. 9. quæst. 2. art. 1. vnde iuxta D. Thomam sicut repugnat, vt pars continui sit suppositum dum est vnita alijs cum quibus constituit vnum; & si iam potest esse suppositum, si divisim & separatim existat; ita repugnat vt humanitas sit suppositum, & persona dum est vnita Verbo; & solum potest hoc habere, si existat seorsim, & separatim & iuxta D. Thomam solum potest humanitas subsistens denominari, quando non existit in alio: vt enim ipse inquit 1. part. quæst 29. art. 2. ea subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt, & iuxta eundem, humanitatem existere per se importat negationem existendi in alio, vt patet ex 10. contra gent. cap. 29. in fine, vbi inquit: Hoc, quod est subsistentiam esse ens per se „ non importat nisi negationem quan„ dam, dicitur enim esse ens per se ex eo „ quod non est in alio.

13 Patet secundo ex Rustico Cardinali in disputatione cum Azephalo, & ex Theodoro Cariæ Episcopo qui cum vrgerentur à Nestorianis, vt dicerent, cur humanitas Christi non sit persona, sicut humanitas Petri persona est, respondérunt non esse personam, quia est pars Christi, agnoscentes repugnantiam in eo, quod sit persona humanitas dum existit vnita Verbo cum illo constituens vnum totum per se. Ideo humanitas illa (aiebat Rusticus in tomo 6. Bibliotecæ) non est persona; quia creata est in Verbo tanquam pars Christi; & Theodorus in tomo 9. eiusdem Bibliotecæ, quia corpus, inquit, animatum assumptum est pars Christi: idcirco non est hypostasis. Patet 3. ex Paschasio Rom. Eccl. Diacono Cardinali lib. 2. de Spiritu Sancto contra Macedonium cap. 4. vbi ait: *Dei quidem, & hominis duplex substantia est, sed tamen vna persona.* Qua obrem, quia formam tervi accipiens, famulo Deus iungitur, minoris humilitas intra reverentiam maioris absconditur, & superioris lumine exinaniti consumitur, ac sic proprietatem personæ humanitatis, divinitate obumbrante, vel eminente, non obtinet. Patet quarto ex Vgone, Victorino tom. 3. in Apologia de Verbo Incarnato q. „ 7. vbi sic inquit: Verbum ideo natu„ ram hominis, non personam assump„ sit, licet id quod est assumptum sit „ persona (nimirum in puris hominibus) „ quia non trahit personalitatem, vel „ personantiam ex eo quod est assump„ tum, habens multo digniorem perso„ nam ex natura divinitatis: sicut lam„ pas in nocte dicitur lumen Ecclesiæ, „ in die vero solis maiore lumine super„ veniente, iam lampas non dicitur lu„ men Ecclesiæ, sed potius solis lumen: „ sic homo persona quidem esset ex sua „ rationalitate, si non esset assumptus, „ at nunc, vt iam dictum est, ex eo quod „ in ea dignius est, id est in lumine di„ vino est persona.

14 Contra tertio quia si subsistentia, & personalitas propria humanitatis non habet essentialem incompossibilitatem cum vnione humanitatis ad personam divinam, non est vnde habeat oppositionem ex natura rei, & quæ solum per miraculum superari valeat. Probatur assumptum, si enim personalitas propria est aliquid positivũ à natura ipsa postulatũ, nequit ex natura rei excludere vnionem cum Verbo, ne cogamur dicere ipsam naturam postulantem eiusmodi subsistentiam, & personalitatem exigere non vniri cum Verbo: sicut quia

Subsistentia propria, vel essentialem, vel nullã habet oppositionem cũ vnione hypostatica.

quia aqua exigit frigiditatem incompoſsibilem ex natura rei cum calore intenſo; ex natura rei exigit non informari calore intenſo. Id namque eſſet abſurdum; quia cum natura ſumme perficiatur per divinitatem ſibi vnitam, nequit exigere carere hac perfectione; quia eſſet appetitus, & exigentia ſtulta, & inſipiens; quam Deus nequit naturæ imprimere.

15 Deinde ſuadetur loquendo determinate de actione creativa, in qua hic Author conſtituit ſubſiſtentiam propriam, illam non habere incompoſibilitatem ex natura rei cum vnione humanitatis ad perſonam divinam; quia iuxta hunc Authorem diſp. 12. ſect. 1. numero 21. ideo natura per ſui creationem conſtituitur independens à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno; quia totum ſuum eſſe habet per creationem; hoc eſt independens à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno. At quod actio creativa humanitatis, vel naturæ Michaelis ſit independens à ſuppoſito divino, non probat quod talis actio ex natura rei exigat non coniungi naturam cum ſuppoſito divino; ſed ſolum probat, quod non exigat vt coniungatur: ac proinde natura vt producta per illam actionem creativam non indiget vnione ad Verbum ad exiſtendum, & operandum; quod autem non indigeat, non probat, quod poſitive exigat carere tali vnione, & habeat oppoſitionem ex natura rei cum illa. Stat enim naturam non indigere ad eſſendum, & operandum vnione ſui cum alio, quin exigat carere tali vnione: ſic humanitas ad exiſtendum, & eliciendas operationes naturales non indiget gratia ſanctificante, neque tamen exigit carere illa: quamvis enim gratia ſanctificans ſit ſupra exigentiam naturalem, non tamen eſt contra.

16 Hinc rurſus infertur ſubſiſtentiam naturæ Michaelis non potius conſiſtere in actione creativa, quam in ipſa natura: hæc enim cum ex ſe ſit ſubſtantia completa per ſeipſam habet non indigere vnione ad aliam ſubſtantiam, vnde actio creativa ſolum in genere cauſæ efficientis reddit naturam non indigentem tali vnione, quatenus producit naturam tali vnione non indigentem: ipſa vero natura per ſeipſam in genere cauſæ formalis eſt non indigens vnione ad ſubſtantiam diſtinctam: ſicut enim ſubſtantia incompleta, v.g. materia prima, per ſeipſam eſt indigens vnione ad aliam ſubſtantiam; ita ſubſtantia completa, v.g. humanitas, & natura Michaelis, per ſeipſam eſt non indigens vnione ad ſubſtantiam aliam; quia in ratione non indigentis; non conſtituitur per actionem creativam.

17 Præterea infertur, humanitatem Chriſti de facto habere propriam ſubſiſtentiam, quia ipſa ita de facto eſt vnita cum Verbo, vt non indigeat tali vnione ad exiſtendum: quia ſi ſubſiſtentia conſiſtit in forma excludente indigentiam vnionis ad alienam ſubſtantiam; de facto habebit humanitas Chriſti propriam ſubſiſtentiam.

18 Dices de facto illam humanitatem produci per actionem affigentem illam Verbo, & facientem vt dependeat à Verbo tanquam à ſuppoſito; & conſequenter cum illa actione de facto non componi propriam ſubſiſtentiam. Sed contra quia ſi ſemel poſſunt hæc duo cohærere, nempe humanitatem exiſtere per ſe, & habere propriam ſubſiſtentiam, vt hic Author affirmat: non eſt ratio cur humanitas Chriſti de facto non exiſtat per ſe; ſiquidem de facto habet exiſtentiam non indigentem vnione ad Verbum, vt ſit; quamvis enim vt producta per actionem vnitivam eiuſdem ad Verbum, indigeat illa vnione; hæc non eſt indigentia humanitatis productæ, ſed actionis productivæ, quæ cum ſit ſupernaturalis ipſi humanitati, poteſt exigere id quod humanitas non exigit, & indigere eo, quo non indiget humanitas: humanitas vero ipſa producta per actionem affigentem illam Verbo, (ſeu producentem ſimul cum ipſa eiuſdem vnionem cum Verbo) non indiget illa vnione cum Verbo, quia ſi exiſtere per ſe nihil eſt aliud quam habere exiſtentiam non indigentem vnione ad aliud; humanitas Chriſti erit in ipſo Chriſto per ſe exiſtens, ac proinde erit perſona. Cum ergo hoc ſit abſurdum, dicendum eſt, hoc quod eſt exiſtere per ſe, amplius dicere, quam non indigere vnione ad aliud, ac proinde idem eſſe, ac non habere illam vnionem: quia repugnat humanitatem habere propriam ſubſiſtentiam, & tamen in ſenſu compoſito eius aſſumi à Verbo.

SECTIO QVARTA.

Respondetur ad fundamenta P. Bernal.

19 AD primum ergo argumentum huius Authoris ex numer. 2. nego, subsistentiam rei creatæ solum habere illos duos effectus, nempe reddere naturam independentem à supposito alieno, seu non indigentem alio, quo substantialiter compleatur, & reddere illam independentem à subiecte, seu non egentem alio à quo tanquam à subiecto sustentetur. Nam vtrumque habet natura Michaelis per seipsam essentialiter, nam per seipsam est non indigens aliquo à se distincto vt supposito sui, & vt subiecto; & tamen non est essentiale naturæ Michaelis habere subsistentiam propriam; siquidem potest divinitus illa privari, & assumi à supposito divino. Subsistentia ergo propria vltra illa duo requirit quod natura Angeli sit separata à substantia divina, cui tribuantur eius operationes. Ad paritatem petitam ab eductione albedinis, respondeo essentiale esse illi eductioni reddere albedinem actu inhærentem subiecto, & in illo existentem, quia talis actio essentialiter pendet per seipsam à præsupposito subiecto, illique intrinsece affigitur, & in illo per seipsam recipitur. At hinc non sequitur essentiale esse creationi naturæ Michaelis, vel humanitatis reddere naturam Michaelis, vel humanitatem actu independentem à supposito alieno: quia in sensu composito talis creationis potest humanitas vniri cum Verbo, & ab illo actu pendere tanquam à supposito. En ergo disparitatem apertam: nam implicat albedinem esse eductam à subiecto, & esse separatam à subiecto; at non implicat humanitatem esse creatam, seu terminare actionem creativam sibi connaturalem, & tamen esse coniunctam cum Verbo; quia actio creativa naturæ ipsi connaturalis est coniungibilis cum omni eo, cum quo coniungibilis est ipsa natura, vnde quamvis essentiale sit eductioni coniungere formam eductam cum subiecto, non est essentiale actioni creativæ naturæ separare naturam à supposito extraneo: ac proinde non est essentiale actioni creativæ facere vt natura per ipsam producta, sit per se existens, & non existens in alio tanquam in supposito, quotiescunque enim terminus connaturaliter productus per aliquam actionem non exigit non vniri cum substantia aliena, actio illa nequit excludere illam vnionem, sed debet esse coniungibilis cum omni eo, cum quo terminus coniungi potest.

20 Hinc patet ad secundam rationem ex numero 3. quia actio creativa naturæ ipsi connaturalis licet sit positiva independentia per modum indigentiæ; non tamen independentia excludens dependentiam actualem non petitam ab ipsa natura; aliud enim est naturam non indigere dependentia, & vnione ad Verbum tanqnam ad supposítum; aliud est talem dependentiam non habere: iam vero actio creativa connaturalis naturæ, quamvis reddat naturam non indigentem vnione ad Verbum, non tamen reddit naturam carentem illa vnione, & dependentia à Verbo, quod tamen est necessarium, vt natura dicatur habere propriam subsistentiam, & personalitatem non enim subsistit, neque est persona, quod existit in alio digniri se, cui tribuuntur eius operationes.

21 Ad tertium desumptum ab exemplo divinarum subsistentiarum procedentium, seu productarum; respondeo nihil eo argumento probari: ideo enim Filius, & Spiritus Sanctus denominantur subsistentes à sua productione passiva, quia illa productio passiva est per se subsistens identificata virtualiter cum persona producta: ac proinde est per seipsam substantia completa per se existens, & incommunicabilis. At productio passiva humanitatis, & naturæ Michaelis non est idem cum natura producta: & quamvis foret, non propterea esset subsistentia, quia humanitas ipsa, vel natura Michaelis nõ est essentialiter per seipsam persona, seu substantia completa per se existens, & incommunicabilis: quamvis enim sit substantia naturaliter completa, & incommunicabilis pluribus per identitatem, non est tamen per sui præcisè entitatem per se existens; quia eius entitas est complebilis per substantiam divinam, ac proinde ipsa est capax existendi in alio digniori se, cui tanquam primo intimo tribuantur omnes eius operationes vnde ex se est indifferens,

vt vel

vt vel exiſtat per ſe, & ſit perſona; vel exiſtat in alio tanquan in perſona, & ſuppoſito ſui, & conſequenter vt non ſit perſona.

SECTIO QVINTA.

Soluitur quædam obiectio; cuius occaſione diſquiritur an Incarnatio Verbi debeat realiter identificari cum productione humanitatis.

22 AT obijcies ſic: neceſsè eſt vt humanitas, vel producatur in alio tanquam in ſuppoſito, vel producatur in ſe tanquam ſuppoſitum, id eſt neceſsè eſt, vt producatur ad exiſtendum per ſe, vel ad exiſtendum in alio digniori ſe, v.g. in Verbo, vel Paulo aliter; neceſsè eſt vt producatur vt totum, vel vt producatur vt pars alterius totius, v.g. Chriſti: ex ijs duobus modis productionis alter eſt naturalis, nempe ille quo producitur, vt exiſtat per ſe, vt ſit ſuppoſitum, & totum; alter ſupernaturalis, videlicet ille, quo producitur vt pars alterius totius, & vt exiſtat in alio. At eſſentiale eſt actioni ſupernaturali, qua producitur vt exiſtat in alio, vt illam vniat ſuppoſito divino, eique affigat: quia eſſentiale eſt productioni naturali, qua producitur ad exiſtendum per ſe, vt illam ſeparet ab alio, ac proinde, vt ſit illius ſubſiſtentia, & perſonalitas.

23 Reſpondeo negando minorem: nam quamvis Deus producat humanitatem ex intenſione vniendi illã cũ Verbo, non eſt neceſsè vt actio productiva humanitatis ſit vnitiva eiuſdem cum Verbo, ita vt producendo vniat, & vniẽdo producat: ſed poteſt Deus producere humanitatem per actionẽ ipſi connaturalem, & eam ſic productam aſſumere, & ſibi hypoſtaticè vnire per aliam actionem terminatam ad vnionem hypoſtaticam: cum enim humanitas, & vnio hypoſtatica eiuſdem ad Verbum ſint termini realiter diſtincti, & diverſi ordinis, ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis, non poteſt dari neceſsitas vt eadem actione indiviſibili producantur; ſed poteſt produci proprio humanitas per actionem ſibi connaturalem, & pro poſteriori produci vio hypoſtatica eiuſdem ad Verbum, & ita fuiſſe de facto productam affirmat expreſsè D. Thomas 3.p. quæſt. 4. art. 2. ijs verbis: Illud quod aſſumitur oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud quod movetur localiter, præintelligitur ipſi motui, & affirmat cum D. Tho. communis ſententia Theologorum inter quos legendus eſt Vazquez tom. 1. in 3. p. diſp. 71. num. 12. vbi ait, neminem negare poſſe, prius natura creari animam, & generari humanitatem, quam aſſumatur, & vniatur Verbo: neque enim (inquit) generatio humanitatis, & aſſumptio poſſunt eſſe eadem actio, tum quia id, quod aſſumitur, præintelligi debet ante aſſumptionem, tum etiam quia generatio humanitatis eſt ordinis naturalis ſecũdum ſubſtantiam; at vero aſſumptio, & vnio cum Verbo eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. Et quamvis P. Bernal diſp. 12. ſect. 2. multis argumentis ab authoritate, & ratione petitis contendat, vnionem hypoſticam eſſe realiter idem cum ipſa humanitatis productione: nihilominus nullo argumento efficaci concludi poteſt, non potuiſſe aliter rem contingere, admitto de facto eadem actione fuiſſe humanitatem productam, & vnitam Verbo; nego tamen non potuiſſe aliter evenire. Vnde nunquam poteſt concludi actionẽ illam, qua connaturaliter producitur humanitas ad exiſtendum per ſe, eſſe eſſentialiter ſubſiſtentiam, & perſonalitatem humanitatis: quia ex eo quod actio ſit connaturalis humanitati de ſe ſufficienti ad exiſtendum per ſe, & non indigente vnione ad aliam ſubſtantiam ad exiſtendum, & operandum, non ſequitur quod actio illa ſit incompoſsibilis cum vnione humanitatis ad aliam ſubſtantiam; quia actio connaturalis termino non debet eſſe incompoſsibilis cum eo, cum quo terminus ipſe componi poteſt. At humanitas poteſt componi cum vnione ad Verbum; quia vt actio productiva humanitatis, ipſique connaturalis poteſt componi cum tali vnione: quia non eſt eſſentiale actioni connaturali humanitatis productivæ, illam ſeparare à Verbo.

24 Probaturque poſſe Deum producere humanitatem ad hoc vt exiſtat in Verbo tanquam in ſuppoſito, quin talis actio ſit vnio humanitatis ad Verbum, neque vnitio, id eſt productio vnionis. Nam Deus de facto producit animã rationalem Petri, v.g. vt informet corpus Petri, in illoque exiſtat tanquam in ſubiecto; & nihilominus productio animæ, neque eſt vnio animæ ad corpus, cum ſit creatio, vi cuius anima extra corpus conſervari poteſt: neque eſt productio vnionis propter eandem rationem: item quia vivens concurrit ad productionem vnionis

Producere terminum ad hoc vt cũ alio vniatur, non eſt productionem eſſe terminorum vnionẽ.

nis inter animam, & corpus, & tamen nõ concurrit ad productionem ipsius animę, vtpote quæ à solo Deo creatur, & infunditur corpori: quia productio animę realiter distinguitur à productione vnionis, quia potest Deus producere humanitatem ad hoc vt existat in Verbo tanquam in supposito, quin per eandem actionem, qua producit humanitatem, illam formaliter vniat cum Verbo, vel vniat efficienter producendo scilicet vnionem cũ Verbo, quia ex terminis Incarnatio Verbi non petit esse actio adentificata cum productione humanitatis.

25 Deinde à priori suadetur non esse necessarium, vt Incarnatio Verbi fuerit actio realiter identificata cum productione humanitatis: nam productio humanitatis, vel esset Incarnatio, quia simul cum humanitate produceret vnionem hypostaticam eiusdem cum Verbo, & sic esset vnitio simul, & prodoctio, vel quia per seipsam talis productio humanitatis esset formalis vnio eiusdem cũ Verbo, sicut eductio accidentis de potentia subiecti est vnio formalis illius accidentis cum subiecto. At nullo ex ijs modis potest esse necessarium, vt Incarnatio Verbi fuerit actio realiter identificata cum productione humanitatis. Non primo; quia si semel vnio hypostatica est modus realiter distinctus à productione humanitatis, nulla necessitas potest Deum cogere, vt eadem actione indivisibili producat vtrumque terminum, nempe humanitatem, & illum modum vnionis, vt paulo ante probavimus. Non secundo; quia cum productio humanitatis non sit eductio humanitatis quasi de potentia Verbi, neque à Verbo dependeat vt à subiecto, & causa materiali, tum ob manifestam imperfectionem, quam arguit in Verbo munus subiecti, & causæ materialis; tum quia productio humanitatis afficere debebat intrinsece Verbum, prout erat necessarium, vt esset eiusdem vnio cum humanitate: neque illa productio dependet à priori à Verbo nisi in genere causæ efficientis, quo pacto eodem modo dependet à Patre, & Spiritu Sancto, quos minime vnit cum humanitate.

26 Dices actionem productivam humanitatis dependere à Verbo vt à supposito, & vt ab extremo vnibili, ac proinde non minus esse intrinsecam Verbo, quam sit intrinseca substantiæ productio accidentis dependens à substantia vt à subiecto, sed contra primo, quia vt humanitas producatur, & vniatur Verbo, non est necesse vt Verbum exerceat erga illam productionem aliquam specialem causalitatem, quam non exercent Pater, & Spiritus Sanctus, sed satis est, quod omnes tres personæ producant primo humanitatem, deinde producant pro posteriori vnionem hypostaticam, per quam humanitas illa copuletur Verbo; ita vt à priori non minorem habeat dependentiam Incarnatio à Patre, & Spiritu Sancto, quam à Filio; solumque differant, quod vnio producta vnit Filium, & non alias duas personas. Quare nequit explicari, quid sit productionem humanitatis pendere à Verbo tanquam à supposito, & tanquam ab extremo vnibili: si enim sermo sit de dependentia illius actionis à Verbo tanquam à supposito producente per ipsam; hoc pacto etiam dependet à Patre, & Spiritu Sancto: si autem sermo sit de dependentia illius actionis à Verbo tanquam à supposito vniendo cum humanitate producta, hæc non est dependentia à priori; neque est propria dependentia; nam productio vnius extremi ex se non connexi cum alio extremo, non dependet ab illo alio extremo, cum quo vnitur, neque est ratio, cur actio productiva humanitatis titulo producendi formam, quæ vnienda est cum Verbo, debeat intrinsece afficere Verbum: immo neque est ratio cur ex se debeat postulare vt humanitas vniatur cum Verbo. Sic actio creativa animæ vniendæ cum corpore non afficit intrinsece corpus, nec est vnio sui, & animæ ad illud corpus, neque actio productiva naturæ coniungendæ cum gratia habet vllam connexionem cum gratia; sed eodem modo se habet, sive natura vniatur cum gratia, sive non;

SECTIO SEXTA.

Soluuntur rationes, quibus P. Bernal probat humanitatem Christi eadem indiuisibili actione fuisse productam, & vnitam Verbo.

27 SED videamus quas rationes adducat P. Bernal in confirmationem suæ sententiæ. Eas proponit ea disp. 12. sect. 2. §. 4. à n. 76. Primam sumit ex proloquio Doct. omnium; aiunt enim Christi humanitatem pendere à Verbo, & pendere ab illo tanquam à sustẽtante: sed hæc essent omnino falsa, si productio humanitatis non pende-

penderet eſſentialiter à Verbo tanquam ab extremo vnibili, ergo &c. Minor clarèt: nam ſi conſervatio materiæ, & productio animæ, & productio vnionis ipſa inter ſe coniungentis, neque ſunt vnio cum Verbo, neque ex natura ſua poſtulant vnionẽ ſuorũ extremorũ cum Verbo, plane ſunt actiones independentes à Verbo: ergo etiam ipſi termini, & per conſequens tota humanitas ex illis terminis coaleſcens. Qua ergo cum proprietate, aut veritate dicitur illa humanitas pendere à Verbo, & pendere ab illo, vt à ſuſtentante?

28 Secundam ſic formatnum. 81. Nam creatio animæ Petri, ideo eſt propria illius animæ ſubſiſtentia, quoniã eſt ſubſtantialis productio ipſius, independens à ſuppoſito: ergo vt creatio animæ Chriſti non ſit propria eius ſubſiſtentia, neceſsè eſt, quod ſit actio pendens à ſuppoſito; ac proinde à ſuppoſito divino, cum in Chriſto non ſit ſuppoſitum humanum. Tum ſic, eſt actio dependens à divino ſuppoſito: ergo eſt vnio ſui termini cum illo: patet conſequentia, tum quia ſtante eiuſmodi actione, & quocunque alio ſublato, non poteſt eius terminus non eſſe phyſicè connexus, & vnitus cum ſuppoſito divino: tum etiam à ſimili, nam actio pendens eſſentialiter à ſubiecto, eſt realis, ac phyſica vnio ſui termini cum eodem ſubiecto. Tertiam ſic inſtruit n. 82 entitas, quæ naturaliter eſt in alio, per eandem actionem, qua fit, vnitur: ergo forma, quæ ſupernaturaliter in alio eſt, vt Chriſti humanitas in Verbo, per eandem actionem producitur, & cum illa vnitur.

29 Quartam num. 83. ſic proponit: res illa, quæ naturaliter eſt in alio, nempe quantitas, aut albedo, aut quodvis aliud productum accidens, per eandem actionem ſupernaturaliter producitur, & exiſtit ſupernaturaliter per ſe: ergo res, quæ naturaliter exiſtit per ſe, qualis eſt humanitas, per eandem actionem producitur, & exiſtit ſupernaturaliter in alio. Conſequentia probatur; tum quia oppoſitorũ eadem eſt ratio: tum quia nunquam aſsignabitur ſufficiens diſcrimen; res enim, quæ naturaliter eſt per ſe, non magis extrahitur à ſuo connaturali modo exiſtendi, dum fit exiſtens in alio; quam res, quæ naturaliter eſt in alio, extrahatur à ſuo connaturali modo exiſtendi, dum fit exiſtens per ſe: ergo ſi hæc, nimirum euchariſtica albedo, per eandem actionem, qua producitur, exiſtit per ſe: ſanè illa, nempe Chriſti humanitas, per eandem actionem, qua producitur, exiſtit in alio.

30 Hæ rationes intentum non convincunt, ad primam reſpondeo, illum modum loquendi Theologos, quod humanitas Chriſti pendeat à Verbo tanquã à ſuſtentante, non probare, quod eadem actione, qua humanitas producitur, vniatur Verbo. Nam illo modo loquendi vtũtur communiter Theologi; & tamen communis, eorũ conſenſus tenet prius ordine naturæ eſſe, humanitatem eſſe productam, ſaltem quoad exiſtentiam animæ rationalis, & corporis, quam eſſe vnitam Verbo: & plerique etiam docent, prius quoque ordine rationis eſſe animam rationalem vniri corpori, quam animam, & corpus vniri Verbo; vt videre eſt apud P. Vaz. q. 3. p. diſp. 71. n. 12. quod non obſcurè tenet D. Tho. 3. p. q. 6. art. 4. ad 3. in „ illis verbis: vnione perſonali prius ſecũ„ dũ intellectũ oportet quod caro vnia„ tur animæ, quã Verbo, quia ex vnione „ ad animam habet, quod ſit vnibilis Verbo. Licet nonnulli doceant, quamvis anima rationalis, & corpus prius naturà intelligantur, quam aſſumantur à Verbo; prius tamen aſſumi quam vniantur inter ſe; inter quos videndus eſt Pater Alderete. In hoc ergo conveniunt communiter Theologi prius ordine rationis fuiſſe animam rationalem Chriſti creari, & corpus organizari, & vltimo diſponi ad receptionem animæ, quam vtrumque vniri Verbo; licet inter ſe diſsideant, an vnio corporis, & animæ præceſſerit quoque vnionem hypoſtaticam ordine rationis, an illam ſubſecuta ſit. Cum ergo cõmuniter doceant, productionem humanitatis præceſsiſſe ordine rationis productionem vnionis hypoſtaticæ; commune illud eorum proloquium, quod humanitas Chriſti dependeat à Verbo vt à ſuſtentante, non debet explicari, per hoc quod productio humanitatis ſit vnio eiuſdem cum Verbo.

31 Illa ergo dependentia humanitatis à Verbo vt à ſuſtentante, non poteſt eſſe à priori, & propria, quia licet productio humanitatis dependeat à priori à Verbo vt à principio efficienti; hoc pacto etiam dependet à Patre, & Spiritu Sancto: dependentia vero illius actionis à Verbo vt ab extremo vniendo cum humanitate, non eſt dependentia à priori, neque dependentia per ſe à poſteriori per con-

connexionem essentialem vel saltem connaturalem cum illa vnione : productio namque humanitatis non magis connectitur cum vnione hypostatica, quam ipsa humanitas : hæc autem nec connectitur cum vnione ad Verbum, neque illam exigit : quia nec productio humanitatis illam connexionem, vel exigentiam habet.

Quomodo humanitas pendeat à Verbo vt à sustentante.

32 Qua ergo (inquit) cum proprietate, aut veritate dicitur : *Illa humanitas pendere à Verbo, & pendere ab illo vt à sustentante* ? Respondeo eo modo loquendi solum significare Theologos, humanitatem illam, quæ quantum ex vi suæ productionis naturalis potens erat per se, & solitarie existere ; ita de facto vniri, & coniungi cum persona Verbi, & ad illam trahi, vt omnes operationes ipsius non minus tribuantur Verbo vt subsistenti in humanitate, & illam possidenti vt naturam propriam, quam si humanitas foret accidens inhærens Verbo. Et sicut si res potens per se, & separatim existere, copularetur fortissimæ columnæ, eique adhæreret indissolubili vnione, diceretur à columna sustentari, ne caderet, aut infringeretur : ita humanitas licet producta sit vi actionis per quam posset per se, ac separatim existere ; ita adhæret Verbo media vnione hypostatica, vt dicatur à Verbo sustentari, quia titulo vnionis hypostaticæ tenetur Verbum illam in perpetuum conservare, & ita regere, vt non possit moraliter deficere.

33 Idque in meis principijs facile explicatur. Affero ergo Verbum vere & propriè sustentare humanitatem Christi vt suppositum eius : quia cum in genere principij efficientis illam simul cum Patre, & Spiritu Sancto producat, manuteneat, & sustentet ; deinde accedente vnione illa, sustentat per modum principij intimi possidentis per vnionem humanitatem vt naturam propriam, seu sibi appropriatam ; sicut homo sustentat brachium sibi vnitum ; & vt principium intimum tenetur concurrere ad omnes operationes illius humanitatis, vtpotè ipsi tribuendas ; teneturque proinde humanitatem illam vt naturam propriam gubernare, & in suis operationibus dirigere ; ne in aliquo discordet à divinitatis beneplacito. Quare licet omnes tres divinæ personæ in genere causæ efficientis sustentent humanitatem ; solum tamen Verbum sustentat vt suppositum, seu vt principium intimum, & intrinsecum humanitati, quod titulo vnionis tenetur naturam illam vt rem propriam conservare, & de illa curam habere, perinde ac tenetur Petrus suas potentias, & sensus gubernare ; quia humanitas post vnionem hypostaticam operatur, vt instrumentum coniunctum Verbi, & quasi nomine ipsius ; sicut forma accidentalis inhærens substantiæ ; & substantia operatur per illam tanquam per virtutem, & propter hanc rationem dixi, solam substantiam divinam posse alienam suppositare naturam, quia sola substantia divina potest esse principium intimum primum, & principale omnium operationum naturæ distinctę sibi vnitæ.

Creatio animæ reddit illam præindentem à dependentia, vel non dependentia à Verbo.

34 Ad secundam rationem respondeo negando id quod supponit, nempe creationem animæ Petri esse propriã illius subsistentiam ; quoniam est substantialis productio ipsius independens à supposito. Nam supra probavi animam rationalem Petri non subsistere, sed solum subsistere Petrum, in quo tanquam in toto existit anima vt pars : subsistere enim est proprium totius, & nequit convenire parti. Vnde licet creatio animæ Petri sit substantialis productio ipsius independens, id est non pendens essentialiter à supposito, quia est potens conservare animam extra omne suppositum, id est extra Petrum, qui est suppositum proprium illius animæ, & extra substantiam divinam, quæ est suppositum alienum potens suppositare eam animam ; non tamen illa creatio est independens à supposito exclusive, id est excludens dependentiam sui, & animæ per ipsam productæ à supposito ; imino ex se connaturaliter postulat dependentiam sui termini à supposito proprio, quia postulat animam existere in Petro tanquam in supposito ; & est indifferens vt existat in Verbo, vel alia persona tanquam in supposito superexcedenti infinitè proprium suppositum. Vnde creatio animæ licet non postulet animam existere in Verbo tanquam in supposito, non non tamen postulat non existere, seu non excludit ; quod sufficit, ne sit subsistentia propria animæ ; nam implicat vt anima in sensu composito subsistentiæ propriæ existat in Verbo tanquam in supposito.

35 Vnde ex eo quod creatio animæ Christi non sit propria eius subsistentia, non sequitur quod sit actio dependens à supposito divino, datur enim medium, quia illa actio nec reddit animam positivè independentem à supposito divino, id est per

per ſe exiſtentē independenter à Verbo, & ſeparatim ab illo, nec poſitive dependenter id eſt actu exiſtentem in illo, ſed ab vtroque præſcindit; & ſolum habet producere animam, ex ſe quidem non indigentem vnione ad Verbum: potentem tamen illā habere; vel illa carere; ac proinde ex ſe præſcindentem ab eo quod ſit per ſe ſubſiſtens, vel ſubſiſtens in alio.

36 Ad tertiam rationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: entitas enim, quæ naturaliter eſt in alio; producitur per eductionem; eductio autem eſt ex terminis ſuis vnio termini educti cum ſubiecto ex cuius potentia educitur. Forma autem, quæ ſupernaturaliter eſt in alio; poteſt produci per creationem, & pro poſteriori vniri cum altero per novam actionem, & ſic contingit in præſenti: nam anima rationalis producitur per creationem, quæ creatio neque petit, neque excludit vnionem animæ cum Verbo, & pro poſteriori advenit actio ſupernaturalis producens vnionem illius cum Verbo.

37 Ad quartam reſpondeo, tem illam, quæ naturaliter eſt in alio, vt quā- titas Euchariſtica, quæ naturaliter eſt in ſubſtantia panis, per eandem actionem ſupernaturalem produci, & eſſe per ſe quoad ſufficientiam actionis, & non indigentiam alterius actionis, (vt enim exiſtat per ſe ſufficit actio creativa ſupernaturalis per quam Deus quantitatem illam conſervat independenter ab influxu ſubſtantiæ panis, & non requiritur adventus novæ actionis;) non tamen per illam præciſsè actionem conſtitui in ratione exiſtentis per ſe in actu ſecundo, ſeu in ratione exiſtentis per ſe, & ſeparatim ab vnione ad omne aliud: ſiquidem poteſt Deus quantitatem euchariſticam conſervare per creationem, & ſimul illam vnire cum ſubiecto; ſicut animam rationalem producit per creationem, & ſimul vnit cum corpore. Vnde ſicut anima rationalis dum eſt in ſtatu ſeparationis, & per ſe omnino exiſtit, in ratione ſic exiſtentis conſtituitur, principaliter quidem & in recto per actionem creativam, & ſuam entitatem de ſe non indigentem vnione ad corpus ad ſui conſervationem, de obliquo vero per carentiam vnionis ad corpus ſita quantitas euchariſtica producta per creationem, in ratione per ſe exiſtentis conſtituitur in recto per illam actionem, de obliquo vero per carentiam vnionis ad ſubſtantiam: nam poſſet Deus in ſenſu compoſito actionis creativę vnire quantitatem euchariſticā ſubſtantiæ: nihil enim prohibet Deum producere quantitatem per actionem independentem à ſubiecto, & tamen ſimul quantitatem ſic productam vnire cum ſubſtantia. etſi enim opponantur hæc duo, nimirum quantitatem eſſe productam per creationem, & ſimul pendere à ſubſtantia tanquam à cauſa materiali: non tamen opponuntur hæc alia duo; nempe quantitatem eſſe productam per creationem, & tamen eſſe vnitam ſubſtantiæ.

Poteſt ac cidens per creationem cōſervari & ſimul vniri ſubiecto.

38 Vnde non ſequitur, quod res, quæ naturaliter exiſtit per ſe, qualis eſt humanitas, per eandem actionem producatur, & exiſtat in alio, ſiquidem poteſt produci per actionem creativam ſibi connaturalem, & in ſenſu compoſito illius per novam actionem, eamque ſupernaturalem vniri cum Verbo. Nam licet actio illa creativa ſit ex ſe ſufficiens ad conſervandam humanitatem ſeparatam à Verbo, non habet tamen ex ſe ſeparare à Verbo, ſed de ſe eſt indifferens, vt humanitas in ſenſu compoſito talis creationis exiſtat in Verbo, & cum illo conſtituat vnum per ſe. Itaque humanitatem produci in Verbo dicit duas actiones realiter diſtinctas, alterā quoad ſubſtantiam naturalem, nempe creationem humanitatis, alteram ſupernaturalem quoad ſubſtantiam nempe productionem vnionis hypoſtaticæ, humanitatem vero produci extra Verbum dicit duo, alterum poſitivum, nempe humanitatem produci per actionem creativam, alterum negativum, nempe huic actioni non adiungi aliam producentem vnionem humanitatis cum Verbo.

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur argumenta, alia quibus Recentiores contendunt, non aliter poſſe humanitatem ſuppoſitari a Verbo, quam ſi Verbo vniatur eadem actione qua producitur.

39 NOBILIS Recentior, qui ſententiam Patris Bernal ſequitur, & illuſtrat, ſic argumentatur id probadum non poſſe humanitatem ſuppoſitari à Verbo, niſi eadem actione producatur, & vniatur Verbo. Humanitas Chriſti nullum ſubſtantiale complementum poteſt ſuſcipere per vnionem cum Verbo, niſi illi deficiat,

ciat, quod per illam vnionem suppletur, at humanitati nullum complementum substantiale deficere potest, si illa supponatur producta, & existens, quia ea à Verbo divino sibi vnito nequit suscipere complementum substantiale, atque adeo neque subsistere à Verbo, si producta supponatur. Minorem probat 1. quia illud, quod post specificam substantiæ constitutionem resultat, nequit non esse accidens, vtpotè quod accidit substantiæ sua specie constanti, alioqui etiam potentiæ ab anima distinctæ, necnon quantitas superaddita, possent appellari substantialia complementa, vtpotè naturaliter indefectibilia.

40 Probatur secundo, quia de ratione accidentis est inhærere substantiæ, cui ipsum vnice deservit: omnis autem modus resultans ex natura humana iam producta inhæret illi: quippe supponit illam præexistentem, nec minus destinatus est ad serviendum illi, vt adæquate ab ipso distincte, quam aliud quodlibet exploratum accidens: siquidem modus ille, quicunque sit, neque intelligit, neque amat, neque vivit, neque agit, neque suscipit in se aliquid, sed vnice deservit vt natura præexistens vivat, agat, vel suscipat: quippe cum natura supponatur producta, & productione naturali, & non requirente alienum terminum, satis intelligitur in se existens, & non indigens alio, vtpotè producta actione suæ conditioni consona, actionibus autem, & passionibus etiam serviunt potentiæ, & quantitas; & tamen hæc omnia sunt verè naturæ accidentia: quia accidens etiam esset complementum illud, quod ab existentia, & productione naturæ distinctum, & derivatum dicitur; vtpotè pariter habens rationem entitatis, vel rei secundæ: & cuius comparatione natura res prima est: proprium autem rei primæ est, esse substantiam, & rei secundæ esse accidens.

41 Verbum in primis hoc argumentum non est efficax ad probandū humanitatem Christi eadem actione produci, & vniri Verbo; sed ad summum est efficax ad probandum subsistentiam propriam, vi cuius compleretur humanitas substantialiter: si non esset vnita Verbo, non esse modum aliquem fluentem ab ipsa natura per quem constitueretur in ratione hominis, & personæ, quod nos libenter concedimus.

40 Ad argumentum ergo respondeo negando suppositum maioris: supponit enim humanitati assumptæ à Verbo deficere aliquod complementum substantiale, ipsique connaturale, & hoc complementum suppleri à Verbo, & hoc est supponere falsum vt enim inquit D. Thomas 3. part. quæst. 4 articul. 2. ad 2. *Naturæ assumptæ non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est Vnio ad diuinam personam.* Et vt docent Concilia, & Patres apud Claudium Typhanum libr. de hypostasi, & persona cap. 29. & 30, Verbum assumpsit humanitatem cum omnibus suis proprietatibus: vnde Concilium Æcumenicum Chalcedonense, Act. 5. indefinit. fidei sess. 6. vt notat Baronius ad ann. 451. sic habet: *Sequentes Sanctos Patres, confitemur eundem Dominum nostrum Iesum Christum perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, consubstantialem Patri secundum diuinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato.*

42 Et Concilium Latheranense sub Martino 1. consult. 5. in confess. fidei Canon. 5. ita statuit. *Siquis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia, perfecte in Christo Deo, & indiminute absque tantummodo peccato significata, condemnatus sit.* Et Can. 9. *Siquis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem naturales propritates Deitatis eius, & humanitatis indiminute in eo, & sine deminoratione salvatas condemnatus sit.*

43 Idenque definit septima synodus generalis, quę est Nicæna 2. Act. 3. Ex quibus constat, Verbum assumpsisse omnes perfectiones, & omnes proprietates naturæ humanæ, & omnia quę ad hominem spectant, vno excepto peccato. Quæ definitiones essent falsæ, si subsistentia propria naturæ esset aliquod complementum substantiale naturæ superadditum, ab eaque necessario dimanans, & cum vnione hypostatica incompossibile; hoc enim complemento diminueretur humanitas per assumptionem; & iam aliquid præter peccatum, spectansque ad perfectionem, & complementum naturæ humanæ Verbum: non assumpsisset. Quare vt inquit D. Thom.

4. con-

4. contra gent. cap. 43. *Derogaretur perfectioni Incarnationis Dei Verbi, ſi aliquid eorum, quæ naturalia ſunt homini ei deeſſet.* Et paulo poſt, *Fides per omnia ſine peccato, ſimilem eum nobis in natura confitetur.* Hinc Auguſtin. in Ench. cap. 34. *Verbum caro factum à Divinitate carne ſuſcepta, non in carnem divinitate mutata, nihilque naturæ humanæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe*; ergo argumentum falſa laborat ſuppoſitione, dum ait, naturam humanam nullum ſubſtantiale complementum poſſe ſuſcipere per vnionem cum Verbo, niſi illi deficiat complementum naturale, quod per illam vnionem ſuppleatur. Nam humanitas per vnionem hypoſtaticam ſuſcipit complementum ſubſtantiale ſupernaturale, quin amittat vllum complementum naturale.

44 Rurſus ex alio etiam capite laborat argumentum falſa ſuppoſitione: duo enim ſupponit, nempe dari in humanitate ſubſiſtentiam propriam, quæ ſit complementum ſubſtantiale ſuperadditum naturæ, ab illaque diſtinctum, & illud complementum naturale ſuppleri à Verbo mediante vnione, & vtrumque eſt falſum, falſitatem primi iam probavimus ex Conciliis, & Patribus: falſitas vero ſecundi, facile demonſtratur: nam ſi daretur in humanitate ſubſiſtentia propria, quæ eſſet aliquod complementum ſubſtantiale diſtinctum à natura, munus illius non ſuppleretur à Verbo; nam munus eius eſſet reddere naturam per ſe, & ſeparatim exiſtentem, & illam conſtituere in ratione puri hominis, & perſonæ creatæ: Verbum autem media vnione non ſupplet hoc munus, quia mediante vnione, potius facit vt natura humana, non exiſtat per ſe, ſed in alio; facit vt natura humana non ſit perſona; ac proinde extorquet ab humanitate munus perſonæ, & trahit illud ad ſe: in Chriſto enim humanitas non eſt homo, ſed Verbum eſt homo, non eſt perſona, ſed Verbum eſt perſona illius humanitatis, eique vt ſuppoſito humanitatis tribuuntur eius operationes.

45 Sed quamvis cum ſententia communi admitteremus modum ſubſtantialem perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ propriæ dimanantem à natura, ſicut ab ea dimanant propriæ paſsiones, cuius munus ſit ita terminare exiſtentiam naturæ vt in ſe fiat exiſtens, & ei repugnet in alio ſubſiſtere; prout illum explicat P. Suarez diſp. 8. de Incarnat. ſect. 3. §. *Sed nihilominus*. Adhuc poſſemus facile reſpondere argumento, modum illum non eſſe accidens naturæ, ſicut ſunt potentiæ, & quantitas: quia licet ſupponat naturam exiſtentem in eſſe naturæ, non tamen ſupponit exiſtentem in eſſe hominis, ſed eius munus proprium eſt conſtituere concretum ſubſtantiale homo, ac proinde modus ille eſt ſubſtantialis, quia dat eſſe ſimpliciter; nam eſſe hominem, eſſe equum, eſſe Petrum, eſſe Bucephalum, eſt eſſe ſimpliciter. At potentiæ diſtinctæ à ſubſtantia, & quantitas, non dant eſſe ſimpliciter, idemque eſt de omni accidenti; nam quantitas facit vt homo ſit parvus, vel magnus, non tamen vt ſit homo; calor facit vt ſit calidus; intellectus facit vt ſit proxime potens intelligere, non tamen vt ſit homo, vnde non facit, ſed ſupponit concretum ſubſtantiale, & eſſe ſimpliciter: at modus ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis licet ſupponat naturam in abſtracto, non ſupponit in concreto, ſed illam conſtituit in concreto, & conſtituit in ratione hominis, & totius ſubſtantialis.

46 Secundo argumentatur laudatus Recentior: humanitas Chriſti non ſolum vnitur Verbo, ſed etiam ſuſtentatur ab illo, vt Patres, & Theologi loquuntur: atqui ſi vnio hypoſtatica ſit poſterior quam natura, hæc nequit in illo ſuſtentari: quia ea vnio non eſt poſterior; eſt igitur ipſa productio, vel terminus, productionis humanitatis: minorem probat primo, quia alioquin materia in forma, & forma in quantitate, aliſque accidentibus neceſſarijs ſuſtentaretur. Secundo, quia potius ea vnio in humanitate, quam humanitas in vnione, vel per vnionem ſuſtentari deberet, ſiquidem vnio ſupponit humanitatem, eique præſuppoſitæ inhæret, & affigitur: ſubſiſtentia vero humanitas, non ſupponit vnionem, ſi hæc diſtinguitur ab actione productiva humanitatis, & eſt poſterior humanitate.

Subſiſtentia ſi modus ſit ſupponit naturam; non tamen hominem.

47 Sed ad hoc argumentum iam ſupra reſpondimus, & nunc reſpondemus negando minorem. Ad primam eius probationem, nego ſequelam. Humanitas enim poteſt ſuſtentari à Verbo, etiamſi vniatur illi pro poſteriori ad ſui exiſtentiam; quia poſt quam humanitas vnitur Verbo, comparatur ad illud vt entis ens, & vt forma denominans Verbum, illudque conſtituens in ratione hominis; Verbumque, quod præſcindendo

ab

ab vnione solum sustentabat humanitatem vt principium efficiens, accedente vnione, iam sustentat vt suppositum, quia per vnionem fit humanitas propria Verbi, vnde illam manu tenet, & conservat ad eiusque operationes concurrit vt ad rem propriam, & proveniente à natura sua. Quod munus non potest exercere forma respectu materiæ, nec possunt exercere accidentia respectu formæ: potius enim forma sustentat accidentia, quã ab illis sustentetur, & materia sustentat formam, potius quam à forma sustentetur, nequit autem in vllo vero sensu verificari, humanitatem potius sustentare Verbum, quam sustentetur à Verbo. Ad secundam probationem respondeo, humanitatem quidem sustentare vnionem hypostaticam, quatenus illa est modus quidam creatus in humanitate receptus, & in hoc sensu, verum est humanitatem non sustentari in illo modo vnionis, tanquam in principio sustentante: falsum autem est, humanitatem per illum modum, vt causalitatem, & vt vinculum quo, non sustentari à Verbo. Theologi autem, ac Patres non affirmant humanitatem sustentari à modo vnionis, sed solum dicunt mediante vnione sustentari à Verbo.

48 Arguit tertiò per vnionem hypostaticam homo est Deus, & Deus est homo: at id falsum esset, nisi Deus ipse, seu Filius sustentaret à priori, atque adeo tanquam terminus ipsa productione vnitus, humanitatem productam quã ita sustentat. Probat minorem: quia nisi Verbum sustentet naturam humanam, nequit homo esse Deus; alioqui etiam si ea natura non subsisteret in Verbo, sed tantum cum illo vniretur, homo esset Deus. At nequit Verbum eam naturam sustentare, nisi vt terminus productionis vnitivæ, & supplens defectum productionis non vnitivæ, seu modi tenentis naturam, sine vnione.

49 Respondeo negando minorem: ad eius probationem, respondeo vt homo sit Deus, satis esse, quod suppositum habens humanitatem per vnionem physicam, habeat divinitatem per identitatem realem: nam homo significat habentem humanitatem, & Deus habentem Deitatem, vt autem suppositum divinum habeat per vnionem hypostaticam humanitatem, non est necesse, vt humanitas eadem actione, qua producitur vniatur; nam etiam si Deus produceret accidens per vnam actionem, & per aliam illud vniret cum subiecto, substantia esset habens illud accidens, & subiectum denominaretur album ab albedine à solo Deo producta per creationem, & eidem vnitam per novam actionem. In probatione minoris argumentum falsum supponit, dum inquit, alioqui si natura non subsisteret in Verbo, sed tantum cum illo vniretur, homo esset Deus. Supponit enim posse humanitatem vniri Verbo quin in illo subsistat, & hoc est supponere rem omnino chymæricam: implicat enim humanitatem vniri physice Verbo, & Verbum non habere humanitatem, & ratione illius constitui in ratione hominis: hoc autem, & non aliud est humanitatem subsistere in Verbo, nam subsistere in Verbo est humanitatem non esse sui, sed Verbi, non esse hominem, sed constituere Verbum in ratione hominis, & cum illo constituere vnum per se: implicat autem esse physice vnitam cum Verbo, & non constituere vnum per se cum illo.

Humanitas nequit vniri Verbo, quin in illo subsistat

50 Arguit quarto: ideo homo est Deus, quia nomine hominis in recto significatur habens, seu tenens naturam humanam; si enim significaretur hominis natura, falsa esset illa propositio: homo est Deus, siquidem humanitas non est Deus, nec è contra. At in Christo nequit non se habere humanitas, etiam in omni suo officio tanquam substantia, & consequenter tanquam habens, nisi ea sustentetur à priori, & intrinsece à Verbo, instar scilicet accidentis à subiecto, subiecti tamen imperfectionibus sublatis, quia ita contingit. Respondeo concessa maiori, & negando minorem: ratio enim vnica, cur humanitas in Christo non sit habens, sed habita, & se habeat respectu Verbi sicuti entis ens, nõ est quia humanitas per eandem actionem, qua producitur vniatur Verbo, sed quia vere, & realiter vnita est Verbo, & Verbum ratione illius vnionis illam possidet vt naturam suam, eiusque actionibus denominari debet, easque vt proprias dirigere, & regere. Sic subiectum diceretur album, & habens albedinem, quamvis haec produceretur à solo Deo per creationẽ, & per aliam actionem posteriorem vniretur cũ ipso. Vnde humanitas in Christo desinit habere modum proprium substantiæ, nempe modum existendi per se, & suscipiendi denominationem hominis, eam sibi tribuendo; non quia actio per

quam

quam producitur illam affigit Verbo; ſed quia in inſtanti in quo producitur datur actio illam affigens Verbo, & cum eo modo vnionis, vt Verbum denominet, & conſtituat in ratione hominis, eique deſerviat, perinde, ac accidentia deſerviunt ſubſtantiæ creatæ, eiuſque nomine operantur, & tanquam virtus illius.

51 Denique argumentatur, Pater, & Filius non ſubſiſtunt per ſpirationem activam, ſecus vero per abſolutam, & perſonalem ſubſiſtentiam, ſed non ob aliam rationem, niſi quia licet per identitatẽ illi ſpirationi communicentur, Pater ſupponitur exiſtens productione activa, & Filius paſsiva: ergo quia repugnat vt humanitas ſupponatur exiſtens vi ſuæ productionis, & quod ſubſiſtat per aliam poſterius, cui communicetur.

52 Reſpondeo non ideo præciſsè Patrem non reddi ſubſiſtentem per ſpirationem activam, quia ſupponitur exiſtens; ſed quia Pater ſupponitur non ſolum exiſtens, ſed ſubſiſtens completiſsime, & quatenus Deus, & quatenus Pater; nam quatenus Deus eſt ſubſtantia completiſsima per ſe exiſtens: impotens exiſtere in alio digniori ſe, quamvis quatenus Deus poſtulet eſſe in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis: Deinde quatenus Pater eſt ſubſtantia completa per ſe exiſtens, & incommunicabilis, nimirum per identitatem pluribus realiter diſtinctis, quæ eſt ipſiſsima definitio perſonæ: eſtque ob infinitam ſuam perfectionem incapax exiſtendi in alio digniori ſe, & idem eſt de Filio; quamvis enim poſsit vniri cum ſubſtantia creata, & cum ea conſtituere vnum per ſe; nequit tamen exiſtere in aliquo digniore ſe, quia totum reſultans ex perſona divina, & ex ſubſtantia creata non eſt aliquid perfectus perſona divina ſecundum ſe; immo eſt aliquid minus perfectum; ſiquidem perſona divina minus perficit mediante vnione naturam creatam, cui vnitur, quam perficiat ſeipſam: vnde perſona divina non exiſtit in complexo reſultante ex ipſa, & ex natura creata, tanquam in ſuppoſito, ſed tanquam ſuppoſitum illius complexi. Iam Vero humanitas quamvis ſupponatur producta per actionem creativam, & conſequenter exiſtens, non ſupponitur adhuc vt ſubſiſtens, donec intelligatur carere vnione ad ſubſtantiam divinam: nam in illo ſigno adhuc eſt indifferens vt vniatur cũ ſubſtantia divina, vel maneat per ſe, ac ſeparatim exiſtens: ſi vniatur ipſa non eſt perſona, quia hoc ipſo exiſtit in Chriſto tanquam in ſuppoſito, & perſona ipſam ſuppoſitante, & perſonante: nec ipſa eſt homo, ſed conſtituit perſonam divinam in ratione hominis: ſi autem maneat ſeparata à ſubſtantia divina, & ab omni alia cum qua conſtituat aliquod totum perfectius ſe; iam ipſa humanitas eſt homo, & perſona; quia ex illa ſuppoſitione eſt ſubſtantia completa per ſe exiſtens, & incommunicabilis.

53 Adde ſpirationem activam eſſe ſubſiſtẽtiam per ſe ſubſiſtentem, quæ conſtituit hoc concretum ſubſtantiale ſpirator; ſicut Deitas conſtituit hoc concretum ſubſtantiale Deus; quia eſt per ſe ſubſiſtens. Vnde Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum per modum vnius principij, quia Pater, & Filius ſunt realiter ſpirator, ac proinde illa ſubſiſtentia non eſt ſubſiſtentia alterius à ſe virtualiter diſtincti, ſed ſui; ſicut intellectio per ſe ſubſiſtens, cum ſit intellectio intelligens, non eſt intellectio alterius à ſe virtualiter diſtincti. Nihil ergo mirum, quod neque Pater, neque Filius reddantur ſubſiſtẽtes ab illa ſubſiſtẽtia conſiſtẽte in ſpiratione activa; quia hæc nihil à ſe virtualiter diſtinctum formaliter denominat. Patet ergo nullum eſſe argumentum inde petitum.

DIS-

DISPVTATIO XXVII.

AN SVPPOSITVM INCREATIS ADDAT ALIQVID POSITIVVM SVPRA NATVRAM

Ad quæſt. 4. 3. part. art. 2.

DISPVTANT Theologi ad art. 2. quæſt. 4. 3. p. in quo inquiritur, an Filius Dei aſſumpſerit perſonam; diſputant inquam quid addat perſona ſupra naturam, de quo P. Vazq. integram habet diſputationem. Nos autem hanc inſtituimus, quia eſt neceſſaria ad myſterium Incarnationis recte explicandum.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit ſuppoſitum? Quod perſona?

1 PRIMAM ſubſtantiam, & ſuppoſitum idem omnino eſſe in creatis oſtendit optime P. Suarez diſp. 34. Metaphyſicæ: nam omnis ſubſtantia, ſingularis, completa, & per ſe ſubſiſtens eſt prima ſubſtantia, & omne ſuppoſitum creatum eſt ſubſtantia ſingularis, completa, ac per ſe ſubſiſtens. In Deo autem non omnino coincidunt; natura enim divina ratione ſui formaliter, & quatenus virtualiter diſtincta à relationibus eſt ſingularis, & completiſſima, & tamen ratione ſui non eſt ſuppoſitum: cum non ſit incommunicabilis, quæ doctrina præſertim vera eſt iuxta communem ſententiam, quæ tuetur naturam creatam in genere ſubſtantiæ cõpleti per modum quendam poſitivum perfectitatis, qui ſubſiſtentia appellatur.

2 Suppoſitum, & perſona habent ſe, ſicut inferius, & ſuperius, nam perſona ſolum dicitur de ſubſtantia rationali completa, & per ſe ſubſiſtente. In quo differant ſuppoſitum, & perſona. Portò ſuppoſitum, & hypoſtaſis idem ſignificant ex vſu eccleſiaſtico, & communi phraſi Theologorum, licet nomen hypoſtaſis olim ſuſpectum fuerit Latinis PP. præſertim Hieronymo, & Auguſtino exiſtimantibus idem ſignificare, ac nomen *Vſia*; quod Latinè *natura ſeu eſſentia, vel ſubſtantia* interpretatur, ac proinde nolentibus conſentire cum locutione eorum, qui in Deo tres hypoſtaſes cõcedebat, ne viderẽtur admittere tres ſubſtantias, vel tres naturas; verum hæc lis nominum poſtea ſedata eſt, & in Eccleſia Latina nomen hypoſtaſis pro perſona, vel ſuppoſito vſurpatum eſt, de quo videre poteſt P. Vazquez 1. p. diſp. 24.

3 Perſona autem definitur à Boëtio *rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ne autem hæc definitio conveniat naturæ divinæ, nomine ſubſtantiæ individuæ intelligit Boëtius quod alij nomine ſubſtantiæ: individuam vero appellat, quam alij incommunicabilem vocant, ac proinde eo nomine intelligit *individuum completum, quod nec eſt pars, nec alteri vt ſuppoſito vnitur.* Clarior eſt definitio tradita à Ricardo, Victorino lib. 4. de Trinitate cap. 23. *Rationalis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia*, per quam definitionem excluditur natura divina à rationæ perſonæ, quia eſt pluribus per identitatem communicabilis, & anima rationalis, quæ eſt communicabilis homini per vnionem. Dubium autem eſt quo pacto humanitas Chriſti excludatur à ratione perſonæ humanæ? De quo infra. Quid ſit perſona.

SECTIO SECVNDA.

Referuntur ſententiæ de conſtitutione ſuppoſiti in creatis.

4 PRIMA ſententia eſt Durandi in 1. diſtinct. 34. num. 15. & plurium nominalium, ſuppoſitum ſupra naturam nihil addere, nec poſitivum, nec negativum, ſed hæc duo ſolum differre penès diverſum modum concipiendi, ſicut ens, & entitas; natura enim ſignificatur in abſtracto tanquam id, quod in aliquo eſt, ſuppoſitum vero in concreto tanquam id, quod eſt. Quæ ſententia ab omnibus exploditur: nam ſi ſuppoſitum, & perſona idem prorſus ſunt,

ſunt, ac naturæ ergo cum in Chriſto detur natura humana dabitur etiã in Chriſto perſona humana, quod eſt contra fidẽ.

5 Secunda ſententia eſt ſuppoſitum ſupra naturam ſolem addere characteriſticas proprietates accidentarias, quib⁹ natura contrahitur, & determinatur, vt conſtituat ſuppoſitum. Ita Herue⁹ & Iavellus apud P. Vazquez, quæ etiam ſententia facile refellitur, quia licet accidentia characteriſtica ſint quaſi ſigillũ & nota quib⁹ hoc ſuppoſitũ, & hæc natura ſingularis dignoſcitur vt diſtincta ab alia, iuxta quẽ ſenſum individuum definitur à Porphirio, *Id cuius collectio proprietatũ in nullo alio reperitur*; Nihilominus accidentia nõ poſſunt intrinſece cõſtituere compoſitum ſubſtantiale: cum ſubſtantia nequeat componi ex non ſubſtantijs. Secundo, quia Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam ſingularem, & individuam cum omnibus ſuis proprietatibus accidentarijs, & tamen non aſſumpſit ſuppoſitum: ergo natura in ratione ſuppoſiti nequit conſtitui per accidentia.

6 Tertia ſententia eſt, ſuppoſitum addere ſupra naturam eſſe actualis exiſtentiæ, ita Capreolus in 3. diſp. 5. quæſt. 3. art. 3. Sed contra primo, quia eſſentia, & exiſtentia naturæ nequeunt realiter diſtingui. Secundo, quia etiam ſi diſtinguerentur poteſt natura produci, quin producatur ſuppoſitum humanum vt patet in humanitate Chriſti, non tamen produci valet, quin eius producatur exiſtentia.

7 Quarta, & communis ſententia Thomiſtarum cum Caietano 3. p. quæſt. 11. art. 3. & noſtrorum cum P. Suar. diſp. 34. Metaph. ſect. 4. num. 24. & cum P. Vazq. 3. part. diſp. 31. cap. 6. docet ſuppoſitum ſupra naturam addere entitatem aliquam incompletam, quę tamen naturæ, à qua diſtinguitur complementum ſit, quam entitatem alij dicunt eſſe abſolutam, alij vero eſſe modalem. Hanc ſententiam fuiſſe reijciam lectione ſequenti.

8 Quinta denique ſententia eſt, ſuppoſitum creatum ſolum addere ſupra naturam aliquid negativum, ita Scotus, Enriq. & nonnulli Nominales apud Albertinum de prædicamẽto ſubſtantiæ diſp. 3. quæſt. 1. licet non eodem modo omnes illud negativum explicent, omiſſis alijs modis, quia minus celebres ſunt, Scotus in 3. diſp. 1. q. 1. §. *Ideo propter iſtũ*, & §. *Non aſſerendo*, docet ſuppoſitũ addere ſupra naturam duplicem negationem dependentiæ, actualis ſcilicet, & aptitudinalis.

9 Pro cuius opinionis intelligentia ſupponendum eſt, in doctrina Scoti triplicem eſſe dependentiam actualem, aptitudinalem, & potentialem; actualis eſt, cum aliqua natura ſubſtantialis actu pendet ab aliquo cui innititur, & hanc actualem dependentiam habet humanitas Chriſti à Verbo; aptitudinalis (inquit) eſt illa, quæ ſemper quantum eſt de ſe, eſſet in actu quo modo grave aptum eſt eſſe in centro, vbi ſemper eſſet, quantum eſt de ſe, niſi eſſet impedimentum. Hanc dependentiam aptitudinalem habet anima rationalis à corpore ſeparata, quia quantum eſt ex ſe habet propenſionem vt vniatur corpori, & conſtituat naturam humanam. Potentialis eſt, cum natura potens divinitus dependere ab aliquo, & illi inniti, non habet naturalem inclinationem, aut exigentiam; ſed ſolũ quandam non repugnantiam, vt alteri innitatur, & hanc dependentiam potentialem habet quælibet natura reſpectu Verbi, quę ab illo aſſumptibilis eſt. *Triplex dependentia explicatur in ſententia Scoti.*

10 His poſitis aſſerit Scotus ſuppoſitum addere ſupra naturam duplicem negationem dependentiæ, actualis ſcilicet, & aptitudinalis, non autem potentialis, ita vt deficiente quacunque ex his duab⁹ negationib⁹, deficiat ratio ſuppoſiti creati; defectu prioris negationis humanitas non eſt in Chriſto ſuppoſitũ creatũ, quia videlicet actualiter pendet humanitas à Verbo; defectu poſterioris anima rationalis ſeparata à corpore non eſt perſonã, quia licet habeat negationem dependentiæ actualis à corpore, non tamen negationem dependentiæ aptitudinalis, quandoquidem ab intrinſeco per ſe ipſam habet dependentiam illam aptitudinalem.

11 Hanc Scoti opinionem ſequuntur ex Authoribus Societatis Pater Molina 1. part. qbæſt. 29. art. 2. diſp. 3. §. *Age vero*, & ſequentibus P. Salmet. tome. 2. tract. 27. & ex modernis P. Vadignus diſp. 4. de Incarnat. dub. 3. §. 1. & P. Martinon, quibus ego ſubſcribo; antequam autem hanc ſententiam probem ſententiam communem impugnare oportet. *Scotum ſequuntur alij.*

SECTIO TERTIA.

Impugnatur sententia communis affirmans suppositum in creatis addere aliquid positivum supra naturam.

12 HÆC, vt vidimus, affirmat suppositum addere supra naturam aliquam entitatem positivam, quam plerumque eius assertores dicunt esse modum quemdã perfectatis; hęc sententia propterea mihi displicet, quia ille modus superfluus omnino videtur, nec vnquam satis explicari potest, quisnam sit eius effectus formalis, vt patebit discurrendo per singulas aduersariorum explicationes.

Impugnatur Caietanus.

13 Primo ergo Caiet. affirmat illam realitatem esse mediam inter naturam, & existentiam, ac proinde eius effectum formalem esse constituere proximum susceptivum existentiæ, seu reddere naturam proxime capacem existendi, additque illam realitatem esse vltimum terminum naturæ, & se habere, vt purè terminum respectu illius, id est nullam causalitatem exercere respectu illius, adhuc in pedere causæ formalis, sicut punctum (inquit) est terminus lineæ, quin sit causa illius in aliquo genere. Reijcitur tamen hæc sententia, quia prius est existere, quam per se existere: ergo subsistentia non præcedit existentiam. Secundo, quia ex illa sententia fieret posse diuinitus hominem subsistere, quin existat, quandoquidem producta subsistentia, posset Deus non producere existentiam, nam potest priora absolvere à posterioribus; tertio, quia cum subsistentia recipiatur in natura, implicat quod illam non informet. Nec est simile quod adducitur de puncto, hoc enim non recipitur in linea, & propterea illam non informat.

Impugnatur P. Suarez.

14 Secundo P. Suarez ait munus subsistentiæ esse reddere naturam vltimo completam in ratione existendi, seu esse complementum substantiale naturæ, & vltimum terminum illius. Sed contra primo, quia hoc inquirimus, cur postquam materia per formam substantialem completur, & ex vtraque resultat vnum per se, vlteriori complemento opus est? Ad quod ve munus præstandum ponitur ille vltimus terminus? Secundo ad hominem, quia Pater Suarez peculiarem tribuit subsistentiam materię, per quam illa subsistat priori ad formam: ergo non est de conceptu subsistentiæ esse vltimum complementum naturæ. Tertio, quia postquam natura Diuina terminatur per Paternitatem, adhuc manet terminabilis per Filiationem; ergo non est de conceptu subsistentiæ esse vltimum terminum.

Impugnatur P. Vazq.

15 Tertio Pater Vazquez tertia parte disp. 31. numero 33. & disp. 32. numero 19. ait: effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam simpliciter per se existentem: hunc autem effectum per se existendi recte à nobis explicari per negationem existendi in alio quouis modo. *Nam quod in alio quoquo modo est* (inquit) *quomodo dicitur per se esse?* Atque hoc modo per se existendi reddi omnino incommunicabilem naturam, atque hoc pacto dici hypostasim, seu suppositum, & eo modo retento nulli alteri communicari potest. „Nam si alteri communicatur (inquit) „natura, eo ipso amittit modum illum „per se, cum quo reciprocatur negatio illa communicationis, non solius „communicationis secundum actum, „sed secundum aptitudinem, & potentiam. Ex quo infert, nec partibus integralibus, nec essentialibus conuenire hoc, quod est subsistere; siquidem vtraque pars, tan integrans, quam essentialis alteri communicatur, ac proinde non per se, sed in alio est, *Esse enim per se idem est quod in se, & non in alio esse.*

16 Hæc sententia impugnabitur ex dicendis contra quartum, & quintum modum: alijs omissis, breviter reijcitur, quia vt res intelligatur non esse in alio quocunque modo, v.g. tanquam pars in toto, non est adstruendus modus ille positivus; alioqui quanto gutta aquę extrahitur à flumine, & incipit esse per se, illa produceret in seipsa ab intrinseco modum positivum perfectatis, quo stante, repugnat ipsi vniri cum reliqua aqua; hoc autem est falsum, quia cum gutta illa naturaliter appetat sui coniunctionem cum alijs, quo se facilius à contrarijs possit tueri, nequit ab intrinseco producere modum repugnantem huic communicationi.

Alij impugnantur.

17 Quarto alij communiter dicunt effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem alteri. Sed contra primo, quia vel est reddere naturam incommunicabilẽ alteri, vt subiecto, & ad hoc non est necessarius

rius modus poſitivus, vt dicemus contra ſextam ſententiam; vel alteri vt ſuppoſito, & tunc ratio ſuppoſiti inexplicata relinquitur. Secundo, quia vel ratione ſubſiſtentiæ propriæ natura ſit incommunicabilis alteri, v.g. Verbo ſolum ex natura rei, vel eſſentialiter. Hoc ſecundū ſtatim impugnabitur; primum vero dici nō poteſt, tum quia cum natura ab intrinſeco habeat non poſſe ex natura rei cōmunicari Verbo, fruſtra quæritur modus diſtinctus ad hoc, vt reddatur incommunicabilis ex natura rei, tum quia, cum Patres paſsim doceant, Verbum aſſumpſiſſe quidquid aſſumptibile eſt in humanitate, certe ſi perſonalitas humana eſſet aſſumptibilis, ſequeretur Verbum aſſumpſiſſe perſonam humanam.

18 Quinto P. Alderete tom. 1. de Incarnatione diſp. 40. ſect. 3. affirmat effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe reddere naturam omnino incommunicabilem ſubſtantiæ, quæ non eſt de naturali complemento ipſius. Hanc vltimam particulam ideo adiecit, vt explicaret quo pacto natura divina reddatur ſubſiſtens per Paternitatem, quamvis adhuc maneat communicabilis reliquis perſonis, quia videlicet iſtæ ſunt de naturali complemento naturæ divinæ. Item vt defenderet materiam primam habere ſubſiſtentiam partialem, licet adhuc ſit communicabilis formæ, quæ eſt complementum ipſius.

19 Sed contra primo, quia ſubſiſtentia propria naturę divinę v.g. Paternitas non reddit ipſam omnino incommunicabilem ſubſtantiæ extraneæ, quando quidem manet communicabilis humanitati, potuit enim Pater incarnari, ſicut Filius. Quod ſi dicas effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe reddere naturam immediatè incommunicabilem ſubſtantiæ extraneę: naturam autem divinam reddi hoc pacto incommunicabilē ſubſtantię creatę. Cōtra eſt, quia cum Paternitas ſit immediate cōmunicabilis naturæ creatę, nequit reddere naturam divinam immediate incommunicabilem naturę creatæ, nequit enim ſubſiſtētia magis incōmunicabilē facere naturā, cuius eſt ſubſiſtētia, quā ipſa ſubſiſtentia ſit incōmunicabilis. Contra eſt ſecundo, quia vel de ſe natura divina eſt immediate communicabilis creaturę, vel de ſe eſt immediate incommunicabilis? Si primum, certe relationes nequeunt illi tollere hanc communicabilitatem; ſi ſecundum, nequeunt illi tribuere incommunicabilitatem.

20 Contra tertio, quia ſicut natura non habet aliquam entitatem incompletam, per quam reddatur divinitus incōmunicabilis his accidentibus, quæ eius naturale complementum eſſe nequeunt, v.g. viſioni beatificæ, non eſt cur habeat illam entitatem, per quam reddatur incōmunicabilis alteri ſubſtantiæ, per quā perfici poteſt multo magis, quam per accidentia ſupernaturalia. Contra quarto, quia cum illā ſubſiſtere dicamus, *Quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt*, vt ait D. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 2. cumque totum hoc abunde intelligatur per hoc, quod res non ſit in alio, nec alio indegeat ad eſſendū, gratis fingitur, ipſam ab intrinſeco poſtulare entitatem, vi cuius reddatur alteri incommunicabilis. Contra quinto, quæ eſt potiſsima ratio à priori noſtram ſententiam muniens, & communem evertens: quia cum ingens bonum ſit naturæ creatæ hypoſtaticè vniri Verbo Divino, nequit ipſa ab intrinſeco ſibi vendicare tanquam ſui proprietatem aliquam entitatem, per quam omnino incapax reddatur tanti boni, hoc enim ipſo poſtularet illo bono carere, quæ tamen exigentia inordinatiſsima foret, licet enim natura nequeat innatè poſtulare bona adeo ſuperiora, non tamen debet illa poſitive averſari, ſecum afferens impedimentum eſſentiale, ratione cuius illa ab intrinſeco reſpuat: nam hoc ipſo natura creata foret naturæ divinæ contraria hoc autem repugnat: vt enim inquit Auguſt. lib. 12. de Civit. cap. 2. Naturæ, „quæ ſummè eſt, qua faciente ſunt, quæ„cunque ſunt, contraria natura non eſt; „niſi quę non eſt. Ei quippe quod eſt non „eſſe contrarium eſt; & propterea Deo, „id eſt ſummæ eſſentiæ & Authori omni„niū qualiumcunque eſſentiarum, eſſen„tia nulla contraria eſt. Et vt ait lib. de fide, & ſymbolo cap. 4. *Nihil habet Deus contrarium. Si enim quæreretur à nobis quid ſit albo contrarium, reſpondebimus nigrum. Si quæreretur, quid ſit calido contrarium, reſpondebimus, frigidum. ſi quæreretur, quid contrarium veloci, reſponderemus, tardum; Cum autem quæritur, quid ſit contrariū ei, quod eſt: recte reſpondetur, quod non eſt.* Et vt inquit Agath. Papa in Epiſt. ad Imperatores contra Hæreſim Monothel. lecta & approbata in 6. Synod. *Si ab eo*, (id eſt à Verbo) *humana voluntas, ſicut, & natura ſuſcepta eſt, & ſaluata eſt, & quod à ſuſceptore ſaluatū eſt, non ei poterat eſſe contrarium. Nihil enim ſibi contrarium creator*

omnium condidit, vel per mysterium Incarnationis assumpsit. Contra denique quia impossibilis videtur forma positiva, cujus vnicum munus sit excludere aliam & suum subiectum reddere incapax vlterioris perfectionis; hoc enim est munus negationis, quæ est malignantis naturæ, neutiquam vero esse potest munus primarium formæ positivæ, sed ad summum secundarium.

21 Sexto nonnulli apud P. Arriaga disp.4. Metaph. sect 2. dixerunt munus subsistentiæ esse complere substantiam in ratione independentis à subiecto inhæsionis, non quidem in ratione independentis à priori, quia hoc habet materia prima, anima rationalis, & Angelus formaliter per actionem creativam, sed independenter à posteriori, ita vt natura habeat ratione subsistentiæ nullo modo dependere, nec à posteriori, à subiecto inhæsionis.

22 Sed contra primo, quia cum impossibile sit, vt Angelus v.g. à subiecto dependeat, ab illo ve educatur, vt probavi in Physica, non indiget aliquo modo posteriori, per quem reddatur independens à subiecto, sed per seipsum formaliter hoc habet. Contra secundo, quia cum humanitas Christi pro priori ad vnionem cum Verbo, supponatur omnino independens à subiecto, supponeretur iam subsistens, & personata, vnde non posset assumi à Verbo in vnitatem personæ.

SECTIO QVARTA.

Ostenditur, suppositum, & personam in creatis nihil positivum addere supra naturam.

23 ASSERO igitur suppositum increatis nihil positivum addere supra naturam; v.g. purum hominem nihil addere supra humanitatem: sed hanc compleri in ratione suppositi, & personæ per hoc præcisè quod non sit vnita substantiæ digniori, cui tribuantur ipsius operationes: seu per hoc præcisè, quod non existat in alio digniori: ac proinde dico naturam humanam compleri in ratione hominis, & personæ per negationem existendi in alio digniori, quod dicatur habens humanitatem, & quamvis hæc sententia sufficienter probata maneat ex aliarum impugnatione, denuo explicanda, & positivè probanda est.

§. I.

Imprimis ostenditur hanc esse sententiam D. Thom. non minus quam Scoti.

24 NON solet communiter Angelicus Doctor citari pro hac sententia; cum tamen meo iudicio sit manifestus eius assertor, non minus quam Scotus. Quod probatur primo, quia 3.p.quæst.2.art.2. respondens ad 3. argumentum, quo contendebatur, vnionem Verbi factam fuisse in persona; seu Verbum assumpsisse personam humanam, eo quod assumpsit naturam humanam individuam, & iuxta Boetium persona nihil aliud est, quam rationalis naturæ individua substantia: ad hoc inquam, argumentum respondens „sic ait: Non quodlibet individuum in „genere substantiæ etiã in rationali na„tura, habet rationem personæ, sed so„lum illiud quod per se existit, non au„tem illud, quod existit in alio perfe„ctiore. Licet ergo hæc humana na„tura sit quoddam individuum in gene„re substantiæ, quia tamen non per se „separatim existit, sed in quodam perfe„ctiori, scilicet in persona Verbi Dei, „cõsequens est, quod non habeat perso„nalitatẽ propriã. Ergo iuxta S. Tho. hæc humanitas completur ratione personæ *per hoc præcisè quod non, existat in alio perfectiori*, & consequenter per meram negationem existendi in alio perfectiori: nam hoc quod est non existere in alio perfectiori, meram negationẽ importat.

25 Probatur secundo, quia 1.p.q. 29.art.1.ad 2. ait: *Humana natura in Christo non est persona, quia est assumpta à digniori scilicet a Verbo Dei*: foret ergo persona per hoc præcisè quod non esset assumpta à digniori. Tertiò quia in 3.dist.5.q.3. art.3.ad 3. quod est huiusmodi: *Deponat Christus naturam assumptam, ex separatione nihil acquireretur, quod prius non haberetur.* Ad quod argumentũ ita respõdet: *Separatio dat vtrique partiũ totalitatẽ, & in continuo dat vtriq; esse in actu: vnde suppositio quod hominem deponeret, subsisteret ille homo per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personæ*: ergò iuxta D. Tho. sicut pars continui fit totũ per hoc præcisè quod separetur ab alijs, & per se, ac separatim existat; ita humanitas fieret homo, & persona ex hoc præcisè quod dimitteretur à Verbo.

26 Probatur quarto, quia in 3. dist.6. quæst.1. art.3. ad 5. hæc habet: „Homo nihil aliud est, præter coniunctum

„ ctum anima, & corpore, & vnione: ſed „ hoc ipſo quod illud non adiungatur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur quod coniunctum ſit homo: vnde ſi Verbū humanam naturā quam aſſumpſit, deponeret, ex hoc ipſo eſſet „ homo illud coniunctum. Non foret autem, ſi ad eſſe hominis vltra naturam eſſet neceſſariū complementum ſuperadditum, hoc enim non cogeretur Deus concedere ex eo quod dimitteret naturam: ergo iuxta D. Tho. coniunctū ex anima, & corpore cōpletur vltimo in eſſe hominis, & perſonæ per hoc præciſsè, quod non copuletur alteri digniori.

27 Probatur quinto, ex 3. p. q. 2. ar. 5. ad 1. vbi hæc habet: Ideo in puris hominib⁹ ex vnione animę ad corpus conſtituitur perſona, quia anima, & corpus „ ſic in eis coniunguntur, vt per ſe exiſtant: ſed in Chriſto vniuntur ad inviſcem vt adiuncta alteri principaliori, „ quod ſubſiſtit in natura ex eis compoſita: & propter hoc ex vnione animę, & „ corporis in Chriſto non conſtituitur „ nova hypoſtaſis, ſeu perſona, ſed advenit ipſum compoſitum perſonę, ſeu hypoſtaſi præexiſtenti. 6. Probatur ex 3. part. quæſt. 4. art. 2. ad 2. quem locum paulo poſt expendimus.

28 Probatur ſeptimo, ex opuſc. 20. quod è compendium Theolog. cap. 211. vbi præmittit: Quod hęc nomina Perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum integrū „ quoddā deſignant: non enim poteſt dici „ quod manus, aut caro, aut quæcunque „ aliarū partiū ſit perſona, vel hypoſtaſis, „ aut ſuppoſitum, ſed hoc tantum quod „ eſt hic homo. Et Paulo poſt ſubiungit, „ aliquorū coniunctio per ſe conſiderata „ quandoque facit aliquod integrū, quæ „ in alio; propter additionē alterius, non „ conſtituit aliquod integrū; ſicut in lapide commixtio quatuor elementorum „ facit aliquod integrū; vnde illud quod „ eſt ex elementis conſtitutum in lapide, „ poteſt dici ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, „ quod eſt hic lapis: compoſitio autē elementorū in animali non conſtituit aliquod integrum, ſed conſtituit partem, „ ſcilicet corpus, quia neceſsè eſt aliquid „ aliud advenire ad completionē animalis ſcilicet animam: vnde compoſitio „ elementorū in animali non conſtituit „ ſuppoſitum, vel hypoſtaſim: nec tamen „ propter hoc minus eſt efficax in animali elementorum compoſitio; quā in „ lapide, ſed multo ampliꝰ, quia eſt ordinata ad rem nobiliorem. Sic igitur in „ alijs hominibus vnio animæ, & corporis conſtituit hypoſtaſim, & ſuppoſitū, „ quia nihil aliud eſt præter hæc duo: in „ Domino autē Ieſu Chriſto, præter animam, & corpus advenit tertia ſubſtantia, ſcilicet divinitas: non eſt ergo ſeorſim ſuppoſitū, vel hypoſtaſis, ſicut nec „ perſona id, quod eſt ex corpore, & anima conſtitutum, ſed ſuppoſitum, hypoſtaſis, vel perſona eſt id, quod conſtat „ ex tribus ſubſtantijs, corpore ſcilicet, & „ anima, & divinitate, & ita in Chriſto, „ ſicut eſt vna tantum perſona, ita vnum „ ſuppoſitum, & vna hypoſtaſis. Hæc D. Thom. ergo ex eius mente in puris hominibus vnio corporis, & animæ conſtituit hypoſtaſim, & ſuppoſitū per hoc præciſſe, quod ibi nihil aliud ſit præter illa duo: ergo iuxta D. Thom. humanitas eſt homo, & perſona per hoc pręciſsè, quod nō vniatur ſubſtantiæ digniori, quia hoc ipſo eſt aliquod integrum; & ideo præciſsè in Chriſto humanitas non eſt homo, nec hypoſtaſis, vel perſona, quia ei additur per vnionem phyſicam ſubſtantia divina.

29 Quod confirmatur ex ijs, quæ paulo poſt addit, dicens *In homine* (ſcilicet puro) *perſona hypoſtaſis, & ſuppoſitum eſt quod ex anima, & corpore conſtituitur*: ergo ſentit purum hominē non adere aliquod complementum ſubſtantiale ſupra totum reſultans ex corpore, & anima: nā ſi adderet illud complementū, falliſsimū eſſet aſſerere, quod in puro homine hypoſtaſis, & ſuppoſitū eſt quod ex anima, & corpore conſtituitur: eſſet enim hypoſtaſis illud totum, ſeu concretum reſultans ex humanitate, & ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate ſuperaddita.

§. II.

Probatur noſtra ſententia vtboritate Conciliorum, & Patrum, aſſerentium, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem cum omnibus ſuis proprietatibus.

30 ARgumentor ſic: fide Sanctum eſt Verbum Diuinū non aſſumpſiſſe perſonā humanā: alioqui duplex in Chriſto eſſet perſona, altera humana, altera divina, quod eſt hæreticum. Quare vt inquit Auguſtinus lib. de fide ad Petrum cap. 2. *Deus naturam hominis aſſumpſit, non perſonam*; atqui ſi perſona adderet aliquam entitatem poſitivā ſupra naturam, ſequeretur Verbum aſſumpſiſſe perſonā humanam: ſi enim

si enim adderet talem entitatem, illa entitas foret proprietas necessario consequuta ad naturã, & complementũ quoddam substantiale ipsius: certum autem est ex doctrina Conciliorum, & Patrum Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam cum omnibus suis proprietatibus, & perfectionibus: ergo sequeretur Verbum assumpsisse personam humanam, nimirum assumendo naturam cum sua personalitate propria; si hæc est aliqua entitas, & perfectio superaddita naturæ, illamque complens, & perficiens: ergo &c.

31 Quod autem illud certum sit ex doctrina Conciliorum, & Patrum, constat primo ex Concilio Æcumenico Calcedonensi sexcentorum trigita Patrũ Act. 5. in definitione fidei sess. 6. apud Baronium ad annum Christi 451. vbi sic „habetur: Sequentes Sanctos Patres „confitemur eundem Dominum nostrũ „Iesum Christum perfectum in Deitate „eundem perfectum in humanitate, con„substantialem Patri secundum Deita„tem, & eundem consubstantialem no„bis secundum humanitatem, per omnia „nobis similem absque peccato, &c. Et „paucis interiectis. Nusquã sublata dif„ferentia naturarum propter vnionem, „magisque salva proprietate vtriusque „naturæ, in vnam personam, atque sub„stantiam concurrentis.

32 Secundo ex 7 Synodo generali, quæ est Nicena secunda Act. 3. vbi Sancta Synodus confitetur: *Filium Dei consubstantialem factum nobis modis omnibus absque peccato.* Tertio ex 6. Synodo Act. 4. in Epist. Synodali approbata „Act. 8. definitur, Christum habere „duas naturas, & vnanquanque proprie„tates naturales habere, divinam om„nia, quæ divina sunt, humanam omnia „que humana, absque vllo peccato. Quarto ex Concil. Lateran. sub Martino 1. Can. 9. vbi definit, Quod in nullo est „diminuta, minorata, expoliata ve na„turali proprietate natura assumpta. Et „in eodem Can. 9. hæc habet: Siquis se„cundum Sanctos Patres non confitetur „proprie, & secundum veritatem natu„rales proprietates Deitatis eius, & hu„manitatis in diminute in eo, & sine mi„noratione salvatas, condemnandus sit.

33 Eodemque modo loquuntur S. Leo serm. 3. de Nativit. S. August. cap. 24. Enchirid. & Damasc. lib. 3 fidei cap. „6. circa medium, vbi asserit; Verbum „assumpsisse quod in natura nostra plan„tavit, & nihil prætermisisse eorũ, quæ „cum nos initio conderet, naturę no„strę inservit, sed omnia sumpsisse, hoc „est corpus, & animã, eorumq; proprie„tates. Item lib. de duab. volunt. Si quã „(inquit) naturalem proprietatem non „accepit, non esset perfectus homo, sed „aliquid ei deesset. Eodem etiam modo loquitur Athan. lib. 3. de nat. assumpta. *Ille prius vt Deus opulentus, post modum inops factus est, & homo nobis in omnibus similis excepto peccato.* Item Anast. Synaita Patriarch. Antiochen. in duce viç contra „Acephal. cap. 17. Omnia, quæ homini„bus sunt communia, & naturalia, nul„lique reprehensioni in nobis obnoxia, „sicut docet Paul., assumpsit, ideo ipsũ in „humanitate etiã perfectũ confitemur.

34 Constat ex Epistola Agathonis Pontificis ad Imperatores, quæ ponitur in 6. Synodo Constantinopolitana Act. 4. & approbatur à Sancta Synodo Actione 8. ibi enim tradens regulam fidei, & loquens de Christo inquit: Om„nia duplicia vnius, eiusdenque Domi„ni Salvatoris nostri Iesu Christi secun„dum Evangelicam traditionẽ asserim„; „id est, duas eius naturas prædicamus, „divinã scilicet, & humanã, ex quibus, „& in quibus etiam post admirabilẽ, ac„que inseparabilem vnionem subsistit, „& vnanquanque eius naturam proprie„tatem naturalem habere confitemur, „& habere divinam omnia quæ divina „sunt, & humanam omnia, quæ hu„na „na sunt absque vllo peccato.

35 Constat denique ex Cirillo, qui præfuit Concilio Ephesino, in quo Nestoris error damnatus est; etenim in libello de recta in Christum fide ad Imperatrices Eudoxiam, & Pulcheriam non multo post initium hæc habet: Per„fectus Deus cum esset, factus est per„fectus quoque homo, nec quidquam „omnino, quod humanæ naturæ cog„natum esset præter vnam impiam ma„litiam reliquit. Si nihil præter vnam malitiam reliquit ex ijs, quæ naturæ humanæ cognata sunt, sequitur non reliquisse subsistentiam, & personalitatem propriam humanitatis, si illa addit aliquid positivum supra naturam: siquidem id maxime cognatum esset naturæ humanæ, vtpote necessario ab ipsa dimanans, eamque complens. Est autem maxima authoritas Cirili, Alexandrini, qui, vt testatur Bellarmi-

nus

nus libr. de Scriptor. Eccleſiaſticor. fuit ſpecialiter à Deo edoctus circa myſterium Incarnationis; eiuſque Capitula, & ſcripta omnia contra Neſtorium approbat 5. Synodus Generalis collatione 8. in definitione fidei Can. 3. vbi anathematizat omnes, qui contra eius capitula ſcripſerunt, & deceſſerunt in tali impietate. Vt ergo ſalvetur veritas Conciliorum, & Patrum aſſerentium Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, cũ omnibus ſuis proprietatib⁹, excepto peccato, & hoc cohęreat cum doctrina certa fidei, quod Verbum non aſſumpſit perſonam humanam; dicendum eſt perſonam nihil addere poſsitivum ſupra naturam, ſed meram negationem vnionis ad ſubſtantiam extraneam digniorem, cui tribuantur ipſius operationes: ſi enim aliquid poſitivum addere, falſa foret illa doctrina Conciliorum, & Patrum.

36 Quam doctrinam accepi ex S. Thom. 3. p. quæſt. 4. art. 2. vbi reſpondens ad ſecundum argumentum, quo contendebatur, Verbum aſſumpſiſſe perſonã, Quia Filius Dei aſſumpſit, quę in natura noſtra plantavit, plantavit autem perſonalitatem: ergo aſſumpſit perſonam. Ad hoc inquam argumentum reſpondens ait: Dicendum quod naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt vnio ad Verbum. Et 4. contra Gentes cap. 43. Derogaretur (inquit) perfectioni Incarnationis Dei Verbi, ſi aliquid eorum, quæ naturalia ſunt homini, ei deeſſet. Et paulo poſt: Fides per omnia ſine peccato ſimilem eum nobis in naturalibus confitetur.

37 Dices Patres, & Concilia loqui de proprietatibus perficientibus naturam, vt contradiſtinctam à perſona; non autem de proprietatibus complentibus eam in ratione perſonæ. Sed contra; quia vniverſaliter loquuntur ſine vlla exceptione de omni proprietate ſtricte tali: conſtat autem, perſonalitatem propriam, ſi ſit aliquid poſitivum, eſſe ſtricte proprietatem naturæ, cum ab illa neceſſario promanet: ergo violenter exponuntur cum limitatione. Et ſane ad hanc expoſitionem deberet cogere convincens aliqua ratio, vel authoritas; quam tamen adverſarij non producunt. Quare cum Patres illa duo coiungant, nempe Verbum non aſſumpſiſſe perſonam, & ſimul aſſumpſiſſe naturam cum proprietatibus, clare patet ex eorum mente perſonalitatem nihil addere poſitivum ſupra naturam.

38 Hinc audiendus non eſt P. Martinon diſp. 7. de Incarnat. num. 87. Reſpondens Patres loqui de proprietatibus aſſumptibilibus, falſo nanque aſſererent, Verbum aſſumpſiſſe omnes proprietates naturæ, ſi ſentirent aliquam eſſe inaſſumptibilem: dum ergo affirmãt aſſumpſiſſe omnes, plane ſentiunt, nullam eſſe inaſſumptibilem.

§. III.

Probatur vlterius noſtra ſententia aliis Patrum authoritatibus.

39 PROBATVR ſecundo authoritate D. Alberti Magni in 3. diſt. 5. art. 11. & 12. vbi hæc habet verba: Sicut perſonalitas propria deſtruitur per accidens vnione, ita per accidens ponitur diviſione. Et ſi dicatur quod diviſio potius tollit, quam confert; dicendum, quod per ſe aufert, ſcilicet rem, quæ erat vnita, & per accidens confert, diviſum eſſe vnum, & ab alio diviſum, & hæc eſt ſingularitas. Tertio authoritate Magiſtri in 3. diſt. 5. vbi quærens cur anima rationalis iuncta corpori non ſit perſona? Hanc ſolam rationem reddit, Quod non ſit per ſe, neque ſola, ſed vnita corpori; & ideo Verbum Divinum naturam humanam, non perſonam accepiſſe, quod accipiendo naturam humanam eam ſibi vniverit, & vniendo acceperit. Idem docet Alteſiodorenſis in 3. diſt. 1. quæſt. 8. & Alexander 3. p. quæſt. 4. membro 6.

40 Probatur præterea noſtra ſententia authoritate Vgonis, Victorini, quæ Maxima eſt apud Theologos: nam in Apologetico pro Verbo Incarnato cap. 7. inquit, *Naturam Chriſti non habere propriam perſonam, quia eſt Vnita digniori.* Probatur etiam, quia Concilia, & Patres diſputantes contra Neſtorium, non inde probant, non dari in Chriſto perſonam creatam, quia per aſſumptionem expoliata fuerit humanitas complemento aliquo ſubſtantiali, quod eam in ratione perſonæ conſtitueret, ſed quia per vnionem phyſicam coniuncta eſt

Verbo, & producta vt pars Christi, non autem per se, ac separatim, vniversimque Patres dum mysterium Incarnationis explicant, & quærunt, cur humanitas Christi nõ sit persona humana? Hanc vnam reddunt causam, *Quod non sit sola per se, & separata à Verbo*; Nullamque prorsus mentionem faciunt illius formæ, modi, aut realitatis, quæ ab illa fuerit exclusa, & in alijs hominibus reperiatur. Hinc Rusticus Cardinalis Diaconus, in disputatione cum Acephalo, (quæ habetur lib. 6. Bibliotecæ novæ) cum premeretur à Nestorianis, vt declaret, quid nim⁹ haberet humana Christi natura, quam aliorum hominum, propter quod deficeret à ratione personæ, minime respondit, ei defuisse aliquod complementum naturale, quo aliæ naturæ constituuntur in ratione personæ, sed præcisè dixit: *Ideo non esse personam, quia creata est in Verbo tanquam pars Christi.* Quam responsionem adhibuit etiam Theodorus Cariæ Episcopus tom. 9 Bibliotecæ eidem interrogationi, *Quia corpus animatum* (aiebat) *assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis.* Et simili modo loquitur Anast. in duce vitæ cap. 2. & Maxim. in Epist. ad Georgium.

41 Denique probatur ex Concilio Francofurdiensi in Epist. ad vniversos Christi Fideles colum. 2. vbi hæc „habet: Itaque in Deo, & homine ge„mina substantia, sed non gemina per„sona est, quia persona personam consu„mere potest; substantia vero substan„tiam non potest; siquidem persona res „iuris est, substantia naturæ. Ac si diceret, personam Divinam media vnione sui cum humana natura consumpsisse, seu potius impediviſſe propriam illius personalitatem; quia videlicet humanitatem esse personam, res iuris est, id est, quia importat moralem quandam denominationem consistentem in eo quod humanitas sit sui, & non alterius: quę denominatio deperditur per hoc præcisè quod vniatur personæ divinæ: nam hoc ipso eius operationes præcipuè tribuuntur Verbo. Adverte autem verba illa nuper relata ex Concilio Francofurdiensi; esse etiam verba expressa Paschasij Ecclesiæ Romanæ Diaconi Cardinalis Viri Magnæ Sanctitatis, & doctrinæ, vt testatur Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & floruit ad annum 499. fere trecentis annis ante concilium, vtpotè, quod celebratum est anno 794.

42 Hinc Alexander Alensis 3. p. quæst. 6. art. 4. ait, ideo Verbum consumpsisse personam creatam; quia fecit vt natura non esset persona. Consulatur D. Thom. 3. p. quæst. 4. art. 2. ad. 3. vbi explicans decretum illud Innocentij „Tertij in quadam decretali: Persona „Dei consumpsit personam hominis, „ait, quod consumptio ibi non im„portat destructionem alicuius, quod „prius fuerat, sed impeditionem eius, „quod aliter esse posset: si enim humana natura non esset assumpta à Divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet; & pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua vnione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet.

SECTIO QVINTA.

Probatur nostra sententia rationibus.

43 PRIMO à priori, quia vt docet D. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 3. in corpore, esse hypostasim, suppositum, aut personam idem est, ac esse id cui tribuuntur operationes naturæ, Hae „enim ratione (subiungit statim) hic „homo dicitur esse suppositum, quia sci„licet supponitur ijs, quæ ad hominem „pertinent eorum prædicationem reci„piens; atqui humanitas, per hoc præcisè, quod non sit vnita substantiæ digniori, est id, cui tribuuntur operationes, cum hoc ipso sit hoc aliquid, seu hoc individuum; quo nomine Aristoteles in prædicamentis appellat primam substantiam, quæ iuxta Theologos idem est, ac suppositum: ergo. Confirmatur; nam, vt ex Damasceno docet D. Thom. opusc. 48. & 3. p. quæst. 4. art. 3. in corpore, & quæst. 3. art. 1. *Homo de suo principali significato dicit habens humanitatem*, q u est communis sensus Theologorum, vt patet, tum à posteriori, quia aliter Deus non posset dici factus homo, vt recte ostendit Caietanus 3. p. quæst. 3. art. 2. tum à priori ex ipsa natura nominis concreti: nam vt inquit Hebræus quodlib. „3. quæst. 6. art. 2. Concretum, & ab„stractum in eo differunt ex modo sig„nificandi, quod abstractum semper sig„nificat naturam, qua aliquid est tale, „vt humanitas illud, quo homo est ho„mo formaliter: concretum vero semper „significatur vt habens. Quare, vt ait Durandus in primum dist. 34. quæst. 1.

Probatur 1. à priori.

Concre-

Concretum directe ſupponit pro habente formam; abſtractum vero pro forma habita. Tũ ſic; per hoc præciſe, quod humanitas non ſit vnita ſubſtantiæ digniori, eſt habens ſeipſam, quia non habetur ab altero, qui dominetur actionibus ipſius, & cui illæ debeant tribui tanquam primo principio intimo: ergo per hoc præciſsè erit homo, & conſequenter perſona.

2. Apoſt. 44 Secundo à poſteriori, quia ſi perſona creata aliquid poſsitivum addat ſupra naturam: illud debet eſſe modus quidam ſubſtantialis ita eam complens, & per ſe exiſtentem reddens, vt in ſenſu compoſito eius nequeat in alieno ſuppoſito exiſtere, vt tenet communior, & vera ſententia, vt videre eſt apud P. Vazq. 3. p. diſp. 33. Iam ſic arguo: ergo humanitas exigit, vt complementum naturale, aliquod eſſentialiter incompoſsibile cum eo, quod aſſumatur à Verbo, & conſequenter exigit non vniri Verbo: hoc autem eſt abſurdum, quia cum ſumme perficiatur illa vnione, nequit ex ſe illam averſari; vnde vnio hypoſtatica, licet ob ſui excellentiam ſit ſupra, non tamen poteſt eſt contra exigentiam humanitatis, ac proinde perſonalitas propria illius compleri debet per negationem vnionis ad ſubſtantiam divinam, quam negationem humanitas; nec ex ſe reijciat, nec poſtulet, ſed connaturaliter ei competat ex eo, quod Deus nolit miraculoſe eam ſibi copulare per vnionem hypoſtaticam.

45 Denique ex conceptu perſonæ, quæ ſecundum definitionem Ricardi Victorini lib. 4. de Trinitate cap. 33. *Eſt rationalis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia, id eſt incommunicabile ſubſiſtens*, vt exponit P. Vazquez 1. p. diſp. 126. & frequenter reliqui exponunt; vſitatum enim eſt apud Patres, vt ſubſiſtentia ſumatur pro ſubſiſtente, vt ipſe obſervat diſp. 124. & D. Thomas 3. p. quæſt. 2. art. 3. in corpore.

46 Duo itaque ſunt de conceptu perſonæ, nempe eſſe ſubſtantiam cõpletam incommunicabilem, & per ſe exiſtentem; at ex neutro capite poſtulatur in humanitate modus poſitivus, vt ſit perſona, non quidem ex capite ſubſiſtentis, nam vt inquit D. Thomas 1. p. quæſt. 29. art. 2. *Ea ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt*; ad hunc autem affectum præſtandum nullum modum ſuperadditum requirit humanitas, quod perſpicuè docet D. Thom. 1. contra gentes cap. 29 in fine dicens: Hoc quod „ eſt ſubſtantiam eſſe ens per ſe non im„portat, niſi negationem quandam, di„citur enim eſſe per ſe, ex eo, quod non „ eſt in alio, quod eſt negatio pura. Nec ex capite incõmunicabilitatis: nam licet hæc debeat eſſe aliquid poſitivum, competit tamen humanitati ratione ſui formaliter, quia incommunicabilitas propria perſonæ, & quæ in eius definitione ponitur, non eſt incommunicabilitas per vnionem, ſed per identitatem, & prædicationem, vt ſit ſenſus perſonam debere eſſe ſubſtantiam incommunicabilem, id eſt particularem, & minime communem pluribus realiter diſtinctis.

Quæñ incom-municabilitas ſit de ratione perſonæ.

47 Quod probatur primo; quia alioqui incommunicabile poſitum in definitione perſonæ idem ſignificaret, ac ſubſiſtens, nam ſubſiſtens vt ſubſiſtens nequit per vnionem communicari ſubſtantiæ digniori ad faciendum vnum per ſe, quia hoc ipſo quod vniatur, amittit rationem ſubſiſtentis, quia iam exiſtit in alio digniori: vnde fruſtra in definitione perſonæ ſimul cum ratione ſubſiſtentis coniungeretur ratio incommunicabilitatis, ſi illa incommunicabilitas foret per vnionem. Secundo, quia id docet ex communi D. Thom. quæſt. 8. inquiens: *Hoc nomen hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam individuam*; id eſt, quæ non poteſt de pluribus prædicari 3. p. quæſt. 3. art. 1. ad 2. dicens: *Perſona dicitur incommunicabilis, in quantum non poteſt de pluribus ſuppoſitis prædicari*: quod dixit Angelicus Doctor, vt oſtenderet non eſſe contra conceptum perſonæ communicari per vnionẽ, quando illa communicatio non aufert rationẽ ſubſiſtentis, vt patet in Verbo vnito humanitati. Tertio quia alioqui hic numero Deus eſſet perſona, cum ſit aliquid per ſe ſubſiſtens incommunicabile per vnionem alteri, vt ſuppoſito; naturæ nanque Divinæ ratione ſui formaliter repugnat exiſtere in ſuppoſito extraneo. Itaque ratio incommunicabilitatis ponitur in definitione perſonæ ad excludendas ſubſtantias ſecundas: ſeu rationes cõmunes; item ad excludendam naturam divinam à conceptu perſonæ, quia eſt communicabilis pluribus per identitatẽ.

48 Cum ergo hæc numero natura humana ſit ſubſtantia completa; id eſt ſubſtantia non exigens vnionem cum alia ſubſtantia, nec tali vnione indigens, vt connaturaliter exiſtat, & ratione ſui ſit incapax prædicari de pluribus realiter

ter distinctis, ac proinde cum sit incommunicabilis, prout oportet ad rationem personæ, sane per hoc præcisè, quod vlterius sit per se subsistens, qui concept° ei convenit per hoc, quod non sit vnita alteri digniori; consequens est, vt independenter ab omni modo substantiali sibi superaddito sit rationale subsistens incommunicabile, qui est conceptus personæ.

SECTIO SEXTA.

Infertur ex dictis an, & quomodo humanitas subsistat per subsistentiam Verbi, & hæc suppleat subsistentiam creatam.

49 EX dictis infero primo, personam divinam non personare naturam humanam in eodem sensu, quo eam personaret propria personalitas, sive hæc compleatur per negationem, sive consistat in modo positivo; etenim persona divina personat *vt quod*, quia est persona illius humanitatis, *Nam ipsa hypostasis Dei Verbi facta est carni hypostasis*, vt loquitur Damasc. lib. 3. fidei cap. 11. E contra vero personalitas propria personaret, *vt quo* quia ipsa non esset persona illius naturæ, sed in genere causæ formalis faceret, vt natura ipsa esset persona; esset enim tunc natura substantia rationalis completa incommunicabilis, & per se existens, quæ est definitio personæ.

50 Infero secundo: humanitatem Christi non subsistere, *vt quod*, per subsistentiam Verbi, ita scilicet vt hoc se habeat tanquam forma denominans, & illa vt subiectum denominatum. Patet, quia subsistentia Verbi, quæ est subsistentia per se subsistens, est quidem subsistentia humanitatis, sumpta subsistentia *vt quod* pro hypostasi, seu persona, vt frequenter sumitur à patribus, & Concilijs, non tamen sumpta *vt quo* pro ratione formali subsistendi: nam implicat subsistentiam Verbi esse personam humanæ naturę, & simul in genere causæ formalis eam reddere personam, seu complere in ratione puri hominis; compleret autem, si redderet formaliter subsistentem: nam, vt ex communi consensu inquit P. Lesius lib. 12. de perfectionibus divinis num. 24. *Purus homo nihil aliud est, quam natura humana individua per se subsistens*: ergo si subsistentia Verbi redderet naturam humanam per se subsistentem compleret illam in ratione puri hominis; vnde in Christo duplex daretur persona.

In Christo humanitas non subsistit vt quod.

51 Quare humana Christi natura non subsistit, *vt quod*, sed tantum, *vt quo*, quatenus est forma à qua hypostasis Verbi dicitur homo; vnde solum dicitur subsistere in Verbo: ad modum, quo accidentia subsistunt in substantia, ablatis tamen imperfectionibus: vt enim observat Ioannes Neapoli quæst. 9. punct. tertio humana Christi natura, licet realiter sit substantia, habet tamen modum accidentis, non quidem quantum ad hoc, quod sit inhęrens, sicut accidens, sed quia est innixa supposito alterius naturæ, scilicet divinæ, sicut accidens innititur supposito alterius naturæ, scilicet substantiæ; & hoc est quod PP. sæpe docent, qui non dicunt humanitatem reddi subsistentem per subsistentiam Verbi, sed existere, vel subsistere in Verbo, vt patet ex D. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 2. ad 1. & 2. & art. 4. in corpore, & passim alibi. Consulatur P. Vazq. 3. p. disp. 31. n. 11. vbi recte docet, id quod per alienum, vel in alieno supposito subsistit, nõ esse absolute, & simpliciter subsistens. Legatur præcipuè Damasc. in sua dialectica cap. 27. vbi inquit: Enhypostaton „ dicitur ab altera hypostasi assumpta „ natura, & in ipsa habens existentiam, „ vnde & caro Domini non subsistens se„ cundum seipsam, nec ad temporis mo„ mentum, non hypostasis, sed magis „ Enhypostatos est. In hypostasi enim „ Verbi Dei subsistit assumpta ab ipsa, „ & hanc habuit, & habet hypostasim; rationem autem reddiderat immediate antea, nempe *quod hypostasis principaliter, est quod secundum seipsum propriè consistenter subsistens, & est, & dicitur.*

Subsistentia Verbi proprie non suppleat subsistentiam naturę humanæ.

52 Infero tertio, sive dicatur subsistentiam propriam humanitatis cõpleri per negationem, sive dicatur consistere in modo positivo perfectatis non posse dici proprie, quod subsistentia Verbi supplet naturæ humanæ subsistentiam propriam, si hæc sumatur pro ratione formali, à qua natura redditur subsistens. Patet, quia, cum proprium sit vnionis hypostaticæ reddere naturam humanam existentem in alio, eamque communicare supposito extraneo, implicat, vt mediante illa, suppleatur forma reddens effectum formalem, omnino oppositum, qualis est effectus formalis per se existentis, quem capit humanitas à propria subsistentia: vnum enim contradictorium

nequit

nequit ſuppleri per aliud. Solum ergo ſubſiſtentia divina poteſt dici gerere vices ſubſiſtentię creatæ, ſi ſubſiſtentia ſumatur in ſenſu Patrum pro perſona, cum enim perſona Verbi ſit ſuppoſitum illius naturæ humanæ, vereque dicatur homo, fungitur munere illo, quo fungeretur humanitas ipſa, ſi per ſe exiſteret, ſicut enim tunc denominatio hominis caderet ſupra humanitatem ipſam; ſic modo cadit ſupra Verbum.

53 Vt enim obſervat Aureolus in 3. diſt. 1. art. 1. §. *Nunc oſtendo.* conceptus ſuppoſiti ſe habet vt habens; conceptus vero naturæ vt habitum: ſemper autem quod eſt principale eſt habens vt dicitur 7. Metaph. textu 79. ergo quando humanitas eſt coniuncta Verbo denominatio hominis, ſeu habentis humanitatem debet cadere ſupra Verbum: quando autem eſt per ſe exiſtens debet cadere ſupra ipſam, & nequit cadere ſupra modũ perfectitatis, quãvis daretur: ille enim non eſt aliquid per ſe ſubſiſtens, eſto faciat humanitatem per ſe ſubſiſtentem: quod autem non eſt per ſe ſubſiſtens, nequit vere dici homo.

SECTIO VLTIMA.

Soluuntur obiectiones.

54 QVOMODO in noſtra ſententia ſalvetur Verbum aſſumpſiſſe naturam, & non perſonam, ſupra explicatum eſt ſect. quarta, ac proinde prœoccupata iam manet obiectio, quæ ex hoc capite formari ſolet contra noſtram ſententiam. Obijcitur ergo vlterius primo; noſtram ſententiam vanas reddere definitiones Conciliorum affirmantium poſt vnionem naturæ humanæ cum divina non manſiſſe in humana perſonalitatem propriam: nã ſi ipſam gaudere perſonalitate propria eſt eam non eſſe vnitam perſonæ divinæ, vt nos dicimus; perinde eſſet definire non manſiſſe poſt vnionem ad Verbum cum perſonalitate propria, ac poſt vnionem non manſiſſe carentia vnionis. Verum hoc argumentum eodem impetu in aduerſarios deſcendit; nam tam evidens eſt naturam humanam poſt vnionem cũ Verbo non manſiſſe cum modo perfectitatis eſſentialiter incompoſsibili cum tali vnione, ac non manſiſſe poſt vnionem cum carentia vnionis, & ideo ex aduerſarijs P. Aldere diſp. 39. à num. 10. hoc argumentum omnino inefficax cenſet contra noſtram ſententiam.

55 Vera ergo reſponſio eſt, Concilia ſolum definire vnionem humanitatis ad Verbum non fuiſſe dumtaxat moralem ſecundum authoritatem, & repræſentationem, qualem ponebat Neſtorius, vt vidimus diſp. 17. ſect. 3. ſed phyſicam, & realem; cum qua non componatur humanitatem eſſe perſonam, ſeu propria perſonalitate gaudere. Et quod illa fuerit mens Neſtorij, patet etiam ex Anaſtaſio Synaita Epiſcopo Antiocheno, qui floruit anno 544. in opere, cui titulus Dux viæ contra Acephalos, ibi enim cap. 4. ſub finem ita ait: Sancta „ Eccleſia, vt Neſtorium ob naturarum „ in Chriſto diviſionem, ſeparationem „ ve damnat: ita ſeverum cum ſuis, ob „ earundem confuſionem damnat. Patet iterum ex Cirillo Alexandrino, cuius rãta eſt authoritas in hac materia, vt vidimus ſupra ſect. 4. §. 2. nam in eo opere, in quo ex omnibus fere novi teſtamenti libris argumenta depromit contra Neſtorium, tractans locum quendam ex Evangelio Ioannis, hæc habet: Quomodo „ non inſaniunt, qui diviſione inducta, „ alium Dei Patris Verbum, alium rurſus illum, qui ex Sacra Virgine ortũ „ ducit Filium eſſe aſſerunt. Et tractans loca ex Epiſtolis Ioannis ſic loquitur: „ Quicunque diviſione inducta eum, „ qui ex muliere natus eſt, verum Filium „ Dei negant, Filij autem nomen ſoli, „ nudoque Dei Verbo aſsipnant, ij Patres omnes mordaces faciunt. Et tractans loca Epiſtolæ ad Romanos; hæc „ ſcribit: Qui vnum in duos diſpertiũt; „ aperto impietatis crimine ſe ſe conſtringunt. Quando quidem ſi is, qui „ paſſus eſt, eſſet homo per ſe, & ſecundum ſe, diviſim, & non ipſummet Dei „ Verbum carnis trabea indutum: Pater „ pro nobis Filium non dediſſet, &c. Conſtat ergo manifeſte Neſtorium non admiſiſſe vnionem phyſicam humanitatis cum Verbo; ſed poſuiſſe humanitatem per ſe, ac ſeparatim exiſtentem phyſice, & ſolum moraliter coniunctam cum Verbo.

56 Vnde dum Epheſinum anathematiſmo tertio damnat errorem Neſtorij his Verbis; *Siquis poſt naturarum vnionem ſubſiſtentias in vno Chriſto diuidit, anathema ſit*; hoc tantum intendit nec enim eius ſcopus fuit definire, quod ſuppoſita vnione phyſica Verbi cum humanitate

manitate, hæc non retinuerit propriam personalitatem, quasi Hæretici concederent vnionem physicam, & nihilominus dicerent humanitatem gaudere propria personalitate. Nestoriani enim nunquam concellerunt eiusmodi vnionem, immo vero, si illam concederent, re ipsa conuenirent cum Catholicis, vt vidimus supra ex Cirillo: scopus ergo fuit absolute statuere, humanitatem ita fuisse vnitam Verbo, vt vnica tantum sit persona in Christo, ac proinde vnionem illam fuisse physicam, prout oportebat ad impediendam personalitatem propriam humanitatis.

57 Vnde Concilia in illis definitionibus loquuntur non de vnione secundum conceptū explicitum vnionis physicæ cum Verbo, sed secundum conceptum vnionis, qualis continetur in scriptura dum dicitur, *Verbum caro factum est*: nam si explicite dicerent humanitatem post vnionem physicam cum Verbo non mansisse cum propria personalitate, non opponerentur Nestorianis, quippe qui nunquam asseruerunt post vnionem physicam humanitatis cum Verbo humanitatem retinuisse propriam personalitatem: hoc enim esset supponere vnionem physicam, & ea suppositā, concedere humanitati propriam personalitatem. Nestoriani autem nunquam concesserunt eā vnionem, nec ea concessa, negarent carentiam proprie personalitatis in natura humana. Vnde si ita definirent, nihil sua definitione concluderent contra Nestorianos: sumitur ergo vnio in illis definitionibus sub conceptu vnionis, qualis continetur in scripturis, sub quo conceptu vnionem hanc fatebantur Nestoriani, & dum dicitur post hanc vnionem non mansisse personalitatem creatam, perinde est, ac dicere hanc vnionem excludere talem personalitatem, ac proinde esse physicam.

58 Obijcies secundo; naturam humanam esse cōpletam in ratione personæ, & suppositi idem est, ac esse ens primum intime, id est, esse id, cui primario, & principaliter tribuantur operationes humanæ, seu esse sui, & non alterius: quam primitatem amittit per hoc præcisè, quod vniatur Verbo: quo posito, sic argues: hoc quod est substantiam habere rationem primi intimi est quid à natura intentum, & est quædam perfectio; at negationes puræ non sunt à natura intentæ, nec perfectio; ergo substantia constituitur in ratione primi intimi per aliquid positivum, & non per puram negationem.

59 Respondeo: hoc quod est naturam humanam esse personam, & suppositum non esse quid per se intentum à natura secundum id, quod importat de obliquo; cum enim naturam humanam non esse vnitam personæ divinæ non sit bonū ipsius naturæ humanæ, nequit ab ipsa postulari, nec à generante esse per se intentum: est ergo persona res iuris, vt inquit Paschasius lib. 2. de Spiritu Sancto, id est moralis quædam dignitas consistens in eo, quod natura sit sui iuris, seu non sit alterius dignioris, cui tribuantur ipsius operationes; quæ moralis dignitas non postulatur ab ipsa natura, quia melius ipsi est esse naturam Verbi per vnionem, quam per se, & separatim existere.

60 Obijcies tertio: illud, quod addit rectum puri hominis supra humanitatem secundum se, tanquam rectitudinem actualem, non est accidens, nec negatio: ergo debet esse modus positivus substantialis probatur antecedens, quia alioqui rectum totale substantiale componeretur ex non substantia; deinde si esset negatio, conceptus experimentalis expressus per pronomen ego, esset negativus, quod est contra communem hominum conceptionem.

61 Respondeo purum hominem in recto solum importare naturam humanam, & de obliquo carentiam vnionis ad substantiam digniorem, quæ carentia licet sit in causa, vt humanitas ipsa sit persona, sit aliquid, seu id, cui tribuantur operationes; nihilominus denominatio personæ, & principij quod, & denominatio recti vnice cadit supra naturam, quæ ex se habet essentialiter esse rectum, esse quod, aut esse personam sub conditione quod non vniatur substantiæ digniori, quæ trahat ad se munus recti, & munus principij quod operationum illius naturæ; absurdum quidem esset rectum ipsum, supra quod cadit denominatio hominis, conflari ex negatione; cæterum quod substantia indigeat aliqua negatione ad hoc vt subeat denominationem personæ, quæ est res iuris, & importat moralem quandam dignitatem consistentem in eo, quod natura non sit alterius, absurdi nihil continet, immo est omnino necessarium: iam vero conceptus experimentalis solum cadit supra illud, quod persona importat in recto,

natu-

natura enim eſt, quæ cognoſcit ſe non eſſe in alio cui tribuantur ipſius operationes.

62 Sed vrgebis: perſona creata quatenus talis eſt ſubſtantia: ergo quatenus talis non importat negationem, hęc enim eſt non ſubſtantia; ſubſtantia autem ex non ſubſtantijs conflari nequit. Inſto argumentum; perſona creata quatenus talis eſt aliquid abſolutum: ergo quatenus talis nequit componi ex entitate modali; ſicut enim quatenus ſubſtantia nequit conſtitui ex non ſubſtantia, ita quatenus entitas abſoluta, nequit componi ex eo, quod abſoluta entitas non eſt. Videant ergo adverſarij, quomodo hanc inſtantiam ſolvant, & eodem modo ſuum argumẽtum ſolutum velint; in forma igitur reſpondeo, conceſſo antecedenti diſtinguendo conſequens: ergo quatenus talis non importat negationem, in recto, concedo; de obliquo, & per modum connotati, nego; eſt quidem perſona creata, ſubſtantia, quia perſona creata nihil aliud eſt, quam natura rationalis completa (id eſt, nec ad operandum, nec ad exiſtendum poſtulans vniri cum alia ſubſtantia) per ſe exiſtens, id eſt non exiſtens in alio digniori, cui tribuantur ipſius operationes, quod non tollit, quin in ratione perſonæ compleatur per negationem; nam per iſtam exercetur modus proprius exiſtendi ſubſtantiæ.

63 Vel paulo aliter, diſtinguo antecedens: perſona creata quatenus talis eſt ſubſtantia præciſiſè, nego antecedens: eſt ſubſtãtia habens modũ exiſtendi proprium ſubſtantiæ, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia licet perſona creata quatenus præciſiſè ſubſtantia nequeat importare negationem, quia quatenus ſubſtantia præciſiſè, eſt entitas non indigens vnione ſui ad aliam ſubſtantiã, vt ſit, & vt operetur, nihilominus, quatenus ſubſtantia habẽs modum operandi proprium ſubſtantiæ, poteſt, ac debet importare negationem, nam modus ille eſt exiſtere per ſe, id autem, vt ſupra probavimus ex D. Thom. 1. contra gent. cap. 29. in fine, dumtaxat importat negationem.

64 Obijcies quarto: perſonalitas creata eſt participatio perſonalitatis divinæ; ſed hæc eſt omnino poſitiva: ergo & illa. Inſto argumentum: perſonalitas creata eſt participatio perſonalitatis divinæ; ſed hæc eſt aliquid relativum: ergo, & illa; quæ conſequutio abſurda eſt. In forma reſpondeo diſtinguendo antecedens; eſt participatio vera, ratione illius, quod importat in recto, concedo; ratione illius, quod importat in obliquo, nego: importat enim perſonalitas creata in recto ipſam exiſtentiam ſubſtantiæ de ſe non indigentis vnione ad alteram ſubſtantiam, vt ſit, nec vt operetur, quæ eſt perfectas radicalis, & inſuper importat negationem exiſtendi in alio digniori, cui tribuantur ipſius operationes; vnde ratione recti eſt participatio perſonalitatis increatæ, ſicut enim hæc eſt ſubſtantia de ſe incommunicabilis pluribus realiter interſe diſtinctis per identitatem cum illis, ita & natura creata, quæ eſt ipſa perſonalitas pro recto, eſt de ſe incommunicabilis pluribus per identitatem; licet hæc incommunicabilitas ei competat ob limitationem, & incommunicabilitas non competat perſonalitati divinæ, niſi dumtaxat per oppoſitionem relativam: rurſus ſicut perſonalitas divina eſt de ſe ſufficiens, vt exiſtat ſine vnione ad ſubſtantiam diſtinctam; ita, & perſonalitas creata.

65 Ratio autem à priori cur natura Divina poſtulet perſonalitates poſitivas virtualiter ſibi ſuperadditas, & natura creata non expoſcat perſonalitatem poſitivã ſibi realiter ſuperadditam, eſt, quia natura divina, cum ſit infinite perfecta, poſtulat infinite communicari; nequit enim ita communicari, niſi detur producens, & productum ad intra, quod non ſtat, quin dentur ad intra perfectiones poſitivæ ſuperadditæ ad naturam virtualiter, & inter ſe realiter diſtinctæ. Hæc autem ratio non militat in natura creata, vtpotè non poſtulante communicari alicui realiter identificato cum ipſa, quod ſit aliquid productum immanenter; vnde in Deo ponuntur ſubſiſtentiæ relativæ, vt natura divina infinite communicetur, vt autem ſic communicetur, aliquid poſitivum deſiderat præter ſeipſam; at in creatis ſubſiſtentia non ponitur ſuperaddita naturæ, vt iſta communicetur, ſed potius, vt non communicetur; ad hunc autem effectum formalem non eſt opus aliquo poſitivo, ſed ſufficit mera carentia communicationis.

Cur nãtura divina poſtulet perſonalitatem poſitivã ſuperadditam.

66 Obijcies quinto, humanitas exigit operari: ergo exigit vt detur aliquod principium *quod* ſuarum operationum; implicat enim humanitatem operari, quin detur principium *quod* talis

tis operationis, siquidem istud est per se requisitum ad operandum: ergo vel ipsa humanitas exigit esse principium *quod* suarum operationum, vel saltem vage, vt ipsa, vel alia substantia, nempe divina, sit principium *quod* operationum humanarum: ergo cum admittenda non sit exigentia vaga, dicendum est determinate exigere esse principium *quod* suarum operationum: ergo cum in nostra sententia constituatur in ratione principij *quod* per carentiam vnionis ad substantiam divinam, sit consequens, vt determinate exigat illam carentiam.

67 Respondeo implicatorium quidem esse vt humanitas operetur quin detur aliquod principium *quod* talis operationis, quia implicat quod operetur, quin sit vnita substantiæ divinæ, vel ab illa separata. Si primum, substantia divina est principium *quod* operandi, hic secundum, erit ipsa humanitas; cæterum hæc repugnantia non provenit, nec ex exigentia ipsarum operationum, nec ex exigentia humanitatis, sed præcisse ex lege cõtradictionis, quia nimirum necessarium est, vt detur in rerum natura vnũ è duobus contradictorijs, nempe quod humanitas sit vnita, vel non sit vnita substantiæ divinæ: hinc autem non infertur, vel humanitatem, vel eius operationem ex terminis suis intrinsecis exigere alterum ex illis duobus, quem admodum ex eo, quod ego non possim operari, quin detur Turca, vel carentia Turcæ, quin sim albus, vel carcam albedine, non sequitur me per meam operationem exigere vage Turcam, vel carentiam Turcæ, albedinem, vel carentiam albedinis, neutrum enim exigo, sed ab vtroque in mea exigentia præscindo, quamvis necesse sit alterum ex illis à parte rei existere.

68 Et quidem mihi manifestum est, quando necessitas respicit vnum ex duobus contradictorijs, tunc operationem non exigere tanquam conditionem prævian, vel tanquam principium sui vage alterum ex illis, quoties enim effectus postulat vage provenire ab hac, vel ab illa causa, illæ necessario debent convenire in aliqua ratione communi ob quam exigantur ab effectu, & vna debet esse potens supplere defectum alterius; duo autem contradictoria in nulla ratione conveniunt, nec vnum potest suppleri per alterum: ergo implicat, vt aliquis effectus vage postulet, vt prærequisitum ad sui existentiam, vnum è duobus contradictorijs.

69 Quapropter carentia vnionis hypostaticæ, per quam in nostra sententia humanitas completur in ratione hominis, & principij *quod* nullam prioritatem habet naturæ, & causalitas, sed mere concomitanter se habet cum illis, quãvis enim ea carentia sit per se necessaria ad hoc, vt humanitas habeat denominationẽ principij *quod*, non tamen vt existat operatio, quemadmodum in sententia asserente libertatem esse extrinsecam actibus liberis, quamvis cognitio indifferens, quatenus retrahit ex se ab illa actione, sit necessaria vt talis actio sit libera, non tamen ad hoc vt simpliciter sit. Adde plures cum P. Vazq. 3.p. disp. 21. num. 17. existimare subsistentiam propriam, aut alienam non esse conditionẽ requisitam ex parte principij ad agendum, etiam si subsistentia propria consistat in modo positivo.

70 Ex dictis infero humanitatem ex se non exigere constituere hominem, quamvis necesse sit, vt hominem constituat, quia nec exigit, vt ipsamet sit homo, hoc enim esset exigere carentiam vnionis ad personam divinam, nec exigit vt aliud sit homo per ipsam, nam vt probavi disp 25. sola substantia infinita potest alienam supponitare naturam, ac proinde ex substantijs distinctis ab humanitate solus Deus potest constitui in ratione hominis per ipsam; humanitas autem non exigit, vt Deus fiat homo. Cum autem sit necesse, vt vel vniatur substantiæ divinæ, vel careat hac vnione, necesse est, vt vel humanitas ipsa sit homo, vel Deus sit homo per ipsam.

71 Hinc infero non omne abstractum exigere facere concretum, nam esto omne abstractum accidentale, eo quod entitas incompleta sit, & entis ens, exigat esse in subiecto, illudque denominare, & sic concretum facere; at abstractum, quod est substantia completa, id est, substantia non indigens vnione sui ad aliam substantiam, nec ad essendum, nec ad operandum, qualis est humanitas, non exigit facere concretum, idque provenit ex eius perfectione supra omne accidens, & substantiam incompletam, quia talem substantiã facere concretum, est vel vniri substantiæ divinæ, vel carere tali vnione: neutrum autem postulat; non primum, quia vnio est supra exigentiam totius naturæ; non secundum, quia carentia

talis

talis vnionis non eſt bonum humanitatis, ac proinde nequit eſſe terminus exigentiæ, & appetitus innati.

72 Vltimo obijcies: ex noſtra ſententia ſequeretur humanitatem non poſſe facere vnum per ſe cum Verbo, cum in noſtra ſententia ſit ſubſtantia ex ſe completa, & ex duobus entibus cõpletis nequit fieri vnum per ſe. Reſpondeo hanc difficultatem non poſſe evitari ab adverſarijs aſſerentibus humanitatem ex ſe non eſſe ſubſtantiã completam, ſed exigere complementũ ſubſtantiale proveniens à propria ſubſiſtẽtia. Nam nõ min° difficile eſt reſultare vnũ per ſe ex duplici ente altero completo, altero incompleto, ac ex duplici ente cõpleto. Nec enim cõplementum poſitum ab adverſarijs poteſt ſuppleri per Verbum, nam ſubſiſtentia illa propria, quæ iuxta adverſarios eſt complementum ſubſtantiale humanitatis reddit illam ſubſiſtentem vt *quod*, & facit vt ſit homo, & perſona. Verbum autem media vnione hypoſtatica non exercet hæc munera reſpectu humanitatis, ſed potius extorquet ab illa munus ſubſiſtentis, vt *quod*, hominis, atque perſonæ, & ipſum Verbum eſt, & dicitur homo, & perſona humanitatis; quapropter illud principium *ex duobus entibus completis, &c.* Ne ſit falſum, vel intelligendum eſt dumtaxat naturaliter, vel ſolum de entibus finitis: nam vbi alterum eſt infinitum, optime poteſt fieri vnum per ſe, quia ſubſtantia infinita poteſt ſuppoſitare ſubſtantiam creatam completam; hæc enim completa dicitur, quia nec ad eſſendum, nec ad operandum indiget vnione ad aliam ſubſtantiam; id autem non impedit, quod vnita perſonæ divinæ ſit reſpectu illius tanquam entis ens, & exiſtat in illa tanquam in ſuppoſito.

DISPVTATIO XXVIII.

AN CHRISTVS VT HOMO SIT PERSONA?

Ad quæſt. 16. 3. part.

SECTIO PRIMA.

Senſus quæſtionis, & Authorum placita.

2 CHRISTVM eſſe perſonam fides docet: inquirimus vero an ſub hac reduplicatione ſit perſona, ſeu hypoſtaſis? Agunt de hac quæſtione Theologi 3. p. quæſt. 16. art. 1. negant Durandus, Paludanus, Ricardus, Alexander, Bonaventura, Altiſyodorenſis, & alij apud Patrem Vazquez ibidem diſp. 69. cap. 2. reddunt rationem, quia particula *in quantum* denotat humanitatem eſſe cauſam, & rationem propter quam convenit Chriſto eſſe perſonam; ſicut propter eandem rationem hæc propoſitio neganda eſt; *Chriſtus quatenus homo eſt Deus.* S. Thomas, Capreolus, Caietanus, & Thomiſtæ aſſerunt, in quodam ſenſu eſſe veram, & in quodam eſſe falſam; nam ſi particula *in quantum* reduplicet ſuppoſitum divinum, eſt vera; ſi autem reduplicet naturam humanam, erit falſa. Et P. Suarez in commentario illius articuli dicit, duplicem eſſe poſſe ſenſum illius propoſitionis, primus eſt, Chriſtum ab humanitate habere quod ſit perſona, quo modo ſumitur *in quantum* reduplicative: & ſic eſt plane falſa propoſitio, quia ſignificat Chriſtum eſſe perſonam creatam, cuius veluti cauſa, & radix eſt humanitas. Secundus eſt, Chriſtum etiam vt ſubſiſtentem in humana natura eſſe perſonam, quo modo ſumitur *in quantum* ſpecificative; & ſic eſt propoſitio veriſsima. Hęc Suarius. At P. Vazquez ea diſp. 69. num 7. aſſerit hanc propoſitionem: *Chriſtus in quantum homo eſt perſona*, in nullo ſenſu, quem verba proprie reddere poſſunt, eſſe falſam: ac proinde eſſe ſimpliciter veram, & concedendam.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

Ostenditur: hanc propositionem Christus vt homo est persona: *si summatur reduplicatiue esse falsam.*

1 ECO arbitror hanc propositionem esse falsam: si sumatur reduplicative, non solum ob rationē Durandi, sed quia Christus vt homo reduplicative, vel dicit in recto vtranque partem, nempe Verbum, & humanitatem, vel saltem Verbum in recto, & humanitatem in obliquo, alterum per modum subiecti denominationis, alterum per modum formæ denominatis: sicut album vt album, significat subiectum vt habens albedinem, & sic significat compositum illud resultans in tempore ex humanitate, & Verbo, quatenus in tempore resultat, & incipit esse, & in vi complexi: & sub hac consideratione Christus non est suppositum, etsi enim persona Verbi adhuc dum terminat humanitatem sit persona: nihilominus non est persona, & suppositum, quatenus terminat humanitatem: ita vt denominatio personæ, & suppositi cadat supra illud complexum substantiale quod resultat ex Verbo, & humanitate, quatenus ex vtroque resultans: nam sub hac consideratione illud nō est suppositū; quia vt sic est aliquid contingens, & incipiens in tempore; in Christo autem non datur suppositum contingens: alioqui daretur duplex suppositum, alterum necessarium, nempe Verbum, alterum contingens, nempe illud complexum in vi complexi. Idque mihi videor efficaciter colligere ex 5. Synodo Anathematismo 5. vbi hæc habet: Siquis non confitetur Dei Verbū carni substantialiter vniri, & propterea vnam eius subsistentiam, vel personam, & ita Sanctam Calcedonensem Synodum vnam subsistentiam Domini Nostri Iesu Christi confiteri, anathema sit. Neque enim adiectionem subsistentiæ, vel personæ Sancta Trinitas suscepit ex Incarnatio vno de eadem Trinitate Dei Verbo. Ex qua authoritate sic argumentor Sancta Trinitas non suscepit adiectionem personæ ex Incarnatione Verbi, atque si Christus vt homo esset persona, suscepisset adiectionem personæ ex Incarnatione Verbi: nam ex Incarnatione Verbi suscepit adiectionem naturæ humanæ, & ex Incarnatione Deus factus est homo: si ergo ratio hominis resultans ex Incarnatione, quatenus talis est persona; sane conficitur; sicut Deo facta est adiectio hominis; ita Deo factam fuisse adiectionem personæ.

3 Deinde argumentor, quia cum Verbum includatur in illo toto vt constitutivum, & quasi pars; sane si illud totum in vi totius esset suppositum, Verbum existeret in aliquo creato, tanquam in supposito, quod repugnat; nam operationes ortæ à parte, vel quasi parte existente in toto tanquā in supposito, verissime tribuūtur illi toti vt principio *quod*; sed à *Verbo* oritur Spiritus Sanctus vere, & proprie: ergo Spiritus Sanctus vere, & proprie oriretur ab aliquo creato vt creatū est; nempe ab illo cōplexo in vi cōplexi; hoc autem repugnat, quia principium *quod* alicuius termini productivum, nequit esse minus perfectum, quam terminus: omne autem creatum, vt tale, est minus perfectum, quam Spiritus Sanctus: ergo à nullo creato potest oriri Spiritus Sanctus vt à principio *quod*.

4 Confirmatur primo, nequit Christus vt homo esse persona, quin humanitas sit persona, vel personam constituat, sed humanitas in Christo, neque est persona, neque personam constituit: ergo quia Christus vt homo non est persona. Probatur maior: nequit Christus vt homo esse minor Patre, esse mortalis, esse passibilis, quin humanitas sit minor Patre, sit mortalis, sit passibilis, vel constituat illā minoritatē, mortalitatē, & passibilitatē: ergo neque potest Christus vt homo esse persona, quin humanitas sit persona, vel personam constituat. Deinde probatur minor, & quidem quoad primā partem est certa: nam si humanitas in Christo est persona, erit persona creata; ac proinde in Christo dabitur persona creata; quod est contra fidem: quoad secundam autem partem suadetur: nam cum humanitas in Christo nequeat constituere personam divinam, & increatam; siquidem hæc antecedenter ad vnionem supponitur præexistens: constituet personam creatam, ac proinde debitum in Christo persona creata. Quare licet humanitas constituat personam Verbi in ratione hominis, ac proinde faciat vt Verbum habeat in tempore aliquam denominationem, quam abætērno nō habuit: non tamen constituit Verbum in ratione personæ, quomodo autem Verbum quatenus homo potest esse persona; si in ratione personæ nullo modo constituitur per humanitatem.

Con-

5 Confirmatur secundò, Christus vt homo est minor Patre; iuxta illud ipsius Christi, *Pater maior me est*: ergo est minor Verbo secundum se, liquidè Verbum secundum se est æquale Patri: ergo Verbū existit in Christo vt homine tanquam suppositum illius, vt hominis, nam suppositum, & persona significat id quod est perfectissimum in natura: ergo non existit in illo toto tanquam in supposito: ergo illud totum non est suppositum, sed potius eminenter comparatur ad Verbum, tanquam pars ad totum, tanquam contentum ad continens.

6 Confirmatur tertiò, terminus vnionis hypostaticę, id est ex illa resultans, & per illam factus, est quid factū in tempore per veram, & realem actionem, & consequenter quid creatum; vt ostendit Pater Suarez disp. 7. de Incarnatione sect. 5. à. §. *Dico secundo*. Sed terminus huius vnionis est Christus Vt homo: ergo Christus vt homo est quid creatum: ergo si Christus vt homo est suppositum, erit suppositum creatū ac proinde in Christo dabitur suppositum creatum, quod est contra fidem.

7 Respondebis ex Patre Suarez ea disp. 7. sect. 4. §. *Ad difficultatem*, & si illud complexū vt tale sit quid creatum, & distinctum à Verbo, & vt tale sit persona, non sequi quod sit persona creata, & distincta à Verbo, sed solum sequi, quod sit eadem persona cum persona Verbi subsistens in alia natura. Et ratio à priori, inquit, est, quia id, quod formaliter constituit personam, non est natura, sed personalitas; hæc autem non multiplicatur in Christo, quamvis naturæ multiplicentur, & ideo nec persona multiplicari potest, quia in substantijs non fit multiplicatio, nisi forma constituens multipliciter.

8 Verum hæc solutio non satisfacit: nam si Christus vt homo est persona; Christ⁹ vt homo vel debet esse persona necessario existens, & consequenter increata, vel persona cōtingenter existēs, & consequenter creata; sed Christ⁹ vt homo nō est persona necessario existens, seu persona increata: ergo si vt homo est persona, erit persona contingenter existens, atque adeo persona creata. Nec solutio quidquam obtinet: primo quia falsum est quod assumit, nempe non posse multiplicari personam quin multiplicetur personalitas secundum id quod superaddit naturæ: nam hoc falsum est. Etsi enim in divinis id quod constituit, & multiplicat personas sit ipsa personalitas secundum id quod superaddit ad naturam, eo quod illa personalitas est per se subsistens, ac proinde est personalitas, quæ simul est formaliter persona, seu id quod persona importat in recto. At increatis quod multiplicat, & distinguit personas, non est personalitas secundum quod superaddit ad naturam, sed personalitas prout importat naturam, seu est ipsa natura; sine cuius multiplicatione nequeunt in creatis multiplicari personæ; nec enim dari possunt tres puri homines, quin dentur tres humanitates per se existentes: nam quamvis eadem humanitas afficeretur triplici modo subsistentę, & perfectatis non foret triplex persona; quia non foret triplex substantia completa per se existens, & incommunicabilis; nec ibi daretur triplex subsistens *vt quod*, à contrario vero daretur triplex persona, licet non daretur nisi vnicus modus perfectatis, vt notavi supra disp. 23. sect. 6. num. 62. Si semel modus ille triplicem naturam terminaret, quia è converso daretur tunc triplex substantia completa per se existens, & incommunicabilis.

9 Secundo, quia licet in genere verum sit non posse dari distinctam personam, quin detur nova, & distincta personalitas, sumpta personalitate pro personalitate *vt quod*; falsum est, in Christo vt homine non dari novam personalitatem *vt quod*: nam illud complexum substantiale, si vt tale est persona: vt tale est personalitas *vt quod*: at vt tale non est personalitas increata: ergo creata.

10 Sed pergit P. Suarez, rem declarando à contrario, sumendo exemplum à mysterio Trinitatis, in quo licet Pater habeat aliam personalitatem à Filio, non tamen est alius Deus, sed est alia persona in eadem Deitate subsistens, & similiter quando per æternam Filij generationem intelligimus addi divinitati personalitatem distinctam à Paternitate, licet Filius genitus sit Deus, non tamen propterea est alius Deus, sed alia persona, quæ est idem Deus. Sic ergo (inquit) à contrario contingit in præsenti mysterio, nam licet personæ Verbi adiungantur per vnionem hy-

posta-

postaticam nova natura, & id quod inde resultat sit persona, non tamen est alia persona, sed eadem subsistens in alia natura, quia constitutivum formale naturę idem omnino semper manet.

11 Sed contra, quia hoc probat quidem hunc hominē Deum esse personam, quia est persona divina subsistens in humanitate; ita nimirum vt subiectū supra quod cadit prædicatum personæ, non sit illud complexum in vi complexi: (quia hoc pacto de aliquo creato in Christo vere diceretur esse personā; ac proinde daretur persona creata) sed sit ipsum Verbū specificative sumptum, quod subsistit in humanitate; non probat autem quod hic homo quatenus est hic homo sit persona; ita vt prædicatum personæ verificetur tanquam de subiecto de illo complexo in vi complexi. In Deo autem propterea non multiplicantur Dij, licet multiplicentur personæ habentes Deitatem; quia nomen Deus supponit pro Deitate vt per se subsistente, non sunt autem in Deo tres Deitates vt per se subsistentes; Vnde quia Filius licet sit Deitas per se subsistens, non tamen est nova Deitas, propterea non est novus Deus. At si hic homo quatenus hic homo incipiens, sit persona in vi complexi, nequit non esse nova persona; quia illud complexum in vi complexi est quid novū. Et tane si Deus supponeret pro complexo, ex personalitate, & Deitate; Filius vt Filius esset novus, & distinctus Deus à Patre, quia est novum, & distinctum complexum.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur argumenta contraria.

12 SED obijcies primo, Christus quatenus homo est Filius Dei naturalis, vt docet communis sententia Theologorum: ergo quatenus homo est suppositum, & persona; nam denominatio Filij est propria suppositi. Respondeo ex P. Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 49. sect. 1. §. *Propter hæc argumenta*, dum dicitur Christum vt hominem esse Filium Dei naturalem, particulā vt non sumi reduplicative, quia certum est, inquit, humanitatem non esse rationem, ob quam Christus sit Filius Dei naturalis, sed sumi specificative, vt sensus sit, Christum in humanitate subsistentem habere in humanitate ipsa habitudinem aliquam, seu relationem Filij ad Deum, Qeare vt docet ipse ibidem § *Ex ijs infero*, Christus in quantum homo est Filius Dei naturalis, quia in quantum homo, id est in humanitate ipsa est Sanctus, & summe gratus Deo, & habet ius proprium & intrinsecum ad divinam hæreditatem, & vt ipse Eximius Doctor explicat sect. 2. §. *Sextam rationem*, in hac quæstione loquimur de Christo vt homine, designādo formaliter humanitatem vt id, in quo conveniat Christo Filiatio naturalis, & non designando tantum personam humanitati vnitam. Vnde ad nostrum propositum respondeti potest Christum vt hominem specificative sumptum esse Filiū Dei, & sic sumptum esse personam: reduplicative autem sumptum non esse Filium Dei, & sic sumptum non esse personam.

13 Et Confirmatur: nam Christus quatenus homo reduplicative non est Deus iuxta communem, & verisimam sententiam; quia hæc propositio significaret humanitatem esse rationem, aut saltem prærequisitum vt Christus sit Deus; cum tamen solum sit ratio, vt sit homo: ergo nec quatenus homo potest dici persona, quia sic significaretur rationem personæ competere Christo ratione humanitatis, quod est falsum. Item quia si quatenus homo est persona, quatenus homo erit Deus, quia si quatenus homo est persona, quatenus homo est persona divina; at quatenus persona divina est Deus: ergo &c. Hinc deduco, nec dici posse quod Christus quatenus homo sit Filius Dei naturalis, sumendo ly quatenus reduplicative: quia etiam hoc pacto denotaretur Filiationē naturalem competere Christo ratione humanæ naturæ.

14 Secundo respondetur admittendo Christum vt hominem adhuc reduplicative sumptum esse Filium Dei naturalem; non tamen filiatione naturali conveniente illi per generationem æternam, sed Filiatione naturali conveniente illi per gratiā vnionis: quamvis autem denominatio Filij naturalis Dei Filiatione æterna, sit denominatio cadens supra suppositum vt tale; non tamen denominatio Filij naturalis Filiatione naturali conveniente illi per gratiā vnionis factā humanitati debet cadere supra suppositum vt suppositum, sed potest, ac debet cadere supra suppositum sub aliqua reduplicatione

Saltem per generationē æternā

tione sub qua non habet esse suppositum; quia debet cadere supra Verbum, quatenus est homo: sub qua reduplicatione, nec est persona divina, quia alioqui sub illa reduplicatione foret Deus: nec est persona creata; quia in Christo non datur persona creata.

15 Nec tibi videatur absurdum, Christum sub aliqua reduplicatione esse Filium naturalem Dei, sub qua reduplicatione non est persona: nam vt docent Pater Suarez vbi supra, & Vazquez disput. 89. numer. 8. Christus vt homo non est Filius solius Patris, sed Dei, vt Deus est. En iam argumentum, Deus quatenus Deus non est suppositum, nec persona: & tamen quatenus Deus est Pater Christi, vt hominis: ergo poterit Christus vt homo esse Filius Dei, quamvis sub ea reduplicatione non sit persona: nec enim esse persona magis est de conceptu Filij, quam de conceptu Patris. Sicut ergo licet per generationem æternam, & strictissime talem, nequeat generare nisi persona, quatenus persona; nec generari nisi persona quatenus persona, quia generans debet esse distinctus à genito; & ad intra nequit dari distinctio nisi penes perfectionem relativam, quæ ob suam incommunicabilitatem est persona, & tamen per generationem temporalem potest generare persona divina sub aliqua ratione, sub qua non est persona, quia non generat nisi vt Deus; ita per generationem temporalem potest generari persona sub aliqua ratione, sub qua non est persona, nempe persona Christi quatenus homo, quia sub hac reduplicatione generatur à Deo vt Deus est, & sub illa reduplicatione non est persona. Similiter Deus quatenus Deus, est per adoptionem Pater iustorum, & tamen sub illa reduplicatione non est persona.

16 Obijcies secundo, Christus quatenus homo est aliquid per se subsistens, & incommunicabile: ergo est persona. Distinguo antecedens, aliquid per se subsistens ratione Verbi suppositantis naturam humanam, concedo: ratione naturæ humanæ, nego antecedens; & consequentiam; quia ergo Christus quatenus homo reduplicat naturam humanã, quæ in Christo non est per se existens, quia existit in alio digniori se; nempe in Verbo; ideo quatenus homo non est persona Petrus autem quatenus homo est persona, quia reduplicat naturam humanã vt per se existentem. Et ideo dici potest, Christũ vt hominem, reduplicative sumptũ, non existere per se, sed in alio digniori se, nempe in Verbo tanquã in supposito; implicat autem vt sub ea ratione sub qua existit in alio tanquam in supposito, sit suppositum. Christus vt homo qua ratione sit sub sistens.

17 Vel aliter distingui, est aliquid per se subsistens, & incommunicabile, minorem tamen exprimens perfectionẽ quãm aliquod ex suis constitutivis secundum se sumptũ, concedo: aliter nego antecedens, & consequentiam. Nam hoc ipso quod Christus quatenus homo minorem exprimat perfectionẽ, quam Verbum secundum se, existit in Verbo tanquam in supposito, & hoc ipso sub illa reduplicatione nequit esse suppositũ: quia esse in alio tanquam in supposito, & esse suppositũ sunt termini implicatorij. Melius sic distinguo: Christus vt homo est aliquid subsistens in Verbo tanquam in supposito, cõcedo; aliquid subsistens simpliciter, & in se, & tanquam suppositum suorum constitutivorũ, nego; quia Christus vt homo non est suppositum Verbi, seu id cui trubuantur operationes provenientes à Verbo vt Verbũ est; quia quatenus homo est minor Verbo.

18 Quod autem Christus quatenus homo sit minor Verbo vt Verbum est: patet, quia quatenus homo non est Deus; Verbum autem, quatenus Verbũ, est Deus. At sub illa ratione sub qua aliquid non est Deus, est minor Deo: ergo &c. Rursus, quia Christ⁹ quaten⁹ homo est minor Patre iuxta illud: *Pater maior me est*: ergo est minor Verbo secundum se. Vnde sicut persona Verbi quatenus subsistens in humanitate, ab humanitate constituitur in ratione hominis tanquam à forma; ita & in ratione minoris Patre.

19 Quod si instes: Christus vt homo includit Verbum, & humanitatem: ergo non est minor Patre. Distinguo antecedens includit Verbũ, vt perficiens humanitatem, & quatenus ab illa denominatur homo concedo, aliter, nego antecedens, & consequentiam. Itaque quod Christus, vt homo sit complexum ex Verbo, & humanitate invicem vnitis, probat quidem, illud complexum materialiter sumptũ esse quid maius extensive Verbo secundum se; non tamen si sumatur formaliter, quatenus partes illius complexi invicẽ cõpulantur, & con-

parantur ; ſub hac enim ratione minus perficit Verbum humanitatem , quam perficiatur ſecundum ſe à Divinitate, minoremque perfectionē exprimit Verbum vt homo eſt, quam Verbum vt Deus eſt. Et ſanè ad hoc vt Verbum, quatenus homo foret, quid ſaltem extenſive maius Verbo ſecundum ſe , deberet. Verbum quatenus homo eſſe Deus & homo ſimul : quod conſtat eſſe falſum, nam hæc propoſitio eſt falſa : *Verbum, quatenus homo, eſt Deus.* Quare Chriſtus adæquate ſumptus , quatenus eſt Deus , & homo , eſt quid extenſive maius Deo ſecundum ſe , & ſub reduplicatione Dei, & hominis nequit dici minor Deo. At Chriſtus quatenus homo ſub qua dumtaxat ratione in tempore reſultat , eſt minor Deo : non quidem minoritate intrinſeca Verbo , ſed minoritate convenienti ipſi Verbo denominative ab humanitate.

20 At dices : complexum ex Deo, & creatura non eſt minus Deo, ſed ſecundum quid maius : ergo pariter in noſtro caſu. Permiſſo antecedenti, nego conſequentiam : quia complexum ex Deo, & creatura non imbibit Deum vt perficientem creaturam , ſed præciſe imbibit Deum vt perficientem ſeipſum, & creaturam vt perficientem ſeipſam: idemque eſt complexū ex Deo, & creatura quam Deus, & creatura; Deus autē, & creatura ſimul eſt aliquid ſecundum quid maius quam Deus ſolus; extrema enim in complexo iſto ſumuntur materialiter , quia illud eſt complexum quoddam per accidens nullam dicens phyſicam vnionem , & complexionem partium inter ſe. Vnde in illo complexo non ſumitur Deus vt perficiens creaturam , nec quatenus denominatus à creatura, ſed Deus vt perficiens ſeipſum; complexum autem ex Deo vt perficiente ſeipſum , & creatura vt perficiente ſe , eſt Deus , & creatura ſimul. At in noſtro caſu non ſumitur Verbum vt perficiens ſeipſum , ſed vt perficiens humanitatem , & quatenus ab illa conſtituitur in eſſe hominis, ſub qua ratione Verbum eſt minus ſeipſo ſecundum ſe , & quatenus eſt Deus. Si autem ſumantur partes illæ materialiter, & quatenus illud complexum eſt Deus, & humanitas, ſub hac reduplicatione illud complexum non eſt minus Verbo ſecundum ſe : quia ſub hac reduplicatione eſt ens neceſſarium ſimul & contingens; neceſsitate afficiente præciſe Verbum , & contingentia afficiente præciſe humanitatem. At Verbum ſub reduplicatione hominis eſt aliquid contingens : non quidem contingetia intrinſeca Verbo, ſed contingentia extrinſeca, & denominativa.

21 Qui autem dixerit , Chriſtum vt hominem eſſe perſonam ; debet dicere eſſe perſonam Verbi vt ſubſiſtentem in humanitate , ita vt ratio ſubſiſtentis in humanitate non conſtituat ſimpliciter perſonam , ſed ſolum conſtituat illam in ratione terminantis novam naturam. In quo ſenſu Petrus vt albus etiā dici debet perſona , non quidem diſtincta à Petro ſecundum ſe, ſed eadem cum nova affectione ; ita vt eſſe album non conſtituat perſonam ſimpliciter in eſſe perſonæ , ſed perſonam præexiſtentem conſtituat in ratione albi.

DISPVTATIO XXIX.

AN ET QVOMODO CHRISTVS MERVERIT PER ACCEPTATIONEM MORtis alioſque actus præceptos?

Ad quæſt. 19. 3. part. art. 3. & 4.

SECTIO PRIMA.

proponitur ſtatus quæſtionis.

1 SVPPONIMVS in præſenti, Chriſtum habuiſſe verum, & rigoroſum præceptum moriendi, obligans ipſum non quidem ad procurandam ſibi necem, ſed ad non impediendam, immo ad poſitive acceptandam, ſi in odium palam prædicatæ veritatis, & reprehenſæ improbitatis ſibi inferretur à Iudæis. Ita communiter Theologi contra Lorcam, & alios nonnullos. Conſulantur Pater Bernal diſp. 57. de Incarnation. ſectione 3. & Pater Alderete tota diſput. 73. qui late oſtendunt ex ſcriptura, & Patribus exiſtentiam huius præcepti. Difficultas ergo præſentis tractatus eſt in concordiam redigere impeccabilitatē Chriſti cum merito in obſervatione huius præcepti: & ratio dubitandi eſt. Nam vel Chriſtus potuit non obedire Patri præcipienti acceptationem mortis: vel non potuit. Si primum: ergo potuit peccare: ſi ſecundum: ergo neceſſario acceptavit mortem, & conſequenter ſine merito.

2 Hæc eſt vna ex gravioribus Theologiæ totius difficultatibus, in qua enodanda non parum deſudant Theologi. Plurimi excogitati ſunt modi conciliandi libertatem Chriſti in obſervandis præceptis cum eius impeccabilitate; novem, vel decem refert Monceus diſput. 9. à capite 6. Plerique tamen ex illis ſuamet imbecillitate iam evanuerunt: vnde in illis referendis, & refellendis non immorabor, ſed claſicos dumtaxat examinabo. Ex his autem quę dixerimus de merito, & libertate Chriſti in ſubeunda nece, facile poſtea deducetur, an, & quomodo meruerit per obſervationem aliorum præceptorum. Quatuor ſunt celebriores ſententiæ in hac controverſia. Prima Thomiſtarū, quæ hanc concordiam explicat per diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi. Secunda communior; quę per neceſſitatem moriendi, & per libertatem ad circunſtantias eam declarat. Tertia P. Suarez, quæ per ſcientiam mediam, & diſtinctionem principij proximi, & remoti illam exponit. Quarta, quæ per libertatem, vel impediendi præceptum, vel petendi diſpenſationem concordiam intendit. Ego in prima, & ſecunda diſputat. duplicem concordiam defendam: deinceps vero alias ſententias examinabo.

SECTIO SECVNDA.

Prima concordia impeccabilitatis Chriſti cum libertate in acceptanda morte, quia præceptum fuit diſpenſabile, cuius natura breuiter exponitur.

3 EXISTIMO Cum Cardinali de Lugo, cum Patre Bernal, & Patre Alderete difficultatem hanc optime enodari per facultatem conceſſam Chriſto petendi diſpenſationem præcepti infallibiliter concedendam à Patre.

4 Conſtabit facile, omnia in concordiam redigi, ſi naturam huius præcepti exponamus. Dico ergo hoc præceptū non fuiſſe vtcunque diſpenſabile, ſed infallibiliter pro nutu Chriſti diſpenſandum: vt ex vna parte ſupræmum dominium Dei erga Chriſtum ſalvetur, dū Chriſtus præcepti capax aſſeritur; & ex alia Chriſti libertas, & impeccabilitas protegatur, dum in ipſius poteſtate libera

obtinendi dispensationem facultas relinquitur. Impositum fuit Christo hoc præceptum humano modo, proindeque non vrgebat statim ad acceptandam mortem, quamvis locum relinqueret, vt statim posset ex obedientia acceptari; sed latitudinem temporis admittebat, intra quam posset impunè eius observatio differri. Et hæc latitudo temporis, vt ego existimo, fuit spatium triginta trium annorum. Intimatum fuit Christo hoc præceptum in primo Conceptionis instanti: quod vbi ille cognovit, statim nulla interposita mora se conformavit cum voluntate Patris, morteque acceptavit in remedium generis humani iuxta illud Psalm. 39. quod Paulus ad Hæbreos 10. explicat de Christo ingrediente in hunc mundum: Sacrificium, & oblationem noluisti; aures autè per feciſtimihi:tunc dixi,ecce venio,vt faterem voluntatē tuam, Deus meus volui,& legem tuam in medio cordis mei. Et cum posset pro libito huius præcepti dispensationem obtinere; quia tamen videbat rem magis Deo gratam se factuſum, si mortem acceptaret, quam si præcepti dispensationem peteret, morte pro salute hominum acceptavit,& vt Apost. loquitur, *Proposito sibi gaudio elegit Crucem*, duplicem perfectissimæ obedientiæ laudem promeritus, & quia Paterno imperio se libens subiecit, cum posset facile dispensatione petita, ab illo se eximere: & quia statim obedivit, cum posset pro libito mortis acceptationem per longum tempus differre: *Perfectus namque obediens*, vt ait Bernardus, *Nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem.* En quo pacto mortem, libere quoad substantiam acceptavit: nam in instanti, in quo acceptavit potuit, petere præcepti dispensationem, qua petita, & obtenta posset in sequenti instanti nolle mori.

SECTIO TERTIA.

Præcipua difficultas contra nostram sententiam, & prima eius solutio.

5 DIFFICVLTAS desumitur ex eo quod Christus non potuerit differre acceptationem mortis vsque ad vltimum instans, pro quo vrgebat præceptum: cum enim istud esset de morte libere, & meritorie subeunda in pretium scilicet redemptionis nostræ, non satisfaceret hinc præcepto, si eius obseruationem eo vsque distulisset. Nam tunc non libere, sed necessario mortē acceptaret, cum pro illo instanti non posset petere dispensationem præcepti, ne alioqui coniungerētur præcepti obligatio, & eiusdem relaxatio. Quod si in instanti vltimo nō posset peti præcepti dispensatio,nec in alijs antecedentibus potuisset peti, & obtineri: nam de quodlibet ostēdi potest esse vltimum, pro quo vrget præceptum: si enim Christus non potuit differre acceptationem mortis ad vltimum instans: ergo præceptum vrgebat saltem pro penultimo; ac proinde illo accedente non posset Christus non acceptare mortē: ergo nec instans illud penultimum esset aptū ad obseruandū præceptū; quia non esset mors meritoria pro tunc,ac proinde facto regressu per singula instantia concluderetur, nullum esse aptum ad obseruationem huius præcepti.

22 Huic difficili obiectioni tres adhibet solutiones Cardinalis de Lugo, eas autem omnes satis efficaciter impugnat Pater Alderete, qui aliam excogitavit, quæ non minus valide potest impugnari. Ego brevitatis causa ab impugnationibus abstinens, aliter difficultati occurram; antequam autem hoc præstem affero contra Patrem Alderete, non potuisse Christum differre obseruationem præcepti vsque ad vltimum instans; quia postquam ita distulisset, iam in vltimo instanti necessario acceptaret mortem: implicat enim, vt postquam in aliquo signo vltimi instantis intelligitur positive existens obligatio præcepti, prout oportet ad eliciendum pro posteriori actum obedientiæ, possit pro posteriori signo eiusdem præcepti dispensatio supervenire. Nam Christum esse obligatum in illo priori ex vi præcepti sibi antea impositi, non est præcisse, impositum antea fuisse illi præceptum: totum enim hoc verificari posset, quamvis in instantibus antecedentibus prorsus fuisset abrogatum præceptum: ergo est, præceptum fuisse antea impositum, & postea non fuisse relaxatum: iam ergo in illo priori intelligitur positive existens carentia relaxationis; ac proinde locus non relinquitur, vt pro posteriori adveniat relaxatio. Eodē prorsus argumento,quo probari solet,peccatū habituale constitui per carentiā condonationis: quia videlicet hominem manere modo debitorē pœnæ æternæ,& indigna-

dignationis Divinæ ex vi peccati antea à se commissi, non est præscisse hominem antea peccasse: ergo est, hominem antea peccasse, & non dum illi fuisse condonatum peccatum.

7 Ratio autem à priori est; quia quoties rei alicuius conservatio pendet à libera Dei voluntate, vel alterius agentis libera determinatione, non potest prius res illa intelligi positive conservata, quam talis voluntas; aut libera determinatio intelligatur positive existens, & dum ab illa voluntate, & libera determinatione præscinditur, à rei quoque conservatione præscindi debet. At præceptum Christo impositum, quamvis absolutum sit, quia nullam conditionem expectat, vt incipiat obligare; nec in prima sui existentia vllatenus pendeat à libera Christi voluntate: nihilominus tamen in ordine ad sui conservationem tacitam imbibit conditionem, *Nisi Christus petierit dispensationem*, pendetque proinde in sui conservatione à voluntate Christi non petendi dispensationem: vnde non potest positive intelligi conservatum pro aliquo instanti, donec intelligatur positive existens voluntas Christi non petendi dispensationem pro eodem instanti.

8 Hoc supposito existimo legitimam huius dubij solutionem petendam esse ex possibilitate præcepti, quod secundum aliquam vim obligandi extendatur ad instans, pro quo eius observatio libera sit impossibilis. Quæ solutio quamvis prima fronte dura videatur, rectè tamen explicata, dilucida est, & vera. Assero ergo Christum non potuisse differre observationem præcepti vsque ad vltimum instans, ac proinde illam fuisse Christo pro tunc impossibilem: & nihilominus aliquam vim obligandi huius præcepti vsque ad illud instans peruenisse, nimirum vim reddendi illicitam nolitionem mortis, quæ non supponeret petitam, & obtentam dispensationem. Vt hoc planius explicetur, respondere oportet prius directe ad illud argumentum.

9 Concedo itaque, Christum non potuisse differre acceptationē mortis vsque ad vltimum instans: quia illud erat ineptum ad obseruationem præcepti: & (quod hinc sequitur) concedo, præceptū illud vrgere saltem pro penultimo instanti. Nego tamen istud esse ineptum ad obseruationem præcepti, aut eandem esse rationem de illo, ac de vltimo. Hoc enim non propterea est ineptū ad obseruandum præceptum, quia est vltimum, pro quo vrget præceptum, sed quia est vltimū simpliciter, vltra qvod vis illa obligandi non porrigitur. Et quidem ex discrimine inter vtrunque instans satis apparebit, penultimum aptum esse, vt in eo obseruetur præceptum, quamvis vltimum sit prorsus ineptum. Propterea nanque istud tale est: quia postquam præceptum in illo intelligitur positive existens, prout oportet, vt pro posteriori possit obedientia poni; iam non datur facultas petendi dispensationem; ac proinde mors libere acceptari nequit. At hæc facultas petendi dispensationem datur in penultimo instanti etiam postquam intelligitur præcepti obligatio positive existens, & vrgens. Quamvis enim ex suppositione quod præcepti obligatio intelligatur in penultimo instanti, non possit illa obligatio abrogari in penultimo pro penultimo; potest tamen in penultimo abrogari pro vltimo; quatenus scilicet ex vi dispensationis petitæ, & obtentę in penultimo pro vltimo efficitur, vt sit iam licitū Christo recusare mortem in vltimo instanti, quod tamen licitum non foret, nisi illa dispensatio præcessisset. Vno Verbo: mors acceptari non potest libere à Christo prout requiritur ad obseruandum præceptū; nisi postquam præcepti obligatio intelligitur positive existens, & possit Christus illam obligationem tollere per petitionem dispensationis. Hoc autem totum præstare potest Christus in instanti penultimo, non autem in vltimo: quia postquam obligatio præcepti intelligitur in vltimo, iam non potest ab illo tolli, nec impediri, ne porrigatur ad instans sequens, cum illud instans sit vltimum. At postquam intelligitur in penultimo, potest impediri, ne transeat ad vltimum. Ergo, &c.

Differentia inter vltimum, & penultimum instans.

10 Nec ex eo, quod in illo penultimo instanti vrgeat iam obligatio præcepti, quin eius obseruatio possit amplius differri, statim inferre licet, Christum esse necessitatum ad acceptandam tunc mortem, ac proinde illud instans esse ineptum ad obseruandum præceptum. Nam ex eo quod tunc vrgeat, solum cōcludi potest, Christum esse necessitatum ad acceptandam mortem tunc, vel ad petendam dispensationem; quæ necessitas optime cōponitur cū libera acceptatione

mortis: immo illa necessitas vaga indicat singula extrema determinate libere poni posse, quia vbi sola adest necessitas eliciendi hunc, vel illum actum, implicat, vt hic determinate sumptus necessario ponatur. Quod ex natura ipsius præcepti conspicuum fit: nam illud ex se non habet necessitare ad acceptandam libere mortem etiam in aliquo instanti indeterminate, ex quo consequens erat, vt facta dilatione observationis vsque ad vltimum instans, pro quo vrget, necessitatem absolutam inferret acceptandi tunc determinate mortem: nam cum hoc præceptum sit de morte libere quoad substantiam subeunda, sibi ipsi contrarium foret, si illam necessitatem inveheret: quia repugnat necessitas antecedens ad aliquid libere quoad substantiam faciendum. Solum ergo hoc præceptum habet obligare ad acceptandam mortem pro aliquo instãti indeterminate intra tempus præscriptum, & obligare determinate pro penultimo ex suppositione, quod in antecedentibus non fuerit observatum. Habet tamen hoc præceptum necessitare ad acceptationem mortis, vel petitionem dispensationis pro aliquo instanti indeterminate intra tempus præsciptum: ex suppositione autem quod ante penultimum instans nec fuerit per acceptationẽ mortis observatum, nec per impetrationem dispensationis obrogatum, necessitat metaphysice Christum ad acceptandam mortem, vel petendam dispensationem.

11 Itaque hoc interest discrimen inter penultimum instans, & reliqua antecedentia, quod in istis poterat Christus ab vtroque actu supersedere, nolens pro tunc aut mortem acceptare, aut dispensationem petere: at vbi perventum esset ad penultimum, necessum erat, vt acceptaret mortẽ, vel peteret dispensationem. Quapropter perperam arguunt adversarij ab obligatione ad necessitatẽ. obligaret ergo, & vrgeret præceptum in penultimo instanti ad acceptandã mortem: non tamen necessitaret ad id determinate, sed vage, vel ad acceptandam mortem, vel petendam dispensationem. Itaque obligatio determinate respiciens mortem, cum eam respiciat, vt libere quoad substantiam acceptandam, manifeste probat, necessitatem non posse respicere acceptationem mortis determinate: quia implicat obligatio aliquid libere faciendi, vbi adest necessitas illud determinate ponendi.

12 Solum restat explicandum, quonam pacto potuerit hoc præceptum extendi ad vltimum instans, pro quo non potuit observari, quod iam præsto. Finis, & scopus Dei imponentis Christo præceptum mortis fuit, vt Christus libere ex obedientia acceptaret mortem in aliquo instanti temporis per præceptũ præfiniti, vt autem hunc finem obtineret, necessarium fuit, quod pro singulis instantibus temporis præscripti redderet Christo illicitam nolitionem mortis non supponentem petitam, & obtentam dispensationem: si enim in aliquo instanti illius temporis licitum maneret Christo mortem recusare, non petita prius dispensatione, non maneret obligatus ex vi præcepti ad acceptandam mortem in aliquo instanti. Nam quoties Christo licet aliquid efficaciter decernere, licet quoque propositum illud ad executionem perducere: nam voluntati cognoscenti ab initio motiva omnia, quæ honestare, vel deturpare possunt propositi efficacis executionem, non potest esse illicita talis executio, si semel propositũ licitum fuit. Vnde si liceret Christo in aliquo instanti intra spatium triginta, & trium annorum recusare mortem, non petita prius præcepti dispensatione, id est si foret licita voluntas efficaciter impediendi mortem, quam Iudæi erant ipsi machinaturi: posset licite postea accedente passionis tempore suam mortem impedire. Itaque Deus vt Christum obligaret ad acceptandam mortem pro aliquo instanti temporis præfiniti saltem pro penultimo, reddidit illicitam recusationem mortis non supponentem petitam, & obtentam dispensationem pro singulis instantib⁹ illius temporis, etiam pro vltimo.

13 Explicatur hoc amplius: præceptum positivum non habet aliam vim obligandi ad actum, nisi quia reddit illicitam eius omissionem. Quapropter vt Deus obligaret Christum ad acceptandam mortem in aliquo instanti ante vltimum, debuit reddere illicitam nolitionem mortis, quantũ foret satis, vt Christus maneret obligatus ad acceptandam libere mortem in aliquo instanti ante vltimum. Ad hoc autem omnino necessarium fuit, vt redderet illicitam Christo nolitionem moris non supponentem petitam, & obtentam dispensationem pro omnibus, & singulis instantibus etiam pro vltimo. Si enim semel liceret Christo in vltimo instanti absque petita, & obtenta

tenta dispensatione mortem absolute recusare, non posset ex vi præcepti manere obligatus ad moriendum: quemadmodum si mihi liceret pro libito extra claustra religiosa eggredi absque facultate Superioris, non possem ego ex vi professionis religiosæ obligatus manere ad non eggrediendum extra domum pro libito. Et similiter si mihi liceret absque dispentatione obtenta tempore quadragesimali carnibus pro libito vesci; ex vi præcepti ieiunandi non possem manere obligatus ad abstinendum à carnibus. Habemus ergo Deum non potuisse obligare Christum ad acceptandam mortem in aliquo instanti ante vltimum, nisi reddendo illicitam nolitionem mortis pro vltimo non supponentem petiram; & obtentam dispensationem in antecedentib⁹.

14 Cognovit ergo Christus naturam huius præcepti, & quamvis post primam ipsius existentiam statim mortem ex obedientia acceptavit; quia tamen obligatio illa non vrgebat ad aceptandã tunc, sed tunc, vel in aliquo subsequenti saltem penultimo; potuit Christus in primo instanti, & in alijs antecedentibus penultimum non exercere suam libertatem circa mortem acceptandam, vel dispensationem petendam; sed ab vtroque actu supersedere, differendo acceptationem mortis, vel petitionem dispensationis vsque ad penultimum instans, pro quo tandem vrgeret obligatio acceptandi mortem libere. Quemadmodum is, qui habet præceptum audiendi Sacrum die Festo, licet audiendo primo manè præceptum adimpleat, potest hora septima, v.g. dicere: nolo adhuc audire Sacrum, sed eius auditionem differe, vsque ad duodecimam horam, in qua tandem vrgebit præceptum. Si ergo Christus, vt potuit, distuliset observationem præcepti vsque ad penultimum instans, iam tunc esset Metaphysicè necessitatus ad acceptandam mortem, vel petendam dispensationem præcepti, quin in illo instanti supersedere posset ab alterutro ex illis actibus, sicut potuit in antecedentibus, & quin posset vlterius differre acceptationem mortis, vel petitionem dispensationis, quia si vlterius differret, iam omnino necessario acceptaret mortem, & consequenter peccaret: cum præceptum esset de morte libere subeunda. Quamvis enim præceptum hoc non præciperet vagè acceptationem mortis, vel petionem dispensationis, sed determinate obligaret ad acceptandam mortem, hæc ipsa obligatio erat Metaphysica necessitas acceptandi mortem, vel petendi dispensationem. Hæc nanque est natura cuiuscunque præcepti, vt dum obligat ad actum liberè ponendum, necessitet ad illum, vel ad exercicium oppositum.

15 Ratio autem à priori cur præceptum Christo impositum de morte libere subeunda extendatur ad instans vltimum, pro quo nequit; observari libere, est, quia præceptum impositum personæ impeccabili de re aliqua quoad substantiam libere ponenda, debet esse dispensabile pro nutu ipsius; solumque relinquere libertatem ad omittendam rem præceptam, quatenus relinquit facultatem obtinendi dispensationem. Vnde in quocunque instanti liberè observetur, debet dari potentia expedita ad impetrandam dispensationem: hæc autem non potest impetrari in hoc instanti pro hoc, sed in hoc pro sequenti. Ac per consequens nunquam potest observari in instanti aliquo vltra quod non porrigatur vis aliqua obligandi illius præcepti.

16 Dices; huiusmodi præceptum non videri positivum, quandoquidem eatenus obligat ad acceptandam mortem, quatenus reddit illicitam nolitionem mortis non supponentem petitam & obtentam dispensationem, quod videtur, esse proprium præcepti negativi. Respondeo, præceptum hoc esse positivum; quia etiam si prohibeat omissionem mortis, eo tamen fine prohibet, vt ponatur bonitas positiva acceptationis: quoties autem præceptum aliquid prohibet eo fine, vt ponatur bonitas positiva, positivum est: negativum est autem quando prohibet aliquid, non eo fine, vt ponatur bonum, sed vt præcaveatur malum. Sic in sententia Lesij, & aliorum præceptum restituendi est positivum; quia etiam si prohibeat retentionem rei alienæ, nihilominus non prohibet eo fine, vt præcaveatur malum retentionis, sed vt ponatur bonum restitutionis. Et in contraria sententia Molinæ, Sanchez, & aliorum propterea præceptum restituendi est negativum, quia licet intendat actũ restitutionis, nihilominus non intendit illum propter positivam ipsius bonitatem, sed vt per illum declinemus à malo retentionis, & continuationis moralis furti. Consulatur regula adducta à P. Dicast. tom. 1. de iustitia, & iure lib. 2. tract. 2. disp. 1. dub. 5. ad dignoscendum, quando præ-

præceptum est negativum, vel positivum.

17 Sed objicies contra nostram sententiam, omnino chymæricum videri, quod extendatur vis præcepti ad aliquod instans pro quo est impossibilis eius libera adimpletio; obligatio enim illa pertingens ad vltimum instans esset de re impossibili. Respondeo illam obligationem vltimi instantis non esse de re impossibili; quia illa non tendit vt observetur præceptum libere in vltimo; sed vt observetur libere in aliquo ex instantibus antecedentibus, saltem in penultimo. Nam ideo Deus prohibuit recusationem mortis etiam pro vltimo, vt Christū obligaret ad acceptandam libere mortem saltem in penultimo: illaque obligatio præcepti extensa ad vltimum cognita in penultimo impellebat Christum ad acceptandam libere mortem in penultimo. Vnde quamvis illa obligatio vt protracta ad vltimum sit posterior tempore observatione libera præcepti, est tamen prior natura, & causalitate, & applicata per cognitionem in instanti antecedenti impellebat Christum ad acceptandam libere mortem.

18 Quamvis autem hoc præceptum quoad aliquā vim, nempe quoad vim reddendi illicitam nolitionem mortis non supponentem petitam, & obtentam dispensationem, extendatur ad aliquod instans, in quo non potest libere observari, seu pro quo est impossibilis eius observatio vt libera: nihilominus non extenditur ad aliquod instans, ad quod non extendatur eius observatio, libera quidem immediate in instantibus antecedentibus, necessaria vero in vltimo prout in vltimo, & solum libera denominative à libertate instantium antecedentium, nam hoc præceptum reddebat illicitam, & consequenter impossibilem Christo nolitionem mortis in vltimo, sub conditione, quod in penultimo non peteretur dispensatio pro vltimo, vnde per hoc, quod libere acceptaret Christus mortem in penultimo, iam purificata manebat illa conditio, quia Christum libere acceptare mortem in penultimo est virtualiter nolle petere dispensationem pro vltimo: ac proinde iam ex hac suppositione erat omnino impossibile Christo recusare mortem in vltimo, quia ex illa suppositione erat omnino necessarium acceptare mortem in vltimo.

19 Neque præceptum erat de acceptanda libere morte, & continuanda libere acceptatione vsque ad vltimum instās per libertatem de novo exercitam in vltimo; esset enim de re impossibi. Parumque refert, quod acceptatio mortis non fuerit immediate libera in vltimo; quandoquidem habuit illam immediatam libertatem toto tempore antecedenti, nempe spatium triginta trium annorum. Nam ante penultimum instans non vrgebat præceptum, poteratque Christus, nec petere dispensationem, neque acceptare mortem; vnde toto illo tempore liberrima fuit acceptatio, in penultimo autem quamvis vrgeret præceptū; solum necessitabat vel ad acceptandam mortem, vel ad petendam dispensationē. sicut enim præceptum indispensabile vrgere, idem est, ac necessitatem imponere, vel peccandi, vel faciendi rem præceptā; ita vrgere præceptum dispensabile, est imponere necessitatē, vel exequēdi rem præceptā, vel petendi dispensationē. Vnde in penultimo acceptatio erat etiam libera, solum ergo erat necessaria in vltimo ex suppositione quod libere præexticisset in antecedenti.

SECTIO QVARTA.

Secunda eiusdem difficultatis solutio.

20 TOTA difficultas nascebatur ex natura huius præcepti obligantis ad mortem libere subeundam, quod magis videntur supponere, quam probare Authores. Quod enim Christus dicatur redemisse genus humanum per mortem suam, venisse salvum facere, quod perierat, factū esse sub lege, vt eos, qui sub lege erāt, redimeret, & similia; non evincit hoc præceptum fuisse de morte libere subeunda, ita vt libertas ipsa mortis sit materia præcepti, sed solum probat redemptionem, generis humani per mortem Christi fuisse finem præcepti, vel potius Dei præcipientis, & mittentis Filium suum, *Vt traderet semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*; vt loquitur Apostolus ad Ephesios 5. Quapropter si nulla alia suppeteret via ad enodationem illius dubij, dicendum foret, Christum potuisse differre acceptationem mortis vsque ad vltimum instans, in quo necessarium erat acceptare; quia iam non posset petere dispensationem,

nem. Nec tamen propter ea violatum iri præceptum; quia hoc non obligabat ad redemptionem generis humani, ad quã libertas requiritur, sed solum ad subeundam necem in redemptionem generis humani, tanquam in finem præcipientis, vel ipsius præcepti.

21 Id explicari oportet ex doctrina D. Thom. secunda secundæ quæst. 44. art. 6. corpore, vbi docet, perfectionem charitatis sub præceptum cadere, non quidem tanquam materiam, qua non posita violetur præceptum, sed tanquam finem, quo non obtento, non observatur perfectè. Ad hunc modum intelligi potest, Christum potuisse non redimere genus humanum, si differret acceptationem mortis ad vltimum instans; quo in casu non observaret perfecte præceptum, quia non pertingeret ad finem præcipientis: impleret tamen quoad vim obligativam in conscientia; diceretur que imperfecte implere præceptum, eo modo, quo diceretur imperfecte operari, si discreparet à maiori beneplacito Patris in operibus consilij, quæ non esset imperfectio positiva, sed negativa, id est minor perfectio.

22 Et quidem qui contenderet, præcepti obligationem extendi non posse ad instans, pro quo præceptum nequit observari, facile assignaret rationem, cur hoc præceptum non respiceret mortem vt liberam, sed præscindendo à libertate, vel necessitate. Nã Deus intendit efficaciter redimere genus humanũ per liberam Christi obedientiam: ad hunc autẽ finem obtinendum debuit adhibere medium proportionatum: præceptum autem iniungens mortem vt liberam tale non est: vnde debuit adhibere præceptum præscindens à libertate; quia videbat, istud relinquere locum libertati, Christumque reipsa acceptaturũ mortem ante vltimum instans, ac proinde libere prout congruit præcipientis intentioni. Vnde sequitur, Christum potuisse impedire finem illum redemptionis prout efficaciter intentum à Deo, nimirum impediendo scientiam mediam, quam essentialiter supponebat illa Dei intentio, nẽpe, scientiam per quam vidit, Christum acceptaturum esse mortem ante vltimum instans, ac proinde libere si ei imponatur tale præceptum.

(???)

SECTIO QVINTA,

Soluuntur obiectiones.

23 OBIICIES primo, ex nostra sententia sequi acceptationẽ mortis non fuisse Christo immediate liberam, sed dumtaxat denominative à voluntate non petendi dispensationem: hoc autem est absurdum; quia Christus per ipsam formalem obedientiam, & acceptationem mortis meruit iuxta illud Apostoli: *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituuntur multi.* In primis gratis admissa sequela, nego eius absurditatem: quia illa volitio non petendi dispensationem eliceretur à Christo ex motivo perfectissimæ obedientiæ erga Præceptum Patris; haberetque se instar imperij efficacis determinantis ad existentiam acceptationis, esset que quædam obedientia, & impletio præcepti per modum intentionis. Secundo, nego sequelam, asseroque acceptationem mortis fuisse Christo immediate liberam; quia non supponebat nolitionem petendi dispensationem, sed ipsamet voluntas moriendi erat virtualis nolitio petendi dispensationem, Christus namque cognoscens in primo instanti suæ Conceptionis præceptum sibi impositum à Patre, eiusque beneplacitum, & veluti desiderium, vt ipse mortem oppeteret pro hominibus, quamvis simul cognosceret, liberum sibi esse illius præcepti dispensationem petere, & obtinere; nihilominus vt se conformaret cum voluntate Patris, nobisque perfectissimũ obedientiæ exemplum relinqueret, statim voluntatem Patris adimplevit iuxta illud Psalm. *Tunc dixi: ecce venio, vt faciam voluntatem tuam &c.* Mortemque acceptavit iuxta illud Pauli: *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem.*

24 Obijcies secundo: ex nostra sententia sequi Christum potuisse peccare; quia Deus potuit, illi negare dispensationem præcepti, qua negata peccaret detrectando mortem. Respondet Cardinalis de Lugo, Christum habuisse revelationem de dispensatione sibi postulanti concedenda. Sed ego huic solutioni diffidens, respondeo, Christum non per revelationem, sed ex natura præcepti sibi positi evidenter cognovisse sibi infallibiliter concedendam dispensationem, vbi eam postularet. Cum enim

ex vna

ex vna parte nobis constet ex Scripturis, & Patribus, Christum supposito præcepto mortis potuisse non mori, & aliunde sit impeccabilis, consequens est, vt præceptum ipsi impositum de morte libere subeunda sit, non solum dispensabile, sed infallibiliter dispensandum pro nutu Christi: si enim hoc modo non esset dispensabile, maneret eo posito, Christus peccandi periculo obnoxius. Vnde ad hanc responsionem firmandam tot habemus fundamenta, quot sunt ad probandum, Christum supposito præcepto mortis, mansisse liberum ad non moriendum.

25 Dices, hoc modo inutile prorsus esse tale præceptum, nullamque afferre veram obligationem. Qualis enim est obligatio moriendi, si ea posita perinde potest Christus mortem fugere, ac si tale præceptum non existeret? In primis hoc argumentum æqualiter premit omnem sententiã admittentem in Christo potentiam proximam ad non moriendum. Negatur ergo assumptum. Nam Pontifex veram potest voti obligationem habere, quam tamen pro libito relaxare valet. Et Christus Dominus vel de facto emisit votum, vel saltem illius emittendi capax fuit; vt docet Pater Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 28. sect. 2. P. Salmeron tom. 10. tract. 2. versus finem, Rainaudus lib. de Iuda proditore cap. 4. & Iustinianus in præludijs ad Epistolas Pauli disp. 1. cap. 5. Idque tantanta firmitate docuit Suarez, vt apertè pronuntiaverit modestissimus Author: *Mihi nõ est dubium, quin non obstante diuinitate personæ suæ fuerit Christus capax voti & obligationis ex illo ortæ.* Christus autem secum dispensare posset: parum autem refert ad hoc, an obligatio proveniat ex voto, an ex præcepto. Rursus humanus legislator proprijs tenetur legibus, quando materia est communis, & eiusdem rationis in ipso ac in alijs. Quod expresse habetur in Iure Canonico in capite Iustum est distinct. 9. vbi dicitur, Principem teneri suis legibus: Et in cap. *Non liceat Papæ* 12. quæst. 1. vbi Pontifex legem fert, quæ ipsum obligat in conscientia. Et D. Thomas 12. quæst. 96. art. 5. ad 3. hoc ipsum docet, & ibi exponit legem Princeps ff. de legib° in qua Princeps dicitur esse solutus legibus; nimirum vt sit solutus quoad vim coactivam, non autem quoad directivam; & nihilominus Princeps humanus potest secum dispensare, vt docet P. Suarez lib. 3. de legibus. Ergo non erit inutilis obligatio præcepti, in Christo existens, quãvis pro nutu ipsius sit dispensabilis.

26 Quapropter respondeo, adeo hoc præceptum non esse inutile, vt sit maxime necessarium ad ostendendum supremum Dei dominium erga Christum, & Christi subiectionem erga Patrem. Nam Deus titulo supremi dominij potest à Christo exigere omnes actiones liberas vt liberas, veram imponendo obligationem in conscientia eas offerendi supremo domino: cum libertas sit perfectio actus, & quod est perfectionis in actu non possit esse titulus subtrahendi illum à dominio divino. In nulla alia autem sententia, nisi in ista explicatur, quo pacto possit Deus titulo supremi dominij iurisdictionis exigere à Christo acceptationem liberam mortis. Nam dũ ita exigit; eum obligat ad talem acceptationem. Hæc autem obligatio acceptandi libere mortem non potest in Christo reperiri, nisi possit absque culpa mortem non acceptare: hoc autem non potest, nisi pro libito suo valeat dispensationem obtinere. Nec illa obligatio inanis est: nam antequam imponeretur, liberum erat Christo, nolle mori, nullo prius elicito actu: at illa posita, id non licet, nisi prius à Patre dispensationem petat. Et quamvis habeat in sua potestate tollere obligationem præcepti, hoc tamen non habet, nisi in ordine ad voluntariam subiectionem, quam Christus ostenderet, dum supplex peteret dispensationem præcepti. Immo hinc elicitur, præceptum à nobis admissum perfectissime participare rationem præcepti: quia cum munus præcepti sit ostendere præcipientis authoritatem, & inferioris subiectionem, hoc munus perfectissime habet præceptum Christi: quia necessitat ipsum ad acceptandam mortem, vel ad petendam dispensationem. In vtroque autem ex his actibus ostenditur Dei superioritas, & Christi subiectio.

Deus vi supremi Domini potest à Christo exigere actiones vt liberas.

27 Obijcies tertio: admisso hoc præcepto, valde imperfectam reddi obedientiam Christi, propter cuius perfectionem salvandam præceptum adstruitur. Nam illa est imperfecta obedientia, in qua superior se debet accommodare voluntati inferioris, & non è converso. Hoc autem ita accideret in præsenti. Respondeo, tunc obedientiam esse imperfectam, quando in ipsa executione rei

rei præscriptæ trahit subditus voluntatem superioris ad suam. Quod tunc solum contingit, quando subditus negotiatur, vt illud sibi superior iniungat, non quod ipsi superiori, sed quod subdito magis placet; quam obedientiam merito vocat imperfectam Sanctus Parens noster Ignatius. Quod autem subditus dum actu se voluntati superioris conformat, potens sit trahere ad se voluntatem superioris, vt obligationem obediendi auferat, perfectionem obedientiæ non minuit: immo illam auget: qui enim potens pro nutu præcepti relaxationem obtinere, hac potestate non vtitur, sed alterius se subijcit voluntati, laudabilius intra limites obedientiæ operatur, quam qui obedit in sua potestate non habens præcepti obligationem tollere.

28 Dices, perfectionem quidem obedientiæ esse, vt alteri te submittas, dum posses facile ab illius imperio te eximere. Verum maximam imperfectionē esse, vt hanc facultatem te eximendi pro nutu tuo afferat ipsum obedientiæ præceptum. Sed contra, quia si semel est perfectio obedientiæ, vt his obediat, qui facile posset ab obedientiæ iugo se subducere, certe non erit contra perfectionem illius, quod hanc facilitatem afferat ipsum præceptum, quod de se ordinatur ad perfectam obedientiam. Quoties enim aliquod prædicatū spectat ad perfectionem actus, non potest dari imperfectio in eo, quod virtus, vel habitus ad illum actum ordinatus, afferat secum facultatem tribuendi tali actui illud prædicatum. Sanè si præceptum ordinatur ad vincendam renitentiam subditi, & vincendam difficultatem, quam experitur in facienda re illa, quæ iubetur; non debet esse dispensabile pro nutu subditi: quia sic nullo modo adigeret subditū ad faciendā rem præceptam, esset que proinde prorsus inutile. At præceptum Christo impositum non ad hoc tendebat, quia Christus libentissime, & summa cum promptitudine acceptaret mortem, quāvis nullum ei imponeretur præceptum; quia ad id sufficeret minima insinuatio beneplaciti Patris.

29 Præceptum ergo Christo impositum non est ad excitandum ipsum ad acceptandā mortem, sed propter alios fines, nimirum vt materia illa elevaretur ad altiorem ordinem, & vt Christus acceptando ex obedientia mortem gratissimum offerret Sacrificium Æterno Patri & vt per vnius hominis obedientiam iustificarentur multi, sicut per alterius hominis inobedientiā peccatores Constituti sunt multi. Ad modum quo P. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 28. sectio 2. affirmat Christum fuisse capacem voti; quāvis enim in nobis votum tendat ad firmandam voluntatem in bono, finisque eius sit stabilire voventem in ea re, quæ Deo promittitur; *Tamen votum ex se nec solum, nec præcipue est* (inquit Eximius Doctor) *propter firmandam voluntatem, sed propter offerendum Deo obsequium, consecrandamque, & ad nobiliorem ordinem elevandam ipsam materiam voti, ac denique vt actus ex voto factus perfectior sit, quam sine voto.*

30 Obijcies quarto: nam si Christus potuisset præcepti dispensationem impetrare, non dixisset vrgente passionis tempore: *Pater si possibile est, &c.* Sed potius dicere debuisset; etsi possibile sit, quod transeat à me calix iste, nolo tamen, vt in hoc mea voluntas, sed tua fiat: ergo &c. Cæterum hoc argumentum non est peculiare cōtra nostram sententiam, sed militat contra omnes, quæ supposito præcepto, tribuunt Christo libertatem ad non moriendum: si enim hanc habuit, qua ratione dicere potuit; *Pater si possibile est, &c.* Respondeo primo cum D. Thom. in compendio Theologor. cap. 49. illis verbis non expressisse Christum voluntatis affectum, quo mortem recusaret, aut præcepti dispensationem postularet, sed solum partis sensitivæ renitentiam. Secundo respondeo cum Patre Maldonato in expositione illius loci, Christum ibi non respexisse ad potentiam antecedentem Patris, sic enim sciebat, omnia esse Deo possibilia, vt ipse testatus fuerat paulo antea; sed ad potentiam consequentem, & ex suppositione decreti, atq; præfinitionis: & perinde fuit dicere, *Pater si possibile est*, ac si diceret, si non est contra voluntatem, & decretum tuum; transeat à me calix iste. proinde tunc non attendebat Christus ad potestatem, quam ipse habebat, sic enim optime noverat, se posse mortem effugere, sed ad præfinitionem Dei.

(!!!)

SEC-

SECTIO VLTIMA.

Soluitur vltima obiectio, vbi an Christus habuerit obligationem naturalem redimendi homines?

31 OBIICIES vltimo obligationem Christi ad redimendum gen⁹ humanum non fuisse positivam, seu ortam ex præcepto positivo, sed naturalem ortam ex naturali lege charitatis. Hæc autem obligatio fuit indispensabilis: ergo Christi libertas non debet conciliari cum eius impeccabilitate per facultatem petendi dispensationem. In primis responderi potest, admittendo habuisse naturalem hanc obligationem redimendi gen⁹ humanum. Cæterum hinc concludi non potest, præceptum mortis fuisse naturale; quia etsi Christus mortem non acceptaret, non propterea nos relinqueret irredemptos, cum illi data fuerit optio redimendi mundum per mortem, vel citra mortem, vt probant communia Patrum dicta, dum inde maxime extollunt Christi erga nos charitatem, quod cum posset nos absque vllo labore redimere, voluit tamen per passionem opus nostræ redemptionis consummare. Et colligitur ex illo Pauli ad Hæbreos 10. *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem.* Consulend⁹ est Pater Bernal, qui egregie probat, Christo datam fuisse optionem vitæ passibilis, vel impassibilis.

32 Sed quid dicendum, si Christus non moriens irredemptos nos esset relicturus? Affirmat Bernal, Christum in illo eventu lege naturali obligatum iri ad moriendum; quia lege misericordiæ teneretur, mundum eripere à summa miseria: lege charitatis in proximos illis aperire viam ad summam fœlicitatem; & lege quasi iustitiæ Divinum ius ipsum reparare. Hoc ipsum sentit Pater Suarez: „Quia lex charitatis (inquit) obligat „ad ponendam corporalem vitam pro „salute spirituali proximi, & à fortiori „pro salute totius naturæ. Nec respondere sufficit, hoc esse verum in puris hominibus, quorum vita corporalis minoris est momenti, quam vita spiritualis proximi: quia quamvis vita Christi esset vita Dei, non tamen amittebatur simpliciter, sed ad tempus breve, & quidem maiori cum gloria, & honore postea recuperanda.

33 Negativa tamen sententia præferenda est, quam tenent Hurtadus: Vvadingus, & alij communiter. Ratio à priori est: quia præceptum naturale obligare non potest ad exponenda bona præstantiora, & superioris ordinis pro bonis minus præstantibus & inferioris ordinis. At vita Christi corporalis est bonum præstantius, & superioris ordinis, quam salus æterna totius mundi: ergo &c. Nec refert, quod vita illa non esset amittenda nisi per brebe tempus: nam vita Christi etiam per brebe tempus durans maioris est æstimationis, quam totius mundi salus, cum sit valoris infiniti: ergo nec per brebe tempus debet lege naturali charitatis amitti pro salute totius mūdi. Deinde ab aduersarijs qui ita respondent, rogo: an lege charitatis teneretur Christus vitam exponere pro salute hominum, casu quo illa esset amittenda simpliciter, nec nisi in generali resurrectione recuperanda? Si affirment: frustra ergo recurrunt ad hanc solutionem de veloci vitæ illius recuperatione: si negent, inde ego concludam, nec pro brevi tempore debuisse amitti; cur enim Christus non teneretur amittere simpliciter vitā pro salute totius naturæ, quando homo pur⁹ pro salute spirituali proximi hac obligatione constringitur? Certè non potest responderi, nisi recurrendo ad valorem infinitum vitæ Christi. Hæc autem ratio militat etiam pro brevi tempore. Nam Christus offerens suam vitam pro brebi illo tempore obtulit aliquid valoris infiniti.

Christus non habuit naturalem obligationem redimendi nos.

34 Tunc ergo solū facilitas, vel securitas recuperandi bonū iuvare potest ad inducendam obligationē naturalē exponendi illud bonum pro bono proximi, quando illa securitas efficit, vt boni illius amissio sit minoris valoris, quam proximi salus, aut bonum. Quod non contingit in præsenti: nam adhuc suppositā infallibilitate resurrectionis, res est summi valoris, & æstimationis, quod Christus per illud brebe tempus vitam amittat.

DIS-

DISPVTATIO XXX.

SECVNDA CONCORDIA LIBERTATIS CHRISTI IN ACCEPTANDA MORTE præcepta cum eius impeccabilitate.

SI alicui durum videatur, præceptum Christi fuisse dispensabile modo explicato disputatione præcedenti, in præsenti tradam alium concordiæ modũ, quo impeccabilitas, & libertas Christi concilientur cum præcepto indispensabili.

SECTIO PRIMA.

Nostra sententia.

1 ASSERO cum Patre Suar. disputatione 37. de Incarnatione sect. 3. & cum Patre Molina 1. part. quæst. 14. disp. 18. membro 4. in responsione ad 8. & vltimum, cum Tannero, Albertino, & Theophilo, Rainaudo de nova libertate part. 2. cap. 5. Christum libere observavisse præceptum, quia observavit vi auxiliorum suapte natura indifferentiũ, & per principia proxima ex se coniungibilia cum omissione actus præcepti, & tamen fuisse impeccabilem simpliciter, & absolute; quia nimirum principium remotum, nempe suppositum divinum vnitum humanitati, quod ratione vnionis illam substentat, & est suppositum eius, essentialiter erat incompossibile cum actuali omissione actus præcepti; quia ratione vnionis hypostaticæ essentialiter erat determinatum ad non permittendum humanitati assumptæ vllum peccatum, proindeque tenebatur non conferre illi nisi ea auxilia, quæ per scientiam mediam videbantur efficacia ad observationẽ liberam præcepti, & non alter. Vnde hæc duo salvantur, nimirum personam Christi esse impeccabilem, quia nunquam potest componi cum transgressione præcepti, & tamen illud libere observare, quia libertas attenditur penès principia proxima, & Christus constitutus est potens obsevare præceptum per principia proxima de se indifferentia, & quibus præcisè attentis posset peccare; nisi aliunde ab intrinseco exigeret, ne humanitati vnquam conferatur libera facultas observandi præceptum, nisi præcedente securitate infallibili de non transgressione.

2 In modo tamen defendendi hanc sententiam longe aliter discurro, ac præfati Doctores: sentio nimirum, non posse salvari in Christo principia proxima ad omittendum actum præceptum, quin in humanitate detur potentia proxima antecedens ad impediendam vnionem hypostaticam. Omnes autem illi Doctores oppositum supponunt, existimantes, illam esse suppositionem ita antecedentem, vt nullo modo dependeat à libertate humanitatis, vt prævisa per scientiam mediam. Deinde sentio sine inconvenienti defendi posse, vnionem hypostaticã essentialiter supponere scientiam mediam de observatione præcepti, ac proinde posse impediri ab humanitate. Primum ostendam sectione sequenti. Secundum sectione 3.

SECTIO SECVNDA.

Ostenditur non cohærere in Christo præceptum indispensabile cum principijs proximis ad omittendum actum præceptum, nisi ad sit in humanitate facultas ad impediendam vnionem hypostaticam.

3 IN hac sectione ostendam, vel Christi voluntatem non habuisse libertatem ad omittendum præceptum, & peccandum attentis principijs proximis, vel habuisse libertatem ad impediendam existentiam vnionis hypostaticæ. Quod tamen Eximius Doctor non concedit, vtpote qui disputatione 10. de Incarnatione sectione 3. §. *Vltimo arguitur*, docet subsistentiam, seu personalitatem esse conditionem

nem prærequisitam ad operandū, ex quo infertur, non conferri dependenter ab exercitio libertatis, nec posse impediri ab humanitate. Sic igitur argumentor: Humanitatem peccare est formalissime impedire vnionem sui cum Verbo: ergo vel humanitas Christi non potuit peccare, adhuc attentis principijs proximis, vel potuit impedire existentiam vnionis hypostaticæ. Probatur antecedens: ponere aliquid essentialiter connexum connexione antecedenti cum carentia vnionis, est impedire vnionem (nec enim sufficit, ponere aliquit vtcunque connexum, nā si sit connexum connexione consequenti; quia nimirum essentialiter supponit pro priori ad se carentiam vnionis, posse illud ponere non est posse impedire vnionem) at humanitatem peccare est ponere aliquid essentialiter connexum cum carentia vnionis connexione antecedenti: ergo &c. Maior constat primo à paritate: quia sicut ponere aliquid connexum connexione antecedenti cum existentia rei, est rem illam inducere; ita è contra ponere aliquid essentialiter connexum connexione antecedenti cum carentia rei, est rem illam impedire. Secundo à priori; quia hoc est ponere impedimentum inferens carentiam rei pro posteriori: id autem est formalissime impedire existentiam rei.

4 Probatur minor: humanitatem peccare est ponere aliquid essentialiter connexum cum carentia vnionis hypostaticæ; cum impossibile sit humanitatem peccare in sensu composito vnionis ad Verbum. At non connexum connexione consequenti, seu supponente iam impeditam vnionem, nec connexione pure concomitanti: ergo antecedenti. Nō esse connexum connexione consequenti patet: quia peccatum pro priori natura ad se solum supponit proximam potentiam peccandi, seu prærequisita essentialia ad sui existentiam: atqui in sententia P. Suarez carentia vnionis hypostaticæ non constituit proximam potentiam peccandi: alioqui humanitas Christi non haberet attentis principijs proximis potentiam expeditam ad peccandū, prout habere statuit Eximius Doctor. quod si dicas, carentiam vnionis non constituere potentiam proximam peccandi; essentialiter tamen præsupponi à peccato ante sui existentiam: quia peccatum essentialiter supponit aliquam personalitatem in humanitate essentialiter incompossibilem cū personalitate Verbi vt subsistente in humanitate; cum non possit supponere hanc, nec ab ipsa procedere. Contra est: nam hinc concluditur humanitatem non habuisse proximam potentiam ad peccandum: siquidem in ratione proximè potentis elicere peccatum constitui debet per existentiam omnium, quæ peccatum essentialiter prærequirit ad sui existentiam. Si ergo prærequirit carentiam vnionis hypostaticæ, per eam debet humanitas cōstitui in ratione proximè potentis peccare. Si ergo non constituitur signum est, quod peccatum non præsupponit essentialiter carentiam illā.

5 Quod autem peccatum non sit connexum connexione concomitanti cum carentia talis vnionis probatur: quia si peccatum, nec supponit essentialiter carentiam illam, nec eam infert, non est ratio cur illam secum infallibiliter afferat: non enim nostrum peccatum potest cogere Deum ad denegandam vnionem, nisi quatenus ipse essentialiter determinatus est ad illam non concedendam, per hoc præcisè quod homo peccet. Vnde vt intelligamus in Deo necessitatem absolutam negandi vnionem hypostaticam huic humanitati, prius intelligere debemus, eam habere peccatum, & istud videri à Deo: ab hac enim scientia visionis necessitatur Deus ad non concedendam vnionem: ergo cum existentia peccati habeat prioritatem respectu talis scientiæ, etiam habebit respectu carentiæ vnionis, si semel talis carentia non præsupponitur vt prærequisitum ante existentiam peccati: ac proinde nequit carentia vnionis habere se concomitanter cum peccato illam secum afferente.

5 Sed age demus peccatum concomittanter se habere cum carētia vnionis, adhuc negari non potest, potentiam proximam peccandi esse potentiam impediendi vnionem. Nam vbi carentia vnionis non præsupponitur, vel intelligitur, quando potentia est proxime expedita ad peccandum; si aliunde peccatum essentialiter est connexum cum illa potētia proxima peccandi, est potentia proxima faciendi, vt detur carentia vnionis; & consequenter potentia proxima impediendi vnionem; qui enim in signo, in quo præscinditur ab vnione, & carentia vnionis intelligitur proxime expeditus, ponere actum afferentem secum infallibiliter illam carentiam, hoc ipso est potens

tens determinare ad existentiam illius carentiæ: quia est potens facere, vt detur, quamvis gratis admittamus, illam non subsequi ad actum. Sicut sententia aliquorum actio se habet concomitanter cum termino, & tamen potentia determinans ad existentiam actionis afferentis secum essentialiter terminum, determinat ad existentiam termini. Et sane aliqua causa debet assignari, quæ post illud signum indifferentiæ, in quo præscinditur ab vnione, & ab ipsius carentia, determinet libere ad ipsius carentiam. Hæc autem causa non est Deus: nam suppositá proxima in differentia ad peccandum, sicut ad solam voluntatem creatam spectat determinare ad existentiam peccati, ita & ad carentiam vnionis, quatenus coniunctam cum peccato: quia implicat, posito peccato, existere simul vnionem. Vnde causa determinans tunc ad existentiam peccati, est quæ determinat ad carentiam vnionis: ergo de primo ad vltimum si semel componi potest vnio hypostatica cum proxima potentia peccandi, dicendum est, voluntatem habere potentiam proximam ad impediendam existentiam illius, nisi velimus dicere habere potestatem ad coniungendum peccatum cum ipsa vnione.

6 Hinc infero, omnem suppositionem connexam essentialiter cum existentia actus liberi esse impedibilem à nostra voluntate. Nam omnis eiusmodi suppositio est compossibilis cum proxima potentia omittendi illum actum: talis autem potentia cum componatur cum eiusmodi suppositione, non supponit ex se carentiam illius: ergo cum aliunde sit proxime potens inducere omissionem actus essentialiter ex se connexam cum carentia talis suppositionis, est proxime potens determinare ad carentiam illam, & consequenter impedire existentiam talis soppositionis. Vbi enim potentia ex se præscindit ab existentia alicuius suppositionis, & aliunde est proximè potens inducere exercitium essentialiter connexum cum carentia talis suppositionis, est proxime potens hanc impedire.

8 Ex quo rursus infertur, omnem suppositionem essentialiter connexam cũ existentia actus, & inimpedibilẽ à nobis pugnare cum nostra libertate: quia si componeretur cum libertate, seu proxima indifferentia ad omissionem actus, voluntas nostra haberet potentiã ad chymæram: quia potentia illa proxima non supponeret carentiam illi⁹ suppositionis: & aliunde esset potens inducere exercitium essentialiter connexum cum carentia talis suppositionis; quod est posse impedire suppositionem inimpedibilem, ac proinde habere potentiã ad chymæram.

9 Ratio autem à priori debet esse, quod voluntas, dum est coniuncta cum suppositione inimpedibili à se, & aliũde connexa essentialiter cum existentia actus, non habet, nec pro libito suo potest habere carentiam talis suppositionis; cum tamen illa carentia sit essentialiter prærequisita ad omissionem illius actus: qui autem non habet, nec pro libito suo potest habere medium, aut quasi medium essentialiter prærequisitum ad existentiam sui exercitij, non habet proximam potestatem, & sufficientiam liberam ad illud exercitium, vt enim inquit Eximius Doctor lib. 5. de gratia cap. 23. „ Impossibile est, me habere in mea po„ testate effectum, nisi habeam actus, „ vel in mea potestate quidquid est ne„ cessarium, vt effectus fiat. Et hoc est primum principium in Schola Societatis, quo Eximius Doctor sæpe ostendit voluntatem carentem prædeterminatione ad actum bonum, non habere auxilium sufficiens, si talis prædeterminatio sit prærequisita. Et hoc etiam principio evertitur sententia Ioannis Vincentij, qui licet ob hoc argumentum fateretur, prædeterminationem non esse necessariam; tamen admittebat illam vt possibilem. Nam ex eodem principio convincitur voluntatem prædeterminatã ad amorẽ prędeterminatione non prærequisita, non manere cũ sufficientia libera ad omissionẽ, quia non habet, nec pro libito suo potest habere carentiam talis prædeterminationis omnino prærequisitam ad omissionẽ amoris, quamvis prædeterminatio ponatur non necessaria ad amorẽ. Ergo voluntas dũ est cõiuncta cũ suppositione inimpedibili, & essentialiter connexa cum actu, non habet proximã potestatem ad omissionẽ illius actus ac proinde non libere, sed necessario ponit actũ.

10 Dices carentiam illius suppositionis non esse prærequisitam ad existentiam omissionis ex exigentia ipsius omissionis, sed ex exigentia illius suppositionis, quæ essentialiter infrustrabilis est. Hoc autem sufficere, vt simul cum illa suppositione detur in voluntate potentia proxime expedita ad omissionem actus. Sed contra: quia illud prin-

cipiũ est ex terminis, & vniuersaliter verum, vndecunque proveniat necessitas illius medij, sine quo impossibile est finem obtineri. Nam quamvis iste ex se non postularet medium A. ad sui existentiam; si tamen Petr' non posset pervenire ad illũ finẽ sine medio A. & istud non haberet, nec pro libito suo posset habere; non diceretur, habere in sua potestate libera illum finẽ. Contra secundo: quia simili responsione defendi posset, physicam prædeterminationẽ non tollere libertatem, si ponatur vt non prærequisita, dicendo voluntatẽ prędeterminatã ad amorẽ retinere proximã potestatẽ ad omissionẽ amoris, quia licet non habeat, nec pro libito suo possit habere carentiã talis prædeterminationis, ea tamen carentia non est necessaria ad omissionẽ amoris ex exigẽtia ipsius omissionis, sed ex exigentia prædeterminationis ad amorẽ; nihil enim fieret contra omissionẽ amoris ex eo quod conjungeretur cũ prædeterminatione amoris, sed solum fieret contra exigentiam talis prædeterminationis.

11 Quod si reddas disparitatem inter prædeterminationem, & alias suppositiones infrustrabiles, & inimpedibiles à nobis: quod prædeterminatio est principiũ immediatum, & immutat modũ operandi voluntatis, illamque determinat ad vnũ actum præ alio: at suppositiones alię sunt principiũ remotum, & non immutãt principia proxima. Contra est: nam si semel aliquod principium infrustrabile, & inimpedibile à nobis potest pro posteriori ad se inferre principia proxima indifferentia ad vtrũque extremũ contradictionis; similiter prędeterminatio physica nõ requisita poterit supponere pro priori ad se potentiã proxime idifferentẽ ad vtrũque; ex quo evidenter fieret, non tollere libertatem. Nam vbi voluntas ita ponit actũ, vt habeat potentiã proxime expeditã ad illum non ponendũ libere operatur. Nec refert quod prędeterminatio determinet voluntatẽ; quia determinatio illa actus, quæ non pugnat cum proxima indifferentia ad oppositũ, non potest tollere libertatẽ. Et sanè Thomistæ asserentes, esse de cõceptu libertatis creatę prędeterminari à Deo, non possunt convinci, nisi probetur, illam prædeterminationẽ non cohærere cum proxima indifferẽtia ad oppositum. Hoc autem quomodo persuaderi poterit ab eo, qui defendit consistere cum proxima indifferentia ad omissionem actus aliquam suppositionem essentialiter connexam cum actu, & omnino inimpedibilem à nostra libertate? Sane qui hoc defendit, non immerito timere poterit, ne vallidissime contra ipsum retorqueantur argumenta, quæ contra prædeterminatores fieri solent.

12 Alijs etiam vijs impugnari potest sententia P. Suar. Contra illam sic argumẽtor: natura humana Christi ab intrinseco, & omnino antecedenter est necessitata ad non habendam in se chymæram: nam subiectũ habens in se chymæram, chymęra est: sicut enim subiectũ chymęricum improportionatum est formę reali, ita subiectũ reale formæ chymæricæ. At qui chymæra est, humanitatẽ pro aliquo priori naturę habere vnionẽ cum Verbo, & habere præceptũ indispensabile obligans ad aliquem actum pro posteriori eiusdem instantis eliciendum, & tamen pro posteriori illo non elicere actũ præceptũ: ergo humanitas ab intrinseco, & omnino antecedenter est determinata ad non habendã pro priori naturæ vnionem hypostaticã simul cum præcepto obligãti ad actũ, quin pro posteriori naturæ talem actum eliciat. Ergo est omnino antecedenter determinata ad habendum actũ præceptũ pro posteriori, sub conditione, quod pro posteriori habeat vnionẽ hypostaticã, & præceptũ indispensabile obligans ad eliciẽdum actum pro posteriori. Tum sic: Atqui etiã necessitatur simpliciter, & absolute ad habendam vnionem hypostaticã, & præceptũ: ergo simpliciter, & absolute necessitatur antecedenter ad eliciendũ actum præceptũ. Patet consequentia; quia necessitas conditionata transit in absolutã posita conditione, si ea conditio est omnino antecedens, & independẽs ab vsu libertatis. Nam ex duplici necessitate partiali, si vtraque est absoluta, & simpliciter talis, resultat necessitas absoluta, & totalis simpliciter, & absolute talis. Nam qui est antecedenter necessitatus conditionate ad aliquẽ terminum, si aliunde necessitatur ad conditionẽ, ista posita, iam erit omnino necessitatus ad illũ terminũ. Minor quoque constat; nam tam vnio hypostatica, quã existentia præcepti iuxta principia Patris Suarez, est omnino independens in existendo ab exercitio libertatis humanæ Christi; & humanitas purè passivè se habet respectu illarum: subiectum autem simpliciter, & absolute necessitatur ad habendã formam, quam ab alio recipit sine vlla dependentia ab vsu suæ libertatis.

Expli-

13 Explicatur humanitas ab intrinseco, & per modũ naturæ est necessitata ad faciendum pro posteriori signo naturæ sensum compositum vnionis hypostaticæ, & præcepti cum actu præcepto sub conditione, quod pro priori signo naturæ eiusdem in instantis necessitetur ad sensum compositum sui cum vnione, & præcepto; siquidem ille sensus compositus infallibiliter infertur ex isto. Atqui pro priori naturæ necessitatur ad sensum compositum sui cum vnione, & præcepto: ergo simpliciter, & absolute necessitatur ad sensum compositum vnionis, & præcepti cum actu præcepto. Atqui nequit simpliciter, & absolute necessitari ad hanc coniunctionẽ, quin simpliciter, & absolute necessitetur ad actũ præceptũ: siquidẽ illa cõiunctio essentialiter involvit existentiã actus præcepti: ergo simpliciter, & absolute necessitatur ad existentiam actus præcepti. Confirmatur breviter. Humanitas Christi nullam habet liberratem ad faciendum ne existat coniunctio sui cum vnione hypostatica, & cum præcepto: rursus nullam habet potestatem ad faciendum, ne ad hanc coniunctionẽ existentem pro priori sequatur pro posteriori coniunctio sui cũ actu præcepto: siquidem est chymæra humanitatem pro priori naturæ esse coniunctam cum vnione hypostatica, & cum præcepto obligante ad eliciendum actũ pro posteriori eiusdem instantis, & tamen pro posteriori illo non sequi coniunctionem humanitatis cum actu præcepto. Ergo humanitas coniucta cum vnione hypostatica, & cum præcepto indispensabili obligante ad eliciendum pro posteriori actum, nullam habet libertatem ad istum non eliciendum pro illo posteriori.

14 Forsan aliquis respondebit, humanitatem Christi attentis principijs proximis potuisse componere omissionẽ actus præcepti, seu peccatum cum vnione hypostatica, licet absolute, & simpliciter illa coniunctio sit impossibilis; quia ipsa vnio postulat essentialiter ne fiat. Sed contra: quia implicat dari potentiã proximam ad coniunctionem chymæricam: vnde hoc ipso quod vnio hypostatica essentialiter postulet non coniungi cum peccato, reddit impossibilem potentiam proximam ad illam coniunctionem.

(o)

SECTIO TERTIA.

Proponitur modus saluandi libertatem Christi simul cum præcepto indispensabili.

15 PROPTER hucusque dicta arbitror, non posse sustineri sententiam Patris Suarez, nisi dicamus, humanitatẽ Christi, attentis principijs proximis, potuisse omittendo actũ præceptũ, impedire existentiã vnionis hypostaticę; & quia in hoc nihil absurdi video, absolute censeo, saltẽ seclusa visione beatifica, posse cõponi cũ impeccabilitate, & libertate Christi præceptũ indispensabile de acceptãda morte. Dico itaque vnionẽ hypostaticam essentialiter supponere scientiã mediã, per quam Deus cognoscat, hanc humanitatẽ acceptaturã esse mortem sub conditione, quod illi imponatur præceptũ eam acceptandi. Quia cum hæc vnio ex essentia sua habeat ordinari ad constituendũ compositũ substãtiale ex hac humanitate, & Verbo, quod possit per actus strictæ obedientiæ compensare inobedientiã primi hominis, essentialiter supponit omne illud, quod requiritur ad hunc finẽ; ad istum autem requiritur, quod præsupponat essentialiter scientiã mediã de congruitate auxiliorũ respectu huius humanitatis, si ei iniungatur præceptũ acceptandi mortẽ: quia si talis vnio eam scientiã non supponat, non erit impedibilis ab humanitate; & hoc ipso erit improportionata ad finẽ, ad quem essentialiter ordinatur; quia ad istũ deservire non potest, nisi relinquat proximam indifferentiam ad omittendum actũ præceptum, & hanc relinquere non potest, nisi sit impedibilis.

SECTIO QVARTA.

Prima difficultas contra nostram sententiam petita ab impeccabilitate ipsius Christi.

16 PLVRIMÆ difficultates opponi possunt contra nostram sentẽtiam. Prima sit; quia ex illa videtur sequi, Christum potuisse peccare: Nam Christus potuit non observare præceptum, sed non observare præceptum indispensabile est, peccare, ergo Christus potuit peccare. Distingo maiorem, potuit, non observare in sensu diviso vnionis, Verbi cum humanitate libere omittente actum præceptum, concedo: in sensu cõposito, nego maiorem;

& distinguo minorem: non observare in sensu composito, est peccare, concedo: nõ observare in sensu diviso est peccare; sub distinguo, ipsam humanitatem; concedo, est peccare Christum: nego minorem, & consequentiam.

17 Dices, Christus ab intrinseco est incapax suscipiendi denominationem libere omittentis actum præceptum: ergo Christus est antecedenter necessitatus ad suscipiendã denominationem eliciẽtis actum præceptum; ac proinde non libere observat præceptum. Concesso antecedenti, neganda est consequentia; quia vt Christus posset libere omittere actum præceptum, opus erat, vt humanitas haberet proximã potestatẽ ad coniungendã omissionem actus præcepti cum vnione hypostatica: ex eo autem quod hanc potestatem non habeat, non sequitur Christum esse antecedenter necessitatum ad observandũ præceptũ. Ratio est, quia ad hoc vt suppositũ libere observet præceptum satis est, quod non sit antecedenter necessitatũ ad talem observationem; stat autem non esse sic necessitatum, quamvis non sit positive capax omittendi actum præceptũ. Nam ad hoc secundum requiritur, quod suppositum operetur per principia proxima, quæ possint componere omissionem actus præcepti cum illo supposito, seu quæ possint omittere actum præceptum in sensu composito vnionis sui ad illud suppositum. Ad illud vero primum sufficit, quod operetur per principia proxima, quæ simpliciter, & absolute possint omittere actum præceptum, saltem in sensu diviso vnionis sui ad illud suppositũ. Nam hoc ipso, quod principia proxima sint expedita ad omittendum actum præceptum in sensu diviso vnionis sui ad tale suppositum, illa non sunt necessitata ad eliciẽdum actum præceptum. Vbi autẽ principia proxima non sunt necessitata ad actũ, suppositum operãs per illa nequit esse simpliciter necessitatũ ad illum: sicut enim suppositum ideo præscisse dicitur operari; quia principia proxima operantur, (nec enim derivatur denominatio operantis à supposito in principia proxima, sed è contra ab istis in illud;) ita ideo præscisse potest denominari operans necessario; quia principia proxima operantur necessario. Cũ ergo humanitas Christi acceperit potestatem proximam ad omittendum actum præceptum in sensu diviso vnionis hypostaticæ, & non ad omittendum in sensu composito; consequens est, vt Christus non observaverit necessario, sed libere præceptum.

Christus est incapax libere omittendi; nõ tamen necessitatus ponendi actũ præceptũ.

18 Secundo sub alijs terminis respondetur, personã Christi libere observasse præceptũ; quia ita observavit, vt potuerit ex libertate humanitatis carere denominatione observantis; & in hoc sensu nõ observare, nẽpe negative. Aliud autem est personam Christi potuisse ex libertate humanitatis carere denominatione observantis; aliud est potuisse habere denominationẽ non observantis, seu libere omittentis actum præceptũ, quod est posse non observare positive. Nam ad hoc secundum requirebatur, quod omissio actus præcepti posset poni ab humanitate in sensu cõposito vnionis cum Verbo, quod est impossibile. Ad illud vero primum satis est, quod possit poni in sensu diviso talis vnionis; quod non repugnat. Humanitas enim talem accepit potestatem omittendi actum præceptum, vt si re ipsa esset omissura, nõ fuisset assumpta à Verbo.

SECTIO QVINTA.

Soluitur secunda difficultas petita ab impeccabilitate ipsius humanitatis.

19 OBIICIES secundo: humanitas redditur impeccabilis ratione vnionis hypostaticę, vt constat ex Concilijs, & Patribꝰ adductis à P. Suar. disp. 33. sect. 2. At hoc ipso nequit relinquere in humanitate proximã potentiã peccandi; quia quandiu voluntas aliqua habet proximã potentiam peccandi, non potest dici impeccabilis. Responderi potest primo; vnionem hypostaticam propterea reddere voluntatẽ Christi impeccabilẽ; quia in primis est essentialiter incompossibilis cũ omni peccato illius humanitatis, tam mortali, quam veniali, quod non habet gratia habitualis, nec aliqua forma creata præter beatificam, & insuper quia illa vnio essentialiter est indestructibilis per peccatum, quamvis enim in illo instanti, in quo vrget præceptum acceptandi mortem detur in humanitate Christi proxima potentia ad impediendam existentiam vnionis, non solum pro eo instanti, sed pro omnibus antecedentibus, seu potentia ad faciendũ ne vnquam extiterit; non tamen datur potentia ad expellendam vnionem, seu ad illam destruendam. Quia hæc duo nunquam com-

componi possunt; nempe humanitatem vnitam esse Verbo pro aliquo tempore, & tamen pro tempore sequenti amittere vnionem illam propter peccatum. Nam cum hæc vnio in prima sui existentia dependeat à scientia media de observatione præcepti facienda ab illa humanitate pro tempore sequenti: hoc ipso quod existat, supponit observandum esse postea præceptum si imponatur, ac proinde incapax est destrui vi peccati. Illa autem forma, quæ semel existens in anima incapax est destrui per peccatum, reddit animam impeccabilem: quia est essentialiter incompossibilis cum peccato, & aliunde ex suppositione quod semel existat, est suapte natura permanens, & independens in sui conservatione à carentia libera peccati, seu ab observatione libera præceptorū.

20 Sed dices gratia habitualis propterea non reddit animam impeccabilem mortaliter, quamvis sit essentialiter incompossibilis cum omni peccato mortali, quia postquam illa existit in anima in instanti A. v.g. potest in instanti B. supervenire potentia proxima ad peccandum, & faciendum, ne illa gratia conservetur in anima. At postquam humanitas vnita est Verbo in instanti A. potest in instanti B. supervenire illi potestas proxima ad peccandum, & consequenter ad faciendum, ne extiterit vnquam illa vnio. Perinde est autem supervenire post existentiam formæ potentiam proximam ad impediendam primam existentiam illius; ac supervenire potentiam ad impediendam dumtaxat conservationem: immò videtur esse à fortiori: nam plus est, formam existentem in instanti A. dare locū, vt in B. superveniat potentia ad impediēdam eius existentiam non solum pro instanti B. sed pro A. quam dare locum, vt superveniat præscisse potentia ad impediendam eius existentiam pro instanti B. dumtaxat. Ergo si gratia non reddit animam iusti impeccabilem, eo quod dat locum ad hoc secundum, multo minus vnio hypostatica reddet impeccabilem animam Christi si dat locum ad illud primum.

21 Respondeo negando hanc consequentiam. Nam vnio hypostatica ob suā perfectionem supponit essentialiter voluntatem illam, cui ipsa nunc communicatur, obediturā esse postea præcepto, si ei imponatur; quod non supponit gratia. Et ideo vnio potius, quam gratia reddit impeccabilem humanitatem; quia ratione illius modi præsupponendi est ab intrinseco incapax vt Deus suspendat concursum conservativum illius intuitu peccati, & in pœnam illius.

22 Dices, potentiam proximam peccandi convenientē humanitati Christi pro instanti C. v.g. solū esse posse potentiā ad impediendam existentiā vnionis hypostaticæ pro instanti C. non autem pro instanti A. iam præterito. Respondeo primo, sicut potentia ad peccandum nunc est potentia ad impediendam existentiam revelationis, quæ heri enunciasset me hodie non peccaturum, ita in nostro casu &c. Respondeo secundo, & si potentia proxima ad peccandū conveniens humanitati Christi pro instanti, quo vrgebat præceptū, non esset potentia ad faciendum, ne vnquam illa humanitas fuisset vnita Verbo, sed dumtaxat ad impediendam conservationem vnionis, adhuc salvari impeccabilitatem humanitatis Christi: nam ita vnio hypostatica extraheret cum proxima potentia peccandi, vt tamen essentialiter esset connexa cum carentia peccati; atque proinde ita vehunquaret potentiam proximam ad impediendā conservationem vnionis quantū est ex parte principiorū proximorū; sic tamen ab intrinseco incapax sit expelli intuitu peccati.

23 Itaque vnio hypostatica afficiens humanitatē ab instanti A. ideo illam reddit impeccabilē, quia dum est in instanti A. pugnat cū omni peccato pro eo instanti in sensu composito sui, & aliunde essentialiter postulat, vt pro instantibus sequentibus non tribuatur humanitati, nisi illa proxima potentia ad peccandū, quæ per scientiam mediam, quā ipsa supponit, apparet coniungenda cum observatione præcepti. Vnde eam permittit dumtaxat supervenire potentiā proximā peccandi, de qua sit infallibile vi scientiæ mediæ non esse coniungendam cum peccato, vbi autem subiectum habet sibi intrinsecā formā connexā essentialiter cum eo, quod nec cum illa componere possit peccatum vllum, nec per vllum sit re ipsa diviſurum à se formā illā, recte potest dici impeccabile: potest autē hæc impeccabilitas dici moralis ad distinctionē alterius impeccabilitatis provenientis ex defectu potestatis proximæ, quæ potest appellari physica. Hinc distinguenda est illa propositio, *Quando voluntas aliqua habet potentiam proximam peccandi,* Impeccabilitas physica, & moralis.

non potest dici impeccabilis; distinguo, si ita illam habeat, vt simul certum sit ex vi formæ intrinsecæ potentiam illam non reducendam ad actum peccati, sed potius semper coniungendam cum obseruatione præcepti, nego: aliter, concedo.

24 Deinde difficultas illa solvi potest asserendo, humanitatem Christi esse impeccabilem, quatenus est Christi; quia testimonia Patrum, quibus illa impeccabilitas probatur, loquuntur de Christo, vel de humanitate vt subsistente in Verbo. Hoc autem verum est, quāvis humanitas peccando posit impedire vnionem. Quod autem Patres in eo sensu loquantur, patet ex eorum testimonijs adductis à Petavio tom. 2. de Incarnat. lib. 11. à pag. 117. asserunt enim propterea non potuisse peccare Christū hominem, quia natura Deus erat. Ita expresse Cyrillus Alexandrinus in Paschali homilia 26. item Augustinus in lib. contra sermonem Arrianorum cap. 7. Vt autem mediator Dei, & hominum Christus Iesus (inquit) non faceret propriam quæ Deo aduersa est, voluntatem; non erat tantum homo, sed Deus homo; per quam mirabilem, singularemque gratiam humana in illo sine vllo peccato posset esse natura. Propter hoc ergo ait, descendi de Cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui me misit: vt ea causa esset tantæ obedientiæ, quæ omnino sine vllo peccato esset, hominis, quem gubernabat, quia de Cœlo descenderat; hoc est non tantum homo, verum etiā Deus erat.

25 Et Fulgentius lib. 3. ad Trasimund. cap. 38. Propterea vtique (inquit) etiā Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in vnitatem personæ diuinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit. Item Hilar. lib. 10 de Trinitat. Homo Christus Iesus, & in veritate Nativitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati dum Christus est. Atque ita dum homo Christus Iesus est, habet nativitatem hominis, quia homo est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est. Eodem modo loquuntur alij Patres, præsertim Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 10. vbi inquit: *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo; secundus Adam peccare non potuit, quia est Deus.* Et Tertullianus libr. de carne Christi, vbi sibi obijcit. Si nostram induit carnem, peccatrix fuit caro Christi; sic respondet: nostram induit, suam fecit, & suam faciens, non peccatricem effecit. Quod optimo exemplo explicat Origenes 2. Periar. cap. 6 Ferrum natura sua capax est caloris, & frigoris, si tamen intra fornacē ignis semper cōtineatur recte dicimus non posse frigus aliquādo recipere: sic Beatissima Christi anima in Deo semper existēs, quidquid agit, quidquid intelligit Deus est, & ideo incōvertibilis est, & immutabilis, quę inconvertibilitatem ex Dei Verbi vnione indeficienter vnita possedit.

SECTIO SEXTA.

Tertia difficultas petita à ratione suppositi.

26 CONTRA nostram assertionem insurgere, quis poterit ex Patre Suarez disp. 24. de Incarnat. sect. 2. §. *Ex hac conclusione.*: humanitatem Christi non posse impedire existentiam vnionis: quia omnis operatio procedit à supposito; cum actiones sint suppositorum: ergo si humanitas eliceret actionem peccaminosam, vel hæc oriretur à supposito Diuino, & hoc repugnat; vel ab humano, & sic illa actio non impediret vnionem hypostaticam, sed illam supponeret iam impeditam per personalitatem humanam essentialiter incompossibilem cum diuina in eadem humanitate: ergo hæc vnita Verbo non potest à se dividere vnionem; & hinc reddit rationem Eximius Doctor, cur iustus posit amittere gratiam habitualem per peccatum, humanitas autem Christi nequeat amittere gratiam vnionis: ratio autem est, quia gratia habitualis non constituit suppositum, & ideo non omnis operatio procedens à supposito habente gratiam, procedit à gratia: at gratia vnionis constituit suppositum operans, & ideo omnis operatio procedens à natura habente hanc gratiā, necessario procedit à supposito diuino.

27 Sed contra, quia vt recte contra Patrem Suarez ostendit Pater Vazquez disp. 21. de Incarnat. cap. 3. personalitas non est conditio per se requisita, vt humanitas operetur. Quod multis rationibus probat; eis autem brebitatis causa omissis, sic ego rem suadeo: nam operatio elicienda ab humanitate non exigit ex se tanquam principium, vel prę-requisitum ad sui existentiam personalitatem. Nam vel exigeret determinate per;

perſonalitatem creatam connaturalem humanitati, vel vage illam, aut diuinam; neutrum autem dici poteſt: non primũ: alioqui non poſſet, elicere humanitas dum ſubſiſtit in Verbo, vllã operationem ex ijs, quas poſſet ſeparata à Verbo: quod eſt falſum, & contra omnes: nã variato principio, aut conditione per ſe exacta, & petita ab actione variari debet actio. Nec etiam poteſt dici ſecundũ; quia humanitas non exigit vage ſubſiſtentiam propriam, vel diuinam: alioqui per illam poſſet connaturaliter ſubſiſtere: nam ſubiectum ſuapte natura poſtulans vnam ex duabus formis poteſt connaturaliter accipere quamcunque ex illis: ergo nec operationes procedentes ab humanitate exigunt vage ſubſiſtentiam propriam humanitatis, vel diuinam.

27 Suadetur ſecundo: nam vel perſonalitas propria ſupra humanitatem ſolum addit negationem vnionis ad perſonam diuinam, vt ego veriſsimum cenſeo, & diſputatione 27. probavi: vel addit modum aliquem poſitivum ſubſtantialem perfectionis, vt fert communis ſententia. Si primum; perſonalitas propria ſecundum id, quod addit ad naturam, nequit eſſe conditio prærequiſita ad operandum: quid enim certius, quam non eſſe conditionem ad operandum carentiam formæ nullo pacto impedientis, ſed potius maxime iuvantis operationem? Si ſecundum: ſanè fieri divinitus poterit, vt humanitas in rerum natura exiſtat, quin gaudeat perſonalitate propria, vel aliena. Nec enim ex eo quod Deus privet ſubiectum proprietate aliqua ſibi debita, propterea cogitur conferre eidem ſubiecto perfectionem aliquam ſupernaturalem excellentem ipſi indebitam. Quod ſi hoc poteſt fieri, certè humanitas illa carens modo perfectionis ſibi debito, & vnione hypoſtatica ſibi indebita perinde poſſet operari, ac humanitas Petri: nam modus ille nec vires addit, nec applicat potentiam activam ad actum. Quis enim dicat humanitatem illam apertis oculis meridiana luce non viſuram coloratum ſibi applicatum.

Humanitas omnino dara ſubſiſtentiã ad hoc operaretur.

28 Nec oppoſitum vnquam tradidit Ariſtoteles, vt optime probat Pater Vazquez: nam 1. Metaphyſicæ cap. 10. quem locum pro ſe afferunt adverſarij, ſolum docuit, actiones, & paſsiones non eſſe vniverſalium, ſed ſingularium; nimirum quia nec agens in cõmuni, ſed agens in individuo, & in ſingulari operatur; nec producit terminũ in communi, ſed in ſingulari; nec operatur circa ſubiectũ vt ſic, ſed circa ſubiectũ ſingulare. Et 1. de anima cap. 4. ſolum docuit, actiones vitales, quæ fiunt per corpus, vt flere, nere, & ſimiles non eſſe animæ, ſed compoſiti. Ipſe vero 3. de anima cap. 4. dicit, ſe acturum de ea animi parte, quæ intelligit, & ſapit. Ac proinde concedit, animam eſſe principium *quod* actionum, quæ non dependent à corpore.

Actiones ſunt ſuppoſitorum.

29 Nec refert, Ioannem Theologum in Concilio Florentino ſeſsione 18. poſt medium aſſumpſiſſe tanquam ſententiam tunc communem Theologorum axioma illud: *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Tum quia vt Pater Vazquez obſervat ea diſputat. 21. numero. 23. Concilium non approbavit rationem, ſed ſolum concluſionem, quam ille deducere conabatur. Ad modum quo in ſeptima Synodo Generali quidam diſputans cum Hæreticis, vt probaret Angelos depingi poſſe, aſſumpſit eos eſſe corporeos, id quod tunc erat valde commune apud Græcos. Concilium tamen ſolum approbavit concluſionem, non autem aſſumptum. Tum quia licet admittamus illud axioma ex mente Ioannis Theologi eſſe vniverſaliter verum, inde concludi non poteſt, ſuppoſitalitatem eſſe principium, vel conditionem per ſe ad cauſandum prærequiſitam. Nam vt optime obſervat Cardinalis de Lugo, aliud eſt, actiones eſſe ſuppoſitorum, id eſt tribui ſuppoſitis, ea ve denominare; aliud provenire à ſuppoſito, vt ſuppoſito, illud ve præſupponere. Nam vt aliqua actio vere tribuatur alicui ſuppoſito non requiritur vt illud præſupponat. Nam in divinis actio ſpirandi verè tribuitur Filio, & tamen non præſupponit Filium: quia cum illa ſit diſtincta virtualiter à Filiatione, vtpotè cõmunis Patri, eam accipit Filius à Patre: nam Pater communicat Filio omnia, quæ habet præter eſſe Patrem: ac proinde prius intelligitur in Patre, quam in Filio. Ergo vt actio aliqua denominet ſuppoſitum, non eſt neceſsè vt illud præſupponat, quando quidem ſpiratio activa quamvis ſit pro priori ad Filium, denominat illum ſpirantem.

30 Itaque actiones ſunt ſuppoſitorũ,

quatenus hoc ipso, quod proveniant à natura, & hæc sit in suppositо, tribuuntur ipsi. Hoc pacto actiones ad extra non supponunt per se Deum vt trinum, sed Deum vt vnum ex communi sententia Theologorum apud Suarez lib. 1. de Trinitat. cap. 11. & tamen tribuuntur Trinitati Personarum, quia nimirum per se procedunt ab hoc numero Deo, & hic exsilit in tribus suppositis.

Actiones quo modo sint suppositorum.

33 Dices ex Patre Alderete disp. 23 de Incarnatione sect. 3. decreta libera essentialiter suppenere tres Divinas personas constitutas, quia si prius existerent in Patre, quam in Filio, hic non amaret libere, siquidem quod decretum existeret in Patre, non esset Filio liberum, & ex suppositione quod existeret in Patre, necessario derivaretur in Filium. Hinc autem sumit argumentum ad probandū, personalitatem esse conditionem essentialiter prærequisitam ad operandum; quia si non foret ita prærequisita, posset Deus habere decretū liberum pro priori ad personas. Verum hęc obiectio parum vrget. Nam licet personalitates Divinæ sint priores decretis liberis ordine naturę propter maiorē propinquitatē ad vnum; quia nimirum magis sapiunt conditionem naturæ divinæ ob suam necessitatem: tamen ordine causalitatis non præcedunt decreta divina: etsi enim Deus per impossibile non foret trinus, si tamē foret vnus, eodem modo amaret libere, & eadem posset concipere decreta libera, ac nunc.

34 Nec hinc inferas, decreta libera posse habere prioritatem respectu personalitatum, quia nec habent prioritatem causalitatis, cum id quod necessario exsilit, nequeat dependere à contingente; nec per maiorem propinquitatem ad vnum, vt patet. Et sane quamvis daremus, Deum pro priori ad personalitates Filij, & Spiritus Sancti concipere decretum liberum, per illud amaret Filius, & Spiritus Sanctus; nam licet in signo, in quo conciperetur decretum, non existerent illæ personæ formaliter quoad prædicata relativa, existeret tamen earum natura, quæ primario accipit denominationem amantis. Nam personalitates vt distinctę, virtualiter, & vt præcisè à natura non sunt volitivæ, sed solum hoc habent ratione naturæ. Hinc autem existentia amoris, quæ præcederet in Patre pro priori ad Filium hunc denominaret libere amantem, quia nimirum existentia illius decreti esset libera naturæ Filij; ac proinde Filio. Nam suppositum amare libere nihil aliud est, quam constare natura amante libere.

35 Quæ hucusque diximus satis enervant vim argumenti adducti à Patre Suarez, quem ad hominem vrgere possumus: nam si subsistentia est essentialiter prærequisita ad operandum, non videtur quo pacto defendi possit, humanitatem vnitam Verbo habere potentiam proximè expeditam ad peccandum, vt ipse asserit: quia si ad omnem actionem debet necessario pro priori supponi personalitas aliqua: ergo cum pro priori ad actum peccati nequeat supponi in humanitate personalitas divina; quandoquidem repugnat, humanitatem peccare in sensu compositо vnionis, necessario debet prę-supponi personalitas propria. Ergo humanitas vnita Verbo non habet, nec pro libito suo potest habere aliquid essentialiter prærequisitum ad eliciendum actū peccati. At iuxta firmissimum Societatis principium stabilitum ab ipso Eximio Doctore, qui non habet, nec pro libito potest habere aliquid essentialiter prærequisitum ad existentiam alicuius exercitij, non habet potentiam liberam ad illud: ergo si vnio hypostatica est inimpedibilis, humanitas vnita Verbo non habet potentiam expeditam ad omittendum actum præceptum, contra id, quod docet P. Suarez.

36 Dicendum ergo est, subsistentiam propriam humanitatis non debere necessario præcedere ad operationes; quia humanitas Christi potens omittere actum præceptum est potens facere, vt existat ipsamet sine vnione ad Verbum; ac proinde est potens facere, vt denominatio operantis actum parvum cadat in recto supra solam humanitatem: immo est potens facere, vt ipsa sit suppositum: ideo enim præscisse humanitas vnita Verbo non est suppositum; quia existit in alio digniori, cui tribuūtur ipsius operationes. Vnde si illa separaretur à Verbo hoc ipso esset suppositum; ac proinde cum ipsa sit potens separare se mediante operatione peccaminosa ab vnione, & Verbo, erit potens facere vt ipsa sit suppositum.

37 Sed insurgens ex Cardinali de Lugo disp. 8. num. 7. & post ipsum ex P. Alderete disp. 33. sect. 4. nam modus operandi sequitur modum essendi. Vnde

prius

prius debet esse, naturam habere modū essendi sibi connaturalem, vel alium supplentem ipsius vices, quam operari. Qua de causa anima rationalis iuxta varios modos essendi, quos potest habere nempe in corpore, vel extra corpus, habet varios modos operandi: vnde quia in corpore habet modum essendi quasi materialem, & vt ita dicam, materializatum, propterea dum est in corpore, nequit operari sine dependentia à corpore; dum vero est extra corpus, habet modum operandi altiorem, sicut habet modum essendi sine dependentia à corpore. Quemadmodum ergo anima rationalis licet existat pro priori ad vnionem cum corpore, nihilominus pro illo priori nequit operari, sed debet expectare vnionem cum corpore; per quam accipiat determinatum modum essendi, ad quem consequantur tales, vel tales operationes; pariter humanitas pro priori ad subsistentiam non poterit operari, quia nondum habet determinatum modum essendi, sed debet expectare complementum substantiale competens ipsi humanitati ratione subsistentiæ.

28 Respondeo ex illo principio: *Modus operandi sequitur modum essendi*, nihil posse contra nos concludi: legitimum eius sensum latè exponit P. Albertinus tom. 2. initio: significat enim, non posse operationem excedere perfectionem sui principij, sed debere esse illi commensuratam. Ex eo autem neutiquā inferri potest, modū subsistendi esse prærequisitum ad operandum: nam tunc debet modus essendi ipsius naturæ præcedere ordine causalitatis ad operationes, quando illæ pro diversitate modorum essendi debent sortiri diversas operationes, vt contingit in anima, cuius operationes sunt essentialiter diversæ pro diversitate modorum essendi in corpore, vel extra corpus. At operationes humanitatis non sunt diversæ essentialiter pro diversitate modorum existendi per se, vel existendi in alio tanquam in suppositō: nam illasmet operationes, quas elicit humanitas vnita Verbo, potuit elicere separata à Verbo, seu si separaretur. Adde iuxta vera principia modum existendi per se connaturalem humanitati nihil addere positivum supra ipsam, sed dumtaxat addere negationem vnionis ad subsistentiam extraneam tanquam ad suppositum: Vnde manifestè colligitur operationes elicitas ab humanitate nullo pacto posse specificari à personalitate propria secundum illud, quod addit ad naturam.

Modus operādi quomodo sequatur modum essendi.

29 Insurges tamen iterum ex P. Alderete ea sect. 3. num. 6. nam quælibet substantia creata essentialiter est incompleta substantialiter, quemadmodum de se est accidentaliter incompleta. Et quēadmodum omnis substantia creata habet aliquod complementum accidentale conveniens in genere cunctis substantijs, quale est vbicatio, & duratio, ita debet habere de se aliquod complemētum substantiale commune omnibus substantijs: hoc autem complementum quod est idē cum subsistentia, ideo advenire debet, vt natura sit potens operari; quia quemadmodum esse substantiale est propter operari, ita vt operatio sit finis, *qui*, & ipsa substantia sit finis *cui*, ita complementum substantiale debet esse propter operari, suapte nimirum natura ordinatum, vt substantia reddatur potens operari.

30 Respondeo primo, negando, quamlibet substantiam creatam essentialiter incompletam esse substantialiter, sicut est incompleta accidentaliter; alioqui persona, v.g. Petrus esset substantialiter incompleta. Quod si nomine substantiæ intelligas naturam, etiam id ipsum nego: nam natura non completur substantialiter per subsistentiam propriā secundum id, quod superaddit ad ipsam, quia solum superaddit negationem vnionis ad substantiam alienam, ratione cuius verificetur, illam existere in alio digniori, cui tribuantur ipsius operationes: nam per hoc præcisè quod humanitas non existat in alio digniori, cui tribuantur eius operationes, existit per se, & est id, cui tribuūtur eius operationes, proindeque est suppositum. Deinde licet admitteremus humanitatem esse essentialiter incompletam, ac proinde exigere subsistentiam positivam, qua compleretur; non tamen hoc complementum exigeret propter operationem: nam carens hoc complemento eodem modo operaretur: siquidem nequit carere subsistentia propria, nisi quia terminatur divina: natura autem humana existens in Verbo eodem modo potest operari, ac si existeret per se, ac separatim à Verbo: ergo non exigit titulo operandi modum illum substantialem per se existendi, quo separatur à Verbo, & quo completur.

(***)

SEC-

SECTIO VLTIMA.

Reliquæ difficultates.

31 OBIICIES præterea: si humanitas omittendo actum præceptum potest impedire existentiam vnionis hypostaticæ: ergo illa vnio non intelligitur pro signo proximè indifferentię: ergo nec tunc intelligitur positive existens Christus: si autem non intelligitur existens, nec intelligitur indifferens ad observandum, vel non observandum præceptum: non ergo libere observat. Respondeo in instanti, in quo humanitas Christi libere observat præceptum, nullum esse signum, *in quo* non existat Christus, licet nō intelligatur pro omni signo *à quo*; cum autem non intelligi pro signo indifferentiæ nihil aliud est, quam vnionem humanitatis cum Verbo non constituere proximam indifferentiam ad peccandum, quod non tollit, quod Christus vere existat modo sufficienti, vt suscipiat denominationem libere operantis. In forma ad argumentum, concessis reliquis, distinguo illam propositionem, *Si non intelligitur Christus existens, nec intelligitur indifferens*; indifferentia intrinseca ipsi personæ Christi, seu Verbo, concedo: non intelligitur indifferens pure denominative ab indifferentia humanitatis, nego. Itaque vt Verbum tanquam principium *quod* libere dicatur observare præceptū, satis est, quod humanitas, cui est realiter vnitum sit proximè indifferens, & cum hac indifferentia operetur.

32 Vel paulo aliter distinguo illam propositionem: *Si non intelligitur Christus existens, non intelligitur indifferens*: distinguo: si non intelligitur existens, realiter admitto: si non intelligitur existens pro signo in quo humanitas est indifferens, sub distinguo, non est indifferens indifferentia intrinseca personę ipsius, concedo: non est indifferens pure denominative ab indifferentia humanitatis assumptæ, nego. Itaque sicut humanitatem esse observaturam præceptum, si ei imponatur, est conditio essentialiter prærequisita, vt existat hæc vnio hypostatica, & Christus; ita est conditio, vt Christus denominetur indifferens ad observandum præceptum. Ac proinde persona Verbi vnita humanitati pro priori ante indifferentiā humanitatis ad observandum præceptum, in illo priori denominatur indifferens cum dependentia ab eventu futuro, quod non est inconveniēs in persona supponante alienam naturā, & operante per principia proxima adæquate à se distincta: foret autem inconveniens, si hæc indifferentia esset per modum principij proximi, vel per modū principij remoti requisiti, vel non distincti adæquate à principijs proximis, per quæ dicitur operari.

33 Obijcies vltimo, visionem beatificam necessitare humanitatē Christi ad observandum præceptum; quia visio clara summi boni necessario rapit voluntatē illud videntis ad fugiendū peccatum, & ideo Beati non habent potentiam proximam peccandi. Respondeo, visionem illam esse suppositionem consequētem ad observationem præcepti, sicut diximus de vnione hypostatica; non quia pro priori ad vnionem hypostaticam, & ad visionem beatificam necessario consequutam ad talem vnionem, præcedat observatio præcepti vt dispositio moralis, vel meritum de congruo: certum enim est, vnionem hypostaticam collatam esse humanitati independenter à propria dispositione, & merito: sed quia tam collatio vnionis hypostaticæ; quam collatio visionis beatificę essentialiter supponit scientiam mediam de observatione præcepti facienda ab hac humanitate, si ei imponatur tale præceptum. Vnde humanitas Christi sicut potuit impedire vnionem hypostaticam, ita & visionem beatificam debitam tali vnioni: ac proinde visio illa non dirigit ad observationem præcepti, sed alia cognitio, & in signo indifferentiæ ad observandum, vel non observandum præceptum præscinditur à visione beatifica.

Humanitas Christi sicut vnionē hypostaticā, ita etiam visionem beatificam potuit impedire.

34 Quamvis autem in reliquis beatis nulla detur potentia proxima peccandi, id non est ex terminis ipsius visionis beatificæ, quasi hæc non possit componi cum proxima potentia peccandi; potest enim, vt si Deus promitteret in præmiū observationis præcepti visionem beatam statim conferendam in instanti observationis: sed id provenit ex alia radice, nimirum ex eo, quod reliqui beati sunt iam omnino in termino, & extra viam; at Christus erat comprehensor simulque viator: vnde oportuit, vt ita haberet visionem beatificam ab instanti primo suæ Conceptionis, vt illa non impediret modum operandi proprium hominis viatoris potentis mereri in observatione

vatione præcepti. Quare in Christo visio beatifica non est principium omnium actuum honestorum, quos elicit, est autem in reliquis beatis. Et ideo isti carent potentia proxima peccandi, quia licet possit componi cum visione beatifica potentia proxima peccandi antecedens visionem, non autē consequens visionē. Et huic argumēto debent omnes respōdere: nā Christus videbat voluntatem efficacē Patris de eo, quod ipse acceptaret mortem: & tamen hæc visio non cogebat ad acceptandam mortem: nimirum quia illa voluntas supponebat essentialiter sciētiam Mediam de observatione libera præcepti futura sub conditione, quod præceptum imponeretur; ac proinde erat suppositio consequens respectu observationis præcepti: suppositio autem consequens nequit libertatem impedire.

DISPVTATIO XXXI.

AN PER DISTINCTIONEM SENSVS COMPOSITI, ET DIVISI RECTE EXPLICETUR concordia libertatis, & impeccabilitatis Christi cum præcepto indispensabili, & in impedibili?

NOVIA Recentiores Thomistæ valde laborarunt in stabiliēda hac concordia; & quia eorū sententia celebris nunc est in hac Salmantina Academia, & passim defenditur, eam in hac disputatione examinare, & à fundamentis convellere decrevi, id quod non parum deserviet ad penetrandam naturam nostræ libertatis.

SECTIO PRIMA.

Exponitur sententia Thomistarum, & quid intelligant per potestatem ad non moriendum in sensu diviso præcepti.

1 GREGORIVS Cipullus 3. p. quæst. 19. art. 3. num. 12. asserit esse communem sententiam Thomistarum cum Vañez, Medina, & Magistro Alvarez, Christum ideo liberè adimpleviſſe præceptum moriendi, quia potuit non mori in sensu diviso præcepti, licet non potuerit in sensu composito: & cum sola potestas ad non moriendum in sensu composito præcepti sit potestas ad peccandum, affirmat habuisse potestatem ad non moriēdum absque potestate ad peccandum; iam vero potestas ad non moriendum in sensu diviso præcepti non est in ipsorum sententia potestas divisa à præcepto; quasi Christus non potuerit habere potestatem proximam ad recusandam mortem præceptam nisi prius præceptum divideretur, & separaretur ab ipso: quia hoc ipso evidens foret, voluntatem Christi, dum est composita, & coniuncta cum præcepto, non habere proximam potestatem ad recusandam mortem. Nec itē in ipsorum sententia hæc potestas in sensu diviso præcepti est potestas ad dividendum à se præceptum, quasi humanitas potuerit impedire eius existentiam; cum iuxta ipsos existentia præcepti fuerit omnino independens ab humana Christi libertate.

2 Sensus ergo divisus, & compositus non debent sumi ex parte subiecti, quasi idem ita habere potestatem in sensu cōposito præcepti, ac habere potestatē compositā cum præcepto; & habere in sensu diviso, ac habere potestatē divisam; sed ex parte termini: non tamen eodem modo sumitur compositio, & divisio adhuc ex parte termini à Thomistis: nam compositio sumitur positive, divisio vero solum præscisive. Idem enim est habere potestatem ad recusandam mortem in sensu composito præcepti, ac habere potestatem ad componendam recusationem mortis cum præcepto mo-

Quomodo Thomistæ hic accipiāt sensum divisum, & compositum.

to moriendi. At habere potestatem ad recusandam mortem in sensu diviso, non est in eorum sententia habere potestatem ad dividendum à se præceptum per recusationem mortis, sed ad ponendam recusationem, seu nolitionem mortis secundum se, ex cuius existentia actuali, si daretur, evidenter inferretur, præceptum non existere.

3 Quare moderni Thomistæ communiter dicunt, Christum Dominum habere potestatem ad carentiam mortis secundum se, non autem ad illam vt coniungendã cum præcepto moriendi. Quod ipsum alij sub alijs terminis explicant asserentes, Christum habere potestatem antecedentem ad omissionem mortis pure negative sumptam, non autem privative acceptam: quia omissio mortis privative sumpta est peccatum: siquidem est omissio mortis coexistens cum præcepto moriendi: omissio autem mortis præceptæ negativè sumpta est omissio mortis secundum se præscindens ab illa coexistentia, vel separata à præcepto. Item alij hoc ipsum declarant alijs terminis dicentes, Christum habere potestatem ad omissionem mortis præceptæ specificative, non autem reduplicative vt præceptæ. Nam hoc secundum esset habere potestatem ad omissionem mortis vt coniungendam cum præcepto; illud autem primum tantum denotat, Christum simul cum præcepto habere potestatem ad omissionem mortis, licet non habeat potestatem ad ponendam illam omissionem simul cum præcepto, quia, inquiunt, cum præcepto optime cohærere proximam potestatem ad omissionem actus præcepti, licet ipsa omissio cohærere non possit.

SECTIO SECVNDA.

Refellitur præcedens sententia.

4 HÆC sententia impugnari potest omnibus argumentis, quib⁹ impugnari solent physicæ prædeterminationes, quorum aliqua attingimus in tractatu de scientia futurorum contingentium, sed ijs modo prætermissis, alia specialiora conficiamus. Etsi enim per impossibile physica prædeterminatio non everteret libertatem, illam everteret præceptum impositum Christo prout explicatur à Thomistis. Nam physica prædeterminatio, vti illi nunc defendunt, non est necessaria ad posse, sed ad actualiter operari; nec constituit actum primum proximum, sed illum aliunde constitutum vi auxilij sufficientis, reducit, & determinat ad actũ secundum: præceptum vero vt cognitum est necessarium ad posse obedire, & actũ primum expeditum ad obediendum constituit: nec enim Christus carens notitia præcepti est proxime potẽs obedire, sicut homo carens physica prædeterminatione est iuxta ipsos proxime potens operari.

5 Hinc autem primum conficio argumentum contra illam sententiã. Omnis actus primus est coniungibilis cum actu secundo, vtpotè exercitio suo. Potentia autem libera vt libera est actus primus ad vtrunque contradictionis extremum, cum sit potentia agendi, & non agendi: ergo est cum vtroque coniungibilis: ergo actus primus. Christi ad obediendu constitutus per notitiam præcepti, quatenus sic constitutus, est coniungibilis cum vtroque contradictionis extremo, nempe cum acceptatione mortis, & cum nolitione mortis. Probatur consequentia; quia actus ille primus vt sic coltitutus est actus primus liber: at actus primus liber quatenus talis est coniungibilis con vtroque contradictionis extremo: ergo potentia proxima Christi ad acceptandam libere mortem præceptam præcepto indispensabili, & inimpedibili est potentia proxima ad omissionem mortis in sensu cõposito præcepti, & consequenter ad peccandum.

6 Confirmatur: nam potentia antecedens libera ad omissionem actus præcepti est potentia ad coniungendam talem omissionẽ cum libertate ad omittendum: at libertas ad omittendum actũ includit formalissime principium sufficiens ad ponendum ipsum: ergo potentia antecedens libera ad omittendum actum præceptum est potentia libera ad coniungendam illam omissionem cum principio sufficienti ad obediendum. Atqui principium sufficiens ad obediendum includit notitiam præcepti: ergo potentia libera ad omittendum actum præceptum est potentia ad coniungendam illam omissionem cum notitia præcepti, & cõsequenter est potentia ad peccandum. Principium sufficiens ad obediẽdum includit notitiã præcepti.

7 Argumentor secundo, actus ille primus proximus ad obediendum connectitur essentialiter cum actu obedientiæ: ergo ille actus primus non est

ad

ad obediendum libere. Probatur antecedens: nam ille actus primus proximus involvit intrinsece notitiam præcepti: nam Christum esse proxime expeditum ad obediendum non est præscisse Christum existere, & habere cognitionem, quantum est ex se sufficientem ad fugienda vel non fugiendam mortē, sed est, Christum existere cum illa cognitione, & insuper habere præceptū sibi intimatum: ergo est actus ille primus complexum quoddam ex voluntate Christi, & intimatione præcepti: hoc autem complexum essentialiter connectitur cum actu obedientiæ, siquidem ei repugnat carentia talis actus: quia illud complexum coniungi cum carentia actus obedientię, foret dari peccatum Christi à parte rei.

8 Iam ostenditur prima consequentia. Nam vbi actus primus connectitur essentialiter cum actu secundo obedientiæ, nulla adest facultas antecedens in agente ad faciendum, ne ille actus primus prodeat in actum secundum obedientiæ: nam actum illum primum non prodire in actum secundum, est dari chymæram à parte rei: siquidem est, separari ab actu secundo actum primum inseparabilem ab illo: nulla autem adest facultas antecedens in agente ad faciendū, vt detur chymæra à parte rei. Iam vero vbi nulla adest in agente potestas ad faciendum, ne actus primus prodeat in actum secundum obedientiæ, ille actus primus non est ad obediendum libere: ergo si actus primus proximus Christi ad obediendum connectitur essentialiter cum actu obedientiæ, ille actus primus non est ad obediendum libere.

9 Confirmatur, seu explicatur. Christus Dominus constitutus in actu primo proximo per notitiam præcepti nullam habet potestatem ad supprimendum, cohibendum, vel impediendum actum obedientiæ, seu ad faciendum, ne ab illo actu primo egrediatur actus secundus obedientiæ: ergo non libere, sed necessario obediet. Consequentia est evidens: antecedens vero probatur primo; quia non egredi pro posteriori actū secundum obedientiæ ab illo actu primo existenti pro priori est dari chymæram à parte rei, quia est separari ab exercitio agendi actum primum inseparabilem ab agendo. Secundo, quia non egredi actum secundum ab illo actu primo, est coniungi carentiam obedientiæ cum obligatione obedientiæ in persona impeccabili; ac proinde est dari peccatum in persona impeccabili, quod est etiam chymæra.

10 Vbi nota hanc rationem totam suam efficaciam habere contra Thomistas, qui ex vna parte supponunt, vnionem hypostaticam esse suppositionem omnino antecedentem, & consequenter *in impedibilem per omissionem* actus præcepti, & ex alia volunt, simul cum præcepto indispēsabili cohærere in Christo proximam potentiam ad omittendum actum præceptum. Si autem dicamus, vnionem hypostaticam esse impedibilem vt ego defendi disp. antecedenti, nullam vim habet hæc ratio: quia ex eo quod actus primus proximus Christi ad eliciēdum actum præceptum non connectatur cum actu obedientiæ, solum sequitur, quod illemet actus primus proxim⁹ possit coniungi cum peccato: non sequitur autem quod possit coniungi ipse Christus; nam per coniunctionem illius actus primi cum peccato impediretur vnio hypostatica, & consequenter existentia Christi.

SECTIO TERTIA.

Præcluduntur effugia aduersariorum.

11 RESPONDEBVNT aduersarij, notitiam præcepti se tenere quidem ex parte actus primi: cæterum non inde sequi requiri ad libertatem, quod voluntas Christi possit cum illa coniungere omissionem actus præcepti. Nam illa notitia ita se tenet ex parte actus primi, vt non sit necessaria ad existentiam actus præcepti secundum se: ad libertatem autem satis esset, quod voluntas possit coniungere omissionem actus præcepti cum actu primo, vt per se requisito ad eius existentiam. Vnde dicent, Christum Dominum pro priori ad præceptum iam fuisse expeditum ad acceptandam, vel fugiendam mortem: ac proinde notitiam præcepti non constituere proximam potentiam ad volendū, vel nolendum mori, licet constituat actū primum proximū ad obediendum, quatenus volitio mortis non habet rationem obedientiæ, nisi pro priori supponatur præceptum moriendi intimatum Christo: obligationem autem præcepti supervenientem ad potestatem proximā volendi, vel nolendi mortem, non auferre potestatem proximam ad nolendum mori; sed solum determinare illam indifferen-

ferentiam, vt erumpat in actum volendi mori, ac proinde præceptum illud essentialiter connexū esse cum eo, quod Christus obediat libere: sicut physica prædeterminatio superveniens potentiæ proximæ ad vtrunque, essentialiter connectitur cum existentia libera actus.

12 Hoc est vnicum effugium, quo recurrere possunt, & interdum recurrunt aduersarij: sed contra sic insurgo: quia Deus potuit Christo præcipere non solum vt acceptaret mortem, sed vt illam acceptaret ex motivo obediendi Patri præcipienti, seu per actum specialis obedientiæ: sicut enim supremum dominium Dei supra humanam Christi voluntatem probat, potuisse Deum obligare Christum ad acceptandam mortem ex aliquo alio motivo honesto, ita & ex motivo obediendi Patri. Atqui ad actum specialis obedientiæ eliciendum, vel non eliciendū non intelligitur expedita Christi voluntas pro priori ad notitiam præcepti, cum actus specialis obedientiæ essentialiter supponat notitiam præcepti: ergo per illam notitiam constituitur proxime potens elicere libere actum specialis obedientiæ. At ea, quæ constituunt potentiam expeditam ad eliciendum libere actum, constituunt etiam illam expeditam ad omittendum talem actum, cum potestas libera vt talis sit potestas ad vtrunque: ergo per notiam præcepti constituitur proxime potens ad omittendum talem actum. Hinc autem manifeste infertur, posse coniungere omissionem actus specialis obedientiæ cum notitia præcepti, & consequenter peccare. Probatur sequela, quia posse omittere est posse coniungere omissionem actus præcepti cum potentia proxima ad omittendum: sicut posse amare est posse coniungere amorem cum potentia amandi proxima.

13 Ad hanc rationem respondere poterunt admittendo, quod Deus possit præcipere Christo actum specialis obedientiæ, negando tamen hinc sequi, quod possit coniungere Christus omissionem illius actus cum præcepto vt obligante ad ipsum: esto sequatur, quod possit coniungere illam omissionem cum præcepto vt obligante ad rem præceptam, quod non sufficit ad peccandum. Ratio reddi potest, quia cum actus specialis obedientiæ habere debeat pro obiecto materiali volito rem præceptam, & pro motivo præceptum superioris, nequit seipsum vt materiam præceptam respicere, sed aliquid à se distinctum. Vnde licet omni actui specialis obedientiæ essentiale sit supponere cognitionem præcepti vt obligantis ad rem præceptam distinctam ab ipso actu, nulli tamen potest esse essentiale supponere notitiam præcepti vt obligantis ad ipsummet actum. Quare hanc notitiam solum poterit, supponere volitio reflexa, qua Christus ex motivo obediendi Patri præcipienti actum specialis obedientiæ, velit illum actum elicere. Vnde solum sequitur, voluntatem Christi posse coniūgere omissionem illius volitionis reflexæ cum cognitione præcepti vt obligantis ad actum specialis obedientiæ: quod non sufficit ad peccatum: quia illa volitio reflexa non est præcepta.

14 Sed contra: quia Christus eadem cognitione virtualiter indivisibili cognosceret, sibi esse præceptum acceptare mortem, & acceptare ex motivo obediendi: sed per te Christus potuit, coniungere omissionem actus specialis obedientiæ cum cognitione præcepti vt obligantis ad acceptandam mortem: ergo cum cognitione præcepti vt obligantis ad acceptandam mortem ex motivo obediendi; & consequenter cum cognitione præcepti vt obligantis ad actum specialis obedientiæ: ergo potuit peccare. Duæ consequentiæ vltimæ sunt evidentes: prima vero etiam est clara; nam vbi cognitio per eandem indivisibilem formalitatem proponit duo obiecta, implicat potestas ad coniungendam omissionem actus cum vno prædicato illius cognitionis, & non cum alio: iam enim illa prędicata non essent virtualiter intrinsece idem, immo nec realiter, quando quidem separarentur pro casu, in quo omissio coniungeretur cum vno prædicato actus, & non cum alio.

15 Propter hanc rationem, quę meo iuditio convincens est, respondere poterunt secundo aduersarij, non posse Deum præcipere Christo, nisi illum actū liberum, ad quem eliciendum, vel non eliciendum supponatur iam pro priori ad præceptum proxime expedita voluntas Christi, ita vt præceptum tribuat Christo facultatem ad hoc, vt eliciendo actum, ad quem erat antecedenter potens, dicatur obedire; non autem ad ipsum eliciendum. Sed contra primo, quia hoc est contra dominium Dei. Contra secundo; quia intimatio præcepti non

est

est intimatio præcepti quod supponat libertatem ad actum, sed vel quod supponat, vel afferat. Contra tertio: quia Christus habens præceptum acceptandi mortem licet non teneretur illam acceptare, quia præceptam à Patre, seu ex motivo obediendi; at saltem poterat: quis enim dicat, Christum agnoscentem præceptum Patris non potuerit ita statuere: „ Quia Pater ita præcipit, nolo mortem „ meam impedire, sed paratus sum il„ lam subire in redemptionem generis humani? Ergo Christus poterat ad implere præceptū per actum specialis obedientiæ ex se supponentem essentialiter intimationem præcepti tanquam constituentem proximā potestatem. Vbi autem creatura per varios actus ex se adimplere valet præceptum, potest Deus imponens præceptum, negare concursum ad reliquos, & duntaxat offerre illum ad aliquem determinate: ergo poterat negare concursum humanitati Christi ad alios actus, per quos posset adimplere præceptum, solum offerendo concursum ad actū specialis obedientiæ. Tum sic: ex hac suppositione iā vnice Christ' poterat observare præceptum per actū specialis obedientiæ, ac proinde iam ad illū determinate erat obligatus: ergo poterat, cōiungere, & non coniungere illum actum specialis obedientiæ cum potentia proxima ad illum eliciendum. Patet consequentia: nam potentia libera ad eliciendum actum, quatenus est potentia libera ad illum, potest coniungi, & non coniungi cum illo; nam si quatenus potentia ad actum necessario cōiungeretur cum illo, non esset potentia libera, sed necessaria. Atqui potentia proxima ad eliciendum actum specialis obedientiæ constituitur per notitiam præcepti: ergo cum tali notitia poterat coniungere, & non coniungere actum specialis obedientiæ. At non coniungere tunc illum actum cum tali notitia præsuppositā, esset peccare, quia tunc talis actus esset debitus; ergo posset tunc peccare.

16 Vrgetur: nam Christum esse liberum ad adimplendum præceptū, vel per actum charitatis, vel per actum misericordiæ, vel per actum specialis obedientiæ, non est, Christum esse necessitatum adimplere per aliquem ex illis iuxta Thomistas; alioquin Christus non esset liber quoad substantiam mortis, vt ipsi argumentantur contra Patrem Vazquez: ergo Christus supposito præcepto poterat habere hunc actum: *Nolo adimplere præceptum mortis, nec per actum misericordiæ, nec per actum charitatis*: & tamen maneret liber ad adimplendum, vel non adimplendum præceptum. Tunc autem determinate esset obligatus adimplere præceptum per actum specialis obedientiæ, quia supponimus exclusisse reliquos: ergo posset coniungere omissionem illius actus cum obligatione illum determinate eliciendi: nam Christus vt determinate obligatus ad illum actum libere eliciendum, est formalissime liber ad illum eliciendum, vel non eliciendum: ergo cum seipso vt obligato poterit coniungere, vel actum, vel omissionem actus, quod est posse obedire, vel peccare. Probo cōsequentiam, quia cum seipso vt libero in actu primo ad eliciendum, vel non eliciendum, potest coniungere, vel actum, vel omissionem actus: sed ipse vt obligatus est liber in actu primo: ergo &c.

17 Confirmatur: nam Christus est liber ad obediendum, vel non obediēdum potentia consequenti notitiam præcepti: nam esse liberum potentia consequenti aliquam suppositionem, idem est, ac esse liberum potentia constituta per talem suppositionem: nam si est liber, & potentia non constituitur proxime expedita per illam suppositionem, erit liber potentia antecedenti, vel concomitanti notiam præcepti; non autem potentia consequenti; & ideo voluntas amans non est potens odio habere potentia consequenti, sed tantum potentia antecedencedenti: quia potentia ad odium nequit, constitui per amorem, sed constituitur per aliquid præcedens existentiam amoris.

18 Deinde argumentor contra illam responsionem: demus gratis adversario, Deū non posse præcipere Christo, nisi illum actum, ad quem eliciendum, vel non eliciendum sit ipse proxime expeditus pro priori ad præceptum. Sane hinc sequitur, posse Christum peccare. Nam eius voluntas vt affecta notitia præcepti, & vt obligata obedire, non est necessitata obedire: ergo adhuc vt sic affecta est libera ad obediendum, vel non obediendum: ergo potest cum seipsa vt sic affecta componere non obedientiam, ac proinde peccare.

19 Dices, vt sic affectam esse necessitatam consequenter, & antecedenter liberam. Sed contra: quia suppositio præcepti non pertinet ad actum se-

cun-

cundum obediendi, sed se tenet ex parte actus primi, constituitque potentiã proximam obediendi: ergo si voluntas vt affecta præcepto est necessitata ad obediẽdum, vt sic est necessitata necessitate antecedenti; quia necessitas proveniens à suppositione non libera potentia, & aliũde constituente actum primum, nequit non esse necessitas antecedens: nam actus primus constitutus per talem suppositionem non est actus primus liber: cum non sit coniungibilis cum vtroque extremo contradictionis: ergo est actus primus necessarius.

20 Quod autem suppositio præcepti, seu notitia præcepti se teneat ex parte actus primi; probatur primo: quia licet præceptum non obliget ad actum specialis obedientiæ. sed vel ad illum, vel ad actum obedientiæ materialis, qui nimirum posset existere, quamvis non præexisteret præceptum, qualis est actus acceptans mortẽ ex motivo placendi Deo, vel ex motivo liberãdi homines ab æterna miseria, tamen notitia præcepti movet ad eliciendum actum illum, quo observatur præceptum, & non movet per modum causalitatis, & influxus causæ primæ: nam iste concursus in sententia Thomistarum consistit in physica prædeterminatione: ergo per modum formæ se tenentis ex parte actus primi. Probatur secundo: nam si notitia præcepti movens Christum ad illum observandum se teneret ex parte actus secundi, etiam notitia præcepti movens purum hominem, se haberet ex parte actus secundi. Probatur tertio; quia quod illa notitia non sit essentialiter prærequisita ad actum præceptum secundum se sumptum, non probat, non se tenere ex parte actus primi ex abundantia, & non ex indigentia termini: alioqui quando quis elicit amorem remissum directus à cognitione intensa, non se haberet intensio cognitionis ex parte actus primi; cum illa non sit prærequisita ad existentiam illius affectus. Quarto; quia illa notitia dirigit ad actũ præceptum, & ratione illius imputatur homini ad laudem, quod eliciat actum præceptum, obediatque Deo præcipienti. Quinto: quia si ex eo quod notitia præcepti non sit prærequisita ad faciendum illum actum, quo observatur præceptum: deducitur, illam notitiam non se tenere ex parte actus primi, nec tollere libertatem, quamvis in persona impeccabili sit essentialiter connexa cum observatione præcepti: sanè si aliquis pro priori supponatur cum potentia sufficienti ad eliciendum actum amoris Dei ex vi scientiæ infusæ, non necessitabitur ad illum eliciendum, quamvis in eodem instanti pro priori ad amorem donetur visione beatifica, illaque rapiatur ad eliciendum amorem: si enim cognitio præcepti quia supervenit post principium de se sufficiens ad eliciendũ actum materialis obedientiæ non necessitat ad illius eliciendam, quamvis essentialiter cum illa connexus sit: pariter visio beatifica superveniens ad scientiam infusam de se sufficientem ad actum amoris Dei non necessitabit ad illum eliciendum.

SECTIO QVARTA.

Alio argumento refellitur sententia Thomistarum.

21 ARGVMENTOR tertio; nam vniversaliter, & ex terminis posse transgredi præceptum nihil aliud est, quam personam omnino independẽtem in sui existentia ab observatione præcepti habere simul cum præcepto indispensabili potestatem proximam ad omittendum actum præceptũ. At Christus per se est persona omnino independens in sui existentia ab observatione præcepti adhuc vt prævisa per scientiam mediã sub principijs proximis, & simul cum præcepto indispensabili obligante ad acceptandam mortem habebat proximam potestatem ad omittendam acceptationem mortis: ergo habebat potestatem proximam ad transgrediendum præceptum, & consequenter ad peccandum. Reliqua patent: maior probatur: nam si illa duo vniversaliter, & ex terminis non sunt idem; profecto non repugnabit, purum hominem habere simul cum præcepto amandi Deum v.g. potestatem proximam ad omittendum amorem Dei, quin habeat potestatẽ proximam ad peccandum. Si enim cum præcepto obligãte ad eliciendum actum stat potestas proxima ad omissionem actus secundũ se in persona independenti quoad existendum ab observatione præcepti vt prævisa per scientiam mediam, quin sit potestas ad coniungendam illam omissionem cum præcepto, & consequenter quin sit potestas ad peccandum: cur non poterit stare in puro homine? Nam posse omittere in sensu diviso, quin sit potestas

ad

ad omittendum in sensu composito præcepti, si semel ex terminis non repugnat, non est cur repugnet respectu puri hominis, quia id nullam infinitatem arguit. Absurdum autem est dicere, purum hominem posse simul cum præcepto habere potestatem proximam ad omittendum actum præceptum, quin habeat potestatem proximam ad peccandum: alioqui defacto hoc non esset bonum argumentum: *Petrus habet obligationem ieiunandi: & potest omittere ieiunium: ergo potest peccare.*

22 Dices, puro homini, si ratione doni intrinseci constituatur impeccabilis, posse illa duo competere, non tamen alicui convenire de facto. Sed contra, quia si semel potest dari in subiecto habente præceptum indispensabile, & independens ab ipsius libertate, potestas proxima ad omittendum actum præceptum, quin sit potestas proxima ad peccandum, non est ratio, cur hoc provenire debeat ab impeccabilitate. Cur enim licet subiectum alias sit peccabile, non poterit accipere potestatem ad omittendum actum præceptum præcepto indispensabili, in sensu diviso tantum, si semel id est possibile?

23 Confirmatur argumentum primo. De facto omnis purus homo potens omittere actum, de quo habet præceptum indispensabile, est potens peccare: ergo pariter Christus, si proxime potens est omittere actum, de quo habet simile præceptum, erit potens peccare. Probatur consequentia; ideo purus homo hoc habet; quia cum per notitiam præcepti constituatur in actu primo proximo, nequit simul cum illa habere potestatem ad omissionem actus, quin illa sit potestas ad coniungendam illam omissionem cum illo actu primo, & consequenter cum notitia præcepti. At pariter Christus per notitiam præcepti constituitur proxime potens obedire: ergo si potest nihilominus omittere actum præceptum, potest etiam omissionem coniungere cum notitia præcepti, & consequenter peccare.

24 Ex his infertur, voluntatem habentem præceptum, non posse retinere potentiam proximam ad omissionem rei præceptæ secundum se, quin habeat potestatem ad illam coniungendam cū præcepto. Sicut enim supposito præcepto ex parte actus primi, potentia ad faciendam rem præceptam secundum se est potentia ad coniungendā rem illam cum præcepto, quia licet res illa secundū se non connotet essentialiter præceptum, vbi tamen illud præsupponitur, nequit voluntas ponere rem illam, quin coniungat cum præcepto: pariter, supposito præcepto ex parte actus primi, potentia ad omissionē rei præceptæ debet esse potentia ad coniungendam illam omissionem cum præcepto; quia vbi præceptum supponitur ex parte actus primi, nequit voluntas ponere omissionem rei præceptæ in sensu diviso illius præcepti: nam potentia libera ad omittendum actum, non est potentia libera ad omittendum illum in sensu diviso actus primi proximi ad oppositū, sed dumtaxat in sensu diviso actus oppositi, & causalitatis ad ipsum. Iam vero notitia præcepti præcedens actum obedientiæ, nec est actus ipse obedientiæ, nec est causalitas ad illum; sed se tenet ex parte actus primi: ergo nequit voluntas omittere actum præceptum in sensu diviso illius notitiæ, sed tantum in sensu composito.

SECTIO QVINTA.

Diluitur obiectio quædam.

25 SED obijciet quis in favorem sententiæ Thomistarum, posse Christum moveri ad operandum libere à cognitione de se connexa essentialiter cum existentia operationis liberę: Christus enim potest operari ex intentione conformandi se cum voluntate Patris: cum ergo Pater habuerit voluntatem efficacem, vt Christus acceptaret mortem, & Christus eam cognoverit per scientiam infusam, vel beatam, essentialiter connexam cum existentia illius decreti, & consequenter cum existentia operis præfiniti, consequens est, vt potuerit moveri ad acceptandā mortem à cognitione essentialiter connexa cum existentia illius acceptationis: ergo quamvis cognitio præcepti sit in Christo essentialiter connexa cum obseruatione præcepti, poterit moveri ad illam, & constituere actum primum.

26 Respondeo, implicatorium esse, quod cognitio Christi infallibiliter terminata ad existentiā decreti præfinientis acceptationē liberam mortis pro aliquo instanti, v.g. pro A. possit movere ad acceptationem illam pro illo instanti: nā actus primus constitutus per illam cognitionem esset contrarius ipsi præfinitioni: nam præfinitio illa efficaciter amat acceptationem mortis per media om-

no indifferentia ; & per actum primum constitutum per carentiam omnis formæ connexæ essentialiter cum alterutro ex extremis contradictionis determinate. At actus primus constitutus per cognitionem infallibilem illius decreti est essentialiter cõnexus cum vno extremo determinate : ergo &c.

27 At contra insurges : nam Christus ab instanti suæ Conceptionis per scientiam beatam cognoscebat voluntatem efficacem Patris, quod poneret animam suam pro hominibus, iuxta illud Psalmi 39. quod Paulus ad Hæbreos 10. explicat de Christo ingrediente in „ mundum : Sacrificium, & oblationem „ noluisti, aures autem perfecisti mihi: „ tunc dixi: ecce venio, vt facerem volũ„ tutem tuam ; Deus meus volui, & le„ gem tuam in medio cordis mei. Eam autem cognitionem de voluntate Patris etiam habuit in illo instanti, pro quo vrgebat præceptum : ergo ab illa permotus est ad adimplendum præceptum Patris. Nam si ingrediens in mundum permotus est ab illa cognitione vt se offerret Patri ad tustinendos passionis, & Crucis labores: ergo in ipso instanti, in quo vrgebat præceptũ permotus est ab illa cognitione ad hanc acceptationem.

28 Confirmatur primo : nam præceptum acceptandi, vel non acceptandi mortem videbatur vrgere in ipso passionis tempore, quando nimirum in hortum venerunt milites comprehendere Iesum. Tunc autem Christus cognoscebat voluntatem efficacem Patris, vt colligitur ex illis verbis Christi. Ioannis 18. vers. 11. *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et Mathei 26. 52. Coverte „ gladium tuum in locum suum ; an pu„ tas, quia non possum rogare Patrem „ meum, & exhibebit mihi modo plus„ quam duodecim legiones Angelorum? „ Quomodo ergo implebuntur scriptu„ rę, quia sic oportet, fieri? Ergo Christus ex intentione implendi voluntatem efficacem Patris à se cognitam, & verificandi scripturas voluit non impedire mortem suam tunc, quando vrgebat præceptum : ergo motus est ad observandum præceptũ à cognitione essentialiter connexa cum illa observatione.

29 Respondeo scientiam beatam de existentia præfinitionis efficacis Dei circa acceptationem liberam mortis ponendam à Christo in instanti A. v.g. potuisse movere Christum in instantibus antecedentibus, vt desideraret, habere illam acceptationẽ pro instanti A. non potuisse tamẽ movere immediate ad ipsam acceptationem, quam repræsentabat vt existentem in A. vt evincit ratio à nobis assignata. Et illud primum ad summum probãt authoritates adductæ, non autem secundum.

30 Ad rationem vero respondeo, Christum quidem in instanti, quo observavit præceptum, vidisse per scientiam beatam præfinitionem efficacem illius observationis, non tamen pro priori naturæ ad illam observationẽ : nam præfinitio efficax operis liberi, licet antecedat collationem auxilij, tamen est consequens ad operationem præfinitam. Vnde Christus videbat voluntatem Patris in signo posteriori ad observationem præcepti, vel concomittanter cum illa.

31 Alia est ratio de voluntate antecedenti præceptiva, vel consultiva; hanc enim cognoscebat Christus in signo indifferentiæ ad observandũ præceptum. Cæterum talis cognitio non erat essentialiter connexa cum observatione præcepti ; quia voluntas signi, qualis est voluntas consiliativa, vel præceptiva non habet connexionem cum obiecto amato: alioquin fierent omnia, quæ Deus cunsulit, & præcipit : nec in Christo habet hanc connexionem : nam humanitas Christi attentis principijs proximis, potuit peccare, & peccando impedire existentiam vnionis hypostaticæ, vt probavi sect. 2. possuntque authoritates in obiectione adductæ exponi de voluntate præceptiva, vel consiliativa; non autem de voluntate prefinitiva opetis.

DISPV-

DISPVTATIO XXXII.

DE NATVRA, ET ESSENTIA VIRTVTIS POENITENTIAE.

Ad quæſt. 85 3. par.

SECTIO PRIMA.

An pœnitentia ſit proprie virtus
Ad art. 1. quæſt. 85.

1 VERA, & communis Theologorum ſententia affirmat contra aliquos, quos citat Bonaventura in 4. diſt. 14. & probatur: nam ſecundum Philoſophum 2. Ethicorum: virtus eſt habitus electivus ſecundum rationem; quod convenit pœnitentiæ; nam tunc habitus eſt eiuſmodi, quãdo actus, in quos inclinat ſunt rectæ rationi conformes: actus autem, in quos inclinat habitus pœnitentiæ hoc habent, quia de illis datur præceptum, vel conſilium: item quia (vt in præſenti D. Thomas) pertinet ad rectã rationem, vt quis doleat, de quo dolendum eſt, & eo fine, & modo, quo dolendum eſt: quod obſervatur in pœnitentia: nam pœnitens aſſumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione ea remo, vendi.

2 Sed obijcies primo: actus virtutis debet eſſe electio voluntatis, dolor autem, ſeu triſtitia de peccatis præteritis, non eſt electio voluntatis, ſed paſſio appetitus ſenſitivi: ergo &c. Reſpondeo, duplicem eſſe triſtitiam de peccato præterito, aliam ſpiritualem ab organo corporali independentem; aliam materialem provenientem ab appetitu ſenſitivo, & afferentem ſecum corporalé tranſmutationem, v.g. contractionem cordis. Actus ergo elicitus à virtute pœnitentiæ eſt prior illa triſtitia, quæ nihil aliud eſt, quam diſplicentia quædam circa malum peccati apprehenſum, & præſens cum inquietudine quadam, & anxietate.

3 Sed dices: diſplicentiam iſtam eſſe omnino neceſſariam, vt indeliberatam, quia ex apprehenſione mali proprij vt præſentis neceſſario conſequitur triſtitia, ſicut ex apprehenſione boni neceſſario conſequitur gaudium: ergo triſtitia illa non eſt ſtudioſa, prout oportet ad rationem virtutis. Reſpondeo, vt triſtitia illa ſit opus ſtudioſum, & meritorium, ſatis eſſe quod ſit in poteſtate virtutis ratione alterius actus, à quo dependet, vt docet P. Vazquez 1. 2. diſp. 14. num. 11. & patet à ſimili invidię, quæ nihil aliud eſt, quam triſtitia de bono alterius, quatenus minuit bonum propriũ: hæc enim non eſt immediate in poteſtate voluntatis; ſed neceſſario conſequitur amorem propriæ excellentiæ vltra debitum modum, qui eſt ſupervia. Et tamen hoc ſufficit, vt invidia ſit peccatum. Si autem quæras, quinam ſit ille actus ratione cuius triſtitia de peccato imputatur voluntati? Reſpondeo eſſe volitionem liberam conſiderandi motiva inducentia ad triſtitiam: liberum enim eſt voluntati alio mentem avertere, & ſic ſuſpendere affectum triſtitiæ.

4 Obijcies ſecundo: iuxta Philoſophum 4. Ethicorum cap. 9. verecundia non eſt virtus, ſed paſsio laudabilis, quia ſupponit turpe factum, de quo quis erubeſcit. *Pudor* (inquit Ariſtoteles) *probi Viri eſſe non poteſt, cum ob malas res exoriatur.* Sed etiam pœnitentia ſupponit turpe factum, de quo quis pœnitet: ergo &c. De hoc argumento varia à varijs dicuntur. Patet Vazquez ingenue fatetur erraſſe Ariſtotelem in excludendo verecundiam à ratione virtutis, eo quod peccatum ſupponat, atque huius erroris fundamentum fuiſſe, quia Ariſtoteles exiſtimavit, eſſe connexas virtutes, & tunc demum perveniſſe hominem ad ſtatum virtutis, cum omnes ſimul habet, vt iam deinceps peccare non poſsit.

5 Sed quidquid ſit de Ariſtotelis mente, Sanctus Thomas in præſenti diſcrimen aſsignat inter pœnitentiam, & verecundiam; *Quod verecundia* (inquit) *reſpicit turpe factum vt præſens, pro quo quis timet confundi; pœnitentia*

tentia vero præteritum : est autem contra perfectionē virtutis, quod quis habeat de præsenti turpe factum, de quo oporteat illum verecundari. non est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis prius commisserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.

Quæ ratio non sic intelligenda est, vt verecundia respiciat determinate turpe factum præsens, & non possit præteritum; hoc enim est falsum: sed quia respicit non solum præteritum; sed etiam præsens; pœnitentia vero præcisè præteritum: repugnat autem virtuoso habere turpe præsens, non autem habuisse. Sic exponit hanc rationem Caietanus 2. 2. quæst. 144. art. 1.

6 Quamvis autem sic expositā eludat argumentum, quod contra illam confecit in præsenti P. Vazq. adhuc tamē potest infringi: quia licet non cohæreat aliquem esse virtuosum simpliciter, & habere præsens turpe factum: tamen optime cohæret elicere actum virtutis in vna materia, & simul graviter delinquere in alia: nam peccatum contra castitatē, v.g. optime cohæret cum actu virtutis in materia iustitiæ: si ergo aliud non obstaret, optime posset verecundia consistere cum turpi facto, & tamen esse actus virtutis simpliciter, & absolute laudabilis.

7 Cardin. de Lugo disp. 1. de pœnit. ait propterea verecundiā non esse virtutē quia eius actus non est efficax circa suum obiectum: nam licet sit timor infamiæ, quæ ex turpitudine oritur, non tamen est fuga efficax; sed talis cū qua potest stare amor efficax ipsius turpitudinis: ide ratione vero actus virtuosi est, quod ita efficaciter feratur in obiectū honestū, vt non possit simul voluntas velle efficaciter turpitudinē oppositam: quis enim dicat esse castum illum, qui habet displicentiā aliquam inefficacem circa luxuriam, si tamen simul habet voluntatem efficacem peccandi contra castitatem.

8 Sed contra: quia verecundiæ actus est efficax circa suum obiectum, nempe circa infamiā, cuius est timor, hanc enim respicit pro obiecto, peccatū vero dumtaxat vt occasionem: quanquam ergo possit cōponi cum amore efficaci facti turpis, de quo quis erubescit, non sequitur esse displicentiam inefficacem sui obiecti: nam respectu infamiæ, cuius est timor, odium efficax est.

9 His ergo prætermissis, duplex disparitas assignari potest. Prima sit; ideo pœnitentiam esse virtutem, non autem verecundiam, quia dolere de peccatis præteritis, cadit sub electionem: non autem erubescere coram alijs ob turpe factum: nam verecundi absque vlla libertate, rubore suffunduntur ob detectum crimen; quod non magis potest per se loquendo spectare ad virtutem, quam pallere in repentino periculo. Secunda sit: quia licet id caderet sub electionem, non idcirco foret virtus: nam verecundia est timor infamiæ ob turpe factum: timere autē ignominiā, quam quis meretur non est per se laudabile, maxime cum timor iste non tollat turpitudinem, ob quam suscipitur, sed cum illa cohæreat. Et confirmatur; nam timor ille provenit ex affectu erga propriam æstimationem, & honorē, quod est motivū de se indifferens, & nisi ametur secundum regulam alicuius virtutis, non tribuit laudabilitatē actui; vt si quis æstimationem propriam amet, vt cum maiori fructu saluti proximorū incūbat.

SECTIO SECVNDA.

An pœnitentia sit virtus specialis.

10 ALTISIODORENSIS, Rubion, & alij apud Amicum in præsenti docent non esse aliquam virtutem pœnitentiæ, ad quam specialiter spectet dolere de peccatis, & eorum destructionem intendere: sed generaliter vnamquamque virtutem habere vim inclinandi ad dolorem de peccatis sibi oppositis, & conandi in destructionem eorum, ac proinde pœnitentiam esse virtutem generalem complectentem aggregatum omnium: quia vnaquæque est pœnitentia, quatenus inclinat ad delenda peccata sibi opposita. Probatur autem hæc sententia primo: quia ad eundem habitū pertinet fugere malum aliquod, eiusque destructionem intendere, ad quem pertinet prosequi bonum, cui malum illud opponitur; sed ad quamlibet virtutē pertinet prosequi bonum alicui peccato oppositum: ergo ad quamlibet pertinet fugere peccatum illud, eiusque destructionem intendere. Secundo, quia virtus specialis non potest opponi omni vitio, quia sicut respicit bonum aliquod speciale, à quo specificetur, ita respicere debet malum aliquod speciale, cui opponatur: at pœnitentia opponitur omni vitio, cum quodlibet sit eius obiectum: ergo pœnitentia non est specialis virtus.

Hæc

11 Hæc tamen ſententia iam antiquata eſt, facileque reijcitur: quia qui multa peccata commiſit, v.g. contra caſtitatem, iuſtitiam, & religionem, poteſt de his omnibus dolere, quin attendat ad peculiaria motiva illarum virtutum, contra quas peccavit: ergo aſſignanda eſt aliqua virtus particularis, quæ ex motivo vniverſali poſsit deteſtari omnia peccata; & quidem ſi ad vnamquamque virtutem vnice ſpectaret dolor de peccato cõtra ipſam, ſequeretur non poſſe hominem deteſtari peccata omnia niſi ſimul exercendo actus omnium virtutum, quod tamen naturaliter contingere non poteſt, quia fieri non poteſt, vt in eodem inſtanti attendat quis ad obiecta motiva ſingularum virtutũ, & erga illa afficiatur per tot actus ſpecie diſtinctas. Quapropter ſententia communis Theologorũ docet, dari virtutem particularem, quæ ſub ratione vniverſali poſsit reſpicere omnia peccata, eorumque deſtructionem intendere. Quodnam autem ſit obiectum eius formale poſtea dicendum erit.

12 Nec oppoſita fundamenta vrgent. Ad primum admitto, quamlibet virtutẽ intendere deſtructionem peccati ſibi oppoſiti ex motivo ſuo peculiari, non tamẽ ex motivo vniverſali. Vnde aſsignãda eſt aliqua virtus particularis, quæ deteſtetur peccatũ quodlibet ſub motivo communi ad reliqua, & quæ proinde tendat, vt homo bene vivat abſolute, & in omni materia, & non tantum temperare v.g. Ad ſecundum dico, non poſſe vnicam virtutẽ opponi omni vitio ſub motivo ſpeciali, ſub quo vnum vitium diſtinguitur ab alio, & ſingula opponuntur diverſis virtutibus; bene tamen ſub motivo vniverſali, quo pacto charitas opponitur omni peccato, quatenus diſplicenti Deo.

SECTIO TERTIA.

An pœnitentia ita ſit virtus ſpecialis, vt diſtinguatur à reliquis.

13 QVAMVIS ſect. præcedenti conſtiterit pœnitentiam eſſe virtutem ſpecialem; dubiũ ad huc manet, an ſit virtus diſtincta à charitate religione, iuſtitia, & alijs, an vero cũ aliqua ex illis realiter identificetur.

14 Prima ſententia eſt Scoti, Aureoli, Mayor. Durandi, Marſilij, & Gabriel. in 4. diſt. 14. & Caiet. 3 p. q. 85. art. 2. qui negant pœnitentiã eſſe virtutem à cæteris diſtinctam, illamque revocant, vel ad iuſtitiã ſimpliciter quatenus hęc actũ pœnitentiæ recõpenſat iniuriã Deo per peccatum illatam, vt Durand. & Marſil. vel ad iuſtitiam vindicativam, quatenus peccator vt miniſter Dei vindicat in ſeipſo culpam contra Deum cõmiſſam, vt Scotus, Aureol. & Gabr. vel ad religionem, quatenus honorẽ Deo debitũ per peccatum ſublatum reſtituit, vt Caietanus; vel ad charitatẽ, quatenus ex complacentia Dei deteſtatur peccatũ vt malum, & offenſam Dei: eiuſdem quippe virtutis eſt diligére obiectum, & deteſtari oppoſitũ, vel ad obedientiam, quatenus ſatisfacit pro peccato contra divinam legem commiſſo; vel ad ſpẽ, quatenus odit peccatũ vt privativum æternæ gloriæ, & cauſativum æternæ pœnæ,

15 Secunda ſententia præcedentibus affinis poteſt eſſe, tot eſſe virtutes pœnitentiæ ſufficientes ad delenda peccata, quot ſunt motiva vniverſalia, quibus poteſt peccator inclinari ad dolorem ipſorum; ac proinde charitatem eſſe pœnitentiam, quatenus poteſt movere ad dolorem de peccatis, vt contrarijs Dei beneplacito: & ſpem, quatenus poteſt movere ad dolorem de peccatis vt contrarijs conſecutioni æternæ ſalutis, & obedientiam, quatenus inclinat ad doloręde peccatis vt contrarijs Dei præcepto: ſicut enim obedientia habet pro materia omne opus præcepti ſub illa ratione formali, quatenus eſt ex præcepto Superioris, & ſic conſtituitur ſpecialis virtus, vt conſtat ex D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. Sic etiã habere poteſt pro obiecto, quod odio proſequatur, & de quo cõmiſſo doleat, omne peccatum, quatenus eſt contra præceptum. Et quidem cum pœnitẽtia præcipuus actus ſit dolor de peccatis præteritis: ſanè ſicut hic dolor poteſt eſſe ex multiplici motivo; ita pœnitentia multiplex eſſe debet.

16 Tertia & communior ſententia Theologorum cum D. Thom. 3 p. q. 85. art. 2. agnoſcit virtutẽ ſpecialẽ pœnitentiæ diſtinctã ab omnibus Theologicis, & moralibus, quæ communiter circunferũtur. Ita è noſtris Pater Valentia, Suarez, Vazquez, quos ſecuti ſunt Coninch, Lugus, Amicus, Dicaſtillo, & alij plures apud ipſos. Qui Authores non diffitentur poſſe charitatem, ſpem, & obedientiam appellari pœnitentiam quatenus elicere poſſunt contritionem de peccatis præteritis ſub motivo vniver-

sali: asserunt tamen præter istas assignandam esse aliam virtutem peculiarem, quę ex proprio munere sit, & dicatur pœnitentia. Quæ sententia bifariam probari solet, primo impugnando sententias iam relatas: secundo explicando motivum peculiare huius virtutis. Non immoror nunc in priori capite, quia ex dicendis in confirmationem nostræ sententiæ, oppositæ impugnatæ manebunt. Transeamus ergo ad secundum.

SECTIO QVARTA.

Referuntur Doctorum sententiæ circa motivum virtutis specialis pœnitentiæ.

17 IN eo assignando mira est Authorum varietas: ad duas principales classes reducuntur eorũ placita. Prima est eorũ qui asserunt motivum virtutis pœnitentiæ supernaturalis (de qua nunc loquimur) essentialiter supponere peccatũ vt commissum â propria voluntate pœnitentis; nullumque proinde posse efficere actum, qui peccatum non supponat. Hi autem sunt S. Thom. hac quæst. 85. art. 2. Canus relectione de pœnitentia p. 2. ad 1. P. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 2. punct. 1. Vazq. hic num. 22. citans Scotum, Granadus controv. de pœnitentia tract. 2. disp. 3. num. 3. & apud ipsum Henriq. & Ricard. Noster Antonius Perez in manuscriptis, & alij non pauci. Secunda classis est eorum, qui asserunt motivũ pœnitentiæ complecti omnia peccata, tam cõmissa, quam non commissa; ac proinde illã posse exercere actus non supponentes peccatum, quanquam nomen pœnitentiæ non habeat propter hos actus, sed propter illos, quos elicit circa peccatum commissum. Ita P. Suar. hac quæst. 85. in commentario articuli secundi, quem sequuntur Lugo, Amicus, Hurt. Mart. Perez, Dicast. Martinon, & alij multi. Iuxta primum placitum pœnitentia similis est medicinæ præcisè vim habenti curandi morbos contractos, iuxta secundum medicinæ insuper vim habenti præservandi ab alijs, & respicienti vt finem sanitatem, quæ per accidens potest supponere morbum.

18 Primæ sententiæ Authores re ipsa conveniunt in assignando motivũ huius virtutis, licet sub diversis terminis illud explicent; asseruntque primariũ eius munus esse emendare peccatum commissum contra Deũ, seu compensare offensam per condignam eius retractationem, & satisfactionẽ, qualem potest homo divinæ gratiæ auxilio adiutus exhibere. Quam sententiã postea latius exponem. At secundæ sententiæ Authores ita inter se sunt diversi, vt vix vnus alteri consentiat, eoque res est deducta, vt aliqui putent quęstionem esse de nomine.

19 P. Suar. in præsenti disp. 2. sect. 3. n. 4. supponens quodlibet peccatũ mortale esse proprie, & stricte Dei iniuriam, docet virtutem pœnitentiæ esse iustitiam quandam hominis ad Deum proprie, & stricte talẽ, cuius munus sit reddere Deo ius suum, sive illud nunquã lædendo, sive lęsum reparando; distinctã tamen ab illa, qua homo obligatur alteri homini, quia respicit ius longe excellentius, cui nunquam homo potest reddere æquale. Alij autem, qui negant peccata nostra esse iniurias Dei stricte dictas, & dari in nobis iustitiã strictam respectu Dei, affirmant obiectum formale pœnitentiæ esse æqualitatem quandam cum Deo, qualis reperitur in amicitia, & in qualibet virtute ad alterum, quæ deficit à rigore iustitiæ.

20 Hanc ęqualitatẽ Card. de Lugo qui non de omnib⁹ peccatis, sed ad aliquibus concedit esse iniurias Dei, constituit disp. 2. de pœnitentia sect. 4. in hoc quod est habere pacem cum Deo, seu non habere Deũ rationabiliter aversum, & indignatũ. Itaque pœnitentia iuxta hunc Authorem inclinat ad habendã pacẽ cum Deo, seu ad vitandam eius offensam, illamque tollendã omnibus modis, quando posita est; cuius obiectũ formale est bonitas pacis cum Deo, seu non habere Deũ aversum, & indignatũ; cum autem Deus omnibus peccatis offendatur, ea omnia odio habet hæc virtus sub ea ratione formali, quia offensa Dei sunt, & omnia illa conatur tollere, vt iterum habeat Deũ placatum, & placatum, & ideo dicitur virtus reconciliativa, quia tendit ad hoc vt Deum aversum nobis reconciliet.

21 Vt autem hanc sententiam explicet, distinguit offensam ab iniuria, aitque istam esse contra ius strictũ, quod quis habet in res suas; offensam vero non semper esse contra ius; ac proinde non semper includere iniuriã. Nam si Petrus nolit Paulo amico valde indigenti mutuare librũ, quo ipse non indiget, illum offendit, iustã prębẽdo aversionis causã; & tamen iniuriã ei non infert, vtpote non habenti ius ad librum. Rursus si Petro amico librum subripias, simul illi iniuriam, & offensam infe-

inferes; reſtituto tamen libro, tollitur iniuria, licet maneat offenſa, quia adhuc manet rationabilis cauſa offenſionis, quæ data fuit per furtivã ſubreptionem libri, quare iniuria tollitur per reſtitutionem, offenſa vero per aliam virtutẽ, cuius munus eſt inclinare ad non dandam alteri rationabilem indignationis cauſam, ad illamque tollendam per condignam ſatisfactionẽ, ſi data fuit. Quod ſi hæc virtus reperitur inter homines, reperiri à fortiori debet inter hominem, & Deum, etſi enim dũ homo peccat ſtricte iniuriã Deo non inferat, quæ per reſtitutionem reſarcire debeat; præbet tamen illi iuſtam indignationis cauſam, ad quam præcavendam, & tollendam poni debet ſpecialis virtus, quæ merito pœnitentia appellatur, quia tendit ad placandum Deum, quem homo peccando offendit.

22 Pater Amicus diſp. 1. de pœnitentia aſſerit pœnitentiam reſpicere ius divinum, quod Deus habet vt prima regula in omnes noſtras actiones morales, ne lædatur per deformitatẽ earum, & vt læſum reſarciatur per retractationẽ præcedentiũ, & conformitatẽ ſubſequentium actionũ. Deꝰ enim vt prima regula omnis moralis honeſtatis habet ius, ne morales actiones creatę difformentur recto dictamini, quod ipſe de huiuſmodi actionibus habet, cui dictamini neceſſario difformãtur omnes actiones peccaminoſæ: hoc autem ius eſt diverſum à reliquis, quæ Deꝰ habet vt primũ principiũ, vltimus finis, ac ſupremus legislator, ac proinde pœnitentia, quæ reſpicit hoc ius debet eſſe diverſa à virtutibꝰ reſpicientibus alia iura. Sicut enim Deus vt primum principium fundat ius ſupremi dominij, cui debetur ſupremus cultus, pro quo exhibendo ponitur religio; & vt ſummũ bonũ fundat ius vltimi finis, cui debetur amor ſuper omnia, pro quo ponitur charitas: & vt ſuprembꝰ legislator fundat ius ſupremi gubernatoris, cui debetur ſumma obſervantia præceptorũ, pro qua ponitur obedientia; ita vt prima regula omnium moraliũ actionũ fundare debet peculiare ius imitabilitatis, & exemplabilitatis, cui debetur perfecta conformitas noſtrarum operationũ moralium, & huic iuri debet reſpõdere peculiaris virtus nẽpe pœnitentia.

23 Alij dicunt obiectum formale pœnitentiæ eſſe bonũ contrariũ peccato non retractato, aut non emendato, quę virtꝰ primo inclinat ad non peccandũ: ſecundo ad retractandũ ſi peccaveris, quia vtroque modo vitatur malũ peccati non retractati. Alij demum affirmare poſſunt obiectum pœnitentiæ formale eſſe animæ ſanitatem coalleſcentẽ ex cumulo omniũ virtutum, quam poteſt obtinere homo, vel conſervando ſe innocentem, vel reparando innocentiam amiſſam, & ſic facile poſſent excogitari aliæ ſententiæ.

24 Ex hac ſententiarum varietate conſtat, Authores huius ſecundæ claſis non aſsignare virtutẽ ſpecialẽ, cui potiori titulo quam charitati, ſpei, vel obedientiæ conveniat pœnitentię ratio: nã iuxta ipſos iſtæ virtutes poſſunt, ſuppoſito peccato, elicere de illo & propoſitũ efficax deinceps non peccandi non minus, quam virtus illa quam vnuſquiſque illorum pœnitentiam ſpecialẽ appellat, & aliunde nõ minus iſta, quam illæ poteſt habere actus independentes à peccato: cur ergo potius iſta, quam illæ dicenda erit pœnitentia? De re igitur ſolum poteſt controverti cũ his Authoribus, an detur virtus illa quã quiſque illorum appellat virtutem pœnitentiæ, & an motivum illius diſtinguatur à motivo reliquarum: & hoc non ſpectat ad hunc locum ſed ad ſecundam ſecundę ad tractatum de virtutibus.

25 Quapropter, vt ego arbitror, punctum huius loci, & ſane difficile eſt, an detur aliqua virtus, cuius vnicum munus ſit inclinare ad emendanda peccata præterita, & quæ in omni ſuo exercitio ſupponat eſſentialiter peccatum: nam ſi hæc detur abſdubio erit illa, quam Patres, & Theologi pœnitentiam appellant; ſi autem non detur, incertum erit cui potiſsimum pœnitentiæ nomen conveniat.

SECTIO QVINTA.

Datur ſpecialis virtus pœnitentiæ in omni actu eſſentialiter ſupponens peccatum à pœnitente commiſſum.

26 DIXI *in omni ſuo actu*, quia certũ eſt ipſum habitũ ſupernaturalem pœnitentiæ non ſupponere peccatum commiſſum, ſicut illud non ſupponit gratia, cum qua ſimul infunditur. Hanc concluſionem tenet Authores citati initio ſectionis præcedentis. Probatur autẽ à priori: quia vbi datur ſpecialis honeſtas annexam habens ſpecialẽ difficultatẽ, aſsignari debet ſpecialis virtus, quę illam honeſtatem reſpiciat vt finẽ, eamq; difficultatẽ vincat. At in eo quod quis per proprios actus conetur

tur ad delenda peccata, quæ contra Deũ commisit, illaque expiare contendat, Deũque sibi infensum placare, & reconciliare, specialis honestas relucet, specialisq; difficultas: ergo debet assignari specialis virtus, quæ hanc honestatẽ, & difficultatem respiciat vt finem, à quo moveatur in exercitio suorum actuum. Quę sane virtus nulla alia esse potest, quã pœnitentia quæ ex proprio munere tendit ad emendanda peccata, & reconciliandum peccatorem cum Deo.

27 Minor est certa; quia vt inquit Philosoph. 2. Ethicor. cap. 3. *Virtus est circa honestum difficile*; constatque ex communi sensu Theologorum, qui virtutes distingunt pro diversitate honestatum, quas respiciunt. Minor quoad specialem honestatem constat: quia absdubio per se honestum, ac laudabile est, quod quis Deum sibi iratum reconciliare conetur, eiusque offensam suo modo per proprios actus compensare velit. Rursus hęc honestas specialis est, cum à nulla alia virtute respiciatur, vtpote supponens essentialiter peccatum à penitente commissum. Vnde merito D. Thom. in præsenti, art. 2. dixit in pœnitentia reperiri specialem rationem actus laudabilis, scilicet cooperari ad destructionem peccati Quoad difficultatem vero suadetur, quia specialiter difficile est, quod quis electionem semel factam reprobet, & de illa doleat, & in seipsum sęviat, & quod postquam expertus est peccati illecebras, & blandimenta, ipsum efficaciter detestetur. Quę ratio magis explicabitur solvendo obiectiones, quæ contra illam fieri possunt.

28 Obijcies ergo primo cum Caietano hac quæstione 85. in comentatio art. 2. nulla virtus est, quæ intrinsece supponat suum contrarium in subiecto proprio, sed contrarium pœnitentiæ est peccatum: ergo virtus pœnitentiæ non potest intrinsece supponere peccatũ in subiecto, *Et hæc ratio*, inquit ille, *convincit meum intellectum*. Confirm. 1. quia alioqui non posset homo pervenire ad cumulum virtutum, nisi prius peccando, quia semper deesset ei virtus specialis pœnitentię. Confirm. 2. quælibet virtus habet inclinationem innatam ad exercitiũ suorum actuum: ergo si ad exercitium virtutis pœnitentiæ est necesse præexistere peccatum, pœnitentia inclinabit ad peccandum: nam virtus inclinans ad consecutionem finis debet inclinare ad existentiam medij prærequisiti.

29 Respondeo distinguendo maiorem: vt præsens, concedo, vt præteritum, nego. Etsi enim contra rationem virtutis sit indigere præsentia sui contrarij, non tamen exigere quod præcesserit; aliqua enim virtus ordinata est ad emmendandam culpam præteritã, & hoc ipso in sui exercitio illam debet supponere aliquando cõmissam. Sicut enim datur virtus quædam ad tuendam bonam valetudinem animi: ita assignari debet virtus quædam ad eam reparandam, si quando fuerit amissa. Ponitur enim hæc virtus in homine iusto sicut quoddam medicamentum præparatum pro casu, in quo ille lapsus fuerit in peccatum veniale tanquam in morbum quendam, & sicut iracundia in animali, cuius nullus est vsus ante læsionem, & dolorem illatum, & tamen ei indita est à natura, vt si forte lædatur, damnum reparet, & vindictam sumat, & sic invasionem inimici coerceat. Et quidem sicut iustitia vindicativa supponit peccatum commissum ab alijs, ita pœnitentia in sui exercitio supponere debet peccatum commissum ab ipso pœnitente.

30 Hinc ad primam confirmationem respondeo absurdum quidem esse, quod nequeat homo pervenire ad cumulum omnium virtutum infusarũ, quin prius peccet: nam virtutes infusæ gratiam committantes in sui existentia non pendent à peccato: absurdum tamen non esse, quod aliqua virtus nequeat pervenire ad suum exercitium, quin homo prius peccaverit. Et ratio est, quia exercitium talis virtutis non est absolute necessariũ, vt quis simpliciter perfectus sit; sed solũ conditionate, & ex suppositione quod inciderit in peccatum.

31 Ad secundam confirmationem respondeo, idem argumentum fieri posse, quamvis pœnitentia haberet actus independentes à peccato: nam iuxta omnes habet saltem aliquos actus essentialiter supponentes peccatum, in quos inclinat, quin inclinet in illum. Ratio autem est: quia illa inclinatio non est absoluta, sed conditionata. Virtus autem inclinans in consecutionem alicuius finis solum sub conditione quod præexistat peccatum, non est necesse, vt in illud inclinet.

32 Obijcies secundo: eadem virtus iustitiæ, quæ inclinat ad resarciendum damnum proximo illatum, inclinabat antea ad non inferendũ: ergo eadem

virtus,

virtus, quæ hominem inclinat ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa commiſſa, inclinabat antea ad non committendam offenſam illam. At virtus pœnitentiæ inclinat ad illum primum: ergo & ad hoc ſecundum: ergo non ſupponit eſſentialiter peccatum commiſſum. Confirmatur: nam ſi peccatum quodvis eſt ſtricta Dei iniuria, vt Pater Suarez, & alij arbitrantur, tranſacto peccato, remanebit in homine obligatio iuſtitiæ ad ſatisfaciendũ Deo pro iniuria illata: proindeque aſsignari debet virtus iuſtitiæ ad hanc ſatisfactionem inclinans; & cum hoc ſit munus proprium pœnitentiæ, erit hæc ſtricta quædam iuſtitia hominis ad Deum: ſicut ergo iuſtitia hominis ad hominem obligat ad non lædendum ius alterius; & ipſamet obligat ad reſarciendam læſionem iuris; ita iuſtitia illa hominis ad Deũ obligabit ad non lædendum ius divinum, illudque reſarciendum per contritionem, & vitæ mutationem ſi fuerit læſum.

33 In primis hoc argumentum pari vi probat non dari aliquam virtutem ſpecialem pœnitentiæ: nam ſi ad eundem habitum pertinet præcavere malum, ante quam eveniat, & illud reparate poſt quam evenerit, certe emendatio totius collectionis peccatorũ pertinebit ad collectionem omnium virtutum, ſiquidem ad vnamquanque ſpectat præcavere peccatum ſibi oppoſitũ, vnde collectio omnium inclinat ad cavendam collectionem omnium peccatorum.

34 Reſpondeo igitur eiuſdem virtutis eſſe illæſionem iuris alieni, & reſtitutionem, quia vterque actus eundem reſpicit finem, idemve obiectum formale, nempe æqualitatem, quæ eſt medium inter damnum, & lucrum, dicitur autem lucrum à Philoſopho, quod cuique contingit vltra id, ad quod habet ius, damnum vero quod cuique deeſt ex ijs ad quæ habet ius, quare plus habere, quam debeas, eſt lucrum, & minus habere, quã debeas, eſt damnum, & hęc ſunt extrema vitioſa, inter quæ iuſtitia ponit medium intendendo vt finem æqualitatem conſiſtentem in eo, ne quis proximo invito, habeat plus quam debet, & ne ille habeat minus, & hanc æqualitatẽ reſpicit formaliter reſtitutio, quatenus eſt actus iuſtitiæ, & eandem reſpicit illæſio iuris alieni, & propterea pertinent ad eandem virtutem.

35 At finis à pœnitentia intentus eſt diverſus ab eo, quem intendunt reliquæ virtutes: eſt enim eius finis delere peccata commiſſa contra Deum, & reparare amicitiam divinam læſam, per cordis contritionem, & vitæ mutationem, ſupponens certam ſpem veniæ: hũc autem finem nulla alia virtus reſpicit, nec ab illo movetur in exercitio ſuorum actuum. Explicatur, & confirmatur ſatis efficaciter: nam propoſitum efficax redeundi ad fontem aquæ vivæ, & relinquendi ciſternas diſcipatas; id eſt redeundi ad Deum bonum incommutabile, & relinquendi bonum commutabile, cui peccando voluntas adhæſerat, eſt actus maxime proprius virtutis pœnitentiæ. At hic actus non elicitur ab illo habitu ſupernaturali, quo inclinamur ad non relinquendum fontem aquæ vivæ pro ciſternis diſcipatis: ergo elicitur ad habitu eſſentialiter ſupponente peccatum commiſſum in exercitio ſuorũ actuum. Probatur minor: nam propoſitum illud elicitum à pœnitentia ſupernaturali eſſentialiter ſupponit ſpem veniæ, & reconciliationis; quam ſpem ante peccatum cõmiſſum non potuimus concipere: nam Deus nulli promiſit ſe daturum ei pœnitentiam, ſi peccaverit, quia hoc eſſet in punitatem polliceri in re graviſsima, quod eſt contra rationem rectæ gubernationis, & contra Patres ſæpe ingeminantes, nobis eſſe promiſſam veniam peccatorum, ſi pœnitentiam egerimus nunquam tamen eſſe promiſſam pœnitentiã, ſi peccaverimus: ergo habitus ſupernaturalis inclinans ad non relinquendum Deum pro peccato, non facit propoſitum efficax redeundi ad Deum, fundatum in ſpe certa, licet poſsit elicere actum conditionatum ſine tali ſpe.

36 Ad confirmationem in primis reſponderi poteſt, ex eo quod peccatum ſit ſtricte iniuria Dei non recte inferri, eo tranſacto, manere in peccatore obligationem ex iuſtitia ad ſatisfaciendum pro illo: ſicut ex eo quod homo ſit obligatus ex iuſtitia ad non occidendum proximum, non ſequitur, quod patrato homicidio, maneat obligatus ex iuſtitia ad reſarciendũ homicidium ipſum. Deinde à poſteriori colligitur non manere in peccatore talem obligationem, quia alioqui teneretur ſtatim poſt peccatum exhibere Deo ſatisfactionem, proindeque peccaret eam differendo: ſicut quia homo ex iuſtitia teneretur ad reſtituendum, peccat differendo reſtitutionem. Quod ſi dixeris illam iuſtitiã hominis ad Deum

non

non obligare peccatorem ad statim satisfaciendum Deo, quia dilatio satisfactionis Deo nociva non est. Eodem iure dici poterit non obligare absolute, quia nec totalis omissio satisfactionis Deo nociva est.

37 Deinde respondetur: etsi homo sit obligatus ex iustitia quadam ad non transgrediendum vllum Dei præceptum, hinc non probari assignandam esse peculiarem aliquam virtutem, cuius munus sit inclinare ad non lædendum ius divinum in vlla materia: nam vnaquæque virtus sufficienter inclinat ad non offendendũ Deum in propria materia: vnde omnes simul sumpte inclinant ad non offendendum in in vlla, & accedente virtute perseverantię satis sunt, vt homo innocentiam conservet. At postquam homo peccavit resultat materia, & finis alicuius particularis Virtutis, quia specialiter honestum, & difficile est quod quis pro peccatis contra Deum commissis compensationem sibi possibilem exhibeat, & Dei iram avertere conetur, ad illumque perfecte convertatur.

38 Denique licet præter reliquas virtutes admitteremus aliquam inclinantem ad non lædendum ius divinũ; hæc tamen esset distincta à virtute pœnitentiæ, vtpotè supponente in exercitio suorum actuum certam spem veniæ, & respiciente diversum finem nempe compensationem pro peccatis, & vitæ mutationem per conversionem perfectam à commutabili ad incommutabile bonum, cuius compensationis honestas independens est ab eo quod detur obligatio iustitiæ ad illam exhibendam.

SECTIO SEXTA.

Soluuntur aliæ obiectiones, & amplius explicatur motiuum pœnitentiæ.

39 OBIICIES tertio. Præcipuus actus pœnitentiæ, & à quo denominationem pœnitentiæ sortitur, est dolor de peccatis præteritis, vt constat ex definitionibus pœnitentiæ adductis in proœmio; at virtus respiciens in finem bonum compensationis pro peccatis, & perfectam vitæ mutationem, atque peccatorum destructionem; non potest elicere dolorem de peccatis: ergo virtus pœnitentiæ non respicit illum finem, sed alium independentem à peccato commisso. Probatur minor: nam ea solum virtus potest elicere dolorem de peccatis, quæ amat bonum, cui peccata opponuntur: nam virtus odio habens peccatum, ideo illud odio habet, quia est contratiũ bono, quod ipsa amat. Sic charitas dolet de peccatis, quia sunt contraria divino beneplacito, quod ipsa quærit. Et spes, quia sunt contraria consecutioni beatitudinis à se intentæ; at peccatum commissum contra Deum non est contrarium bono compensationis, & destructionis peccatorum: immo essentialiter præsupponitur ad illud, cum sit impossibile compensare peccatum, & amicitiam amissam instaurare, quin peccatum præcesserit: ergo virtus respiciens vt finem bonum compensationis, & emendationis peccatorum non potest elicere dolorem de illis.

40 Hoc argumentum non militat contra eos, qui dicunt obiectum formale pœnitentiæ esse bonum pacis cũ Deo, vel bonum æqualitatis cum iure divino, nam huic bono opponitur peccatum, pacem illam, & æqualitatem impediens. P. Vazquez hac quæst. 85. art. 2. num. 57. & 59. ait proprium actum interiorem pœnitentiæ esse actum intentionis, seu imperij, quo quis vult punire, & compensare offensam, hoc est condignam retractationem, & satisfactionem facere, ad id vero præter hunc actum etiam elici à virtute pœnitentiæ odium peccati, quatenus est iniustitia quædam contra Deum faciens nos ipsi inæquales, non ex amore, & complacentia Dei, sed nostri. Quod ipse explicat ibidem art. 3. num. 29. nam sicut iustitia odio habet iniustum, & inæquale factum proximo, non vt malum illius est, sic enim esset amor proximi, & ex complacentia illius esset odium iniuriæ contra ipsum, proindeque spectaret ad benevolentiam, & misericordiam, non autem ad iustitiam, sed quia iniustũ, quod est ad proximum, concipit, vt est contra rationẽ, ac proinde vt est malum sibi; sic etiam voluntas satisfaciendi Deo, & veluti iniuriam cõpensandi elicita à pœnitentia non ex cõplacentia bonitatis Dei, ex qua odio habeamus peccatum vt malum Dei formaliter, quia hoc spectat ad charitatem; sed ex complacentia, & amore nostri: nam per illam voluntatem amamus compensationem, ac satisfactionem pro peccato, quatenus est bonum secundum rationem, & consequenter quatenus est bonum nobis; nobis enim amamus bonum virtueis.

Simili-

Similiter per odium elicitum à pœnitentia odio habemus peccatum, quatenus eſt iniuſtitia quædã, & inæqualitas cũ Deo, non ex complacentia Dei propter ipſũ, ſed ex complacentia noſtri; quatenus apprehendimus illam iniuſtitiam, & inæqualitatem cum Deo, vt malum rationis, & conſequenter vt malum nobis.

41 Ideo autem hic Author docet pertinere ad pœnitentiam odio habere peccatum, vt nobis malum, quia cenſet hoc odium includi in ipſa voluntate ſatisfaciendi Deo pro iniuria, vel certe ex illa inferri, vt conſtat ex art. 2. num. 41. *Cum pœnitentia*, inquit, *amet ſatisfactionem Deo facere pro iniuria, odio habet iniuriam, pro qua ſatisfacit.* Verum hęc ſententia difficilis eſt, quia licet illa voluntas tendat ad deſtruendam perſeverãtiam moralem peccati præteriti, ideoque illã averſetur, non videtur, quo pacto deteſtari poſsit ipſum peccatũ præteritum, quod ex ſe non opponitur huic cõpenſationi, ſed potius eſt neceſſarium adillam. Et hinc reijcienda eſt aliorum reſponſio, qui dicunt, obiectum formale pœnitentiæ eſſe peccatum præteritum vt compẽſabile per actus pœnitentis, proindeque ad pœnitentiam expectare deteſtationẽ talis peccati: hoc enim nihil aliud eſt, quam pœnitentiam reſpicere vt obiectũ formale à ſe amatum compenſationem pro peccato præterito. Id vero non eſt odio habere ipſum peccatum, ſeu nolle vt fuerit, ſed tantum eſt nolle vt perſeveret moraliter; ſeu velle, vt Deus deponat iram, & indignationem conceptam adverſus peccatorem propter peccatum præteritum.

42 Reſpondeo igitur odium peccati præteriti non eſſe actum elicitum, ſed imperatum à virtute pœnitentiæ; nam vt docet D. Thomas hac quęſt. 85. art. 42. ad primum: proprius actus virtutis ſpecialis pœnitentiæ eſt intentio deſtruendi peccatum, & emendandi Deo id, quod contra ipſum peccatum eſt; ſeu propoſitum efficax compenſandi iniuriã Deo illatam per cordis compunctionem, & actiones pœnales: nã finis à pœnitentia intentus, vel eſt delere peccata præterita quoad culpã, & reatũ pœnæ, vel ſatisfacere Deo pro offenſa commiſſa, vel compenſare iniuriam illi illatam. Ad hunc autem finem obtinendum imperat dolorem de peccatis, & alios actus neceſſarios vel vtiles ad huius finis conſecutionem. Et ideo D. Thomas loco nuper citato; „ Si conſideretur (inquit) ſola diſpliceñ„ tia peccati præteriti, hoc immediate „ ad charitatem pertinet, ſed intentio „ operandi ad deletionem peccati præ„ teriti requirit ſpecialem virtutem ſub „ charitate.

43 Contra hanc doctrinam inſurgit Lugo diſp. 2. à num. 44. nam ſi virtus pœnitentiæ reſpicit vt finem bonum compenſationis, & ſatisfactionis pro peccato, ſequitur illam non eſſe per ſe connexam cum dolore peccati: quis autem dicat illum eſſe vere pœnitentem, qui de peccatis cõmiſsis non dolet? Probatur ſequela, quia ſtat bene velle ſatisfacere pro debito, & tamen de illius contractione non dolere: quo pacto gratitudo intendit compenſare beneficia, quin de illis doleat: ergo ſtat bene velle ſatisfacere pro debito contracto ex peccatis, & tamen non dolere de illis.

44 Quod ſi reſpondeas propterea pœnitentiam afferre neceſſario dolorem de peccatis, gratitudinem vero non afferre dolorem de beneficijs, quia dolor de peccatis eſt neceſſarius ad illorum cõpenſationem, dolor vero de beneficijs neceſſarius, immo nec vtilis eſt ad illa cõpenſanda. Contra inſurgit: nam hinc ſequitur defacto quidem dolorem eſſe compenſationem pro peccato, quia Deus voluit ſibi compenſari peccata per dolorem de illis; cæterum id non ſpectare per ſe ad virtutem pœnitentiæ, quia potuit Deus illam compenſationem non exigere, ſed aliam, puta quod peccator daret omnem ſuam ſubſtantiam pro peccato, vel ingrederetur religionem: ergo ſi finis per ſe intentus à pœnitentia eſſet compenſatio pro peccatis, illa ex ſe non magis connecteretur cum compenſatione facienda per contritionem, quam cum alia.

45 Verum hæc non multum vrgent; in primis enim dico pœnitentiæ virtutem non intendere qualemcunque compenſationem pro peccatis, ſed compenſationem conſiſtentem in dolore cordis, & alijs actibus, quibus peccator cõvertatur perfecte à bono cõmutabili ad bonũ incõmutabile, & quibus peccatum præteritũ deſtruatur quantũ eſt ex parte pœnitentis, vnde determinate reſpicit, vel doloré attritionis, vel contritionis. Deinde dico, nec de potentia abſoluta poſſe contingere, vt homo ſatisfaciat Deo pro peccatis, quin de illis vere ipſum pœniteat, eſto Deus ea liberaliter condonare poſsit,

posit, posita eleemosyna, vel alio opere vt conditione: dum enim peccator non destruit actionem offensivam, quantum potest, non satisfacit Deo, adhuc decongruo: non destruit autem, quantum potest, dum non retractat, & detestatur per cordis compunctionem.

46 Objicies quarto: satisfactio ipsa pro peccatis, & conversio ad Deum potissimum consistit in actu contritionis: ergo propositum efficax eliciendi contritionem ad eandem spectat virtutem, ad quam ipsa contritio: sicut in humanis ad eandem virtutem spectat satisfactio quâ quis exhibet alteri pro iniuria, & propositum efficax illam exhibendi. Atqui cõtrictio spectat ad charitatem: ergo & propositum efficax satisfaciẽdi Deo per contritionem; ac proinde non datur virtus specialis pœnitẽtiæ. Respondeo propterea illud in humanis esse verum, quia hominibus satisfacimus per actus externos; hi autem spectant ad eandem virtutem, ad quam actus interni ipsos imperantes. At cum Deo satisfacimus potissimum per actus internos charitatis, & aliarum virtutum, non est necesse, vt propositum eliciendi contritionem pertineat ad eandem virtutem, ad quam contritio, quia potest respicere diversum motivũ, nempe honestatem satisfaciendi Deo, quam contritio ipsa non respicit pro motivo, sed potius divinam bonitatem.

47 Sed replicabis, superfluere virtutem specialem pœnitentiæ pro elicientia illius propositi; nam sicut charitas potest elicere actum contritionis quo fit formaliter satisfactio; ita poterit elicere propositum efficax eliciendæ contritionis: nam quæcunque virtus sufficit ad amandum directe aliquod obiectum, satis est ad amandum amorem illius obiecti ipsumque imperandum. Respondeo: aliud est exercitium alicuius virtutis non esse necessarium ad consecutionem alicuius finis; aliud non esse vtile, ac proinde ipsam virtutem esse superfluam: argumentum ergo concludit non esse necessarium exercitium virtutis specialis pœnitentiæ, vt quis impetret veniam peccatorum congrue satisfaciendo pro illis, eaque compensando: cæterum non concludit superfluam esse virtutem specialem, quæ moveatur ab honestate, quæ relucet in eo quod quis satisfaciat Deo pro peccatis, illaque deleat quantum potest, & hanc honestatem respiciat vt finem: est enim expetibilis per seipsam honestas ista, estque difficilis, quam proinde obtinendam merito assignatur virtus, licet simpliciter ad illam non sit necessaria.

48 Hoc pacto, vt quis diu perseveret in innocentia, non erat simpliciter necessaria virtus specialis perseverantiæ, quia cum vnaquæque ex alijs virtutibus sit sufficiens ad eliciendum propriũ actum in quocunque tempore, certe vt quis per multum tempus temperate comedat v.g. satis est virtus temperantiæ; tamen quia in hoc quod est diu aliquem perseverare in exercitio alicuius virtutis, datur honestas quædam specialis, ea que difficilis, ponitur specialis virtus perseverantiæ, ad quam spectat propositum efficax diu perseverãdi in exercitio reliquarum virtutum, ob honestatem, quæ in hoc ipso relucet, quæ virtus mentem excitat vt exerceat reliquas virtutes, quantum est necessarium ad conservandam innocentiam: similiter ergo in nostro casu, &c.

49 Hinc obiter deudces quando Patres, & Concilia docent actũ pœnitentiæ esse necessarium ad impetrandã veniam peccatorum, non loqui determinate de actu virtutis specialis pœnitentiæ, sed de vera contritione, & proposito emendandi peccata præscindendo ab eo, an proveniat, vel non proveniat ab speciali virtute.

50 Objicies quinto: in Christo, Beata Virgine, & Beatis innocentibus sunt omnes virtutes morales infusæ, ac proinde illa, quæ appellatur pœnitentia: nulla autem virtus est in subiecto penitus otiosa, & quin vllum actum in illo exercere valeat: ergo virtus pœnitentiæ in Christo, Beata Virgine, & Beatis aliquem actum exercet: hoc autem esset falsum, si in omni suo exercitio supponeret essentialiter peccatũ, vel reipsa commissum, vel saltem existimatũ: ergo &c. Respõdeo si absurdum est virtute existere in subiecto, in quo nullum actum exerceat, non extitisse in prætatis subiectis virtutem pœnitentiæ, nec hoc esse absurdum, quia gratia habitualis non debet secum afferre omnes virtutes in quolibet subiecto. Quid autem absolute dicendum sit, constabit sect. sequenti.

51 Objicies sexto: ad pœnitentiam spectat propositum cavendi peccata in futurum non minus, quam dolor de præteritis: poterit ergo istud propositum vel elicere, vel imperare antequam ho-

mo

mo peccet, ac proinde habeat finem non ſupponentem peccata commiſſa, reſpondeo, ſicut pœnitentia imperat dolorem de præteritis, ita imperare propoſitum non peccandi de cætero eo fine, vt peccatum commiſſum deleatur, & indignationem divinam eius inmitu concepta avertat, vel eo fine vt Deo ſatisfaciat pro offenſa illata, ſeu vt iniuriam irrogatam compenſet. Ex eo autem quod in hunc finem propoſitum illud impetes, nunquid deducitur poſſe actum habere non ſupponentem peccatum commiſſum.

52 Sed interrogabis, quem ex his finibus reſpiciat pœnitentia, an finem delendi peccata & avertendi indignationem divinam intuitu illorum cõceptam, an finem ſatisfaciendi pro illis, ea ve cõpenſandi, iſtendo in honeſtate compenſationis? Vel an detur duplex pœnitentia ſpecialis virtus, altera reſpiciens primum finem, altera reſpiciens ſecundum? Reſpondeo hoc eſſe mihi probabilius: nã habitus pœnitentiæ ſupernaturalis ex cõmuni ſententia Theologorum non remanet in peccatore. Vnde actus pœnitentiæ intendens delere peccatum mortale, nequit eſſe elicitus ab habitu pœnitentiæ, cum ſit diſpoſitio ad ipſum recuperandũ in iuſtificatione. Vnde habitus pœnitentiæ ſolum poteſt inclinare ad delenda peccata venialia commiſſa ab homine iuſto, & ad ſummum reatum pœnæ temporalis debitæ peccato mortali iam dimiſſo quoad culpam.

53 Aſſignanda eſt ergo virtus aliqua, quæ vt finem reſpiciat peccata venialia quoad maculam, & reatum pœnæ, & mortalia quoad reatum pœnæ tẽporalis, præter iſtam autem virtutem aſſignanda eſt alia, quę verſetur circa mortalia iam dimiſſa, & circa omnia venialia antea commiſſa: talis autem erit virtus illa quæ vt finem reſpiciat bonum compenſationis pro peccato: hoc enim bonũ eſt propter ſe expetibile, licet etiã poſſit amari propter aliud, nempe in finẽ deſtruendi peccatum, & movendi Deum ad hoc vt remittat culpam: virtus autem pœnitentiæ ſupponens dimiſſa peccata mortalia olim commiſſa ab homine, qui iuſtus eſt, dum illam habet, poteſt optime amare compenſationem pro illis etiam quamvis illa ſint iam dimiſſa, proindeque nulla retinẽtia poſſit obligatio ex iuſtitia ad compenſationem faciendam; tamẽ honeſtum, & laudabile eſt vt ea compẽſatio fiat, nam rationi conſonum eſt vt ille quia à me accepit malum offenſæ, accipiat bonum obſequij, & ſubmiſſionis.

54 Quod exemplo declaratur; nam ſi ego Petrum offendam, & ille mihi condonet iniuriam, nam ex iuſtitia obligatus non ſum ad exhibendam ſatisfactionem, nec ſerio intendere poſſum, vt ille deponat indignationem adverſus me conceptam, cum ſciam iam depoſuiſſe, & tamen poſſum adhuc honeſte amare compenſationem pro iniuria illata, quia honeſtum eſt, vt qui à me accipit malum contemptus, recipiat bonum obſequij, & humiliationis: pariter ergo in noſtro caſu &c. Et ſane quamvis quis per revelationem certo cognoſceret peccata eſſe ſibi dimiſſa, adhuc poſſet ſe humiliare, quia peccavit, & de hoc dolere, intendens vt finem, honeſtatem, quæ in hoc relucet.

55 Sed hinc inſurgit difficultas, quam late verſat Cardin. de Lugo diſp. 2. de pœnit. ſect. 3. nam bonitas compenſationis includit peccatum præteritũ, non videtur autem eſſe motivum honeſtum id quod includit peccatũ. Probatur aſſumptum: nam obſequium præſens vt conditinctum ab offenſa præterita, non eſt compenſatio, denominatur enim formaliter compenſatio ex eo quod ponatur poſt offenſam: ergo qui vult obſequium præſens ob honeſtatem compenſationis movetur ab honeſtate, quæ relucet in coexiſtentia obſequij cum præteritione peccati, ac proinde movetur ab aliquo complexo intrinſece includente peccatum. At voluntas amat bonitatem illam à qua movetur: ergo amat complexum intrinſece claudens peccatum, ac proinde amat peccatum.

56 Hoc argumentum commune eſt pro alijs materijs; nã ſimiliter probat bonitatem punitionis, v.g. quæ eſt finis iuſtitiæ vindicativæ, non eſſe motivum honeſtum: nam bonitas punitionis non eſt ſola bonitas tormenti, quod iudex infligit, ſed includit peccatum præteritum; nam manentibus omnibus alijs, per hoc præciſsè quod reus non peccaſſet, non daretur honeſtas punitionis: ergo tormẽtum illud in ratione punitionis honeſtæ conſtituitur per peccatum preteritum; ac proinde moveri ab honeſtate punitionis erit moveri ab aliquo complexo includente intrinſece peccatum.

57 Noſtra reſponſio ſit: obſequiũ in ratione compenſationis compleri de obliquo per præexiſtentiam peccati, & ſumi,

& similiter honestatem punitionis compleri per hoc, quod is, qui punitur, deliquerit. Hinc autem perperam inferri, quod qui amat honestatem compensationis, aut pœnitionis amet peccatum: nam præexistentia peccati non includitur in illo complexo tanquam bona, & amabilis, sed tanquam circunstantia reddens alteram compartem bonam, & amabilem: id enim quod amabile non est, potest reddere aliud amabile. Sic morbus licet vtilis non sit, reddit vtilem medicinam? & tempestas licet, nec bona, nec appetibilis sit denominat bonã, & appetibilem projectionem mercium.

58 Quod amplius sic declaro: etsi honestas punitionis compleatur de obliquo per præexistentiam peccati; nihilominus potest iudex efficaciter velle, vt existat honestas punitionis, quin velit, vt existat peccatum: ergo similiter poterit moveri ab honestate punitionis, quin moveatur à peccato. Consequentia est legitima; nam iudicem moveri ab illa honestate nihil aliud est, quam in illa cõplacere, & hanc complacentiam ipsum impellere ad inferendum supplicium. Si autem potest velle vt existat illa honestas, quin velit vt existat peccatum, à fortiori poterit complacere in illa, quin complaceat in illo. Antecedens vero suadetur: nam existere illam honestatẽ nihil aliud est, quam supplicium coexistere præteritioni peccati: iudex autem optime potest vele hanc coexistentiam, quin velit existentiam præteritionis peccati: nam ad id satis est quod iudex supponens peccatum præterijsse, velit vt huic præteritioni adiungatur existentia supplicij, amat itaque coniunctionem, non tamen vtrunque extremum, quia alterum præsupponit aliũde positum, & ipse solum tendit ad ponendum alterum extremum, ac proinde istud duntaxat amat, dum intendit eius coniunctionẽ cum extremo præsupposito. Aliter se res haberet si independenter à præsuppositione alterius extremi, intẽderet vtriusque coniunctionẽ, quia tunc eius affectus ad vtrunque inducendum tenderet, ac proinde vtrunque amaret.

SECTIO SEPTIMA.

De subiecto virtutis pœnitentiæ.

59 QVÆRITVR primo; an hæc virtus sit in Christo? Respondeo negative cum S. Thom. Vazq. Valentia, & alij apud Amicum. Quia cum pœnitentia in exercitio suorum actuum supponat peccatum commissum à proprio subiecto, & Christ⁹ sit impeccabilis, non congruit illi hæc virtus. Dices, humanitatem Christi de se peccabilem esse: sed hoc nihil refert: nam per vnionem hypostaticam redditur omnino impeccabilis: & infusio gratiæ habitualis, & virtutum supernaturalium supponit pro priori naturæ existentem vnionem hypostaticam, nequit autẽ congrue infundi habitus pœnitentiæ subiecto, quod pro priori supponitur impeccabile. Adde ipsam vnionem suapte natura exigere, ne humanitas illa antea præextiterit sine vnione, ac proinde supponit non præcessisse peccatum in humanitate circa quod versari valeat pœnitentia: implicat autem, vt vnio, quæ suapte natura supponit negationem peccati præteriti in aliquo subiecto, radicare valeat in illo habitum supernaturalem pœnitentiæ cuius omnis actus supponit peccatum commissum à subiecto.

60 Quæritur secundo, an hæc virtus sit in Beata Virgine, & Beatis innocentibus? Negat P. Vazquez. Melius tamen alij affirmant: nam Beata Virgo habuit potentiam antecedentem ad peccandum saltem antequam Verbum conciperet; ac proinde pro tunc saltem solum fuit impeccabilis ex vi protectionis externæ, non autem vi alicuius doni intrinseci: vbi autem gratia infunditur personæ peccabili secum affert habitum pœnitentiæ, quamvis ille per accidens nunquam sit exercendus. Sic infantibus, qui ob suã complexionẽ connaturaliter pervenire nequeunt ad ætatem, in qua valeãt peccare, infunditur habitus pœnitentiæ cum gratia baptismali.

61 Quæ ratio persuadet Beatos, qui nunquam peccarunt, habuisse in hac vita habitum pœnitentiæ, quo tamẽ privare non debuerunt in statu beatitudinis; sicut enim ibi retinent potentiam nutritivam, & alia instrumenta necessaria ad conservandam vitam mortalem, & passibilem, licet ea ibi nunquam exerceant: ita similiter, &c. Quod si dicas pariter dici posse retinere habitum fidei, & spei. Respondeo disparem esse rationem; nam status beatitudinis pugnat cũ exercitio fidei, & spei, at non ita cum exercitio virtutis pœnitentiæ; quia Beatus, qui in via peccavit, potest in patria gaudere de eo, quod peccata à se commissa

pœ

per proprios actus deleverit, eaque compenſaverit; nam eiuſdem virtutis eſt deſiderare ſatisfactionem pro peccatis, & de illa exhibita gaudere. Poteſt item imperare deteſtationem peccati à ſe olim commiſsi ex motivo compenſandi offenſam Deo irrogatam: quanquam enim ex nobis hæc deteſtatio coniuncta ſit cũ dolore, & triſtitia, non tamen in Beatis, in quibus ſummum gaudium de Deo viſo impedit triſtitiam illam. Deinde ego non video rationem quæ mihi efficaciter perſuadeat habitum fidei, & ſpei non manere in Beatis, quamvis ibi nullum actum exerceant, & ideo hoc nonnulli affirmarunt, quorum ſententiam probabilem iudicat Pater Suarez diſp. 7. de fide ſect. 5. num. 4.

62 Quæritur tertio, an habitus pœnitẽtiæ maneat in peccatore pro ſtatu peccati? Negat ſententia cõmunis Theologorum cum D. Thoma 1.2. quæſt. 65. art. 4. Sed Pater Vazquez 1.2. diſp. 88. num. 3. cenſet hanc ſententiam communẽ nulla efficaci ratione probari: nam ſicut habitus fidei, & ſpei manent vt illis adiuvetur homo ad recuperandam gratiam amiſſam, cur ſimiliter manere non poſſet pœnitentia, quæ ſuapte natura tẽdat ad deſtruendam culpam inclinando peccatorem ad elicientiam eorum actuũ, quibus culpa delenda eſt ſaltem diſpoſitive?

63 Cardinalis de Lugo ait propterea manere fidem, & ſpem in peccatore, non autẽ pœnitentiam, quia ſine actu fidei, & ſpei non poteſt ille impetrare veniam peccatorum, poteſt tamen ſine actu virtutis pœnitentiæ. Sed hæc ratio efficax non eſt, quia licet ſimpliciter non ſit neceſſarius ille actus ad illum finem, eſt tamen conveniẽtiſsimus: nam ſi quis intendat delere peccatum, & compenſare iniuriam Deo illatam, ex hac intentione applicabit mentem ad cogitanda motiva quib⁹ inducatur ad dolorem de peccatis, & propoſitum emendandi vitam: conveniens ergo videbatur manere virtutem pœnitentiæ in peccatore ſimul cum fide, & ſpe.

64 Cardinalis Sfortia ait propterea habitum penitentię ſimul cum alijs habitibus virtutum moralium deperdi per peccatum mortale: nam abiecta inclinatione ad finem, debent deficere inclinationes ad ea bona, quæ ſuapte natura ordinantur tanquam media in illum finem. Cum ergo charitas ſit inclinatio in Deum tanquam in finem; & virtutes morales ſint inclinationes in media conducentia ad conſecutionem huius finis, ordinatæque ad augendam, & fovendam charitatem; conſequens eſt, vt hac amiſſa, amittantur & illę. Sed contra: quia nulla eſt ratio, cur virtus pœnitentiæ nõ ſit per ſe ordinata, tum ad augendã charitatem, tum ad illam reperandam, ſi forſan per peccatum amittatur. Quo poſito non erit congruum, vt deficiente charitate, ipſaquoque deficat.

65 Nec magis vrget alia ratio peculiaris quæ non militat in alijs virtutibus moralibus, militat autem in pœnitentia; eius enim actus efficax, inquit, eſt velle diſplicentiã omnis peccati mortalis, qui actus excluditur per omne peccatum mortale. Quam rationem reddit etiam Pater Ripalda tom. 2. diſp. 128. num. 74. eius tamen robur ego non video: nam etiam pœnitentiæ actus efficax eſt velle diſplicentiam omnis peccati venialis, quin inde probari valeat illam deperdi per aliquod peccatum veniale: illa ergo ratio ſolum probat actum efficacem pœnitentiæ eſſe incompoſsibilem cum peccato mortali, quia non ſtat aliquem efficaciter dolere de peccatis præteritis, & propoſitum non peccandi de cætero habere, & tamen actu peccare: non tamẽ evincit habitum ipſum pœnitentię amitti per peccatum mortale: alioqui etiam ſpes deberet amitti: nam ad illam ſpectat elicere propoſitum efficax quærendi beatitudinem, & nunquam peccandi, quia per peccatum exponitur homo periculo ipſam amittendi. Hoc autem propoſitum non minus opponitur cuilibet peccato mortali, quam actus pœnitentiæ imperans deteſtationem peccati mortalis: quapropter rectum fuit iudicium P. Vazq.

SECTIO OCTAVA.

De obiecto materiali pœnitentiæ.

66 OBIECTVM materiale virtutis pœnitiæ ſunt in primis omnia illa bona, quæ hæc virtus poteſt eligere vt medium ad conſecutionem ſui finis expiandi peccata cõmiſſa. Sunt item omnia mala, quæ illa poteſt deteſtari, vt impedientia conſecutionem illius finis. Rurſus ſum obiectum materiale huius virtutis omnia peccata, quorum contritionem poteſt imperare. Et quia ex ſect. 6. conſtat poſſe imperare

perare dolorem de omnibus venialibus. Item de mortalibus iam dimissis, fit consequens, vt hęc omnia sint obiectum materiale ipsius.

67 Nec ab hoc numero excipienda sunt peccata commissa sine advertentia ad Deum: nam ad hæc, si dari possunt, absdubio extenditur virtus pœnitentiæ: nam vere displicent Deo, eiusque offensionem promerentur; ipse enim vt creator naturæ rationalis, & primus fons omnis honestatis moralis odio habet ea, quæ fiunt contra dictamen rationis naturalis: sicut Pater odio habet offensas commissas contra Filium sine advertentia ad ipsum Patrem.

68 De peccato habituali personali dicendū est simpliciter respici à pœnitentia, potest enim merito quis dolere, quod macula peccati infectus sit, & hunc dolorem imperare valet virtus pœnitentiæ in finem tollendi illam maculam: non respicitur tamen quatenus habituale reduplicative, quia sic non est liberum peccatori, sed soli Deo nolēti infundere gratiam, per quam auferatur macula contracta ex peccato actuali præterito: non potest autem virtus pœnitentię imperare retractationem nisi illius, quod libere peccator posuit.

69 De peccato autem originali dicendum est esse extra sphæram virtutis pœnitentiæ: nam huius obiectū formale est compensare, vel delere per proprios actus retractativos præteritæ electionis offensam contra Deum commissam; hæc autem ratio non extenditur ad peccatum originale, quod à nobis incurritur sine propria electione: nequit enim quis proprie, & physice retractare illud, quod ipse non elegit.

70 Quod attinet ad imperfectiones morales, dicendum est, eas indirecte posse respici à pœnitentia, quatenus sunt occasio incidendi in venialia, ad quę quis disponitur, dum eligit minus bonū potens eligere maius. Vel omittit actum Deo placentem; ad quem eliciendum nō erat obligatus, quod est imperfecte moraliter operari; directe tamen imperfectiones morales non spectant ad pœnitentiam, quia non relinquunt maculam in anima ad quam delendam pœnitentia tendere valeat.

71 De peccatis alienis patet ex nostris principijs non cadere sub sphæram pœnitentiæ, quia munus eius est emendare turpe factum proprium. Quod est specialiter honestum valdequè difficile, cum importet dolorem de præteritis, & propositum efficax non peccandi ni futurum.

SECTIO NONA.

An pœnitentia sit virtus moralis, an Theologica.

72 DICENDVM est esse virtutem moralem. Nam Theologica immediate virtus respicit vltimum finem nempe Deum, ad illumque inclinat; virtus moralis immediate respicit finem creatū suapte natura conducentem ad consecutionem finis vltimi. Virtutes Theologicæ sunt tantum tres fides, spes, & charitas: per fidem inclinamur ad credendum vltimum finem; per spem ad eundem nobis appetendum; per charitatem ad illū diligendū in seipso, & gratia sui. Virtutes morales tot sunt, quot sunt media conducentia ad vltimum finem specie morali diversa; ad hæc enim per illas inclinamur; nam ad consequendum aliquem finem non sufficit esse bene inclinatum ad ea media, quæ per se sunt apta ad eius consecutionem. Iam vero virtus pœnitētiæ non respicit immediate Deum vt finem, sed aliquid creatum, nempe deletionem, & compensationem peccatorū, quod bonum est medium de se conducens ad consecutionem vltimi finis: ergo non est virtus Theologica sed moralis.

73 Dices hanc virtutem respicere Deum vt finem cui, quia intendit satisfacere Deo, quod sufficit vt sit virtus Theologica, sicut charitas est virtus Theologica etiam in ijs actibus, quibus vult Deo bona extrinseca, quia habet Deū pro fine cui. Sed Contra, quia tunc respicitur aliquod subiectum vt finis cui, quando finis qui intentus à virtute amatur ex complacentia erga illud subiectū; iam vero finis qui intentus à pœnitentia, nempe *satisfacere Deo* pro offensis, illasque delere, non respicitur à pœnitentia ex complacentia Dei, sed ipsius pœnitentis; nam hoc ipso, quod pœnitentia intendat vt finem qui bonum modo assignatum, quia illud est in se honestum, respicit vt finem cui ipsum pœnitentem, cui illud bonum honestum est conveniēs. Quare omnis virtus respiciens vt finem qui aliquod bonum creatum, quia in se honestum; respicit vt finem cui ipsum subiectum, cui est honestum.

Hinc

74 Hinc charitas in his actibus, in quibus amat Deo bona extrinſeca, non fertur in illa, quia honeſta ſunt, ſed quia bona Deo, ipſique placentia reſpiciendo Deum, vt motivum, & finem, cui amat illud bonum, & quem proinde principaliter amat, dum amat aliquid quia ipſi bonum: at pœnitentia ita vult ſatisfacere Deo vt ipſum non amet: non ergo illum reſpicit vt finem, cui.

75 Dices, bonitatem divinam cognitam movere ad exercendum actũ pœnitentiæ, quia non conaretur quis ad deſtruendum peccatum, niſi cognoſceret Deum ſibi remiſſurum offenſam: ergo pœnitentia eſt virtus Theologica, vt potè quæ movetur à prædicato increato. Reſpondeo ad virtutem Theologicam ſatis non eſſe quod à prædicato increato vt cognito moveamur ad aliquid operãdum, niſi moveamur ab illo vt amato. Sic maieſtas divina vt cognita movet nos, vt exhibeamus ipſi cultum per virtutem Religionis, quia tamen non movet vt amata ad actum Religionis, Religio non eſt virtus Theologica.

76 Poſtremo obijcies: omnis virtus moralis reſpicit medium inter duo extrema, quod tamen pœnitentiæ non videtur convenire: ergo &c. Marſilius reſpondet pœnitentiam ponere medium inter præſumptionem, & deſperationem. P. Suarez vero ait, reſpicere medium inter extrema non convenire ſtricte omnibus virtutibus moralibus, ſed illis dumtaxat, quæ verſantur in moderandis paſsionibus. Alij aiunt, cum pœnitentia imittetur quodammodo iuſtitiam, & hæc conſtituat medietatẽ inter duo extrema vitioſa, nempe inter plus reſpectu vnius, & minus reſpectu alteri⁹, non tamen inter duo vitia, quia vnũ tantum habet contrarium, nempe iniuſtitiam: ſimiliter pœnitentiam verſari inter duo extrema vitioſa, quorum alterũ eſt plus indulgere peccatori, quam par eſt; alterum vero minus obſequi Deo, ſeu potius ſimpliciter non obſequi; & hæc extrema vitare agendo ratione contraria, atque adeo conſtituendo æqualitatem ſecundum quid inter Deum, & peccatorem: ſolumque habere vnum vitium contrarium, nempe impœnitentiam.

SECTIO VLTIMA.

An pœnitentia ſit ſpecies iuſtitiæ.

77 DICENDVM eſt primo non eſſe iuſtitiam vindicativam contra Scotum; quia pœnitentia non imperat contritionem, & propoſitum non peccandi eo fine, vt puniatur culpa commiſſa, ſed vt culpam deſtruat, & iniuriam Deo irrogatam cõpenſet, quod non eſt munus iuſtitiæ vindicativæ.

78 Dicendum eſt ſecundo contra Cajetanum, non coincidere cum Religione: nam pœnitentia non imperat contritionem, & propoſitum non peccandi eo fine, vt Deo exhibeamus cultũ, & proteſtemur eius excellentiam, quod eſt munus Religionis, & ſane cultus, quem iſta reſpicit, debet ſpeciali ratione ſignificare excellentiam divinam, vt patet in ſacrificijs, adoratione, voto, & oratione: contritio autem, & propoſitum, quæ imperat pœnitentiam, non ſignificant peculiari ratione excellentiam divinam.

79 Dicendum eſt tertio, pœnitentiam non eſſe partem ſubiectivam iuſtitiæ commutativæ. Dicitur autem pars ſubiectiva iuſtitiæ ſpecies ſub illa contenta, rationem communem iuſtitiæ contrahens cum toto rigore. Probatur primo, quia vel peccatum non eſt ſtricte iniuria adverſus Deum, vel ſi ſit, pœnitentia ab hoc præſcindit, quia quamvis quis ſibi perſuadeat peccatum non eſſe ſtricte iniuriã Dei, adhuc poterit exercere virtutem ſpecialem pœnitentiæ. Secundo, quia pœnitentia ita reſpicit ſatisfactionem pro offenſa, vt illam amare valeat, poſtquam iſta remiſſa eſt; ac proinde ex modo eam reſpiciendi præſcindit ab eo, an detur in Deo ius ſtrictũ ad illam ſatisfactionem, à quo iure præſcindere non valet virtus iuſtitiæ.

80 Dicendum eſt vltimo cum D. Thoma hic art. 3. cum P. Vazquez, & alijs, virtutem pœnitentię eſſe partem poteſtativam iuſtitiæ; dicitur autem pars poteſtativa iuſtitiæ, quæ hanc quodammodo imitatur, quia eſt virtus ad alterum, licet deflectat ab eius rigore, vel quia non reſpicit iuſtum, ſeu æquale ſimpliciter, vel quia non ſervat alias conditiones iuſtitiæ, quo pacto Religio, pietas, & obſeruantia dicuntur partes poteſtativæ iuſtitiæ. Probatur aſſertio ex dictis, nam pœnitentia deficit à rigore iuſtitiæ, retinet tamen aliquod iuſtitiæ ſpecimen, quia ſicut per iſtam ſatisfacimus homini pro iniuria, ita per illam ſatisfacimus Deo.

DISPVTATIO XXXIII.

DE ACTIBVS IMPERATIS A VIRTVTE POENITENTIÆ NEMPE contritione, attritione, & proposito non peccandi.

ACTVS spectantes ad virtutem pœnitentiæ alij sunt eliciti, alij imperati: illi respiciunt intrinsece finem, seu motivum pœnitentiæ; isti alia motiva, solumque extrinsece referuntur ad finem pœnitentiæ à qua imperantur; circa elicitos nulla est difficultas: nam pœnitentia, sicut quælibet alia virtus potest elicere complacentiam erga suum finē secundum se, desiderium efficax illius, dū consideratur vt absens, & gaudium dum consideratur vt præsens, atque electionem mediorum conducentium ad consecutionem sui finis. Item displicentiam simplicem erga malum oppositum huic consecutioni, & fugam efficacem huius mali, deinde tristitiam de ipsius præsentia. Tota ergo difficultas est circa actus imperatos præsertim circa cōtritionem.

SECTIO PRIMA.

An contritio perfecta debeat esse ex motivo charitatis.

1 CONTRITIO aliquando sumitur late prout est ratio cōmunis ad contritionem perfectam, & ad imperfectā, quę attritio nuncupatur; & sic sumpta definitur à Tridentino sessione 14. cap. 4. *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Aliquando vero sumitur strictè, & significat contritionē perfectam, quæ sine Sacramento iustificat. Vt enim animadvertit S. Thom. in 4. dist 17. quæst. 2. art. 1. *In corporalibus dicuntur attrita quæ aliquo pacto sunt comminuta, sed non perfectè; sed contritio dicitur quando omnes partes tritæ sunt simul per diuisionem ad minima; & ideo significat attritio in spiritualib⁹ quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam, contritio autem perfectam.* Dubiū autem est quid sit necessariū ad hanc cōtritionē perfectā, quæ sine Sacramento sufficit reconciliare hominem cum Deo? In primis in hac sectione examinabimus an illa debeat esse ex motivo charitatis.

2 Prima sententia quorundam Theologorum asserit id non requiri, sed satis esse quod sit, vel ex motivo obedientiæ, vel Religionis, aut iustitiæ, ita vt qui dolet de peccatis, quia contraria sunt divinis præceptis, vel quia opposita cultui, & reverentię debitę Deo, vel quia lęsiva divini iuris, sufficiēter disponatur ad iustificationē extra Sacramnetū, quia sub his omnib⁹ rationib⁹ peccatū consideratur in ordine ad solū Deū, in quo satis videtur discriminari contritio ab attritione. Ista que videtur esse cōmunis fideliū persuasio, qui tunc se habere contritionē arbitrantur, cum ita dolent de peccatis propter Deū, vt nulla imminente pœna, vel iactura præmij eodem modo dolerent; quod vidētur prętare, dū dolent de peccatis, vel quia sunt iniuria, vel quia sunt irreverentia Dei. Hanc sententiam probabilem appellat P. Suar. disp. 4. sect. 2. n. 13. dicens sibi aliquādo placuisse. Eam tamen P. Vazq. in prętenti erroneam appellat. Excesit tamen in ferenda censura, vt ostendit rectè Cardinalis de Lugo.

3 Secunda ergo, & cōmunis Theologorum sententia est, contritionē quæ extra Sacramentū iustificat, debere esse ex motivo charitatis. Probatur autem 1. ex illo primæ Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et ex illo primæ ad Chor. 3. *Sine charitate nihil sum.* Secūdo authoritate Augustī. qui lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 9. inquit: *Sine amore nemo vnquam gratiā invenit, nec veniam assecutus est.* Et sermone secundo de tempore; *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Eodemque modo loquuntur alij Patres apud Suar. Tertio authoritate Tridentini sess. 14. cap. 4.

cap. 4. docentis: *Aliquando contingere, contritionem charitate perfectam esse, hominem que Deo reconciliare, prius quam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur.* Vbi sentit non aliter contritionem extra Sacramentum iustificare, nisi sit charitate perfecta. Esse autem charitate perfectā idem est, ac esse coniunctam cum dilectione Dei super omnia. Nec enim sermonem habet Concilium de charitate habituali, cū loquatur de peccatore per contritionem impetrante gratiam iustificantē, & habitū Charitatis, qui proinde nequit intelligi in peccatore pro eo signo, quo mediante contritione perfecta movet Deum, vt sibi infundat gratiam, & charitatem.

4 Dices, Concilium ibi affirmare quidem quod contritio charitate perfecta extra Sacramentum iustificet non tamen id negare de alia contritione minus perfecta. Sed contra, quia cum ibi contradistinguat, contritionem perfectā ab imperfecta, quæ attritio dicitur, & extra Sacramentum non iustificat, diminute procederet, si aliqua contritio charitate non perfecta extra Sacramentum iustificaret.

5 Dices propterea ibi Concilium contritionem imperfectam appellare attritionem; quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & penarum metu communiter concipitur: ergo contritio illa, quæ concipitur de peccato, quia est irreverentia, vel iniuria Dei, aut contemptus divini præcepti, in sensu Concilij non est attritio indigens Sacramento ad iustificandum: ergo est contritio in sensu Concilij potens extra Sacramentum iustificare.

6 Contra tamen; nam qui dolet de peccato ex motivo Religionis, iustitiæ, vel obedientiæ sane dolet de peccato ob ipsius turpitudinem, nimirum, quia privat honestate Religionis, iustitiæ, vel obedientiæ, sicut qui amat actionem aliquam ex motivo Religionis, vel iustitiæ, amat ob honestatem creatam, quam respiciunt illæ virtutes; ergo dolor de peccatis ob illa motiva est attritio in sensu Concilij. Quare dum Patres docent dolorem de peccatis, prout sunt offensa Dei esse contritionem, loquuntur de dolore, qui oriatur ex dilectione Dei, & feratur in peccata, quia offendunt Deum, seu quia ipsi displicent, non autē de dolore, qui feratur in peccata, quatenus privant aliqua honestate creata.

7 Denique probatur ratione, quia vt homo extra Sacramentum iustificetur, debet perfecte converti ad Deum, à quo fuerat per peccatum mortale aversus, & emmēdare perfecte de ordinationē peccati; hoc autem non præstat nisi per conversionē suam respiciat Deū vt finē cui: nam cū potissima de ordinatio peccati consistat in eo, quod homo seipsum prætulerit Deo secundum rationem nobilissimam finis cui: siquidem dum peccat, respicit seipsum vt finē cui vltimū suę actionis, & hac ratione aufert à Deo rationem vltimi finis, debet hanc inordinationē emmendare, nec emmēdat nisi per conversionē ad Deum vt finem cui, quod solum fit per actū charitatis, nam actus reliquarum virtutū non respiciunt Deum vt finēm cui. Et confirmatur: nā cum Deus infundens gratiam, hominem diligat amicabiliter, merito exigit, vt dispositionē amorem amicabilē ex parte creaturæ; nam optima dispositio vt ab alio ameris, est ipsum amare; & ideo Deus Ioelis 2. dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

SECTIO SECVNDA.

An, & quomodo contritio sit detestatio efficax omnium peccatorum.

8 DICENDVM est primo contritionem perfectam non esse solum displicentiam simplicem, seu nolleitatē, vel velleitatē carentiæ peccati, sed detestationem omnino efficacē cuiuslibet peccati mortalis, talē scilicet, vt cū illa non cohæreat electio, aut approbatio alicui⁹ peccati mortalis. Nolleitas peccati, seu velleitas carentiæ peccati est quidā affectus disponens amicum vt gaudeat, si existat bonum amatū, & doleat, si forte non existat: talis tamen conditionis, vt cohæreat cum electione mali noliti, vel cum omissione boni voliti: siquidem non ita tendimus per illū affectum in bonum volitum, vel in malum nolitum, vt velimus illud, & nolimus istud pro omni eventu, & occurrente quacunque difficultate at detestatio efficax peccati ita vehementer ipsum horret, vt componi nequeat pro vllo eventu cum eius electione: debetque hæc detestatio vniversalis esse, ac proinde aversari tum peccatum præsens, tum futurum, ac præteritum.

9 Dicendum est secundo: licet contritio sit detestatio efficax peccati præteriti, non tamen esse voluntatem efficacem carentiæ ipsius, qua videlicet peccator nunc efficaciter, & absolute desideret non peccavisse antea; quia cū sciat se peccavisse, & cognoscat, nec ipsum, nec Deum modo posse facere, ne peccaverit antea, nequit hoc efficaciter desiderare; quia circa impossibile cognitum vt tale non potest dari intentio absoluta, & efficax. Sed rogabis quomodo ergo contritio poterit esse detestatio efficax peccati præteriti? Respondeo ideo, quia ita per illā peccator aversatur peccatum præteritum, ita ve in illo displicet, vt hæc displicentia sit essentialiter incompossibilis cum approbatione illius: sitque equivalenter voluntas efficax conditionata, explicata his vocibus: *Vellem non peccasse si id foret in mea potestate*. Illa namque displicentia peccati præteriti est talis energiæ, vt fundet hoc iudicium: si peccator posset nunc facere, ne peccatū suū fuisset id absdubio faceret.

10 Vnde deduces contra P. Vazq. 1.2. disp.44. cap.4. per has voces, *Vellem non peccasse, si id foret in mea potestate*, non significari dumtaxat affectum, quē haberet tunc voluntas, sed affectum presentem, quem iam habet, vi cuius ita detestatur peccatum cōmissum, vt fundet veritatem illius iudicij conditionati, ac proinde licet visus, & auditus non eliciat actus, qui explicentur per has voces. *Viderem, audirem*; voluntatem tamen posse habere actum explicatum his vocibus, vellem non feciſſe, siquidem per has significatur detestatio præsens præteriti facti essentialiter impediens eius approbationem.

SECTIO TERTIA.

An, & quomodo contritio debeat detestari peccatum super omnia.

11 COMMVNIS sententia Theologorum est contritionem perfectam esse dolorem de peccatis ob Deum summe, & super omnia dilectum, & debere detestari peccata super omnia, ac proinde amorem Dei, ac dolorem de peccatis debere esse summum; sed in hoc explicando magna est Authorum varietas. Prima sententia est Adriani asserentis ad contritionē requiri summum conatum, ac proinde debere esse summū dolore intensive: & idē sentit de dilectione Dei. Ratio ipsi⁹ est, quia alioqui, nec amabitur Deus plusquā omne bonū, nec peccatum odio habebitur super omne malū. Secunda sententia est Petri Soto docentis non requiri quidē, vt sit absolute summus intensive, requiri tamen, vt sit intensior, quam quivis alius dolor de quovis alio modo. Idemque sentit de amore Dei: fundamentū illius est, quia cum æstimatio alicuius rei sit amor illius, quo aliquis intensius rem aliquam amat, eo illam magis æstimare videtur: si ergo aliquis intensius creaturam, quam Deum amaret, magis illam, quam istum æstimaret. Vt ergo quis diligat Deum super omnia, necesse est, vt Deum intensius amet, quam alia obiecta. Et similiter vt doleat de peccato super omnia, oportet hic dolor sit intensior dolore cuiusque alterius mali.

12 Vtraque tamen sententia communiter reijcitur, & merito. Prima quidem, quia alioqui non adimpleret quis præceptū diligendi Deum super omnia, nisi eliceret amorem secundum vltimū potentiæ, hoc autem est absurdum, quia præceptum illud esset nimis rigidum, & fragilitati humanę minime consentaneū hominesque redderet obnoxios immedicabili scrupulorū anxietati: nemo enim probabiliter iudicare posset, se adimpleviſſe præceptum amoris, quia nemo potest scire an operatus sit cum intensione adæquante intensionem habitus charitatis. Secunda vero, quia alioqui possent duo elicere æqualē omnino amorē circa Deum, æqualēque dolorē de peccatis, & tamen alter iustificari, & alter non, nimirū si alter haberet simul actū amoris intensiorē circa aliud obiectum, alter vero non haberet. Deinde quia alioqui, qui vehementius nunc doleret de morte Patris v.g. quā antea doluit de peccato, hoc ipso peccaret. Sic enim non minus diceretur aliquid contra Deum diligere, quā si dum amat Deum, simul amaret vehementius aliud obiectum.

13 Sententia ergo cōmunis est amorē charitatis, ex quo procedit, vel cū quo identificatur cōtritio perfecta, debere esse summū non intensive, sed appretiative & pariter de dolore ipso. Sed hic labor, hoc opus est: quonā pacto dilectio charitatis sit amor summ⁹ appretiative, & dilectio Dei super omnia. Et similiter de contritione: nam cū ille terminus *omnia* denotet relationē, & comparationē, explicari debet, an per ly omnia debeant intelligi omnia alia obiecta distincta à Deo,

Deo, ansolum obiecta ipsi contraria, seu ei displicentia.

14 Huius difficultatis, quæ non parva est, enodatio distraxit Theologos in varias opiniones. P. Vazq. 1.2. disp. 194. num. 19. ait idem esse amare Deum summe, & super omnia appretiative, ac illū amare vero amore amicitiæ: & detestari peccatum super omnia, ac illud detestari ex affectu amicitiæ erga Deū, quod tunc, inquit, contingit, quando Deo volumus bonum aliquod, aut de bono ipsius gaudemus, quia bonum ipsius est, & quando peccatum detestamur hac sola ratione, quia offensa Dei est, non ex cōplacentia nostri, sed ex cōplacentia ipsi*.

15 P. Suar. disp. 3. de pœnit. sect. 9. n. 10. existimat amorem Dei esse super omnia ex eo præcisè, quod eius motivū adeo excellens sit, vt de se sit potentius ad affirmandam nostram voluntatem in tali affectu, quam alterius boni motivū: id enim satis est, vt talis affectus virtualiter superet aliorum bonorum affectū.

26 Cardinal. de Lugo disp. 5. de pœnit. n. 22. censet hunc excessum in amore Dei super omnia, nihil aliud esse, quā talem modum efficaciæ, & adhęsionis ad obiectum, quo ostendat voluntas, se ab illo nullo alio bono dimovendam: nam quamvis possit pro sua libertate ab eō recedere, ex modo tamē adhærendi Deo insinuat se nullo modo postea à Deo recessuram. Ex quo fit, vt si tunc afficeretur inadvertentur erga aliquod obiectum Deo contrarium, quam primum id adverteret, ab illo amore desisteret.

17 P. Ripal. disp. 38. de fide. sect. 6. arbitratur Deum super omnia amari, nō esse aliud, quam eo modo efficaci voluntatem affici in Deum, vt eius summe appretiativus sit, quo scilicet Deus ametur, & appretietur tāquam bonum primum & supremum omnium, non solum eorum, quę Deo contrariantur, sed eorum, quorum amor cum amore Dei consistit: quia is affectus, nequit admittere aliorū bonorum amorem, tāquam superiorem, & prius deponibilem à voluntate, quam ipsum: sed ita se habet, vt casu, quo omnia bona præter vnum differenda forēt, reliqua omnia à Deo distincta differetē-tur potius, quam Deus summe dilectus appretiative.

18 Vltima demum, & communior sententia docet, amorem Dei super omnia in eo consistere, quod per illum ita amans erga Deum afficiatur, vt cum hoc amore componere nequeat affectum erga aliquam gravem Dei offensam. Ego in his sententijs examinandis non immorabor, sed rem explicabo conformius ad sententiam communem, & ad sensum Patris Vazqez.

19 Dico igitur Deum summe, & super omnia appretiative amari idē esse, ac voluntatem ferri in Deum per affectum, quo illum adhæsive appretiat vt bonum infinitum, & ita illi adhæreat, & in ipsum transformetur, vt vi huius affectus, & vnionis amatoriæ paratus sit detestari ea, quæ Deo displicent, & eas quæ ipsi placent, amare; nam proprium est huius vnionis induere amātem inclinationibus rei amatæ; Amicus enim amicum diligēs debet amare non solum ea, quæ per se necessaria sunt, vt existat amicus, & fœlicitate fruatur, & ea detestari, quæ huic existentiæ opponuntur: sed amare ea, quæ amico placent, & illa detestari, quę illi displicent. Est enim amās amico similis in inclinatione propter illā vnionem affectivam, quæ facit vt amicus meus sit alter ego. Vnde quia licet carentia peccati non sit necessaria vt Deus existat, Deo tamen placet, & peccatum ipsi displicet, amans Deum amore charitatis, debet vi huius affectus amare carentiam peccati, quia Deo placet, & detestari peccatum, quia Deo displicet; paratusque esse ad dimittenda bona illa, quorum amor Deo displicet, & hoc est illum amare super omnia. Hinc ego existimo cū amore non posse componi peccatum veniale actuale cognitum vt contrarium divino beneplacito: quia non stat me per affectum charitatis Deū diligere super omnia, & in illum transformari per vnionem affectivam, & cognoscere me illi displicitorum, si talem actionem elicitam, & tamen illam sponte eligere; poterit tamen componi cum illa dilectione peccatū veniale commissum sine advertentia ad Deum.

20 Vnde infero rationem à priori, cur licet amor Dei super omnia cohærere valeat cum peccato veniali, non tamen cum mortali; nam ex communi, & vera sententia repugnat aliquem peccare mortaliter quin advertat Deum peccato suo offensum iri: non stat autem me affective esse vnitum cum Deo, & tamen voluntarie eligere actionem, per quam sciam eum graviter offendi. Quod si vt aliqui arbitrantur posset peccatum mortale committi sine

advertentia ad Deum, non video, cur cum hoc pacto non possit componi dilectio Dei super omnia.

21 Et hinc rursus infero quid sit diligere Deũ ex toto corde: est enim ita adhærere summo bono per affectũ cordis, vt nulla eius pars maneat libera ad offendendum Deum in eodem momẽto; nam hoc ipso quod aliquis scienter eligat aliquid Deo displicens, convincitur aliquam partem cordis sibi reservasse, nẽpe illam quã impẽdit amori inordinato, ac proinde nõ dilexisse Deũ ex toto corde.

22 Si quis autem malit defendere dilectionẽ Dei super omnia posse consistere cum peccato veniali cognito vt offensa Dei, dicat illam dilectionem ita vnire amantẽ cum amato, vt saltem cogat ipsũ ad non eligendum aliquid graviter Deo displicens, & dignũ æterna separatione amantis ab amato. Et in hoc sensu diligere Deum super omnia perinde erit, ac ita Deo adhærere per affectũ charitatis, vt vi illius paratus esse debeat dimittere omnia, quæ graviter Deum offendant, & amicitiã hominis cũ Deo impediant.

23 Dices ex nostra doctrina sequi, Petrum v.g. per dilectionem Dei super omnia disponi ad detestandũ magis peccatum alienũ grave, quam propriũ leve, vel etiam minus grave intra lineam mortalis: nam si vi illius dilectionis induit inclinationes Dei amati; sane sicut Deus magis aversatur peccatum grave Pauli, quam leve, vel minus grave Petri; ita ipse Petrus magis debet, &c.

24 Responderi tamen potest cum qui adhæret Deo, vt bono infinito per affectum charitatis non solum appretiare Deum secundũ se sumptum, plus quã omnia alia obiecta, sed etiam appretiare plus, & præferre vnionem, & amicitiam cum Deo omnibus alijs obiectis, & ideo nõ posse cõtingere vt ex charitate malit alienam salutem, quam suam, magisque detestetur alienũ peccatum, quam proprium: nam hoc ipso amaret aliquid magis, quam æternã amicitiam, & vnionem cum voluntate divina. In cuius confirmationem adduci valet pulchra illa Aristotelis sententia: quod patriam aut amicos possumus nobis præferre quoad alia bona distincta ab ipsa virtute, vnde possumus, & morte eligere, vt patria fœlicitate fruatur: non tamen possumus illos nobis præferre quoad bonũ præcipuum virtutis, præoptando illud eis, quã nobis.

25 Ratio autem à priori videtur esse: quia qui diligit Deum propter se, & in illum transformatur, non præscindit in hoc affectu à propria fœlicitate, nam hæc est obiectum voluntatis, debetque proinde ab ea respici per quencumque actum. Sed in hoc differt iste amor ab amore concupiscentiæ, quod per hunc constituit homo propriam fœlicitatẽ in bonis, quæ ipsum afficiunt, quatenus bona illius sunt: at per affectum charitatis, quæ est perfectissima amicitia hominis ad Deum, constituit suam fœlicitatẽ in bonis intrinsecis Dei, quatenus bona Dei sunt, in quem per amorem transformatur: vultque esse fœlix ex eo, quod Deus in se, & sibi summe bonus, & fœlix est: quod stare nequit, quin per illum met affectum amet seipsum vt vnitum summo bono, ac proinde, quin ille amor reflectat supra seipsum, quatenus est vnio transformans amantem in amatum, & faciens vt bona amati, quatenus bona illius sunt, sint etiam bona ipsius amantis.

26 Itaque quamvis alij actus voluntatis supra seipsos non reflecterent, amor tamen amicitiæ ex terminis suis debet supra se reflectere: quicũque enim amat vero affectu amicitiæ alium, non solum debet amare bonũ illius, quia bonũ eius est, sed debet amare se amare, quia per hunc affectũ æstimat bonum amici, quatenus est amici, vt proprium; nequid autem illud æstimare, vt propriũ, quin amor ille reflectat supra seipsũ vtpote per quẽ bona amici fiunt propria amantis.

27 Confirmatur, quia amicus nequit desiderare amico fœlicitatem aliquã incompossibilẽ cum amicitia. Vnde, quia Aristoteles existimavit non posse intercedere amicitiam inter Deum, & hominem, merito dixit amicum non desiderare, vt alter amicus fiat Deus, quia per hoc dissolveretur amicitia: ergo est de conceptu amoris amicabilis appretiare ipsam amicitiam: ergo affectus ille charitatis, quo homo adhæret Deo super omnia, non solum appretiat Deum super omnia, sed etiam super omnia appretiat vnionẽ amicabilem cum Deo, respiciendo bona intrinseca Dei vt obiectum formale principaliter amatum, seipsum vero vt obiectũ materiale indirecte amatum: ergo necesse est, vt vi amoris charitatis magis detestetur homo peccatum proprium, per quod hæc amicitia dissolvitur, vel minuitur, quam peccatum alienum, per quod nec dissolvitur, nec minuitur.

Secun-

28 Secundo expeditius respondeti potest ex vi amoris, quo quis adhæret Deo super omnia, cogi quidem vt displiceat magis in peccato alieno maiori, quã in proprio minori displicentia quadã speculativa, semper tamen displicentia practica magis debere aversari peccatũ propriũ quantũvis minus Deo displicẽs: & ratio est, quia vnusquisque obligatur ad impediendũ efficaciter peccatũ proprium, non autem alienum. Vnde licet peccatum meum leve minus displiceat Deo quam peccatũ grave alterius, proindeque sub hac ratione min⁹ quoque mihi displicere debeat, si Deum amo super omnia; nihilominus quatenus proprium magis mihi displicere debet displicentia practica, quia Deus obligat me ad impediendum propriũ peccatũ leve, non autem peccatum grave alterius præcisè, quia Deo displicet.

29 Consequenter ad dicta explicandum est, quid sit detestari peccatũ summe appretiative, & super omnia. Respõdeo, idem esse, ac detestari peccatum vt summum malũ, seu vt contrarium Deo summe appretiative dilecto. Vnde vi huius detestationis ita disponitur homo, vt venienti quocunque malo temporali, incomparationẽ cum peccato mortali, illud malit, quam hoc eligere: & hoc est detestari peccatũ supra quodlibet aliud malum. Ad hoc autem non est necesse, vt in particulari apprehendantur mala illa, supra quæ peccatum detestamur nec oportet comparationẽ explicite facere.

30 Quin immo prudentis est, vt post D. Thom. & alios observat P. Granados ab huiusmodi comparationibus abstinere præsertim cum hominib⁹ exiguæ virtutis: nam malũ aliquod sensibile in speciale propositum potest valde cõmovere appetitum, & ita conijcere voluntatẽ in periculũ consentiendi peccato, vt evitet illud malum: si autem non proponatur in speciali, cum non ita moveat, relinquit voluntatẽ magis expeditam, vt serio detestetur peccatũ, firmiterque proponat illud cavere. Quæ detestatio si talis sit, vt quandiu illa maneret, non admitteretur vllum peccatum, nec anteponeretur aliquod bonum sensibile, aut evitatio alicuius mali pœnæ sufficit, vt dicatur summus dolor appetitiative, licet si occurreret vrgentissima tentatio, vel proponeretur gravissima aliqua pœna subeunda deturbaret hominem ab illo proposito.

SECTIO QVARTA.

An, & quomodo contritio perfecta detestetur malum culpæ supra malum pœnæ æternæ.

31 CONTRA dicta sic objicies: nam si ad hoc, vt peccator diligat Deum super omnia debet super omnia detestari peccatũ: ergo debet detestari supra pœnas inferni. Vbi ergo veget præceptũ contritionis, & pœnæ inferni comparantur cum peccato, obligatus est ad habendũ hunc actum: *Si peccandum foret, aut infernũ eligendum, eligerem potius infernũ, quam peccatũ.* Quod tamen durissimũ apparet. Respõdeo, mala pœnæ, quæ in cõparatione venire possunt cum malo culpæ esse mala huius vitæ vt infamiam, inopiam, exilium, mortem, & similia, quę interdum necesse est acceptare ad evitandũ peccatum. Mala autem alterius vitæ, vt ignis Purgatorij, vel inferni non veniunt incomparationem cum peccato, quia hæc nunquam subiri possunt ad evitandam culpam, sed potius à Deo sunt constituta, vt eorũ timore peccata fugiamus. Vnde præceptũ contritionis obligans ad dolendum de peccatis super omnia, nunquam obligat ad actum adductum in argumento.

32 Sed rogabis, an licet homo non teneatur, saltẽ possit ex dilectione Dei super omnia moveri ad habendum hunc actum; *Malo pœnas inferni subire, quam peccare.* Respondeo, nunquam hominem posse eligere pœnas inferni ad evitãdum peccatum, nec ad aliũ finem: nam findęresis naturalis dictat æternã miseriã esse fugiendam, & fęlicitatem æternam esse quærendã; proindeq; ex terminis est honesta fuga æternæ miseriæ, & prosecutio æternæ fœlicitatis, è contra vero turpis est prosecutio æternæ miseriæ, & fuga fœlicitatis æternæ. Implicat autẽ vt ex dilectione Dei super omnia moveatur homo ad actum turpem: ergo non potest eligere pœnas inferni ad evitãdum peccatum, quã electionẽ significat actus ille in argumento adductus; quod autem findæris naturalis dictet æternam miseriam esse fugiendam, ex quo sequitur electionem ill.⁹ esse intrinsece malam vtpote contra dictamen rationis. Suadetur: quia ratio naturalis dictat fugiendum esse id, quod naturæ rationali, vt tali disconveniens est: quid autem disconvenientius illi, quam æterna separatio à suo vltimo fine?

33 Sed dices offensa Dei est dignior odio: quam pœna inferni, cum peius sit peccare, quam puniri propter culpam: ergo potest homo per dilectionem Dei disponi ad eligendas pœnas inferni, vt evitet peccatum. Respondeo antecedens esse verum, non quia possint eligi pœnæ inferni vt peccatum non fiat, ipsa enim talis electio est peccatū, perindeq; esset eligere illas ad evitandum peccatum, ac si Medicus occideret infirmū, vt ipsum sanaret: sed quia pœna inferni est bona, & à Deo amabilis ex supositione peccati: cum tamen hoc ex nulla suppositione sit à Deo amabile vnde hinc solum sequitur per amorem charitatis hominē disponi vt magis displiceat in peccato, quam in pœnis inferni, non autem quod possit licite amare pœnas illas ad evitandum peccatum.

34 Fateor, Viros Sanctos passim ita loqui: *Mallem pœnas inferni pati, quam peccare*: per hoc tamē non significant actū internum, quo eligant, & efficaciter amēt pœnas illas ad evitandum peccatum, sed solū ostendunt illud sibi magis displicere, quam illas. Aliud autem est pœnas inferni min⁹ displicere, quam peccatū aliud positive amari ad evitandū peccatū. Fateor etiam illam maiorem displicentiam fundare hoc iudicium conditionatū de obiecto impossibili: *Si ad evitandum peccatum esset necessarium pati pœnas inferni, illas eligerem.* Cæterum id non probat possibilem esse eventū, in quo homo eligat pœnas illas ad evitandum peccatum.

35 Sed arguit contra nos Cardinalis de Lugo disp. 5. de pœnit. num. 30. proponendo casum, in quo homo existens in peccato, & per errorem credens sine confessione peccatorum neminem posse salvari, sistatur coram Tyrano, & intentata morte, vrgeatur ad negandum Christum. Homo enim ille crederet, vel negandum esse Christum cum peccato, mortali, vel moriendum esse sine confessione, & subeundam æternam pœnam: ergo teneretur alterutrum eligere; sed non teneretur negare Christum: ergo deberet eligere damnationem æternam ex amore Dei, & ad evitandam eius offensam: ergo possibilis est casus, in quo non solum quis possit, sed etiam debeat eligere pœnas inferni ad evitandum peccatum.

36 Respondeo Metaphysice impossibile esse, vt quis diligat Deum super omnia, & eligat acerbissimā mortem, ne ipsum offendat, & tamen quod simul sibi persuadeat se damnatum iri, si mortem corporis subeat, ne Deum offendat. Quare homo ille in tali eventu, vel positive iudicaret se deceptum fuisse, dū credidit confessionem esse necessariam in omni eventu ad optinendam salutem, vel saltem iudicaret illam necessitatem esse incertam, & ita iudicium erroneum negative suspenderet. Quod sufficit ne eligeret pœnas inferni ad evitandum peccatum negandi Christum. Impossibilitas illius eventus ostenditur primo: quia cū iuxta Apostolum ad Hæbreos: *Sine fide impossibile sit placere Deo.* Sanè in Viro illo fideli ante dilectionem Dei super omnia deberet præcedere fides certa, qua crederet Deum esse, & remunaratorem esse: nam iuxta eundem Apostolum ibi: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est*: ergo ille martyrium eligens, firmissime sibi persuaderet Deum collatum ire ipsi beatitudinē, si illum ex toto corde diligat, & mortem oppetat pro observando eius præcepto: ergo non posset in sensu compositio huius fidei simul iudicare se damnatum iri, si Christū confiteatur. Secūdo, quia est contra dictamen rationis, vt quis sibi persuadeat Deum summe bonum ipsum proiecturum in infernum, si observet eius præceptum, & moriatur, ne ipsum offendat: quod tamen contingeret, si in eventu posito fidelis ille iudicaret confessionem peccati à se olim commissi esse necessariam ad vitandas pœnas inferni: sic enim apud se diceret, scio me moriturum sine confessione, & sic damnandum, si confiteat Christum, cæterum ne Deum offendam, malo subire mortem temporalem corporis, & æternam animæ. Tertio, quia ex terminis implicat vt ex amore efficaci finis eligat quis in perpetuū carere eodem fine. At in æternum damnari est in perpetuum carere vltimo fine, nempe Deo: ergo ex amore efficaci Dei nequit quis eligere æternam damnationem.

37 Dices: non repugnare, quod Deus decernat nunquam conferre peccatori veniam peccati, nisi præeunte eius confessione, & quod hoc decretum revelet peccatori, qui vrgetur à Tyrano ad negandum Christum. Respondeo, in hoc eventu hominem illum non propterea sibi persuasurum se damnandum, si confiteatur Christum, sed potius resuscitandū, vt confiteatur peccatum, quemadmodum Abrahamus, Isaac sacrificare volēs, credebat

debat illum posse à Deo resuscitari, vt adimplerentur Dei promissa, alioqui de ijs dubitaret, & foret infidelis. Vel dicito repugnare, quod Deus etiam pro illo eventu velit confessionem esse necessariam ad salutem.

38 Dices vltimo ex Patre Suares disp. 3. de pœnitentia num. 6. potest Deus pro sua voluntate hominē ad æterna tormenta destinare sine alia causa, nisi vt dominium ostendat: ergo potest homini præcipere vt accepter libere illud tormentum. Quo in eventu esset obligatus ad eligendam æternam pœnam pro evitanda culpa. Respondeo primo, antecedens mihi videri impossibile, quia pugnat cum infinita Dei bonitate, & cum sincera intentione beatitudinis naturalis, ad quam destinat hominem per creationem ipsius; cum hac enim seria intentione non cohæret, quod nulla præcedente culpa, velit hominem privare omni fœlicitate. Deinde permisso antecedenti, neganda est consequentia; quia nequit Deus homini præcipere, vt eligat id, quod ipsi summum malum est, & nullatenus esse valet medium ad fœlicitatē; siquidem hanc voluntas, vel veram, vel apparentem in omni electione quærere debet: esse autem in æternum miserum nec est, nec apparere potest medium ad fœlicitatem. Denique; quia nec Deus potest præcipere homini, vt eligat infernum ex amore ipsius Dei, cum repugnet, vt ex amore finis moveatur quis ad carēdum illo in sempiternum. Nec vt eligat ex amore sui, cū ex terminis repugnet, vt quis ex amore sui moveatur ad amplectendam æternam sui miseriam,

SECTIO QVINTA.

An ex motivo charitatis possit quis detestari vnum peccatum mortale sine alio.

39 SVPPONIMVS id posse fieri ex peculiari motivo, v.g. ob specialem turpitudinem: nā potest quis incestum detestari ob peculiarem illius turpitudinem, quin detestetur simplicem fornicationem. Dubium ergo solum est, an ex motivo charitatis, vel alio vniversali complectente sub se omnia mortalia, possit quis detestari vnū peccatum mortale, quin formaliter, vel virtualiter detestetur reliqua. Tunc autem formalis detestatio omnium peccatorum datur, quando præcedit memoria omnium saltem in confuso; virtualis vero dum solum precedit memoria vnius & voluntas illud detestatur ex motivo communi cum alijs tali tendendi modo, vt si alia occurrerent, illa quoque detestaretur.

40 Pater Ripalda disp. 131 de ente supernaturali sect. 4. num. 25. asserit posse Deū ex motivo charitatis (non est sermo de dilectione perfecta super omnia: nam certum est hanc movere ad detestanda omnia mortalia vt constat ex sect. 3.) diligi efficacia adeo remissa, quę componatur cum affectu alicuius peccati mortalis: ac proinde posse odio haberi vnum peccatum mortale ex motivo charitatis, quin odio habeatur etiam virtualiter aliud, nam potest esse efficacia dilectionis Dei, aut detestationis peccati ex modo tendendi in bonitatem divinam adeo frigida, vt possit contemnere aliqua bona temporalia, quin omnia; vt patet in amicitia hominis ad hominem, interdum enim potest quis ita amicum diligere, vt vi huius dilectionis paratus sit pro illo divitias, honorem, & vitam ipsam ponere; interdum ita vt divitias, & honorem; non autem vitam; interdum vero ita, vt solas divitias.

41 Quod confirmat: nam ex motivo temperantiæ potest quis efficaciter decernere abstinentiam à cibo, & non à potu, quia hoc secundum est illi difficilius; item, ex motivo iustitiæ potest is, qui debet decem, moveri ad restituendum tantum quatuor, coniungendo cum voluntate restituendi illa nolitionē efficacem restituendi decem. Et ratio est, quia licet motivum iustitiæ de se sufficienter inclinet etiam ad restitutionem decem, tamen, quia vim suam motivam non exercet nisi iuxta efficaciam, qua in illud voluntas afficitur potest hæc tā debiliter erga ipsum affici, vt eius efficacia solum extendatur ad restituendum quatuor, non autem decem.

42 Communis tamen sententia apud Patrem Suarez disp. 3. de pœnitentia sect. 8. & Cardinalem de Lugo disp. 5. num. 73. oppositum docet. Præcipua autem ratio pro ea sumitur à paritate fidei: implicat enim, vt quis credat aliquod mysterium fide divina, quia à Deo revelatum est, quin virtualiter credat raliqua: ergo implicat vt charitate divina detestetur quis aliquod mortale, quia est Dei offensa, quin virtualiter detestetur reliqua Hæc tamen ratio

inter-

intentum non evincit: nam qui credit aliquod mysterium, quia à Deo revelatum est, propterea virtualiter credit reliqua, quia si certo cognosceret alia esse à Deo revelata ex modo assentiēdi huic mysterio cogeretur assentiri alijs, eo quod supposito assensu revelationis, nulla est difficultas in assentiendo mysterio revelato; at qui detestatur aliquod peccatum vt Deo displicens non propterea vi huius odij videtur cogi ad detestandum aliud evitatu difficilius, quamvis sciat illud etiam displicere Deo: quia hæc scientia non habet connexionem cum detestatione, sicut notitia revelationis habet connexionem cum assensu mysterij revelati.

43 Probat præterea à priori Lugo; quia quando voluntas fertur in aliquod obiectum propter aliquod motivum eo ipso fertur in illud immo principalius iuxta vulgare axioma: propter quod vnumquodque tale, &c. Quod *hic* potissimum locum habet: nam si ego volo medicinam propter sanitatem, à fortiori volo sanitatem: similiter si fugio potum propter febrim, à fortiori fugio febrim: pariter ergo si detestor furtum propter Dei offensam, magis illam detestor: sicut ergo cum illo actu nequit cōponi volitio furti, ita nec volitio offensæ Dei.

44 Sed nec ista ratio intentum concludit. Pro quo nota duplicem esse finem, aliud moventem, vt sit, vt sanitas movet ad fugiendum potum nocibum, & eligendam medicinam salutiferam, vt hoc modo ipsa sit, seu causetur: alium moventem, quia est: quo pacto Dei bonitas ipsum movet ad operandum, & eadem à nobis dilecta per actum charitatis movet nos ad amandum ea, quæ ipsi placent, & detestandum ea, quæ displicent. Igitur quando finis est primi generis, nequit quis efficaciter amare medium propter finem, & tamen habere nolitionem efficacem finis; quia hoc ipso efficaciter vellet, & nollet, vt vnicus, & idem finis existeret, quod repugnat. At quando finis est secundi generis, non videtur res ita se habere: nam quod tunc intenditur non est finis movens, seu motivum, quod primo inclinat voluntatem ad amandum, quia quando movet finis, quia est, amans non intendit eius existentiam, sed illam præsupponens, propter ipsam intendit aliquid aliud: ergo dum alia ratio non adducitur, nihil repugnare videtur vt ita quis afficiatur erga illum finem præsuppositum, vt vi huius affectus disponatur ad detestandum aliquid contrarium inclinationi illius finis, & non omnia. Cur ergo bonitas Dei vt amata per actum charitatis non poterit movere ad detestandū aliquod mortale gravissimum; quin moveat ad detestanda alia minora? Sicut in sententia communi movet regulariter ad detestāda omnia mortalia, quin moveat ad detestanda venialia.

45 Et hinc deducitur contra Patrem Martinon disp. 48. de pœnitentia num. 59. non posse quem efficaciter detestari vnum peccatum mortale propter infernum, quin detestetur virtualiter omnia. Ratio autem est, quia infernus non movet, quia est, sed quia potest esse, & movet, ne sit. Vnde qui efficaciter detestatur aliquod peccatum propter ipsū efficaciter intendit evadere pœnas inferni: implicatorium est autem quod in sensu composito huius intentionis committat aliquod peccatum mortale, sciens per illud incurri pœnam æternam.

46 Sed hinc poterit quis explicare rationem Cardinalis de Lugo: nam qui detestatur homicidium, quia est Dei offensa, sicut intendit, ne existat homicidium, ita intendit ne existat offensio passiva Dei, seu odium inimicitiæ conceptum intuitu illius: ergo implicat vt in sensu composito talis detestationis committat aliud mortale, per quod incurritur odium inimicitiæ; alioqui simul vellet, & nollet efficaciter, vt existeret odium inimicitiæ.

47 Sed adhuc hæc explicatio non quietat animum: nam odium illud, quod intendit cavere, qui detestatur peccatum, non est obiectum formale, sed puta materiale charitatis: duplex enim distinguendum est odium Dei circa homicidium, alterum abominationis, quo homicidium ipsum aversatur, & quantum est ex se vult, ne existat; alterum inimicitiæ, quo aversatur peccatorem, quia cōmisit homicidium. Iam ex his duobus odijs primū supponitur ante peccatum, & hoc est, quod movet ad ipsum detestādum, & fugiendum odium inimicitiæ concipiendū intuitu eius, qui enim amat Deum, ideo movetur ad detestandum peccatum, quia scit esse contrarium inclinationi ipsius Dei, seu odio, quo Deus ex se abominatur existentiam peccati, non autē quia scit esse contrarium odio

inimi-

odio inimicitiæ cõcipiendo intuitu peccati existentis, nam huic odio peccatum non est contrarium, sed potius necessario ad ipsum præsupponitur. Vnde odiũ illud inimicitiæ pure terminat, non autem movet detestationem peccati prævenientem à charitate. Cum ergo Deus habeat inclinationem, ne committatur furtum, & maiorem, ne committatur homicidiũ, cur non poterit affectus charitatis esse adeo imperfectus, vt moveat ad detestandum homicidium, quia contrarium maiori Dei inclinationi, non autem furtum, quod alteri minori inclinationi. Adde odium inimicitiæ conceptum intuitu homicidij esse diversum ab odio concepto intuitu furti: cur ergo non poterit homo intendere cavere vnũ odium, & non alterum? Sanè ratio Cardinalis, & exempla ab eo adducta rei huius repugnantiam non probant.

48 Ego sententiam communem sic probo: nam implicat amorem charitatis erga Deum si sit efficax, & transformans amantem in Deum amatum nõ detestari virtualiter saltem omnia mortalia. Primo, quia si non detestatur omnia, nullum detestatur, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio; fac enim hominem diligere Deum amore amicitiæ, quin cogitet de vllo peccato, certe hic amor formaliter solum terminatur ad Deum: cur ergo virtualiter ferretur in vnum mortale potius, quam in aliud, siquidem ex modo tendendi in Deum non magis respicit vnum, quam aliud? Secundo à priori, quia cum per quodlibet mortale dissolvatur amicitia Dei cũ homine, sane affectus ille, quo homo diligit Deum vt amicum, debet ita disponere amantis animum, vt nihil valeat in sensu composito eius admittere contrariũ amicitiæ; cum implicet me amare Deum amicabiliter, & simul scienter admittere aliquid, quo scio ipsum graviter offensum iri, & me habiturum vt inimicum.

49 Dices: potest aliquis amare Deum propter se amore charitatis, qui solum velit Deo bona intrinseca nempe perfectiones eius necessarias; hic autem amor non amat amicitiam Dei cum homine, quæ est aliquid contingens: ergo non opponitur cum volitione eligente aliquod peccatum contrarium amicitiæ. Respondeo primo ex dictis sect. 3. amãtem Deum amore amicabili velle efficaciter adhærere Deo amicabiliter, & esse vnitum affective cum illo; quod sufficit vt nequeat amor ille componi cum peccato mortali; nam qui scienter hoc admittit, hoc ipso contemnit amicitiam, & vnionem affectivam cum Deo: non stat autem aliquem efficaciter velle esse vnitum affective cum altero, & tamen hanc vnionem contemnere.

50 Respondeo secundo: quamvis amor ille non reflectat supra seipsũ, nihilominus ita afficere amantem erga amatum, vt illum contemnere nequeat in sensu composito sui: quicunque autẽ graviter Deum offendit, illum contemnit: & hæc est ratio, cur peccatum mortale mereatur pœnam æternam, nimirum quia est contemptus Maiestatis infinitæ: ergo omnis amor efficax hominis erga Deum ita illum affective vnit cum illo, vt simul admittere nequeat peccatum mortale. Et sane, qui non movetur ad detestandum peccatum: quia est contemptus divinæ bonitatis, sed quia est contemptus in tali materia, hoc ipso convincitur non amare Deum ex motivo charitatis, quæ præcipue cavere debet contemptum bonitatis, quam propter se amat, & magis detestari, quod est præcipuum in mortali. At in peccato homicidij v.g. præcipuum est, quod sit contemptus supremi numinis, in qua ratione convenit cum omni mortali; minus autem præcipuum, quod sit in tali materia: ergo &c.

51 Hinc patet ad primum fundamentum Ripaldæ: ad exemplum de amicitia inter homines, respondeo amorem amicitiæ vnius hominis cum altero, si verus, & sincerus sit, componi non posse cum voluntaria electione alicuius actionis, quæ præbeat amico rationabilem causam aversionis, & moveat ipsum ad voluntatem efficacem negandi alteri communicationem amicabilem. Ad cõfirmationem admitto, quod in illa dicitur, nego tamen inde fieri paritatem ad nostrum casum propter rationes, quas modo assignavimus, quæ speciales sunt pro amore amicitiæ. Addo in illo exemplo iustitiæ, motivum operandi non esse honestatem iustitiæ secundum se, sed prout in tali materia; nam illud ibi est motivum, quod voluntas intendit consequi vt finem; non intendit autem consequi honestatem iustitiæ nisi in tali materia: ergo &c. At in materia charitatis motivum detestãdi peccatum semper est idem nempe bonitas divina secundum se.

SEC-

SECTIO SEXTA.

An ex motivo charitatis possit quis detestari vnum peccatum veniale sine alio.

52 NON posse quem ex motivo charitatis detestari vnum peccatum veniale, quin virtualiter detestetur omnia mortalia, certo certius est: nam qui fugit hic, & nunc actionem aliquam præcisè, quia displicet Deo, etsi leviter, à fortiori fugeret quancunque aliam, si sciret displicere graviter. Deinde certum est posse detestari vnum peccatum veniale sine alio ex motivo peculiaris turpitudinis repertæ in vno, quæ non reperitur in alio. Iam ad quæstionem respondeo negative, quia qui detestatur veniale ex motivo charitatis, detestatur illud: quia est contra inclinationem divinæ bonitatis, seu contra divinum beneplacitum: quæ ratio communis est omni veniali.

53 Dices: posse me ex affectu charitatis erga Deum detestari aliquod veniale non precisè, quia Deo displicet, sed quia intra genus offensæ levis habet maiorem gravitatem, quam aliud. Respondeo in peccato veniali præcipuum esse quod Deo displiceat, minus autem præcipuum, quod displiceat in tali, vel tali materia, vel secundum magis, & minus intra lineam venialis: affectus autem charitatis illam rationem præcipuè debet attendere in peccato, quæ in illo præcipua est. Vnde qui detestaretur veniale non præcisè, quia Deo displicet, sed quia displicet in tali, vel tali materia, non exerceret actum charitatis, sed alterius virtutis.

SECTIO SEPTIMA.

An contritio perfecta debeat esse amor Dei formalis, & amorem formalem suppponere.

54 PATER Suarez disput. 4. de pœnit. sect. 2. num. 15. & cum ipso P. Martinus Perez disp. 2. sect. 2. & alij arbitrantur cõtritionem ipsam perfectam non esse formaliter amorem Dei, sed tantum virtualiter. Rationem reddunt, quia ille actus non tendit directe in Deum tanquam in obiectum quod; sed tantum in obiectum quo, seu rationem proximam detestandi peccatum. Deinde quia contritio est affectus fugæ, amor autem formalis Dei est affectus prosecutionis.

15 Nobis oppositum placet cum Patre Vazquez hac quæstione 85. art. 6. num. 42. ratio est, quia contritio detestatur peccatum, quia malum Deo. Vnde Deum respicit vt finem cui, ac proinde vt obiectum quod amatum: nam sicut amare malum alicuius, quia malum eius, est formalissime illum odio habere; ita odio habere malum alicuius, quia malum eius est, est formalissime ipsum amare. Quare contritio est fuga respectu peccati, & formalis prosecutio respectu Dei.

56 Sed vlterius sciendum restat an pro priori ad contritionem formalem præcedere debeat amor Dei super omnia illam inferens? Respondeo affirmative, quia implicat mihi displicere aliquid, quia malum alteri, nisi pro priori præcedat amor transformans me in alterũ, vt ita possim malũ eius respicere vt proprium: nam siquis odio habeat alterum, ab illoque sit affective seiunctus, implicat vt ex hac suppositione doleat de malo illius, quia malum illius est: ergo vnio affectiva cum altero est necessaria dispositio, vt mala illius possint mihi displicere, quia mala illius sunt. Hinc cum D. Thom. 1. 2. quæst. 29. art. 2. censeo in creatis omnem affectum odij essentialiter præsupponere amorem: nam si odio habeo malum, quia mihi malum, præsuponitur amor mei erga me ipsum: si odio habeo malum alterius, quia malum eius est, præsupponitur amor meus erga alterũ. Ex his deduces non posse remitti peccatum extra Sacramẽtum sine dilectione Dei formali, quia non stat contritio perfecta sine illa.

SECTIO OCTAVA.

An ad contritionem iustificantem extra Sacramentum sufficiat virtualis detestatio peccatorum.

57 DETESTATIO virtualis peccatorum est illa, quæ includitur in ipsa dilectione Dei super omnia, ac proinde hęc detestatio non requirit memoriam peccatorum: nam siquis omnino oblitus de peccatis suis eliciat actum dilectionis Dei super omnia, hic habet contritionem virtualem peccatorum; nam per illam

illam dilectionem præferet Deum omnibus alijs, ac proinde virtualiter vult omnia post habere, ne eum offendat. Dubitatur ergo, an hæc contritio virtualis tantum, & implicita sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentū.

58 Cui dubio respondendum est affirmative cum P. Suarez disp. 9 de pœnitent, sect. 1. cum Vazquez quæst. 86. art. 2. dub. 1. cum Cardinali de Lugo, & alijs communiter contra Canum relect. de pœnitentia p. 3. & Petro, Soto lect. 3. Probatur autem ex illo Ioannis 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum.* Et ex illo primo Ioannis 14. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Non ergo stat peccatorem diligere Deum super omnia, & tamen non diligi à Deo amicabiliter, & manere in eius gratia. Ratio autem est, quia dilectio Dei super omnia est perfecta conversio hominis ad Deum virtualiter continens contritionem de offensis commissis, & propositum iterum non offendendi Deum; ac proinde infallibiliter affert secum conversionē hominis ad Deum iuxta illud, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

59 Dubium est, an cum peccator recordatur peccatorum suorum, sufficiat dilectio Dei super omnia sine expressa contritione: affirmant Cardinalis de Lugo, disp. 5. num. 55. Sed nobis negandum est cum Patre Suarez vbi supra num. 11. asserentis extra casum oblivionis non remitti peccatū sine formali pœnitentia. Probatur autem nostra assertio primo, quia fieri non potest, vt quis sciens se graviter Deum offendisse, ipsum diligat super omnia, quin hoc ipso detestetur peccatum commissum, si habeat potentiam proximam ad illam detestationem: quia sicut repugnat, vt stante illa dilectione, approbet peccatū commissum, ita repugnare videtur, vt stante illa dilectione nō reprobet illud.

60 Ratio à priori est: quia cum dilectio illa Deum æstimet super omnia nequit non inferre detestationem actus contemnentis ipsum, si id advertat homo illam eliciens, & habeat proximam potentiam ad illam detestationem.

61 Probatur secundo: quia quamvis dilectio Dei super omnia posset connaturaliter consistere cum voluntaria omissione contritionis, nihilominus dum coexisteret cum nolitione libera eliciendi formalem contritionem de peccatis cognitis vt commissis, & nō dum deleris, non afferret secum remissionem illorum, tum quia is, sciens se offendisse Deum, & potens elicere contritionem, illam non elicit, nec formaliter, nec virtualiter retractat peccatum: non possumus enim prudenter interpretari, quod retractet peccata ille, qui habet expressam, & formalem voluntatem non retractandi; tum quia contritio formalis peccati per se loquendo necessaria est ad impetrandam eius veniam, vt colligitur ex Tridentino sessione 14. cap. 4. Vbi post definitam contritionem subdit: *Fuit autem omni tempore necessarius hic motus ad obtinendam peccati veniam.* Et ex illis verbis Christi Domini, Lucę 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: ergo solum per accidens, nimirum quando non occurrit memoria peccatum, poterit sufficere dilectio sine contritione, non autem per se, & in omni eventu.

SECTIO NONA.

An contritio perfecta sine proposito expresso non peccandi de cætero sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

62 SVPPONO ad præsentem quæstionem, non posse aliquem de peccatis præteritis efficaciter dolere ex motivo charitatis, quin saltē virtualiter detestetur futura: nā qui dolet de peccatis, quia sunt gravis Dei offensa, & contemptus Divinæ Maiestatis, ita affective fugit culpam præteritam, vt si nunc foret in ipsius potestate facere, ne illa præcessisset, id absdubio faceret; qui autem ita avertatur culpam præteritam, nequit in sensu compositio huius aversionis habere voluntatem efficacem committendi peccatum aliquod mortale, tunc vel postea, quod sufficit, vt illa contritio sit virtuale propositum non peccandi de cætero. Suppono secundo, posse quem dolere de peccatis præteritis, quin de vita futura aliquid cogitet, ac proinde quin expresse proponat non peccare in futurum. Quæstio ergo est, an illa contritio tunc sufficeret ad iustificationem extra Sacramentum.

63 Negant antiqui Theologi apud Patrem Suarez disput. 4. de pœnit. sect. 3. num. 1. Nobis dicendum est primo cum ipso Eximio Doctore, ibi, & cum Patre Vazquez quæst. 86. a. 2. dub. 4. per

4. per accidens sufficere contritionem perfectã de peccatis præteritis sine proposito expresso amplius non peccandi, nimirum cum non advertit homo nisi ad peccata commissa, nec quidquam cogitat de vitandis peccatis pro tempore futuro, quia id memoriæ non occurrit: in illo nanque eventu vere convertitur ad Deum conversione perfectissima orta ex motivo charitatis: ergo Deus convertitur ad ipsum, & sic videtur contigisse Davidi nam cum primo à Propheta Nathan increpatus est, dixit: *Peccavi Domino*, & statim iustificatus est, quin ibi fiat vlla mentio mutandi vitam in futurum.

64 Dicendum est secundo per se requiri illud propositum explicitum, nimirum cum menti occurrit disponere de vita futura: nam tunc ipsa contritio necessitatem imponit homini eliciendi illud propositum. Et quamvis eam necessitatem non imponeret, si tamen homo sciens, & prudens nollet illud propositum elicere, non sufficienter esset dispositus ad iustificationem: nam tunc nec formaliter, nec virtualiter haberet propositum mutandi vitam. Non formaliter, vt patet, non virtualiter, quia non vult virtualiter homo illud, quod efficaciter repudiat, idque colligitur ex authoritate Tridentini citata sectione antecedenti, & ex locis Scripturæ, in quibus ad veram pœnitentiam nova vitæ emendatio postulatur, vt Ezechiel 18. 33. Psalm. 50. & Apocal. 2.

SECTIO DECIMA.

An contritio sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum debeat esse de omnibus peccatis in particulari.

65 AFFIRMAT Caietan. relect. de pœnit. p. 3. dub. vltimo, quam sententiã colligit ex Augustino de vera, & falsa Religione cap. 9. ex Chrisostomo tom. 5. lib. 1. & 2. de contritione; & ex illo Isaiæ 38. *Recogitabo omnes annos meos*; & ex illo Psalm 76. *Cogitavi dies antiquos.*

66 Negat vero communis, & vera sententia, quam late defendunt P. Suarez disp. 4. sect. 3. & P. Vazquez quæst. 86. art. 2. dub. 7. qui recte contra Scotum ostendit, nec fuisse præceptum in naturali, aut scripta lege, nec in Evãgelica esse revocandi in memoriam peccata, nisi vt illa confiteamur. Probatur autem: nam vt quis perfecte conteratur de peccatis ob Deum summe dilectum, satis est, quod in confuso apprehendat se Deum offendisse. Illa nanque contritio esset perfecta amicitia hominis cũ Deo, perfectaque ad illum conversio, ac proinde per illam homo sibi Deum reconciliat. Nec ex Patribus citatis aliud colligitur, quippe qui vel solum docuere illam recogitationé peccatorum esse vtilem, vt magis quis humilietur, & fervẽtius in se concipiat odium: vel solum docuerunt esse necessariam, vt quis confiteatur: loca vero scripturæ tantum suadent Regem Ezechiam, & Davidem recogitasse peccata sua in particulari: non autem, quod hoc illis fuerit necessarium ad impetrandam eorum veniam.

SECTIO VNDECIMA.

An, in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat dilectio Dei sine expressa contritione.

67 DIXI *in homine iusto*: nam in peccatore nequeunt venialia remitti sine mortalibus, vt fert communis sententia apud Patrem Vazquez 1. 2. disp. 141. cap. 2. supponimus autem vt rem exploratam contritionem formalem de venialibus sufficere extra Sacramentum ad ipsorum remissionem.

68 Durandus in 4. dist. 16. q. 4. negat actum dilectionis Dei quamtumvis fervidum sufficere, quia peccatum veniale potest cum illo consistere. Sed contra; quia dilectio Dei super omnia potest esse adeo fervens, vt cum illa sistere nequeat offensa aliqua formalis Dei, quantumvis levis. Immo probabiliter supra asseruimus quamcunque dilectionem Dei super omnia hoc habere. Vbi autem dilectio Dei talis est, vt cohærere nequeat cum veniali actuali, est virtualis retractatio peccati venialis præteriti, ac proinde sufficiens ad illius remissionem.

69 Nobis dicendum est cum sententia communi dilectionem Dei, quæ sit virtualis detestatio venialium sufficere ad illorum remissionem extra Sacramentum: erit autem virtualis detestatio, quando ita disponat animum, vt occurrente memoria eorum, inferat expressam, & formalem ipsorum

forum contritionem. Suadetur assertio: quia similis detestatio virtualis mortaliū satis est ad ipsorum remissionem, vt supra ostendimus.

70 Dices discrimen esse, quod Deus ad præstantiam talis dilectionis infundit gratiā formaliter delentem mortalia: non infundere autem aliquam formam delentem formaliter venialia. Sed contra: quia licet dilectio illa non remittat formaliter mortalia iuxta sententiam communē, sed tantum disponat vltimo ad gratiā formaliter illa remittentē: at relate ad venialia non est dispositio, sed forma abstergens, & formaliter emundans maculam à venialibus relictam. Vt patet à simili de contritione formali, quæ licet in sententia communi non deleat formaliter mortalia, quorum est dolor, delet tamen formaliter venialia, quorum est detestatio. Vnde argumentum nostrum est à fortiori.

71 Ratio autem cur contritio virtualis, vel formalis per seipsam deleat maculam relictam à venialibus, & per se ipsam iuxta sententiam communiorē non deleat formaliter maculā relictam à mortalibus est, quia illa contritio non est condigna satisfactio pro mortalibus, est autem condigna satisfactio pro venialibus; idque discremen oritur ex eo, quod venialia non privant animam aliquo dono habituali, sed tantum fervore charitatis: vnde vt remittantur, non requirunt infusionem doni habitualis, sed contenta sunt fervore charitatis. Fervor autem iste, quo privat veniale, vt observat Pater Suarez quæst. 87. art. 1. num. 9. non est intensivus, sed extensivus, & ex parte obiecti; nam actus charitatis si sit perfectus extendit se ad omnia, quæ Deo placent, & excludit actionem Deo displicentem, quo fervore privatur homo per peccatum veniale, quia qui venialiter peccat, nequit in sensu composito habere dilectionem ita perfectam, vt cogat amantem nihil eligere displicens Deo. Vnde per positionem huius ferventis dilectionis emundatur homo à macula relicta ex venialibus.

72 Maior est difficultas de dilectione Dei super omnia, quæ non sit virtualis detestatio venialium, an illa sufficiat ad eorum remissionem. Affirmat Scotus apud Patrem Vazquez hic quæst. 87. art. 1. num. 2. quia dilectio illa magis Deo placet, quam ei displicuit peccatum veniale: ergo illud delet. Sed contra primo: quia si illa dilectio ex hoc capite talem vim habet certe peccata venialia iustorum delerentur per quæcunque opera illorum magis Deo placentia, quam displicuerunt venialia, immo per opera æque placentia. Vnde fideles pro extinguendis peccatis non magis deberent conari ad eorum contritionem, quam ad alia opera honesta, quod est contra communem sensum.

73 Deinde, quia vel illa dilectio delet venialia in genere causæ formalis suapte natura incompossibilis cum macula relicta ab illis: vel in genere causæ meritoriæ moventis Deum, vt illa condonet extrinsece: (supponimus enim ex communi sententia venialia non deleri formaliter per infusionem alicuius doni habitualis;) at neutrum dici potest. Non primum, quia illa dilectio non est incompossibilis cum macula ab ipsis relicta. Rursus: quia cum dilectio illa non magis respiciat vnum veniale, quā alia, vel nullum delet, vel deleret in numera, si commissa fuissent, quod videtur absurdum. Deinde non potest dici secūdum; quia vel condonatio extrinseca repugnat; vel licet sit possibilis, sane actus meritorius, qui ex se non est retractatio venialis, suapte natura non ordinatur, nisi ad augendam gratiam, & charitatem: nullum ergo est fundamentum vt dicamus intuitu illius remitti venialia. Ex eo vero quod magis placeat, quam displicuit veniale, solum probatur constituere hominem dignum maiori Dei gratia: hæc autem dignitas non pugnat cum macula veniali, sicut nec ipsa maior gratia, cuius est dignitas.

74 Dicendum ergo est cum sententia communi apud Lugum disp. 9. num. 23. nunquam remitti venialia extra Sacramentum sine formali, vel virtuali contritione illorum. Et hinc deduces aliquam Dei dilectionem de se sufficere vt mortalia remittātur extra Sacramentum; non tamen vt remittantur venialia, nimirum, quia est contritio virtualis mortalium, & non venialium.

75 In fine adverto, quod supra dixi, contritionem perfectam in homine iusto delere per seipsam formaliter maculam venialem, negari à Cardinali de Lugo disp. 9. de pœnitentia num. 18. cō tendente contritionem solum esse dispositionem de congruo, vt Deus venialia remittat formaliter per condonationem extrin-

extrinsecam. Sed parum vrgent fundamenta quib⁹ ducitur. Probat enim n. 19. contritionem non delere formaliter venialia, quia alioqui vilesceret hominib⁹ malitia illorũ vtpotè delebilis per proprios actus. Hoc autem fundamentum non vrget: quia sicut non vilescit in ipsius sententia ex eo, quod homines certo credant sibi condonanda esse à Deo peccata omnia si eliciant perfectam illorum contritionem: ita &c. Ratio vero est: quia qui nunc peccat minime scire potest se postea eliciturum contritionẽ, cum hæc sit speciale donum Dei peccanti minime promissum. Nec magis vrget aliud fundamentum desumptum ex eo, quod totus valor contritionis adequalitatem remuneratur per augmentũ gratiæ, & gloriæ: etenim remissio venialium non est prẽmium contritionis, sed effectus formalis ab ipsa præstitus, siquidem non delet venialia promerendo eorum veniam, sed illam extinguendo in genere causæ formalis per modum condignæ satisfactionis. Vnde tota vis meritoria cõtritionis versatur circa augmentum gratiæ, & gloriæ.

SECTIO DVODECIMA.

Quid sit attritio, & in quo à contritione perfecta differat.

75 DICENDVM est primo cũ Patre Suarez in præsenti contra aliquos antiquos attritionem supernaturalem, quæ cum Sacramento disponit sufficienter ad iustificationem, non differre à contritione perfecta per minorem intensionem, vel durationem, vel carentiam informationis à gratia habituali, sed penes motiva diversa: nam contritio perfecta est dolor de peccatis ob Deum summe dilectum; attritio vero ob alia motiva.

76 Tria autem solent assignari motiva attritionis, nimirum turpitudo specialis ipsius peccati, pœna inferni, & amissio gloriæ: nam potest quis excitari ad dolorẽ de peccatis, vel quia cognoscit ille habere talem, vel talem turpitudinem contra dictamen rationis, vel contra talem, vel talem virtutem, vel quia per illa quis meretur privationem visionis beatificæ à se desideratæ, vel pœnam æternam sensus, quam timet. Discrimen hoc attritionis à contritione pulchre describit Bernardus tractatu de diligendo Deo circa finem: Est qui con-
„ fitetur Dao (inquit) quoniam potens
„ est, & est qui confitetur, quoniam sibi
„ bonus est, & item qui confitetur, quo-
„ niam simpliciter bonus est. Primus
„ servus est, & timet sibi. Secundus mer-
„ cenarius est, & cupit sibi. Tertius Fi-
„ lius est, & defert Patri. Itaque & qui
„ cupit, & qui timet, vtrique pro se
„ agunt; sola quæ in Filio est charitas
„ non quærit, quæ sua sunt.

77 Dicendum est secundo cum Cardinali Sfortia: motivum attritionis posse esse pœnam temporalem modo sit infligenda à Deo: alioqui non possemus atteri de venialibus ex metu Purgatorij. Ratio à priori, quia non solum pœnæ æternę, sed etiã teporales possunt ànobis Deo denuntiari, vt arceamur à peccando, aliunde vero non minus obsequium in principem est observare ipsius leges ex metu pœnæ levis, quam ex metu pœnæ gravis. Si ergo aliunde hoc motivũ sit vniversale, & firmissime creditum, poterit excitare voluntatem ad dolorem de peccatis, & propositũ non peccandi. Dolor autũ de peccatis ob motivũ purè temporale, & sine respectu ad Deum non est attritio supernaturalis, qualis requiritur ad iustificationem in Sacramento, vt si quis doleat de peccatis propter infamiam apud homines, vel propter infirmitatem contractam occasione peccati, & attritio innixa his motivis nõ convertit vllo modo hominem ad Deum; attritio autem, quæ cum Sacramento sufficit ad iustificationem debet convertere hominem ad Deum aliquo pacto.

78 Pro maiori explicatione attritionis, quæres primo, an illa sine dilectione Dei sufficat cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem? Verum de hoc in secundo tractatu agendum nobis erit. Quæres secundo, an attritio omnis, quę sit dolor efficax de peccatis ex amore gloriæ, vel metu gehennæ ortus, essentialiter incompossibilis sit cum peccato actuali? Cardinalis Sfortia in libello de pœnitentia num. 132. supponit nõ quamcunque attritionẽ efficacem, quantumvis respiciat motivum vniversale afferre secum necessario propositum efficax non peccandi de cætero, ac proinde supponit attritionem illam non esse incompossibilem cum peccato actuali, sed oppositum nobis asserendum est; nam qui ita detestatur furtum, quia per illud constituitur dignus pœna æterna, vt si

foret

foret in ipsius potestate facere, ne furtū cōmissum fuisset, id absq; dubio faceret ex vi præsentis affectus: qui ita, inquā detestatur culpā præteritā, impossibile est, vt in sensu composito talis detestationis admittat scienter aliquā actionē, qua sciat se constitui dignum pœna æterna.

79 Quæres tertio, an attritio supernaturalis elicita à peccatore sufficiat ad impetrandā remissionē venialiū sine remissione mortaliū? Negat communis, & vera sententia apud Amicum in præsenti d. 6. n. 71. at non omnes conveniūt in assignanda ratione, mihi ea videtur probabilior, quæ asserit propterea venialia nō remitti peccatori, quia eorū remissio est reintegratio ad familiaritatem Dei, ac proinde essentialiter supponit amicitiam eiusdē. Hinc communior sententia apud P. Vazq. 1. 2. disp. 141. cap. 2. docet peccata venialia damnatorum puniri pœna æterna, quia cum nunquam remittantur quoad maculam, nunquam etiam remittuntur quoad pœnam.

80 Quæres quarto, an saltem in homine iusto attritio supernaturalis afferat remissionē venialium? Affirmant Durandus, Gabriel, Henriq. Coninch. & alij, quorū sententiam probabilē appellat P. Suar. disp. 11. sect. 3. n. 11. Negant vero multi cum P. Vazq. q. 87. art. 1. n. 6. Quorum sententia magis mihi probatur: nā si attritio venialiū secum afferret eorum remissionē, nunquam illa remitterentur in Sacramento pœnitentiæ siquidē propriori supponerentur dimissa. Hoc autē videtur esse contra communē sensum fidelium, qui frequentant confessionem ad impetrandam remissionem venialium.

DISPVTATIO XXXIV.

DE PRAECEPTO CONTRITIONIS.

SVPPONENDVM est, cum communi Theologorū contra Victoriam apud P. Suar. disp. 15. sect. 1. & P. Vazq. q. 86. art. 2. dub. 2. contritionem perfectam esse sub præcepto. Quod probatur primo ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Secūdo à priori quia quæ sunt necessaria ad salutem, & aliunde sunt in nostra potestate, sunt sub præcepto; huiusmodi autem est contritio perfecta: ergo.

SECTIO PRIMA.

An statim post cōmissum mortale teneamur elicere contritionem.

1 AFFIRMANT Guillelmus Parisiensis, Argentina, Maior, Petrus Soto, & aliqui alij apud Cardinalem de Lugo in præsenti. Probatur autem primo hæc sententia; quia vnusquisque tenetur statim restituere, quod abstulit proximo, sive honorem, sive bona fortunæ: ergo peccator tenetur statim media contritione satisfacere Deo pro peccato. Secundo, quia differendo contritionem exponitur peccator periculo æternæ damnationis cum contingens sit, vt morte repentina præoccupetur. Tertio, quia qui fidem amisit, tenetur quam primum hæresim retractare: ergo qui amicitiam Dei amisit, tenetur quam primum eam recuperare. Quarto, quia nec de potentia absoluta potest Deus facere, vt mihi licitum sit amittere gratiam sanctificantem: ergo multo minus potest esse licitū voluntarie perseverare in statu peccati mortalis, & amissionis gratiæ. Quinto, quia non possumus differre correctionē fraternam, quando sine incommodo proprio adhiberi potest, & fructus speratur: multo autem magis tenemur nos ipsos, quam proximum corrigere: ergo non possumus differre correctionē propriā. Sexto, quia grauissimum malum est perseverare in statu peccati mortalis: vnusquisque autem tenetur vitare suum grauissimū malū. Vltimo, quia qui existit in peccato est in periculo probabili incidendi in aliud, vt enim inquit Greg. peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud: ergo tenemur statim hoc periculum declinare agendo pœnitentiam.

2 Vera tamen, & cõmunis sententia cum Exi. Doct. disp. 15. sect. 5. & P. Vazq. q 86. ar. 2. dub. 5. affirmat, præceptũ istud non statim obligare. Probat. 1. ex communi sensu fideliũ, qui in se talẽ obligationem non cognoscunt, nec de dilata contritione se accusant, nec confessarij de hoc interrogant pœnitentes. Secundo, quia alioqui per se loquendo, & secluſa ignorantia invincibili non excusaretur à mortali, qui accederet ad Sacramentũ pœnitentiæ, vel baptismi cum sola attritione cognita vt tali: quod tamen vt inquit Card. de Lugo, certum est esse contra cõmunem Theologorũ sensum. Probatur sequela, quia regulariter intercedit tempus inter dolorẽ de peccatis, & susceptionem Sacramenti. Vnde homo tunc omittens contritionem peccaret mortaliter, ac proinde non accederet cũ dispositione debita ad Sacramentum.

3 Tertio probatur à priori hæc sententia: quia præceptum delendi peccata per contritionem non tam est onus, quã privilegium concessum hominibus à liberalissimo Principe: quod proinde late est interpretandũ nimirũ interpretatione accommodata fini concessionis, nempe saluti animarũ: huic autẽ fini accõmodata interpretatione, quod hoc præceptũ non obliget statim, nam si statim obligaret frustraretur eius finis; nemo enim fere illi satisfaceret: vnde vrgeret in periculũ animarũ, quia dum peccator differret pœnitentiã augeretur peccatũ, & aucto peccato, creſceret abstinatio, redderetur̃q; difficilior pœnitentia, ac proinde ratior: quare maxime cõveniens fuit, vt hoc præceptum admitteret dilationẽ. Nec fuit necessũ, vt statim obligaret ad hoc, vt homo stimularetur ad agendam cito pœnitentiam: nam periculum damnationis æternæ sufficienter ad hoc stimulare valet.

4 Nec obstant fundamenta in contrariũ. Ad primũ negatur consequentia; nam lex contritionis est valde diversa à lege restitutionis; hæc enim vnice respicit vtilitatem creditoris, non autem debitoris, qui sæpe bonis proprij se debet expoliare, ne proximus damnũ patiatur; è contra vero lex contritionis vnice respicit vtilitatẽ ipsi⁹ debitoris, nempe hominis, non autem creditoris Dei scilicet, qui nihil lucratur per contritionẽ. Vnde lex contritionis nihil aliud est, quã lex, qua Deus cedens iuri suo ad puniendũ in æternũ peccatorẽ, illũ obligat ad acceptandam veniã peccati, ne incurrat æternã pœnam; hæc autẽ lex non debuit statim obligare, quia hoc foret Deũ homini quasi invito obtrudere veniã. Vnde De⁹ cõcedens homini potestatẽ eliciendi cõtritionẽ est veluti creditor optionẽ dans debitori, vel solvendi debitũ, vel acceptãdi gratuitã eius remissionẽ debet enim peccator ratione peccati pœnã æternã; & Deus concedens illi potestatẽ eliciendi contritionẽ, hoc ipso dat optionẽ, vt vel eligat solvere debitũ vel acceptare gratuitã eius condonationẽ, quod ipse præstat eliciendo contritionẽ. Consonũ autem rationi est, vt creditor optionẽ illã tribuens non obliget statim ad acceptandam gratuitam debiti remissionem.

5 Ad secundũ respondeo periculum illud generale moriẽdi repentine nõ sufficere, vt peccator obligetur ad agendam statim pœnitentiã: quia cum potestas illam agendi sit privilegium à Deo concessum in favorem animarum contra finem illius ageret Deus, si obligaret ad illud statim acceptandum.

6 Ad tertiũ ab omnibus reddenda est disparitas: nam qui contraxit hæresim negando aliquod mysteriũ sibi sufficienter propositũ, tenetur, cum primũ advertit, præbere assensũ illi mysterio, & hoc pacto renuntiare hæresi, vt fert communis sententia apud Thom. Sanchez lib. 2 in Decal. cap. 1. qui autẽ amisit amicitiã Dei per omissionem alicuius actus debiti, non tenetur etiam iuxta adversarios cum primũ advertit elicere actum illũ, per cui⁹ omissionẽ peccavit, sed satis est, quod eliciat dolorẽ de peccato cõmisso.

7 Ratio autẽ discriminis primo videtur esse, quia fides magis necessaria est ad vitanda peccata in posterum, quã habitus charitatis: cum illa sit initium salutis: nihil autem nimirum, quod maior sit obligatio recuperandi id quod est magis necessariũ ad abstinendum à peccato. Secundo à priori, quia suppoſita credibilitate mysterij nulla est maior difficultas in eliciẽdo assensu fidei statim, ac postea: vnde rationi consonũ est, vt statim obligetur homo ad illum eliciendum. At in nostro casu initio post commissum peccatum solet esse difficilior elicientia cõtritionis, quam postea: vnde æquum fuit vt posset homo impunè differre contritionem, vt interim vividius cogitaret motiva ad illam eliciendam, & paulatim cor emollires. Tertio, quia vt inquit Cardinalis de Lugo, sicut esset non levis irreverẽtia, si Regi, vel Pontifici aliquid sibi asseveranti non crederes, sed suspen-

so in-

so interim iudicio, deliberationē, & assensum in aliud tempus differres; sic gravissima est irreverentia, si Deo aliquid nobis asseveranti, postquam sufficienter nobis proposita est Dei locutio, adhuc assensum suspendimus.

8 Ad quartum nego consequentiā: ideo enim fieri nō potest vt homo voluntarie omittat gratiā sine peccato mortali, quia absurdū est Deū hominē privare amicitia sua, si ipse volūtariè non se constituat dignum illa privatione; quod non præstat nisi peccādo mortaliter: at quod gratiā semel amissam non statim recuperet, potest fieri citra culpā: nam per peccatū cōmissum constitutus est dignus carere in perpetuum gratia sanctificante. Quod autē Deus illi concesserit potestatē eam recuperandi per contritionē, non probat obligationē eliciendi ipsam statim, vt probatum manet.

9 Ad quintū respondeo pœnitentiā directe tendere ad abstergendam maculam relictā ex peccato præterito; correctionē vero ad evitandam novā culpam: finis enim eius est proximū proclivē ad novū lapsū in officio continere; non autē præcisè ipsū movere ad dolendū de peccato commisso. Vnde dispar est vtriusque ratio: fatemur sicut quis tenetur liberare proximū à periculo novi peccati, ita teneri libatare seipsū: negam⁹ tamen teneri ad abstergendā statim maculā relictā ex culpa præterita. Hinc deduces charitatē fraternā non obligare ad reprehendendū proximū, nisi quando periculū est novi lapsus: vnde quāvis quis certo sciat fratrē suū graviter deliquisse, non tenetur illū monere, vt resipiscat, nisi advertat periculū novi lapsus, vel iudicet eum versari in periculo æternæ damnationis, nisi statim agat pœnitentiam, tunc enim tenetur ipsum hortari ad pœnitentiā, sicut ille qui constitutus est in tali periculo, si illud advertat tenetur statim agere pœnitentiam.

10 Ad sextum concedo, gravissimū esse malū perseverare moraliter in culpa physice præterita, seu retinere maculam ex illa relictā. Cæterū hoc malū est debitū propter culpam præteritam, & ex terminis suis nihil importat contra rectā rationē; quod patet: nam Deus nihil potest velle contra rectā rationē, & tamen ex suppositione quod homo peccavit, vult, vt perseveret moraliter culpa illa physice iam transacta, quatenus vult illam non remittere infundendo gratiam, vel alio facto illā condonando. Vnde infero posse hominem, qui peccavit actualiter ex hac suppositione velle saltem indirecte esse aliquandiu in statu peccati absque novo peccato: nam quāvis absolute, & simpliciter sit malum, ac proinde ineligibile ab homine esse in statu peccati: tamen ex suppositione quod homo peccavit, non est malū, quod culpa illa physice iam præterita moraliter perseveret: vnde ex hac suppositione potest homo saltē indirecte velle perseverantiā illam moralē pro aliquo tempore, quatenus potest velle non agere pœnitentiam, sciens esse medium vnicum ad auferendam illam perseverantiam.

11 Dices hanc rationē multū probare: nam sicut per peccatum actuale fit homo dign⁹ carentia tēporali gratiæ ita fit dign⁹ carentia æterna: & damnatione: ergo si quia est dign⁹, potest absque peccato indirecte amare perseverantiā moralē culpę pro aliquo tēpore, ita poterit, & pro tota ęternitate. Respondeo id non sequi, quia eligere æternā damnationē est intrinsece malū, vt probatū est disp. 2. sect. 4. Vnde homo voluntariæ omittens pœnitentiā cum scientia futurę damnationis gravissime peccaret: nam charitas erga seipsū, etsi non obliget vt statim post cōmissum peccatū de illo pœniteat, obligat saltem, quando adest periculum certum æternæ damnationis.

12 Ad vltimū respondeo illo argumento non probari, quod quis teneatur agere statim pœnitentiā, quia peccatū cōmissum non trahit secum novū peccatū ex eo, quod homo statim non pœniteat; quod si traheret ab dubio teneretur peccator avertere hoc periculum.

13 Dices, si quis vellet, & positive procuraret, vt proxim⁹ eius perseveraret per aliquod tempus in peccato habituali peccaret mortaliter: ergo etiam peccavit mortaliter, si vellit permanere amplius in peccato habituali proprio. Admisso antecedenti, nego cōsequentiā: nā charitas erga seipsū non obligat ad evitandū quodcunque malum, etiamsi illud tale sit: at charitas erga proximum obligat ad illud vitandum in alio: vt apparebit ex hoc exemplo: nam si ego scirem bonam famā propriā mihi iniuste ablatā post annum v. g. esse recuperandam, non teneret nunc procurare illius reparationem; & tamen si commode possem facere, vt proximus hoc anno recuperaret famam iniuste amissam, non possem id differre in annum sequentem. Et ratio à priori est: quia proximus peteretur invi-

tus detrimentum famæ; ex qua suppositione habet ius, vt ego eius modo prospiciam: ego autem non invitus, sed voluntarie paterer detrimentum famę propriæ: sic ergo in nostro casu, &c.

SECTIO SECVNDA.

Quo tempore obligetur peccator præcepto contritionis.

14 MARSILIVS, Vigeri°, & Petrus Soto affirmant obligare in diebus festis: quia eorum observatio ordinatur in sanctificationem animarum. Hadrianus, obligare, quando magna aliqua calamitas populo imminet. Sotus vero docet obligare, quãdo est in periculo oblibionis peccatorum. Sed hæ sententiæ iam sunt antiquatæ, & ab omnibus deseruntur. P. Suar. disp. 5. de pœnit. sect. 6. Henriq. Coninch. & Card. de Lugo disp. 7. n. 234. docent obligare ante articulũ mortis ad non multũ differendã pœnitentiã, nullum tamen tempus determinatum assignant, pro quo vrgeat hęc obligatio P. Vazq. q. 86. art. 2. dub. 6. post Caiet. & Navar. & ex ipso Gaspar Hurt. docet per se loquendo non obligare peccatorẽ præceptum contritionis, nisi in extrema necessitate, seu periculo mortis, licet per accidens obligetur sępius extra illum articulum, sive ob præceptum Ecclesiæ, sive ob receptionem alterius Sacramenti, cui debet prępmitti pœnitentia, & iustificatio, sive ex alijs capitibus.

15 Affero primo vt peccator teneatur præcepto contritionis ad recuperandã amicitiã cum Deo, licet non sufficiat periculũ generale moriendi in peccato, cui exponuntur omnes, qui voluntarie differũt pęnitentiã, sufficit periculũ speciale, hoc autẽ nõ requiritur quod sit certũ, sed sufficit, quod sit probabile, id est, tale, in quo plerumque moriuntur homines. Assertio videtur certa: nã in illo evẽtu probabiliter iudicare posset se damnatũ iri, si non ageret pœnitentiã; & hoc iudicio stante peccaret omittens contritionẽ. Dices, licet supposito hoc iudicio probabili secuturæ damnationis, certũ sit illũ peccare, differendo pęnitentiã, posse tamen illud iudiciũ probabile nõ formare. Sed cõtra: quia satis est illũ cognoscere fundamentũ ad habendũ hoc iudiciũ, vt stante hac cognitione, peccet omittẽdo contritionẽ: quia licet tunc non crederet se damnatũ iri, si omittat contritionẽ; crederet tamen esse valde probabilẽ suã damnationẽ: hoc autẽ stante iudicio implicat vt omittat contritionem, quin graviter delinquat.

16 Sed interrogabis, an ad hanc obligationẽ requiratur istud periculum probabile mortis, an vero sufficiat periculũ minus; ponam° ex. g. certũ esse moraliter non esse moriturã maiorẽ partem exercitus in bello, sed dimidiã, vel minorẽ dimidia. Tenebitur ne tunc miles ante pugnã elicere contritionẽ, si nõ habeat copiã confessarij? Respondeo affirmative: siquidẽ non minorẽ curã habere debemus salutis æternæ, quã vitę corporalis: at nemo etiam si in gratia sit, potest sine iusta causa licite exponere vitã suã pugnæ periculosæ, in qua vel dimidia pars, vel paulo minor occũbere solet: ergo nec peccator potest exponere salutẽ suam æternam tali periculo.

17 Hinc assignare possumus regulã ad dignoscendũ, quando propter periculũ mortis corporalis teneatur peccator elicere contritionẽ, si non potest cõfiteri. Dico ergo, quoties periculũ mortis tale est, vt non possit vllus homo pro arbitrio suo illi se exponere sine causa aliqua: tunc vrgere præceptum contritionis, quia absurdum est vt magis teneatur homo tueri vitam corporis, quam quam æternam salutem animæ.

18 Sed videndum super est, an extra periculũ mortis corporalis vrgeat præceptũ contritionis? Partẽ affirmantẽ posset quis hac ratione suadere; quia si non teneremur elicere cõtritionẽ, nisi quãdo adest periculũ mortis tale, vt illud per se loquẽdo omnis homo vitare teneatur, nõ maior esset obligatio habendi curã vitæ spiritualis, quã vitę corporalis, consequẽs autẽ est absurdũ: ergo extra periculum mortis corporalis tenemur elicere cõtritionẽ peccati mortalis nondum dimissi. Sed hæc ratio intentũ non evincit, quia quamvis non haberemus obligationẽ eliciendi contritionẽ, nisi imminente periculo mortis, adhuc obligatio curandi salutẽ animæ esset maior, quam obligatio tuendi vitã corporis: nam si in pugna ipsa, in qua præsens est periculum mortis, miles adverteret nimiũ conatum, & actionem ad tuendã propriã vitã impedimento sibi esse ad eliciendam contritionem, teneretur ab illo conatu superfedere quamvis hinc certius reddetur periculum mortis corporalis.

19 Validius id suadetur ex dignitate Dei offensi, quẽ contemnere videtur, qui tan parum curat Deum sibi reconci-

liare

liare vt velit per totam vitam in eius inimicitia perseverare. Non enim fieri potest sine nova Principis indignatione, quod post delictum contra eum comissum posset quis ipsum sibi reconciliare, & tamen quod id negligat, & voluntarie differat ad finem vitæ petitionem veniæ, ad ipsiusque gratiam redire.

20 Adiungit aliam rationem Cardinal. de Lugo disp.7. n.137.nam qui est in peccato, est aversus à Deo, & conversus ad creaturam; at homo ita constitutus non potest bene instituere,& ordinare vitam suam in vltimum finem: tenetur ergo convertere se ad Deum, & avertere se à creatura per contritionem, siquidem ad illum finem hoc est medium necessarium: ea nanque est voluntatis nostræ natura vt vnusquisque operetur iuxta finem illum, quem amat, nec possit diu eligere media difficilia ad finem alium,quem minus diligit.

21 Vrget hoc amplius P. Coninch contendens hoc præceptum vrgere aliquoties in vita, si diuturna sit; nam ille qui tandiu sponte manet alienus ab amicitia divina, ipso facto quodam modo ostendit se eam parvifacere, nec enim rei, quam magnifacimus, tandiu volumus carere: illud autem continet gravem Dei iniuriam.

22 Ego sententiam hanc P.Conich verisimam existimo,& probatur ex Bulla Innocentij XI. qui hoc an.1679.die 2. Martij prohibuit, & damnavit sexaginta quinque propositiones *vt minimum tanquã scandalosas, & in praxi pernicioſas.* Quam Bullam publicari iussit supremus Inquisitionis Hispanicę Senatus in omnibus Regnis subiectis Regi Hispaniæ, & publicata fuit in Ecclesia Salmãtina die 11. Novembris eiusdem anni. Inter has autem propositiones continentur tres sequentes, quę in Cathalogo propositionum damnatarum sunt quinta, sexta,& septima.

1 *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret: cõdemnare non audemus.*

2 *Probabile est, ne singulis quidem rigoroſe quinqueni js per se obligare præceptũ charitatis erga Deum.*

3 *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam,qua iustificari possumus.*

23 Hinc argumentor: homo tenetur sæpius per vitam amare Deum super omnia: ergo multo magis à peccatis converti, si sciat, se in eis esse; quia maior est Dei iniuria quod aliquis diu sponte maneat in eius inimicitia, quam si semper habitualiter eum amans,diu differat eum amare actualiter. Antecedens patet ex decisione Pont.& ante eam erat cõmunior, & probabilior sententia. Imprimis assero, præceptum contritionis vrgere, non solũ in periculo mortis corporalis, sed etiam *in periculo mortis spiritualis*, quando nimirũ peccatori imminet periculum proximum incidendi in novum peccatũ mortale. Ita P. Valentia tom 4.disp.7.quæst.8. punct.4. citans Canum,& Medinam in 6. assert. Probatur autẽ, quia vt inquit Gregorius hom.11. in Ezech. *Peccatum,quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* Ergo sicut peccator tenetur vitare novum peccatum; ita vrgente eo periculo tenetur agere pœnitentiã de peccato mortali, vt nimirum liberetur à tyranide diaboli regnantis in anima peccatoris, & illam vehementer impellentis in nova peccata.

24 Quod confirmatur ex verbis Christi Ioan.8. *Omnis, qui facit peccatum seruus est peccati.* Vt enim inquit Caiet. explicans ad litteram hunc textum, *Peccatum remanens dominatur in animo trahẽdo in aliud peccatum tanta, & tali efficacia, vt oporteat hominem subiectum peccato, nisi pœniteat, de nouo peccare; quia iam animus auersus est ab incommutabili bono retinente hominem ne peccet.* Idẽ docet Toletus ibid. *Attende (inquit) per peccatum arbitrium hominis seruum manere peccati, & Dæmonis, quia non habet potestatem, & vires, vt resistat peccato, & Dæmoni; nisi enim diuinæ gratiæ adsit auxilium, in eo est statu, vt nequeat à peccato commisso sua se purgare virtute, neque valeat omne in posterum cauere peccatum, neque omnem Dæmonis vincere tentationem,sed succumbere necesse est nouis peccatis.* Tenetur ergo peccator per pœnitẽtiam, & contritionem pellere ab anima sua Diabolum, ne tentationibus suis eum moraliter necessitet ad committenda nova peccata: ergo saltem tenetur elicere contritionem quãdo vrget periculum incidendi in novum peccatum mortale.

25 Hinc infero cum P.Coninch disp. 3.de pœnit. num. 32. & cum P. Antonio Perez disp. 3.de pœnitent. num.46. quæ habetur in tomo posthumo de iustitia, & iure, pag. 310. à fortiori peccare mortaliter differentes pœnitentiam vsque ad finem vitę, non solum quia perseverant in peccatis ea repetendo; sed speciali peccato contra virtutem specialem pœniten-

tiæ. *Et probatur (inquit) meo iudicio manifesta ratione, quia plerique horum damnantur, & se exponunt manifesto periculo non agendi veram pœnitentiam.* Vt enim ex Sanct. PP. & Scripturis probat P. Ruiz disp. 52. de prædestinatione, Deus negat plerumque pœnitentiam hominibus, qui talem vitam agunt. Est autem peccatum lethale peculiare se exponere periculo, in quo plerique damnantur, & pœnitentiam non agunt, sicut peccat mortaliter contra obligationem conservandi propriam vitam, qui sine causa, aut necessitate excusante intrat in periculum, in quo plures pereunt.

26 Assero deinde cum eodem Antonio Perez ibidem num. 47. peccatorem, qui non habet copiam confessoris, teneri vt minimum elicere actum perfectæ contritionis intra annum, quia certũ est maiorem hominum partem, qui pœnitentiam differunt vltra annum, damnari; nam hi qui cõmuniter malè vivũt plerumque damnantur, nec veram in articulo mortis pœnitentiam agere solent nisi raro: ergo qui pœnitentiam differunt vltra annum magno periculo suam salutem exponũt, & in magno periculo versantur, ne vnquam pœnitentiam agant. Ergo ex ipsa lege pœnitentiæ tenentur eam non differre vltra annum. Immò crediderim non posse differre per longum tempus, vgo vltra dimidium anni.

27 Denique cum eodem Authore ibidem num. 48. censeo homines in peccatis inveteratos, & qui multis ab hinc annis ad Deum se non converterunt, si aliquando sentiant inspirationem vehementem ad contritionem, & specialem facilitatem ad eam, tunc teneri: *Ratio est, quia si illã occasionem elabi sinant, nunquam forte inuenient: quare tunc non elicere contritionem, est valde negligere suam salutem, magnoque periculo illam exponere.*

28 Quare quamvis peccator non teneatur elicere actum perfectæ contritionis statim post peccatum mortale cõmissum, non potest diù illum differre. Licet non possimus designare tempus determinatum pro quo vrget præceptum contritionis, si non datur periculum mortis corporalis, vel speciale periculum incidendi in novum mortale.

DISPVTATIO XXXV.

QVIBVS PARTIBVS ESSENTIALITER CONSTITVATVR SACRAMENTUM Pœnitentiæ.

Ad quæst. 84. tertiæ partis.

SACRAMENTVM Pœnitentiæ, *Est signum sensibile à Christo Domino institutum, ad sanctificandam animam à peccatis post Baptismum commissis.* Constat autem ex Trid. sess. 14. cap. 5. fuisse à Christo Domino institutum post Resurrectionem ante quam ad Cœlos ascendere, illis verbis. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioann. 20. v. 23. ex multis autem, quæ anno 1662. Salmãticæ de hoc Sacramento dictavi, solum huc afferam aliquas quæstiones, quæ magis Scholasticæ sunt, relictis alijs purè moralibus: quia nostri instituti modo non est Theologum moralem, sed Scholasticum agere.

SECTIO VNICA.

Quibusdam sententijs parum probabilibus reiectis, probatur vera, & communis sententia de partibus essentialibus huius Sacramenti.

1 PRIMA sententia est Scoti in 4. distinctione 14. quæst. quarta asserentis essentiam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in absol-

solutione à peccatis prolata à Sacerdote, quia hæc sola significat totũ effectũ huius Sacramenti, nempe remissionẽ peccatorũ: dolorem autem de peccatis, eorũque confessionem esse dispositionẽ præviam ad hoc Sacramentum essentialiter prærequisitã ex Christi institutione. Secunda sententia est Durand. in 4. dist. 14. q. 3. totam essentiam huius Sacramenti sitã esse in confessione pœnitentis, & absolutione Sacerdotis. Tertia Marsilij in 4. q. 10. art. 1. partes illius esse contritionem, confessionẽ, & satisfactionem, non autem absolutionem. Quarta Gabrielis in 4. dist. 14. q. 2. ar. 1. quæ excludit contritionẽ à constitutione huius Sacramenti, quia non est sensibilis.

2 Communis, & vera sententia Theologorum cum D. Thom. q. 84. art. 2. tenet dolorem, confessionem, & absolutionẽ esse partes essentiales huius Sacramenti, satisfactionem vero esse partẽ integralem, sine qua subsistere potest vera essentia Sacramenti licet non sit tunc cũ integritate, & complemento sibi debito. Quæ videtur esse sententia Tridentini, sess. 14. cap. 3. Vbi definit formam huius Sacramenti, *In qua præcipuè eius vis sita est in illis ministri verbis positam esse, ego te absoluo, &c. Esse autem quasi materiã huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionẽ, & satisfactionem.* Probatur autem hæc sententia ratione cõmuni, qua omnes RR. vtuntur post Card. de Lugo. Illud quo præciso ablato, res deficit, manentibus omnibus alijs, est intrinsecum rei constitutivum; sed dolor, cõfessio, & absolutio ita se habent respectu Sacramenti pœnitentiæ, vt quocunque ex his ablato, deficiat hoc Sacramentũ, etsi reliqua omnia maneãt: ergo ita se habent vt quodlibet constituat intrinsece, & essentialiter hoc Sacramentum, Minor constabit discurrenti per singulas illas partes. Maior videtur certa: alioqui à ratione nullo argumento posset convinci, qui diceret, corpus, vel vnionẽ non esse intrinsecũ hominis constitutivum, sed merum connotatum, vel conditionẽ, vt anima ipsa sit homo. In quo probando immorari non libet, quia res est satis vulgaris.

3 Vnde conditiones essentialiter prærequisitæ, quæ non constituunt, in hoc differunt à constitutivis, quod illæ tales sunt, vt si manerent reliqua omnia, & ipsæ solũ deficerẽt, non propterea deficeret res; eatenusque illis deficientibus res deficit, quia earũ defectus affert secũ defectum alicuius constitutivi: at constitutiva talia sunt, vt præciso defectus cuiusque ex illis essentialiter afferat defectum compositi, seu constituti. Quare si ex plurib⁹ reb⁹ essentialiter prærequisitis ad aliquod totum, aliquam ve denominationem, vna deficere potest, manentibus reliquis omnibus, & tamen illa deficiente, deficit totum, plane concluditur eam esse constitutivum, quia si non foret adhuc maneret totum, seu denominatio, quia adhuc manerent omnia ipsius constitutiva, & totum nihil aliud est, quam collectio suorum constitutivorum.

4 Dices hanc rationem multũ probare: probat enim 1. Sacramentum pœnitentiæ intrinsece cõstitui per ipsa peccata, quæ quis confitetur: nam per hoc præcisè, quod nullum fuerit commissum ab eo, qui confitetur vnũ, vel multa, non conficietur Sacramentũ, quãvis quis per errorem vere doleat, & confiteatur peccata, quæ existimat se commisisse, vt tenet communis sententia Theologorum. Sequela autẽ est absurda, quia cum hoc Sacramentum ordinetur ad destruenda peccata, nequit per illa constitui. Probat 2. hoc Sacramentum constitui per intẽtionem ministri: nam verba prolata sine intentione non conficiunt verum Sacramentum, vt definitum est ab Eugenio 4. in Concilio Florentino. Absurdum autem videtur, intrinsece Sacramentũ constitui per intentionem ministri, quæ interdum est mala, vel quia perficitur malo fine, vel sine debitis circunstantijs; Sacramentum autem nequit intrinsece constitui per peccatum: quia est opus Dei, & supernaturale, & causativũ gratiæ. Probat 3. ipsam Christi institutionẽ, & potestatem absolvendi, quam accipit Sacerdos, dum ordinatur, intrinsece constituere hoc Sacramentum, siquidẽ quocunque ex his deficientibus, illud deficeret, quamvis reliqua omnia manerent.

5 Hæc tamen non obstant. Ad primum responderi potest primo negando sequælam, nam cognitio de peccatis excitans dolorem supernaturalem constitutivum huius Sacramẽti, vel est cognitio quædam experimentalis generata per species relictas ab actibus peccaminosis, ab eisque essentialiter dependens, vel est cognitio supernaturalis; & quodcunque ex his dicatur, talis cognitio erit essẽtialiter vera, ac proinde subsistere impotens, quin præcesserint peccata. Vnde

quãdo hęc re ipsa non præcesserũt, cognitio, qua excitatur dolor, est essentialiter diversa, & minime constituit Sacramentum, nec excitat dolorem constituẽtem. Vnde hoc non deficit tunc specie, quia peccata non præexiterunt, sed quia vbi peccata non præcesserunt, non existit cognitio, quæ regulare debet doloré constitutivum Sacramenti, & illo non existente, hoc non existit; hoc autem ipso non evincitur eo argumento Sacramentum intrinsece constitui per peccatum præteritum, siquidem defectus Sacramenti non colligitur immediate, & per locum ab intrinseco ex defectu præteritionis peccati, sed dumtaxat mediate, quatenus illius præteritionis defectus affert secum defectũ alterius rei intrinsece constituentis Sacramentum.

6 Secundo respondeo cum Cardinal. de Lugo disp. 12. sect. 2. admittendo sequelam, quæ sane non probatur esse absurda illo inconvenienti adducto in obiectione; quia Sacramentum pœnitẽtiæ constituitur iuxta hunc dicendi modum per realem præteritionem peccati, non tendit autem ad destruendam hanc præteritionem, quia hoc esset tendere ad impossibile, sed tantum tendit ad faciendum, ne malitia peccati physice iã præterita, amplius perseveret moraliter, seu ad impediendam vlteriorem perseverantiam moralem illius.

7 Ad secundum respondetur; verissimum esse, quod intentio ministri constituat intrinsece Sacramentum pœnitentiæ, sicut & quodcunque aliud. Vt evincit ratio à nobis facta, & paulo inferius probabitur ex illa definitione Eugenij, de qua in obiectione fit mentio. Quamvis autem hæc intentio interdum sit mala, nihil inde absurdi colligitur; illa enim non constituit in recto Sacramentum, & per modum virtutis, seu rationis agendi gratiam, sed pure de obliquo per modum applicationis determinantis formaliter, vt Deus per hæc determinate verba, & per hanc determinate materiam conferat gratiam huic determinatæ personæ. Non est autem absurdum, quod causa bona applicetur ad producendum effectum bonum per applicationem malam.

8 Quapropter Sacramentum est opus Dei supernaturale, & causativum gratiæ quoad principalia sui constitutiva, non tamen quoad omnia. Et sane ex terminis non magis repugnat aliquid malum constituere intrinsece id, quod est simpliciter bonum; quam id quod est bonum, & summe laudabile, constituere intrinsece peccatum. At hoc secundum non est absurdum: ergo nec primum. Probatur minor: nam libertas in actu primo proximo constituitur per decretum Dei oblativum concursus, & libertas illa vt talis denominat liberam actionem peccaminosam in sententia communiori negante libertatem esse essentialem actioni liberæ; ac proinde talis indifferentia includitur intrinsece in illa actione, vt peccaminosa: nam vt peccaminosa, est libera, & vt libera constituitur per proximam indifferentiam principij, ac proinde per decretum indifferens.

9 Ad tertium admitto sequelam, quæ minime absurda est, sed maxime rationi conformis: nam verba non conficiunt Sacramentum, nisi quatenus procedunt à persona habente veram potestatem absolvendi. Vnde quod personam constituit in ratione potentis absolvere, constituit verba in ratione formæ legitimæ huius Sacramenti. Et quod attinet ad institutionem Christi, probatur illam intrinsece involvi in Sacramento: nam hoc est signum ad placitum, de cuius ratione est constitui formaliter in ratione signi per voluntatem instituentis. Rursus: Sacramentum est causa instrumentalis gratiæ proxime potens illã inducere; causa autem instrumentalis in ratione proxime potentis producere effectum constituitur per applicationem agentis principalis. In præsenti autem causa principalis est Deus, qui per voluntatem instituendi Sacramentum, seipsum, & Sacramentum applicuit ad causandam gratiam in homine illud rite suscipiente.

10 Dices hæc esse contra Tridentinum quatuor tantum partes Sacramenti pœnitentiæ adnumerans, contritionem, confessionem, absolutionem, & satisfactionem. Respondeo constitutiva hæc à nobis paulo supra explicata virtualiter fuisse assignata à Concilio, dum dixit absolutionem esse formam huius Sacramenti: nam locutum absdubio est de absolutione vt proveniente à legitimo ministro, & cum debita intentione, vt sic autem includit intentionem ministri, & potestatem, quam habet. Quod colligitur ex definitione Eugenij IIII. in Concilio Florentino, vbi sic ait: *Omni-*

a

nia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. Similiter dum Tridentinum definit, dolorem de peccatis commiſsis eſſe partem huius Sacramenti, virtualiter declarat præteritionem peccatorum ingredi de obliquo ad eius conſtitutionem, quia dolor ille in ratione doloris de peccatis revera commiſsis completur per illam præteritionem, & vt ſic completus, & non aliter conſtituit Sacramentum.

11 Fundamentum Scoti parum vrget. Primo, quia etſi ſola forma abſolutionis ſignificet gratiam, quaſi ſpeculative; in ratione tamen ſignificantis practice involvit contritionem, & confeſsionem. Secundo, quia licet ſola abſolutio ſignificet gratiam conferendã, non propterea ſola debet conſtituere hoc Sacramentum, vtpote quod non debet ſignificare gratiam per quodlibet ſui conſtitutivum, ſed per aliquod. Sed vrget Scotus: ſolus Sacerdos eſt miniſter conficiens hoc Sacramentum; ille autem ſolum conficit abſolutionem: ergo hæc ſola eſt tota eſſentia Sacramenti. Conceſsis præmiſsis, neganda eſt conſequentia. Ratio eſt, quia quamvis aliquod totum intrinſece conſtet pluribus partibus, ſola illa cauſa dicitur conficere totum, quæ ponit partem vltimo determinantem ad exiſtentiam illius. Sic quamvis domus intrinſece conſtet lignis à terra productis non dicitur confici ab illa, ſed ab artifice. Solus ergo Sacerdos dicetur conficere hoc Sacramentum, quia ille ſolus determinat ad vltimum complemenium eius, ſicut artifex determinat ad vltimum complementum domus.

12 Nec rurſus vrget fundamentum Durandi excludentis contritionem; etſi enim illa non ſit per ſe ſenſibilis, ſenſibilis tamen redditur per ipſam confeſsionem, & externam compunctionem; nec vero ex eo quod Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, probari valet ſingulas ipſius partes ſeorſim ſumptas debere eſſe per ſe ſenſibiles, ad illud enim ſatis eſt, quod aliqua, vel aliquæ ſint ſenſibiles. Nec denique vrget fundamentum eorum, qui propterea excludunt abſolutionem, quia hæc non eſt pœnitentia; hoc enim Sacramentum tantũ denominative ab aliqua parte dicitur pœnitentia; ſicut denominative ab alia dicitur Sacramentum abſolutionis.

13 Si autem quæras, cur ſatisfactio ſit pars integralis huius Sacramẽti; reſpondeo idcirco, quia cum illud ordinetur ad remiſsionem culpæ, & ſimiliter ad remiſsionem pœnæ, hanc cauſat ex opere operato ſatisfactio, quãvis non illam, vtpotè quam iam ſupponit collatam vi gratiæ Sacramentalis. Pœna autem hæc cuius remiſsionem cauſat ſatisfactio, eſt pœna temporalis, cuius reatus manet poſt dimiſſam culpam, & æternam pœnam.

DISPVTATIO XXXV.

CONTINENS ALIQVAS QVAESTIONES DE ABSOLVTIONE Sacramentali.

Ad quæſt. 84. tertiæ partis.

SECTIO PRIMA.

An abſolutio Sacramentalis poſsit conferri abſenti.

1 NON pauci olim, præſertim Thomiſtæ affirmarunt, abſentem valide abſolvi poſſe, & in caſu neceſsitatis licitè: ſic Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 2. D. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 9. Sylveſter, Verbo *Confeſsio* queſt. 15. Petrus Soto de inſtitutione Sacerd. lect. 11. Eam item docuerunt Alenſis, Ricard. Maior, Palacius, Navarrus, & alij apud P. Suar. diſp. 19. ſect. 3.

Verum

2 Verum hęc sententia damnata est à Clemente VIII. in speciali Bulla edita anno 1602. die 19. Iulij: nam ibi damnatur, vt falsa, temeraria, & scādalosa hæc propositio; *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Prohibeturque sub pœna excommunicationis statim incurrendæ soli Papæ reservatæ: *Ne illa publice, vel priuatim doceatur, ne ve vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*: ex qua definitione colligitur primo absolutionem collatam absenti esse invalidam, nam si foret valida, saltem in casu extremæ necessitatis foret licita. Vnde Pontifex declarans semper esse illicitam, virtualiter declarat esse invalidam. Colligitur secundo ante tēpora Clementis fuisse quidem licitam propter authoritatem gravium Doctorum, qui ita sentiebant: semper tamen fuisse invalidam, quia Pontifex nequit sua declaratione valorem dare, vel adimere Sacramentis.

3 Sententiam hanc à Clemente damnatam, olim reiecerant vt falsam D. Thom. Scotus, Caietanus, Victoria, & alij, quos refert, & sequitur P. Suar. disp. 19. de pœnitentia sect. 3. qui anno 1588. compluti, & anno 1598. Conimbricę publice docuit, nec valide, nec licite posse conferri absolutionem Sacramentalem absenti, vt ipse testatur ibidem num. 7. Et hoc ipsum docuerunt omnes nostri Doctores: solus Pater Sa secutus authoritatem Thomistarū ante decretum Clementis appellavit probabilem eam sententiam saltem in casu necessitatis; quod tamen retractavit in secunda editione facta anno 1600. duobus annis ante quam damnaretur illa opinio à Clemente. Ratio pro hac sententia desumitur ex ipsa forma absolutionis; nam pronomen demonstrativum *te* præsentiam rei desiderat, cui impenditur absolutio. Fundamenta contrariç opinionis petita, vel aparitate matrimonij, vel aparitate humani iudicij, in quo reus absens absolvi potest, facile ex dictis in hac, & præcedenti disputatione evanescunt.

4 Sed inquires, an si Sacerdos pœnitentem apud se rite confessum inadvertenter dimittat sine absolutione, possit supra illum iam aliquando distantem verba absolutionis proferre? Respondeo cum Ochagavia, & alijs, quos sequitur Diana 5. p. tract. 13. resol. 56. in tali eventu confessarium cum dexteritate vocare debere pœnitentem, & suā illi negligentiam aperire: quod si id facere nequeat sine scandalo, & pœnitens sit moraliter præsens, nempe parum distans, etiam viginti passus, posse, ac debere illum absolvere.

SECTIO SECVNDA.

An valida sit absolutio collata reo præsenti, qui per litteras exposuit sua peccata confessario absenti.

5 CIRCA illud Clementis decretum dubitatur, an vi illius non solum damnata sit obsolutio collata absenti, sed etiam confessio, seu expositio peccatorum facta Sacerdoti absenti, etiam vt ab illo præsenti pœnitens absolutionem obtineat. P. Suarez disp. 21 de pœnitentia sect. 4. impresionis Lugdunensis (quæ in prima impresione Conimbricensi desideratur) num. 10. primus omnium docuit Bullam Pontificis intelligendam esse solum coniunctive, vt nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolvi: ac proinde censuit validum esse Sacramentum pœnitentiæ per absolutionem datā præsenti, etiam si confesio facta sit absenti, & quamvis Pontifex integram illam sectionem ex illius tomo deleri præceperit, non propterea hanc sententiam sua probabilitate expoliavit, quia non aliam ob causam id præcepit, nisi quia nolebat, vt ipso vivente, eius Bulla ab alio declararetur, vt probat Pater Amicus disp. 11. num. 61. ex ipso Clemente, qui sufficienter postea suam mentem declaravit vivæ vocis oraculo: nam rogatus, an moribundus, qui ante adventum Sacerdotis signa contritionis ostendit, si deinde obmutuit, debeat à Sacerdote præsenti Sacramentaliter absolvi; respondit debere, quin & se illum absoluturum, & Parochum, qui aliter fecisset, puniturum, nec talem casum suo decreto comprehendisse; vt Cardinalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus ab ipso Pontifice se audisse testati sunt anno 1608. die 16. Aprilis: testimonium Armacani producit in præsenti Cardinalis de Lugo.

6 Hinc autem conficitur efficax argumentum pro sententia Suarij: nam si semel

si semel moribundus potest absolvi à Sacerdote, qui eius peccata non audivit, nec signa vlla contritionis in illo vidit, solum, quia suũ desideriũ confitendi per alios ipsi manifestavit; pariter in casu extremæ necessitatis poterit à Sacerdote præsenti absolvi ille, qui ei per litteras sua peccata singillatim exposuit, licet per se loquendo debeat coram Sacerdote se sistere pœnitens, eique sua peccata manifestare, vt ab eis absolvi possit. Si enim manifestare per alios solum desiderium confitendi sua peccata in confuso, satis est, vt superveniens Sacerdos ipsum absolvat: etiam manifestare per litteras non tantum desiderium, & peccata in communi, sed etiam in particulari satis erit, vt absolvatur in casu necessitatis.

7 In hanc Suarij sententiam acriter invecti sunt Recentiores Thomistæ præsertim Alvarez 1.2. q.19. ar.6. disp. 80. in difficultate addit. Nunus 3. part. quæst.9. art. 3. diffinit.2. Petrus Fay. in addit ad 3.p. quest. 9. art.3 disp.3. Candidus in disquisit. moral. disp.3. art. 15. dub. 1. Iacintus Kochecius disserrione de confessione facta absenti. Franciscus Dabila tract. de confessione per litteras cap.2. & alij. Eam vero sententiam & expositionem ad decretum Clementis latè, & nervosè propugnat P. Raynaudus in singulari dissertatione, quam in defensionem Eximij Doctoris edidit, & typis mandata est cum opere posthumo eiusdem Eximij Doctoris de vera intelligentia auxilij efficacis, & habetur ad finem illius. Item P. Amicus nuper citatus. Deinde Fillucius, Billalobos, Becanus, Bardi, Tamburinus, Dicastillo, & alij plures citati ab Amadeo Guimeneo tract. de pœnitentia propositione 19. n. 5. Argumenta, quæ fieri solent contra illam expositionem decreti traditam à Suario, commodius discutiemus sect. seq.

8 Nunc advertendum est extra casum extremæ necessitatis non esse licitum exponere sua peccata Confessori absenti per litteras, vel internuntium, etiam si fiat eo animo, vt ab illo præsente absolutionem accipias. Casus autem necessitatis esset, cum pœnitens arcto carcere conclusus non speraret longam Sacerdotis ad se venturi collocutionem, sed prævideret fore, vt raptim dumtaxat, & forte ad momentum cum ipso posset agere. Tunc enim si vrgeat periculum mortis, poterit per literas, vel internuncium Sacerdoti absenti sua peccata exponere. Si autem superveniente Sacerdote potest dicere, accuso me de peccatis in Epistola ad te transmissa exaratis, debet suum dolorem coram Sacerdote sic exponere, si tamen forsam adsient fidei hostes, quos par sit non advertere, quod peragitur; potest absolvi licite, & valide, quin aliud externum signum præbeat præter litteras missas ad Sacerdotem. Deindè si vnicus sit Sacerdos, & ille multum distans, & infirmus timeat cum ille vocatus advenerit, se fore iam sensibus destitutum, potest ei per litteras, vel internuntium sua peccata manifestare, vt ab ipso superveniente absolvatur.

9 Quæres, an persona præ verecundia propè insuperabili non valens à se impetrare, vt aliquid probrosum ore enuntiet, illud scripto comprehensum exhibeat Sacerdoti præsenti dicens, hæc esse sua peccata, de quibus doleat, & absolvi petat, possit valide, ac licite absolvi? Respondeo affirmative cum Cano relect. de pœnitentia part. 5. cum Patre Valentia disp. de pœnitentia q 11. punct. 1. in fine; & cum Eximio Doctore disp. 12. de pœnitentia sect. 3. num. 6. qui rationem reddit, quia cum obligatio manifestandi peccata propria voce Confessario potissime videatur consuetudine introducta, non videtur cum maiori rigore acceptata. Quare non solum impotentia vtendi propria voce, quod indubitatum est, sed etiam (inquit ille) magna difficultas, aut nimia verecundia est rationalis causa, vt quis in scripto tradat sua peccata legenda Confessori, quin illa proprio ore manifester.

SECTIO TERTIA.

An moribundus, qui verbis, aut nutibus confessionem petijt vel signa pœnitentiæ dedit, si testis sit, qui deponat, absoluendus sit?

10 NEGANT communiter Recentiores Dominicani citati sectione præcedenti, post Magistrum Canum, Sotum, & Ludovicum Lopez. Sed affirmant omnes nostri Doctores, & communius reliqui Theologi, vt habes apud Dianam 3.p. tractat.3. resolut.1. & 3. & Cardinalem de Lugo disp. 17. numero 45. Hanc sententiam ego etiam amplector, & certè non video, quomodo iam reprobar

bari posit, postquam à Paulo V. in suo Rituali Romano approbata, & toti Ecclesiæ ad praxim Pontificia authoritate proposita est in titibus de Sacramento „pœnitentiæ his verbis: Si inter confi„tendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ea re„deficiat, nutibus, & signis conetur Sa„cerdos, quoad eius fieri poterit, peccata „pœnitentis cognoscere, quibus vt cun„que, vel in genere, vel in specie „cognitis, vel etiam si confitendi desi„derium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

11 Qui Ritus non fuit à Paulo V. introductus, sed est in Ecclesia antiquissimus: nam Concilium Arausicanum „primum cap. 12. ait: Subitò obmutes„cens prout statutum est, baptizari, aut „pœnitentiam accipere potest, si vo„luntatis præteritæ testimonium alio„rum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. Item concilium Cartaginense 4. „cap. 63. hęc habet: Is qui pœnitentiam „in infirmitate petit, si casu, dum ad eũ „Sacerdos invitatus venit, oppressus in„firmitate obmutuerit, vel in frænesim „versus fuerit, dent testimonium, qui „eum audierint, & accipiat pœniten„tiam, etsi continuo creditur morituras, „reconcilietur per manus impositionem, „& infundatur ori eius Eucharistia. Effugia quibus adversarij eludere tentant authoritatem Ritualis Romani, & hæc Conciliorum testimonia exponere, præcludit optimè Cardinalis de Lugo in præsenti.

12 Quarto probari solet eadem sententia authoritate S. Leonis Magni Epist. 91. ad Theodorum, vbi de moribundis loquens ait: Quod si aliqua ægri„tudine ita fuerint aggravati, vt quod „paulo antea poscebant, sub præsentia „Sacerdotis significare non valeant, „testimonia eis circunstantium prodes„se debeant, & simul, & pœnitentiæ „& reconciliationis beneficium consequatur. Demum authoritate Sancti „Thomę opusc. 65. §. de extrema vnctio„ne vbi ait: Si autem infirmus, qui petit „vnctionem, amisit notitiam, vel loque„lam, antequam Sacerdos veniret ad „eum, nihilominus vngat eum Sacerdos, „quia in tali casu debet etiam baptizari, „& à peccatis absolvi.

13 Ratio vero pro nostra sententia est: quia satis est ad valorem huius Sacramenti, quod pœnitens meliori modo, quo potest, sua peccata manifestet: ergo moribundus non aliter ea potest manifestare, quam petendo confessionem vel signo alio extrerno manifestando suũ dolorem de peccatis, satis id erit, vt à superveniente Sacerdote cognoscente hunc dolorem per testium depositionem absolvi possit, ac debeat. Et sanè sicut Trident sess. 14. cap. 5. & Can. 7. dicit ad remissionem peccatorum necessariam esse de iure divino confessionem, ita dicit esse necessariam confessionem omnium mortalium, & omnium circunstantiarum mutantium speciem; at quamvis per se loquendo necessarium sit in confessione aperire distincte omnia peccata, non tamen in casu necessitatis, v.g. tempore naufragij, vel incendij, quia tunc satis est, quod pœnitens in confuso sua peccata manifestet: ergo quamvis per se loquendo requiratur confessio stricte talis, nempe confessio vocalis facta coram Sacerdote, non tamen in casu necessitatis.

14 Sed obijciunt primo adversarij, confessionem non minus dirigi ad Sacerdotem præsentem, quam absolutio dirigatur ad pœnitentem præsentem: sed propter hoc secundum absolutio data absenti est nulla; ergo propter primum confessio facta absenti erit nulla. Vt ergo moribundus possit absolvi opus est vt coram Sacerdote manifestet suæ contritionis signa. Obijciunt secundo: nam materia, & forma Sacramenti pœnitentiæ debent habere propinquitatem, & coniunctionem moralem, quæ in omnibus æque Sacramentis (dempto matrimonio) est adhibenda; alioqui liceret hodie abluere puerum, & cras proferre formam Baptismi. At in nostro casu confessio pœnitentis, & absolutio Sacerdotis non habent coniunctionem moralem ergo &c.

15 Verum secunda obiectio nimis probat, nempe eum, qui hodie confiterur sua peccata Sacerdoti, non posse cras ab eo absolvi, nisi denuo repetendo peccata: quod tamen est falsum, satis enim est, si tempore absolutionis dicat, nunc me accusso de omnibus illis, quæ heri coram te confessus sum. Respondeo ergo ad hanc secundam obiectionem, requiri quidem coniunctionem moralem inter formam, & materiam proximam huius Sacramenti: cæterum dico ad hanc coniunctionem non requiri physicã præsentiam ipsius Sacerdotis tunc quando pœnitens manifestat sua peccata; sed satis

tis eſſe quod eius confeſsio perſeveret moraliter in diſpoſitione teſtium, ad hoc vt abſolutio ſupra ipſum pœnitentem licite, & valide proferatur à ſuperveniente Sacerdote. Illud, quod affertur de baptiſmo, nihil probat, alioqui Sacerdos, qui videt pœnitentem poſtulantem confeſsionem, & differt abſolutionem per horã, quia exiſtimat infirmum poſt modum recuperaturum vſum ſenſuum, non abſolveret valide illum poſt horam, ſicut qui ablueret modo infantem non baptizaret, ſi poſt horã proferret verba.

15 Ratio autem eſt quia coniunctio moralis inter ablutionẽ, & prolationem formæ baptiſmi non admittit illam diſtantiam durationis, quam admittere valet coniunctio confeſsionis, & abſolutionis: nam illa verba, *Ego te baptizo*, ſupponunt tunc ablui puerum: illa vero, *Ego te abſoluo*, non ſupponunt tunc pœnitentem manifeſtare ſua peccata.

16 Ad primam obiectionem reſpondeo confeſsionem formalem, quæ proprio ipſius pœnitentis ore fit, dirigi ad præſentiam Sacerdotis non minus, quam abſolutio dirigatur ad præſentiam pœnitentis; non tamen confeſsionem virtualem, quæ fit petendo confeſsionem, & edendo contritionis ſigna: quæ tamẽ confeſsio virtualis in caſu neceſsitatis ſufficit ad valorem Sacramenti. Neganda ergo eſt paritas inter abſolutionem, & confeſsionem: alioqui ſicut ad valorem Sacramenti non ſufficit nutibus abſolvere, ita nec ſufficeret nutibus confiteri. Vnde muti non forent abſolutionis capaces; nec moribundus manifeſtans coram Sacerdote ſuum dolorem percuſione pectoris, aliiſque ſignis.

17 Diſparitas petenda eſt præcipuè ex inſtitutione Chriſti, & Eccleſiæ traditione. Deinde eo quod confeſsio ſolum requiritur, vt pœnitens manifeſtet Sacerdoti ſua peccata: vnde ſi non poteſt per verba ſatis eſt, quod illa manifeſtet per nutus: ſi non poteſt per ſe, ſatis eſt, quod per interpretem: ergo ſi non poteſt immediate illa manifeſtare Sacerdoti, quia hic tunc abſens eſt, ſatis eſt, quod per teſtes, & internuntium hoc præſtet.

18 At abſolutio non requiritur, vt Sacerdos manifeſtet pœnitenti ſuam internam voluntatem eum abſolvendi, alioqui foret invalida, ſi proferretur verbis, quæ pœnitens non intelligit, ſed ratione ſui eſt neceſſaria tanquam aliquid determinate poſtulatum à Chriſto ad remiſsionem peccati.

19 Præcipuum fundamentum ſententiæ contrariæ deſumitur ex decreto Clementis citato ſectione præcedenti damnante confeſsionem, & abſolutionem in abſentia, ſive per litteras, ſive per internuntium. Cum ergo in noſtro caſu confeſsio fiat abſente Sacerdote, & illi manifeſtetur per internuntium videtur noſtra doctrina opponi decreto Clementis. Iam ſectione præcedenti vidimus Patrem Suarez expoſuiſſe hoc decretum in ſenſu coniunctivo, quaſi Pontifex ſolum damnaverit propoſitionem aſſerentem licitum eſſe per literas, ſeu internuntium confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri; & ab eodẽ abſente abſolutionem percipere: poſſeque manere verum, quod nemo poſsit confiteri abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, quamvis verum ſit poſſe quempiam in aliquo eventu exponere peccata ſua Sacerdoti abſenti, conſecuturum poſtea abſolutionem ab eo iam præſente.

20 Contra hanc interpretationem inſurgunt non ſolum omnes adverſarij poſt Magiſtrum Alvarez, ſed etiam multi ex his, qui noſtram tuentur ſententiam, & inter eos Cardinalis de Lugo diſd. 17. num. 65. quia ex ipſius decreti verbis, & eius intentione apparet mentem Pontificis non fuiſſe ſolam copulativam prohibere; alioqui poſſet, ſalvo eodem decreto, adhuc dicere aliquis, poſſe abſolutionem abſenti conferri, dummodo confeſsio in præſentia præceſſerit, quod tamen nemo concedet, quia Pontifex vtrunque abuſum, & confitendi apud abſentem, & abſolvendi abſentem voluit de medio tollere, quod nõ præſtitiſſet, ſi ſolum ſenſum copulativum prohiberet.

21 Verum Clementem hoc ſuo decreto non damnaſſe, vt illicitam abſolutionem moribundi in noſtro caſu, conſtat, nam vt teſtatur Archiepiſcopus Armacanus in reſponſo quodam dato ad Patrem Coninch. & adducto à Cardinali de Lugo diſp. 17. ſect. 4. ipſe Clemens declaravit ſuo decreto, ſe non comprehendiſſe eventum, de quo egerat S. Leo, qui ab dubio eſt ille, de quo modo diſputamus. Et hinc oſtenditur re ipſa veram eſſe interpretationem Patri Suar. ad decretum Clementis, quia alioqui iſte diſcreparet à Leone, eique ex diame-

tro

tro opponeretur, si vtrunque illud membrum propositionis damnatæ voluisset divisim improbare.

22 Vnde deducitur per decretũ Clementis non aliud expressè reprobari, quam quod quis confiteatur Sacerdoti absenti per litteras, aut internuntium, ab eoque absente absolvatur. Hinc vero clare infertur, nec validam, nec licitam esse absolutionem datam absenti, quantumvis confessio facta fuerit in præsentia; nam per collationem absolutionis consummatur totum Sacramentũ ex peccatorum expositione moraliter perseverante, & iudiciali forma contextum: at confectio totius huius Sacramenti per litteras, seu in absentia est damnata, quia non cohæret cum veritate formæ. Quod incommodum non vrget Sacramentalem peccatorum expositionem factam absenti per litteras, aut internuntium: immerito ergo Cardinalis de Lugo propter hoc argumentum improbavit interpretationem P. Suarez.

23 Sed in illam denuo insurgunt adversarij: nam ea reiecta est ab ipso Clemente, & postea à Paulo V. die 14. Iulij anno 1605. in congregatione S. Officij, vt latè refert Petrus de Fai in supplementum 3. p. quæst. 9. art. 3. disp. 3. in illo namque Pauli decreto dicitur: *Ex interpretatione decreti Clementis non subsistere.* Ergo iuxta illa decreta, illicita, & invalida est confessio Sacramentalis, seu expositio peccatorum facta absenti, quamvis absolutio à præsenti conferatur: ergo in casu, in quo moribundus petit absolutionem absente Sacerdote, non potest ei absolutio impendi, quantumvis testes deponant de petitione confessionis, quia revera hæc expositio peccatorum fit absenti.

24 Verum quidquid sit, an in decreto Clementis, & hoc posteriori Pauli V. damnata sit confessio Sacramentalis facta absenti, nec ne? Certum tamẽ debet esse non fuisse damnatam absolutionem moribundi in nostro casu, cuius rei locuplex testis est P. Suarez qui post Romanam disceptationem, & dictum Pauli decretũ, suam de hac re sententiam rogatus, sententiã exposuit per litteras datas conimbriæ 9. Octobris anno 1610. quas transcribit Tannerus quæst. 9. de pœnitentia dub. 1. num. 16. Sic ergo loquitur: *Non desunt, qui sentiant, ita omnino esse dicendum.* (videlicet non impendendam absolutionem in nostro casus ob decretum Clementis; & „ subsequens Pauli) Mihi vero certo „ constat non fuisse hanc mentem Pon„ tificis, tum ex ore vtriusque Pontifi„ cis, tum ex sententia multorum Car„ dinalium; tum quia hoc nunquam fuit „ revocatum in dubium. Quare censeo „ etiam nunc esse absolvendum pœni„ tentem infirmum in illo casu iuxta de„ cretum Leonis Papæ, ita sine dubio „ intelligendum, & iuxta Doctorum „ multorum sententiam, quæ sine dubio „ graviori, & antiquiori authoritate „ nititur, nihilque contra illam obijci„ tur, quod alicuius momenti sit, præter „ dicta decreta, quæ obstare non pos„ sunt, &c. Quomodo autem hæc do„ ctrina circa casum illum concilianda „ sit cum dictis decretis noluerunt præ„ dicti Pontifices declarare, sed reliqueː „ runt industriæ Theologorum; ideo„ que in hoc liberum erit vnicuique cõ„ gruam conciliationem excogitare. Hæc ille.

25 Laborant ergo non parum Theologi in hac conciliatione. Multi, quos sequitur Diana respondent, talem moribundum non confiteri per internuntium confessario absenti, quia hic est præsens pœnitenti, quando internuntius illi declarat infirmum petivisse confessionem: quia nimirum non sufficit internũtium hoc testatum esse, antequam Sacerdos accedat ad moribundum, sed debere in præsentia illius. Vnde tunc infirmus confitetur quasi per interpretẽ Sacerdoti præsenti. Hunc dicendi modum solide impugnat Cardinalis de Lugo disp. 17. à num. 67.

26 Cardinalis Sfortia tract. de pœnit. num. 297. sequitur conciliandi modum quem amplexus est Archiepiscopus Armacanus, & testatus est communicasse cum Clemente, quod scilicet confessio non possit fieri absenti, sed votum confitendi possit per alios innotescere absenti, & illud votum sufficiat in casu necessitatis ad absolutionem. Et in idem recidit respõsio Cardinalis de Lugo asserentis, Clementem, dum declaravit esse illicitam confessionem factam absenti locutum esse de confessione simpliciter tali, quæ est actus iudicialis quo reus manifestat iudici sua delicta, non autem de confessione secundum quid, & quasi extraiudiciali, quæ continetur in voto, seu desiderio confitendi. Verũ hoc est difficile in isto conciliandi modo, quod

quod ad valorem Sacramenti ſufficiat manifeſtare abſenti deſiderium confitendi, & quod ad hoc ipſum non ſit ſatis manifeſtare illud ipſum deſiderium, & inſuper omnia peccata in particulari, vel per litteras, vel per internuntium.

27 Averſa ait, Clementem illo ſuo decreto damnaſſe abſolutionem abſenti pro omni eventu, confeſsionem vero abſentis per ſe loquendo, & extra caſum grauiſsimę neceſsitatis, non tamen pro illo. Ferdinand⁹ de Moure in exam. cap. 7. §. 6. num. 30. Zambranus, & Keliſonius aſſerunt Clementis decretũ excludere Sacramentum integum confeſsionis factũ per litteras, vel internuntiũ quia in Sacramento integro comprehenditur abſolutio, quam certum eſt n õ poſſe conferri abſenti, vel ab abſente. Vtraque hæc expoſitio coincidit cum prima interpretatione P. Saur.

28 Mihi cum P. Raynaudo maxime placet Paulum in illo decreto, quod declaravit interpretationem Suarij non ſubſiſtere, minime rem ipſam prohibuiſſe, quam docuit Eximius Doctor, ſiquidem eam poſtea canonizavit in Rituali Romano dum docuit moribundũ, qui confeſsionem petijt coram adſtantibus, abſolvendum eſſe à Sacerdote ſuperueniente: ſed ſolum prohibuiſſe modum loquendi, quo ſimpliciter dicatur licitum aliquando eſſe confiteri abſenti; quia timor non vanus fuit, ne id perverſe intelligeretur de toto Sacramento, quod plerũque confeſsio nominatur, valide inter abſentes conſummato, abſolutione quoque abſenti impenſa, quod certum eſt admitti non poſſe: quare ex mẽte horum Pontificũ confeſsio illius moribundi, non debet dici facta in abſentia, & hoc pacto tandem P. Suarez conciliavit decretum Clementis, & Pauli cum doctrina S. Leonis, & Ritualis Romani. Sic enim habet in litteris ſupra
„ citatis. Mihi autem ſæpe de hoc co-
„ gitanti ſolum occurrit conuenienter
„ dici poſſe, & debere in prædicto caſu
„ confeſsionem non eſſe in abſentia, ſed
„ in præſentia confeſsionis, & pœniten-
„ tis, non tantum, quia in illorum præ-
„ ſentia illi, qui interſunt, perhibent te-
„ ſtimonium pœnitentiæ, & diſpoſitio-
„ nis, ac confeſsionis, petitionis ægroti,
„ ſed etiam & maxime, quia confeſſor
„ in præſentia pœnitentis examinat conſ-
„ cientiam ipſius eo modo, quo poteſt,
„ & ſuis oculis videt eum viuere, & ex
„ ea parte eſſe capacem Sacramenti, &
„ non poſſe pro tunc melius ſe diſponere
„ ad confitendum; quod neceſſum eſt
„ ad ferendum iudicium de ſufficientia
„ illius confeſsionis; ideoque merito di-
„ ci poſſe fieri, ſeu conſumari in præſen-
„ tia Sacerdotis.

29 Denique dici poteſt, non obſtante decreto Clementis, & decreto Pauli reijcientes expoſitionem P. Suarez poſſe dici licitam, & validam eſſe expoſitionem peccatorum factam Sacerdoti abſenti per litteras, aut internuntium in caſu neceſsitatis, aſſerendo propterea Paulum V. dixiſſe non ſubſiſtere interpretationem decreti Clementis, quæ illud exponit in ſenſu coniunctivo, quia dabat occaſionem ad dicendum poſſe abſolvi abſentem, dummodo confeſsio facta eſſet in præſentia, vt ergo Pontifex declararet non ſolum eſſe illicitam, & invalidam coniunctionem confeſsionis, & abſolutionis in abſentia, ſed etiã abſolutionem ipſam ſeorſim ſumptam, ideo dixit non ſubſiſtere eam interpretationem prout verba ſonant, quamvis res ipſa intenta à Patre Suarez, ſufficienterque ab ipſo declarata vera ſit.

30 Sed reſtat ſcire, an vt talis moribundus poſsit abſolvi, debeat coram ipſo deponere teſtis de petita confeſsione. Affirmant multi cum Diana part. 2. tract. de abſolutione moribundi, quia alioqui illa confeſsio foret in abſentia. Sed nobis negandum eſt cum Cardinali de Lugo diſp. 17. num. 67. & 85. cum Patre Bernardino in ſelectis moralibus lib. 10. quæſt. 13. adducente pro illa Poſſevinum, Averſam, Gamachæum, & Pontium, & cum alijs multis citatis ab Amadeo, Guimæneo, tract. de pœnit. propoſitione 19. num. 3. Et probatur ex verbis Ritualis Romani: *Si ante quam incipiat confiteri, vox, & loquela eum deficiat, ſi confitendi deſiderium per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Vbi non exigit, vt illi, per quos oſtendit deſiderium debeant eſſe coram infirmo, quando ei abſolutio impenditur, quare ſufficit, ſi is, qui videt moribundum petentem confeſsionem, confeſſarium arceſſat, illum certiorem faciens de petitione confeſsionis, quin neceſsè ſit vt regrediatur ad infirmum. Fundamentum contrariæ ſententiæ ſufficienter manet ex dictis ſolutum: aduertendum eſt autem, nec requiri, quod teſtes, qui deponunt de petitione confeſsionis, ſint plu-

res, quia vnus sufficit, vt per illum quasi per interpretem manifestet infirmus voluntatē confitendi: nec requiri, quod ille sit testis immediatus, sed satis esse, quod ex certa aliorum narratione sciat moribundum petijsse confessionem.

31 Sed quæres primo, an in prædicto casu debeat absolutio impendi sub conditione exterius, vel saltem interius apposita. Affirmant multi apponendam esse interius conditionem; nam apud omnes est certum non esse necessarium illam externe exprimere. Mihi pars negans probabilior apparet cum Patre Vasquez quæst. 91. art. 2. & Ioanne Sanchez in select. disp. 44. num. 32. quia cum nostra sententia sit evidenter probabilis, Sacerdos ea vti absolute potest, idque est conformius Rituali, vbi nihil dicitur de tali conditione apponenda.

32 Quæres secundo, an oppositæ sententiæ Authores teneantur nostram sententiam in praxi sequi, & moribundum absolvere in dicto casu. Negant Albarez, & Kochecius apud Cardinalem de Lugo disp. 17. num. 87. sed absit dubio affirmandum est cum communi Doctorum: nam cum moribundus ille sit in extrema necessitate, & periculo æternæ damnationis, teneatur Sacerdos illum adiuvare, quantum licite potest sine proprio suo incommodo, quis autē dubitet, posse eum absolvere deponendo proprium iudicium, & conformando se cum nostra opinione, quam tot, tamque illustres sapientia, & pietate Viri amplectuntur? Nec reverentia debita Sacramento oppositum suadet. Nulla enim ei irrogatur iniuria, si Sacerdos ob rationes adeo probabiles, proximo externe perichitanti, succurrat beneficio absolutionis.

33 Quæres tertio, an si moribundus non petijt confessionem, seu solum dedit signa doloris, vel tundendo pectus, vel oculos in Cœlum levando, &c. Absolvendus sit. Negat P. Suarez disp. 23. sect. 1. num. 13. & alij multi apud Dianā p. 3. tract. 3. resol. 2. sed nobis affirmandum est cum P. Henriquez lib. 4 cap. 9 in fine, & lib. 6. cap. 10. §. 7. cum Cardinali de Lugo disp. 17. num. 29. Leymann, Reginaldo, & Filiucio: nam in Catholico credente necessitatē Sacramenti pœnitentiæ signa illa doloris sunt in ordine ad obtinendam remissionem peccati per confessionem, ac proinde sunt sufficiens illius petitio. Et sanè si Confessarius prudenter suspicetur, vel saltē dubitet, an illa signa oriantur ex voluntate confessionis, potest, ac debet in tali dubio saltem sub conditione infirmum absolvere, qui si re ipsa non retulit dolorem illum ad claves, absolutio erit nulla, licet fuerit licita.

SECTIO QVARTA.

An qui confessionem non petijt, nec dedit signum pœnitentiæ. Possit Sacramentaliter absolui.

34 AFFIRMANT multi Authores moderni, quos recenset Amadeus Guimenius tract. de pœnit. propositione 20. loquendo de moribūdo, qui prius Christiano more vivebat, & Sacramenta frequentare solebat. Adam. P. Tamb. qui in metho. expeditæ confessionis edito Romæ anno 1647. lib. 2. cap. 10. Nonnulli (inquit) Doctores putant eiusmodi moribundum satis superque petere confessionem per mores Christianos tota vita sensibiliter peractos; itaque ideo putant absolvi posse saltem sub conditione, si est capax absolutionis. Idcirco in praxi censeo posse absolvi sub conditione dicta, immo propter tam vrgentem instantis mortis necessitatem etiam debere. Ratio est, quia propter conditionem cavetur iniuriæ Sacramenti, & ex alia parte cōsulitur, quantum fieri potest, saluti moribundi, quia in tali articulo præsumi saltem attritus potest.

35 Ipseque Amadeus Vir optime doctus, & acris iudicij testatur se, cū è suggestu Compluti dictaret tractatum de pœnit. anno 1645. & iterum anno 1652. hanc opinionem secutum fuisse, eamque in ea Vniversitate cōmuni plausu frequenter defensari. Imino Ioannes Pontius, Caramuel, & alij nonnulli, quos ipse Amadeus citat ibidem à num. 14. addunt prædictam sententiam sustinendam esse pro quolibet peccatore Catholico. Harum sententiarum fundamenta fusissimè expendit P. Arriaga disp. 36. de pœnit. sect. 3. acriter invectus in Caramuelem acerrimum novitatum defensorem, eiusque argumenta particulatim comminuens. Vnde num. 30. concludit hanc sententiam non solum olim fuisse, quod adversarij non diffitentur, sed

sed etiam modo improbabilem, quia eios Authores, inquit, non adducunt solutionem probabilem ad loca Conciliorum, quibus clare sententia communis probatur.

36 Sententia ergo negans infirmum illum absolvendum esse, communis est inter Theologos. Ita Pater Suarez disp. 23. sect. 1. num. 13. Vazquez quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 1. dicens nullum esse, qui contrarium dicat, Coninch. disp. 5. num. 28. & disp. 7. num. 96. dicens contrarium non esse probabilem. Cardinalis de Lugo disp. 17. sect. 3. qui productis huius sententiæ fundamentis, præsertim ab authoritate Conciliorum, sic num. 40. concludit: non ergo expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plus, quam omnes Sancti Patres docuerunt, sed observare terminos, quos appositerunt nobis. Et alij multi, quos refert & sequitur Diana 3. p. tract. 3. resol. 8. & 4. p. tract. 4. resol. 92. & vt inquit P. Arriaga, vbi nuper, hæc sententia ante triginta aut quadraginta annos adeo certa erat apud omnes Theologos, & fideles, vt opposita non fuerit probabilis. Quod magnum est argumentum ad persuadendam sententiæ oppositæ falsitatem, quia absurdum est Ecclesiã Dei per tot retro secula in materia adeo necessaria ad salutem animarũ ignorasse hoc remedium nec sufficiẽter providisse animarum saluti.

37 Probatur autem hæc sententia ratione à priori petita ex natura huius Sacramenti, quod ex sua institutione essentialiter est iudicium quoddam, in quo Sacerdos, cognita causa, reum absolvit. Nequit ergo minister huius Sacramenti illud conferre, nisi vt index; iudex vero nequit vt iudex procedere, nisi accusator præcedat: vt ergo absolutio valide administretur, debet præcedere ex parte pœnitentis accusatio, qua se accuset de peccatis, vel in speciali, vel saltem in confuso implorando iudicis officium.

38 Probatur secundo ex perpetuo Ecclesiæ vsu: nam Concilia, & Patres declarantes moribundum destitutum sensibus absolvi posse, semper adhibent illam limitationem, nimirum, *Si voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis habet*: vt constat ex authoritatibus adductis sectione præcedenti: ergo sentiunt non posse impendi absolutionem, si non præcedat illud testimonium. Respondet Caramuel, illam conditionalem denotare quidem posse absolvi moribundum, si petierit confessionem; non tamen denotare non posse absolvi, si non petivit. Sed contra: quia alioqui frustra Concilia adderent illam limitationem, si enim licet absolvere moribundum, sive petat, sive non petat cõfessionem, frustra Concilia dicunt esse absolvendum, si tamen coram adstantib⁹ confessionem petijt. Quapropter illa verba continent conditionem, sine qua non licet absolutionem impendere iuxta legitimam eorum expositionem.

39 Sed contendit Caramuel Concilia illa pro ipsius sententia stare, dum dicunt, *Quod subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest*. Coniungunt enim Baptismum cum pœnitentia: ergo de vtroque eodem modo discurrere possumus, ac debemus: sed Cathecumenus, qui in morbum lapsus sensibus destituitur, baptizari potest, quia ipsa status Cathecumeni professio est Baptismi ante mortẽ petitio: ergo Catholicis qui in morbum similiter lapsus sensibus destituitur, absolvi poterit, quia ipsa status Catholici professio est absolutionis Sacramentalis ante mortem petitio.

40 Sed contra: quia licet vtrunque Sacramẽtum Concilia coniungant, quoad hoc quod possint conferri moribundo sensibus destituto, tamen pro conferenda absolutione exigunt vt conditionem necessariam petitionem confessionis, vt patet ex verbis, quæ immediate subiungunt: *Si voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*. Ergo ex mente Conciliorum nequit conferri moribundo sensibus destituto nisi existente illa conditione. Et sanè si paritas quoad omnia valeret, posset absolutio conferri moribundo à Sacerdote evidenter cognoscente illum ita repente fuisse oppressum, vt nullum ediderit contritionis signum, sicut in simili casu potest, ac debet Cathecumeno administrare Baptismum. Consequens autem est absurdum: quia confessio est pars essentialis huius Sacramenti, & ministro non licet impendere absolutionem, quando scit non esse conficiendum Sacramentum.

41 Est ergo magna disparitas inter pœnitentiã, & Baptismũ: nam iste solũ desiderat intentionẽ ipsum recipiẽdi, vt sit voluntarius recipienti: intentio

autem semel concepta recipiendi Baptismum non interrumpitur per peccatum, quia quis existens in peccato potest valide recipere Baptismum, sed perseverat moraliter, quandiu durat professio status Cathecumini, & dum non adest voluntas contraria non recipiendi Baptismum. Et vt vi illius remittantur peccata personalia præterita, sufficit attritio pure interna, quin reddatur sensibilis per actionem externam. At pœnitentia postulat per se confessionem, & in casu necessitatis saltem illius petitionem, non præcise, vt absolutio à peccatis sit voluntaria pœnitenti, sed tanquam pars proprie constituens Sacramentum. Et intentio illud recipiendi interrumpitur per quodlibet peccatum mortale: nam per quodlibet in conscientia existens sine retractatione, & dolore redditur invalida absolutio. Quapropter intentio requisita ad valide recipiendum hoc Sacramentum debet esse orta ex dolore peccati, vel saltem cum illo coniuncta. Rursus ad valorem pœnitentiæ non sufficit dolor pure internus, sed requiritur dolor factus sensibilis per confessionem vocalem, aut per nutus, vel per absolutionis petitionem.

42 Probatur tertio sententia communis: nam cum Tridentinum sessione 14. cap. 3. assignet contritionem, & confessionem pro materia essentiali huius Sacramenti; implicat, vt illud conficiatur, nisi præcedat confessio aliqua, qua nimirum pœnitens manifestet se peccasse, & de peccatis dolere; at vbi moribundus, nec confessionem petijt, nec vllum dedit pœnitentiæ signum, nulla præcedit confessio: ergo tunc non potest absolvi.

42 Hanc Concilij authoritatem sic Caramuel eludere conatur: eodem modo Concilium loquitur de confessione, quo de contritione, quo de satisfactione; ait enim, *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus contritio, confessio, & satisfactio.* Atqui ad valorem huius Sacramenti sufficit contritio impropria, nempe attritio, sufficit etiam satisfactio imperfecta nempe volita: ergo etiam sufficit confessio impropria, qualis illa forsam est, quæ non ex asseveratione testis alicuius, sed ex vitæ testimonio colligitur. Vel rursus sic: atqui contritionis nomine Tridentinum intelligit contritionis desiderium, & satisfactionis nomine propositum satisfaciendi: ergo confessionis nomine idem Concilium intelliget confessionis desiderium: non ergo confessionem actualē, sicut nec contritionem actualem, nec satisfactionē actualem. Hæc ille in Theologia fundamentali.

44 Hæc Concilij expositio frivola omnino mihi videtur, nullamque conciliare valens probabilitatem huic sententiæ. Et in primis falsum est ex mente Concilij non requiri ad valorem huius Sacramenti aliquam contritionem proprie talem: etsi enim non requiratur contritio perfecta orta scilicet ex perfecta dilectione Dei, requiritur tamen aliquis verus dolor, aliqua ve propria contritio quæ prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, definitur à Concilio sessione 14. cap. 4. *Animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*: ergo in eodem sensu requiretur aliqua confessio proprie talis, qualis profecto non est illa, quæ consistit in vita Christiane peracta. Rursus dum Concilium ait, satisfactionem esse materiam huius Sacramenti, abs dubio loquitur de satisfactione propria, seu in re exhibita quæ non est pars essentialis, sed integralis huius Sacramenti: propositum namque satisfaciendi non est pars integralis huius Sacramenti, sed præcedit ante absolutionem, tanquam debita dispositio, & involvitur in ipso dolore, & proposito amplius non peccandi.

45 Dicere autem, quod desiderium internum confitendi sufficiat ad valorem huius Sacramenti, est penitus improbabile: nam illud desiderium ratione sui non est sensibile, nisi externe manifestetur, nec potest dici confessio in vllo vero sensu. Dicere rursus, quod vita Christiane peracta est sufficiens confessio, est plane absurdum: alioqui si Sacerdos evidenter cognosceret hominem qui antea bene vixerat, subito morbo correptum nullum dedisse confessionis signum adhuc posset ei impendere absolutionem, quod iam ostendimus esse falsum. Deinde nam vel illa bona vita interrupta est per peccatum mortale, vel non. Si secundum non est necesse ei impendere absolutionem, cum non sit in periculo damnationis; si primum, illud testimonium bonæ vitæ non sufficit: alioqui

si Pe-

ſi Petrus heri haberet voluntatem confitendi, & hodie incideret in peccatum mortale, poſſet hodie à me abſolvi ex vi voluntatis ab ipſo heri habitæ abſque vlla nova petitione confeſsionis, quod eſt clare falſum. Quod denique addit deſiderium contritionis ſufficere ad valorem huius Sacramenti, falſum etiam eſt, ſi tale deſiderium non ſit vera deteſtatio peccati continens propoſitum non peccandi de cætero, quod eſt contritio requiſita à Concilio; ſi autem hoc habeat, nulla eſt paritas, nam deſiderium confeſsionis non eſt confeſsio.

46 Sed pergit Caramuel, & ponit caſum, quo exiſtimat non obſcure probari ſuam ſententiam: ponamus enim Sacerdotem pium qui quotidie horas recitare ſolebat, eo morbo repentino opprimi, & ſenſibus deſtitui. Certe ille quotidie in oratione Dominica poſtulabat ſibi peccata dimitti; & cum modus ordinarius, quo Deus peccata dimittit, ſit mediante confeſsione; hanc virtualiter poſcebat: ergo vi huius petitionis poterit tunc abſolvi. Sed contra, quia hæc duo toto cœlo differunt, nempe habere hodie voluntatem confitendi hora mortis, & hodie dolere ſenſibiliter de peccatis cum animo non peccandi de cætero. Primum non ſufficit, quia nullus eſt homo quantumvis facinoroſus, qui adhuc dum in latrocinijs perſeverat, nõ deſideret confiteri hora mortis; cum tamen voluntas confitendi tunc habita non ſufficit ad valorem huius Sacramẽti. Secundum vero etſi ſufficiat, tamen non continetur in recitatione orationis Dominicæ, cum illa frequenter recitetur abſque vllo dolore peccatorum.

47 Confirmatur: nam vel ego non obſtante religioſa vita illius Sacerdotis, cenſeo forsã poſtea peccaſſe mortaliter, vel non. Si primum hoc ipſo cenſeo illã recitationẽ horarum non eſſe ſufficientem petitionem confeſsionis, ac proinde non poſſe abſolvi. Si ſecundum hoc ipſo cenſeo illum non indigere confeſsione, ac proinde titulo extremæ neceſsitatis non poteſo illi impẽdere abſolutionẽ, non præcedente illo ſigno doloris. Adde illi rationem pro quocũque facinoroſo militare: quia nullus eſt, qui non deſideret mori cum Sacramentis.

48 Duplicem deinde adhibet confirmationẽ ſuæ ſententiæ Caram. cũ alijs. Prima deſumitur ex facto Clem. VIII. Viri ſapientiſsimi, qui dicitur abſolviſſe ſub conditione hominem, quem ruentem vidit è fabrica Sancti Petri. Secunda ex praxi confeſſorum Caſtrenſium, qui abſolvunt milites in pugna cadentes, non expectato vllo ſigno doloris. Ad primam reſpondet Cardinalis de Lugo eam hiſtoriam nullum habere fundamentum, diligenter enim (inquit) petij à multis doctis, & prudentibus viris, qui iam à multis annis in vrbe commorantur, & ipſius Clementis tempore aderant, qui rem omnino fabuloſam putant. Ad ſecundam concedit, ſi milites repentina hoſtium aggreſione ſpacium confitendi non habeant, & dicant ex corde ſe deſiderare confeſsionem, & ex tunc abſolutionem petere Sacramentalem, abſolvi poſſe poſtea poſſe, quãvis ſenſibus omnino ſint deſtituti, non poſſe autem abſolvi, ſi non præceſsit ille dolor, & petitio abſolutionis. Adde in militibus præſumi prudenter poſſe eos in illo mortis periculo habuiſſe dolorem de peccatis, & petijſſe confeſsionem; quia cum pugnam aggrediantur cum cognitione periculi, & ſciant neceſsitatẽ abſolutionis Sacramentalis, illam tunc poſtulare ſolent. Vnde poſſunt ſub conditione abſolvi. Quod extendi non valet ad alios caſus, vbi repentinus morbus hominem occupat.

49 Ex dictis infero: ſi ſiſtamus intra terminos huius quæſtionis, in qua inquiritur, an moribundus, qui nullum dedit pœnitentiæ ſignum, poſsit abſolvi; ſententiam affirmantem eſſe penitus improbabilem, quia hoc ipſo, quod ſupponatur non præceſsiſſe vllum ſignum doloris, ſupponitur deeſſe partem eſſentialem huius Sacramenti: non licet autem Sacerdoti impendere abſolutionem adhuc ſub conditione, quando certum eſt non eſſe conficiendum Sacramentum. Et quamvis prudenter dubitari poſsit, an infirmus habeat internum dolorem, ſi tamen certus eſt eum dolorem non manifeſtaſſe, certus debet eſſe non eſſe conficiendum Sacramentum, ac proinde non poſſe tunc abſolutionem impendi.

50 Si autem quæras, quid ſit dicendum caſu, quo Sacerdos, nec per ſe, nec per relationem teſtium cognoſcit moribundum illum dediſſe pœnitentiæ ſignum, ſed prorſus ignorat, an dederit, vel non dederit, poterit ne illum tunc abſolvere ſub conditione? Aliud enim eſt Sacerdoti cõſtare, quod infirmus non dede-

dederit pœnitentiæ signum, in quo casu, iam diximus, non posse absolutionem impedire: aliud Sacerdoti non constare, quod dederit pœnitentiæ signum, de quo casu nunc dubitamus. Respondeo fundamenta sententiæ communis satis persuadere moribundum illum non posse absolvi, quod colligitur ex Concilijs citatis initio sectionis præcedentis exigentibus pro conditione necessaria, vt Sacerdos moribundũ illum absolvat, quod ille per se, vel per alios ostendat Sacerdoti desiderium confitendi: ergo si eiusmodi desiderium non ostendit, non poterit absolvi. Et rursus probatur, ex natura huius Sacramenti, quod institutum est per modum iudicij sensibilis in quo iudex nequit inchoare, nisi præcedat accusatio, vel imploratio iudicis. Nisi ergo Sacerdos cognoscat per se, vel per aliorũ testimoniũ, moribundum petijsse confessionem, non poterit illum absolvere, & quoad hoc sententiã communem veram etiam existimo, & opposita, vel exiguam, vel fere nullam intrinsecam probabilitatem habet.

51 Sed rogabis, an in praxi moribundus ille absolvẽdus sit saltem propter authoritatem Doctorum affirmantium, qui hac tempestate non pauci, nec ignobiles sunt, quorum sententia saltem in hoc dubio videtur habere probabilitatis speciem? Respondeo, quando adest dubium, & si sit pure negativum, videlicet, quia nec habeo fundamentum, vt mihi persuadeam perijsse confessionem, nec habeo fundamentum, vt Mihi persuadeam non petijsse, potero illi moribundo absolutionem impendere sub hac conditione; *Si forsam confessionem petijsti, & legitimum habes dolorem, ego te absolvo &c.* Quæ resolutio firmatur hac paritate: In dubio negativo, an moribundus habeat vsum rationis, potest absolvi sub conditione, vt est exploratum apud omnes: ergo pariter in nostro casu, &c. Probatur consequentia, nam sicut aliqua confessio, vel accusatio ex parte pœnitentis est omnino necessaria ad valorem absolutionis; ita & vsus rationis: ergo sicut, hoc non obstante, quando Sacerdos anceps est, an moribundus habeat vsum rationis, potest illum absolvere sub conditione, ita in nostro casu, &c.

52 Dices, quando nullum est positivum fundamentum ad iudicandum moribundum petijsse confessionem non esse dubium, sicut in alio casu de vsu rationis, an conficiendum sit Sacramentum, sed omnino certum non esse conficiendum: quia quamvis reipsa contingat petijsse confessionem, hoc non sufficit, vt absolutio sit valida, sed requiritur, quod illa accusatio manifestetur Sacerdoti, qui tanquam iudex nequit inchoare hoc iudicium nisi ad instantiam partis cognitam. Sed contra; quia certum non est requiri hanc notitiam ex parte Sacerdotis: dummodo enim signa contritionis, & petitio confessionis sint ex se sensibilia, licet acto non percipiantur, hoc videtur sufficere ad valorem absolutionis: quia quod circunstantes percipiant illa signa, nec est de conceptu absolutionis, nec videtur esse de conceptu confessionis: ergo si Sacerdos prudenter dicere valet, forsam hic moribundus petijt confessionem, quamvis id à Circunstantibus non fuerit notatum, poterit illum absolvere. Potest enim contingere, vt moribundus reipsa desideret confessionem, & exterius aliquo pacto suum desiderium aliquo motu manifestet, quin circunstantes id advertant, vel intelligant. Quod Mercantius tomo. 1. tract. 4. quæst. 3. pag. 140. Sibi contigisse narrat in vltimo vitæ discrimine: sensibus enim erat destitutus, excepto auditu, recto tamen iudicio, ac ratione vtebatur, & ex medico loquente, & ex naturæ debilitate mortem sibi appropinquare credebat, vnde interne dolebat de peccatis, & dolorem suum exprimere conabatur, circunstantes tamen arbitrabantur motus illos esse signa naturæ patientis, non autem animi „ contriti. Ab illo tempore in animo „ induxi, inquit, quod si quovis modo „ aliquem Catholicum sic oppressum „ reperirem, nec signum aliquod mi„ hi intelligibile pœnitentiæ dare pos„ set, nihilominus sub conditione ab„ solverem, eo, quod forte aliud pœniten„ tiæ signum edat, etsi mihi incognitũ.

53 Non est autem contra Tridentinum hæc resolutio, quia etsi sit essentialiter requisita aliqua confessio ad valorem absolutionis, vt tamen hæc licite impendatur, satis est, quod Sacerdos prudenter suspicare valeat, forsam illum moribundum petijsse confessionem, vel illam modo postulare aliqua actione de se sensibili, quamvis

ab ipso

ab ipſo non percipiatur, ſicut ſatis eſt, quod dubitet, an infirmus habeat vſum rationis; vt eum ſub conditione abſolvat. Rurſus poteſt dici, nec eſſe contra decreta Conciliorum ſupra citata, aſſerendo illa exigere eam conditionem, vt abſolutio conferatur ſine conditione, non tamen vt conferatur ſub conditione; nec eſſe contra naturam huius Sacramenti, quod licet inſtitutum ſit per modum iudicij, non tamen eſt ordinatum ad condemnandum, ſed abſolvendum. Vnde ſatis erit, vtcunque præſumi accuſationem ex parte rei, vt ipſi abſolutio conferatur ſub conditione.

54 Ex his infero: ſiquis in ſubita rixa gladio transfodiatur, & ſuperveniat Sacerdos, qui eum ſolum, & ſenſibus deſtitutum inveniat, poſſe illum ſub conditione abſolvere; ſiquidem in ſimili caſu frequenter ſolent homines Catholici confeſsionem petere: quod maxime locum habet, ſi Sacerdos iudicet hominem illum non inſtę ſubijſſe illud diſcrimen, ſed iniquè ab hoſtibus oppreſſum fuiſſe.

55 Infero ſecundò, non tantum eum, qui frequentare ſolebat Sacramenta, ſed quemlibet Catholicum poſſe ſic abſolvi in illo dubio: nam quilibet, ſi agnoſcat periculum mortis, ſolet tunc deſiderare, & petere confeſsionem. Vnde niſi probetur, nemo debet præſumi adeo malus, vt tunc noluerit confiteri. In dubio ergo an petierit, vel non petierit confeſsionem, abſolvatur ſub conditione. Infero tertio, ſi coram adſtantibus ita ſubito aliquis deſtituatur ſenſibus, vt ipſi ſibi certo perſuadeant nullum dediſſe contritionis ſignum, non poſſe tunc abſolvi, quantumvis antea pie vixerit: vita enim Chriſtiane peracta eſt quidem ſufficiens fundamentum, vt mihi perſuadeam fore, vt homo ille tunc peteret confeſsionem, ſi agnoſceret ſuum periculum; non tamen vt iudicem illud agnoviſſe, ac proinde abſolutè petijſſe confeſsionem.

56 Pro maiori dictorum intelligentia obſerva, aliud eſſe loqui de opinione ſpeculativa aſſerente ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiri, quod accuſatio moribundi manifeſtetur Sacerdoti, ſed ſatis eſſe quod moribundus interne doleat de peccatis, & aliquo ſigno ſenſibili exterius manifeſtet dolorem eo modo quo poteſt: ſicut accidit Marcancio; quamvis hæc manifeſtatio non percipiatur à Sacerdote: aliud eſſe loqui de opinione practica, aſſerente licitum eſſe abſolvere ſub conditione moribundum illum, de quo quis prudenter ſuſpicari poteſt dediſſe ſigna externa contritionis, & confeſsionem petijſſe. Prima opinio ſpeculativa exiguam habet probabilitatem. Cæterum hæc exigua probabilitas ſufficiens fundamentum eſt, vt quis iudicet ſe poſſe licitè impendere abſolutionem tali moribundo ſub conditione, ac proinde hæc opinio practica probabilitatem habet; quia ſufficit quæcunque probabilitas, quantumvis exigua, quod cõficeretur Sacramentum ſi reipſa petijt moribundus confeſsionem; & ſuſpicio prudens, quod re ipſa petierit, ad hoc vt poſsim licitè abſolutionem impendere ſub conditione. Quemadmodum è contra quamvis ſit probabiliſsimum, & fere certum, quod ſit bellua, & non homo, animal, quod moveatur in ſylva coram venatore: tamen ſi detur aliqua probabilitas quamvis exigua, quod eſt homo, non poteſt venator ſagittam emittere. Sicut enim ſufficit hæc exigua probabilitas de vita hominis periclitantis ſi ſagittam emittat, vt à ſagittando teneatur abſtinere. Ita ſufficit exigua probabilitas de ſalute æterna obiectura moribundo ex abſolutione ſi detur, vt eam confeſſarius illo modo licite poſsit impendere.

((i))

DISPVTATIO XXXVII.

AN ATTRITIO SVFFICIENS AD IVSTIFICATIONEM IN HOC SACRAMENTO debeat oriri ex dilectione Dei.

IAM fixum est inter Theologos non requiri contritionem perfectam, vt homo iustificetur intra Sacramentū: dubiū restat, an attritio ad hoc sufficiens concipi possit ex solo metu pœnæ, an vero debeat concipi simul ex motivo charitatis. Cardinalis Sfortia tract. de pœnitentia cap. 12. totis viribus hoc secundum defendit citans pro hac sententia Patrem Valentiam, tom. 4. disp. 7. quæst. 8. punt. 1. & P. Henriquez lib. 4. de Sacramentis, qui est primus de pœnitentia cap. 26. littera K. illamq; multiplici authoritate muniens. & rationibus non contemnendis.

SECTIO PRIMA.

Proponuntur fundamenta Cardinalis Sfortia affirmantis.

1 PROBATVR ergo hæc sententia primo ex illo primæ Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et ex illo primæ ad Corinthios 13. *Sine charitate nihil sum.* Secundo authoritate Tridentini nam sessione 6. cap. 6. absolvit seriem iustificationis per Baptismum dicendo: *Non dum baptizatos ad eam disponi, dum Deum, tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*: & mox immediate subiungit: *Ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem*; hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Ergo pœnitentia, quæ præcedere debet ante iustificationem collatam vi Baptismi homini adulto, ac proinde quæ præcedere debet ante iustificationem collatam vi pœnitentiæ (non enim perfectior contritio requiritur, vt adultus iustificetur in Baptismo, quam in pœnitentia) includit in se dilectionem Dei tanquam fontem omnis iustitiæ, quæ sane dilectio ad solam virtutem charitatis pertinet.

2 Tertio probatur authoritate Augustini de vera, & falsa pœnitentia cap. 9. & 17. dicentis: *Sine amore nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam assecutus est.* Et sermon. 7. de tempore; *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Et libr. 2. contra Chresconium, cap. 12. *Mundantur peccata charitate, quæ si adsit, omnia recte fiunt, si vero desit cætera frustra fiunt.*

3 Quarto authoritate Divi Thomæ in 4. distinctione 17. quæst. 3. art. 4. quęstiuncula 1. dicentis confessionem non valere sine charitate, quæ est principium merendi. Et rursus ibidem dist. 14. quæst. 2. articul. 1. quæstiuncula 2. ad 3. & dist. 22, quæst. 2. art. 1. quæst. 4. Distinguentis attritionem à contritione, seu à perfecta charitate solum secundum plus, & minus, quod non recte diceretur, si differrent adæquate penes motivum. Atque tandem in 3. part. quæst. 85. art. 2. ad primum docentis displicentiam peccati præteriti, eam vtique quæ requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, pertinere immediate ad charitatem, solamque intentionem specialem operandi ad detestationem peccati pertinere ad specialem virtutem sub charitate.

4 Demum probatur ratione; quia videtur summe incongruum, vt cum Deus statuerit non conferre adulto habitum fidei sine prævio actu fidei, & habitum spei sine actu spei, nihilominus statuit dare habitum charitatis sine prævio actu charitatis. Confirmatur primo: nam Tridentinum dicit iustificationē esse renovationē interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorū, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus. Non fit autem volentarie amicus, qui nullo

modo

modo amat. Et certe cum ad amicitiam requiratur vt alteri afficiamur in ratione finis cui; non poteſt eſſe diſpoſitus ad amicitiam divinam, qui nullum talem affectum habet erga Deum.

5 Confirmatur ſecundo; quia cum in peccato præcipua malitia conſiſtat in averſione à Deo in ratione finis cui, ſub qua ratione ipſe eſt optimus, & magis meretur amorem, quam ſub quacunque alia ratione; peccatum non debuit deleri niſi per oppoſitam converſionem ad Deum tanquam ad finem cui; ac proinde per actum amoris.

14 Confirmatur tertio; quis enim putaret congrue eſſe diſpoſitum ad impetrandam non ſolum veniam, ſed amicitiam Principis, eius offenſorem, qui ita peteret veniam: diſplicet mihi, quod te offenderim, eo quod metuam à te puniri; cæterum de tua diſplicentia, ac de tua offenſione, gratia ſui nullum affectum habeo? Sub hac autem forma ſe offerret Deo quicunque peccator in confeſſione, qui pœniteret ex ſolo motivo metus. Hæc ſunt fundamenta huius ſententiæ; quæ abſ dubio illam probabilem, reddunt.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur ſententia communis negans.

7 CONTRARIA tamen ſententia affirmans attritionem ortam ex ſolo metu pœnarum inferni ſufficere in Sacramento ad iuſtificationē, communis eſt inter Theologos, eamque colligunt ex Tridentino ſeſs. 14 cap. 4. cum enim dixiſſet contritionem perfectam diſponere ſufficienter extra Sacramentum ad iuſtificationem, ſtatim addit, contritionem imperfectam extra Sacramentum non ſufficere, ſufficere vero in Sacramento, explicans autem quid intelligat nomine contritionis imperfectæ, inquit: *Quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur.* Sentit ergo attritionem conceptam ex metu inferni ſufficere in Sacramento ad iuſtificationem: ergo ex ipſius mente omnis huiuſmodi attritio etiam ſi hoc dumtaxat motivum reſpiciat, eſt ſufficiens in Sacramento &c.

8 Sed reſpondet Card. Sfortia Concilium nunquam dixiſſe attritionē, quæ diſponit ad iuſtificationem in Sacramento, eſſe poſſe tantum ex motivo pœnarum. Immo cum afferat exemplū Ninivitarum, à quibus improbabile eſt impetratam eſſe iuſtificationē ſine vllo charitatis affectu; patet, inquit, Concilium loqui non tam de ipſo actu attritionis formali, quam de illo primo motivo, per quod incipimus diſponi ad attritionem; in quo tamen aliud perfectius motivum includatur.

9 Sed contra primo: quia cum ibidem, & Canone 5. Concilium contra Hæreticos probet attritionem non ſolum non facere hominē hipocrytam, & magis peccatorem, ſed etiam donum Dei eſſe diſponēs hominem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam; loquitur ſane de attritione, quæ vnice moveatur ex metu pœnarum, non autem de illo dolore, qui inſuper moveretur ex Dei bonitate. De hoc enim nunquam Hæretici dixerunt facere hominem magis peccatorem. Contra ſecundo; quia cum Concilium dicat ſufficere ad iuſtificationem in Sacramento conceptum ex metu inferni dolorem, intelligi debet de omni dolore reſpiciente illud motivum, dum enim aliud non exigitur, ſufficienter, excluditur neceſſitas omnis actus alterius doloris. Exemplum autem Ninivitarum non affertur à Concilio ad probandum requiri ad iuſtificationem in Sacramento dolorem ſimilem illi, quo Ninivitæ iuſtificati ſunt, nam cum extra Sacramentum nemo iuſtificetur ſine perfecta Dei dilectione, inde fieret hanc etiam requiri ad iuſtificationem in Sacramento. Solum ergo affertur ad probandum timorem illum, à quo incipere ſolet peccatoris converſio, eſſe donū Dei, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad pœnitentiam parat. *Hoc enim timore* (inquit Concilium) *vtiliter concuſſi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Deo impetrarunt.*

10 Poteſt etiam ſententia communis probari: quia ex oppoſita doctrina requirente motivum amoris ad attritionem in Sacramento requiſitam, redditur aut difficilis, aut valde incertus valor confeſſionum, quæ communiter fiunt bona fide à Chriſtianis. Verum hanc ſequelam negat Cardinalis: quia

nullus est, qui serio concipiens Deum, cujus nomine intelligimus ens summe bonum, & summe nobis beneficum, ad Deumque confugiens tanquam ad iustitiæ fontem, & misericordiæ, & paratũ reconciliare sibi suos inimicos, eosque in filios adoptare, non excitetur ad aliquem amorem ipsius, ac proinde ad aliquam displicentiam, quod tantam bonitatem offenderit. At simul cum hoc affectu ille, qui accedit ad confessionem, detestatur peccata præterita, & futura ex nocumentis, quæ afferunt, nunquam ergo iustificatur peccator adhuc in Sacramento sine aliqua Dei dilectione.

11 Pollet demum sententia communis probari, quia opposita exigere videtur ad iustificationem in Sacramento totum illud, quod requiritur extra ipsum, & aliquid amplius, quia requirit dolorem ortum ex motivo amoris, & timoris simul, cum extra Sacramentum primus dolor sufficiat. Multus est acutus iste Author in assignanda differentia inter attritionem, & contritionem perfectam iuxta sua principia. Ego brevius, & facilius rem expedirem asserendo in eo attritionem illam differre à contritione perfecta, quod hæc oritur ex dilectione Dei adeo perfecta, vt secluso omni timore pœnarum, inducat dolorem efficacem de peccatis, & propositum efficax ea fugiendi. At attritio illa oritur ex dilectione Dei valde imperfecta, & talis naturæ, vt secluso motivo pœnarum, non possit inducere dolorem efficacem de peccatis, & propositum efficax non peccandi, esto, inducat nec cessariam quãdam displicentiam in peccatis vt contrarijs divinæ bonitati, ad quam tanquam ad misericordiæ fontem recurrit peccator, dum peccata sua cõfitetur. Vnde non sequitur plus requiri in Sacramento, quam extra illud ad iustificationem. Ex quo deducitur sententiam communem solum probari efficaciter authoritate Tridentini, cui præcipue innititur consensus Theologorũ, qui post ipsum scripsere.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur fundamenta Sfortiæ.

12 RESTAT vt solvamus fundamenta Cardinalis Sfortiæ. Ad primum ex authoritate Ioannis respondeo, illam vel esse intelligendam de charitate habituali, sine qua manet homo in morte peccati: vel de dilectione actuali proximi in illis circunstantijs in quibus vrget præceptum ipsum diligendi. Locus vero Pauli solum significat reliqua opera virtutis non sufficere ad meritum vitæ æternæ, nisi procedant à gratia, & charitate habituali. Ad secundum ex authoritate Tridentini respondetur, adultos disponi quidẽ ad iustificationem in baptismo, dum Deum diligere incipiunt tanquam omnis iustitiæ fontem, hanc tamen inchoactionem dilectionis non debere esse actum charitatis, sed spei, vel alterius virtutis, qui propterea dicitur inchoatio dilectionis Dei, quia ad hanc per illum disponitur homo.

13 Ad tertium ex authoritate Augustini respondetur, omnem actum honestum, & laudabilem virtutis supernaturalis appellari reductive charitatẽ, quia est quædam illius participatio cum charitas respiciat finem vltimum, & reliquæ virtutes respiciant obiecta honesta, quæ sunt media ad consecutionem illius. Vnde Augustinus in his locis non loquitur de charitate stricte tali, sed prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, à formaliter, & reductive tali: alioqui quomodo locũ haberet id, quod ille docet tract. 9. in Ioan. nimirum timorẽ pœnarum introducere charitatem, sicut acus filiũ introducit? Vel si à charitate stricte tali loquatur, intelligendus est in ordine ad meritũ vitæ æternæ, ad quod requiritur quod homo sit in gratia, & charitate.

14 Ad quartum ex authoritate D. Thomæ respondetur, eum prioribus locis solum significare statum gratiæ & charitatis esse necessarium, vt quis per confessionem mereatur vitam æternam. In secundo autem loco distinguit contritionem, & attritionem secundum plus, & minus, non quoad motivũ, nam hoc in contritione esse debet essentialiter diversum, ac in attritione, sed quoad effectum emoliendi, & quasi perfringẽdi duritiem cordis: nam quoad hoc maiorem vim habet contritio, quam attritio, quia magis disponit cor ad quæcunque virtutis opera. Dicuntur enim de voluntate peccatoris contritio, & attritio per analogiam ad corpora dura, quæ tunc dicuntur conteri, quando dividuntur in minimas partes, & quasi in pulverem rediguntur, vt facile vndecunque cedant

cedant tangenti: dicuntur vero atteri cũ dividuntur in partes maiores, vt non facile cedant tangenti. In tertio autem loco ſolum agit D. Thomas de diſtinguenda charitate à virtute ſpeciali pœnitentiæ.

15 Ad quintum deſumptum à paritate rationis reſpondeo, propterea ante infuſionem habitus fidei, & ſpei debere præcedere actum fidei, & ſpei, quia ſine illis nequeunt exerceri actus ſupernaturales aliarum virtutum, qui poſſent diſponere ad iuſtificationem in Sacramento. Et ſanè quis non videat non poſſe hominem recurrere ad pœnitentiam, vt in ea ipſi remittantur peccata, niſi credat, & ſperet ita fore. Aliter autem ſe res habet in charitate, quia ſine illius habitu poſſunt exerceri actus aliarum virtutum, quæ ſunt participatio quædam charitatis, & abſque dilectione Dei poteſt concipi efficax deſiderium vitæ æternæ, & amicitiæ cum Deo, efficaxque propoſitum nunquam recedendi à divino beneplacito. Hæc autem eſt ſufficiens diſpoſitio ad ineundam amicitiam cum Deo in Sacramento, in quo ipſe exundatione quadam miſericordiæ prætergreditur noſtram diſpoſitionem conferendo gratiam ex opere operato.

16 Vnde quamvis in pœnitentia iuſtificatio non fiat niſi per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum non arguitur inde, quod debeat præcedere dilectio, ſed ad ſummum deſiderium efficax redeundi ad amicitiam divinam: quamvis autem hoc deſiderium nequeat exerceri ſine actu fidei, & ſpei; bene tamen ſine dilectione Dei, quia non eſt neceſsè, quod ad ita deſiderandum mereatur quis à Dei bonitate. Et hinc patet ad primam confirmationem. Ad ſecundam vero reſpondeo illam proportionem non requiri, vt homo intra Sacramentum iuſtificetur.

17 Ad tertiam neganda eſt paritas: tum quia ſubditus, qui præciſsè ob metum ſupplicij deteſtatur offenſam Principis humani, non propterea habet voluntatẽ vitandi omnes iniurias Principis, ſed tantum illas, quas ipſe cognoſcere, & punire valeat, cum tamen is, qui dolet efficaciter de offenſa Dei ob metum pœnæ æternæ, hoc ipſo efficaciter deteſtetur omnem gravem Dei iniuriam. Tum quia præcipua pœna, qua Princeps humanus offenſam ſibi illatam punire poteſt, non eſt ſeparatio à ſua gratia, & communicatione, ſed exilium, vel ſuſpendium, &c. Vnde ſubditum timere efficaciter pœnam Principis, non eſt timere ſeparationem à gratia, & conſortio illius. Cum tamen præcipua pœna, qua Deus peccatores punit, ſit æterna ſeparatio à ſui gratia, & viſione. Vnde peccatorem deteſtari peccatum propter æternam pœnam eſt deteſtari ſeparationem æternam ſui à Deo, & vltimo fine. Denique, quia humanus princeps non complacet per ſe in timore illo, quo ſubditus ipſe rebellis veretur ſupplicium, cum tamen Deus complaceat in attritione, quæ eſt ſpeciale donum ipſius. In calce adverto peccatorem, qui cum ſola attritione ſufficienter eſt diſpoſitus intra Sacramentum non habere aliquem actum poſitivum, quo parvi faciat habere Dei dilectionem, quamvis hanc omittat propter difficultatem, quam in ipſa elicienda experitur, quapropter peccator non ſe ſiſtit coram Deo in hoc Sacramento ſub ea forma, quæ in argumento proponitur,

18 Sed rogabis, quo ſenſu peccator, in hoc Sacramento ex attrito fiat contritus? In primis certum eſt non poſſe ipſum actum attritionis entitative fieri contritionem. Certum deinde eſt attritionem poſſe informari gratia habituali collata per Sacramentum, & ſic ex informi fieri formatam. Denique certũ videtur non ſemper fieri hominem in Sacramento ex attrito contritũ per formalem contritionem, quia non eſt neceſſe, vt qui rite ſuſcipit Sacramentum ex ſolâ attritione eliciat poſt modum perfectam contritionem. Solum ergo dicitur homo in Sacramento fieri ex attrito cõtritus æquivalenter, & in ordine ad effectum obtinendi gratiam ſanctificantem, quia nimirum ad illam impetrandam tantundem valet attritio cum Sacramento, ac contritio,

SECTIO QVARTA.

Quomodo exponenda ſit ſententia Cardinalis Sfortiæ, ſiquis velit illam defendere.

19 SIQVIS autem velit ſententiam Cardinalis Sfortiæ defendere; dicere debet, dilectionem illam Dei ex qua oritur attritio iuſtificans intra Sacramentum, eſſe dilectio-

lectionem quandam Dei imperfectam; quæ nimirum non diligit Deum super omnia; & quæ potest componi cum statu peccati mortalis, vt enim recte docet Toletus in Luc. cap. 10. annot. 52. qui sunt in peccato diligunt Deum, & propter eum multa faciunt, vt dare eleemosynã, quanquam non diligant ex toto corde, ex tota anima &c. Et ratio est; quia vt probat P. Lessius lib. 3. de iust. & iure cap. 1. dubit. 13. non omnis affectus charitatis in Deum est dilectio Dei super omnia: hæc enim includit propositum seruandi omnia mandata, quod quidem propositum non includit omnis affectus charitatis. Vnde late ibi defendit Lessius posse quem ex affectu placendi Deo, & gratum ei obsequium exhibendi acceptare martyrium, quin Deum diligat super omnia: nam ex vi illius solius voluntatis non est paratus seruare omnia præcepta: multi enim mallent mori, quam fidem Christi negare; & tamen non idcirco deserunt fornicationem, ebrietatem, & similia peccata, quæ ipsi minoris æstimant, quam Christi negationem, quod signum est illam voluntatem non includere propositum seruandi omnia mandata, ac proinde non esse dilectionem Dei super omnia, & sicut qui horret maiora peccata, non propterea horret minora: ita potest quis ex affectu placendi Deo, & gratum ei obsequium exhibendi, potius mortem subire quam fidem Christi negare; quia propterea ex illo affectu malit mortem subire, quam fornicari: ac proinde quin per illum affectum diligat Deum super omnia.

20 Sic ergo dici potest dilectionem Dei, quam necessario præsupponit attritio supernaturalis iustificans intra Sacramentum, esse dilectionem imperfectam, quæ ex se non est incompossibilis cum omni peccato mortali; quia nimirum ex suo modo tendendi ita fertur in Deum, vt nisi adiungeretur metus inferni, vel amissionis gloriæ, non excluderet affectum peccati mortalis: vnde quousque illa coniungatur cum actu attritionis efficaci non inducit propositum efficax vitandi omne mortale. At dilectio Dei super omnia, quæ extra Sacramentum iustificat, est actus adeò nobilis, vt quamvis per impossibile infernus non esset, vi illius homo vitaret omne peccatum mortale.

DISPVTATIO XXXVII.

AN POSSIT DEFECTV DOLORIS DARI SACRAMENTVM POENITENTIAE validum, & informe.

HAC disputatio necessaria est, vt constet qualis debeat esse dolor requisitus ad valorem huius Sacramenti. Est autem in omnium opinione Sacramentum informe, quod re vera essentialiter integrum est, sed non habet effectum in suscipiente defectu dispositionis, quod in alijs Sacramentis facile cernitur. Nam adultus, quem legitimus minister cum debita intentione ablait, simul proferens formam Baptismi, vere baptizatus manet, si habet intentionem suscipiendi Baptismum, & tamen non suscipit gratiam, si non afferat attritionem de peccatis commissis. Et idē est de alijs Sacramentis. Non itaque dicitur Sacramentum informe, quia careat forma, per quam intrinsece constituitur, quia hoc ipso Sacramentum non esset, sed quia propter aliquam indispositionem suscipientis, non confert illi gratiam, quæ est forma extrinseca Sacramentorum. Est autem in pœnitentia peculiaris difficultas: nam dolor est pars essentialis huius Sacramenti, & non aliorum: dubium ergo est, an dolor sufficiens vt detur Sacramentum, sit quoque ex parte pœnitentis sufficiens dispositio, vt ei conferatur gratia.

(*)

SEC-

SECTIO PRIMA.

Authores ſententiæ affirmantis, & varij modi illam defendendi.

1 DARI poſſe Sacramentum pœnitentiæ informe affirmant apud P. Vazq. quæſt. 92. art. 2. D. Thom. in 4. diſt 17. q. 3. art. 4. quæſt. 1. Rycard. Palud. Capreol. Durand. Caiet. Canus, Ledeſma, vterque Soto, Navarrus, & Covarrubias. Quibus addendi ſunt præter modernos Thomiſtas P. Suar. diſp. 20. ſect. 5. Valencia quæſt. 11. punct. 2. & 3. Henriq. lib 2. de pœnit. cap. 11. Cardinal. Tol. lib. 3. ſum. cap. 10. Card. de Lugo diſp. 14. ſect. 6. & 7. Granad. contr. de pœnit. diſp. 3. ſect. 3. Gaſpar Hurt. diſp. 6. difficult. 8. Filliucius, & alij nō pauci.

2 Præcipua apud Thomiſtas ratio pro hac ſententia eſt illa, quam ex D. Thom. adducit M. Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 2. §. *At vero*. Si enim (inquit) verum eſſet quod illius qui ſine gratia accedit ad Sacramentum, nec illam per ipſum ſuſcipit, confeſsio non eſt valida, cum nullus ſit certus in gratia ſuſcepiſſe Sacramentum, nunquam eſſet certus confeſsionem feciſſe legitimam, & præceptum impleviſſe: atque adeo Sacramentum, quod nobis ad placandas conſcientias inſtitutum eſt, illas potius turbulentia, & tremore inquietaret. Deinde hanc ſententiam probat Sotus à paritate Baptiſmi, aliorumque Sacramentorum, quæ poſſunt eſſe valida, & informia. Ideo enim poteſt quis baptiſmum v.g. ſuſcipere, quin ſuſcipiat gratiam, quia Sacramentum, & eius effectus ſunt res diſtinctæ, proindeque poteſt dari obex reſpectu vnius, quin detur reſpectu alterius. Quæ ratio militat etiam in Sacramento pœnitentiæ.

3 Varij autem ſunt modi defendendi hanc ſententiā. Primus eſt, quando pœnitens confitetur exiſtimans ſe afferre dolorem, cum tamen non afferat: tunc enim verum confici Sacramentum arbitratur Palud. quia materia huius Sacramenti, quæ ipſum totum cum abſolutione conficit, eſt tantū peccator confeſſus, & ſubiacens Sacerdotis iudicio, quamvis ſine dolore ſit materia polluta. Vnde ſicut ſi Sacerdos habet oſtiam polluta, non debet conſecrare, ſed ſi conſecrat, tamen factam tenet. Ita in noſtro caſu &c. Verum hic dicendi modus manifeſte reijcitur ex Florentino, & Tridentino, aſſerentibus contritionem ſimul cum confeſsione, & ſatisfactione, eſſe materiam huius Sacramenti, & certe paritas illa etiam probaret verum ſuſcipi Sacramentum ab eo qui confiteretur ſua peccata ſciens ſe nullum dolorem afferre.

4 Secundus modus eſt, cum dolor, ſeu attritio eſt imperfecta, & ineffícax, ſed tamen bona fide credit pœnitens ſe habere dolorem ſufficientem, vt digne accedat ad Sacramentum. Tunc enim confeſsionem eſſe validam, licet non conferat gratiam, docent Caietanus, Victoria, Valentia, Palud. Canus, & Henriquez citati, & ſubſcripti à Patre Granad. vbi ſupra num. 19. Item Navarrus in ſum. cap. 9. num. 10. & Sotus ſtatim citandus. Verum hic dicendi modus reijcitur ex Tridentino ſeſs. 14. cap. 4. *Iuxta quod contritio diſponens ad iuſtificationem, ſiue intra, ſiue extra Sacramentum debet eſſe animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Quod non verificatur vbi dolor non eſt efficax.

5 Tertius modus, cum quis accedit ad hoc Sacramentum cum attritione tantum naturali, bona fide exiſtimans, ſe accedere recte diſpoſitum: tūc enim verum confici Sacramentum affirmat ibid. Granad. n. 22. & docet etiam Magiſter Soto vbi ſupra quæſt. 3. art. 3. concl. 5. vbi ita habet: *Vbicunque eſt aliqua deteſtatio cum aliquo propoſito mutandi vitam, quamvis illa non ſemper, nec per ſe, nec per Sacramentum ad gratiam ſufficiat, erit validum Sacramentum, ſi reliqua concurrant.* Verum iſte dicendi modus ſufficienter manet reiectus diſput. 4. ſect. vltima.

6 Nec fundamentum adductū à Soto quidquam obtinet, quia quamvis pœnitens non ſit certus, an confeſsio à ſe facta fuerit valida, nihilominus anxius eſſe non debet, quia quandiu ei non occurrit fundamentum prudens ad credendum, illam fuiſſe nullam, non habet obligationem eam repetendi. Peccata autem tunc invalide confeſſa remittentur per ſequentes confeſsiones validas. Paritas autem aliorum Sacramentorum nihil valet, quia dolor eſt pars huius Sacramenti, & non aliorum.

7 Quartus, & vltimus modus, omniūque probabiliſsimus eſt ille, quem primus in ſcholas invexit Eximius Doctor

ctor disp. 20. de pœnit. sect. 4. num. 26. & sect. 5. nimirum posse dari confessionem validam, & informem ex defectu extensivo attritionis. Habeat quis, exempli gratia duo peccata, furtum, & incestum, & furti inculpabiliter oblitus doleat de incestu ob specialem eius deformitatem, & sic confiteatur. In hoc casu confessio valida est, & tamen non confertur gratia: ergo iam datur Sacramentum validum, & informe. Quod tunc non conferatur gratia, patet, quia vnum peccatum mortale non remittitur sine alio; tunc autem non remittitur furtum, quia iuxta præsentem providentiam nullum remittitur peccatum etiam in Sacramento sine illius retractatione; & tunc non retractatur furtum, sed præcisè incestus: ergo tunc non infunditur gratia, vtpote quæ ab omni mortali iustificat. Quod autem confessio tunc sit valida suadetur, quia illa tunc est formaliter integra, & ex vera attritione fit.

8 Et confirmatur à Gaspare Hurtado: nam dolor ad essentiam valoremque huius Sacramenti requisitus tãquam pars, sufficit, quod sit eorum mortalium, quorum fit confessio, & non requiritur, quod sit aliorum, quę vel ob oblivionem, vel aliam ob iustam causam reticentur; immo vt est horum, nequit esse pars, quia dolor non est pars huius Sacramenti, nisi quatenus fit sensibilis per confessionem; per hanc autem tantum fit sensibilis respectu eorum, quorum est confessio: ergo in nostro casu licet non daretur dolor sufficiens per modum dispositionis ad gratiam iustificantem, daretur tamen dolor sufficiens per modum partis ad valorem Sacramenti. Addunt autem isti Doctores Sacramentum illud postea conferre gratiam, quando datur attritio furti, si novum non committatur mortale.

SECTIO SECVNDA.

Præfertur sententia negans, & variis rationibus probatur.

9 NEGANT posse dari defectu doloris Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe. Gabriel, Maior, Adrianus, Ioannes Medina, & alij quos ex nostris sequuntur P. Vazquez quæst. 92. art. 2. dubio vnico Coninc. disp. 4. dub. 11. Saa, Ver. confessio num. 6. Amicus, disp. 12. sect. 6. Cardinalis Sforria in libello de Pœnit. num. 299. Martin. disp. 48. sect. 12. Laym. tract. 6. cap. 3. Fagun. de secundo præcepto Ecclesiæ lib. 2. cap. 7. num. 9. Luisius Turrianus, disp. 28. de pœnit. dub. 1. P. Arriaga disp. 13. de Sacramentis sect. 2. & sequentibus.

10 Probatur autem communiter: nam Tridentinum sect. 14. cap. 3. & 4. eodẽ modo loquitur de dolore requisito ad valorem huius Sacramenti, ac de dolore requisito ad eius effectum: ergo si dolor requisitus ad effectum debet esse vniversalis, etiam debet esse vniversalis dolor requisitus ad valorem: ac proinde defectu doloris extensivi non poterit hoc Sacramentum esse informe. Antecedens probatur: nam eundem dolorem quem cap. 3. definit esse materiam huius Sacramenti cap. 4. docet peccatorem disponere ad iustificationem.

11 Et confirmatur: nam Tridentinum eo cap. 4. loquens de attritione sufficiente ad hoc Sacramentum, ait illam debere voluntatem peccandi excludere: non excludit autem voluntatem peccandi attritio, quæ concipitur ob specialem deformitatẽ alicuius peccati, sed illa tantum quæ concipitur ob motivum commune omnibus mortalibus: ergo iuxta Tridentinum attritio sufficiens ad valorem huius Sacramenti debet esse vniversalis, & excludens voluntatem peccandi mortaliter in quacũque materia.

12 His probationibus alias adiungo. Sit prima ex Tridentino sess. 14 „ cap. 3. vbi hæc habet: Sunt autem „ quasi materia huius Sacramenti ipsius „ pœnitentis actus, nempe contritio, „ confessio, & satisfactio, qui quatenus „ in pœnitente ad integritatem Sacra„ menti, ad plenamque, & perfectam „ peccatorum remissionem ex Dei insti„ tutione requiruntur, hac ratione pœ„ nitentiæ partes dicuntur: ergo iuxta Tridentinum eatenus dolor de peccatis est materia, & pars huius Sacramenti, quatenus ad peccati remissionem requitur: ergo quotiescunque deest talis dolor, qualis requiritur ad remissionem peccatorum in Sacramento, deficit materia, & pars huius Sacramenti: ergo iuxta Tridentinum ille dumtaxat dolor est pars huius Sacramenti, qui sufficit, vt in ipso remittantur mortalia, quæ quis confitetur: atqui ad hoc requiritur dolor

lor vniverſalis ex motivo: ergo &c.

13 Sit ſecunda: nam Concilium ſtatim initio cap. 4. explicans naturam contritionis, quæ primum locum obtinet inter actus pœnitentis, qui ſunt materia huius Sacramenti, ait, illam eſſe, *Animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Ergo contritio, quæ eſt pars huius Sacramenti, duo includit iuxta Tridentinum, nimirum dolorem de peccatis commiſsis, & propoſitum non peccandi de cætero. Atqui iuxta Tridentinum propoſitum illud debet eſſe vniverſale vitandi cum gratia Dei omnia mortalia, quæ deinceps poteſt homo ille committere: ergo iuxta Tridentinum dolor debet eſſe etiam vniverſalis de omnibus commiſsis. Probatur conſequentia, tum quia cum eodem modo loquatur de dolore, ac de propoſito, non agnoſcit vllam rationẽ diſcriminis: tum quia loquitur de propoſito incluſo in ipſa contritione, ſiquidem ait talem contritionem eſſe animi dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. At propoſitum vniverſale nõ includitur in contritione reſpiciẽte motivum peculiare, & alligatũ alicui peccato, ſed in contritione reſpiciente motivum vniverſale, & commune omni peccato mortali.

14 Tertia: nam qui confitetur mortale, efficaciter deſiderat reconciliari cum Deo, ac proinde efficaciter deteſtatur ſtatum peccatoris, & inimici Dei: ergo dum dolet de peccato mortali, quod confitetur, neceſſario illud odio habet, quia per ipſum amiſsit amicitiam cum Deo, quam nunc renovare intendit: quod quidem motivum commune eſt omni mortali ab ipſo commiſſo: ergo nequit peccator dolere de mortali, prout oportet ad conficiendum hoc Sacramẽtum, quin dolor ille ſit vniverſalis.

15 Quarta: quia non conficitur validum Sacramentum, vbi verba formæ non verificantur: non verificantur autem verba abſolutionis, quando non adeſt dolor vniverſalis, quia tunc non confertur gratia remiſsiva peccatorum, illa autem verba: *Ego te abſoluo à peccatis tuis*: ſignificant collationem gratiæ remiſsivæ peccatorum.

16 Vltima: quia ſi ad valorem huius Sacramenti per ſe nõ requireretur dolor vniverſalis, ſed ſufficeret dolor illius dũtaxat mortalis, quod quis in confeſsione exponit; poſſet quis valide confiteri, quamvis non doleret de omnibus mortalibus, quorum ſcientiam habet, immo quamvis ſacrilegium committeret in omiſsione huius doloris. At hoc eſt abſurdum, vt & adverſarii ſupponunt, & conſtat ex praxi fidelium; qui hoc ipſo quod ſciant confeſsionem fuiſſe ſacrilegam, iudicant fuiſſe nullam, & repetendam eſſe: ergo ad valorem huius Sacramenti per ſe non ſufficit dolor eorum peccatorum, quæ quis confitetur: ſed requiritur dolor vniverſalis omnium mortalium, quæ commiſsit ac proinde defectu doloris extenſive non poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ informe.

17 Sequela, ad quam tota difficultas revocatur, in hunc modum probatur: nam quamvis pœnitens reminiſcatur furti in caſu propoſito: poterit dolere de ſolo inceſtu ob ſpecialem eius deformitatem, illudque ſolum confiteri, & reticere furtum, præſertim ſi adſit iuſta cauſa non faciendi confeſsionem materialiter integram, eo quod furtum non poſsit tunc manifeſtari abſque infamia proximi. Tunc autem ſi vera forent principia adverſariorum, confeſsio illa eſſet valida: nam ſi ſemel attritio de inceſtu ob ſpecialem eius deformitatem, aliquãdo conſtituit verum Sacramentum pœnitentiæ: ergo quoties detur illa attritio, & illius peccati confeſsio, & inſuper abſolutio, conficietur validum Sacramentum, quamvis adſit notitia furti: carentia enim huius notitiæ nõ erat pars conſtitutiva illius Sacramenti, vtpote conſtituti eſſentialiter adæquate per dolorem, & confeſsionem inceſtus, & abſolutionem, Sacerdotis iuriſdictionem, & intentionem habentis: ac proinde præſentia illius notitiæ non impedit aliquod conſtitutivum illius Sacramenti: ergo in ſenſu compoſito illius notitiæ manent omnia, quæ illa ſecluſa, iuxta adverſarios conficiunt validum Sacramentum, ac proinde hoc manet.

18 Confirmatur. Quia dolor de peccatis non eſt pars intrinſece conſtitutiva Baptiſmi; nã quamvis adultus ſcienter accedat ad ipſum ſine attritione peccatorum, vérum recipiet Sacramentum, licet ſacrilege: ergo ſi ſemel dolor vniverſalis non eſt de neceſsitate huius Sacramenti, ſed ſufficit dolor peculiaris: quamvis quis ſciẽter accedat ſine dolore vniverſali omnium peccatorum mortalium, quorum ſcientiam habet, & eum ſolo

solo dolore particulari, illorum quæ confitetur, verum recipiet Sacramentum, licet sacrilegiũ committat in illo recipiẽdo.

19 Dices illum hominem, qui scienter reticet furtum ob aliquam iustam causam, obligatum tamen esse ad eliciendum dolorem vniversalem, quia quamvis dolor ille, quatenus extenditur ad furtum, non constituat tunc Sacramentum, est tamen dispositio debita ad effectum gratiæ recipiendum: vnde si pœnitens illum dolorem omitteret, peccaret mortaliter. Sed contra, quia quãvis ita peccaret, hoc peccatum non redderet invalidum Sacramentum, licet faceret sacrilegam eius susceptione; nam voluntarie omittere id, quod non constituit Sacramentum, nequit ipsum invalidum reddere, vt patet in adulto culpabiliter omittente dolorem de peccatis, dum suscipit Baptismum. Dolor autem furti in nostro casu non esset iuxta aduersarios pars constitutiva Sacramenti pœnitentiæ: ergo illum omittere non redderet nullum Sacramentum. Absurdum autem est dicere validam esse confessionem sacrilegam: nam hoc ipso, quod sciamus illam fuisse sacrilegam, agnoscimus obligationem eam repetendi: ergo absurda est sententia aduersariorum. Contra secundo, quia posset pœnitens non advertere ad obligationem non apponendi obicem gratiæ, quo casu non peccaret omittendo dolorem furti: ergo tunc saltem validum conficeretur Sacramentum: ac proinde non solum pro casu inculpabilis obligationis dari posset Sacramentum pœnitentiæ informe; sed pro casu in quo pœnitens legitimè excusatur à manifestando aliquo dilecto cuius conscientiam habet.

20 Immo aduersarij non possunt congruentem reddere rationem, cur ille qui sine iusta causa aliquod mortale scienter reticet, faceret confessionem nullam, siquidem posset dolere de alijs, quæ manifestat ob specialem eorum deformitatem, & dolor particularis eorum, quæ pœnitens manifestat iuxta ipsos sufficiens est per se ad valorem huius Sacramẽti: quamvis ergo peccaret mortaliter reticendo aliquod mortale in cõfessione: non propterea confessio aliorum esset nulla. In nostra autem sententia in promptu est ratio, quia is qui scienter aliquod mortale in confessione detinet, peccat mortaliter; implicat autem, vt tunc doleat de peccatis commissis ob rationem communem omni mortali. Vnde cum hic dolor sit necessarius ad valorem huius Sacramenti, implicat vt tunc validum conficiatur Sacramentum.

21 Ex his deducitur dolorem vniversalem omnium sufficienter reddi sensibilem, quamvis non omnia manifestentur: nam illa externa summissio, & veniæ petitio, qua pœnitens ab omnibus absolvi postulat, illum dolorem qua vniversalem sufficienter reddit sensibilem; ac proinde, ille qua talis constituit Sacramentum; sicut quando pœnitens loqui non potest sufficienter per nutus reddit sensibilem contritionem omnium.

DISPVTATIO XXXVIII.

AN PECCATVM COMMISSVM IN DISPOSITIONE BAPTISMI SIT MATERIA confessionis.

DVBIVM procedit tum de peccato fictionis, seu de sacrilegio comisso indigne suscipiendo Baptismũ, tum de alijs peccatis, vt si quis inter suscipiendum haberet volũtatem furandi, vel aliquod aliud præceptum violandi.

1 Communis sententia Thomistarum cum D. Thoma 3. part. quæst. 69. art. 10. ad 2. affirmat peccatum fictionis esse materiam pœnitentiæ, & id negãt de alijs peccatis in ille instanti commissis. Vtrũque enim asseruit Angelicus Doctor ibi his verbis: *Fictio non removetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua remota, Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum*

torum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum ipso Baptismo. Et hanc sententiam, quoad primã eius partem communiter sequuntur Theologi. Quoad secundam vero ex nostris eam tuetur P. Vazquez tom. 2. in 3. p. disp. 160. num. 19. P. Suarez tom. 3. disp. 28. sect. 5. §. *Sed quæres.* Meracius disp. 10. de Baptismo sect. 1. Granadus de pœnit. disp. 3. num. 6. & apud ipsum P. Valentia. Item P. Martinus Perez disp. 16. sect. 7. num. 3.

2 At alij non pauci eodem modo discurrunt de vtriusque peccatis, existimantque vniuersaliter ad pœnitentiã pertinere omnia peccata, quæ commissa non sunt ante Baptismum. Ita Cardinalis de Lugo disp. 16. de pœnitentia sect. 1. Arriaga disp. 13. sect. 1. Laym. lib. 6. num. 104. Coninch. quæst. 62. de Sacrament. num. 95. & 96. Martinon. de Sacrament. disp. 25. num. 1.

3 Sed videamus, quo fundamento nitatur sententia communis ad probandum sacrilegium commissum in susceptione Baptismi esse materiam pœnitentiæ. P. Vazquez rationem reddit; nam quamvis sola voluntas, & propositum mente conceptum recipiendi Baptismum sine debito dolore præcedat ipsum, tamen peccatum indignæ susceptionis operè consummatum subsequitur ipsum Baptismum; prius enim ordine naturæ est baptizari, quam indigne baptizari, ac proinde quam peccatum indignæ receptionis: nec enim opere compleri potest hoc sacrilegium, nisi prius intelligatur Baptismus reipsa receptus, & ita hoc peccatum subditur clavibus, quamvis sola illa voluntas indigne recipiendi Baptismum, si opere non compleretur, non subderetur.

4 Sed hoc fundamentum inefficax est: nam nulla hic intervenit prioritas, nisi in subsistendi consequentia, quatenus scilicet susceptio Baptismi præscindit ab illo sacrilegio: istud tamen non præscindit à Baptismi susceptione. Ista autè prioritas non sufficit ad salvandũ, quod intendit P. Vazquez, nimirum id, quod dicit Tridentinum de Sacramento Pœnitentiæ sess. 14. cap. 1. nempe, *Institutũ esse ad remittenda peccata post Baptismum commissa, & reconciliandos fideles post Baptismum lapsos.* In nullo enim vero sensu potest dici de eo, qui indigne suscipit Baptismum peccasse post ipsum peccato talis sacrilegij.

5 Deinde quia vt quis indigne suscipiat Baptismum non est opus vt in illo instãti in quo vltimo completur forma Baptismi, existat physice voluntas illa indigne suscipiendi, sed satis est quod existat moraliter, sicut vt illa susceptio sit voluntaria prout oportet ad valorem Baptismi, nõ requiritur quod existat tũc physice voluntas suscipiendi: tota ergo malitia illius voluntatis tempore præcedit: ac omnia peccata tempore præcedentia Baptismum remitti debent vi ipsius: ergo & tota illa malitia: nihil ergo restat remittendum vi pœnitentiæ.

5 P. Suarez ea disp. 28. sect. 5. concl. 3. ait propterea peccatum obicis computari inter ea, quæ Baptismum subsequuntur, quia Baptismus prius natura imprimit characterem, quam infundat gratiam: tum quia ad imprimendum characterem nullam requirit dispositionem, quam requirit ad gratiam: tum etiam, quia sicut character baptismalis est potentia passiva ad alia Sacramenta, & ad eorum effectus, ita & ad effectum gratiæ baptismalis: igitur quando homo ponit obicem gratiæ per susceptionem sacrilegam, iam intelligitur insignitus charactere baptismali: ergo tale peccatum est posterius Baptismo.

6 Sed hoc etiam fundamentum est inefficax, quia quod character non indigeat illa dispositione, qua indiget gratia baptismalis solum probat eam dispositionem habere priorietatem respectu gratiæ & non respectu characteris. Hinc autem male infertur, quod peccatum fictionis sit charactere posterius, cum ab illo non dependeat, nec tanquam à causa, nec tanquam à conditione: siquidem eo modo peccaret homo indigne suscipiendo Baptismum, quamvis Deus impediret existentiam characteris: nullam ergo prioritatem habet character respectu illius sacrilegij. Immo sacrilegium videtur habere priorietatem respectu characteris. nam voluntas suscipiẽdi Baptismum est prior Baptismo, ac proinde charactere; talis autem voluntas in his circunstantijs est sacrilegium, quod hic intervenit. Rursus ex eo quod character præcedat gratiam baptismalem, nullo pacto sequitur, quod præcedat sacrilegiũ impediẽs illã.

7 Tertio alij probant illud peccatum sacrilegæ susceptionis propterea non posse tolli vi Baptismi, quamvis posſint

sint alia commissa in institutione Baptismi, quia illi sacrilegio essentiale est impedire effectum Baptismi; cæteris vero peccatis accidentale: nequit autem remitti vi Sacramenti peccatum, cui essentiale est impedire eius effectum. Sed contra, quia quamvis aliis peccatis per accidens sit impedire effectum Baptismi, quatenus per accidens illis est quod committantur tempore Baptismi; tamen ex suppositione, quod sic committantur non minus est illis essentiale, quam tali sacrilegio impedire effectum Baptismi. Quare sicut alia peccata, hoc non obstante, possunt postea remitti vi Baptismi præteriti, nimirum, quando aderit sufficiens eorum retractatio; ita illud Sacrilegium. Quapropter absolute censeo eodem modo philosophandum esse de vtrisque.

8 Restat ergo examinare, an vtraque pertineant ad pœnitentiam. Pater Martinon probat sententiam affirmantem, asserens nullum peccatum cõmissum in instanti Baptismi posse remitti vi illius, quia quodlibet tunc commissum enervat eius vim. Sed contra, quia non solum peccata commissa in instanti Baptismi, sed peccata præterita perseverantia tunc moraliter enervant vim Baptismi, cum accedit sine retractatione præteritorum. Sicut ergo peccata moraliter perseverantia in instanti Baptismi, possunt postea remitti vi eiusdem; pariter peccata commissa tunc. Quare ratio illa solum probat peccata illa non posse in ipso instanti Baptismi remitti, non autem in sequentibus, in quibus homo illa retractet.

9 Cardinalis de Lugo suam sententiam probat à priori, & ex verbis Tridentini sess. 14. cap. 5. vbi dicitur: *Christum reliquisse Sacerdotes sui ipsius Vicarios, & tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.* Ex quo infert pertinere ad Iudices Ecclesiæ peccatum in instanti Baptismi commissum, quia est peccatum hominis fidelis. Verum hæc probatio sufficiens fundamentum non habet in Tridentino vt constabit legenti, totum contextũ. Cum enim initio capitis dixisset: *Integram omnium peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere*: statim subdit rationem: *Quia Dominus noster Iesus-Christus è terris ascensus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsi Vicarios reliquit tanquã Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.* Vnde ego infero per hæc crimina intelligere præcisè illa, in quę ceciderint post Baptismũ, seu post quam fideles sunt; & non comprehendere crimina terminata in ipso instãti Baptismi: Et sic hęc vltima verba correspondeãt illis prioribus, *Omnibus post Baptismum lapsis.* Alioqui verificari posset de homine nunquam lapso post Baptismum esse, illi necessariam confessionem, nimirum si lapsus fuisset in ipso instanti Baptismi: vnde Concilii non integre exposuisset necessitatem confessionis ad salutem.

10 Ego postquam iterum, atque iterum Tridentinum legi probabilius censeo ad pœnitentiam non pertinere peccata illa, quæ terminantur intrinsece in ipso instanti Baptismi, sive sit peccatum obiçis, sive aliud. Hanc sententiã vt probabiliorẽ secutus fuit olim Cardinalis de Lugo, vt ipse testatur disput. 16. num. 10. Vbi pro ea refert Sylvest. Palud. Ioan. de la Cruz, & Recentiores Salmanticenses secutos communiorem sententiam antiquorum, qui de solis peccatis subsecutis ad Baptismũ dicunt esse materiam confessionis. Quã sententiam probo. Nam Tridentinum quoties agit de Sacramento pœnitentiæ pro ipsius materia tantum assignat peccata post Baptismum commissa, idque passim repetit: ergo hæc tantum, non autem illa, quæ intrinsece tractantur in ipso instanti Baptismi sunt materia pœnitentiæ. Probatur consequentia: nam vbi Concilia, ex professo declarant materiam alicuius Sacramenti, per inde est aliquam præcisè nominare, ac reliquas excludere. Sic vbi Florentinum definivit materiam Baptismi esse aquam elementalem, virtualiter exclusit aquam artificialem: & vbi declaravit materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite, virtualiter exclusit omnem aliam materiam.

11 Iam probatur antecedens: nam Tridentinum sess. 14. cap. 1. initio „ ait: Sacramento Pœnitentiæ lapsis „ post Baptismum beneficium redemp„ tionis applicari; & ad finem illius ca„ pitis, fuisse institutum ad reconcilian„ dos fideles post Baptismum lapsos, & „ cap. 2. initio: Regeneratos lavacro „ Baptismatis, si postea se crimine ali„ quo cõtaminaverint, sisti debere tan„ quam reos ante hoc Tribunal: & in

„ Baptismum ad salutum necessarium; & repetit idem cap. 5. initio, & Can. 1. definit Sacramentum pœnitentiæ pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino institutum.

12 Nec particula *post* detorquenda est ad improprios sensus, sed proprie accipienda; sic autem accepti significat posterioritatem durationis in prædictis testimonijs, præsertim cum posterioritas causalitatis locum ibi non habeat. Dices particulam *post* non semper accipi positive pro tempore sequenti, sed interdum negative pro tempore non antecedenti, vt cum dicimus, homo non peccat nisi post vsum rationis: ibi enim solum significat non peccare ante vsum rationis. Vnde perinde esse apud Concilium peccata commissa post Baptismum, ac peccata non commissa ante Baptismum.

13 Sed contra primo: quia cum peccatum essentialiter supponat vsum rationis, vt causam sui, peccatum commissum in primo instanti vsus rationis in aliquo proprio sensu dici valet post vsum rationis. In nostro autem casu voluntas furandi, v.g. habita in instanti Baptismi non supponit ipsum vt causam sui, nec vt prærequisitum: ergo in nullo vero sensu potest dici quod sit post Baptismum. Contra secundo: quia Patres Cõcilij non ignorabant committi posse peccatum inter suscipiendum Baptismum: cum ergo dumtaxat assignent pro materia huius Sacramenti peccata commissa post Baptismum, non fuit eorum intentiõ comprehendere peccata intrinsece terminata in instanti Baptismi.

14 Et quidem cum magnus sit favor, quod peccatum in eo instanti commissum, accedente postea legitima illius retractatione, remittatur vi Baptismi, quia hoc ipso remittitur quoad culpam, & pœnam, & cum favores sint ampliandi; non est ratio cur dicamus illud remittendum esse vi pœnitentiæ, cũ pro huius materia Conciliũ solum assignet peccata post Baptismum commissa.

15 Dixi non pertinere ad pœnitentiam peccata intrinsece terminata in instanti Baptismi: nam si tunc incipiant, & postea continuentur per aliquod tempus, attinebunt ad pœnitentiam, quia tunc vere possunt dici post Baptismum commissa. Si vero antea inceperint, & vltimo terminentur in instanti Baptismi, ad istum pertinere debent, quia vere possunt dici ante Baptismum commissa, & quia peccatum obicis est huiusmodi, de hoc firmius censeo attinere ad Baptismum, præsertim quia ita potest fieri vt in ipso instanti Baptismi non sit iam libertas ad impediendam sacrilegam susceptionem ipsius. Absurdumque est non posse remitti vi Baptismi peccatum, quod physice extitit ante ipsum quoad totam suã malitiam. Denique peccatum præcisè durans, seu existens in instanti Baptismi ad hunc spectare debet propter rationes allatas.

DISPVTATIO XXXIX.

AN PECCATA SOLVM EXISTIMATA SINT MATERIA SVFFICIENS huius Sacramenti.

EXEMPLI causa; arbitratur Petrus se positum in tali occasione peccasse, cum tamen re ipsa non peccaverit: accusat se de hoc solo peccato cũ debito dolore, & absolvitur à legitimo ministro. Dubiũ est an tunc validum conficiatur Sacramentum?

1 Affirmant probabiliter nobiles Recentiores cum P. Martino Perez disp. 21. de pœnit. sect. 6. num. 4. & 5. idque probant primo à priori, quia ibi concurrunt omnes partes essentiales huius Sacramenti assignatæ à Tridentino, videlicet, contritio, confessio, & absolutio. Nec enim peccatum præteritum constituit intrinsece hoc Sacramentum, vt existimavit Cardinalis de Lugo, cuius sententiam esse contra communem Theologorum ostendit Pater Dicastillo disput. 4. de pœnitentia

num. 6. & 61. Secundo à paritate confessionis de peccatis iam dimissis. Tertio à paritate iudicij humani, quod vt valide exerceatur, parum refert, quod crimen re ipsa sit falsum, si tamen legitime probetur. Quarto à paritate Baptismi, qui quamvis institutus sit ad delendum originale, valide administratus est Beata Virgini, quæ illud non contraxerat. Quinto à paritate extremæ Vnctionis, cuius forma etsi supponere videatur peccatum commissum à recipiente, valide tamen profertur supra personam, quæ nunquam actualiter peccavit ob speciale privilegium, vt tenet communior sententia Theologorum apud Leandrum tomo 1. de Sacrament. tract. 4. disput. 3. quæst. 5 affirmans Beatam Virginem recepisse extremam Vnctionem. Sexto à paritate virtutis pœnitentiæ, quæ exercetur circa peccata tantum existimata eliciendo, vel imperando eorum contritionem. Vltimo à paritate præcepti divini obligantis ad confitendum peccata existimata.

2 Sed nobis negandum est cum Cardinali de Lugo disput. 12. numero. 23. Patre Martinon disputat. 42. num. 3. in fine Patre Arriaga disput. 30. numero 23. Amico disput. 13. numero 53. & 54. Dicastillo disput. 4. numero 82. & demum cum Leandro disput. 1. quæst. 4. quæ videtur esse sententia communis Doctorum, qui potius supponunt, quam disputant peccata præterita esse materiam remotam essentialiter præ requisitam ad valorem ipsius, non minus, quam requiritur ad valorem aliorum Sacramentorum; quod materia eorum remota sit vera, & non tantum apparens.

3 Probatur autem nostra communisque sententia: nam iuxta Tridentinum, contritio quæ est pars huius Sacramenti, est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso. At attritio de peccato dumtaxat existimato, non est detestatio de peccato commisso: sicut enim homo dumtaxat existimatus, vere homo non est, ita peccatum commissum, dumtaxat in existimatione, non est vere peccatum commissum, ac proinde detestatio de illo, nō est detestatio de peccato commisso, sed potius de peccato non commisso: ergo &c.

4 Et quidem certum est Christum potuisse ita instituere hoc Sacramentum, vt ad eius valorem essentialiter prærequireret veram, & realem præexistentiam peccati, sive tanquam conditionem, sive tanquam constitutivum. At quod ita instituerit, sufficienter deprehenditur, tum ex Tridentino, tum ex ipsa forma: *Ego te absolvo à peccatis tuis*: quæ supponit peccata illa, quę pœnitens exponit, esse revera peccata illius, ab illoque commissa fuisse. Vnde redditur hunc sensum: ego tibi remitto, vel tibi confero formam remissivam eorum peccatorum, quæ commisisti, & nunc confiteris cum dolore.

5 Hinc patet ad primum fundamentum adversariorum: nam licet tunc detur verus dolor, non datur tamen dolor de peccato commisso, qui tamen requiritur ad valorem huius Sacramenti. Ex hoc autem necessario sequitur vnum è duobus esse dicendum; nimirum, vel dolorem requisitum ad hoc Sacramentum essentialiter præsupponere peccatum, vt reipsa commissum, ac proinde per seipsum esse dolorem de peccato commisso: vel si peccatum non præsupponit, constitui in ratione doloris de peccato reipsa commisso per hoc quod istud reipsa commissum fuerit. Si autem dicatur hoc secundum, necessario infertur peccatum præteritum intrinsece constituere hoc Sacramentum, prout affirmant Cardinalis de Lugo, & post ipsum Arriaga, & Leander vbi supra, & nos alibi explicuimus. Nec in hoc vllū est inconveniens, solū enim sequitur Deum noluisse conferre gratiā, mediante dolore, confessione, & absolutione, nisi quando illa cadunt supra peccatum, quod reipsa extitit.

6 Et quidem licet Authores citati à Dicast. negent peccatū esse materiam, ex qua conficitur Sacramentum, id tamen in eodem sensu affirmant, in quo dicunt intentionem ministri non esse partem huius Sacramenti. Vnde sicut ita hoc dicunt, vt tamen asserant esse essentialiter prærequisitam ad eius valorem; pariter dicent de peccato præterito, & id etiam supponit hic Author, qui ideo tot paginas impleuit contra Cardinalem de Lugo, quia eius sententiam meo iudicio non penetravit. Nam Cardinalis supponebat ex vna parte posse illum dolorem, qui defacto constituit Sacramentum, existere secundum entitatē, quin reipsa præcesserit peccatū, nimi-

nimirum ſi pœniteus falſo exiſtimaret peccatum illud fuiſſe à ſe commiſſum, & hanc ſuppoſitionem Dicaſtillo non impugnat: aliunde verò ſupponebat cum ſententia communi, peccatum præteritum eſſe eſſentialiter prærequiſitum ad valorem huius Sacramenti. Ex his verò præmiſſis iuxta regulam conſtitutivorum à nobis explicatam vbi ſupra, & etiam approbatam ab hoc Authore, manifeſtè conuincitur præexiſtentiam realem peccati conſtituere intrinſecè hoc Sacramentum. Quare ſententia communis appellans peccatum præterita prærequiſitum eſſentiale ad valorem huius Sacramenti quoad rem ipſam conuenit cum ſententia Cardinalis de Lugo appellantis conſtitutiuum.

7 Hinc patet nullum eſſe ſecundum argumentum: nam licet peccata ſint dimiſſa; quando quis illa iterum confitetur, vere tamen præceſſerunt, & dolor non eſt de illis quoad perſeuerantiam moralem à ſolius Dei voluntate pendentem, ſed quoad exiſtentiam phyſicam pendentem à voluntate peccatoris. Patet etiam nullum eſſe tertium, quia iudex humanus non poteſt proferre ſententiam niſi iuxta allegata, & probata: at Deus, qui principaliter abſolvit, potuit alligare collationem gratiæ Sacramentalis ad dolorem de peccatis, quando hæc ſunt re ipſa commiſſa. Patet etiam nullum eſſe quartum, quia forma Baptiſmi non ſupponit perſonam baptizandam contraxiſſe originale, ſicut forma pœnitentiæ ſupponit reum commiſſiſſe peccatum, quod confitetur. Patet etiam nullum eſſe ſextum, & ſeptimum, nam vt virtus pœnitentiæ exerceatur, & vt præceptum confeſſionis obliget, ſatis eſt; quod homo exiſtimet ſe peccaſſe, ſiquidem honeſtas actionis, & obligatio operandi ſumuntur ex cognitione, hoc autem non ſufficit ad valorem Sacramenti vt probatum manet.

8 Ad quintum, quod difficilius eſt, poteſt in primis reſponderi cum Patre Vazquez in 3. part. diſp. 119. cap. 8. cum Granado, Ioanne Sanchez, & alijs, perſonam, quæ nunquam peccauit actualiter, capacem non eſſe extremæ Vnctionis, quod ibi latè probat P. Vazq. Sed admiſſo antecedente reſpondeo ſecundo negando paritatem: nam propterea Doctores illi affirmant poſſe conferri extremam Vnctionem homini, qui ex priuilegio nunquam peccauerit, quia exiſtimant formam illius reddere ſenſum conditionalem, vt perinde ſit: *Remittat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, &c. ideſt, ſi quid peccaſti*, vt conſtat ex Patre Suarez diſp. 42. ſect. 6. num. 8. quod colligunt ex verbis Iacobi qui ſolum dixit: *Si in peccatis eſt dimittentur ei*. At nec Pater Suarez nec vllus alius ex illis Doctoribus vnquam aſſeruit formam abſolutionis reddere ſenſum conditionalem: iſti ergo Doctores non ſauent ſententiæ Recentiorum, ſed potius illi contrarij ſunt. Quod deinde patet; nam apud P. Vazquez ibidem num. 73. diſparitatem aſſignant inter pœnitentiam, & extremam Vnctionem: nam cum materia (inquiunt) neceſſaria abſolutioni ſint peccata, neceſſè eſt vt in illo qui abſolvendus eſt, peccata commiſſa poſt Baptiſmum præcellerint, & ipſe ea confiteatur. At in Sacramento Vnctionis peccata actionis commiſſa poſt Baptiſmum, vel antea non ſunt materia, circa quam forma Sacramenti verſetur, licet vim habeat remittendi venialia.

(*)

DISPVTATIO XXXX.

AN PECCATA DVBIA SINT MATERIA NECESSARIA CONFESSIONIS.

SECTIO PRIMA.

Status quæstionis, & Authorum placita.

1 INTELLECTVM noſtrũ dubitare nihil aliud eſt, vt optimè explicat Pater Vazquez 1. 2. diſp. 62. numero 26. quam pendere in vtramque partem contradictionis, & nulli determinate aſſenſum præbere, quia in nulla illarum ſufficienter appareat prædicati conuenientia cum ſubiecto, & vt inquit Pater Suarez tom. 5. in tertiam partem diſp. 40. ſect. 5. dubium proprium eſt, quando poſt diligentem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet.

2 Hæc autem ſuſpenſio intellectus poteſt prouenire, vel ex eo, quod pro neutra parte contradictionis ſe offerat ratio inclinans ad aſſenſum, vel ex eo, quod ſe offerant rationes, & motiva omnino æqualia pro vna, & altera parte, vt docet Divus Thomas quæſt. 14. de veritate art. 1. corpore „ his verbis: Quandoque intellectus no„ ſter non inclinatur magis ad vnum quã „ ad aliud, vel propter defectum moven„ tium, ſicut in illis problematibus, de „ quib⁹ rationes non habemus, vel prop„ ter apparentem æqualitatem eorum, „ quæ mouent ad vtranque partem, & „ ita eſt dubitantis diſpoſitio, qui flu„ ctuat inter duas partes cõtradictionis. Idem docet Pater Breſſerus lib. 4. de conſcientia cap. 1. vbi cum numero 1. dixiſſet dubium proprie ſumptum nihil aliud eſſe, quam ſuſpenſionem animi conſtituti in æquilibrio, neque aſſentientis, neque diſſentientis, ſtatim numero 3. ſubiungit, hoc contingere, vel ob defectum rationum, ſeu mediorum aſſentiendi, aut diſſentiendi; quomodo dubitamus, an aſtra ſint paria; vel ob mediorum vtrinque æqualitatem; quando enim pro vtraque parte occurrunnt rationes æquales, merito intellectus manet dubius. Idque explicatur exemplo ſtateræ, quæ duplici ex capite poteſt eſſe in æquilibrio, vel quia neutri ipſius brachio imponitur pondus, vel quia vtrinque imponitur pondus omnino æquale. In vtroque enim caſu non magis inclinatur in vnam partem, quam in aliam, ſed manet in æquilibrio. Sic ergo intellectus poteſt manere ſuſpenſus & in æquilibrio, vel quia pro neutra parte cõtradictionis occurrit ratio, ſeu motiuum; vel quia pro vtraque occurrunt motiua omnino æqualia. Vtrobiq; enim verificatur non magis inclinari in vnam partem, quam in aliam; & hæc eſt dubitantis diſpoſitio, vt aiebat. D. Thom.

3 Quando ſuſpenſio animi conſtituti in æquilibrio, prouenit ex defectu mouentium, appellatur à multis dubium negatiuum; quando autem prouenit ex æqualitate mouentium appellatur dubium poſitiuum; vt videre eſt in Patre Coninch. Diſputat. 34. de Sacramentis dub. 10. num. 82. vbi ait: „ Dubium aliud eſt negatiuum, vt quã„ do pro neutra parte habeo ſufficien„ tes rationes, vt poſsim probabilem „ aſſenſum elicere, v.g. An arenæ ma„ ris ſint pares: aliud poſitiuum quan„ do vtrinque ſunt pares rationes, ta„ leſque, quæ ſingulæ ſuam partem pro„ babilem efficerent, niſi aliæ rationes „ contarium ſuaderent: quando enim „ intellectus pro vtraque parte habet ra„ tiones omnino æquales, in neutrã par„ tem præ alia poteſt inclinare, ſed ſuſ„ penſus hæret. Eodem modo loquitur P. Cardenas in ſua Criſi Theolog. diſp. 6. num 115. dicens: *Dubium negatiuum eſſe quo quis dubitat nulla occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis.*

4 His poſitis circa naturam dubij propriè ſumpti, in primis aſſero præſentem quæſtionem non inſtitui de peccatis, ita pure negatiue dubijs, vt pro neutra parte ſe offerat ratio inclinans ad aſſenſum: hoc enim dubium non eſt morale, & prudens, ſed pure phyſicum, & inſufficiens ad inducendam

dam obligationem confitendi, vt recte probāt P. Bresser. lib. 4. de conscięt. cap. 18. & P. Bardi disp. 5. cap. 1. & Pater Coninch disp. 7. de pœnit. n. 69 durissimum enim foret obligare ad confitendū peccatum hominem illum, cui post diligentem conscientiæ discussionem nulla occurrit ratio inclinans ad iudicandum se commisisse peccatum, hic enim nec physice, nec moraliter, nec formaliter, nec æquivalenter habet conscientiam peccati. Hinc miror, Cardinalem de Lugo disp. 16. de pœnit. num. 59. explicuisse dubium negativum, de quo est præsens controversia, exemplo huius propositionis, astra sunt paria; de quo constat esse dubium pure physicum, & simile dubium circa peccatum commissum omnino contemnendum esse. Immo non tam est dubiū, quam pura ignorantia, & nescientia; interrogatus enim quis, an astra sint paria, respōdere debet, nescio, & non aptè responderet, dubito. Si enim ita respōderet, statim posset rursus interrogari, quam habes dubitandi rationem? Et cum nullam posset reponere, conviceretur non aptè respondisse. Quamvis autem omnis qui dubitat habeat ignorantiam rei de qua dubitat, tamen cum dubium fundatur in rationibus prudentibus pro vna, & altera parte, non dicitur pura nescientia, sed dubium prudens, quia est ignorantia immixta rationibus gravibus.

5 Affero secundo, nec etiam institui quęstionem de dubio proveniente à ratione levi dubitandi: tum quia ratio levis virum prudentem movere nō potest; tum quia si omne eiusmodi dubium sufficeret ad obligationem confitēdi, aperiretur ianua infinitis scrupulis, vt P. Bresserus optime notat.

6 Dicendum ergo est quæstionem institui de dubio prudenti ob rationes graves dubitandi, ac proinde sermo est de peccatis prudenter, ac rationabiliter dubijs; sunt autem eiusmodi illa, de quibus pœnitens speciali aliqua ratione gravi ductus dubitat an à se fuerint cōmissa, quia nimirum occurrit ratio ad ad affirmandum fuisse commissa, & occurit ratio æqualis ponderis ad negandū; ita vt in actu primo non magis inclinetur ad vnam partem quam ad aliam, sed maneat anceps, & in æquilibrio: hic enim est proprie status intellectus dubitantis, qui fluctuat inter duas partes contradictionis, vt supra laiebat Divus Thomas, & ex illo Bresserus. Vnde merito Sylvester in summa verbo dubium, definiens ex mente Divi Thomæ, & Philosophi dubium morale, & prudens, inquit: dubium secundum Philosophū & Divum Thomam est contrariarum rationum æqualitas. Et ita etiam definiunt Tabiena verbo dubitatio. Durandus in 3. distinct. 17. quæst. 2. Divus Antoninus 1. parte summ. titulo 3. cap. 10. Adrianus quodlib. 2. in 3. punct. & Frater Antonius de Cordova lib. 2. quæst. 3.

7 Ex his infero difficilem habere explicationem assertionem plurium Authorum, qui in præsenti quæstione affirmant, non dari obligationem confitendi peccata dubia, quando dubium est positivum; dari vero, quando dubium est negativum; aiuntque quæstionem procedere de dubio negativo. Nam si loquantur de dubio ita purè negativo, vt pro neutra parte contradictionis appareat motivum inclinās ad assensum; clare allucinantur; quia quęstio non est de hoc dubio, vt probavi, estque aperte falsum, in hoc dubio dari obligationem confitendi. Si autem loquantur de dubio orto ex rationibus positivis dubitandi, quæ quia æqualiter movent, relinquunt intellectum anceps, & in æquilibrio; sicut pondera æqualia hinc inde moventia relinquunt stateram in æquilibrio; tunc confundunt dubium positivum cum negativo; & falso affirmant quæstionem non procedere de hoc dubio positivo, & non debēt supponere, sed probare, quod in hoc dubio non detur obligatio confitendi.

8 Infero secundo, dubium prudens, & morale proprie sumptum non recte dividi in positivum, & negativum, quia intellectus non dicitur proprie dubitare, nisi quando est anceps, & suspensus, & fluctuat inter duas partes contradictionis, quin vni potius, quam alteri assensum præstet: nec dubium hoc est prudens, & morale, nisi hæc suspensio, & fluctuatio præveniat ex rationibus positivis contrarijs, quarum vna inclinat in vnam partem, & altera in aliam. Vnde omne dubium prudens, & morale est positivum quoad fundamenta dubitandi, & negativum quoad suspensionem assensus, & est lis de nomine, an hoc dubium appellandum sit positivum denominative à fundamentis positivis; vel negativum denominative à negatione, & suspensione assensus. Sed ne in nomine hę-

reamus appellemus hoc dubium morale negativum, & inquiramus ab adversarijs, quod intelligant nomine dubij moralis positivi.

9 Si dicant nomine dubij positivi intelligi assensum opinativum vnius partis cum formidine partis oppositæ, quia vt inquit P. Suar. disp. 22. de pœnit. sect. 9. n. 4. *Homo interdum dicitur dubitare, quia non habet certitudinem, licet habeat iudicium probabile, quod formidinem non excludat.* Si hoc dicant, contra est primo, quia hoc non est proprie dubiũ, sed valde improprie; vt enim inquit idem Pater Suarez tomo 5. in 3. partem 3, disput. 10. sect. 5. Aliud est dubitare, „ aliud assentire cum formidine, du„ bium enim proprium est, quando post „ diligentem, inquisitionem intellectus „ anceps, & quasi suspensus manet. Vnde merito P. Bresserus lib. 4. cap. 18. dixit: „ Dupliciter posse quẽ dubitare de pec„ cato à se commisso, vel stricte, & sus„ pensive, vel latè, & opinative; quod ideo dixit, quia assensus cum formidine improprie solum dicitur dubium. Ergo dubiũ morale proprie sumptũ non potest aptè dividi in positivum, & negativum.

10 Contra secundo, quia cum dicitur quis dubitare positive de peccato à se commisso, quia assentitur cum formidine; vel dicitur dubitare, quando iudicat se commisisse peccatum per iudiciũ opinativum cum formidine partis oppositæ: & tunc est falsum, quod non teneatur confiteri; quia qui opinative iudicat se commisisse peccatum, habet conscientiam peccati, & qui habet conscientiam peccati mortalis tenetur illud confiteri iuxta Concilium. Vel dicitur dubitare de peccato, quando iudicat iudicio opinativo à se nõ fuisse commissum, cum formidine tamen partis oppositæ, & tunc ego quidem verum existimo non teneri ad confitendum, cæterum hoc ideo est, quia in ijs circunstantijs, in quibus quis prudenter, & opinative iudicat se non commisisse peccatum, hæc pars repræsenta illi fuit, vt magis verisimilis quam opposita; ac proinde non habuit potentiam proximam antecedentem ad iudicandum absolute se cõmisisse peccatum: quod infra explicabimus. Cæterum non debet hoc supponi vt certum, & exploratum, sed probari: nam Pater Salas 1. 2. tract. 8. quæst. vnica numero 6. ad quartum affirmat, licet pœnitens tanquam probabilius opinetur non esse aliquid peccatum mortale, vel iam fuisse in confessione detectum, teneri ad illud confitendum, hoc ipso, quod absolute sit probabile illud esse mortale, vel non fuisse in confessione detectum; cuius sententiam etsi vt falsam impugnet Pater Thomas Sanchez lib. 1. sum. cap. 10. num. manifeste tamen supponit esse probabilem.

11 Dicet forsam aliquis, dubium morale negativum tunc intercedere, quando in actu primo occurrunt rationes dubitandi pro vtraque parte; quarum tamen quælibet est insufficiens ad præstandum assensum opinativum; etsi sit sufficiens ad dubitandum, & propterea intellectus manet anceps, & dubius, quin possit assentire vni potius quam alteri. Dubium vero morale positivum tunc inveniri, quando in actu primo occurrunt rationes probabiles pro vtraque parte, quarum quælibet sufficit ad assensum opinativum, & prudentem.

12 Sed contra, quia omnis ratio dubitandi si prudens sit, & non levis, debet quantum est ex se esse sufficiens ad præstandum assensum illi parti contradictionis, si forsim ab alia occurreret, quia si non est ratio levis, sed gravis, ergo graviter inclinat ad assensum; ergo si occurrat illa ratio ad iudicandum peccatum fuisse commissum; & nulla ratio occurrat ad iudicandum oppositum; poterit pœnitens elicere assensum opinativum prudentem de peccato à se commisso accedente imperio voluntatis: vt enim definit opinionem probabilem seu assensum opinativum Pater Thomas Sanchez lib. 1. sum. cap. 10. num. opinio probabilis est, quæ nititur fundamento alicuius momenti, & non habet aliquid convincens contra se. Ratio autem, quæ non est levis, sed gravis, alicuius momenti est, ergo sufficiens quantum est ex se ad assensum opinativum: ergo si forsim occurreret, sufficeret ad assensum opinativum, & prudentem. Quare si illa non sufficit ad assensum opinativum quando concurrit cum alia ratione dubitandi, quæ æquali pondere inclinat ad partem oppositam; nulla erit ratio quantumvis magna, quæ sufficiat ad conciliandum assensum opinativum, si concurrat cum alia ratione omnino æquali inclinante ad oppositum, vt supponere videtur D. Thom. loco supra citato, vbi perinde dicit intellectum manere suspẽ-

sum

sum, & dubium quando datur æqualitas moventium in vtramque partem, ac quando datur defectus moventium; & supponit P. Coninch loco supra citato, dum ait, tunc dari dubium positivum, quando vtrinque sunt pares rationes, talesque, quæ singulę suam partē probabilem efficerent, nisi alię rationes contrariū suaderent. Quib° in verbis clare supponit, nō manere probabilē in ordine ad assensum speculativum, & directum, illam partē contradictonis pro qua occurrit ratio gravis, & valida, quādo pro parte oppositā occurrit ratio ęque gravis, & valida eidem intellectui.

12 Est ergo quęstio de peccatis prudenter dubijs, quatenus occurrit in actu primo ratio gravis inclinans ad iudicandum peccatum fuisse commissum, & occurrit ratio æquali pondere inclinans ad iudicandū oppositum, ita vt propter conflictum rationum contrariarū æqualium maneat intellectus anceps, & fluctuans, quin in actu primo magis inclinetur ad vnam partem, quam ad aliam: hic enim proprie est status intellectus dubitantis.

14 His suppositis negant absolute dari obligationem confitendi peccatum dubiū P. Coninch. disp. 7. de pœnit. dub. 8. asserens nunquam obligari pœnitentē ad manifestandū peccatum, nisi iudicare possit fuisse à se commissum, P. Martin. disp. 50. sect. 8. Caramuel in Theologia fundamentali pag. 675. & est satis communis inter Recentiores in manuscriptis.

Sententiam affirmantem tuentur communiter Doctores P. Suar. disp. 22. de pœnit. sect. 2. P. Thomas Sanchez lib. 1. sum. cap. 10. num. 66. & 67. innumeros referens, & eam certissimam apellans, P. Granad. tract. 9. de pœnit. disp. 7. certam vocans, Card. de Lugo disp. 16. sect. 2. & 3. Card. Sfortia, P. Bardi, & alij multi.

SECTIO SECVNDA.

Præmittuntur aliquæ assertiones ante resolutionem quæstionis.

15 ASSERO primo: qui probabiliter iudicat se commisisse peccatum mortale; hoc ipso tenetur illud confiteri. Probatur clare ex Trident. sess. 14. cap. 5. obligante pœnitentem ad confitenda omnia mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habeat, & obligante ad exponedum illa peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit. Nam hæc duo proprissime verificantur de eo, qui probabiliter, seu opinative iudicat se mortaliter deliquisse: nam iudicium probabile de peccato commisso est vere, & proprie conscientia illius, atque memoria.

16 Nec refert, quod simul cum illo iudicio pœnitens censeat probabile esse se non peccavisse; quia sicut, hoc non obstante, directe censet se peccavisse, ita hoc non obstante, tenetur confiteri, quia illud iudicium reflexum de probabilitate oppositę partis non tollit, quominus vere, & proprie habeat conscientiam peccati mortalis.

17 Et sanè in sententia eorum, qui dicunt voluntatem nostram non posse imperare intellectui, vt propositis pro vtraque parte rationibus probabilibus, assentiatur cuicunque ex illis, sed solum vt assentiatur probabiliori; nec in casu æqualitatis posse imperare, vt assentiatur vni potius, quam alteri: in hac inquam sententia, quam ego veram existimo, tunc hoc ipso, quod aliquis iudicet se peccasse, non potest esse proxime, & practice probabile respectu illius, se non peccasse; quia hoc ipso rationes suadentes hoc secundum minus efficaces sunt, quam oppositæ; ac proinde in sensu composito illarum, nequeunt persuadere id, quod suadent. Si autem illa sententia sit falsa, is, qui iudicat se peccasse, poterit vi probabilitatis partis oppositæ deponere hoc iudicium: verum vero eo deposito excusetur à confitendo peccato, dicemus assertione secunda.

18 Hæc ratio procedit quando persona iudicans, se peccasse, non est scrupulosa. Nam vt docet Pater Laym. lib. 1. tract. 1. num. 37. & Theologi cōmuniter, scrupulosis optime consulitur, vt omittant in confessione peccata de quibus certi non sunt fuisse à se commissa, immo nimis scrupulosi audiendi non sunt, nisi iurare possint, se commisisse peccatum, & illud adhuc non expossuisse; vt communiter consulunt Doctores.

19 Assero secundo: si quis voluntarie deponat iudicium, quo sibi persuadebat se peccavisse, non propterea manet de obligatus à cōfessione illius peccati. Ratio mihi est, quia dum rationes in actu primo occurrētes sunt sufficiētes, vt hic

& nunc iudicet se peccasse ille absolute habet conscientiam peccati mortalis moraliter loquendo.

20 Quod, vel inde probatur; quia alioqui is qui iudicat se peccasse, & leves tantum habet coniecturas in oppositum, posset se excusare ab obligatione confitendi, nimirum suspendendo illud iudicium, nam ad illud habendum obiectum probabile nō necessitat, cum hoc sit privilegium obiecti evidentis; cum hoc ergo sit absurdum, constanter affirmo, toties hominem esse obligatum ad confitendum peccatum: quoties iudicat, vel proxime expeditus est ad iudicandū se peccavisse. Nam si iudicat, omnino tenetur: non est autem liberum ipsi auferre à se pro illo instanti obligationem confitendi: ergo potestas libera ad impediendum, vel suspendendum illud iudicium non officit huic obligationi: ergo quamvis libere suspēdat, manet obligatus.

21 Sed quid dicendum, si quis probabiliter iudicet se non peccavisse, erit ne tunc immunis ab obligatione cōfitendi? Respondeo, si ita id iudicet, vt in actu primo non adsint rationes probabiliter suadentes oppositum, abs dubio non teneri; quia illud iudicium tunc moraliter æquivalet certitudini. Dubiū tantum est quando quis ita iudicat se non peccasse, vt tamen habeat fundamenta probabilia ad iudicandum oppositum. P. Suarez disp. 22. sect. 9. num. 6. Pater Thomas Sanchez P. Granadus, & Cardinalis de Lugo affirmant tunc non teneri, quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.

22 Verum in primis hoc fundamentum inefficax est: etsi enim sit communissima sententia inter Doctores huius sæculi, quod liceat sequi opinionem revera probabilem relicta probabiliori, & tutiore; at hoc intelligitur de opinione probabili practica, seu versante circa praxim licite operandi, id est de opinione probabili affirmante aliquid esse licitum; non autem de opinione speculativa versante circa aliquid præsuppositum ad licentiam operandi, qualis est opinio affirmans peccatum non fuisse commissum: ex eo enim, quod sit probabile peccatum non fuisse commissum minime infertur, quod Petrus non teneatur illud confiteri, quando ipsi est probabilius fuisse à se commissum, nec ex probabilitate speculativa circa factū præsuppositum potest inferri probabilitas practica circa carentiam obligationis confitendi. Sicut ex eo, quod sit probabile, hanc medicinam profuturam infirmo, non sequitur, quod liceat medico illā applicare si sit probabilius fore nocituram. Similiter ex eo, quod sit probabile maioratum attinere ad Petrum, non sequitur, quod liceat iudici illum ei adiudicare, si sit apud ipsum probabilius non attinere ad illum, sed ad Paulum. Ergo non est bona consequentia: probabile est Petrum non commisisse peccatum: ergo probabile est non teneri illud confiteri. Quare sicut in sententia communi horum Doctorum, ex eo, quod dubium sit, an Petrus commiserit peccatum, non infertur, dubium quoque esse an habeat obligationem; sed cum dubio speculativo circa comisisionem peccati: componitur certa obligatio illud peccatum confitendi vt dubium: sic ex eo quod probabile sit Petrum non peccavisse, non infertur, probabile quoque esse, quod non teneatur illud confiteri.

23 Immo quando probabilitas versatur circa aliquid prævium ad licētiam operandi sæpe ex maiori probabilitate non infertur licitum esse operari. Sic quamvis probabilius sit validum esse Baptismum sub hac forma, ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque, non sequitur probabile esse, quod liceat illud administrare sub ea forma relicta forma certa. Et ex eo, quod probabilius sit animal, quod movetur in silva esse feram, non sequitur licitum esse in illud sagittam imittere, si est probabile, quod sit homo. Vnde nec ex eo, quod probabilius sit Petrum non peccavisse videtur recte inferri, ipsum non habere obligationem confitendi, cum absolute probabile est Petrum peccavisse, si formam arguendi spectemus: sicut enim tenetur quisque non se exponere periculo probabili occidendi hominem; ita videtur teneri nō se exponere periculo probabili omittendi in confessione peccatum mortale cōmissum, & ideo P. Salas 1.2. tract. 8. quæst. vnica num. 60. ad 4. asseruit dari obligationem confitendi peccatū, quando absolute probabile est fuisse commissum, quamvis oppositum sit probabilius. Non ergo recte arguitur ab opinione probabili versante circa aliquod prævium

ad

ad licentiam operandi, ad opinionem probabilem affirmantem licitum esse sic, vel sic operari.

24 Omissa ergo illa probatione horum Doctorum; ego aliter probo, non teneri ad confitendum peccatum mortale, eum, qui prudenter iudicat se illud non commisisse: nam qui prudenter iudicat se non peccavisse, hoc ipso in actu primo hæc pars repræsentata illi fuit vt magis verisimilis; nec potuit in illo instanti in sensu compositio talis apparentiæ, & maioris verisimilitudinis iudicare oppositum, quia intellectus noster necessitatur, quoad specificationem assentiri probabilioribus, & non potest adhuc ex imperio voluntatis assentiri parti sibi minus verisimili, vt docent P. Suarez 1. 2 tract. de actib. hum. disp. 10. sect. 1. P. Vazquez 1. 2. disp. 67. cap. 1. num 4. P. Letsius tomo posthum. q. 17. de actib. hum. art. 16. Cardinalis Toletus apud Candidū Philaletum quæst. 2. de opinionum praxi, vbi innumeros ex antiquis Philosophis, & Theologis pro hac doctrina citat P. Arriaga 1. 2. tom. 2. disp. 24. num. 30. Laymann tract. 1. cap. 5. § 2. num. 2. P. Comitolus in resp. moral. lib. 5. quæst. 16. P. Bresserus de consc. lib. 3. cap. 2. Venerabilis P. Ludovicus à Ponte in manuscriptis de conscientia, (quæ pro reverentia tanti Viri asservantur in Biblioteca Collegij S. Ambrosij in Vrbe Vallis-Oletana) dub. 4. §. *Notandum primo*, & dub. 5. § *Vltimo ad hominem*; idque optime probant P. Antonius Perez disp. 4. de iust. & iure cap. 5. & Cardinalis Sfortia de actib. hum. disp. 8 q. 6.

Quare quotiescunque aliquis assentitur vni parti contradictionis vt veræ, & dissentitur alteri vt falsæ, recte infertur illam partem cui assentitur, & quam veram existimat, apparuisse illi in actu primo magis verisimilem, & oppositam, quam iudicat falsam, apparuisse illi minus verisimilem, seu magis falsisimilem: & nō potuisse hanc in eo instanti ab eo iudicari veram: nam hic actus videtur contradictionem implicare: ego quidem cēseo partem A. esse minus verisimilem, seu magis falsisimilem, quam partem B. & nihilominus absolute iudicio partem A. esse veram, & partem B. esse falsam. Sicut implicat vt quis colorem à longe cernens, & iudicans illum esse magis similem albo, quam nigro, nihilominus in eodem instanti iudicet esse nigrum: & non album. Videturque prorsus implicare, vt quis serio, & ex animo sic affirmet: ego quidem censeo hanc opinionem esse veram, cæterum iudico fundamenta sententiæ contrarie esse validiora, & vrgentiora.

25 Ex ijs conficio rationem, nam qui prudenter iudicat se non commisisse peccatum, & nequit iudicare oppositum; nec formaliter, nec equivalenter, nec physice, nec moraliter habet conscientiam peccati: ergo non tenetur illud confiteri. Probatur antecedens: nā formaliter, & physice potius habet conscientiam de non peccato; non æquivalenter, quia cum ille pro eo instanti nequeat iudicare se non peccavisse, nec eam partem per assesum absolutum probare; non manet illa pars probabilis respectu ipsius in ordine ad assensum absolutum de veritate: vnde Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 11. recte ex eo quod aliquid non probetur alicui, infert non esse probabile respectu ipsius: quomodo est, inquit, illud quod sequuntur, si non probatur, probabile? Ergo non perinde se habet, ac si iudicaret se non peccavisse; quod esset equivalenter habere conscientiam peccati: ergo cum aliunde prudenter sibi persuadeat se non commisisse peccatum, poterit supra hoc iudicium speculativum fundare dictamen practicum moraliter certum, quod hic, & nunc non teneatur confiteri. In his enim rebus moralibus saltem opinio probabilior sufficit ad generandā quandam moralem securitatem: alioqui qui habet vrgentiora fundamenta authoritatis, & rationis ad credendum aliquem contractum esse licitum, & ex vi horum fundamentorum prudenter iudicat illū contractum esse secundum se licitum, non poterit illum tuta conscientia exercere: quod est planè absurdum, vt evincunt ea, quæ Navarrus adducit tom. 2. relectione in cap. *Siquis autem* de pœnit. dist. 7. à num. 4. & alia quæ addit P. Moia in select. tract. 1. quæst. 5. contra Vincentium Varonium affirmantem nos teneri, ad sequendam opinionem tutiorem hoc ipso, quod sit absolute probabilis, quamvis opinio minus tuta sit, & nobis appareat probabilior.

26 Hæc dicta sunt iuxta veram sententiam, quod intellectus noster nequit assentire parti sibi minus verisimili, sed quid dicendum erit in sententia

tia Doctorum, qui censent posse intellectum ex imperio voluntatis assentiri parti minus verisimili, quæ nititur fundamento gravi quidem, & prudenti, etsi minus gravi quam sit oppositum, quid sit dicendum, viderint Authores illi. Ego solum proponam rationem, quæ mihi videtur persuadere; eum qui ob fundamentum minus probabile, minusque verisimile iudicat se non peccasse, potens maiori cum fundamento iudicare oppositum, non habere iustam excusationem ad non confitendum peccatum, quia si actum primum inspiciamus, homo ille evidenter cognoscit, sibi apparere in actu primo probabilius, & verisimilius, quod peccaverit; potestque prudentissime iudicare, se peccavisse, cum ad hoc habeat maius fundamentum quã ad oppositum: vnde quamvis voluntarie suspendat assensum circa peccatum cõmissum, & quia ita ipsi placuit iudicet se non peccavisse, moraliter, & æquivalenter habet conscientiam peccati mortalis, quia quamvis actu non iudicet se peccasse, habet potentiam proximam antecedentem ad id iudicandum maiori cum fundamento: & perinde se habet, ac si iudicaret actu se peccasse. At qui habet conscientiam peccati mortalis tenetur illud confiteri: ergo tunc tenetur confiteri. In huius rei confirmationem annotanda est doctrina. S. Iustini in explicatione quæstionum Gentium respõsione 140. vbi docet, in Scriptura ignorationem, *Quæ culpa hominis inest, cum potuisset facile Deum nosse, dici aliquando scientiam, & cognitionem.* Quod confirmat ex illo Ioan. 7. *Et me scitis, & vnde sim scitis, id est scire, & cognoscere potestis*, de facto enim illi ignorabant Christum, sicut ergo perinde fuit Christum negare, & persequi, quando facile poterant cognoscere esse Christum, ac si illum persequti fuissent cognoscentes esse Christum: ita perinde est confessionem peccati omittere, quando poteras facile iudicare illud fuisse à te comissum, ac si omitteres, actu iudicans fuisse à te comissum.

27 Et confirmatur, quia absurdum videtur obligationem confitendi peccatum mortale ita constitui in potestate hominis, vt si velit, illam habeat, si nolit, non habeat: id autem contingeret, si esset deobligatus à confitendo peccatum mortale ille, qui ob fundamentum minus verisimile iudicat se non peccasse: nam homo iste, si vt potuit, iudicaret, se peccasse, abs dubio teneretur confiteri, quia tunc haberet conscientiam peccati mortalis: & aliunde per te, quando iudicat se non peccasse, non tenetur: ergo sicut est in sua libera potestate iuxta eos Authores iudicare se peccasse ob fundamenta verisimiliora, vel iudicare se non peccasse ob fundamenta minus verisimilia; ita est in sua libera potestate habere, vel non habere obligationem confitendi; hoc autem videtur absurdum; quia non est in potestate subditi excutere obligationem præcepti.

28 Confirmatur secundo, quia cum in sententia communi Doctorum, etiam illorum qui dicunt posse intellectum assentiri obiecto sibi minus verisimili, teneatur confiteri peccatum homo ille, qui prudenter dubius est, an à se fuerit commissum; à fortiori tenebitur ille, cui probabilius est à se fuisse cõmissum: si enim tenetur quando non habet maius fundamentum ad iudicandum fuisse cõmissum, quam ad iudicandum oppositum; à fortiori tenebitur quando habet maius fundamentũ ad iudicandum fuisse commissum.

29 Nec est aliquod firmum principium ad probandum, liberum esse ab obligatione confitendi illum hominem, qui ob fundamentum minus verisimile iudicat se non peccasse. Dices, principium firmum esse hunc syllogismum: nemo tenetur confiteri peccatum quando prudenter iudicat, non fuisse à se commissum: sed homo ille prudenter iudicat ob fundamenta minus probabilia peccatum illud non fuisse à se commissum: ergo &c. Respondebitur, distinguẽdo maiorem: nemo tenetur confiteri peccatum quando prudenter iudicat nõ fuisse à se commissum; si potuit prudentius iudicare fuisse à se commissum; negabitur maior: si non potuit iudicare fuisse à se commissum, concedetur, quia iustissime potuit Deus obligare hominẽ ad confitendum peccatum quotiescunque probabilius est fuisse commissum.

30 Sed dices, hinc sequi, quod teneatur confiteri, etiam si sit magis verisimile, quod non peccaverit; quia hoc ipso, quod absolute sit probabile, & verisimile, quod peccaverit; potest iuxta principia illorum Doctorum prudenter affirmare se peccavisse: at qui prudenter iudicat se peccavisse, tenetur confiteri,

quia

quia hoc ipso habet conscientiam peccati mortalis, & iuxta Concilium tenetur confiteri omnis qui habet conscientiam peccati mortalis. Respondeti possit, ita videri dicendum consequenter ad principia Doctorum, qui affirmant, posse intellectum assentire prudenter parti sibi minus verisimili, & ita dixit P. Salas loco supra citato, absolute pronuntians teneri hominem ad confitendum quotiescunque probabile ipsi est se peccasse; quamvis oppositum sit probabilius. Nam hoc principium est omnino certum ex definitione Concilij: omnis homo prudenter iudicans se peccasse mortaliter, tenetur confiteri: quia omnis homo hoc iudicans habet conscientiam peccati mortalis. Non est autē certū illud aliud principium, quod nullus homo prudenter iudicans se non peccasse mortaliter tenetur confiteri, vnde potentia proxima ad prudenter iudicandum peccatum fuisse commissum fundabit obligationē confitendi; non tollet autem obligationem confitendi potentia proxima ad iudicandum peccatum non fuisse commissum, nisi sit coniuncta cum impotentia proxima ad iudicandum oppositum.

31 Quod si daretur principium firmum ad asserendum omnem hominē prudenter iudicantem se non peccasse, hoc ipso immunem esse ab obligatione confitendi; tunc hoc principium probaret non posse hominem formare prudens illud iudicium, quin in actu primo appareat ipsi magis verisimilis hæc pars quam opposita, ac proinde probaret falsam esse sententiam Doctorum asserentium posse formari iudicium prudens ex vi motivi minus verisimilis, quam sit motivum ad iudicandum oppositum, & ex ijs principijs deducetur quoties homo est in actu primo proxime expeditus ad prudenter iudicandum se peccasse mortaliter, toties obligatum esse ad confitendū. Tū quia tunc moraliter, & æquivalenter habet conscientiā peccati mortalis; tum quia absurdum est asserere, quod homo teneatur confiteri dum est anceps, & dubius, an peccaverit mortaliter, & quod non teneatur quando est expeditus ad prudenter iudicandum se peccasse.

SECTIO TERTIA.

Resoluitur quæstio affirmativè.

32 EGO licet à censuris absti-neam, quibus partem oppositam notant graves Authores apud Scildere de conscient. form. tract. 6. §. 2. num. 42. sententiæ communi vt probabiliori assentior: asseroque quoties homo prudenter dubitat, an peccaverit mortaliter in tali occasione, obligatum esse exponere hoc dubium in confessione, idque verum potissime esse censeo, quando animi suspensio provenit ex eo, quod pro vtraque parte se offerunt rationes probabiles æqualis ponderis, quæ mutuo sibi ipsis resistentes animum relinquunt suspensum. Censeoque in consequenter procedere eos, qui in hoc dubio liberant hominem ab obligatione confitendi, & eum ipsi subijciunt, quando suspensio oritur ex eo, quod ratio inclinans ad iudicandum peccatum fuisse commissum insufficiens ex se est; etenim si in hoc eventu obligatus est ad confitendum; à fortiori erit, quando ratio inclinans de se est sufficiens ad ferendum prudens iudicium, solumque ab extrinseco impeditur, quatenus concurrit cum alia ratione inclinante æquali pondere ad iudicandum peccatum non fuisse commissum.

33 Probatur autem primo: nam Tridentinum sess. 14. cap. 5. declarans quænam peccata debeant manifestari à pœnitentibus in confessione definit: De„bere omnia mortalia, quorum post di„ligentem discussionem, conscientiam „habent. Solum ab hac regula excipiēs „venialia: Nam venialia, inquit, quib„à Dei gratia non excludimur, & in „quæ frequentius labimur, quanquam „rectè, & vtiliter in confessione dican„tur, taceri tamen citra culpam, mul„tisque alijs remedijs expiari possunt. Ergo iuxta Tridentinum datur obligatio manifestandi peccata prudenter dubia: nam de his conscientiam habet pœnitens, remorsumque rationabilem experitur, nec potest, dum ita dubitat, cum Apostolo dicere: *Nihil mihi conscius sum.* Et sanè in cap. Inquisitioni de sententia ex communic. *Conscientia pulsat animum*, dubitantis de valore Matrimonij: & Clericum, qui in prælio iusto percussérat, & dubitabat, an occidisset, conscientia de cuiusquam interfectione remordere dicitur; ideoque iubetur à ministerio alterius abstinere reverenter, ob dubium contractæ irregularitatis, vt constat ex cap. Petitio de Homicidio voluntario. Vnde conscientia peccati eo loci sumitur à Concilio pro ea notitia, quę

quæ sufficiat ad prudentem remorsum, & anxietatem.

34 Et confirmatur: quia paulo post addit: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata mortalia Christi fideles confiteri studeant, proculdubio omnia diuinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* At memoriæ occurrit illud mortale, de quo pœnitens prudenter dubitat, an à se fuerit commissum, alioqui non solum non deberet, sed nec posset illud prudenter confiteri: ergo si illud scienter detineat, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponet: datur ergo obligatio illud manifestandi.

35 Hinc obiter solvendum est præcipuum adversariorum fundamentum desumptum ex Concilio dicente eo cap. 5. *Nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam vt ea peccata confiteantur, quibus Deum mortaliter se offendisse meminerint.* Qui enim dubitat, an peccaverit, non meminit se peccavisse: ergo non exigitur ab illo, vt tale peccatum manifestet. Solvendum, inquam, est hoc fundamentum: nam apud Concilium *memoria* ibi non accipitur stricte, sed idem est apud ipsum, pœnitentem meminisse peccati mortalis, ac illud occurrere ipsius memoriæ, vt patet, tum ex proxime dictis, tum ex his verbis, quæ immediate subiungit Concilium: *Cætera autem, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicemus ab occultis meis munda me Domine.* At prudenter dubitanti, an peccaverit, profecto occurrit illud peccatum, de quo dubitat: ergo illud non debet computari inter occulta, quæ indirecte remittuntur, sed debet manifestari, & directe remitti.

36 Ante quam secundam probationem conficiam, suppono Theologos communiter ex illis Christi verbis Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,* quibus institutum est hoc Sacramentum, colligere eius necessitatem ad salutem: nam si independenter ab illo possent fideles impetrare veniam mortalium, Sacerdotes non haberent potestatem ea retinendi, vt probat P. Suarez disp. 17. sect. 2. num 13. Secundo supponendum est, ante institutionem huius Sacramenti, ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessariam pœnitentiam per verum dolorem, & contritionem, vt constat ex illa sessione 14. cap. 1.

37 His positis, sic argumentor: ex institutione huius Sacramenti præcisse sumpta recte colligitur dari obligationem manifestandi in confessione peccata mortalia certa: ergo & manifestandi mortalia prudenter dubia. Antecedens constat ex communi sententia Doctorum. Consequentia probatur; nam inde primum recte colligitur, quia antecedenter ad institutionem huius Sacramenti peccatores tenebantur ex præcepto diuino naturali de peccatis suis mortalibus coram Deo pœnitentiam agere per veram eorum contritionem, & veniæ petitionem, & quia Christus hoc Sacramentum instituens, vt docet Tridentinum eo cap. 1. Sacerdotes vt sui Vicarios reliquit, ad quos deferri voluit peccata illa, ad quæ confitenda coram Deo per cordis contritionem homines tenebantur ex iure naturali diuino. Atqui ex hoc iure etiam tenebantur confiteri coram Deo per cordis contritionem peccata mortalia prudenter dubia: ergo etiam ex institutione huius Sacramenti colligitur obligatio confitendi hæc peccata.

38 Itaque Christus commutavit obligationem antiquam eliciendi contritionem de peccatis in obligationem illa confitendi coram Sacerdote: vnde quia olim non dabatur obligatio delendi venialia per contritionem, non impossuit obligationem ea confitendi: & quia dabatur obligatio de mortalibus certis, & probabilibus, impossuit obligationem ea confitendi: ergo pariter, quia dabatur obligatio de peccatis prudenter dubijs, impossuit, &c.

39 Dices primo: hoc argumentum multum probare; nimirum esse obligationem confitendi peccata, de quibus probabile est à pœnitente non fuisse commissa. Respondeo, quando hoc ita est probabile, vt simul sit probabile fuisse commissa; & antiquitus fuisse obligationem eliciendi contritionem de illis, & nunc esse obligationem ea confitendi, vt supra probabi. Quando autem ita est probabile peccata non fuisse commissa, vt oppositum probabile non sit, nec antiquitus fuisse obligationem contritionis, nec modo esse obligationem confessionis.

Di-

40 Dices secundo: propterea in veteri lege fideles obligatos fuisse recurrere per contritionem ad Deum pro peccatis dubijs, quia nō supererat aliud remedium pro illorum remissione in nova autem lege obligatos non esse recurrere ad Dei Vicarios per confessionem, quia supersest aliud remedium, nempe contritio. Sed contra, quia hæc in nova lege non subrogatur confessioni, nisi quatenus continet eius votum: & quando vrget præceptum confessionis, non est recurrere ad contritionem. Vnde sicut pro peccatis certis, & probabilibus debemus recurrere ad confessionem, & nō possumus ad contritionem, nisi quatenus continet eius votum, ita pro dubijs. Nam ex institutione huius Sacramenti vtrumque colligitur. Vnde adversarius ita respondens supponit contritionem in lege nova sine respectu ad confessionem esse remedium pro peccatis dubijs, quod est supponere confessionem, quam nostrum argumentum ostendit esse falsam.

41 Tertio argumentor: nam præceptum confessionis est quasi præceptum sanitatis procurandæ: at homo non solum tenetur aperire Medico morbum certum, sed prudenter dubium: ergo pariter peccator.

42 Argumentor vltimo: nam communis, & certa Theologorum sententia est apud Patrem Suarez disputat. 17. section. 3. colligiturque ex Tridentino sessione 14. cap. 4. hoc Sacramentum in re, vel in voto esse omnibus post Baptismum lapsis necessarium ad salutem: hoc autem esset falsum, si non daretur obligatio confitendi peccata mortalia prudenter dubia: ergo datur. Probatur minor. Pone enim hominem constitutum in vltimo vitæ discrimine, & habentem præcise mortale prudenter dubium, de quo possit se accusare, & certo cognoscentem nunquam se allecutum certiorem eius notitiam. Homo iste, si vera sit sententia adversariorum, optime poterit habere voluntatem absolutam, & efficacem nunquam confitendi illud peccatum, & tamen in sensu composito illius voluntatis elicere contritionem perfectam eius. Tunc autem ei remittetur peccatum illud, (quod ponimus fuisse commissum) sine hoc Sacramento in re, vel in voto: nam contritio peccati coniuncta cum voluntate expressa nunquam illud confitendi nequit esse votum implicitum, & interpretativum confessionis.

SECTIO QVARTA.

Solvuntur obiectiones.

43 PRÆCIPVVM fundamentum desumptum ex Tridentino, & aliud desumptum à paritate dubij positivi, iam præoccupata manent, reliqua vero facilius diluuntur. Objeies ergo primo, in dubijs melior est conditio possidentis: ergo in dubio, an peccaveris, decernendum est in favorem libertatis. Respondeo quando dubitatur, ad quem pertineat dominium rei, cæteris paribus, standum esse pro eo, qui possidet: sinistre autem illam regulam huc applicari: nam in præsenti possessio, quæ hominem liberat ab obligatione confitendi, est possessio innocentiæ à peccato, seu possessio gratiæ sanctificantis; hæc autem possessio non est certa, sed dubia, hoc ipso, quod dubium sit, an homo peccaverit mortaliter.

44 Objeies secundo: in Tribunali Forensi non admittuntur delicta dubia: ergo nec in Tribunali pœnitentiæ. Verum hoc argumentum multum probat, nempe non posse adduci peccatum dubium ad hoc Tribunal etiam simul cum alijs. Neganda est ergo consequentia, nam Tribunal Forense est ad damnandum reum, qui inique damnabitur propter delictum dubium: at Tribunal pœnitentiæ non est ad damnandum, sed ad absolvendum reum, qui hac de causa iuste obligatur ad manifestandum delictum prudenter dubium; nam si illud re ipsa commisit, per eius confessionem liberatur à tanto malo, & consequitur maximum bonum gratiæ iustificantis, si vero non commisit, multum illi prodest sic de sua salute fuisse solicitum. Hinc in Tribunali Forensi ea præsumptio prævalet, quæ est pro negatione delicti, quia ista magis favet reo. At in hoc Tribunali illa potius prævalere debet, quæ delictum supponit, quia ista magis favet reo.

45 Hinc solvenda est tertia objectio desumpta ex illa regula iuris: *Nemo in dubijs præsumitur deliquisse.* Nam id verum est, quando ex tali præsumptione sequitur damnum contra delinquentem; secus vero quando oritur favor in bonum ipsius. Objeies quarto, supra peccatum dubium non potest cadere absolutio, nam hæc requirit materiam

riam certam, qualis non est peccatum dubium: nam hoc ipso, quod re ipsa non præceserit, absolutio erat nulla. Respõdio ad summum probaret, dum adest peccatum dubium seorsim, per accidens dari obligationem manifestandi simul cum illo mortale alias confessum, vel veniale, ne scilicet frustretur Sacramentum. Deinde dico posse illud peccatum manifestari solicitarie, tum vero impendendam esse absolutionem sub conditione, nimirum, quod re ipsa peccatum illud commissum sit.

46 Objicies vltimo: pro peccato dubio non potest quis obligari ad pœnam certam, qualis est ipsa confessio, & pœnitentia imponenda à Confessario. Verum hæc ratio multum probat, nimirum, nec Christum potuisse obligare ad confitendum peccatum dubium, nec nos posse modo illud confiteri; nam & peccato voluntarie exposito imponenda est pœnitentia. Respondeo ergo, id locum non habere, quando obligatio manifestandi delictum, & pœnitentia imponenda sunt in bonum ipsius rei, vt hic contingit. Semper tamen pro peccato dubio imponenda est minor pœnitentia.

SECTIO QVINTA.

An confessus peccatum vt dubium, si postea comperiat esse certum, teneatur iterum confiteri.

47 CARDINAL. de Lugo disp. 16. sect. 2. §. 4. pro parte negante gravia conficit argumenta; licet non audeat id absolute asserere. Ausus est tamen Leander disp. 5. quæst. 27. post Merollam, & Caramuelem, & hanc sententiam probabilem appellant Pellizarius, & Tamburinus apud eundem. Probaturque tum à priori, quia qui confessus est peccatum suum, & dubium, iam ab illo directe absolutus est. Tum à paritate, quia qui contetur sedecies peccavisse paulo magis, vel minus, quamvis postea comperiat peccasse duodecies, non tenetur iterum se accusare: ergo similiter.

48 Vera tamen est sententia communis oppositum docens: nam differentia inter peccatum dubium, & certum variat notabiliter iudicium confessarij, & in ordine ad confessionem est moraliter specifica, & quemadmodum si quis dubitasset, an peccatum à se commissum esset veniale, an mortale, & postea comperisset esse mortale, tenetur id manifestare, ita &c. Ratio autem est quia tenetur quis manifestare omnia mortalia modo sufficienti, vt ab eis absolute absolvatur. Consulatur Martinon disp. 50. sect. 8. num. 94. & Scildere de conscient. form. tract. 6. §. 2. num. 47.

SECTIO SEXTA.

Ad quid teneatur, qui certus est se peccasse, & dubius an confessus sit.

49 SI peccatum est certum, & confessio dubia negative, ita vt pœnitenti non occurrat ratio sufficiens ad iudicandum se confessum fuisse: certa, & communis sententia est illum teneri confiteri, quia tunc præceptum confitendi certo possidet, & reus non probat se illi satisfeciisse.

50 Dubium est, quando adsunt rationes probabiliter suadentes factam fuisse confessionem, & similiter adsunt rationes probabiliter suadentes non fuisse factam. Pater Coninch, Merolla, Pater Salas, & P. Scildere vbi supra num. 44. affirmant etiam tunc peccatorem obligatum esse confiteri. Negat vero Cardinalis de Lugo, & communior sententia apud Leandrum disp. 5. quæst. 28.

51 Nostra Sententia sit, quando in actu primo adsunt rationes probabiles pro vtraque parte omnino æquales, dari obligationem confitendi. Tum quia vt ego existimo cum Cardinali Stortia, tunc intellectus nequit formare iudiciũ, quod confessus sit: qui autem certus est se peccasse, & nequit iudicare se confessum fuisse, tenetur confiteri. Secundo, quia licet posset pro nutu voluntatis intellectus tunc ferre indicium de confessione, id non sufficeret, vt de obligaretur, quia pari iure formare posset iudicium oppositum. Nec opinio illa probabilis de adimpletione præcepti illum exonerare valet, quia tota vis illius opinionis repellitur per opinionem contrariam.

52 Quod explicatur: nam si Petrus debens Ioanni centum, vrgeatur coram iudice, vt solvat, licet afferat rationes probabiliter suadentes se iam solvisse: si tamen creditor has rationes repellat productis in medium alijs æque probabiliter suadentibus, non solvisse, coge-

cogetur solvere debitum certum: ergo pariter in nostro casu.

53 Dices ex Carninali de Lugo disp. 16. num. 59. obligationem audiendi Sacrum, ieiunandi, & similes certas esse, & tamen eis satisfacere hominem, si iuxta sententiam probabilem ieiunet, audiat Sacrum, &c. Ergo pariter quamvis obligatio confitendi sit certa, ei satisfaciet per confessionem probabilem. Respondeo, antecedens esse æquivocum: si ieiunare secundum sententiam probabilem, idem sit, ac habere opinionem probabilem, quod iam ieiunaveris, antecedens non debuit supponi vt verum, sed probari, quia si habeas similiter opinionem æque probabilē, quod adhuc non ieiunaveris, teneris adimplere obligationem certam ieiunandi. Si autem ieiunare secundum sententiam probabilem, idem sit, ac facere ieiunium, eo modo, quo sententia probabilis dictat illud non violari, v. g. ieiunare sumendo mane potionem, quæ iuxta sententiam probabilem non fragit ieiunium: tunc antecedens est verum; cæterum consequentia est nulla; nam in casu antecedentis certo constat illum hominem ieiunasse servando leges, quæ iuxta sententiam probabilem iatis sunt ad verum ieiunium; præceptum autem Ecclesiæ licet obliget ad ieiunandum, non tamen ad ieiunandum iuxta sententiam rigidiorem. At in casu consequentis non constat ieiunasse, quia probabilitas vnius partis omnino retunditur per probabilitatem æqualem partis oppositæ. Vnde manet adhuc integra obligatio confitendi.

54 Deinde dico secundo vt quis censeatur satisfeciſſe præcepto confitendi peccatum certum, non est necesse, quod sit certus se confessum fuisse, sed sufficit, quod id probabiliter iudicet, dummodo non habeat rationes probabiles in contrarium; nam tunc sufficiēter probat se satisfeciſſe præcepto, eiusque probatio non repellitur. Dico vltimo, si probabilius sit factam fuisse confessionem, non dari obligationem confitendi, quamvis oppositum sit absolute probabile: quia tunc rationes, quib⁹ pœnitens contendit se satisfeciſſe præcepto, non repelluntur sufficienter per rationes oppositas, ac proinde prævalere debent.

55 In fine adverto, eum, qui certo scit se olim commisisse peccatum: & rursus certo scit se post illud peccatum confessionem feciſſe cum sufficiēti examine, habere sufficiens fundamentum, vt nunc prudenter iudicet se tunc expositisse illud peccatum, proindeque non esse obligatum illud confiteri, nisi modo se se offerat aliqua vrgentissima ratio, qua sibi prudenter persuadeat, se oblitum fuisse talis peccati in ea confessione. Quæ tamen ratio difficile potest occurrere, præsertim si multum iam tēpus transactum est post illam confessionem. Quapropter resecandus est omnis scrupulus, qui oriri solet ex eo, an hoc vel illud peccatum exposuerit in prima confessione, dum enim non apparet fundamentum vrgentissimum, præsumere debet illud peccatum, cuius post tam longum tempus recordatur, expositum iam à se fuisse.

56 Hinc certissimum est, eum qui in ingressu religionis fecit confessionem generalem, non habere obligationem confitēdi peccatum commissum in vita seculari, ex eo, quod modo non reminiscatur, an de illo se accusaverit tunc, nam potest, ac debet sibi prudenter persuadere illud sibi tunc occurrisse, quamvis ipse nunc non recordetur.

DISPVTATIO XXXXI.

AN CIRCVNSTANTIAE NOTABILITER AGGRAVANTES INTRA eandem speciem sint materia necessaria confessionis.

SVPPONITVR ab omnibus non esse obligationem exponendi circunstantias, quæ notabiliter non aggravant; supponitur etiam obligationem

nem esse exprimendi eas circunstantias, quæ intra eandem speciem transferunt peccatum de veniali in mortale. Quæstio est de circunstantijs, quæ supposito quod peccatum si mortale, illud notabiliter aggravant intra eãdem speciem. Sic quod furtum fuerit mille aureorum, v.g. notabiliter aggravat peccatũ mortale furti intra speciem iniustitiæ, & quod odium inimici continuatum sit per multum tempus aggravat notabiliter intra speciem odij.

SECTIO PRIMA.

Eligitur sententia negans.

1 IN hac celebri quæstione partem affirmantem defendit Eximius Doctor Suarez cum Scoto, & plurimis ex antiquis disp. 22. sect. 3. pro hac sententia triginta Authores refert Diana 1. part. tract. 7. resolut. 1. è nostris illam sequuntur P. Sa, Thomas Sanchez, Henriquez, Coninch. Fagundez, & alij apud Dianam. Quibus addendi sunt P. Arriaga disp. 32. sect. 1. Amicus disp. 132. sect. 6. Martinon disp. 50. sect. 4. & hanc sententiam secutus est Cathæcismus Pij V. de Sacramento pœnitent. pag. 281. Partem vero negantem accerrime propugnat P. Vazq. 3. part. quæst. 91. art. 1. dub. 2. cum D. Thom. & multis antiquis. Patrem Vazquez quam plurimi postea secuti sunt: quinquaginta numerat Diana vbi supra, & inter eos è nostris sunt Valentia, Lessius, Toletus, Granadus, quibus adde Cardinalem de Lugo disp. 16. sect. 3. Cardinalem Sfortia in libello de pœnit. num. 309. & P. Martinum Perez disp. 27. sect. 3.

2 Sententia affirmans potissimè probatur ex Tridentino; nam rationes, quibus sess. 14. cap. 5. ex institutione huius Sacramenti colligit manifestanda esse singillatim, & in particulari omnia mortalia post Baptismum commissa, omnesque circunstantias mutantes speciem, efficaciter suadere videntur manifestandas quoque esse circunstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem. Illud enim probat Concilium ex eo, quod Christus hoc Sacramentum instituit per modum iudicij, Sacerdotes vt sui Vicarios, & Iudices relinquens. Constat „enim (inquit Concilium) Sacerdotes „hoc iudicium incognita causa exercere „re non potuisse, nec æquitatem in pœ„nis iniungendis servare potuisse, si in „genere dumtaxat, & non potius in specie ac singillatim sua ipsi pœnitentes „peccata declarassent. Hinc deducit declaranda esse ab illis in confessione omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, & paulo inferius: Colligitur præterea (inquit) etiam eas circunstantias „in confessione explicandas esse, quæ „speciem peccati mutant. quod sine illis peccata ipsa nec à pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant, & fieri nequeat, vt de gravitate criminum recte censere possint, „& pœnam, quam oportet, pro illis „pœnitentibus imponere. Hæ namque rationes similiter probare videntur explicandas esse circunstantias notabiliter aggravantes.

3 Et confirmatur: nam istæ interdum magis mutant iudicium Confessarij, quam circunstantiæ mutantes speciem, & magis necessaria est illarum explicatio ad correctionem pœnitentis, & impositionem pœnitentiæ, quam istarum: magis enim variatur iudicium Cõfessarij ex eo, quod pœnitens dicat furtum suum fuisse centum aureorum, quã si dicat fuisse in loco sacro furtum vasis aurei.

4 His tamen non obstantibus, sententiæ neganti vt probabiliori adhæreo, quia reddit confessionem faciliorem, & tam pœnitentes, quam confessarios liberat ingenti onere, & negari non potest, quod gravibus nitatur fundamentis; & quidem exploratum est Christum potuisse instituere hoc Sacramentum per modum iudicij nõ adeo exacti, vt ad illud ex obligatione deferenda sint peccata gravia cum omnibus circunstãtijs etiam individualibus, sed per modum iudicij benignioris, ad quod satis sit deferre omnia mortalia, illaque explicare quoad numerum, & differentias specificas, quin sit necesse explicare magnitudinem individualem cuiusque. Fundamentũ autem habemus ad credendũ ita fuisse institutum: nam hoc ipso, quod Concilium tradens ex professo doctrinam de ijs, quæ necessario manifestanda sunt in confessione, solum dicat dari obligationem manifestandi circunstantias mutantes speciem; signum est Christum non imposuisse obligationem manifestandi alias; vt enim aliquit Cardinalis

Sfor-

Sfortia quomodo impoſuiſſet obligationem adeo obſcuram, quæ ipſi Concilio Æcumenico rem exquiſite examinanti manſiſſet innota.

5 Confirmatur primò: quia Adverſarij non aliunde, quam ex inſtitutione huius Sacramenti probant neceſſario explicandas eſſe in confeſsione iſtas circunſtantias. At hinc ſufficienter non colligitur, quia ex eo, quod Chriſtus dederit Sacerdotibus poteſtatẽ remittendi, & retinẽdi peccata, ſolum ſequitur, vnunquẽque teneri explicare omnia mortalia, quæ commiſsit: omnia autẽ ſimpliciter explicat, qui explicat omnes differentias ſpecificas, & earũ numerũ: nam circunſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciẽ, nec variant ſpeciem, nec numerũ peccatorũ, cum ſint quaſi proprietates individuales ipſorũ, ſine quibus ſuſtantia, & numerus eorũ explicari valet. Et ideo Concilium ex illa inſtitutione ſolũ intulit dari obligationem confitendi circunſtantias mutantes ſpeciem.

Confirmatur ſecundò: quia notabiliter aggravari poſſunt peccata ex intenſione, libertate, & duratione actus, & cognitione peccantis, durũ autem eſt ad hęc omnia in confeſsione explicanda pœnitentes obligare. Tertiò, quia vt inquit P. Granadus, oppoſita ſententia occaſionem præbet ſexcentis ſcrupulis, quia cũ certum ſit apud eius Authores non omnẽ circunſtantiam aggravantem intra eandẽ ſpeciem eſſe neceſſario confitendam: anxietate pœnetur ſæpe peccator, an intentio peccati, duratio illius, & quantitas furto ſublata, & aliæ ſimiles eo vſque perveniant, vt notabiliter aggravent.

6 Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondeo, Sacerdotes incognitis his circunſtantijs non poſſe de illis iudicium ferre: nec æqualitatem ſervare in imponendis pœnitentijs conformiter ad illas, poſſe tamen iudicium ferre de peccatis quoad illorum ſubſtantiãm, & relatẽ ad hanc, æqualitatem ſervare. Deinde dico propterea circunſtantias mutantes ſpeciem eſſe manifeſtandas, quia ſine illis peccata non innoteſcunt integre quoad ſubſtantiã, & eſſentiam ſuam ſpecificã, nec ſervari poteſt æquitas illi correſpondens: cum tamen hoc requiratur ex inſtitutione Chriſti. Oppoſitum autem contingit in circunſtantijs aggravantibus intra eandẽ ſpeciem, nam ſine illis innoteſcunt integre peccata quoad eſſentiam, & numerum: licet non innoteſcant integre quoad conditionem individualem.

7 Ne refert, magis ſæpe immutare iudiciũ Confeſſarij circunſtantiã aggravantem intra eandem ſpeciem, quam circunſtantiã transferentẽ ad aliam ſpeciẽ. Nam Chriſtus obligavit ad hanc explicandam, & non ad illam: ratio autẽ forſam fuit, quia circũſtantias mutantes ſpeciem facile eſt advertere; difficile autem advertere aliquas ex aggravantibus, eſto, facile ſit notare alias. Lex autem vniverſalis attendere debet ad ea, quæ frequenter contingunt.

8 Ex dictis infero primò à fortiori non eſſe obligationem explicãdi circunſtantias notabiliter diminuentes intra eãdem ſpeciem. Vnde fœmina conſentiens in peccatum ob ingentes minas non tenetur hanc circunſtantiã explicare. Et idẽ eſt de eo, qui occidit alium, eo quod illũ eũ filia, vel vxore peccantem deprehenderit. Infero ſecundò, cum qui furatus eſt vna vice mille aureos, ſatisfacere dicendo, commiſsi peccatũ grave furti, non tamen ſufficit dicere furatus ſum decẽ v.g. quia ſub his verbis nõ ſignificatur adhuc in confuſo tota quantitas illius furti.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur aliæ obiectiones.

9 OBICIES primò: Pœnitens interrogatus à Confeſſario de circunſtantijs notabiliter aggravantibus tenetur illas exponere: ergo etiã tenetur, quin interrogetur, cũ enim hoc iudiciũ ſit voluntariũ, & non coactũ per ſe loquendo, non tenetur pœnitens reſpondere interrogatus niſi de ijs, quæ ſi rectè advertat, tenetur voluntarie exponere. Cardinalis de Lugo negat ſequelã, cui ego adhæreo, quia Confeſſarius vt Medicus ius habet inquirendi plura, vt debitam medicinam applicet. Vnde Innocẽtius Vndecimus merito damnavit hanc propoſitionem: *Confeſſario interroganti peccati alicuius conſuetudinem, non tenetur pœnitens reſpondere.* Conſulatur P. Granadus diſp. 9 ſect. 3 num. 16. qui cum P. Henriquez defendit pœnitentem non teneri reſpodere, quando circunſtantia de qua interrogatur non eſt neceſſaria medicinæ applicandæ.

10 Obijcies ſecundò proponendo varios caſus in quibus datur obligatio manifeſtãdi circũſtantias notabiliter aggravantes. Primus ſit: gradus affinitatis, & conſanguinitatis non differunt ſpeci-

cifice, vt docet Divus Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. & tamen qui fornicatus est, tenetur explicare an peccaverit cum affini, an cum consanguinea: secundus est, gradus consanguinitatis non differunt inter se essentialiter, & tamen qui peccavit cum consanguinea, tenetur explicare gradum consanguinitatis. Tertius, infamate, dicendo verum, vel dicendo falsum non differunt specie, & tamen debet pœnitens explicare vtro ex his modis infamaverit. Quartus, qui vno ictu occidit plures debet numerum occisorũ exponere, cum tamen id sit tantum circunstantia notabiliter aggravans.

Ad primum respondet Diana 5. p. tract. 14. resolut. 56. cum non paucis negando antecedens, docendoque eum, qui peccavit cum matre, satisfacere dicendo se commisisse incestum. Sed hæc sententia nimis laxa est. Ego cum P. Granado respondeo, licet inter eos gradus nõ detur distinctio specifica completa, quia omnes ordinantur ad eundem finem, & fundamentum habent in eadem sanguinis coniunctione, dari tamen distinctionem essentialem incompletam desumptam ex diverso modo coniunctionis. Vnde peccatum cum affini est diversæ speciei à peccato cum consanguinea.

11 Ad secundum prætermissa illa opinione Dianæ respondeo cum Patre Vazquez dub. 4. & Patre Thoma Sanchez in manuscriptis de pœnitentia citatis à Patre Granado incestum cum cõsanguineis in primo gradu esse diversæ speciei à reliquis, ac proinde qui peccavit cum matre, vel sorore non satisfacere dicendo, incestum commisi: incestum vero cum reliquis infra primũ gradum esse eiusdem speciei, ac proinde peccatum cum quacunque consanguinea vltra primum gradum sufficienter explicari, non explicato gradu consanguinitatis. Deinde cum Cardinali de Lugo disp. 16. num. 314. censeo eum, qui peccavit cum matre, non satisfacere dicendo, se peccasse cum consanguinea in primo gradu; nam in illo peccato est specialis irreverentia erga honorem debitum parentibus, & specifice differt à peccato cum sorore. Immõ propter eãdem rationem differt à peccato parentis cum filia, ac proinde qui ita peccavit, nõ satisfacit dicendo se peccasse cum consanguinea in primo gradu rectæ lineæ.

12 Ad tertium respondeo illas duas infamationes differre specie, nam vna est precisè contra iustitiam; altera insuper contra veracitatem, quæ in materia gravi graviter obligat. Ad quartum respondet P. Vazquez dub. 4. cum Adriano, & Navarro, & post illos P. Granados illã obligationem provenire ex eo, quod ibi est multiplex peccatum: multa enim ibi interveniunt homicidia; quodlibet autem homicidium est peccatum mortale, nec vnũ vnitur cum altero ad constituendum vnũ quid, sicut quantitates rei ablatæ ad constituendum vnum furtum. Card. de Lugo disp. 16. n. 135. docet satis probabiliter, quando multi occiduntur eodẽ ictu non esse necessarium explicare numerum occisorum, sed satisfacere pœnitentem, dicendo, se semel fuisse homicidam, vel se semel occidisse multos homines vno ictu: & ratio à priori est, quia licet multiplicari valeãt peccata externa, quin multiplicentur voluntates internæ, hic tamen nõ interveniũt multæ actiones externæ, quæ à voluntate interna immediate malitiam suscipiant, sed vnica dumtaxat. Quæ doctrina vero similior multo est, quando re ipsa non secuta sunt homicidia, sed præcisè quis desideravit occidere decem homines, v.g. tunc enim satisfaciet dicendo se habuisse semel voluntatem efficacem occidendi multos homines, vel aliquos.

SECTIO TERTIA:

Soluitur obiectio contendens, explicandas esse circunstantias notabiliter aggravantes, quæ hæc sententia est tutior: & in Sacramentis conferendis, vel suscipiendis tutior pars est eligenda, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, vbi examinatur sensus primæ propositionis damnatæ ab Innocentio Vndecimo, & multa differuntur de integritate confessionis.

13 OBIICIES præterea contra nostram, & communiorẽ sententiam Bullam Innocentij Vndecimi, qui hoc anno 1679. die 2. Martij damnavit, & prohibuit sexaginta & quinque propositiones, *Vt minimum tanquã scandalosas, & in praxi perniciosas*; quarum prima est hæc: *Non est illicitum in Sacrmentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi.* Ex hac Summi Põtificis decisione iam certũ est, non esse licitũ in Sacramẽtis cõferendis sequi opinionẽ probabilẽ de valore Sacramenti relicta

relicta opinione tutiore. At opinio affirmans circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandē ſpeciē de neceſsitate exponendas eſſe in confeſsione, eſt opinio tutior, quam ſententia oppoſita: quia iam poſt hanc Bullam non licebit abſolvere pœnitentem, qui voluntariè omittit circunſtantias illas in confeſsione: ac proinde iam poſt hanc Bullam non poterit in praxim deduci ſententia affirmans non dari obligationem exponendi circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem: ac proinde illa iam eſt practice improbabilis.

Reſpondeo longe eſſe à mente Pontificis damnare ſententiā illam, quæ abſ dubio eſt D. Thom. D. Bonavent. D. Antonini, P. Alberti Magni, Navarri, Covarrubiæ, & aliorum illuſtriū Doctorū, vt fatetur P. Suarez præcipuus ſententiæ contrariæ aſſertor diſp. 22. de pœn. ſect. 3. num. 3. & pro qua vt vidimus n. 1. quinquaginta numerat Authores Diana, & quam vltra eos defendunt Cardinalis de Lugo, & Cardinalis Eſortia.

14 Ratio autem eſt: quia Bulla Pontificis loquitur de opinionibus verſantibus circa valorem Sacramenti; quando ſcilicet opinio dicit talem, vel talem materiā, talem, vel talem formam ſufficere ad valorem Sacramenti, non autem de opinionibus verſantibus circa obligationē ſuſcipiendi Sacramentum cum tali, vel tali diſpoſitione, quæ habent pro obiecto, nō quidem valorem Sacramenti, ſed obligationem præcepti divini. Neque enim diſputatur, ſit, vel non ſit validum Sacramētum pœnitentiæ, in quo quis voluntariè omittit circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, ſolumque confitetur diverſitatē ſpecificam, & numerum peccatorū: ſeu an explicatio circunſtantiarum notabiliter aggravantium intra eandem ſpeciem ſit perſe neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſed ſolum diſputatur, an detur, vel non detur abligatio exponendi eas circūſtantias in confeſsione. Quę sūt res valde diverſæ; poteſt enim dari obligatio gravis apponendi aliquid in conficiendo Sacramento, quamvis illud non ſit de ſubſtantia Sacramenti. Sic in conſecratione Calicis datur obligatio gravis proferendi illa verba, *Noui, & æterni teſtamenti*, & tamen communis, & vera ſententia, quam latè propugnat P. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 60. ſect. 1. tenet ad ſubſtantiam, & valorem conſecrationis non eſſe neceſſaria, ſed totam eſſentiam formæ conſecrationis conſiſtere in illis verbis: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*. Damnat ergo Pontifex ſententiam quorundam Theologorum, quorum meminit P. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 10. affirmantium, perinde liberum eſſe vti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum, etiam ſi periculum ſit efficiendi irritum Sacramentum, atq; in quacunque alia materia: & dicentium quod quemadmodum licitum eſt vti opinione probabili, ne aliquid reſtituatur, cum periculum eſt, an res ſit aliena; eodem modo licere vti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorū, etiamſi periculum ſit efficiendi irritum Sacramentum. Iſti namque Authores affirmant, quod vbi fuerit varietas opinionum de materia, & forma Sacramenti, etiam ſi opinio aliqua probabilior multo ſit quā alia, & tutior, non erit contra Religionem vti materia dubiā, cum periculo efficiendi irritum Sacramentum, modo vſus, & conſuetudo Eccleſiæ ad contrarium non obliget, vt ſanè obligat ad non vtendum in Baptiſmo hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & geniti, & præcedentis ab vtroque*, ſed hac: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Et aliqui eorum apud Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 10. num. 88. abſolute pronuntiant, eum qui vtitur opinione probabili circa Sacramenta, relicta materia, & forma, & iuriſdictione certa, non peccare: maximeque probant ſententiam Salonij, qui 22. quæſt. 66. art. 4. controv. 2. ad tertium ait: non poſſe amplecti opinionem probabilē circa materias, & formas Sacramentorum, non provenire ex defectu opinionis, & ratione periculi, ſed quia cōtravenitur præcepto vtendi forma, & materia præſcriptis, & vſitatis in Eccleſia; quare ſi in ipſis Sacramentis aliquod dubium ſe offerat, circa quod nullum ſit Eccleſiæ præceptum, quemlibet poſſe relicta opinione probabiliori ſequi probabilem.

15 Quamquam vero illi Authores affirmēt liberum eſſe vti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum; loquuntur tamen cum limitatione: ſiquidē dicunt, hoc eſſe verum, ſi attendamus præciſe ad reverentiā debitam Sacramento ex virtute Religionis, tām quod attinet ad eius integritatem, quam quod ad effectū eius ſpectat; putāt enim Sacramentum rectè adminiſtrari, & ſine

irreverentia sequendo opinionē probabilem circa materiā, & formam illius, relicta tutiori. Si autem attendamus ad obligationē charitatis, qua debemus, & obligamur ad Sacramētorū administrationē, vt necessitati fratris indigentis succurramus, existimant aliā esse rationem, & expresse asserunt, neminē satisfacere obligationi charitatis, si sequatur opinionem probabilem, immo etiā probabiliorē minus tutam, cum possit tutam eligere, & sequi: quare licet sequens hanc opinionē non peccet contra Religionem, peccare tamen contra charitatē, aut contra misericordiā, qua debemus proximo indigenti remedium adhibere. Redduntque rationem manifestam: quoniam obligatio charitatis, & misericordiæ postulat, vt si proximo possumus certum remedium, & sine vllo periculo adhibere, non adhibeamus illud, quod fortè in re nullius erit momenti: qui autem minus tutam eligeret partem administrans Sacramentum, etiam si ea pars probabilior esset, huic periculo re ipsa proximum exponeret, vt forsam reipsa careret remedio, vel quia re ipsa nullum esset Sacramentum, vel quia careret effectu gratiæ.

16 Itaque Innocentius Vndecimus dum condemnavit propositionem præfixam initio huius sectionis, declaravit illicitum esse vti opinione probabili in administratione Sacramēti relicta tutiori, propter irreverentiam Sacramenti, quamvis nulla lex Ecclesiæ, nullaque cōventio id vetaret, & quamvis id non vetaret lex charitatis erga proximum, cui administratur Sacramentum: proindeque statuit veram esse, & in praxi vnicè tenendam sententiam communem Theologorum, quam tenet noster Eximius Doctor Suarez tom. 3 in 3. partem disp. 16. sect. 2. & alij multi, quos citat P. Salas 1 2. tract 8. disp. vnica sect. 10. num. 86. & alij apud Leandrum tract. 1. de Sacrament. disp. 1. quæst. 17. & apud Thomam Sanchez lib. 1 in Decalog. cap. 9. n. 35 nimirum teneri Ministrum Sacramēti ad applicandam materiam, & formam certam, graviterque peccare, sacrilegiūque committere contra reverentiam debitam Sacramento, si vtatur materia, vel forma dubia, seu incerta, omissa certa, etiamsi id faciat sequendo opinionē probabilem speculative, vel etiam probabiliorem de veritate, & sufficientia. Quam quam vero non possit Minister Sacramentorū, vt materia, vel forma probabili, quando potest apponere certam; in casu tamen necessitatis, in quo non adsit materia certa, bene potest vti probabili. Nā si desit chrisma confectum ex balsamo, & oleo, quod est materia certa extremæ Vnctionis: bene potest vti Oleo simplici benedicto ab Episcopo; quod est solum materia probabilis, & vbi periclitaretur vita infantis, & non daretur aqua elementalis, posset vti aqua rosacea, quæ est materia probabilis Sacramenti Baptismi iuxta Tannerum, & Cardinal. de Lugo.

17 Ad propositum ergo redeundo, respondeo concedendo minorem argumenti sublumptam, nempe sententiā affirmantem circumstantias notabiliter aggrāvantes explicandas in confessione, esse tutiorem, quatenus qui illam sectatur nulli periculo se exponit: qui vero sectatur oppositam se exponit periculo violandi materialiter præceptum, si reipsa datur: quamvis non se exponat periculo peccandi, seu violandi formaliter præceptum, quamvis reipsa daretur. Qui enim propter fundamenta sententiæ negantis, quę in ipsius intellectu præponderant fundamentis sententiæ affirmantis, sicut præponderunt in intellectu Divi Thomæ, & tot illustriū Doctorum, qui negant obligationem illam, formatiudicium certo probabile, & certo prudens, quod non sit obligatus illas circumstantias confiteri, non peccat eas omittendo, quamvis daretur reipsa tale præceptum, talisque obligatio. Deinde nego consequentiā, quia pœnitens voluntarie omittens illas circumstātias, quia sibi persuadet veram esse sententiam D. Thom. & communiorē inter Theologos negantē eiusmodi obligationē, per hoc præcise quod confiteatur omnes circumstantias peccatorum mutantes speciem, & numerū peccatorum, qui post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrit, confessionem facit formaliter integram, & exhibet materiam, non tantum probabilem, sed omnino certam ad conficiendum verum Sacramentum, si adsit dolor efficax peccatorū præteritorum, & propositum non peccandi de cætero. Quia certum est conficere verum Sacramentum qui confitetur omnia sua peccata, quæ memoriæ occurrunt post diligentem suæ conscientiæ discussionem, cum vera contritione, & propolito efficaci non peccandi de cętero, & recipit absolutionem à legitimo Sacerdote habente iurisdictionē ad absolvendum. Ac

qui

qui explicat omnes ſpecies peccatorum, quæ commiſit, eorum que numerum, confitetur omnia ſua peccata: nullum enim furtum, homicidium, ſacrilegium, vel aliquod peccatum relinquit inconfeſſum. Dum enim ſe accuſat de furto vnico gravi, quod commiſit, non explicando quantitatem furti, reipſa explicat furtum, quod commiſit. Ergo qui ita confitetur certam exhibet materiam ad validum Sacramentum, & non mere probabilem.

18 Confirmatur; nam peccatum habens circunſtantiam mutantē ſpeciem æquivalet duplici peccato, furtum enim per ſe eſt peccatum, & iniuria Eccleſiæ, eſt etiam per ſe peccatum; & ideo furtū in Eccleſia æquivalet duobus peccatis, & propterea talis circunſtantia eſt neceſſario in confeſsione exponenda. Item fornicatio eſt peccatū, & iniuria viri eſt peccatum, & ideo fornicatio cum vxorata æquivalet duobus peccatis, ac proinde talis circunſtantia eſt neceſſario apperiēda in confeſsione. Hęc autem ratio non militat in circunſtantijs aggravātibus intra eandē ſpeciem; ſiquidem in furto viginti aureorum non intervenit virtualiter duplex peccatum, ſed vnū maius furto decē aureorum. Ergo qui in confeſsione exponit omnes differentias peccatorū, & eorū numerū, verè, & propriè confitetur omnia peccata, quorum conſcientiā habet: ergo facit confeſsionē integrā, ac proinde exibet materiam ſufficientem ad valorē Sacramenti; quamvis volūtariè omittat circunſtantias notabiliter aggravātes intra eandē ſpeciem, eo quod ſententiam communem ſecutus, & eius fundamentis ductus formet iudicium certo probabile, quod illas circunſtantias non teneatur cōfiteri: & Cōfeſſor tenetur illum abſolvere. Nam tenetur cōformari cum opinione pœnitentis, quando illa eſt certo probabilis, & concepta â pœnitente ex motivo certo prudenti; quale eſt motivū quod tot Viros Sanctiſsimos, & Sapientiſsimos poſt exactā controverſiæ diſcuſsionē, & poſt argumēta omnia Adverſariorū conſiderata, impulit adiudicandum non dari talem obligationē, Confeſſarium enim debere conformari cum opinione pœnitentis, eſt communis conſenſus Doctorū; & veriſsimus quando illa eſt certo probabilis, & concepta ex motivis præponderantibus in ipſius mente, motivis ſententiæ contrariæ, ſeu, quando habet in intellectu pœnitentis eundem ſtatum, quē habuit in intellectū ſuorum Authorū, qui propterea illam amplexati ſunt vt veram & oppoſitā reiecerunt, vt falſam, quia ipſius fundamenta apparuerunt illis vrgentiora oppoſitis. Si enim non haberet eundem ſtatū in intellectu operantis, neque illi aſſentiretur vt veræ, ſed eius fundamenta reputaret minora fundamētis oppoſitæ ſententiæ; tunc non eſſet opinio pœnitentis, neq; ille cum ſola notitia opinionis probabilis alienæ, cuius fundamēta ipſum minus vrgerent quam fundamēta oppoſita, accederet rectè diſpoſitus, neque Confeſſor teneretur illum abſolvere; quia tunc pœnitens haberet maius fundamentum ad credendum ſe eſſe obligatum ad apperiēdas eas circunſtantias; dum autem ſic diſpoſitus accederet, non teneretur Confeſſor illum abſolvere, ſi negaret eas circunſtātias; quia perinde ſe haberet accedēs ad confeſsionem dū habet maius, & præeminens fundamentum adiudicandum dari obligetionem confitendi illas circunſtantias, ac ſi accederet id actu iudicans.

19 Alio etiam argumento â poſteriori probare poſſumus, valorē Sacramenti in caſu poſito non eſſe dubium, ſed certum; quamvis obligatio confitendi illas circunſtantias ſit ſub opinione, & ſecundum ſe dubia. Nam ſi valor Sacramēti eſſet tunc dubius, ſicut eſt dubia obligatio; hinc poſſent ſumere Authores ſententiæ affirmantis validiſsimū argumentum ad probandū dari obligationem cōfitendi illas circunſtantias; quia nimirū, qui illas omitteret, ſe exponeret periculo fruſtrandi Sacramentum; & adduceret ad pedes Confeſſarij ſolum materiam probabilē ad valorem Sacramēti relicta materia certa, ſeu cū poſſet adducere certā, quod eſt intrinſece illicitū, vt probat P. Suarez loco ſupra citato, & communis ſententia Doctorum. At neque Pater Suarez, neque vllus alius ex Authoribus ſententiæ affirmantis illo argumento vſi ſunt, quamvis veriſsimum ſentiant, non eſſe licitum in conferendis Sacramentis ſequi ſententiam probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori: ergo quia ſupponunt confici Sacramentum validum, quamvis re ipſa eſſet falſa opinio aſſerens non dari obligationem confitendi circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem: ergo quia ſentiunt, eum qui confitetur cum vero dolore efficaci, & propoſito diverſitatem ſpecificam ſuorum peccatorum, eorum

rumque numerum, recipit absolutionem à legitimo Confessore, efficere validum Sacramentum, sive confiteatur, sive ex opinione probabili taceat circunstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem.

20 Responsionem traditam didici ab Eximio Doctore, qui tomo 3. in 3. part. disp. 16. sect. 2. § *Sed urgebit aliquis* duo argumenta objecit contra suam sententiam, quod scilicet graviter peccet Minister Sacramentorum, si utatur materia, seu forma dubia, vel incerta, omissa certa, etiam si id faciat sequendo opinionem probabilem speculative, vel etiam probabiliorem, de veritate, seu sufficientia: duo, inquam argumenta „ proponit ijs verbis: Nam in materia „ confessionis sæpe licet uti materia pro„ babili omissa certa, ut verbi gratia cō„ fiteri cum attritione cognita absque „ contritione, cum tamen hæc sit mate„ ria certa, illa vero probabilis tantum, „ & utraque sit in hominis potestate. Si„ mile exemplum est, quādo sunt opinio„ nes, an teneatur quis in tali casu confi„ teri tale peccatum, necne; tunc enim, „ si pœnitens confiteatur illud, utitur ma„ teria certa; quia non est dubium quin „ illa sit confessio integra: si vero taceat, „ utitur materia probabili, & tamen hoc „ licet, quamquam utraque materia sit „ in eius potestate.

21 Quibus argumentis Respon„ det: In hoc posteriori casu semper ma„ teriam esse certam, quia semper est cō„ fessio integra formaliter, & hæc est „ materia certa, & indubitata confessio„ nis: dicitur autem (inquit) confessio „ formaliter integra, quandocunque ni„ hil in confessione tacetur ex malitia, „ seu ex negligentia, quæ ad peccatum „ mortale sufficiat; quando autem ali„ quid prudenter, ac licite tacetur prop„ ter occasionem, talis confessio est inte„ gra formaliter absque ulla dubitatione. „ At vero qui sequendo opinionem pro„ babilem aliquid tacet, prudenter ac li„ cite operatur, & ideo practice certus „ est, se facere confessionem integram „ absque formali mutilatione, & ideo „ etiam est certus exhibere se materiam „ certam Sacramento. Et statim addit, eandē responsionem applicari posse po„ steriori exemplo: Quamquam enim sit „ sub opinione an attritio cognita suffi„ ciat ad effectum Sacramenti consequē„ dum; tamen quod ad Sacramentum „ ipsum conficiendū sit materia sufficiēs, „ certum esse, & extra omnem opinio„ nem, & ideo eum, qui sic accedit, ma„ teriam certam Sacramenti præbere, & „ ideo in hoc non peccare. Hęc Magnus Suarez, qui statim occurrit obiectioni, cōtendenti, eum, qui accedit cum sola attritione cognita, saltem peccaturum in hoc, quod non adhibet dispositionē certā ad effectum Sacramēti, & exponit se periculo frustradi sacramētum suo effectu, quod non videtur minus malum, quam exponere se periculo non conficiendi Sacramentū: occurrit inquam, concedēdo, non excusandum hominem illum à gravi culpa si cōstitutus in articulo mortis, voluntarie accederet cum sola attritione cognita, quia tunc se exponeret periculo irreparabili æternę damnationis. Dicit vero, extra hunc articulum excusari posse, præsertim ob difficultatem habendi contritionem; quia licet se exponat periculo non obtinendi effectū Sacramenti; tamen cum ille non sit tunc simpliciter necessarius ad salutem, & postea possit alijs vijs suppleri, si forsā tunc non obtineatur, non est illa sufficiens ratio mortalis culpæ.

22 Cæterum omissa nunc doctrina huius vltimæ solutionis, quia ad nostrum propositum necessaria non est; ad priorem regrediendo, ex illa constat, eum qui omittit circunstantias notabiliter aggravantes, quia ob fundamenta sententiæ negantis, formar iudicium prudens, & certo probabile, quod ipse non teneatur illas circunstantias exponere; afferre materiam certam ad valorem Sacramenti, dum cōfitetur omnes differentias peccatorum, & ipsorum numerum; quia affert confessionem formaliter integram, siquidem nihil in confessione tacet, neque ex malitia, neque ex negligētia graviter culpabili; sed solum tacet prudenter, ac licite ob iudicium prudēs, ac certo probabile à se formatum ob fundamenta sententiæ negantis: *Quando autem aliquid prudenter, ac licite tacetur propter occasionem, talis confessio est formaliter integra absque vlla dubitatione*, vt supra aiebat Exim. Doct. Ergo Confessarius cognoscit illum hominē afferre confessionem formaliter integram; ac proinde agnoscit afferre materiam certam ad valorem Sacramenti: ergo dum illum absolvit, non vtitur materia probabili circa valorem Sacramenti relicta tutiore, sed vtitur materia certa.

Dices

23 Dices hanc rationem bene probare Miniſtrum pœnitentiæ poſſe, ac debere abſolvere pœnitentem, quem ſcit tacere circunſtantias notabiliter aggravantes motum opinione certo probabili, quam ipſe facit ſuam per aſſenſum certo prudentem, id eſt conceptum ſine paſſione, & præcipitatione ob fundamenta ſententiæ negantis quæ ipſi apparent vrgentiora oppoſitis: quia talis pœnitens accedit rectè diſpoſitus: pœnitenti autem ritè diſpoſito, ac ſua peccata integrè formaliter confeſſo cum vero dolore, & propoſito efficaci non amplius peccãdi, non poteſt negari abſolutio. Cæterum poſt Bullam Innocentij Vndecimi, non poſſe pœnitentem formare iudicium prudens, quod non teneatur confiteri circunſtantias notabiliter aggravãtes, ſiquidem ſicut poſt Bullam nõ licet in Sacramentis conferendis vti opinione probabili circa valorem Sacramenti relicta tutiore; ita nec licebit in Sacramentis ſuſcipiendis, cum par ſit ratio.

24 Reſpondeo in primis Pontificem ſolum loqui de miniſtro conferente Sacramenta, & determinat, eum non poſſe conferre Sacramentum ſub forma, vel ſub materia tantum probabili, relicta forma, vel materia certa, vel etiam probabiliore, quæ tutior eſt, quia hoc ipſo exponeret voluntarie Sacramentum fruſtrationi, quod eſt ſacrilegium: non loqui autem de ſuſcipiente Sacramentũ, quamvis à paritate arguatur ab vno ad alium. Deinde abſolute dico, Pontificem non inducere novam obligationem, ſed declarare eam, quæ iam dabatur, & quam agnoſcebat communis ſententia Theologorum, affirmans non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: ergo ſicut ante Bullam Pontificis etiam ex mẽte Doctorum adſtruentium obligationẽ confitendi circunſtantias notabiliter aggravantes, integrè formaliter confitebatur, qui ſecutus ſententiã negantem talẽ obligationem, eique aſſenſum præbens, omittebat eas circunſtantias: ſic poſt Bullam Pontificis, integrè, & validè cõfitebitur, ille, qui eas circunſtãtias omittit, quia ſibi perſuadet veram eſſe ſententiam negantem talem obligationem.

25 Dices ſecundò, obligationem explicandi circunſtantias notabiliter aggrabantes, ſi re ipſa datur, fundari in ipſa natura Sacramenti inſtituti per modum iudicij, in quo iudex incognita cauſa ſententiam ferre non poteſt, neque æquitatem in pœnis iniungendis ſervare, quin cognoſcat multitudinem, & magnitudinem delictorum, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. ergo idem eſt dari opinionem vere probabilem, quod revera exiſtat obligatio eas circunſtantias manifeſtandi in confeſſione, ac dari opinionem, quod ſit invalidum Sacramentum pœnitentiæ, in quo ille circunſtantiæ voluntariæ omittuntur: ergo ſicut eſt probabile agere contra præceptum divinum manifeſtandi eas circunſtantias, qui illas voluntarie omittit; ita eſt probabile, quod conficiat Sacramentum invalidum, dum ſic omittit. Ergo qui voluntarie omittit eas circunſtantias non affert materiam certam ad valorem Sacramenti, ſed dumtaxat probabilem: ergo exponit ſe periculo faciendi Sacramentum invalidum, dum eas circunſtantias omittit; cum poſſet, eas circunſtantias confitendo, ſe ab omni periculo liberare: ergo peccat eas circunſtantias omittendo, quia ex deciſione Pontificis illicitum eſt exponere Sacramentum fruſtrationi, ſequendo opinionem probabilem; quando poteſt omne periculum caveri ſequendo ſententiam tutiorem; ſicut hic caveretur exponendo eas circunſtantias.

26 Reſpondeo conceſſo antecedenti, & negando conſequentiam primam, & ſubſequentes. Quia ſi datur illa obligatio, illam voluit Chriſtus manere obſcuram, & ſub opinionibus, noluit autem valorem Sacramenti pœnitentiæ manere obſcurum, & ſub opinionibus, ſed per concilia, & Patres manifeſtavit Eccleſiæ ſuæ, Sacramentum pœnitentiæ quoad omnes partes, quæ neceſſariæ ſunt ad eius valorem. Incredibile enim eſt, Chriſtum voluiſſe vt confeſsio circunſtãtiarum notabiliter aggravantiũ eſſet neceſſaria ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & quod non illuminaverit Patres Concilij Tridentini, vt dum eã ſententiam, & naturam huius Sacramenti nobis expoſuerunt, hoc nobis non explicaverint, immò nobis præbuerint vrgentiſsimum fundamentum ad prudenter iudicandum, neceſſarium non eſſe explicare eiuſmodi circunſtantias, neque ad valorem, neque ad fructum huius Sacramẽti. Quod autem hoc fundamentum præbuerit, ſuadetur ex illo cap. 5. ſeſſ. 14. in quo duo colligit ex inſtitutione huius Sacramenti. Cum enim præmiſiſſet, ex „ inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ

„ vniuersam Ecclesiã semper intellexisse
„ institutam esse à Christo integrã pec-
„ catorum confessionẽ, & omnibus post
„ Baptismum lapsis iure diuino necessa-
„ riam existere: quia Dominus noster Ie-
„ sus Christus, è terris ascensurus ad Cę-
„ los, Sacerdotes sui ipsius Vicarios re-
„ liquit, tanquam Præsides, & Iudices,
„ ad quos omnia mortalia crimina dese-
„ rantur, in quæ Christi fideles cecide-
„ rint, quò pro potestate clauiũ remissio-
„ nis, aut retentionis peccatorum sen-
„ tentiam pronuntient; constat enim, Sa-
„ cerdotes iudicium hoc incognita causa
„ exercere non potuisse, neque æquita-
„ tem quidem illos in pœnis infligendis
„ seruare potuisse, si in genere dumtaxat,
„ & non potius in specie, ac sigillatim sua
„ ipsi peccata declarassent. Cum inquã
hæc præmisisset, duo colligit Conciliũ.
„ Primum, oportere à pœnitentibus, om-
„ nia peccata mortalia, quorum post di-
„ ligentem sui discussionem, conscien-
„ tiam habent, in confessione recenseri.
„ Secundum, etiam eas circunstantias in
„ confessione explicandas esse, quæ spe-
„ ciem mutant: quod sine illis peccata
„ ipsa neque à pœnitentibus integre ex-
„ ponantur, nec iudicibus innotescant,
„ & fieri nequeat, vt de gravitate crimi-
„ num rectè censere possint, & pœnam,
„ quam oportet, pro illis pœnitentibus
„ imponere. Et iterum eadem sess. Can.
7. anathemate percutit, eum qui dixerit,
„ non esse necessarium iure diuino, con-
„ fiteri omnia, & singula peccata mor-
„ talia, quorum memoria cum debita, &
„ diligenti præmeditatione habeatur, &
„ circunstantias, quæ peccati speciem
„ mutant.

27 En Concilium dum naturam Sacramenti Pœnitentiæ explicat; & cõfessionem Sacramentalem, quam Christus instituit, exponit; ex institutione huius Sacramenti colligit, exponenda esse in confessione omnia, & singula peccata mortalia, quorum post diligentem conscientiæ discussionem pœnitens conscientiam habet, & quia hoc integre explicare non potest, quin explicet circunstantias peccatorũ mutantes speciem, ex eadem institutione colligit explicandas esse has circunstantias: nulla mentione facta de circunstantijs notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem: ergo Concilium clare sentit ad hoc vt quis faciat confessionẽ integram, quã Christus instituit, nimirum confessionem, in qua exponat omnia, & singula mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ ipsius occurrunt, satis esse, si explicet differentiam specificam peccatorum, & eorum numerum: alioqui diminutè explicuisset natũrã huius Sacramenti; neque sufficienter declarasset materiam proximam necessariam ex parte confessionis ad valorem illius: ergo virtualiter, & implicite docuit, explicationem circunstantiarum aggrauantium intra eandem speciem, non esse necessariam per se ad integritatem formalem confessionis, & consequenter neque ad valorem huius Sacramenti. Sanè si Concilium dixisset, ex institutione huius Sacramenti rectè colligi, *Saltem circunstantias mutantes speciem esse explicandas in cõfessione*, fundamentum nobis præbuisset, vt assereremus, voluisse manere sub lite, & sub opinionibus, an manifestatio circunstantiarum aggrauantium intra eandem speciem sit per se necessaria ad valorem huius Sacramenti; verum hoc non dixit, sed explicaturus integritatem cõfessionis necessariã ex institutione Christi ad valorem huius Sacramenti, simpliciter affirmavit, *Ex institutione huius Sacramenti colligi, eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem mutant*. Ergo nullum fundamentum nobis præbuit, ad suscipiendũ, voluisse manere sub lite, & sub opinionibus, an ad valorem huius Sacramenti sit, per se loquendo, necessarium explicare in confessione circunstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, sed potius nobis præbuit vrgentissimum fundamentum ad asserendum, non esse necessariam explicationem illarum circunstantiarum ad valorem huius Sacramenti.

28 Confirmatur: vel ex institutione huius Sacramenti colligitur explicandas esse in confessione circunstantias notabiliter aggrauantes intra eandẽ speciem, vel non colligitur. Si primum; ergo Concilium diminutè processit, & occasionem errandi fidelibus dedit, in re grauissima: quia enim ex institutione huius Sacramenti colligitur, explicandas esse circunstantias mutantes speciem, Concilium Ecclesiam docuit, illarum explicationem esse necessariam ad valorem Sacramenti: ergo si ex eadem institutione colligitur quoque, illas alias explicandas esse, hoc debuit docere Concilium: & dum hoc non docuit, occasionem dedit fidelibus errandi in re grauissima,

ſim3, nimirum confitendi ſine explicatione circunſtantiarum nobiliter aggravãtium intra eandem ſpeciem, & bona fide faciendi Sacramentum Pœnitentiæ invalidum ob defectum materiæ requiſitæ ex inſtitutione Chriſti ad eius valorem. Si non colligitur, & propterea Concilium id omiſsit: ergo certum eſt non eſſe perſe neceſſariam explicationem circunſtantiarum notabiliter aggravantium intra eandem ſpeciem ad valorem huius Sacramenti.

29 Reſpondebis, Concilium Solum feciſſe mentionem illationis, quæ neceſſario colligitur ex inſtitutione huius Sacramenti, qualis eſt, quod circunſtantiæ mutantes ſpeciem debeant explicari: non vero illationis, quæ ſolũ probabiliter; qualis eſt, quod circunſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandẽ ſpeciem, debeant explicari. Sed contra, quia in re, & ex parte obiecti ex inſtitutione Sacramenti ſolum poteſt colligi vnum è duobus contradictorijs vera illationer aliud vero ſolum poteſt colligi per errorem, & deceptionem inferentis. Concilium vero debuit explicare id, quod revera colligitur: vnde ſi non explicuit, inde efficaciter infertur, id non inferri. Ergo revera ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ nõ colligitur explicãdas eſſe circunſtantias notabiliter aggravantes.

30 Quare ex eo, quod ſit probabile, dari præceptum divinum exponendi circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem; ſolum ſequitur explicationem illarum circunſtãtiarum eſſe neceſſariam ad valorem huius Sacramenti in ijs, qui per aſſenſum prudentem approbaverint illam opinionem, id eſt in ijs, qui iudicaverint iudicio opinativo prudenti dari tale præceptum; ij enim integrè, & valide confiteri non poſſunt, quin illas circunſtantias exponant. Non ſequitur autem eſſe probabile, omnes teneri explicare eas circunſtantias: nam qui iudicio opinativo verè prudenti iudicant non dari tale præceptum ob fundamenta ſententiæ negantis, quæ ipſis apparent vrgentiora, & ob autheritatem Doctorum illam defendentium, quæ maior eſt, quam authoritas defendentium ſententiam affirmantem; integrè confitentur, dum exponunt omnes differentias ſpecificas ſuorum peccatorum, eorumque numerum, quamvis omittant circunſtantias aggravantes intra eandem ſpeciem; eaſdem non omiſſuri; ſi ipſis appãreret verisimilior exiſtentia præcepti, vel æque verisimilis, ac non exiſtentia; quia nemo poteſt facere confeſsionem invalidam eo ſolum titulo, quia omittit in confeſsione aliquam circunſtantiam, quam ipſe prudenter iudicat non debere exponi in confeſsione. Sic fœmina, quæ vrgente præcepto communionis, non habet alium confeſſarium, quam proprium Parrochum, cum quo habuit ſacrilegum deſiderium peccandi, non tenetur circunſtãtiam ſacrilegij exponere, ſi prudenter iudicat; illum Sacerdotem huic fœmpturum occaſionem ad illam ſolicitandã ex fragilitate, & ſeipſam ſi ſolicitem fore in magno periculo conſentiendi: imo tenetur non exponere, vt docent communiter Doctores, cum Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. in reſponſione ad 3. Cum Caietan. in ſumma *Verbo confeſsio* cũ Navarro in Manuali cap. 7. cum Silveſtro *Verbo confeſſio.* 1. §. 19. & cum Toleto lib. 3. cap. 8. num. 6. cum Cano relection. de pœnitentia parte 5. fol. 123. Et ſanè Frater Antonius de Cordova in ſua ſumma quæſt. 1. Henriquez lib. 5. cap. 12. Pater Suarez diſp. 22. de pœnit. ſect. 2. Cardinal. de Lugo diſp. 16. num. 526. & Cononch. diſp. 7. dub. 9. num. 79. vt rem apud omnes certam affirmãt, poſſe aliquã circunſtantiã mutantẽ ſpeciem taceri in confeſsione propter detrimentum, quod ſibi, vel alteri pœnitens timeat, præſertim quando eſt detrimentum ſpirituale; vt enim inquit Bernar. lib. de præcepto, & diſpenſat. *Quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem eſſe non debet.* Ergo confeſsio non eſt invalida ex eo, quod in illa taceatur aliqua circunſtantia gravis, ſi id fiat ex iudicio prudenti, quod non datur obligatio talem circunſtantiam aperiendi.

31 Quare licet ſententia affirmans non dari obligationem confitendi circunſtantias notabiliter aggravantes, foret reipſa falſa, non propterea confeſsio, in qua quis tacet eiuſmodi circunſtantias eo quòd certo probabiliter, & prudẽter iudicat, ſe ad id non teneri, erit reipſa invalida: ſed certum eſt eſſe validam, ſi pœnitens omnes circunſtantias mutantes ſpeciem confiteatur, & peccatorum ſuorum numerum cum dolore, & propoſito efficacibus: quia confeſsio illa eſt formaliter integra. Chriſtus nanque hoc ipſo, quod voluiſſet, illud præceptum eſſe obſcurum; & prudenter poſſe negari

negari à Sanctis & Sapientissimis Doctoribus; noluit valorem Sacramenti facere in omnibus pœnitentibus dependẽtem ab explicatione circunstantiarum notabiliter aggravantium; sed solum in ijs, qui prudenter iudicarent existere tale præceptum, vel qui haberent maius fundamentum ad hoc iudicandum, quam ad iudicandum oppositum, vel saltem æquale.

32 Dices tertiò, cum, qui tacet voluntariè circunstantias notabiliter aggravantes, non facere confessionem formaliter integram, nam regula illa tradita à Patre Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 2. *nempe tunc dici confessionem formaliter integram, quandocũque nihil in confessione tacetur ex malitia, seu ex negligentia, quæ ad peccatum mortale sufficiat*; videtur falsa. Nam alioqui siquis post diligentem conscientiæ discussionem, in qua memoriæ occurrerent differentiæ specificæ suorum peccatorum, per errorem invincibilem iudicaret se non esse obligatum ad manifestandas in confessione circunstantias mutantes speciem, & hoc errore ductus, solum diceret se commissse multa peccata, & confiteretur cum vero dolore, & proposito non amplius peccandi, & absolutionem reciperet à legitimo Sacerdote; faceret confessionẽ formaliter integram, siquidem nihil ex malitia, aut ex negligentia graviter culpabili taceret. At hoc est falsum: nam iuxta Tridentinum illa est confessio formaliter integra, in qua pœnitens confiteretur omnia, & singula mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionẽ memoriæ occurrunt: siquidem postquam initio capitis 5. sess. 14. dixit: institutam fuisse à Domino integram peccatorum confessionem post modum hanc integritatem explicat per hoc, quod in confessione recenseantur à pœnitente, *Omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet.* Atqui homo ille non recenseret in confessione omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiã habet: ergo non faceret confessionem formaliter integram: ergo non apponeret materiam necessariam ad valorem Sacramenti.

33 Mihi imprimis videtur casus argumenti impossibilis: quia pœnitens ille tenetur scire, quæ sunt necessaria ad rectè confitendum sua peccata, & consequenter ignorantia illa non est invincibilis, & sine peccato, sed est ignorantia vincibilis, & peccaminosa. Vt enim inquit Divus Thomas quæst. 3. de malo art. 7. *Ignorantia illa, qui quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato: tenetur autem quilibet scire ea, quibus dirigitur in propris actibus.* Ergo qui vult confiteri tenetur scire ea, quæ ex parte pœnitentis sunt necessaria ex institutione Christi ad conficiendum validum Sacramentum: ergo tenetur scire, quod non sufficit in confuso dicere, quod multoties peccavit, sed quod opus est, explicare numerum, & differentias peccatorum, quia ignorantia huius veritatis non excusat ipsum; ac proinde accedit malè dispositus, & non conficit validũ Sacramentum. Præterea si supponitur illum diligenter discussisse conscientiam in ordine ad confessionem, & invenisse species, & numerum peccatorum; implicatorium est, quod post modum bona fide confiteatur cum illa generalitate. Deinde, quamvis ex parte pœnitentis posset dari illa ignorantia sine peccato, & posset cum illa innocenter accedere ad pedes confessarij; tamen Confessor non potest habere sciẽtiam necessariam ad administrandam valide absolutionem, quin sciat pœnitentem obligatum esse in confessione exponere numerum, & differentias peccatorum, quorum conscientiam habet post diligentem sui discussionem, & non sufficere quod se accusset in confuso, & in generali, quando potest numerum, & differentias peccatorum singillatim exponere. Vt docet Vazq. 3 p. quæst. 93. art. 3. dub. 2. cum alijs. Videns ergo Sacerdos pœnitentem non exponere numerum, & speciem peccatorum, eum de officio suo admonebit; ille autem de sua obligatione admonitus non poterit bona fide confiteri cum sola illa confusione, & generalitate. Casus ergo ille videtur chymæricus.

34 Deinde admisso illo casu, probabilius censeo, eum facere confessionem nullam; quia non adducit in confessionem integritatẽ illam, quam Christus assignavit pro materia huius Sacramenti; supponimus enim, eum post diligentem sui discussionem invenisse numerum, & differentias suorum peccatorum, & omnia illa esse hic, & nunc materiam necessariam confessionis, quia certum est dari præceptum exponendi in confessione numerũ, & differentias ad specificas peccatorum mortalium, quæ pœnitenti

tenti poſt diligentem ſui diſcuſsionem occurrunt, quando poteſt illa exponere, & ex eorum expoſitione non imminet damnum, neque ſibi, neque proximo, vt hic ſupponimus non imminere. Si enim ex manifeſtatione alicuius peccati damnum immineat, illud peccatum non eſt materia illius confeſsionis, neque præceptum divinum ad illud tunc manifeſtandum ſe extendit. Materia autem neceſſaria confeſsionis, & peccata, quorum manifeſtatio hic, & nunc pertinet ad integritatem formalẽ confeſsionis, ſunt illa ad quæ manifeſtanda hic, & nunc ſe extendit ex ſe præceptũ, & intentio Chriſti: ergo qui ea peccata non exponit, non adducit ad pedes Confeſſarij materiam illam, quam Chriſtus aſsignavit pro parte eſſentiali huius Sacramenti. Quarè quamvis error invincibilis, quo falſo ſibi perſuadet, ſe non eſſe obligatum ad explicandum ſingillatim numerum, & ſpecies ſuorum peccatorum, ipſum excuſſet à ſacrilegio committendo in illa confeſsione, non tamen ſufficit vt conficiat validum Sacramentum. Sic qui accedit ad pedes Confeſſarij reipſa ſine dolore, & propoſito requiſito ad valorem Sacramenti, quamvis accedat bona fide, exiſtimans per errorem invincibilem ſe accedere cum dolore, & propoſito requiſitis; non efficit verum Sacramentum; quia bona fides poteſt quidem excuſare ipſum à ſacrilegio, non tamen poteſt efficere, vt reſultet verum Sacramentũ, quando deeſt pars eſſentialis illius.

35 Nec ſimile eſt de circunſtantijs notabiliter aggravantibus intra eandem ſpeciem: non enim Chriſtus impoſuit præceptum, vt illas exponeret in confeſsione, qui poſt diligentem ſui diſcuſsionem, meminit illarum, neque confeſsio integra, quam Chriſtus inſtituit ex neceſsitate poſtulat manifeſtationem harum circunſtantiarum; ſicut ex neceſsitate poſtulat manifeſtationem circunſtantiarum mutantium ſpeciem, prout probatum manet ex Tridentino. Vnde ex eo, quod faciat validam confeſsionem is, qui circunſtantias notabiliter aggravantis, quas habet in memoria, tacet, quia prudenter ſibi perſuadet eas non eſſe materiam neceſſariam confeſsionis: non fit bonum argumentum ad probandum, quod faciet validam confeſsionem ille, qui tacet numerum, & circunſtantias ſpecificas peccatorum, quæ habet in memoria, quia per errorem cenſet, ſe non eſſe obligatum ad illa explicanda in confeſsione.

36 Et multo minus fiet bonum argumentum à paritate circunſtantiarum mutantium ſpeciem, quæ hic, & nunc non poſſunt manifeſtari confeſſario ſine gravi damno ſpirituali, vel temporali pœnitentis, vel proximi; iſtæ enim circunſtantiæ non pertinent tunc ad integritatem Sacramenti. Vt egregiè explicat Magiſter Cano relect. de pœnit. p. 5. fol. mihi 124. vbi poſtquam dixit confeſsionis integritatem non oportere matematicam eſſe, ſed moralem; hinc colligit: Non eſſe neceſſarium, hominem confiteri omnia peccata, quæ memoria tenet, ſed illa, quę Confeſſori rationabiliter exprimẽtur. Lex enim Chriſti de moribus ad moralẽ integritatem obligat, id eſt rationi conſentaneã. Nã quod à ratione diſſonat, non præcipit. Peccatum itaque, quod rationabiliter tacetur irrationabiliter explicatur, non eſt materia confeſsionis à Chriſto inſtituta. Dimidiare igitur confeſsionem à Chriſto Domino præceptã, hoc eſt aliquod peccatum mortale tacere, quod Chriſtus inſtituit, in illa confeſsione aperiendum, id ſacrilegiũ eſt, &c. Nec Sacerdos dimidiatam abſolutionem præbet: nam abſolutio limitatur etiam ad confeſsionem inſtitutam à Chriſto, ſicut forma per materiam limitatur. Ab omnibus ergo abſolvit Sacerdos, quæ ad ſuum iudicium ſpectant ex Chriſti inſtitutione. Illud vero peccatum, quod cauſa vrgente tacetur, non pertinet tunc ad illius Sacerdotis iuriſdictionem, reliqua vero pertinent, inde pœnitens alia confiteri tenetur; ſicut qui non poteſt ieiunare vno die quadrageſimę, à reliquorum ieiunio non abſolvitur. Hæc ille.

37 Confeſsio ergo integra formaliter eſt illa, in qua pœnitens exponit omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſsionem memoriam habet, eorumque differentias ſpecificas, ſi rationabile ſit omnia illa exponi, earumque differentias explicari. Si enim irrationabile ſit, aliquod peccatum, aliquam vè circunſtantiam peccati explicari, hæc non pertinent ad illam confeſsionem, ac proinde tacerí poſſunt, ac debent. Quia vero Chriſtus etſi præceperit in confeſsione exponere omnia peccata, non præcepit tamen exponere omnes circunſtantias, ſed dumtaxat circun-

cunſtantias mutantes ſpeciem, vt probavimus ex Tridentino: hinc fit non eſſe contra integritatem confeſsionis tacere circunſtantias aggravantes intra eandem ſpeciem, quando quis rationabiliter iudicat, Chriſtum non præcepiſſe, vt illæ explicarentur: ſi autem rationabiliter iudicat oppoſitum, tenebitur illas explicare, neque tunc integram formaliter confeſſionem facit, niſi illas exponat, ſed mutilam, & ſacrilegam.

38 Solutionem ſupra aſsignatam, quod ſcilicet ſit nulla confeſsio illa, in qua quis tacet numerum peccatorum, & circunſtantias mutantes ſpeciem, quorum conſcientiam habet; etiamſi id faciat inculpabiliter, quia per errorem invincibilem exiſtimat hoc non eſſe neceſſarium, ſed ſatis eſſe ſe accuſare in confuſo, & in generali de multis peccatis: hanc, inquam, ſolutionem confirmare poſſumus, ſi in medium adducamus ſententiam Theologorum aſſerentium confeſsionem ſæpe eſſe invalidam propter negligentiam examinandi conſcientiam.

39 Igitur Franciſcus Victoria in ſumma de Sacramentis, (quam non ipſe edidit, ſed Diſcipuli eius ex eius ſcriptis collegerunt) n. 160. inquirit, quid dicendum, quãdo confeſsio eſt dimidiata ex negligentia, quia ſcilicet pœnitens non fecit ſufficientem indagationem? Et reſpondet, quod ſi ex induſtria fuerit negligens, vel ſi ita contemnat, vt quaſi induſtria nolit examinari: ſicut qui per annum integrum non eſt confeſſus, & accedit ad confeſsionem ſine aliqua examinatione, volens quidem, quod omnia venirent ad eius memoriam: talis confeſsio eſt nulla, ac proinde iteranda. Si tamen omiſerit aliquod peccatum putans ſe feciſſe ſufficientem indagationem, etiam ſi illa ignorãtia ſit culpabilis mortaliter, confeſsio eſt valida, & non iteranda. Hanc ſententiam Victoriæ ſecutus eſt eius diſcipulus Melchior Canus Relect. de pœnitent. part. 5. fol. 128. pag. 1 vbi ait, quod ſi peccator negligentiam affectatam, aut omnino craſſam in facienda integra confeſsione habuit, ita vt ex eiuſmodi negligentia peccatũ aliquod mortale præterm iſerit, talis debet confeſsionem repetere, ac ſi data opera mutilaretur, & poſtea fol. 129. pag. 1. aſſerit, quod quando confeſsio eſt mutila, & mãca, non quidem ex negligentia penitùs craſſa, & ſupina, ſed culpabili tamen (quia licet peccata præterita quæſierit, & diligentiam aliquam adhibuerit, non adhibuit tamen omnem quam debebat) quam ipſe exiſtimabat ſufficientem; tunc confeſsio eſt valida, & non opus erit illã reiterare, ſed ſatis erit confiteri poſtea illud peccatum in illa confeſsione omiſſum, & negligentiam in conſcientia examinanda, ac proinde ſacrilegium illud, quod in ſuſcipiendo Sacramentum commiſſum eſt. Eandem ſententiam fuſius explicatam ſecutus eſt Dominicus Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. concl. 3. & eandem ſequitur Bartholomæus de Medina in ſumma cap. 12. §. 3. Qui conſequenter affirmant dari confeſsionem Sacramentalem validam, & informem defectu integritatis; quæ ſcilicet valida ſit, & tamen non conferat gratiam, quouſque pœnitens de peccato ex negligentia omiſſo ſe accuſet, & ſimul de negligentia ipſa. Huius ſententiæ præcipuum Patronum agnoſcit Canus Cardinalem Cajetanum in ſumma verbo confeſsio in decima conditione, quam tamen multo antea tradiderat Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 5. art. 3. caſu 3.

40 Hanc ſententiam vehementer impugnat P. Vazquez 3. part. quæſt. 92. art. 3. dub. 2. poſt Ioannem de Medina, poſt Navarrum, & Petrum de Soto; conſtanter aſſerens eſſe nullam, ac proinde iterandam confeſsionem illam, in qua quis omittit aliquod peccatum mortale ex negligentia mortaliter peccaminoſa in examinanda conſcientia. *Et ratio pro hac ſententia*, (inquit Vazquez n. 5.) meo iudicio eſt manifeſta, quia ſi ſemel concedamus confeſsionem non integrè factam ex ignorantia culpabili mortaliter, peccatũ, quod committitur eiuſdem naturæ eſt, atque ſi ex induſtria fieret, aut ex ignorantia illa nimium craſſa; peccata enim quorum malitia conſummatur in actu, vel in omiſsione exteriori, eiuſdem ſpeciei ſunt, ſive ſcienter, ſive ignoranter fiant: & ſicut concedit Sotus de illa ignorantia nimiũ craſſa, quod reducitur actus factus ex illa ad naturam actus, qui fieret ex ſcientia, idem tenetur dicere de ignorantia non tam craſſa; magis enim, & minus craſſa non variant naturam actus: eſt ergo defectus eiuſdem naturæ in integritate confeſsionis hoc, aut illo modo: ergo aut neutrum irritat Sacramentum, aut vtrumque idem faciet.

41 Eandem Thomiſtarum ſententiã impugnat P. Suarez tom. de pœ-

ni

nit. diſp. 23. ſect. 4. num. 4. quia ſicut omiſsio ex ignorantia craſſa moraliter eſt eiuſdem rationis cum omiſsione directe voluntaria, ita omiſsio ex quacunque ignorantia, quæ ad peccatum mortale ſufficiat. Meritoque ibi dixit Eximius Doctor, illam differentiam inter ignorantiam culpabilem mortaliter, communem, & ignorantiam craſſam, & ſupinam gratis excogitatam eſſe ab ijs authoribus: nam in iure omnis ignorantia, quæ ad peccandum mortaliter ſufficit, ſi non eſt affectata, vocatur craſſa, vel ſupina, Neque poteſt moraliter explicari, quomodo hi gradus ignorātiæ diſtinguātur; cum omnis negligentia, quæ ad peccandum mortaliter ſufficit, eſſe debeat ſatis gravis, & conſequenter ſatis craſſa, & ſupina. Impugnat etiam eandem ſententiam P. Valentia tom. 4. diſp. 7. queſt. 11. punct. 3. §. *Ego vero* 5. quia *confeſsio, quæ non eſt integra illa integritate, quæ ex præcepto requiritur non eſt vera confeſsio Sacramentalis*, ac proinde eſt invalida. At cōfeſsio, quę ſit ſine diligentia iudicio prudentis ſufficient, non eſt integra ea integritate, qua poſſet, & deberet ex præcepto eſſe: *Ergo non eſt vera confeſsio Sacramentalis* Minorem probat; quia ex ſententia Concilij Tridentini, & Theologorum communi, integritas confeſsionis in eo conſiſtit, vt quis poſt ſufficientem iudicio prudentis diligentiam, confiteatur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt. Hoc autem non facit, qui ex quacunque ignorantia, ſeu negligentia prætermittit diligentiam illam: ergo non facit confeſsionem integram, & cōſequenter, nec validam. Valentiam, Suarium, & Vaz quium ſequuntur communiter noſtri Doctores, non ſolum ij, qui abſolute negant poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, quos citavi diſp. 37. ſect. 2. num. 9. Sed multi alij, qui licet non admittant Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, defectu integritatis confeſsionis, admittunt tamen illud validum, & informe defectu extenſionis doloris, cum P. Suar.

42 His ſuppoſitis ponamus hominem, qui peccat mortaliter peccato omiſsionis, quia non adhibuit totam diligentiam, quam ſub mortali adhibere debebat, in examinanda conſcientia, accedere ad pedes Confeſſarij bona fide exiſtimándo diligentiam à ſe adhibitam in examinanda conſcientia fuiſſe ſufficiētem. Certè in hoc caſu licet bona fides excuſet à ſacrilegio recipiendi abſolutionem Sacramentalem ſine ſufficienti diſpoſitione; tamen illa bona fides non facit vt confeſsio illa ſit integra formaliter & valida; ad hoc enim requiritur, quod quis manifeſtet Confeſſario omnia mortalia peccata, quæ poſt diligentem ſui diſcuſsionem memoriæ occurrunt; ac proinde requiritur, quod præceſſerit diligens conſcientiæ diſcuſsio; quam tamen ille non adhibuit: ac proinde non adduxit ad pedes Confeſſarij eam confeſsionem, quam Chriſtus deſignavit tanquam partem Sacramenti. Ergo ſimiliter, ſiquis poſt diligentem ſui diſcuſsionem recordatur ſuorum peccatorum, & tamen cum accedit ad pedes Cōfeſſarij ſolum ſe accuſat in generali, quod multoties peccavit, bona fide exiſtimans hoc ſufficere ad validum conficiendum Sacramentum; non propterea validum conficiet Sacramentum, quia illa bona fides licet ſacrilegium excuſet, non tamē facit, vt detur Sacramentum, quia non poteſt dari Sacramentum Pœnitentiæ, quin detur confeſsio integra, quam Chriſtus inſtituit vt materiam illius, & partem eſſentialem.

43 Si cui autem non placuerit ſolutio ſupra à nobis data, reſpondere poterit, hominem illum, qui non confitetur ſingillatim omnia peccata mortalia, quæ poſt diligentem ſui diſcuſsionem eius memoriæ occurrunt, ſolumque in confuſo dicit, ſe multoties mortaliter peccaſſe, quia per ignorantiam invincibilem exiſtimat hoc ſufficere ad rectam confeſsionem, & fructuoſam illum in quam hominē facere confeſsionem formaliter integram, & validam. Vnde ad argumentum in forma, reſpondeat admittendo ſequelam, & negando eius abſurditatem, videlicet negando, quod hoc ſit contra Tridentinum Concilium nanque dum confeſsionē integram, quam Chriſtus inſtituit, explicat per hoc, quod quis Confeſſario exponat, *omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſsionem conſcientiam habet*, ſolum declarare, quid per ſe loquendo debeat habere confeſsio integra formaliter: cum hoc tamen componi quod per accidens, vel ratione ignorantiæ invincibilis, vel ratione gravis incommodi, quod pœnitens prudenter timet ſecuturum ſibi, vel alijs, ſi omnia peccata prout ſunt in conſcientia manifeſtet Confeſſario, poſsit non explicare aliqua, vel etiam omnia ſingillatim.

Et

44 Et similiter ad confirmationem, quam adiecimus, respondeat, eum qui ita negligenter examinat suam conscientiam, vt hæc negligentia sit peccatum mortale, non posse post modum bona fide existimare se fecisse sufficientem diligentiam; quia iudicium hoc erroneum non est, ignorantia simpliciter invincibilis, siquidem ortum trahit ex negligentia graviter peccaminosa, ac proinde simpliciter voluntaria, & libera, & non constituit ignorantiam simpliciter invincibilem, & sufficientem excusare sacrilegium confessionis. Quamvis enim supposita negligentia gravi in examinanda conscientia, quæ causa est, vt pœnitens non cõfiteatur omnia mortalia, non adsit nova libertas moralis ad evitandum illum errorem, & consequẽter quamvis non committat novum peccatum in facienda illa confessione, ex illa falsa persuasione, quod præcesserit sufficiens diligentia in discutienda conscientia: tamen simpliciter, & absolute confessio illa, in qua quis tacet aliquod, vel aliqua peccata mortalia ex negligentia examinis graviter peccaminosa, est sacrilega: & confessio ipsa externa est veluti actio exterior, in qua consumatur peccatum, vt supponunt Thomistæ; ex negligentia enim examinis graviter peccaminosa derivatur malitia in oblivionem peccatorum, & ex oblivione peccaminosa, in ipsam confessionem, quæ licet non sit novum peccatum sacrilegij habens malitiam distinctam à malitia illius negligentiæ; est tamen simpliciter peccatum, saltem denominative à malitia illius negligentiæ, cum qua constituit vnum sacrilegium externum, & completum; & verè, & propriè est peccatum, sicut actus externus malus est verè, & propriè peccatum licet malus non esset, nisi libertatem haberet ab actu interno.

44 Vnde illa falsa existimatio, qua pœnitens sibi persuadet, se fecisse sufficientem diligentiã in examinanda conscientia, quin pro tunc illi occurrat aliquis scrupulus; facit quidem, vt pœnitens non cõmittat novum sacrilegium in ipsa confessione; quod planè committeret, si animadvertens se non examinasse sufficienter conscientiam suam, nihilominus cum hac indispositione cognita accederet ad pedes Confessarij; & in hoc sensu potest dici bona fides, nempe secundum quid: non tamen facit vt pœnitens non committat simpliciter sacrilegium in illa confessione: est enim absolute, & simpliciter sacrilegium confessio mutila & dimidiata ex negligẽria graviter culpabili pœnitentis, & defectus ille integritatis imputatur pœnitenti ob suam negligentiam: ac proinde illa falsa existimatio non est simpliciter bona fides, sed est error simpliciter crassus, ac supinus. Ex eoauté quod cõfessio facta cum hoc errore sit invalida, non rectè probatur, quod sit invalida confessio in casu argumenti, quia in hoc posteriori casu, confessio est simpliciter sacrilega, & peccatum mortale propter negligentiam examinis graviter peccaminosam: at in priori casu confessio non est sacrilega; quia supponitur, hominem illum innocenter, & per errorem omnino invincibilem existimare, se non obligari ad manifestandum singillatim omnia peccata mortalia, quæ habet in conscientia, sed sufficere, quod confusè, & generaliter dicat, se multoties peccasse mortaliter. At cõfessione autem sacrilega non bene arguitur ad non sacrilegam; nec ex invalidate illius potest inferri invaliditas istius.

SECTIO QVARTA.

Resolvuntur varij casus.

45 LATISSIME hic agunt Authores de circunstantijs peccatorum in particulari cõprehensis sub illis verbis: *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*; ex singulis enim potest desumi circunstantia mutans speciem, ac proinde necessario manifestanda in confessione. Ego brevitati consulens, solum attingam resolutionem aliquorum casuum frequentius in praxi occurrentium.

46 Quæritur ergo primo, an Sacerdos sæcularis exponens peccatum contra castitatem, teneatur dicere, se esse Sacerdotem? Affirmat communior sententia, sed tamen respondeo negative cum Patre Thoma Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 27. quia votum solemne castitatis annexum Ordini Sacro non differt essentialiter à voto simplici, quare satisfaciet dicendo se peccasse contra votum.

47 Quæritur secundò, an Religiosus peccans contra castitatem teneatur dicere se esse Religiosum. Affirmat Lugo, quamvis neget in casu antecedenti, existimans Religiosum per professionem

nem ſe tradere Religioni, ſicut vxor ſe tradit marito, ac proinde ſicut vxor peccat contra dominium mariti, ita Religioſum peccare contra dominium Religionis. Sed probabilius reſpondeo cum Patre Sanchez lib. 5. de ſtatu Religioſo cap. 6. num. 14. & cum Arriaga diſp. 32. num. 19. ſatis eſſe, ſi dicat ſe habere votum caſtitatis, nam per votum ſolemne caſtitatis non ſe tradit Religioni, ſed ſoli Deo. Vnde infero fœminam, quæ peccavit cum Sacerdote ſæculari, immo & cũ Religioſo, ſatisfacere dicendo ſe peccaſſe cum perſona habẽte votũ caſtitatis.

48 Quæres tertiò, an habens votum caſtitatis debeat hanc circunſtantiam explicare, quando eſt directe cauſa vt alter non habens votum peccet contra caſtitatem. Reſpondeo negative cum Sanchez vbi nuper, num. 10. quia Religioſus per votum caſtitatis promiſit caſtitatem propriam, non alienam. oppoſitum tenet Leander diſp. 8 §. 2. quæſt. 10. citans Cardinalem de Lugo.

49 Quæres quartò, an coniugatus peccans cum cõiungata ſatisfaciat dicendo ſe commiſiſſe adulterium? Affirmat Saa verbo cõfeſsio numero 30. cuius ſententiã à calumnijs vendicat Amadeus, Guimenius, tract. de Matrimonio, propoſitione 12. pro ea multos referens. Sed oppoſitum nobis tenendum eſt cum P. Vazquez, Thoma Sanchez, Læſio, Cardinali de Lugo, & communi ſententia: nam illud adulterium habet duas deformitates pertinẽtes ad diverſas ſpecies, infidelitatis cõtra propriam vxorẽ, alterã alteram iniuſtitiæ contra maritum alterius. Et cõſequenter ad hoc dicendum eſt cum Cardinali de Lugo diſp. 16. n. 41. Religioſum peccantem cum Religioſa debere explicare circunſtantiam proprij voti, & alieni; quia alia ſpecies malitiæ contrahitur ex violatione proprij voti, alia ex cooperatione ad violationem alieni, ad cuius obſervationem quis non tenetur ex voto.

50 Quæres quintò, an deflorator Virginis ſponte conſentientis debeat explicare illam circunſtantiam alienæ virginitatis. Affirmat communior ſententia apud Leandrum diſp. 8. §. 2. quæſt. 16. Sed Cardinalis de Lugo diſp. 16. à num. 218. late probat ibi non eſſe malitiam ſpecie diverſam contra temperantiam, nec contra iuſtitiam, ac proinde ſatis eſſe, quod ille ſe accuſet de ſimplici fornicatione, quam ſententiam tuẽtur etiam P. Vazquez, & Læſius. Imò plurimi ex ijs, qui cenſent exponendas eſſe circunſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, vt Pater Suarez, & Pater Thomas Sanchez.

51 Quæres ſextò, an conſuetudo peccandi ſit circunſtantia neceſſario apperienda in confeſsione. Affirmant Henriquez lib. 5. cap. 8. num. 1. citans Divum Antonium, Tabiennam, Roſellam, Sylveſtrum, & Sotum. Item Fagun. & Candidus. Sed oppoſitum eſt dicendum cum Patre Suarez, Vazquez, Saa, Sanchez, & Cardinali de Lugo, & communi ſententia apud Caſtro Palao, tom. 4. tract. 23. punct. 9. Probatur: nam quod quis ante peccaverit, non eſt circunſtantia, quę augeat peccatum nunc commiſſum, nec dum illud transferat ad aliam ſpeciem: ergo ſi peccata antecedentia iam ritè quis expoſuit, ſatis eſt, quod ſi accuſet de peccato demũ cõmiſſo, niſi forſam Confeſſarius, vt Medicus, ipſum interroget ad applicandam debitã medicinam; tunc enim tenetur reſpondere, vt probavi diſp. 5. ſect. 2.

52 Dices, eum, qui ſæpè repetit idem peccatum conijcere ſeipſum in proximam occaſionem peccandi; talis eſt enim conſuetudo: ergo habet ſpecialem obligationem non faciendi conſuetudinẽ peccandi, ac proinde dum peccat ex conſuetudine violat hãc obligationem. Reſpõdeo, dũ quiſ peccat, nõ advertere, nùm illud peccatum generaturum ſit conſuetudinem, quæ ſit proxima occaſio peccandi, nec teneri ad hoc advertendum, immò, nec poſſe, quia diſcerni nequit, quantus numerus peccatorum ſufficiat ad inducendam eam conſuetudinem.

DIS-

DISPVTATIO XXXXX.

AN QVI SCIENTER EX VERECVNDIA TACET IN CONFESSIONE PECcatum mortale teneatur aliorum confessionem iterare?

SECTIO PRIMA.

Motivum discutiendi pro dignitate hãc quæstionem vbi multa circa praxim audiendi confessiones rusticorum, qui peccata tacuérunt.

1 HANC quæstionem hic pro dignitate tractare decrevi, quia viti aliqui Religiosi ex alijs familijs, qui Apostolicum Missionum ministerium profitentur, me, & per litteras consuluerunt, & viva voce à me quæsierunt, an esset necessarium obligare rusticum, qui peccata mortalia præ verecundia in multis confessionibus tacuit, eas confessiones repetere; si ille nunc bona fide existimat confessiones suas quoad peccata, quæ in illis exposuit, validas fuisse; & forsam id tunc cogitavit. Frequentissime enim postquam Missionarios concionantes audierunt rustici, accedunt ad confessionem, & palam peccata illa, quæ tacuerant, exponunt, & nullum aliud anteactæ vitæ peccatum confitentur; & cum de alijs interrogantur, placidè, & pacatè, & sine vllo scrupulo respondet, se nihil amplius habere in confessione hac exponendum; quia reliqua omnia peccata iam rite in alijs confessionibus exposuerunt: & quamvis confessor iterum atque iterum moneat vt reliqua confiteantur, semper respondent, se iã reliqua cõfessos fuisse. Propter hanc bonam fidem fideliũ simplicium in hanc partem inclinabant Missionarij illi, vt sic iugum Christi emollirent, & confessiones facilitarent; & Confessores ipsos à magno labore discutiendi totam pœnitentium vitam levarent.

2 Et in hanc cogitationem forsam inducti sunt ex lectione cuiusdam libri editi in lingua vulgari à R.P. Iosepho Guevarri Apostolico concionatore Ordinis Sancti Francisci de observantia, Qui zelo animarum fervens, ingenti cũ fructu viginti annorum spacio pleraſque Hispaniæ Provincias verbum Dei annuntians iam peregravit; & adhuc non cesat ab Apostolico Missionum munere; ad quod sectandum verbo, & exemplo plurimos è sua sacra familia Religiosissimos Viros permovit, & in dies movet, qui ipsius vestigia prementes, horrea Christi implent. Hic nanque Apostolicus Vir, & mihi in Christo Religiosa amicitia devinctus, in libro illo, cui titulus, *Noticias singularissimas para los Confessores, noticiæ valde singulares pro Confessoribus.* Fol. 49. num. 106. novissimę editionis Granatensis anno 1676. illam opinionem insinuavit ad levamen, & solatiũ Pœnitentium, & Confessorum: sic enim ,, ait: Y por que se turban, y se hallan ,, muy congoxados muchos Confessores, ,, quando llegan à sus pies algunas perso- ,, nas aviendo callado pecados por ver- ,, guença, y no se atreven à oirlas de cõ- ,, fesion, sin vn prolixo examen, que ,, les mandan que hagan, y en muchos ,, dias; y de veinte no les buelven tres, les ,, quiero poner vn desahogo singular, q ,, por que no sea comun à los seculares, ,, pondrè la question en latin. Et statim proponit quæstionem, eisdem sub terminis, quibus illam disputavit F. Ioannes *Maria de Castilento in Saraphyca Theologiæ Moralis Polyanthæa verb. confessio Sacramentalis* difficultate 33. à quo sumpsit quæ ibi dicit P. Guevarri. Ego illis Religiosis Viris, quibusdam solo verbo, alijs scripto, respondi, illam opinionem mihi videri penitus improbabilẽ, & minimè in praxi tutam; idque nunc probare contendo: *Quia amicus Plato, sed magis amica veritas.* Zelum Patris Guevarri laudo; quia certus sum, eum illam opionem sectandam novellis Missionarijs insinuasse, ex ardenti desiderio iuvandi proximos, & arcendi à periculo æternæ damnationis eos,

qui

qui præverecundia peccata tacent, qui si dimittantur à pedib⁹ Cõfessarij ad examẽ accuratũ faciendũ, ad illum non redeunt, & multi in suis peccatis morientur, nisi Cõfessarij benigne illos excipiant, statim eos audiendo. Zelum, inquam, laudo, sed doctrinã illam non probo, quæ mihi improbabilis videtur, & minime necessaria ad succurrendum necessitati proximorum.

3 Ego sanè vndecim annorum spatio, quo per has Hispaniæ Provincias cõtinuo Missionibus operam navavi, innumeras confessiones generales excipi; contingitq; aliquando vt vna die mensis Maij à primo manè vsque ad horam secundam post meridiem, octo supra sexaginta confessiones generales necessarias ob peccata in confessionibus celata, audirem; sæpissimeque vna die quadraginta, & quinquaginta: & nunquam aliquem, qui peccata tacuisset, audivi quin illum obligaverim ad repetendas illas confessiones, in quibus præ verecundia peccata mortalia tacuerat. Ad excipiendas eiusmodi confessiones, debet Missionarius è pulpito sæpè clamare, confessiones, in quibus præ verecundia celantur peccata, nullas omnino esse, & peccata in illis exposita, iterum manifestanda: idque quotidie inculcare, vel ante concionem, vel in concione, vel post ipsam; orationem Dominicam, vel salutationem Angelicam cum Populo recitando pro his, qui peccata tacent, breviter illos exhorando advincendam verecundiam; & ad reiterandas confessiones cum prava conscientia factas.

4 Debetque rem hanc facilitare, illos instruẽdo, quo pacto conscientiã sunt discussuri, & peccata omnia sinilia ad certas classes reducturi, vt paucis verbis multa Confessario exponant. Debet magno cũ amore, & benignitate hos pœnitentes excipere, illisque animũ adijcere ad manifestanda sua peccata quantumvis fœda; calide eis insinuando, se magnis illis peccatis non terreri, nec sibi admirationem vllã ingerere, vtpotè, qui assuetus sit maiora audire: & quo graviora sibi manifestentur, eo maiori cum gaudio, & consolatione sui spiritus se auditurum confessionem; caveatque, ne illos à suis pedibus dimittat, quousq; ab ipsis expresserit peccata illa fœda, quæ præverecundia tacuerant. Postquã autẽ dulcib⁹ verbis illis persuaserit totũ venenũ occultum evomere, si prudenter timuerit, eos, si semel dimittantur ad examẽ magis accuratum faciẽdum, non redituros ad eius pedes; & eorũ confessio nulla fuerit nimis implexa, non prius à se dimittat, quam confessionẽ generalẽ absolvant. Debet autem confessarius ad eam faciendã illos adiuvare, interrogando per singula præcepta de singulis speciebus peccatorũ, quot nimirum vicibus per singulas hebdomadas, vel per singulos menses cõmisserint tale peccatũ, v.g. iuramẽtum falsum; vel iuramentum grave damnum inferendi proximo, &c.

5 Et sanè cum vita agricolarum, & rusticorũ, & pastorũ, & similium hominũ simplicium sit vniformis, ordinaria, & vt plurimũ non est difficilius eos adiuvare ad faciendã confessionẽ generalẽ viginti annorum, quam vnius. Et experientia docet homines rudes, & simplices non melius discutere suam conscientiã, si sinantur per plures dies peccata vitæ præteritæ recogitare; quã si Confessarius eos interroget singillatim de singulis speciebus peccatorũ. Interroget ergo primũ Confessor de numero peccatorũ, quę tacuerant; animadvertatque, sæpè pœnitentes non verecundari de confitendo speciẽ peccati, verecũdari autem de numero, si sit ingens. Vnde ne numerum taceant, cum primum dixerint, se v.g. peccatum bestialitatis commisisse, statim Confessor sagax interroget, quoties hoc peccatũ comisisti? An millies? An sexcenties? An centies? Pœnitẽs enim hoc audiens, animũ sumit ad manifestandũ integrè omnia sua peccata, quãvis sint in excessivo numero, quem numerum excessivũ non audetet exponere, nisi Confessarius animum ea interrogatione adijceret. Et quia sæpè homines simplices numerũ magnũ explicare solent per centũ, vel per alium numerum affinem; hac explicatione Confessarius non quiescat; sed ad cõperiendũ numerũ interroget per quot annos habuerit pravã illã consuetudinem committendi eiusmodi peccata, an per viginti, an per decẽ? Et cum audierit numerũ annorũ, statim descendat ad hebdomadas, vel menses, sic interrogando: *Quoties autẽ singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus hoc peccatum commisisti?* Et sic sæpissime deprehendet pœnitentẽ, qui bona fide ob suã simplicitatẽ dixerat, se centies commisse illud; comisisse millies, vel bis millies, vt ego expertus sum frequẽtissimè, singulis fere diebus, Missione durante. Postquã numerũ peccatorũ, quę pœnitens tacuerat, cõpererit, cõperire curet, quot confessiones, & communiones crilegas fecerit; quod facile obtinebit, si interroget, quoties quotanis ad Sacra-

mentū pœnitentiæ, & Euchariſtiæ acceſſerit. Poſt hæc ingrediatur præcepta Decalogi, & interroget ſingillatim in vno quoque de ſpeciebus peccatorum, quæ ab eiuſmodi hominibus committi ſolent: interrogando quoties, ſingulis hebdomodabibus, vel ſingulis menſibus, vel ſingulis annis in illa peccata prolapſus ſit.

6 Si autem noverit pœnitentis conſcientiam eſſe aliquantum implexam, & illum eſſe ex alio opido, vel eſſe agricolam, qui non poterit facile alia die reddire, poſtquam varijs interrogationibus, charitatis viſcera oſtendendo, & benigne alloquendo, eruerit omnia peccata mortalia, quæ præ erubeſcentia tacuerat; illum paterne admoneat, vt confeſsionem incæptam interrumpens, per aliquas horas vitam ſuam præteritam recogitet, diſcurrendo per opida, in quibus commoratus eſt, per perſonas, cum quibus egit, & communicationem habuit; per negotia, quæ tractavit, vt ſic in memoriam facilius revocare poſsit peccata, quæ contra ſingula præcepta per ſingulos menſes, vel annos admiſerit; aſsignando illi horam, in qua redire poſsit, promittens, ſe illum auditurum cum primum examine facto advenerit.

7 Si autem perſona, quæ peccata in confeſsionibus per multos annos occultavit, conſcientiam habet valde implexā propter officia, quę exercuit, & negotia quæ geſsit; poſtquam modo aſsignato illi perſuaſerit, vulnera illa occulta manifeſta re; & pœnitens patefecerit omnia, quæ illi ruborem, & verecundiam ingerebant; declaret illi ſtrictam obligationem confeſsionem illam interrumpendi ad recogitanda peccata vitæ prætetitę facrilege in alijs confeſsionibus expoſita; aſsignetque illi aliquos dies, in quibus ſe diſponat ad confeſsionem generalem: & non dubitet, quod ad pedes eius regreſſurus ſit ad finiendam confeſsionē incæptam; poſt quam enim manifeſtavit omnia, quæ præ nimia verecundia antea celaverat; nihil eſt, quod ipſum detineat: & deſideriū excutiendi onus illud graviſsimum, quo per tot annos premebatur, ipſum vehementer impellet; ipſaque victoria, quam iam de verecundia obtinuit, adiget illum ad perficiendum opus incęptum. Ego teſtari veriſsime poſſum, nunquam ad meos pedes acceſiſſe peccatorē, qui non redierit ad faciendam confeſsionē generalem, ſi ſemel ab ipſo prius obtineram, vt antequam diſcederet, manifeſtaret palam omnia peccata, quæ illi verecundiam ingerebant. Quapropter hoc debet Confeſſarius ante omnia curare, vt antequā pœnitenti præcipiat maius examen facere, prius ab illo exprimat, & quaſi extorqueat confeſsionē omnium, quæ verecundiam cauſabant, devicto enim hoc Goliath, facile debellantur cæteri Philiſtæi.

8 His præmiſsis redeamus nunc ad propoſitam quæſtionem, & quia P. Guevarri illam opinionem, non ex proprio ſenſu, ſed ductus authoritate Caſtilenti Confeſſoribus inſinuavit, vt ipſa vrgente neceſsitate vterentur, tota noſtra concertatio erit contra Caſtilentum in ſua Polyanthæ à Seraphyca, à quo Guevarri, & ſententiam, & verba deſumpſit.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur ſententia Caſtilenti, qui excuſat à confeſsionibus reiterandis pueros, ruſticos, rudes, & puelas, qui ex pudore peccata aliqua mortalia in confeſsionibus tacent: oſtenditur que, nullum ex Authoribus, quos pro ſe citat, illam opinionem tradidiſſe; ſed omnes manifeſtiſsime tradidiſſe oppoſitum.

9 IGITVR F. Ioannes Maria de Caſtilento in Seraphyca Theologiæ moralis Polyanthæa verbo confeſsio difficul. 33. ſub his terminis quęſtionem proponit: *Vtrum reiterans confeſsiones inualidas ex culpabili omiſsione, vel numeri determinati, vel etiam circunſtantiarum ſpecie diſtinctarum, teneatur omnia, & iam confeſſa recapitulare, an vero ſufficiat, ſi omiſſa ſuppleat, ſimul cum cauſa culpabili omiſsionis.* Et ſtatim ſub hoc titulo ait, graviſsimos Doctores affirmare, quod ſufficiat, ſi ſolum omiſſa culpabiliter confiteatur, cū cauſa culpabili omiſsionis. Et pro hac ſententia citat Sotum, Canum, Caietanum, Comitoliū, Henriquez, Ledeſmam, Covarrubiam, Ioannem de la Cruz, & Navarrum, additque quod quamvis Bartholomæus à Sancto Fauſto hanc opinionem faciat communem ſolum inter Thomiſtas; *Tamen multos Scotiſtas putare in hanc ſentētiam* deſcendiſſe ſubtilem Doctorē Scotum in 4. diſt. 4. q. 5. & poſtquam retulit fundamentum, quo Subtili Doctori hanc ſententiam tribuunt, ſtatim num. ſequenti ſubiungit hæc formalia verba.

„ 10 Quare Doctores huius opinio-
„ nis excuſandos putant pueros, ruſticos,
„ rudes, puelas, ſi aliquādo ex pudore, vel
„ culpabili oblivione, & cęteros omnes,

qui

„ qui alia cauſa culpabili aliqua peccata, „ vel circunſtantias neceſsarias, vel nu„ merum peccatorum tacuerunt, & om„ nia alia dixerunt; ita vt quando reite„ rare debent confeſsiones, quæ propter „ talia peccata culpabiliter omiſſa, fue„ runt invalidæ, non tenentur peccata „ confeſſa iterum confiteri, quia iam ma„ terialiter fuerunt validè illæ confeſsio„ nes, ſi de illis peccatis confeſsis fuerunt „ attriti ſaltem inſufficienter, ita vt non „ habuerint de illis complacentiam po„ ſitivam; quare ſolum obligandos putāt „ in confeſsione apperire culpabilē omiſ„ ſionis cauſam, & peccata omiſſa, & „ præſentia, ſi habeat: quod probant, „ quia ad recipiendam gratiam requiri„ tur confeſsio omnium peccatorum, & „ dolor; ſed in præſenti caſu adeſt con„ feſsio omniū peccatorum, tum ex pri„ ma, tum ex ſecunda confeſsione, & in „ vtraque etiam dolor, ergo adveniente „ gratia per receſſum fictionis, in ſecun„ da vtraque formatur, cum in primò ca„ ſu adfuerint dolor, & confeſsio pecca„ torum. Hæc ille.

11 Qui ſtatim refert contrariam ſententiā, & eius Authores, nempe Suarez, Vazquez, Valentiam, Coninch, Bonacinam, & Sylveſtrum; & quamvis fateatur illam eſſe probabiliorem; tamen aſſerit priorem eſſe practicè probabilem, ijs verbis: *Etiam opinio hæc prior, tuta conſcientia mihi videtur practicari poſſe, maximè poſt factum ad tollendos ſcrupulos, & vexationes, tam à pœnitentibus, quam à confeſſarijs.*

12 Antequam aſſumptum ſectionis probem, noto hunc Authorem duo incompoſsibilia, & contra primum principium Moraliſtarum aſſerere, vel ſupponere, nēpe confeſsiones illas, in quibus pœnitens aliqua peccata mortalia culpabiliter omittit, eſſe invalidas, & tamen non eſſe reiterandas: quia eſt primum inter Theologos principium, hoc ipſo quod confeſsio ſit invalida, eſſe reiterandam. Vt enim teſtatur Moya tom. 1. Select. tra. 3. diſp. 1. q. 8. n. 2. in fine, omnes ex hoc principio, quod confeſsio ſit invalida, deducunt eſſe iterandam. Et ſimiliter ex eo quod fuerit valida, deducunt non eſſe iterandam. Vnde M. Soto in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. §. *Quæſtio hæc*; tanquam firmum fundamentū facit, & quaſi primum principium. *Quod tria hæc mutuo ſe conſequuntur, ſcilicet, confeſsionem eſſe validam, & per illam impleri præceptum, ſaltem quoad ſubſtantiam, & non eſſe iterandam, & converſo, eo quod non eſt valida, ſit vt nec ſit impletiua præcepti, ac proinde vt ſit iteranda.*

13 Item P. Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. punct. 3. ſtatuit generalem regulam ex communi ſententia Theologorum, *Confeſsionem, ſi valida & vere Sacramentalis fuit, nunquam eſſe neceſſario repetendam, ne ſi informis fuerit quidem.* Ex qua generali regula, aliam generalem deducit, nempe, *Tunc eſſe repetendam confeſsionem, quandocunque, vel ex parte perſonæ, aut officij pœnitentis, vel ex parte etiam Confeſſarij aliquis in confeſsione prius facta ſubſtantialis defectus acciderit, ob quæ ipſa confeſsio valida non fuerit.* Præterea Covarrubias tom. 1. Relect. in cap. Almamater §. 4. in fine vbi ait: Illud eſt om„ nium conſenſu receptum, confeſsionē „ Sacramentalē, hoc eſt ex qua cum ab„ ſolutione verum Sacramentum pœnitē„ tiæ conſiſtit, eam non eſſe iterum faciē„ dam, nec iterandam. Quod ſi ſit aliqua „ confeſsio, ex qua non eſt conſtitutum „ verum Sacramentum Pœnitentiæ, ea „ erit omnino repetenda, & iteranda. Idem ſupponunt paſsim alij Theologi; ſic Victoria 1. 2. n. 160. ait, quando omittitur peccatum mortale ex negligentia affectata, vel nimis craſſa, *Confeſsionem eſſe nullam, ac proinde iterandam.* Si autem omittatur præmiſſa aliqua diligentia, quam pœnitens putavit eſſe ſufficientem, cum tamen revera non fuerit, *Confeſsionem eſſe validam, ac proinde non repetendam.* Et eodem modo loquuntur Cano Relect. de Pœnitent. part. 5. fol. 128. & 129. & Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. concl. 3. & Bartholomæus de Medina in ſuma cap. 12. §. 3.

14 Itaque ex communi conſenſu Theologorum, idem eſt confeſsionem eſſe invalidam, ac eſſe repetendam: ergo dum Caſtilentus ex vna parte aſſerit, ſeu ſupponit, confeſsiones illas, in quibus pœnitens, vel ex verecundia, vel ex negligentia tacet aliquod peccatum mortale, eſſe nullas; & ex alia contendit non eſſe repetendas, pugnat cum communi ſenſu Theologorum, apud quos eſt firmiſsima regula, confeſsionem eſſe invalidam, neceſſario connecti cum eo, quod ſit repetenda.

15 Deinde hic Author ſecum pugnat, dum paulo poſt de eiſdem confeſsionibus, de quib⁹ ſupponit fuiſſe invalidas ob peccata culpabiliter omiſſa, dicit, fuiſſe materialiter validas, ſi de peccatis

tis confessis fuerunt attriti pœnitentes saltem insufficienter. Præterea pugnat cum Concilio dum ait, esse validam confessionem, in qua pœnitens *de peccatis confessis fuit attritus insufficienter, ita vt non habuerit de illis complacentiam positiuam.* Nam si fuisse attritum insufficienter idem est, ac non habuisse complacentiam positivã de peccatis confessis: sequitur posse quem validam, & Sacramentalem conficere confessionem, quin habeat vllum actum doloris, & detestationis peccatorum, siquidem non habere complacentiam positivam de peccatis, & habere dolorem de illis, sunt res distinctæ, & separabiles: fieri enim potest vt quis neque habeat cõplacentiam positivam de peccatis, neque dolorem. At est manifeste contra Concilium, dari Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore positivo de peccatis; siquidẽ Concilium pro materia proxima, & parte essentiali Sacramenti assignat confessionem integram, & dolorem, qui sit detestatio de peccatis cum proposito non peccandi de cætero.

16 Sed his prætermissis, nunc probandum nobis est, nullũ ex Authoribus, quos Castilentus pro se citat, docere, esse validã confessionem, in qua quis ex verecundia tacet peccata. Asserunt quidem Authores ab ipso citati, confessionẽ posse esse validam, & tamen informem, vel ex defectu integritatis, quando nimirũ pœnitens ex negligentia quadam non nimis crassa, graviter tamen peccaminosa, omittit aliquod peccatũ mortale in confessione. Vel quando accedit sine dolore, & proposito efficaci necessarijsad fructũ Sacramenti, accedit tamen cum aliquo vero dolore, & proposito existimans se adducere dolorem, & propositum, ad quæ ex præcepto Christi obligatur. Nullus tamen eorum asserit, esse validam confessionem, in qua quis scienter ex verecundia tacet aliquod mortale; sed potius omnes tanquam certum supponunt esse nullam eam cõfessionem, in qua pœnitens ex verecundia tacet peccatum mortale; & vlterius affirmant non solum in hoc casu confessionem esse nullam, sed etiam quãdo pœnitens omittit mortale ex ignorantia affectata, vel ex ignorãtia nimis crassa.

17 Id constabit evidenter legenti illos Authores in illis eisdem locis, in quibus citantur à Castilento. In primis namque Sotus in quartum dist. 18. quæst. 3. art. 3. à concl. 3. hæc habet: Animadvertendum est enim Caietano, bi„fariam contingere, vt confessio muti„letur, & dimidietur, scilicet directe, & „indirecte. Directe enim mutilatur dum „quis ob verecundiam, aut ex pusillani„mitatem, vel alia causa mortale aliquod „peccatum, & circunstantiam inter con„fitendum silet, & hæc est mutilatio sa„crilega; atque adeo peccatum per se „novum confessionem faciens irritam. „Et eadem ratione si consulto diceret, „nolo facere diligentiam, more illorum, „qui nolũt intelligere, vt bene agãt. Hęc „enim directa est etiam dimidiatio, sicut „cum consulto tacetur peccatum. Secũ„dò potest coetingere indirectè, nempe „dum homo ex culpabili negligentia „omittit legitimam indaginem facere „peccatorum: negligentia enim quando „est crassa reducitur in naturam actus. „Sed est hic valde anotandum, quod non „omnis negligentia, quę homini culpam „impingit, ne fructum Sacramenti sus„cipiat, proinde reddit confessionem in„validam, sed distinguere oportet. Enim „vero dum negligentia adeò est crassa, „& supina, vt nulla prorsus reputetur, „illa confessionem anullat, perinde, ac si „homo nollet facere diligentiam. Sunt „enim homines adeò vecordes, & desi„des, vt videntes se plurimis crimini„bus implicatos, fere nullam faciant „diligentiam: quod perinde est, ac si „nollent facere. Quando vero homo fa„cit diligentiam, quæ apparet sufficiens, „sed reveta non est sufficiens, tunc licet „culpa lateat, vt confessio maneat infor„mis, nihilominus confessio valida est, „quia non est ex intentione dimidiata. „Itaque licet negligentia sit culpabilis „in explorando iure, vel facto, nisi sit „nimium crassa, quamvis pœnitens pec„catum mortale omitat in confessione, „sive ex ignorantia iuris, sive ex ignoran„tia facti, non tenetur confessionem „repetere, & iterare, sed satis est, dum „intellexerit diligẽtiam non fuisse suffi„cientem, negligentiam confiteri, idque „anno sequenti.

18 Hausit hanc doctrinã Sotus ex Francisco Victoria in sum. n. 160. & ex Melchiore Cano Relect. de pœnitentia p. 5. fol. mihi 128. & fol. 129. ex Caietano in summa verbo, *confessio*, in decima conditione; atque ex Paludano in 4. dist. 17. quæst. 5. a. 3. casu 3. quam secutus est postea Bartholomæus de Medina in summa cap. 12. §. 3. estque sententia communis inter Thomistas: lege verba Victore

Victoriæ, & Cani disp. præcedenti sect. vltima.

19 Addit præterea Sotus ea dist. 18. q. 3. a. 3. in 5. concl. alium casum, in quo ex parte pœnitentis confessio potest esse valida, & informis. Sic enim ait: *Vbicunque est aliqua detestatio cum aliquo proposito mutandi vitam, quamuis illa non semper, nec per se, nec per Sacramentum ad gratiam sufficiat, erit validum Sacramentum, si reliqua quidem concurrant, quæ sunt de essentia Sacramenti, vt intentio, & integritas, &c.* Et hæc sententia est etiam communis inter Thomistas. Eandem secutus est Navarrus in Manuali cap. 9. n. 13. Toletus in summa lib. 3. cap. 10. num. 9. Henriquez lib. 5. de Sacrament. cap. 3. num. 9. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 3. versu *Altero modo.*

20 Itaque in duobus tantum casibus admittunt Authores citati à Castilento confessionem validam, & informem ex parte pœnitentis, vel quando desinit integritas ex negligentia graviter culpabili, nõtamen nimis crassa, in discutienda conscientia, vel quando adfuit aliqua detestatio, & propositum, non tamẽ efficax, & sufficiens ad fructum Sacramẽti. Nullus tamen eorum vnquam insinuavit, confessionem in qua pœnitens præverecundia tacet peccatum, esse validam, ac proinde non reiterandam.

21 De Soto, & Cano iam constitit. De Caiet. cõstat ex summa, *Verbo confessionis iteratio*, vbi inquit: *Ex parte pœnitentis vnico tãtummodo redditur confessio necessario iteranda, scilicet si non est integra. Contingit autem hoc dupliciter: vel cum confitens, ex verecundia tacet aliquid necessario dicendum: vel cum tam crasse cogitat de confitendis, vt omittat ea, quæ cõmuniter omnes confitentur.*

22 De Navarro constat ex Manuali cap. 9. num. 14. vbi ait: *Nihil valet confessio, quæ non est integra, eo quod pœnitens sciens, & prudens præ pudore, aut hypocresi, vel alia iniusta causa, omisit confiteri aliquod peccatum mortale.* Et ibidem ait: *Esse communem sententiam cum S. Thom. & Scoto, esse nullam confessionem, & iterandam illam, in qua pœnitens præ verecundia tacet aliquod mortale, atque esse pro hoc textum in Concilio Florentino in decreto Eugenij §. 4.* Constat etiam de Henriquez, qui lib. 5. cap. 3. num. 7. ait: *Si desit integritas confessionis scienter, & sine causa, non est confessio, sed iteranda.* Et idem repetit cap. 4. num. 4. & ibi in margine lit. B. hanc appellat *certam, & communem sententiam.*

23 Constat de Paulo Comitolo, qui in responsis moralibus lib. 1. quæst. 19. num. 10 ait *Verissimum est, neque Christi, neque Ecclesiæ præcepto morem gerere eum, qui non integrè confitetur, præsertim si id sponte faciat, idque certa fide tenendum est.*

24 Constat de Martino de Ledesma, qui in secunda quartæ quæst. 8. art. 2. ait: *Sententia S. Thomæ, quod confessio debet esse integra, ita quod alias non erit confessio, est etiam omnium fidelium Doctorum, &c.*

25 Constat etiam de Ioanne de la Cruz, qui part. 2. directorij tract. de pœnitentia quæst. 3. dub. 9. solum docet posse dari confessionem validam, & informem, siquis accedat ad eam cum ignorantia etiam culpabili sufficientis examinis, & doloris. At ibidem dub. 5. concl. 1. affirmat, *Confessionem omnium peccatorum mortalium secundum numerum, & speciem, quorum recordamur post sufficiens examen requiri per se loquendo ex iure diuino.* Ac proinde esse nullã, & iterandam confessionem, in qua peccata tacentur ob verecundiã. Etiam constat, falso allegari pro ea sententia subtilem Doctorem Scotum, quasi ei faventem: siquidem non minus clarè quam D. Thomas docet iterandam confessionem, in qua pœnitens præ verecundia tacet aliquod peccatum, & ideo Navarrus in Manuali cap. 9. num. 14 in fine pro ea sententia citat S. Thomam, & Scotum, qui illam apertè tenet in 4. dist. 17. quæst. 1. in secundo articulo §. *Item continet.*

26 Nec ei favet in 4. dist. 4. quæst. 5. Quamvis enim ibi §. *Respondeo, rebaptizari, &c.* doceat, eum qui habet septem peccata mortalia, & venit ad Baptismum de sex attritus, & nullo modo attritus de septimo, sed potius cõplacens in illo; verum recipere Sacramẽtum Baptismi, si habeat intentionem suscipiendi Baptismum à Christo institutum, & postea recedente fictione recipere gratiam, nimirum quando dolet de illo septimo peccato, & de sacrilegio quod commisit accedendo ad Baptismum sine detestatione omnium peccatorum: inde nullo modo deducitur, verum Sacramentum pœnitentiæ recipere eum, qui habens sempte peccata mortalia, cõfitetur sex, & tacet vnũ præ verecundia. Et ideo communis sententia Theologorum cum D. Thoma 3. part. quæst. 69. articulo 9. tenet posse quem valide suscipere Baptismum

tismum, licet non accedat dispositus ad percipiendum eius fructum: & tamen cõmunis consensus Theologorũ affirmat invalide suscipere absolutionem, qui scienter aliquod peccatũ mortale tacet ob verecundiã. Disparitas est manifesta; quia attritio, & dolor de peccatis non est pars constitutiva Baptismi; vnde deficiente attritione potest dari vera intentio suscipiẽdi Baptismum, veraque corporis ablutio facta à ministro proferente legitimã formã: quod sufficit ad verũ Sacramentũ conficiendum. At confessio integra est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ: item dolor de omnibus peccatis, quæ in confessione exponuntur, & propositũ non peccandi de cætero: quæ integritas confessionis, & vniversalitas doloris, & propositi deficit in eo, qui scienter ob verecundiam tacet aliquod mortale. Deficiente autem vna parte essentiali, deficit totũ: ergo non conficitur Sacramentũ Pœnitentiæ, quando quis ob verecundiã tacet aliquod peccatum. Nullo ergo modo Scotus favet Castilento.

27 Quare in ipsius Schola cõstans est, cõfessionẽ, in qua tacetur aliquod peccatũ ob verecundiã, esse nullam, & consequẽter reiterandã. Idque tanquam rem explorata supponit Mastrius insignis Schotista recentissimus, in sua Theologia Morali disp. 21. art. 5. n. 189. vbi inquit: „ Ex defectu pœnitetis iteranda est con„ fessio, quãdo pœnitens culpabiliter mor„ taliter integre non confitetur, sed omit„ tit aliquod peccatum in confessione. „ Item si ex omissione examinis culpabi„ li peccatum aliquod contingat omitti. „ Assertio est communis, & quoad pri„ mam partem probatur: quia integra „ peccatorum confessio est de necessita„ te salutis, vt diximus articulo præce„ denti ex Tridentino, sed facta cum illa „ omissione non est integra: ergo rema„ net obligatio faciendi integram, & „ consequenter est repetenda. Nec dicas „ nullibi reperiri obligationem repeten„ di totam confessionem, & in tali casu „ sufficere dicere peccatum omissum. „ quamvis enim nullibi reperiatur expli„ citè, reperitur tamen implicitè; nam „ ex ipsa institutione Sacramenti, & ne„ cessitate confessionis Sacramentalis ta„ lis obligatio sufficiẽter deducitur; cum „ enim ad salutem necessarium sit omnia „ peccata mortalia confiteri ad absolu„ tionem, & remissionem obtinendam, „ & per confessionem illam mutilatam „ non sint absoluta neque remissa, rema„ net semper obligatio ea dicendi, & eo „ modo, quo sint absolutionis capacia: „ hoc autem fieri nequit, nisi simul di„ cantur, quia dimiditam à Deo sperare „ veniam impium est, vt est commune „ Theologorum adagium.

28 Covarrubias tomo 1. Rele„ ction. in cap. Almamater §. 4. num. 2. „ si quis, proponit dubium de illo, qui in„ tegrè omnia peccata mortalia confite„ tur nullo ex certa scientia omisso, & „ habet attritionem adeò imperfectam „ vt virtute Sacramenti contritus non „ fiat; immò sacrilegus sit ex eo, quod „ irreverenter tantum suscipiat Sacra„ mentum, quod ei concedendum non „ erat: an huius confessio, cui accesit ab„ solutio, sit repetenda? Et post modum ponit tertiam conclusionem, in qua cum Caietano, cum Cano, & Soto, asserit, *Talem pœnitentem, si integrè confiteatur, Sacramentalem facere confessionem, sibi tamen tunc minimè efficacem propter obicem Sacramento positum.* Vbi, vt vides, planè supponit, pœnitentem si integrè non confiteatur, invalidam facere confessionem: solumque ibi docet non esse iterandam confessionem integram factam cum dolore imperfecto, & inefficaci, qui simul cum Sacramento non sufficit ad causandam gratiam.

29 Diana part. 3. tract. 4. resolut. 65. solum inquirit. An detur confessio valida, sed informis, non solũ respectu examinis, sed etiam respectu doloris? Et respondet affirmative cum communi Thomistarũ, & cum Henriquez, asseritque esse verum Sacramentũ, primo quando pœnitens integrè confitetur cum aliquo formali dolore, & proposito excludente voluntatem peccandi, & tamen non habet dispositionem primæ gratiæ à Christo institutam. Secundò si quis ex negligentia, & ignorantia culpabili oblitus est quorũdam mortalium, & tamen in animo habuit facere integrã confessionem. Certũ ergo est Dianã nihil favere Castilento.

30 Sed quia iste Author in fine illius quæstionis dicit, suam sententiam saltem docere Navarrum in cap. Fratres de pœn. dist. 5. n. 81. & lib. 5. consil. tit. de pœn. & remiss. iterum ad Navarrum regrediamur, ostendamusq; ad oculũ, Navarrũ nihil habere, quod faveat illi opinioni.

31 Igitur Navarrus tom. 1. suorum operum in illud caput Fratres titulo de Pœnitentia numero 35. solum docet

docet, id quod postea docuit in Manuali cap. 9. num. 13. nimirum posse dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ob imperfectionē doloris, & propositi: Si tamen displiceant peccata ,, præterita, & futura proponantur vitanda; neque tam vitanda proponantur, ,, vt ex eis confletur contritio delendis ,, peccatis sufficiens, neque attritio sit talis, quæ per Sacramenti adiunctionem ,, fiat contritio, non oportet confessionē ,, iterare. Ibidemque numer. 37. expressè affirmat dari obligationē repetendi confessionem, quando non fuit integra ,, omnium peccatorum; vel quia præ verecundia tacetur aliquod necessario ,, dicendum, vel tam ærasè de confitendis cogitat, vt omittat ea, quæ communiter omnes confitentur, puta si non haberet animum abstinendi à mortalibus, quod etiam mulierculę solent explicare.

31 Nec in num. 81. illius capitis, quem Castilentus allegat, illi favet. Nam ibi agit Navarrus de diligētia examinis requisita ad valorem confessionis; ,, & postquam num. 79. dixerat: In hac ,, re valde quotidiana tantam diligentiā ,, esse necessariam, & sufficere, quanta ,, prudenti viro humano modo rem æstimanti necessaria videbitur: vel quanta ,, videtur sufficiens, vt plurimum homi- ,, nibus, qui eiusdē sunt conditionis, cuius ,, est is, qui illam diligentiam adhibet, ,, modo bona fide putet esse pro sua fragilitate mediocrem. Post modum num. ,, 81. addit: Ex quo infero (quod me cō- ,, solatur, lenitque dolorem, & timorem ,, quo ante huc frequenter augebar timens, raros esse homines gregales, qui ,, sufficienti cum indagine cōfiterentur.) diligentiam aliquantulam cum proposito, & voluntate obediendi, & respondendi Confessario, quoniam scit, de ,, more illum interrogaturum, præsertim ,, si novit, vel putet ipsum in hac re Virū ,, dexterum; & cum voluntate, ac bona ,, fide, qua putat se satisfacere, sufficientem debere putari: maioremque diligentiam apponendam esse per eum, qui ,, adeò dexterè proponit confiteri, vt ,, confessarium levet interrogādi onere, ,, & putat se nihil, vel parum ab illo interrogandum: quam eum, qui bonam ,, partem spei integrè confitendi in per- ,, contationibus Confessarij ponit. Quod ,, ideò facit, quia nescit aliter ipse, quæ ,, peccavit, per loca illorū propria quę- ,, rere; quod mihi videtur quasi toti vulgo commune, ac frequens. Hæc prudentissimè Navarrus, sed hæc nihil habent communè cum opinione Castilenti de non repetenda confessione, in qua præ verecundia tacentur peccata.

32 In *Consilijs* autem tit. de pœnit. & remiss. nihil dicit favens Castilento. Siquidem *Consilio* 1. docet confessiones bona fide factas Sacerdoti non habenti potestatem, cognito defectu esse reiterandas. Ergo à fortiori reiterandæ erunt confessiones, in quibus pœnitens tacet ob verecundiam, vel pusillanimitatem aliquod mortale.

33 In *Consilio autem* XI. solum docet, quod vbi pœnitens bona fide putat se sufficienter in præcedentibus confessionibus fuisse confessum, non tenetur Confessarius illum interrogare, an confessus sit peccata secundum numerum, etiamsi Confessarius suspicetur, seu putet illum numerum non expressisse; modo ,, pœnitens nec dubitet circa hoc, nec ,, exprimat se alias numerum non explicuisse: quia id (inquit Navarrus) non ,, videtur iure cautum, neque vlla efficaci ratione probari, & quia qui nimium ,, emungit, elicit sanguinem. Prov. 30.

34 Maiori cum colore posset Castilentus in favorem suæ opinionis adducere id quod idem Navarrus dicit tom. 1. tit. de pœnit. dist. 5. in cap. *Consideret*, §. *Cautus*, num. 5. vbi ait: *Dicendum videtur primo, quod nulla ratio reddi potest, quæ sola necessario concludat, hanc integritatem confessionis esse omnino necessariam.* Idque probat; quia si aliqua ratio concluderet integritatem confessionis esse omnino necessariam, maxime ratio adducta à D. Thoma in 4. dist. 17. q 3. art. 4. quæst. 2. quia est omnium optima, quæ à Doctoribus sunt excogitatæ; & tamen illa intentum non concludit, siquidem satis efficaciter impugnatur à Durando.

35 Verum verba hæc Navarri, nulla cum probabilitate possunt allegari ad probandum, ipsum sentire, confessionem, in qua tacetur aliquod peccatum mortale ob verecundiam, esse validam. Sed solum ostendunt, sententiam communem Theologorum, quod integritas confessionis sit necessaria ad salutem, & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, non posse manifesta, & evidenti ratione demonstrari. Quamquam autem non possit sola ratione demonstrari veritas sententiæ communis; probatur tamen efficaciter ex definitione Tridentini, & ex

jure Canonico. Et ipse Navarrus id probat. Et quamvis ibi num. 7. concedat textum delumptum ex hoc capite, *Consideret* num. 5. in quo dicitur: Cautus sit „ pœnitens, ne verecundia ductus divi„ dat apud se confessionem, vt diversa „ velit diversis Sacerdotibus manifestare: „ quædam enim vni celat, quæ alijs ma„ nifestanda reservat, quod est se laudare, „ & ad hypocresim tendere, & semper „ venia carere, ad quam per frustra to„ tam putat pervenire. Quamvis inquâ ibi concedat, hunc textum, qui in hac materia habetur præcipuus, non probare necessario cõfessionem peccatorum semper debere esse integram, sed quod non debet dividi ex verecundia, vel hypocresi. Tamen ait: *Caput omnis*, latis hanc conclusionem probare. Sic enim habetur lib. 5. decretal. tit. 38. qui est de pœnit. & remiss. cap. 12. *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Deinde probat Navarrus, hanc consuetudinem confitendi omnia peccata mortalia vni eidemque Sacerdoti semper in Ecclesia Christi viguisse ab ipsius primordijs. Polletque Navarrus conclusionem hanc multo validius probare ex Tridentino, vt nos infra probabimus. Et sanè quamvis hic Author concedat, ex illo textu, *Cautus sit pœnitens, &c.* non sufficienter probari, confessionem peccatorum semper debere esse integram, tamen dum fatetur, non debere dividi ex verecundia, vel hypocresi, hoc ipso concedit, ex hoc textu constare esse nullam confessionem, in qua pœnitens ob verecundiam tacet peccatum mortale.

36 Tantumque abest, vt Navarrus faveat opinioni Castilenti existimantis esse validam confessionem in qua rustici, & simplices tacent aliquod mortale ob verecundiam; vt nunquam admittat Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ob defectum integritatis: sed potius contra Thomistas asserat, quoties quis in confessione omittit aliquod peccatum mortale ex negligentia graviter peccaminosa in examinanda conscientia, illam confessionem esse nullam, & reiterandam: solumque admittit Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ob imperfectionem doloris, & propositi.

37 Quod autem res ita se habeat, constat ex Manuali cap. 9. num. 16. vbi „ ait: Qui confessus est non adhibita sufficienti diligentia, qua peccata com„ missa in memoriam revocaret, & ob „ id aliquod peccatum omisit, debet „ confessionem repetere, quoniam pa„ titur defectum essentialem ex parte cõ„ fessionis, siquidem culpa sua non extitit „ integra.

SECTIO TERTIA:

Ex communi consensu Theologorum certum est, esse invalidam, ac proinde reiterandam omnem confessionem, in qua pœnitens ex verecundia tacet aliquod peccatum mortale.

38 REM ita se habere constare poterat ex dictis sect. præcedenti. Sed vlterius suadetur in medium proferendo aliqua testimonia illustrium Theologorum. In primis id testatur Franciscus Victoria Ordinis Prædicatorum Primarius olim in Salmanticensi Academia Antecessor in summa Sacramentorum num. 146. vbi „ sic habet: Quæritur, an oporteat, quod „ confessio sit integra? Respondeo ex „ sententia omnium, quod sic, alias est in„ valida, sacrilega iteranda, Et num. 157. „ vbi ait: Si confessio est informis, quia „ ex intentione non est integra, confessio „ non est valida, sed iteranda, & in hoc „ omnes conveniunt, & ita firma fide te„ nendum est. Sic enim definitur in Cõ„ cilio Florentino, & in Tridentino.

39 Secundò, Melchior Canus eiusdem Sacræ Familiæ, & Primarius quoque olim in eadem Academia Antessor idem testatur, & probat in summa Sacramentorum part. 5. fol. mihi 102. & „ 103. Primum igitur, (inquit) confes„ sionem integrã esse debere, apud Theo„ logos exploratissimum est; vt patet in „ 4. dist. 16. & 17. vbi de ea re ab Scho„ lasticis Theologis disseritur. Habetur „ autem manifestè huius assertionis defi„ nitio in Concilio Florentino: vbi po„ stea quam decretum est, confessionem „ esse huius Sacramenti materiam: ad „ confessionem id pertinere definitur „ vt quis omnia peccata sua, quorum me„ moriam habet, integre confiteatur: & „ Concilium Lateranense in cap. omnis „ vtriusque sexus de pœnitentijs, & re„ missionibus, omnia (inquit) peccata „ sua proprio Sacerdoti confiteatur. „ Quod etiam vsu totius Ecclesiæ decla„ rari facile potest; nam, qui tacet ali-

quod

„ quod peccatum mortale, cum commu-
„ ni consensu fideles damnant. Denique id probat rationibus adductis à D. Thoma ad id probandum in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncul. 2. Itaque M. Cano furat hãc veritatem esse definitam à Florentino, ac proinde esse de fide.

40 Idem arbitratur Eximius Doct. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 1. n. „ 4. his verbis: Dicendum est de necessitate huius Sacramenti esse, vt pœnitens „ omnia peccata mortalia post Baptismũ „ cõmissa eidem Sacerdoti in eadem confessione, seu in ordine ad eandem absolutionem, quantum moraliter potest „ confiteatur. Conclusio est de fide, quæ „ sumitur ex Concilio Cavilonensi cap. „ 32. & Lateranensi in cap. *Omnis vtriusque sexus, & Florentino in decreto Eugenij*, quatenus docent, ac præcipiunt omnia peccata eidẽ confiteri: nã quoad hanc partem non condunt novum ius, sed explicant divinum. Expressius tamen hoc definit Tridentinum sess. 14. cap. 5. & Can. 7. dicens: *Qui scienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit*, his verbis declarans talẽ confessionem esse nullam, & consequenter contrarium esse de necessitate Sacramenti. Præterea de hac re habemus perpetuã Ecclesiæ consuetudinem, quam cernimus & eius principium ignoramus. Hæc ibi Suarez, qui post modum eandem conclusionem probat authoritate Patrum, Augustini, Clementis I. Cypriani, Leonis Papæ, Hieronymi, Gregorij Nisseni, & Tertulliani, & in eadem disp. & sect. n. 10. ait, integritatem confessionis, *non solum esse obligationem præcepti, sed necessitatem Sacramenti.*

41 Eodem modo loquitur Pater Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1. col. 1462. *Necesse est* (inquit) *omnia peccata mortalia secundum speciem, & num. confiteri, quæ post diligentem conscientiæ examinationem memoriæ occurrunt*, atque, *de hac assertione non esse vllam controuersiam apud Catholicos*: Idque probat tum ex institutione huius Sacramenti, tum ex testimonio, & vsu totius antiquitatis. Addit que, ita esse definitum in Concilio Florentino in decreto vnionis. Et in Tridentino sess. 14. cap. 5. & Can. 6. *Cum enim ibi dicitur omnia peccata mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrũt, esse confitenda, de omnibus est sermo simpliciter.* Ergo ex mente tot illustrium Doctorum, omnino est certum, esse invalidam, ac proinde repetendam confessionẽ omnem, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod peccatũ mortale, ac proinde oppositum est omnino improbabile, non solum practicè, sed etiam speculativè. Immò ex mente Victoriæ, Cano, Suarij, & Valentiæ, cum hæc assertio sit de fide certa, opposita ex mente ipsorum non solum est improbabilis, sed aliquid amplius. Ego ab omni alia censura abstineo, & penitus improbabilem, & in praxi minime tutam censeo.

42 Quare (vt inquit Tannerus „ tom. 4. disp. 6. quæst. 7. num. 32) con-
„ fessio semper, ac in omni casu debet es-
„ se saltem formaliter integra, ita scilicet „ vt pœnitens omnia sua peccata morta-
„ lia, nunquam antea confessa, quantum „ moraliter potest, & intelligit, Sacerdo-
„ ti exponat; neque in prætereundo eius-
„ modi aliquo peccato, mortale peccca-
„ tum admittat. Hanc assertionem cum „ S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. & cum „ Magistro in 4. dist. 15. supponunt om-
„ nes Theologi; qui omnes in eo conve-
„ niunt, hanc integritatem, non solum „ necessariã esse necessitate præcepti, sed „ etiam Sacramenti; ita vt sine illa Sacra-
„ mentum, nec validum quidem existat.

43 Vnde cum ex Tridentino sess. 14. cap. 5. constet, *Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere*: necessario infertur, confessionem formaliter integram peccatorum post Baptismum commissorum esse necessariam ad salutem, vel in re, vel in voto: ac proinde infertur confessionem in qua ob verecundiam aliquod peccatum mortale tacetur, repetendam esse ex præcepto divino, quia cum is, qui ob verecũdiam aliquod mortale tacet, non faciat confessionem formaliter integram; & cum confessio formaliter integra ex institutione Christi sit necessaria ad salutem, & vnusquisque teneatur ex præcepto naturali, & divino ponere medium necessarium ad salutem; consequens fit, vt is, peccatum mortale ex verecundia tacuit, teneatur confessionem repetere. Et ideo P. Vazquez 3. p. quæst. 92. art. 3. dub. 2. merito dixit: *Quando excommunicatio fuerit nota pœnitenti, & cum ea scienter accedit ad confitendum, omnes conuenire confessionem esse nullam defectu integritatis, & quia ponit obicem, ac proinde esse reiterandam.*

SEC;

SECTIO QVARTA.

Probatur ex Concilio Tridentino, esse nullam, & reiterandam, omnem confessionem, in qua ob verecundiam tacetur peccatum mortale.

44 ITA argumẽtor primò: Tridentinum sess. 6. cap. 14. definit: *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à Baptismali, eaque contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem confessionem.* Ergo iuxta Tridentinum constat Sacramentum Pœnitentiæ confessione tanquam parte; & quidẽ essentiali, sine qua nequit consistere substantia Sacramenti; alioqui posset quis voluntarie omittere confessionem peccatorum, & tamen suscipere valide Sacramẽtum, quod constat esse falsum: est enim quoddam totum morale constans actibus pœnitentis tanquam materia; & verbis Sacerdotis tanquam forma. Totum autem deficit, deficiente quacunque parte: sic deficit equus deficiente materia, aut deficiente forma.

45 At confessio, quam Concilium definit esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, est confessio integra: non quidem integra materialiter: quia certum est, verum conficere Sacramentum eũ, qui non confitetur peccatum mortale, cuius inculpabiliter oblitus est, dum modo confiteatur omnia, quę post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt: ergo confessio integra formaliter est pars essentialis Sacramenti Pœnitentię: ergo non conficit Sacramentum Pœnitentiæ ille, qui non exhibet confessionem integram formaliter, sed potius formaliter mutilam, & dimidiatam, tacendo scilicet ob verecundiam peccatum mortale. Ergo cum Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione sit medium necessarium ad salutem pro ijs, qui lapsi sunt post Baptismum; sicut Baptismus est medium ex Christi institutione necessarium ad remissionem omnium mortalium, quæ homo admisit, vel contraxit ante absolutionem Baptismalem: sequitur, eum qui nõ confessus est integre formaliter sua peccata mortalia post Baptismum commissa, non adhibuisse, vel non suscepisse mediũ sibi necessarium ad salutem: ergo tenetur adhibere illud medium, confitendo scilicet integre illa ipsa peccata, quæ invalide, & sine integritate essentialiter requisita confessus fuerat. Ergo tenetur reiterare illam confessionem, in qua malitiose tacuit peccatum mortale.

46 Argumentor secundò; quia vt definit idem Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere.* Post modũ autem explicans hanc integritatem confessionis à Christo institutam docet consistere in eo, quod à pœnitentibus, *Omnia peccata mortalia in confessione recenseantur, quorum post diligẽtem sui discussionem conscientiam habent.* Verba Concilij sunt hæc: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent*, in cõfessione recenseri. Ergo pœnitens, qui post diligentem sui discussionem non recenset omnia mortalia, quorum conscientiam habet, sed aliquod malitiose tacet ob verecundiam, & committendo sacrilegium, non facit confessionem, quam Christus instituit pro parte essentiali Sacramenti Pœnitentiæ: ergo non suscipit Sacramentũ Pœnitentiæ, quod ex Christi institutione omnibus post Baptismum lapsis est necessarium: ergo perinde tenetur iterum confiteri ea peccata mortalia, quæ in confessione invalida exposuit, ac si nunquam ea peccata confessus fuisset; nam confessio invalida, & nulla non adimplet præceptum Christi; ergo tota vis præcepti divini de suscipiendo Sacramento Pœnitentiæ ad impetrandum veniam peccatorum commissorum post Baptismum viget respectu illius, qui malitiose tacuit peccatum mortale: ergo tenetur iterum illa peccata confiteri faciendo cõfessionem integram illorum peccatorum, per quam præceptum diuinum impleat.

47 Quare licet ipse bona fide existimaret, se non esse obligatum iterum confiteri illa peccata (quam tamen bonã fidem habere, est difficillimum, quia vnusquisque tenetur scire ea quæ sunt necessaria ex parte sui ad valide suscipiendam absolutionem Sacramentalem; quare ignorantia ista videtur nimis crassa, & supina) quæ exposuit in cõfessione, in qua tacuit malitiose, & sacrilege aliquod mortale: tenetur Confessarius illi veritatem aperire; quia certus est Confessarius, illum non fecisse confessionem validam;

quam-

quamvis eo tempore quo dimidiatè confessus est existimaret per impossibile bona fide, confessionem illam esse validam, siquidem error ille non mutat essentias rerum, neque facit vt sit pars constitutiva Sacramenti confessio formaliter non integra, quando quidem Christus pro materia huius Sacramenti assignavit dumtaxat confessionem formaliter integram. Confessor ergo sciens illam confessionem fuisse nullam; & aliunde sciens per definitionem Tridentini Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium ad Salutem omnibus post Baptismum lapsis, tenetur admonere pœnitentem de obligatione repetendi illam confessionem invalidam, & adhibendi medium necessarium ad salutem, nempe confessionem formaliter integram peccatorum. Quemadmodum si aliquis homo in Christum credens non esset reipsa baptizatus, & bona fide crederet se esse baptizatum, eius Parrochus, vel Episcopus id sciens teneretur illum admonere vt Baptismum susciperet. Si vero vrgeret mortis periculum, & non daretur aqua, quæ est materia necessaria ad valorem Baptismi; tenererur illũ admonere, vt eliceret actum contritionis, & haberet expressum votum, seu propositum recipiendi Baptismum, cum occurret oportunitas illum recipiendi, quia Baptismus in re, vel in voto est necessarius ad salutem; in re quidem, quando adest facultas illum recipiendi; in voto, quando facultas illa abest. Quod probat D. Thom. in 3. p. quæst. 65. art. 4. & q. 84. art. 5. quia peccator non salvatur, nisi applicetur ei passio Christi, vel in re vel in voto; *Non est enim aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri*, vt dicitur Act. 4. Passio autem Christi applicatur in Sacramentis; in Baptismo quidem ijs, qui ante Baptismum peccaverunt: in pœnitentia vero his, qui peccaverunt post Baptismum. Quod rursus probat, quia ægroti, nisi per aliquod remedium salutis sanari non possunt Math. 9. *Non est opus valentibus medio, sed male habentibus.* Sacramentum autem pœnitentiæ est medicina salutis præparata à Christo pro his, qui post Baptismum labuntur in peccata mortalia. Quare si vrgeret mortis periculum, & Confessor sciret, pœnitentem feciſse confessiones sacrilegas celando ob verecundiam peccata mortalia, deberet ipsum monere, vt faceret confessionem generalem de omnibus peccatis, neque posset obsolvere, si nollet confiteri, quamvis prætexeret, se bona fide semper existimasse illas confessiones fuisse validas. Vt enim optimè inquit P. Vazquez 3. p. quæst. 84. art. 5. dub. vnico num. 14. „ Certissimum apud omnes est, cum in„ stat necessitas, & adest oportunitas ac„ cipiendi hoc Sacramentum, sic esse „ vnicum medium ad delenda peccata, „ vt suppleri non possit contritione: non „ quia si contritio esset, non sufficeret, „ quæ semper sufficiens fuit, sed quia ta„ lis spiritus compunctionis non donare„ tur à Deo nolenti suscipere confessionis „ Sacramentum, cum instat necessitas, & „ adest opportunitas.

48 Similiter quando vrgeret præceptum recipiendi Eucharistiam, non posset Confessor absolvere pœnitentem, qui tacuit peccata mortalia in alijs confessionibus, & nollet modo illas confessiones repetere, & quamvis nõ vrgeret præceprum confessionis, vel communionis; sed pœnitens ab obtinendã veniam peccatorum mortalium accederet ad Sacramentum pœnitentiæ, & diceret, se in alijs confessionibus tacuisse peccatum mortale, non posset ipsum absolvere, si nollet reiterare confessiones illas, quia cum Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto sit necessarium ad salutem; & votum Sacramenti nequeat habere locum, quando adest opportunitas suscipiendi Sacramentum, & quis expressè vult Sacramentum illud, nec tunc, nec postea recipere, certè tunc non habet aliud remedium ad impetrandam veniam peccatorum, quam exponere illa peccata in cõfessione. Quare si ille ex falsa imaginatio iudicaret confessiones præteritas fuisse validas quoad peccata in ipsis expositа, & haberet animum nunquam iterum cõfitendi ea peccata, sed ea dumtaxat quæ tacuit, & illa, quæ post prædictas confessiones commisit, deberet Confessor illi varietatem aperire: & nolentem repetere confessiones deberet à suis pedibus, abijcere; quia non accederet dispositus, sed vellet obtinere remissionem peccatorum moralium sine confessione valida illorum peccatorum; & sine voto illius sine confessione quidem, quia non vult facere confessionem integrã omnium peccatorum, quæ sola est valida: sine voto autem, quia nequit votum confessionis validæ, & Sacramentalis consistere cum voluntate efficaci nunquam confitendi integrè in vna confessione omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habet

pœni-

pœnitens: ille autem haberet voluntatem efficacem nunquam exponendi simul omnia peccata mortalia, quorum conscientiã habet, & nunquam integrè expositi in vna confessione.

Argumentor tertiò ex illis verbis Con-
„cilij sess. 14. cap. 5. Cum vniversa pec-
„cata mortalia, etiam cogitationis, ho-
„mines iræ filios, & Dei inimicos red-
„dant, necesse est omnium veniam cum
„aperta, & verecunda confessione à Deo
„quærere. Itaque dum omnia, quæ me-
„moriæ occurrant, peccata Christi fide-
„les confiteri studeant, omnia divinæ mi-
„sericordiæ agnoscenda exponunt; qui
„vero secus faciunt, & scienter aliqua
„retinent, nihil diuinæ bonitati per Sa-
„cerdotem remittendum proponunt, si
„enim erubescat ægrotus vulnus Medico
„detegere, quod ignorat, medicina non
curat. Ergo iuxta Concilium, qui aliqua mortalia scienter retinent, non faciunt confessionem validam illorum, quæ confitentur; si eum confessionem validam efficerent, aliquid Sacerdoti remittendũ proponerent, nempe illa peccata, quæ confitentur. At nihil remittendum proponunt: ergo nullius peccati confessionem validam faciunt.

49 Confirmatur ex Canone 7. eiusdem sessionis, vbi sic habetur: Siquis
„dixerit Sacramento Pœnitentiæ ad re-
„missionem peccatorum necessarium nõ
„esse confiteri omnia, & singula peccata
„mortalia, quorum memoria cum debita
„& diligenti præmeditatione habeatur,
„etiam occulta, & quę sunt contra duo vl-
„tima Decalogi præcepta, & circunstan-
„tias, quæ peccati speciem mutant &c.
anathema sit. Respondebis Concilium non loqui ibi de his, quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, sed tantum de ijs, quæ necessaria sunt ad eius fructum, nempe ad impetrandam gratiã habitual em, per quam remittuntur peccata mortalia: sufficere ex definitione Cõcilij haberi, integritatem illam confessionis, in qua nihil quis scienter retineat, tacendo ob verecundiam aliquod mortale, esse necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, ac proinde ex illa definitione tolum haberi, nullum peccatum remitti in confessione, in qua malitiosè tacetur aliquod mortale.

50 Sed contra primò, quia si is, qui tacet scienter aliquod mortale, validam nihilominus facit confessionem, ergo quamvis tunc non remittatur illi peccatũ mortale, quæ confitetur, propter obicem, id est propter sacrilegium, quod cõmittit tacendo peccatum aliquod mortale; tamen postea recedente fictione, cum scilicet pœnitens confessus fuerit peccatum mortale omissum in priore confessione, & se accusaverit de sacrilegio, quod commisit tacendo in illa confessione aliquod peccatum mortale; postea inquam, ex vi Sacramenti pœnitentiæ valide susceptι, directe remittentur peccata mortalia in priori confessione exposita: vbi enim datur Sacramentum validum, sed informe; postea recedente fictione, formatur Sacramentum illud, id est vi illius confertur gratia sanctificans. At hoc est absurdum, & contra definitionem Concilij. Si enim res ita se haberet, falsum esset absolute pronuntiare, eos, *Qui aliqua scienter retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponere.* Siquidem si confessio illa esset valida, pœnitens exponens in illa alia peccata, omnia illa divinæ bonitati per Sacerdotem remittenda proponeret, non quidem pro tunc quando adest fictio, & tacetur aliquod peccatum mortale sacrilege, sed postea, quando recedit fictio, & pœnitens confitetur peccatum, quod prius tacuerat, & se acusat de sacrilegio. Vnde esset falsa illa vniversalis negativa, quæ non limitatur ad instãs illud, in quo datur absolutio valida, & informis, sed sine vlla temporis limitatione affirmat, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponere pœnitentem, qui in confessione sacrilege tacet aliquod peccatum mortale: si enim non obstante, quod confessio sit dimidiata, & sacrilega, nihilominus est valida, & valide confertur absolutio, aliquid pœnitens divinæ bonitati per Sacerdotem remittendũ proponit, nempe omnia peccata, quæ in illa confessione exponit; hæc enim postea recedente fictione directè remittuntur in illa sententia vi confessionis prioris, quæ valida fuit.

51 Contra secundò, quia cum Sacramentum confessionis institutum sit à Christo ad remissionem peccatorum, in quæ fideles post Baptismum labuntur, certè quod est necessarium ex parte confessionis ad illum finem obtinendum, est quoque necessarium ad validitatem talis confessionis. Atqui integritas formalis est necessaria ad hoc vt remittantur peccata in confessione: ergo eadem integritas erit necessaria vt confessio sit valida, & Sacramentum constituat. Et sanè cum

Con-

Concilium Florentinum, & Tridentinũ vnam, & eadem confeſsionem aſsignent vt partem Sacramenti Pœnitentiæ, & vt medium, & inſtrumentum ad obtinendam gratiam ſanctificantem, & remiſsionem peccatorum; gratis, & ſine vllo fundamento aliter loquuntur aduerſarij de confeſsione vt eſt pars Sacramenti, & de confeſsione vt eſt remiſsiva peccatorum; requirentes integritatem ad hoc ſecundum, & non ad illud primum.

52 Contra tertiò, quia confeſsio eatenus eſt pars Sacramenti, quatenus ex Chriſti inſtitutione requiritur ad remiſsionem peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum: ergo ſi ex Chriſti inſtitutione requiritur confeſsio formaliter integra ad remiſsionem peccatorum, etiam ex Chriſti inſtitutione requiritur confeſsio formaliter integra, vt ſit pars Sacramenti: ergo confeſsio non integra formaliter, ſed ſacrilege truncata, & dimidiata, non eſt valida, neque Sacramentum conſtituit: ac proinde illa confeſsio eſt iteranda. Reliqua conſtant. Antecedens probatur ex Tridentino ſeſs. 14. cap. 3. vbi hęc habet: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſsio, & ſatisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſsionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione, partes pœnitentiæ dicuntur.* Dicuntur autẽ pœnitentis actus à Concilio, quaſi materia vt explicat Sotus in 4. diſt. 14. q. 1. & ex illo Catheciſmus iuſſu Pij V. editus, *Non quia non ſint vera materia, ſed quia non ſunt materia extrinſecus appoſita, vt aqua in Baptiſmo, & Chriſma in Extrema Vnctione.* Vel vt explicat P. Suarez diſp. 18. de pœnit. ſect. 2. num. 4. *Non quia eo modo quo in Sacramentis eſt materia, hæc non ſit propria materia Sacramentalis, ſed vel quia tota materia Sacramentalis non eſt propria, ſed per analogiam ſic appellatur, vel quia hæc materia non eſt ex aliquo elemento, ſeu corpore ſenſibili, ſicut eſt in alijs Sacramentis.* Addit Eximius Doctor, hanc poſteriorem rationem eſſe magis propriam, nam prior communis eſt alijs Sacramentis, cum tamen in illis non ita loquantur Concilia, ſed abſolute vocent materiam. Item illa prior ratio ad formam poſſet applicari, & tamen cõcilia nõ dicunt verba Sacerdotis eſſe quaſi formam, ſed ſimpliciter eſſe formam. *Igitur quia materia ſimpliciter dicta, etiam in rebus artificialibus ſolet eſſe aliquod ſenſibile corpus, ideò alijs Sacramentis, in quibus materia proxima conſiſtit in vſu alicuius corporis ſenſibilis, materiam ſimpliciter tribui. Quia vero hic, nec materia proxima, nec remota eſt corpus aliquod ſenſibile, ideo (ad hoc ſolum denotandum) additam eſſe illam particulam diminuentem.*

53 Cum hac explicatione Eximij Doctoris coincidit explicatio Patris Vazquez 3 p. quæſt. 84 art. art. 1. dub. 2. vbi impugnans explicationem Soti dicit, aliam fuiſſe Concilij ſenſum. Cum enim „ materia proprie, (inquit Vazquez) & „ primo dicatur de ſubſtantia aliqua, vt in „ naturalibus, vbi eſt prima materia, & „ in artificialibus, vbi eſt ſecunda, eſtque „ integra quædam naturalis ſubſtantia, & „ in alijs Sacramentis ſubſtantia quædam „ exterioris materiæ locum obtineant; in „ hoc Sacramento opera ipſius homi- „ nis pro materia aſsignantur, circa quam „ virtutem ſuam gerit abſolutionis for- „ ma: & quamvis ſicut proxima materia „ dicitur in hoc Sacramento eſſe actus „ pœnitentis, ita etiam proxima in Bap- „ tiſmo non ſit ipſa aquæ ſubſtantia, ſed „ operatio ablutionis, quia vero commu- „ niter, vt in Florentino, & Tridentino, „ aſsignatur pro materia Baptiſmi aqua, „ & pro alijs ſubſtantia quædã, vt Chriſ- „ ma, abſolute iſta dicitur materia Sa- „ cramenti; in Sacramento vero Pœni- „ tentiæ ſemper aſsignantur actus pœni- „ tentis, & ideo dicuntur quaſi mate- „ ria, quamvis aſsignaretur remota ma- „ teria in hoc Sacramento, nunquam eſ- „ ſet ſubſtantia, ſed humana operatio, „ ſcilicet peccatum: peccata enim dicun- „ tur remota materia: & ita ſpecialiter in „ hoc Sacramento, & in nullo alio, eius „ materia dicitur quaſi materia, in alijs „ vero abſolute. Dicitur ergo (con- „ cludit Vazquez) quaſi materia huius „ Sacramenti confeſsio, & contritio, quia „ illis accedit abſolutio complens effe- „ ctum: dicitur etiã ſatisfactorium opus „ materia; quia ex eadem abſolutione „ complementum accipit, & virtutem „ ſatisfaciendi, quã habet ex opere ope- „ rato, & Sacramentaliter.

54 Sed redeamus ad textum Concilij, in quo dicitur, actus pœnitentis, nẽpe confeſsionem, contritionem, & ſatisfactionem, eſſe partes, quæ ad integritatem Sacramenti requiruntur. Quod ideo dixit, vt denotaret actus pœnitentis eſſe materiam huius Sacramenti, non quidẽ circa quam verſatur abſolutio Sacerdotis,

ſed

sed ex qua constat Sacramentum; vt explicat P. Suarez disp. 18. sect. 2. num. 5. Ex ijs autem tribus partibus materialibus, confessio, & contritio sunt essentiales, quia sine illis Sacramentum pœnitentiæ non datur, vbi autem confessio formaliter integra, contritio, & absolutio existunt, iam intelligitur existere Sacramentum (sicut existit homo existente corpore, & anima inter se vnitis) ante quam adveniat satisfactio in re: & deficiente confessione, vel contritione, quamvis cætera adsint, non datur Sacramentum Pœnitentiæ. At satisfactio est quidem pars huius Sacramenti, non quidem essentialis, & pertinens ad subsistantiam Sacramẽti, sicut materia, & forma pertinent ad essentiam hominis; sed pars integralis pertinens ad complementum, & integritatem Sacramenti, sicut pes, vel manus est pars hominis, quia sine pede, vel manu consistere potest essentia hominis, licet maneat mutila, & sine integritate debita.

55 Dicitur ergo confessio, & contritio materia huius Sacramenti, quia per absolutionem tanquam per formam determinantur, & complentur ad causandam remissionem peccatorum: dicitur etiam satisfactio materia, quia ex eadem forma complementum accipit, & virtutem satisfaciendi quam habet ex opere operato, & Sacramentaliter. Dicitur absolutio, & contritio pars essentialis, quia dum complentur per absolutionem Sacerdotis fortiuntur effectum præcipuum huius Sacramenti, nempe remissionem culpæ, & æternæ pœnæ, satisfactio vero dicitur quoque pars, licet minus præcipua, & integralis; quia virtute clavium, & absolutionis Sacramentalis elevatur ad causandum ex opere operato remissionem pœnæ temporalis; cuius remissio supponere debet remissum peccatum quoad reatum culpæ, & reatum æternæ pœnæ. Quia ergo præcipuum est remissio culpæ; & confessio atque contritio simul cum absolutione Sacerdotis ordinantur ex Christi institutione ad remissionem culpæ, & elevantur ad causandam gratiam sanctificantem; & hunc effectum habent ante quam in re adveniat opus impositum à Sacerdote in pœnitentiam, quod dicitur satisfactio: ideo confessio, contritio, & absolutio dicuntur partes essentiales; illæ duæ priores, per modum materiæ; absolutio vero per modum formæ. Quia vero minus præcipuum est remissio pœnæ temporalis remanentis post remissionem culpæ, & pœnæ æternæ; & opus satisfactorium ordinatur ex Christi institutione ad hanc remissionem, ideo dicitur pars minus principalis, & dumtaxat integralis, vtpotè quæ iam supponit essentiam Sacramenti; & eius præcipuum effectum.

56 Ex his nova emitur nostræ sententiæ confirmatio. Eatenus enim satisfactio Sacramentalis est pars Sacramẽti minus præcipua; quatenus ex Christi institutione virtute clavium elevatur ad causandam remissionem pœnæ temporalis: ergo eatenus confessio est pars magis præcipua, quatenus ex Christi institutione ordinatur ad causandam remissionem culpæ, & pœnæ æternæ. At non ordinatur ad causandam remissionem culpæ, & pœnę æternæ, nisi quatenus est confessio formaliter integra; siquidem per confessionem in qua malitiosè tacetur peccatum mortale, nullum peccatum remittitur: ergo non est pars Sacramenti nisi quatenus est confessio formaliter integra.

57 Et confirmatur: nam ita se habet confessio ad remissionem culpæ, sicut satisfactio ad remissionem pœnæ temporalis luendę in Purgatorio. At in satisfactione hæc duo sunt omnino idem, nempe esse partem Sacramenti, & esse requisitum, seu medium ad remissionem pœnæ temporalis: ergo in confessione hæc duo sunt etiam omnino idem, nempe esse partem Sacramenti, & esse requisitum, seu medium ad remissionem culpæ. At confessio non nisi quatenus integra est requisitum, & medium ad remissionem culpæ: ergo confessio non nisi quatenus integra est pars huius Sacramenti. Ergo confessio non integra, seu in qua malitiosè tacetur aliquod peccatum mortale, non est pars Sacramenti: ergo illa confessio est nulla; & consequenter reiteranda.

SECTIO QVINTA.

Ostenditur à ratione esse nullã, & invalidam; ac proinde repetendam, omnem confessionem, in qua pœnitens malitiosè tacet aliquod mortale.

58 RATIO à priori desumenda est ex institutione huius Sacramenti. Constat namque ex Tridentino sess. 14. cap. 1. hoc Sacramentum tunc ipsum præcipuè Christum Domi-

Dominum inſtituiſſe, *Cum à mortuis excitatus, inſufflauit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiſſeritis peccata remittentur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus in verbis conceſsit Chriſtus ſuis Diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus, nempe omnibus confeſſoribus legitimis, facultatem diſcernendi tanquam Iudices, an remittenda, an retinenda ſint peccata cuiuſcunque pœnitentis, id eſt an pœnitens ſit abſolvendas, an ſine abſolutione dimittendus: hinc autē manifeſtè ſequitur debere Confeſſorem dignoſcere, an ſit in pœnitente aliquod peccatum retinendum, id eſt an ſit in pœnitente aliquod peccatum impediens remiſsionem omnium: omne nanque peccatū retinēdum impedit remiſsionem cuiuſcunque peccati pœnitentis; neque poteſt fieri, vt nū peccatū mortale pœnitentis remittatur, & ſimul aliud retineatur. Ille enim, qui Deus vnum peccatū mortale remittit, amicus Dei conſtituitur, iuxta illud Pſalm. *Beatus Vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ille vero, cuius aliquod peccatum Deus retinet, & qui manet in peccato aliquo, etſi vnico, inimicus Dei eſt, & ſit omnium reus, iuxta illud: *Qui delinquit in vno, factus eſt omnium reus.* Apud Deum idem eſt remittere vnū peccatum mortale, ac remittere omnia; & idē eſt retinere vnum, ac retinere omnia, nec poteſt retinere vnū, quin retineat omnia. Ergo cum Confeſſor ſit Chriſti Miniſter, & nomine ipſius, vel remittat, vel retineat peccatum, & cum remiſsioni, & retentioni Miniſtri infallibiliter correſpondeat remiſsio, & retentio ex parte Dei, iuxta infallibilem Chriſti promiſſionem, *quorum remiſeritis, &c.* Conſequens eſt, vt Miniſter Chriſti non poſsit remittere vnum mortale, quin remittat onia. Ad hoc autem, vt Miniſter vel remittat omnia, vel retineat omnia, debet noſcere omnia, ne cæcus remiſſor, vel retentor ſit, nequit autem noſcere omnia quatenus Iudex, & Miniſter Chriſti, niſi pœnitens omnia exponat: nam vt Iudex ſolum cognoſcit ea, quæ ad illum vt Iudicem deferuntur ab ipſo pœnitente vt ſui accuſatore: ergo pœnitens debet omnia exponere, vt valide confiteatur, & talem confeſsionē exhibeat, qualem Chriſtus inſtituit, vt partem materialem Sacramenti pœnitentiæ.

59 Omnia, inquam, non abſolute, ita vt nullum inconfeſſum relinquat; hoc enim eſt impoſsibile; iuxta illud, *Delicta quis intelligit?* Et Deus impoſsibilia non iubet: ſed omnia, quæ ſubſunt humanæ facultati, id eſt omnia, quorum manifeſtatio eſt ſub libera poteſtate hominis; id eſt omnia nota, ſeu omnia, quorum pœnitens poſt diligentem ſui diſcuſsionem conſcientiam habet: *Incognita enim, & oblita*, non eſt in poteſtate hominis confiteri.

60 Confirmatur: nam confeſsio ex parte pœnitentis debet correſpondere abſolutioni, quam nomine Chriſti Miniſter impendit: abſolutio autem directe ad omnia tendit, neque enim Chriſtus dimidiatam remiſsionem concedit: ſed vel omnia, vel nullum dimittit: ergo confeſsio ex parte pœnitentis ad omnia debet tendere, quantum pœnitens moraliter poteſt. Ergo qui aliqua ſcienter retinent, nō faciunt confeſsionem validam, quia non valet confeſsio, quæ non poteſt proportionari abſolutioni. Confeſsio autem ex malitia dimidiata nequit proportionari abſolutioni, quæ dimidiata eſſe nequit. Abſolutio quidem ad omnia ſimpliciter tendit; quia exhibetur principaliter à Chriſto, qui omnia novit, ac proinde directe quidem abſolvit ab omnibus, quæ pœnitens exponit; indirecte vero ab illis, quæ inculpabiliter omittit. Confeſsio vero, quia exhibetur ab homine ignoranti, ad eas ſolum debet extendi, quorum pœnitens poſt diligentem ſui diſcuſsionem meminerit, & quę rationabiliter non poſſunt omitti.

61 Et confirmatur; quia cum ſingula peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, & nunquam in confeſsione legitimè expoſita, ſint materia neceſſaria confeſsionis; ſingula debent in confeſsione explicari: ergo eſt invalida confeſsio illa, in qua aliquod ex malitia tacetur. Probo conſequentiam; quia cum non ſit maior ratio de vno, quam de alijs; vel omnia poſſunt in particulari taceri, nullū in particulari explicando, ſed ſolum in generali ſe accuſando, quod peccaverit: vel nullum poteſt in particulari taceri. At certum eſt eſſe invalidam confeſsionem, in qua pœnitens libens, & volens nullum peccatum mortale in ſpecie, & in particulari exponit ex ijs, quæ habet in conſcientia; ſed ſolum in generali ſe accuſat, quod peccaverit: ergo etiam certum eſt, eſſe eſſe invalidam confeſsionem, in qua aliquod mortale pœnitens tacet ob verecundiam, vel puſillanimitatem, vel ob aliam iniuſtam cauſam.

Confir-

62 Confirmatur secundò, quia pœnitens in hunc finem se accusat coram Christi Ministro, vt reconcilietur cum Deo, & in gratiam sui Creatoris, & Redemptoris redeat; hic est enim finis confessionis Sacramentalis; vt enim definit Tridentinum sess. 14. cap. 3. *Res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* At confessio dimidiata sacrilege, nihil adhunc finem valet; quia Deus non potest secum reconciliare hominem, qui scienter aliquod peccatum mortale tacet ob verecundiam, & sacrilegium scienter commissit in ipsa cõfessione; nec nisi impiè potest ipse peccator dimidiatã à Deo veniam sperare: ergo talis confessio est omnino nulla, & invalida, ac proinde iteranda.

63 Confirmatur tertiò, quia dolor essentialiter ad hoc Sacramentum requisitus debet esse vniversalis de omnibus mortalibus, quorum pœnitens conscientiam habet: ergo confessio similiter debet esse vniversalis de omnibus illis. Consequentia est legitima; cum enim nõ minus confessio, quam dolor assignetur pro materia, & parte huius Sacramenti, nulla potest esse ratio, cur dolor potius quam confessio debeat extendi ad omnia, quæ sunt in conscientia. Anteçedens verò suadetur primò: qua dolor requisitus essentialiter ad hoc Sacramentum est dolor fundans propositũ vniversale non peccandi de cætero; vt constat ex Tridentino sess. 14. c. 4. vbi explicãs contritionẽ, de qua capite antecedenti dixerat esse materiam, & partem huius Sacramenti, dicit: *Quod est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Dolor autem fundans propositum vniversale, debet esse vniversalis. Secundò, quia iuxta Tridentinum sess. 14. cap. 4. dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet esse talis, *Qui voluntatem peccandi excludat*; id est cũ voluntate peccandi simul esse repugnet: ergo debet esse vniversalis circa omnia: nam si quis habens in conscientia homicidium, furtum, & fornicationem, doleret tantũ de duobus prioribus, & non de tertio, simul cum illo dolore posset habere actualem voluntatem fornicandi. Tertiò, quia vt inquit P. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 8. *Incredibile per se est eam cõfessionem esse validam, quæ est cum actuali proposito iterum peccandi mortaliter*: at vbi dolor non est vniversalis de omnibus mortalibus, quæ sunt in conscientia, sed de aliquibus duntaxat, cum illo potest componi actuale propositum iterum peccandi mortaliter: ergo vbi dolor non est vniversalis, confessio non est valida. Quartò: quia cum hoc Sacramentum per se primo ordinatũ sit ad tollendum omne peccatum mortale à pœnitente commissum post Baptismum, illi repugnat omne peccatum mortale commissum in ipso Sacramento: non repugnaret autẽ, si dolor ad eius valorem requisitus non deberet esse vniversalis de omnib⁹ mortalib⁹, quæ sunt in conscientia; ergo talis dolor debet esse vniversalis. Quintò, quia ille dolor est essentialiter requisitus ad valorẽ Sacramenti, qui est essentialiter requisitus ad veritatem formę Sacramenti: atqui ad veritatem absolutionis Sacramentalis requiritur dolor vniversalis de omnibus peccatis mortalibus, quæ sunt in cõscientia; Christus enim absolvens pœnitentem; & per os sui ministri proferens illa verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, significat per illa pœnitentem esse dignum, qui absolvatur, & liberetur ab omnibus mortalibus. At pœnitens, qui accedit ad pedes Confessarij sine dolore de omnibus non est dignus absolutione omnium, sed se indignum exhibet absolutione illius peccati, de qno non vult dolere, & erga quod habet actualem affectum: ergo non adducit dispositionẽ, quæ quantum est ex se sufficiat ad veritatem formæ: ergo non adducit dolorem, qui quantum ex se sufficiat ad valorem Sacramenti: patet hæc vltima consequentia; quia materia, quæ quantum est ex se non sufficit ad veritatẽ formæ Sacramẽti, quantum est ex se non sufficit ad valorem Sacramenti.

64 Præterea probatur, dolorem requisitum ad hoc Sacramentum debere esse vniversalem de omnibus mortalibus, quæ sunt in conscientia, & non dum fuerunt in cõfessione legitime exposita, nam confessio Sacramẽtalis non debet esse solum simplex accusatio sui ipsius, sed debet esse accusatio, qua peccator tendat ad reconciliationem cum Deo: nam cum hoc Sacramentum institutum sit ad reconciliandum peccatorem cum Deo, essentialiter est reconciliativum: ergo ad valorem huius Sacramenti requiritur quod peccator se accuset de omnibus mortalibus, quæ habet in conscientia per confessionem, quæ sit signum interioris pœnitudinis de omnibus. Nam sicut natura docente pueri quando volunt à parentibus veniam delicti impetrare, peccatum suũ cum pœnitudine agnoscunt: ita dum peccator confitetur sua peccata ad veniam à

Deo

Deo impetrandam, debet omnia exponere, quæ habet in conſcientia cum pœnitudine omnium. Ergo confeſsio illa, in qua pœnitens non exponit omnia mortalia, quæ habet in conſcientia cum pœnitudine vniverſali de omnibus, non eſt valida.

65 Denique efficaciter ſuadetur non eſſe validam confeſsionem in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod peccatum mortale; quia dum ita tacet, committit novum peccatum mortale in ipſa confeſsione; implicat autem, vt dum committit tale peccatum, habeat dolorem requiſitum ad valorem Sacramenti, nimirum dolorem ortũ ex ſincera intẽtione ſe reconciliandi cum Deo; dolor nanque iſte debet omne peccatum mortale actuale excludere.

SECTIO SEXTA.

Soluitur primum argumentũ à paritate contendens, eſſe validam confeſsionem, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod mortale. Cuius occaſione oſtenditur, eſſe certo nullam confeſsionem factam ſine vllo vero dolore.

66 ARGVI poteſt primò: non magis neceſſaria eſt integritas confeſsionis ad eius valorem, quam dolor de peccatis; ſiquidem dolor de peccatis non minus neceſſarius eſt ad reconciliationem cum Deo, quam confeſsio omnium mortalium, quorum pœnitens conſcientiam habet. At probabile eſt eſſe validam confeſsionem factam ſine dolore; ergo probabile quoque erit eſſe validam confeſsionem factam ſine integritate formali ob verecundiam, vel aliam iniuſtam cauſam. Minor probatur: quia illa eſt expreſſa opinio D. Thomæ in quartum diſt. 17 quæſt. 3. articulo 4. quæſtiuncula prima, vbi docet, poſſe dari confeſsionem validam, & informem ob defectum doloris. Sic enim „ ait: Confeſsio etiam poteſt eſſe in eo, „ qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua Sacerdoti innoteſcere, & „ clavibus Eccleſiæ ſubijcere; & quamvis tunc non percipiat abſolutionis „ fructum, tamen recedente fictione „ percipere incipiet; ſicut etiam eſt, „ & in alijs Sacramentis, vnde non tenetur iterare confeſsionem qui fictus „ accedit, ſed tenetur poſt modum fictionem ſuam confiteri. Immò ibi docet, eum qui manet in affectu peccati, quod confitetur, validam efficere confeſsionem. Sic enim proponit tertium argumentum ad probandum non poſſe dari „ confeſsionem informem: In confeſsione oportet, quod os cordi concordet, „ quia hoc ipſum nomen confeſsionis „ requirit: ſed ille, qui adhuc manet „ in affectu peccati, quod confitetur, „ non habet cor ori conforme, quia cor „ de peccatum tenet quod ore damnat; „ ergo talis non confitetur. Huic autem „ argumento ſic reſpondet: Ad tertium „ dicendum, quod ille, qui peccata, quæ „ habet, narrat, verè loquitur: & ſic „ concordat verbis quantum ad ſubſtantiam confeſsionis, quamvis diſcordet „ à confeſsionis fine.

Eandem ſententiam tuetur in quartum diſtinct. 21. quæſt. 3. articulo 1. quæſt. 1. ad primum, vbi Hæreticum, *Quem Confeſſarius inducere nequit, vt deſiſtat à corruptione plebis*, ac proinde ſine dolore, & propoſito confitentem, validum Sacramentum recipere docet; & rationem reddit: Sicut enim (inquit) Baptiſmus eſt Sacramentum, quamvis quis „ fictus accedat (id eſt ſine dolore, & propoſito) ita confeſsio non deſinit eſſe Sacramentalis, quamvis qui confitetur „ emendationem non proponat.

67 Et hanc ſententiam tuentur apud Suarez diſput. 29. ſect. 4. num. 7. Maior, Gabriel, Durandus, & Richardus, & Bernardus de Ganaco, apud Capreolum in quartum diſtinct. 17. quæſt. 2. & noviſsimè eam defendit Ludovicus à Conceptione Ordinis Diſcalciatorum Sanctiſsimæ Trinitatis in examine veritatis Moralis tract. 5. quæſt. 2. numero „ 3. & 4. ibi enim affirmat, Eum, qui „ peccata ſua non hiſtoricè, ſed cum „ erubeſcentia, diſplicentiavè naturali, in verbis, ſeu actionibus confitendi „ animo manifeſtata, confitetur abſque „ vero dolore, immò cum illius mortali defectu, vel cognito, vel non, vel „ abſque propoſito emendæ, immò cum „ propoſito mortaliter peccandi poſt „ confeſsionem, valide confiteri, idque tuetur præcipuè ob authoritatem Divi Thome. Idem tuetur Chriſtophorus à S. Ioſepho eiuſdem Sacræ Familiæ tomo 1. receptarum opinionum pag. 382. n. 4. *Qui rationem reddit; quia dummodo detur confeſsio cum animo ſuſcipiendi Sacramẽtum*

Pœnitentiæ, & simul detur absolutio à Sacerdote debita cum intentione, datur quidquid requiritur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ; quia dolor tantum est dispositio ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ.

68 Vt hoc & similia argumenta à paritate facta solvã, noto eiusmodi argumenta in moralibus facta à paritate opinionum, quas aliqui Authores defendeaunt, non sufficere ad conciliandam probabilitatẽ alijs opinionibus, quas tanquam certo falsas communis consensus Theologorum damnat, præsertim quando illi ipsi Authores eaidem cum communi damnat; quia Authores, qui defenderunt illas opiniones, minime eas propugnassent, si prævidissent ex veritate illarum opinionũ concessa ritè argui ad veritatem opinionum, quas vera, & certa sententia damnat vt falsas. Vnde tandiù solũ eiusmodi sententiæ, & apud eos possunt manere probabiles, quandiù, & apud quos ignoratur sequela illius absurdi. Quare si consequẽtia sit legitima, & consequens manifestè absurdum, negandum est antecedens. Cum ergo sit improbabile, & contra communem omnium Theologorum, & præcipuè ipsius D. Thomæ, quod sit valida confessio, in qua quis præ verecundia tacet aliquod mortale; sanè qui iudicaverit legitimè argui à confessione valida, & nihilominus informi ob defectum doloris ad confessionem validam; & nihilominus informẽ ob defectum integritatis; is prævisa, & animadversa illa sequela, debet negare antecedens; nempe, esse probabile, quod sit valida confessio facta sine vero dolore.

69 Et quidem Divus Thomas in eodem articulo quarto quæstiuncula secunda expressè docet integritatem formalem esse necessariam ad valorem con-„fessionis: De necisitate confessionis „est, inquit, quod homo omnia peccata „confiteatur, quæ in memoria habet, „quod si non facit, non est confessio, sed „confessionis simulatio. Idemque docent omnes Authores, qui existimant confessionem factam sine vero dolore esse validam.

70 Hinc in forma distinguendum est antecedens. Probabilis est opinio affirmans posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum sine dolore; distinguo, apud eum, qui agnoscit, hunc ritè inferri posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum sine integritate formali, nego antecedens: apud eum, qui hanc sequelam non agnoscit, nec prævidet, transeat antecedens, & nego consequentiam.

71 Absolutè Respondeo, eam sententiam defendi non posse post Tridentinum; quod detestationem, & dolorem de peccatis assignat vt materiam & partem Sacramenti Pœnitentiæ, non minus, quam confessionem: vt constat ex illis verbis sessione 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.* Quare sicut certum est non suscipere Sacramentum Pœnitentiæ eum, qui reciperet absolutionem sine confessione peccatorum, cum posset, ac deberet illam facere; ita certum debet esse non recipere Sacramentum Pœnitentiæ eum, qui voluntariè confitetur sine dolore, & proposito: vnde mitor, illos Authores Modernos ausos fuisse post doctrinam Tridentini eam opinionem tueri; ad authoritatem Divi Thomæ respondeo cum Magistro Soto apud Magistrum Paulum de Blanchis eiusdem Ordinis Prædicatorum in disputatione casuum conscientiæ disputat. 4. in littera C. casu 5. fol. 222. Divum Thomam postea illam opinionem retractasse. Et sanè idem Divus Thomas in quartum distinct. 23. quæst. 1. articulo 4. quæstiuncula secunda expressè dicit, *Quod contritio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ*, & 3. parte quæst. 90. articulo 2. & 3. manifestè docet, contritionem, & confessionem, & satisfactionem esse partes Sacramenti Pœnitentiæ. Vt autem ibi exponit Caietanus, §. *Ad hoc dicitur*, satisfactio non ponitur pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed „pars integralis: Est enim pars actuum „pœnitentis, qui sunt vt materia, seu „pars essentialis Sacramenti; sicut ma-„nus est pars corporis humani, quod „est materia, & pars essentialis ho-„minis.

72 Et ideò communis sententia Thomistarum verissimè docet, confessionem factam sine vero dolore peccatorum esse nullam, & reiterandam. Ita Capreolus in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 3. quem cum alijs refert Covarrubias in cap. *Alma*, part. 1. §. 4. num. 13. Ita Soto in quartam dist. 18. quæst. 3. art. 3. in 4. conclusione; qui rationem reddit, *Quia vbi nulla est contritionis scintilla, confessio ipsa non habet accusationis imaginem, sed est simplex quædam peccatorum narratio,*

& si-

& ſimulata accuſatio. Ita etiam Caietanus in ſumma verbo, confeſsio, in duodecima conditione. Cano Relect. de pœnitentia part. 5. pag. 79. verſu *Contritio itaque*, Victoria in ſumma num. 157. Petrus Soto lect. 8. Ledeſma quæſt. 8. num. 2. Bartholomæus de Medina in ſumma cap. 12. §. 2. & D. Antonin. 3. part. titul. 14. cap. 19. §. 5. Hanc ſententiam tuentur omnes Societatis Doctores cum P. Suarez diſp. 20. de pœnit. ſect. 4. num. 8. cum Vazquez 3. part. quæſt. 92. art. 1. dub. 1. *Qui oppoſitam ſententiam erroneam vocat, & contra omnes Doctores.* Sed apertè contra Trident. ſeſ. 14. Can. 5. & contra Florentinum ſeſ. vltima in decreto *Eugenij, vbi aſſignantur partes huius Sacramenti ex parte materiæ illius, actus pœnitentis, ſcilicet confeſsio, contritio, id eſt dolor, & ſatisfactio.* Item art. 2. dub. vnico num. 7. cum Henriquez lib. 5. de Sacrament. cap. 13. num. 1. cum Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. punct. 3. verſu *Secundo ſi abſque dolore*, & quæſt. 8. punct. 2. Tuentur eãdem cõmuniter reliqui Theologi cũ Navarro in cap. Fratres de pœnit. diſt. 5. n. 33. & in Manuali cap. 9. n. 13. cũ Covarrubias in cap. *Alma mater*, p. 1. §. 4. num. 13. cum Vega lib. 9. in Trident. cap. 17. & Corduva lib. 1. q. 2. opinione 3.

73 Aliter pollumus dicere, D. Thomam nunquam docuiſſe confeſsionem factam ſine vllo dolore eſſe validam: ſed in quartum diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. num. 1. quæſt. 1. quando dicit: *Confeſsionem poſſe eſſe in eo, qui non eſt contritus*; nomine contritionis non intelligere qualemcunque dolorem; ſed determinatè doloré omnino efficacem, & ſufficientem ad cauſandam gratiam in Sacramento; eiuſque ſenſum eſſe, cõfeſsionem factam ſine hoc dolore efficaci eſſe validam, & informem, & minime eſſe iterandam: in alijs autẽ locis docere, confeſsionẽ factam ſine omni dolore vero eſſe nullam; atque adeo D. Thom. duplicem diſtinguere dolorem, alterum inefficacem ſufficientem ad valorem Sacramenti, & inſufficientem ad fructum Sacramenti, alterum efficacem ſufficientem ad valorem, & fructum, & de hoc ſecundo loqui in illa diſt. 17. Quod colligo ex illa eadem diſt. 17. q. 3. ſiquidem in art. 3. illius quæſtionis, quæſtiunc. 1. ad 1. præſuppoſuerat, *Quod eſt de eſſentia Sacramenti contritio, & confeſsio.* Ergo quãdo immediatè poſt in art. 4. eiuſdem quæſtionis docet, *Eum, qui non contritus confitetur, Sacramentum validum, & non iterandum conficere*, loquitur de eo qui confitetur non contritus contritione efficaci involuente propoſitum omnino abſolutum non peccandi. Alioqui Sanctus Doctor ſui immemor ſibi ipſi contradiceret in eadẽ quæſtione, & in articulis duobus immediatis, quod eſt incredibile; & confirmatur; quia Sanctus Doctor in eadem diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſt. 4. dicit: *Dolorem, & accuſationem eſſe de neceſsitate huius Sacramenti.* Ergo ſentit, confeſsionem factam ſine omni dolore eſſe nullam, ac proinde ne ſibi in eodem art. contradicat, dicendum eſt, illum quando in eodem art. q. 1. dixit: *Eum qui non contritus confitetur, Sacramentum validum ſuſcipere, non loqui de eo qui confitetur non contritus vlla contritione, ſed de eo qui confitetur non contritus contritione efficaci, licet confiteatur contritus contritione inefficaci.*

74 Ille autem alius textus deſumptus ex 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. vbi ait, Hæreticum, qui confitetur ſine propoſito deſiſtẽdi à deceptione plebis, facere confeſsionem Sacramentalem; facile poteſt exponi, dicendo D. Thom. aſſerere confeſsionẽ illam Hæretici eſſe validam, quamvis ſit facta ſine propoſito efficaci emmendationis, ac proinde ſine dolore efficaci: non tamen aſſerere, quod ſit valida facta ſine vllo dolore, & ſine vllo propoſito adhuc inefficaci: vel reſponderi poteſt, D. Thom. appellare Sacramentalem illam confeſsionem Hæretici, quoad obligationem ſigilli, de qua ibi loquitur. Sic enim ait Sanct. Doct. *Quidã dicunt, quod Sacerdos non tenetur ſervare ſub ſigillo confeſsionis niſi peccata, de quibus pœnitens emmendare promittit, alias poteſt ea dicere, ei qui poteſt prodeſſe, non obeſſe: ſed hæc opinio videtur erronea, &c.* Non appellare autem D. Thom. Sacramentalem confeſsionem factam ſine dolore, & propoſito, quoad validitatem ipſius, & obligationem non reiterandi illam,

75 Nec ferendum eſt quod ſupra aiebat Chriſtophorus à S. Ioſeph poſt Ludovicum à Conceptione, nimirum ſine dolore dari quidquid requiritur ad valorẽ Sacramenti Pœnitentiæ; *Quia dolor tantum eſt diſpoſitio ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ*; non autem pars eſſentialiter requiſita ad eius eſſentiã, illamq; cõſtituens. Hoc enim eſt contra Florentinũ, & Tridentinũ; & quã ſit abſurdum, cõſtabit legenti Cardinalem Bellarminum tom. 2. lib. 1. de pœnitentencia cap. 17. vbi poſtquam retulit ſententiã Durandi aſſerentis

„ Solam confessionem partem esse ma-
„ terialem Sacramenti pœnitentiæ; con-
„ tritionem vero esse dispositionem, &
„ satisfactionem fructum pœnitentiæ;
„ statim subiungit: At sententia Theo-
„ logorum communis in eadem dist. 16.
„ & S. Thomæ 3. p. quæst. 90. art. 2. &
„ 3. non solum confessionem, sed etiam
„ contritionem, & satisfactionem, veras
„ Sacramenti Pœnitentiæ partes mate-
„ riales esse docet. Quæ sententia cer-
„ tissima est, neque iam amplius indu-
„ bium revocari potest, cum in Concil-
„ lijs Æcumenicis Florentino, & Triden-
„ tino diuersis verbis legamus, con-
„ tritionem, confessionem, & satisfactio-
„ nem esse quasi materiam Sacramenti
„ Pœnitentiæ. Quare ex mente sapien-
tissimi Bellarmini omnino improbabilis est sententia istorum Recentiorum, multoque deterior est, quam sententia Durandi: vt enim probat P. Vazquez 3. p. quæst. 84. art. 1. dub. 2. num. 3. quamvis Durandus dixerit solam confessionem esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, tamen nunquam affirmavit posse dari veram essentiam Sacramenti confessionis sine dolore, sed potius in quartum dist. „ 17. quæst. 13. docuit dolorem esse essen-
„ tialiter requisitum, & propterea do-
„ cuit, non esse veram confessionem,
„ quæ sit informis, hoc est sine effectu
„ gratiæ, vt cõtingeret, inquit ille, quan-
„ do non est dolor; nec postea fictione re-
cedente operari suum effectuum: diceret tamen esse verum Baptismum, etiam si dolor requiratur vt dispositio ad consequendam gratiam virtute illius. Vnde non omnino existimat dolorem esse extra rationem Sacramenti Pœnitentiæ, sed non vult eum partem appellare, quia non est sensibilis. At Recentiores illi affirmant posse dari verum Sacramentum Pœnitentiæ sine vllo vero dolore, & hanc opinionem erroneam censet Vazquez, qui ea solũ ratione ab errore liberat sententiam Durandi; quia Durandus docet nunquam posse dari Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore. Eandem temerariam appellat P. Suarez, idemque censet P. Moya tomo 1. tract. 3. disp. 5. quæst. 2. num. 5. quibus ego subscribo.

76 Neque paritas Baptismi (qui validus est, quamvis suscipiatur sine vllo dolore) cui maxime insistunt illi Recentiores, quidquam probat; vt enim inquit M. Soto in quartam dist. 18. quæst. 2. „ pag. 845. Baptismus est institutus ad „ delendum originale, quod non propria „ voluntate contraximus, & consequen-
„ ter alia, quę cum illo simul invenit;
„ atque adeo est regeneratio in novam
„ vitam. Sacramentum vero Pœnitentiæ
„ est ad tollenda peccata, quæ nos pro-
„ pria voluntate commisimus, & ideo
„ Baptismus non requirit aliam dispositionem, quam quæ obicem gratiæ tol-
„ lat, at pœnitentia requirit accusatio-
„ nem pœnitentis tanquam eiusdem Sa-
„ cramenti materiam, ac proinde dete-
„ stationem, quæ eidem confessioni fide-
„ liter respondeat. Secundò, Sacramen-
„ tum Pœnitentiæ est eorum, qui cum
„ per proprium actum, & voluntatem
„ aversi sunt à Deo, eadem voluntate in
„ ipsum convertuntur. Requirit ergo tanquam materiam, & partem essentialem sui, conversionem internam peccatoris per veram detestationem, & dolorem de peccato commisso, ac proinde illa deficiente, erit nullum.

77 Quare, vt optimè notarunt P. Suarez, & P. Vazquez discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam est manifestum. Nam materia Baptismi, ex qua intrinsece constat est ablutio illa externa facta à Ministro cum aqua elementali: forma vero sunt illa verba. *Ego te baptizo, &c.* Vnde si is, qui baptizandus est, habeat veram intentionem suscipiendi illam ablutionem prout à Christo instituta est; vere baptizatus manet, quamvis accedat sine attritione de peccatis, quę antea commisit: ac proinde quamvis non recipiat tunc gratiam sanctificantem; quia sine retractatione præcedenti decrevit Deus nunquam remittere peccatum propria voluntate commissum; verumtamen recipit Sacramentum Baptismi; quia etsi deficiat retractio peccatorum requisita ad ipsorũ remissionem, non deficit aliquod constitutivum Baptismi; quia adest legitima materia, & forma cum legitima intentione ex parte suscipientis, & ex parte administrantis Baptismum: & de præsenti recipit characterem; postea autem recedente fictione, id est cum primum baptizatus retractaverit peccata illa, quæ ante Baptismum commisserat per veram cordis contritionem, saltem imperfectam, nempe attritionem, ex vi Baptismi præcedentis remittitur originale, & remittuntur omnia mortalia ante Baptismum commissa, non solum quoad reatũ culpæ, sed quoad omnem reatum pœnę.

At

78 At vero in Sacramento Pœnitentiæ materia ex qua intrinſece conſtat, non eſt applicatio alicuius rei exterioris; ſed ſunt actus ipſius pœnitentis, nempe cordis contritio, oris confeſsio, & operis ſatisfactio. Vnde deficiente contritione, non datur Sacramentum Pœnitentiæ; quia deeſt aliqua pars eſſentialis: & ſimiliter quamvis adeſſet contritio, ſi tamen deeſſet voluntarie oris confeſsio, deficeret Sacramentum; quia vtraque pars requiritur per modum materiæ conſtituentis eſſentiam illius. Atſi deficiat operis ſatisfactio, non deficit eſſentia, & ſubſtantia Sacramenti, vtpotè quæ ſaluatur in Sacramento, quatenus eſt remiſsivum culpæ, & æternæ pœnæ; quæ remittuntur, cum primum peccator rite contritus, & rite confeſſus abſolvitur: deficit tamen integritas quædam illius Sacramenti, ſicut deficiente manu deficit integritas hominis: & deficit Sacramentum vt remiſsivum pœnę temporalis manentis dimiſſa culpa; quia in ratione talis conſtituitur per ipſam ſatisfactionem.

79 Vnde obiter infero Sacramentum Pœnitentiæ per eundem dolorem conſtitui in ratione remittentis culpam, & pœnam æternam, per quem conſtituitur in ratione Sacramenti; ac proinde ibi non diſtingui partem Sacramenti à diſpoſitione ad gratiam, per quam deletur culpa, & remittitur æterna pœna: ſicut per eandem formam integraliter completur, & perficitur, per quam conſtituitur in ratione remittenits pœnam temporalem remanentem remiſſa culpa, nempe per ſatisfactionem Sacramentalem. Quare ſicut operis ſatisfactio per ſeipſam eſt pars integralis huius Sacramenti, & ſimul diſpoſitio ad remiſsionem pœnæ; ita contritio per ſeipſam eſt pars eſſentialis huius Sacramenti, & ſimul diſpoſitio ad remiſsionem culpæ, & æternæ pœnæ. Ac proinde repugnat Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ob defectum in dolore.

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur alia argumenta contendentia eſſe validam confeſsionem, in qua ob verecundiam tacetur mortale, à paritate aliorum euentuum, in quibus iuxta ſententiam probabilem datur confeſsio valida, & informis.

80 QVAMVIS communis cõſenſus omniũ fere Theologorum, conſtanter ſtatuat vt rem omnino certam, eſſe nullam confeſsionem factam ſine vllo dolore; quam ſententiam vniformiter ſectantur omnes Diſcipuli Divi Thomæ intra Sacram Prædicatorum Familiam, vt vidimus ſectione præcedenti. Tamen aliqui ſunt caſus, in quibus communis ſententia inter Thomiſtas, & ſatis frequens apud alios Authores, admittit confeſsionem validam; & informem.

Duos caſus numerat Magiſt. Soto in quartam diſt. 18. quæſt. 3. à num. 3. pag. 850. Primus caſus eſt, quando pœnitens omittit aliquod peccatum mortale in confeſsione ob negligentiam graviter culpabilem, quam habuit in diſcutienda conſcientia, dummodo illa non fuerit nimis craſſa, & ſupina; videlicet quando adhibuit aliquam diligentiam veram, & ſeriam in diſcutienda conſcientia, inſufficientem tamen ad implendum præceptum; & in hoc caſu admittunt confeſsionem validam, & informem præter Sotum, Victoria num. 160. Cano relect. de pœnitentia part. 5. pag. 129. Bartholomæus de Medina in ſumma cap. 12. §. 3. Nunius quæſt. 9. art. 1. dub. 1. & Paludanus apud Leandrum tract. 5. de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 7. quibus acceſsit Henriquez lib. 5. de Sacramentis Pœnitent. cap. 11. num. 1. vbi docet confeſsionem eſſe validam, & verum Sacramentum, Si quis ex negligentia, & ignorantia culpabili oblitus eſt quorundam mortalium (vt ſi multis peccatis, & varijs negotijs irretitus, conſcientiæ ſuæ latebras accuratè non perquiſivit) & tamen in animo habet facere integram confeſsionem: Chriſtus enim hoc præcepto, noluit vt pœnitens teneatur repetere confeſsionem, quando dolor ex intentione fuit vniverſalis, & animus confitendi extenditur ad omnia mortalia, nam confeſsio eſt ſimilis iudicio humano, quod valet, dum humano modo ſervantur ſubſtantialia.

Loquitur autem Henriq. quando pœnitens dum confitetur, culpabiliter ignorat, ſe non feciſſe ſufficiens examen; vt patet ex ijs, quæ immediate ſubiungit: At ſiquis admiſsit peccatum mortale ex ignorantia culpabili, & dum alia confitetur, ignorat inculpabiliter illud confitendum, fieri poteſt confeſsio cum fructu gratiæ.

Pro ſententia autem hac admittente validam eſſe confeſsionem, in qua omitti-

titur m ortale ex ignorantia graviter culpabili, citat vtrumque Sotum, Dominicum, & Petrum, Ledesmam, Paludanum, Capreolum, Silvestrum, Ricardum, Caietanum, Covarruviam, & Cano, quibus accedit Diana p. 2. tract. 17. resolut. 31.

81 Secundus casus allatus à Soto, in quo confessio est valida, & informis, est quando quis accedit cum „dolore putans se habere legitimum „propositum abstinendi, & tamen illud „vere non habet, sed tantum conditio„nale, vellem, si bono modo possem, „abstinere à peccato, quale est impœ„nitentium propositum.

Pra hac autem sententia, quæ admittit confessionem formaliter integram & validam, esse tamen informem ob imperfectionem doloris, & propositi, citat Pater Vazquez tomo de pœnitentia quæst. 92. art. 2. dub. vnico numero 1. Divum Thomam, Ricardum, Paludanum, Capreolum, Durandum, Caietanum, Canum, Ledesmam, Dominicum, & Petrum de Soto, Silvestrum, Navarrum, & Covarruviam, quibus adde Toletum in summa lib. 3. cap. 10. num. 7. & Victoriam in summa pag. 129. num. 157. & Henriquez lib. 2. de Sacrament. Pœnitent. cap. 11. num. 3. & Granadum controv. de pœnitent. tract. 3. disp. 3. sect. 3. num. 19. Atque Christophorum à S. Iosepho, & Ludovicum à Conceptione citatos sectione præcedenti. Immò pro sententia asserente ad valorem Sacramenti pœnitentiæ sufficere velleitatem, nollem peccasse, & displicentiam absque secuto dolore, citat Pater Henriquez lib. 1. de Pœnitentiæ Sacramento cap. 13. num. 7. litt. Q. prætercitatos à Patre Vazquez, Vegam lib. 3. cap. 25. citantem Scotum, Almainum, & alios. Et de hac sententia inquit ibi *Ipse Henriquez, esse probabilem in praxi.* Varij sunt modi explicandi hanc sententiã; sed omnium probabilissimus est illorum Doctorum, qui dicunt, validam, sed informem confessionem facere pœnitentem, qui integre exponit omnia peccata cum dolore, & proposito reipsa inefficacibus, cum tamen ipse bona fide putet, se afferre legitimam dispositionẽ non solum ad efficiendum validum Sacramentum, sed ad recipiendum eius fructum.

82 Ex ijs duobus casibus, in quibus admittitur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, duplex confici potest argumentum ad probandum, probabile esse, quod sit valida confessio, in qua tacetur peccatum ob verecũdiam. Arguitur ergo primò. Probabile est, esse validam confessionem non integram formaliter, seu confessionem, in qua omittitur aliquod peccatum mortale ob negligentiam graviter peccaminosam. Ergo etiam erit probabile, esse validam confessionem non integram formaliter, quando defectus integritatis provenit ex eo, quod pœnitens ob verecundiã vel pusillanimitatem tacet aliquod peccatum mortale. Quod enim defectus integritatis proveniat ex negligentia graviter culpabili in discutienda conscientia, vel ex verecundia, aut pusillanimitate confitendi illud, quod est in conscientia, videtur parum referre.

83 Quod confirmatur argumento desumpto ex verbis Patris Vazquez tom. de pœnitent. quæst. 92. art. „3. dub. 1. vbi hæc habet: Si semel concedamus confessionem non integre fa„ctam ex ignorantia culpabili mortali„ter; peccatum quod committitur eius„dem naturæ est, ac si de industria fieret: „peccata enim, quorum malitia consu„matur in actu, vel omissione exteriori, „eiusdem speciei sunt, sive scienter, sive „ignoranter fiant: ergo aut neutrum vi„tiat Sacramentum, & irritat, aut vtrum„que idem faciet. Hæc Vazquez; cuius principium est satis familiare Theologis; illudque amplectitur Illustrissimus Tapia in sua Catena morali lib. 3. quæst. 9. art. 2. vbi ait: *Peccatum ex ignorantia vincibili non affectata est eiusdem speciei cum peccato facto ex certa scientia circa idem obiectum.* Consulatur P. Salas 12. tract. 13. disp. 8. sect. 9 n. 71. vbi ait, ita generaliter docere Theologos cõmuniter, & præter Vazq. citat Azor, Sayrum, atque Valentiam. Quo principio posito sic conficitur argumentum: eiusdem naturæ, & speciei sunt defectus integritatis admissus ignoranter ignorantia vincibili, ac admissus scienter: sed probabile est, esse validam confessionem cum defectu integritatis admisso ex ignorantia vincibili graviter peccaminosa: ergo probabile est esse validam confessionem, cum defectu integritatis scienter admisso. Ergo probabile est esse validam confessionem, in qua quis scienter ob verecundiam, vel pusillanimitatem tacet aliquod mortale.

Huic

84 Huic argumento reſpondendum eſt, ſicut præcedēti, diſtinguendo antecedens. Probabile eſt eſſe validam confeſsionem in qua omittitur aliquod peccatum mortale ob negligentiam graviter peccaminoſum, probabile eſt apud eum, qui non prævidet ex hac ſententia legitimè inferri, validam quoque eſſe confeſsionem, in qua ob verecundiam tacetur aliquod peccatum mortale, concedo antecedēs. Probabile eſt apud eum, qui prævidet hanc illationem, nego antecedens, & conſequentiam. Eſt quidem probabile ab authoritate extrinſeca tot Doctorum id affirmantium, licitum eſſe illud primū. Idque eſſe probabile, nihil aliud eſt, quam dari Doctores graves, qui affirmant eſſe validam confeſsionem, in qua pœnitens ex negligentia graviter culpabili omittit aliquod mortale, & hucuſque non eſſe inventam evidentem demonſtrationem, qui illorum ſententiam de falſitate convincat, neque prodijſſe Eccleſiæ definitionem, quæ illam improbabilem reddat. Authores autem illi eatenus illud affirmant, quia non prævideruntex hac ſententia ſequi, eſſe quoque validam confeſsionem, in qua ob verecundiam tacetur aliquod mortale; ſi enim hanc ſequelam, & illationem prævidiſſent, minimè defenderent vt verum antecedens, ex quo præviderent ſequi per legitimam conſequētiam conſequens manifeſtè abſurdum. Cum enim omnes illi Authores certiſſimum putent, immò aliqui eorum, vt Victoria, exiſtiment eſſe de fide, quod ſit nulla, & invalida confeſsio, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod peccatum mortale; ſanè non amplecterentur vt veram aſſenſu opinativo eam opinionem, ſi prævideront, ex illa ſequi, eſſe validam confeſsionem, in quā pœnitens tacet ob verecundiam aliquod peccatum mortale. Vnde abſurditas conſequentis cogeret ipſos ad negandū antecedens. Cum enim ex vero nequeat ſequi falſum, impoſsibile eſt, vt quis amplectatur tanquam verum aliquod antecedens, ex quo prævidet ſequi conſequens manifeſtè falſum. Sed potius ne cogatur concedere conſequens manifeſtè falſum, & abſurdum, negabit antecedens, illudque tanquam quid improbabile reſpuet. Argumenta ergo hæc à paritate, quæ ex probabilitate vnius opinionis contendunt eſſe quoque probabilem ſententiam oppoſitam communi, & certæ ſententiæ Doctorum, ſunt frivola, & prorſus inefficacia.

85 Deinde Reſponderi poteſt, eſſe quidem probabilem ſententiam, quæ aſſerit, eſſe validam confeſsionem, in qua omittitur aliquod peccatum mortale ob negligentiam graviter culpabilem in faciendo examine, quando quis dum confitetur invincibiliter ignorat, ſe non feciſſe ſufficiens examen, ſed potius per errorem tunc invincibilem exiſtimat ſe feciſſe ſufficiens examen; quamvis enim dem⁹ peccaviſſe mortaliter in non faciendo diligenter examine, ſi tamen poſtea confeſsionis tempore exiſtimat per errorem invincibilem tunc ſe feciſſe ſufficiens examen, quia pro tunc non habet aliquem ſcrupulum, vel remorſum, an fecerit ſufficiens examen, non committit novum peccatum in confeſsione, errorque ille, quo putat ſe feciſſe ſufficiens examē, ſolùm dicitur vincibilis pro tempore antecedenti, quatenus pro tempore antecedenti potuit facere diligens examen, quo examine facto, non eſſet erroneum, ſed verum iudicium, quo ad pedes Confeſſarij iudicaret ſe feciſſe ſufficiens examen. Si autem dum quis accedit ad pedes Confeſſarij cognoſcit ſe non feciſſe ſufficiens examē, vel dubitat an fecerit, & cū poſſet confeſsionem differre, nihilominus confitetur; tunc non eſt probabile, quod faciat confeſsionē validā; ſed eſt certum, quod faciat invalidam; quia eſt certum, quod committit tunc novum peccatum mortale, magnumque ſacrilegium. Certum eſt autem non facere confeſsionem validam illum, qui in ipſa confeſsione committit peccatum mortale; quia hoc ipſo non deteſtatur omne peccatum mortale, neque accedit ad pedes Confeſſarij cum propoſito de cætero non peccandi, dum tamen hæc deteſtatio ſit pars huius Sacramenti. Et ſicut eſt certum non facere confeſsionem validam, qui ſcienter tacet peccatum mortale ob verecundiam, quia ſcienter ſine cauſa omittit integritatem confeſsionis: ita eſt certum non facere confeſsionem validam, qui ſcienter committit peccatum mortale in confeſsione, quia hoc ipſo ſcienter omittit integritatem doloris, quæ non eſt minus eſt neceſſaria ad valorem Sacramēti, quam integritas confeſsionis. Vnde videtur caſus quaſi metaphyſicus, & rariſsimè potens contingere iſte, quem ponunt Thomiſtæ: qui fatentes eſſe nullam confeſsionem, in qua pœnitens omittit aliquod peccatum mortale ob ignorātiam nimis craſſam, cuius exemplum po-

„ nic Victoria num. 160. In illo, qui per „ vnum annum integrum non est confes- „ sus, & accedit ad confessionem sine ali- „ quo examine, volens quidem, quod om- „ nia venirent in memoriam; qui hoc, in- quam, fatentes; nihilominus dicunt, quod „ si quis omiserit aliquod peccatum, pu- „ tans se fecisse sufficientem indagatio- „ nem, etiam si illa ignorantia sit culpa- „ bilis mortaliter, confessio est valida, & „ non iteranda: quæ sunt verba Victoriæ ibidem, quem secuti sunt postea Cano, Soto, & Medina, videtur, inquam, hic ca- „ sus, quasi metaphysicus: Quia vt inquit: „ idem Victoria num. 161. raro contin- „ get, quod velit aliquis examinare cons- „ cientiam suam, & putet se fecisse suffi- „ cientem diligentiam, quin fecerit dili- „ gentiam.

86 Falsum autem est quod in argumento dicitur ad probandā consequē- tiā, nimirum parum referre, quod defe- ctus integritatis proveniat ex negligentia graviter culpabili in discutiēda conscientia, vel ex verecundia, aut pusillanimitate. Falsum, inquam, est: nam Concilium signatè dixit, *Qui aliqua scienter detinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*: non dixit autem, *qui aliqua ignoranter detinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendū proponunt*.

87 Ad confirmationem argumenti respondeo, verba illa P. Vazquez, continere argumentū efficax cōtra Thomistas, qui concedentes esse invalidam confessionem eius, qui omittit peccatum mortale in confessione, quia fere nullam diligentiam adhibuit in discutiēda conscientia; nihilominus asserunt esse validam confessionem eius, qui aliquam diligentiam adhibuit, insufficientem tamen ad implendum præceptum, & ex hac negligentia omisit peccatum mortale: quia si homo ille peccavit mortaliter omittendo examē, quod facere poterat, ac debebat, ignorantia hæc est crassa; & peccatum est eiusdem rationis, ac si consulto diceret, nolo facere diligentiam; in quo casu ex concessione omnium confessio esset nulla: Negligentia enim quando est crassa, reducitur in naturam actus, vt (inquit M. Soto in 4. dist. 18. qæst. 3. art. 3. concl. 3.) Cum enim quis incautè occidit hominem, licet minuatur quodammodo culpa, nihilominus est homicidium ob defectum diligentiæ, quæ facienda erat. Hinc ad hominem contra Sotum valide argumentatur P. Vazquez, nam peccatum quod committitur ex ignorantia graviter culpabili eius, quod quis scire tenebatur, eiusdem naturæ est, ac si de industria fieret: ergo si facit confessionem invalidam, qui de industria non vult examinare conscientiam, & idcirco omittit peccatum mortale in confessione, etiam facit invalidam, qui ex negligentia graviter culpabili nō examinat conscientiam, & ea de causa omittit in confessione peccatum mortale. In hunc scopum adducitur à Patre Vazquez illud principium contra Thomistas; eiusque argumentum probat, non esse probabilem sententiam, quæ dicit, esse validam confessionem, in qua quis ex negligentia graviter peccaminosa omittit peccatum mortale; si semel non est probabile, non esse validam confessionem eius, qui habens confessionem multi temporis nullam fere adhibet diligentiam in discucienda conscientia: prout affirmat Thomistæ non esse probabilem.

88 Quare ad defendendum, esse probabilem sententiam Thomistarum, dicendum est, eum qui facit diligentiam, quę apparet sufficiens ad invenienda peccata, & implendum præceptum annexum confessioni de discutienda diligenter cōscientia, cum tamen sufficiens non sit, non omittere peccatum ex ignorantiam crassa æquivalente scientiæ, etiam si peccet mortaliter: eatenus enim potest esse probabilis illa sententia Thomistarum, quatenus fuerit probabile, non omnem defectum integritatis ortum ex negligentia graviter culpabili, esse defectum ortum ex ignorantia crassa æquivalenti scientiæ. Cum enim certum sit, esse nullam confessionem, in qua deest integritas, quia quis directe voluit non adhibere diligentiam in examinanda conscientia; & certum quoque sit defectum provenientem ex ignorantia crassa æquivalere defectui proveniēti ex industria, & certa scientia: necessario sit, eatenus esse probabilem illam sententiam Thomistarum, quatenus probabile sit, non omnem defectum provenientem ex ignorantia graviter peccaminosa, provenire ex ignorantia crassa æquivalenti scientiæ.

89 Hinc ad argumentum respondetur, distinguendo antecedens. Probabile est esse validam confessionem, in qua quis omittit peccatum mortale ex negligentia graviter culpabili; si illa negligentia coniuncta fuerit cum aliqua diligentia, quæ putatur sufficiens, cum tamen

revera non ſit; admitto antecedens. Si non ſit coniuncta cum aliqua diligentia, ſed proveniat ex eo, quod pœnitens nullâ fere voluit adhibere diligentiam, nego antecedens; & conſequentiam. Sola enim poſterior ignorantia, cum ſit craſſa, & ſupina, æquivalet ſcientiæ; & peccatum commiſſum cum illa æquivalet peccato facto ex induſtria.

90 Iam veniamus ad argumentum deductum ex ſecundo caſu, in quo confeſsio eſt valida, & informis. Sic ergo argues: non magis requiritur integritas formalis cõfeſsionis ad volorẽ Sacramenti pœnitentiæ, quam dolor, & propoſitũ; cum vtrunque æqualiter exigat Tridentinũ. Sed probabile eſt eſſe validã confeſsionem, in qua deeſt dolor efficax, & propoſitum abſolutum non peccandi: ergo probabile erit, eſſe validam confeſsionem, in qua deeſt integritas formalis: quia nimirum quis ob verecundiam tacet aliquod mortale.

91 Reſpondeo primò, mihi probabile non videri, eſſe validam confeſsionem, in qua pœnitens accedit ſine propoſito abſoluto, & efficaci non peccandi, quamvis bona fide exiſtimet ſe afferre tale propoſitum. Id quod probabo diſput. ſequenti. Sed nunc hanc ſolutionem prætermittens, reſpondeo, diſtinguendo maiorem; non magis requiritur integritas formalis quam propoſitum, diſtinguo; quam propoſitum aliquod, concedo: quam propoſitum omnino abſolutum, & efficax, vi cuius pœnitens ſit paratus pati quodcunque malum temporale potius, quam novum committere peccatum mortale, nego maiorem; & permiſſa minori, nego conſequentiam. Quę ſolutio lucem accipiet ex dicendis diſp. ſequenti.

92 Datur itaque maxime diſparitas; quia poteſt quis accedere ad Sacramentum Pœnitentię cum vero dolore, & aliquo ſerio propoſito, ſeu voluntate ſeria non peccandi; quæ tamen non ſit propoſitum omnino abſolutũ, & efficax, quod requiritur ad fructum Sacramenti: qui autem accedit cum illo propoſito re ipſa inefficaci, bona fide exiſtimans ſe afferre propoſitum efficax, probabile eſt, quod faciat Sacramentum; quia nullum in confeſsione committit peccatum, & videtur ponere omne id, quod petit Concilium; ſiquidem manifeſtat omnia mortalia, quæ poſt diligentem conſcientię diſcuſsionem memoriæ occurrunt, cum dolore, & propoſito non peccandi de cætero. At qui tacet ob verecundiam mortale, ſacrilegium committit, & neque affert confeſsionem integram, neque dolorem integrũ, prout requiritur ad Sacramenti valorem.

SECTIO OCTAVA.

Soluuntur argumẽta petita à natura iudicij, quibus conenditur validam eſſe confeſsionem, in qua ob verecundiam tacetur mortale.

93 SÆPE Authores vtuntur paritate eorum, quæ inveniuntur in iudicio humano, vt explicent naturam Sacramenti Pœnitentiæ. Sic aliqui probant attritionem naturalem conſtituere validum Sacramentum à paritate iudicij humani, quod rebus naturalibus conſtituitur, inter quos eſt P. Granadus controv. de Pœnit. tract. 3. diſp. 3. ſect. 3. num. 22. Sic P. Henriquez lib. 2. de pœnitent. cap. 11. num. 14. probat validam facere cõfeſsionem eum, qui ex ignorantia, & oblivione culpabili oblitus eſt aliquorum mortalium, ſi in animo habuit integram facere confeſsionẽ; *Nam confeſsio* (inquit) *eſt ſimilis iudicio humano, quod valet, dum humano modo ſervantur ſubſtantialia.* Sic Bonacin. diſp. 5. de Pœnit. quæſt. 4. punct. 1. ex paritate iudicij humani probat, eſſentiam formæ abſolutionis conſiſtere in his verbis: *Abſoluo te.* Sic Trident. ſeſ. 14. cap. 6. docet, abſolutionem eſſe ad inſtar actus iudicialis, & hac paritate iudicij, & iudicis humani vtitur cap. 5. ad probandum, in cõfeſsione exponenda eſſe omnia peccata, & omnes circunſtantias mutantes ſpeciem.

94 Hoc ſuppoſito, arguitur ad probãdum eſſe validam confeſsionem, in qua pœnitens tacet aliquod mortale ob verecundiam. Nam eo in caſu datur confeſsio aliquorum criminum, cum dolore ſaltem inefficaci illorum, & impoſitio ſatisfactionis, quam acceptat pœnitens vt reus; & abſolutio Sacerdotis Iudicis legitimi, ergo dantur omnes partes eſſentiales huius Sacramenti. Probatur conſequentia, quia ad eſſentiam huius Sacramenti ſufficit id, quod ſufficit ad verum iudicium. Ad hoc autem ſufficit confeſsio alicuius veri criminis, impoſitio ſatisfactionis, & abſolutio, quia datur quidquid requiritur ad eſſentiam Sacramenti validi.

95 Confirmatur primò, qui id quod

quod requirit Tridentinum sess. 14. cap. 2. est, quod homo vt reum se sistat coram Confessore vt iudice, eique confiteatur peccatum *Ante hoc Tribunal tanquam reos sisti voluit.* Sed verè sistitur vt reus, qui se accusat de aliquo delicto, quamvis aliud taceat: ergo datur quidquid requiritur ad validum Sacramentum consideratum vt iudicium; licet non detur id, quod requiritur ad iudicium vt curativum, seu formatum cum gratia.

96 Confirmatur secundò, Sacramentum hoc est institutum per modum iudicij; sed validum est iudicium, & valida sententia, quando reus confessus est aliquod delictum, alio occultato: ergo in nostro casu Sacramentum erit validum in ratione iudicij. Sacramentum hoc est iudicium, & medicina; quæ duo separabilia sunt; nam potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, vt docent innumerabiles Doctores, inter quos Granados contov. de pœnit. tract. 3. disp. 3. sect. 3. à num. 17. tres admittit casus, in quibus potest hoc contingere. Ergo potest hoc Sacramentum manere in ratione iudicij validi; etiamsi pœnitens taceat aliquod mortale crimen, sicut in eodem casu validum est iudicium humanum; manendo tamen absque effectu in ratione medicinæ.

97 Verum hæc parum vrgent; quia quamvis hoc Sacramentum institutum sit per modum iudicij, non est institutum ad damnandum reum, vt iudicium humanum, sed ad illum absolvendum; non ad sumendam vindictam de peccatis, sed ad illa remittendū; & ideò Christus voluit fideles post Baptismum lapsos, *ante hoc Tribunal tanquam reos sisti, vt per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari*; vt loquitur Tridentinum sess. 14 cap. 2. & cum pœnitentia fuerit *vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria*; vt definit idem Tridentinū eadem sess. cap. 1. Christus ad remitenda mortalia post Baptismum commissa instituit Sacramentum pœnitentiæ, & reliquit Sacerdotes vt sui Vicarios, vt coram ipsis fideles confiterentur cum vera pœnitudine, & dolore, & proposito emendationis omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionē memoriā haberent, vt per sententiā absolutionis, ab ipsis liberarentur, & cū absolutio per se tendat ad liberandum ab omnibrs peccatis, ipsa institutio huius Sacramenti postulat tam quam materiam confessionem omnium, quæ memoriæ occurrunt post diligens examen, cum vera contritione, & pœnitudine de omnibus; vnde vbi pœnitens malitiosè aliquod tacet, vel non affert dolorem de omnibus, non accedit cum dispositione vt valide recipiat absolutionem. Rursus cum pœnitens confiteatur peccatum mortale, vt ab illo iustificetur, & Deus non possit iustificare hominem ab vno peccato quin iustificet ab omnibus; non accedit pœnitens ritè dispositus vt valide absolvatur à peccato, quod confitetur, nisi efficacem habeat intentionem confitendi omnia, quæ sine peccato novo ocultari non possunt, & illa reipsa confiteatur, si potest. Vbi enim aliquod tacet, novum committendo peccatum mortale, non exhibet materiam, quam Christus requirit, vt ipsius Ministri valide absolvant: materia nanque huius Sacramenti est accusatio omnium læthalium, quæ memoriæ occurrunt, ordinata ad obtinendum beneficium remissionis media absolutione: hæc autem materia non exhibetur à pœnitente, qui in ipsa confessione committit peccatum mortale; quia eo ipso tale peccatum non cadit sub accusatiōnē, cum tamen memoriæ occurrat, vel potius tunc ob occultos versetur, & omnino opponitur absolutioni, quæ prorsus destituitur vi remittendi peccata, quando in eius receptione novum committitur peccatum, quod proinde vi illius remitti non potest. Christus nanque non concessit Apostolis, & eius successoribus potestatem valide absolvendi, eum, qui ita indispositus accedit, vt in susceptione absolutionis novum cōmittat peccatum mortale.

98 Denique argues. Non minus requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ dolor, quam confessio; vt constat ex Tridentino, & ex manifesta ratione; siquidem aliquādo virtute clavium remittuntur peccata, quæ quis vocaliter non confitetur, v.g. in periculo mortis, vbi pœnitens postulat confessionem, & statim destituitur sensibus; & nunquam virtute clavium remittuntur peccata, quin præcedat actualis dolor; vt enim definit Tridentinum, *Motus contritionis fuit quouis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum.* Tum sic: at probabile est, esse validum Sacramentum cum dolore non integro: ergo etiam probabile

erit eſſe validum Sacramentum. Minor probatur, quia P. Suarez; cuius ſententia abſdubio probabilis eſt, ita affirmat diſp. 20. de pœnitent. ſect. 5. num. 7. vbi ait: „ Cenſeo poſſe dari aliquam confeſsio„nem validam ad Sacramentum conſti„tuendum, & informem quoad effectum „ex defectu attritionis extenſivo, ſive ex „defectu integritatis, non qualitatis ip„ſius attritionis. Sententiam hanc Eximij Doctoris propoſui, & explicui diſp. 37. num. 7. quam ſequitur Granadus contr. de pœnitentia tract. 3. diſp. 3. ſect. 3. num. 17.

99 Cæterum hoc argumentum nullius eſt momenti: nam in caſu aſsignato à P. Suarez, quod quis commiſerit furtum, & incęſtum, v.g. & poſt diligentem conſcientię diſcuſsionem, furti invincibiliter obliviſcatur; ſolumque recordetur de incæſtu, illudque in confeſsione exponat cum vero dolore concepto ob ſpecialem malitiam illius peccati, qui proinde non extendatur ad furtum, validum videtur conficere Sacramentum, quia cõfitetur omne peccatum mortale, cuius poſt diligentem, ſui diſcuſsionem memoriam habet, & confitetur eum vero dolore, & recipit abſolutionem à legitimo Sacerdote: quod enim dolor ille non extendatur ad furtum, non videtur obſtare; quia nemo tenetur dolere de illo, quod prudenter credit, ſe non commiſsiſſe: ſatis ergo videtur eſſe ad valorem Sacramenti, quod doleat de omnibus, quæ memoriæ occurrunt, illaque omnia confiteatur. Et tamen hoc non ſufficit ad fructũ Sacramenti, quia Deus non remittit vnũ peccatum ſine alio; & nunquam remittit peccatum perſonale, quin præcedat retractatio illius ex parte peccatoris; cum ergo per attritionem conceptam ob ſpecialem fœditatem incæſtus non retractetur furtum: illa attritio non eſt ſufficiens diſpoſitio, vt infundatur gratia, & tamen videtur ſufficiens ad valorem Sacramenti. Nulla ergo eſt paritas ab vno caſu ad alium; quia quando deeſt integritas confeſsioni ob verecundiam, committitur ſacrilegium: at in caſu P. Suar. quando deeſt integritas extenſiva dolori, id fit innocenter, & abſque vlla culpa. Curreret autem paritas, ſi vtrumque peccatum occurreret memoriæ, nempe furtum, & incæſtus, & pœnitens doleret de incæſtu, & nollet dolere de furto; tunc enim conficeret confeſsionem invalidam ob defectum integritatis in dolore, quia ille defectus eſſet peccatum; ſicut conficit invalidam confeſsionem, quando voluntarie tacet aliquod mortale, quia ille defectus integritatis eſt peccatum mortale. Vnde ſicut confeſsio habet integritatem ſufficientem ad valorem Sacramenti, quando pœnitens omnia exponit quæ memoriæ occurrunt poſt diligens examen, quamvis non exponat omnia, quæ reipſa commiſsit: ita dolor videtur habere integritatem ſufficientem ad valorem Sacramenti, quando extenditur ad omnia, quæ memoriæ occurrunt, licet non extendatur ad omnia quæ pœnitens reipſa commiſsit.

SECTIO VLTIMA.

Concluditur ex dictis eſſe pœnitus improbabilem opinionem aſſerentem, eſſe validam confeſsionem, in qua pœnitens ob verecundiam, vel puſsillanimitatem tacet aliquod mortale: & oſtenditur, quod quamuis haberet aliquam probabilitatem ſpeculatiue, non poſſet iam in praxim dedaci poſt Bullam Innocentij XI.

100 EX dictis clare concluditur, eſſe omnino certum, quod ſit invalida, ac proinde repetenda confeſsio, in qua pœnitens ſacrilege tacet aliquod peccatum mortale: tum quia hoc ita clarè deducitur ex Florentino, & Tridentino; vt graviſsimi Theologi, Magiſter Victoria, & Magiſter Cano, vterque Primarius Salmanticenſis, & Eximius Doctor Suarez, & P. Valentia conſtanter, & firmiter aſſerant, id eſſe de fide, vt vidimus ſect. 3. Tum quia id conſtat ex iure Canonico, & ex communi doctrina Patrum, quorum verba adducit P. Suarez diſp. 22. de pœnit. ſect. 1. & ex praxi Eccleſiæ, & communi ſenſu fidelium: tum quia id vniformiter docent omnes Theologi Scholaſtici; quin vllus ex his, qui typis ſua ſcripta mandarunt, auſus ſit affirmare confeſsionem illam eſſe validam, præter Fr. Ioannem Maria de Caſtillento, qui in ſua Polyanthæa Seraphyca *verbo confeſsio Sacramentalis* diffic. 33. illam appellat probabilem, & cenſet *practicari poſſe*, cui ſubſcripſit P. Ioſephus Gueuarri, vt vidimus ſect. 1. & præter Fr. Luis de S. Iuan in ſumma, cui titulus, *Tratado de la adminiſtracion de los Sacramentos*. Agens enim de Sacramento Pœnitentiæ num. 52. diſſerte aſſerit, idem iudicium ferendum eſſe, de eo, qui

tacuit

tacuit peccatum mortale, sciens se in hoc male agere, nesciens tamen, an illa confessio esset invalida, ac de illo, qui ex ignorantia inculpabili omisit confiteri, neque alium apertum Patronum huius opinionis inuenire potuit exquisita eruditio Patris Moya, qui tom. 1. Select. tract. 3. quæst. 8. num. 2. illum citat. Quamvis enim P. Quintanaduenas tom. 2. singul. tract. 13. à singulari 23. vsque ad 27. latè hanc quæstionem versans, videatur de certitudine sententiæ communis dubitare, & in illam opionem inclinare, tamen ausus non est differre affirmare, validam esse illam confessionem, in qua pœnitens ob verecundiam, vel pusillanimitatem tacet aliquod mortale, & licet Ferrantinus de scandalo disp. 1. quæst. 79. dicat eam sibi aliquando placuisse; tamen sententiam communem vt certam sectatur. Quare illa opinio nullam habet probabilitatem.

101 Sed quamvis haberet aliquam probabilitatem speculativam; iam post Bullam Innocentij Vndecimi, (in qua hoc anno 1679. die 2. Martij damnavit, & prohibuit 65. propositiones, *Vt minimum tanquam scandalosas, & in praxi pernitiosas*) nō potest in praxim deduci. Siquidem in illa Bulla sequens propositio, ordine tertia, damnatur: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ex hac enim Summi Pontificis decisione constat, vt possit aliquis licite exercere actum, de quo dubitatur, an sit licitus, vel illicitus; non satis esse, quod sciat dari opinionem probabilem affirmantem illum actum esse licitum; quia stat dari opinionem probabilem, & illam esse exiguè probabilem. Opinio enim minus tuta potest esse probabilior opinione tutiore, vel æquè aut fere æquè probabilis, vel minus absolutè probabilis, vel exiguè probabilis comparativè ad tutiorem: ergo non sufficit ad sectandam opinionem minus tutam, quod quis sciat illam secundum se esse absolute probabilem, quia cum hoc componitur, quod sciat illam esse exiguè probabilem compativè ad sententiam tutiorē, quatenus agnoscit longe maius fundamētum authoritatis, & rationis in sententia tutiore: tunc autem non potest licite illam in praxim deducere, vt constat ex Bulla Pontificis. Quarè vt quis possit sectari sententiam minus tutam in occursu tutioris requiritur, quod minus tuta, vel sit probabilior opinione tutiore, vel saltem æquè, aut ferè æquè probabilis; vel si absolutè, & omnibus inspectis sit simpliciter minus probabilis, vt minimū requiritur quod fundamentum opinionis minus tutæ, adhuc comparatum cum toto fundamento sententiæ tutioris, sit magnum; & valide inclinet intellectum ad assensum opinionis illius, quamvis simpliciter, & absolutè fundamentum oppositum vehementius inclinet in assensum opinionis tutioris: ac proinde requiritur quod fundamentum sententiæ tutioris nō sit evidenter, & manifestè maius excessu notorio, ita vt fundamentum sententiæ minus tutæ in comparatione illius merito censeatur *exiguæ, & tenius probabilitatis.*

102 Tum sic: atqui quamvis opinio minus tuta affirmans esse validam confessionem, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod mortale, esset in se inspecta absolute probabilis, nihilominus comparata cum sententia tutiore opposita est exiguæ, & tenuis probabilitatis: ergo post Bullam Innocentij Vndecimi nemine licet in praxi sequi illam opinionem. Minor subsumpta evidenter constat ex dictis in hac disputatione, quia sententia tutior defenditur ab omnibus Theologis Classicis Ecclesiæ Christi, & ab aliquibus censetur certa de fide: opinio minus tuta defenditur à duobus, vel tribus inferioris notæ, quorum authoritas si comparetur cum authoritate tot Doctorum sapientia, & sanctitate illustrium quales sunt S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Navarrus, Bellarminus, Suarez, Valētia, Vazquez, Soto, Victoria Cano, &alij, est ad modum exigua, & fere nulla. Rursus sententia communis habet fundamenta authoritatis ex Concilijs, ex Patribus, & ex iure Canonico vrgentissima, & validissimas rationes: at opinio illa Castilienti, & Fratris Ludovici de S. Ioanne nullum habet fundomentum in Concilijs, nec in Patribus, nec in iure Canonico: & solum habet pro se rationes quasdam fallaces desumptas à paritate aliarum opinionum probabilium, à quibus non ritè arguitur ad probabilitatem illius opinionis: ergo &c.

DIS-

DISPVTATIO XXXXI.

AN QVI CONFITETVR PECCATA MORTALIA CVM DOLORE, ET PROPOSITO REipsa inefficaci, quod tamen ipse bona fide putat esse efficax, faciat confessionem validam, & consequenter non reiterandam; an invalidam, & reiterandam?

SECTIO PRIMA.

Præsupponitur ad quæstionem, propositum efficax saltem esse necessarium ad fructum huius Sacramenti; & esse reiterandam confessionem quoties constet fuisse invalidam,

1 SVPPONO ad præsentem quæstionem, eum qui accederet cum sola attritione, & proposito inefficaci, & cognosceret sui doloris, & propositi inefficaciam, non efficere validam confessionem, sed invalidam & cõsequenter reiterandam; quia committeret sacrilegium in ipsa confessione. Nam quidquid sit, an propositum efficax non peccandi de cætero sit necessarium ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ; certum est esse necessarium ad fructum, vt probat P. Suarez disp. 20. de pœnit. sect. 2. num. 6. nam Tridentinum sess. 14. cap. 4. saltem ad fructum huius Sacramenti requirit expressè attritionem, *Quæ voluntatem peccandi excludat*: ac proinde requirit detestationem efficacem peccati, & propositum absolutum, & efficax non peccandi; siquidem cum sola velleitate, seu simplici affectu non repugnat simul esse voluntatem peccandi; quare merito Suarez appellat improbabilem opinionem, quæ diceret, non requiri propositum absolutum, & efficax ad obtinendam in confessione remissionem. Et ratio est, quia nõ est dispositus ad remissionem iniuriæ, qui illam ex animo non detestatur, sed dumtaxat habet illum dolorem, qui componi posit cum proposito iterum peccandi. Sanè ratio dictat, quod nec pater filium inobedientem, nec maritus vxorem adulteram, nec Rex subditum perduelem in gratiam suam iterum admittant, quin illi ex animo doleant de crimine suo, & verum propositum absolutum, & efficax afferant non iterum peccandi in patrem, in maritum, vel in Regem. Quomodo ergo fieri potest, vt Deus, qui est omnium Pater, animæ sponsus, & Rex potentissimus, peccatorem in suam gratiam admittat, quin ille se disponat ad hoc beneficium per intimum animi dolorem, & propositum firmum non amplius peccandi? Certum ergo est, requiri ad obtinendam gratiam sanctificantem in Sacramento Pœnitentiæ, dolorem, & detestationem efficacem peccatorum præteritorum cum proposito absoluto non amplius peccandi; quare siquis accedat sine hoc proposito, non recipiet gratiam, quamvis bona fide existimet se accedere cum tali proposito: si autem suam indispositionem agnoscat, committet sacrilegium: quia sacrilegium est suscipere Sacramentum indigne, & sine dispositione necessaria, vt Sacramenti finis obtineatur. At certum est esse invalidam confessionem, in qua sacrilegium committitur: vt constat ex disputatione præcedenti.

2 Suppono secundò, hoc ipso quod quis iudicio opinativo prudenti iudicet confessionem à se bona fide factam, reipsa fuisse invalidam, habere obligationem repetendi illam confessionem; quia est regula generalis, & certa apud Theologos, confessionem nullam, esse iterandam, quia per illam non adimpletur præceptum divinum confitendi peccata mortalia post Baptismum commissa, neque homo per confessionem nullam satisfacit obligationi naturali, quam habet adhibendi medium necessarium sibi ex institutione divina ad obtinendã remissionem peccatorum. Est etiam regula generalis, & certa, non esse obligationem reiterandi con-

confessionem si fuit valida, etiam si fuerit informis, & carens effectu gratiæ, quia hoc ipso, quod fuit valida, per illam adimpletum est præceptum confessionis, & consequenter non debet rursus reperi. Has regulas ex communi consensu supponunt M. Soto in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. Covarrubias tom. 1. Relect. in cap. *Alma mater*, §. 4. in fine P. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 3. P. Suarez disp. 22. de pœnitent. sect. 6. num. 1. P. Vazquez. 3. p. quæst. 92. art. 1. dub. 2. num. 1. & alij, quos citavimus disp. præcedenti sect. 2.

SECTIO SECVNDA.

Referuntur Authores affirmantes confessionem in illo euentu esse validam: & proponitur eorum fundamentum.

3 TENET hanc sententiam Navarrus tom. 1. suorum operum in cap. *Fratres* tit. de pœnit. dist. 5. num. 35. & in Manuali cap. 9. num. 13. vbi postquam asseruit, Quod confessio sine proposito vitandi peccata mortalia in posterũ, quamvis secũ gerat qualequale desiderium vitandi, nihil valet, & iteranda est, qualis est confessio illius, quem pœnitet alienũ vsurpasse, & non habet restituendi animum; qualis item est confessio eius, qui dolet se fornicatum fuisse, sed non statuit relinquere concubinam, &c. Postquam hoc asseruit, statim addit. At vero si de peccatis præteritis dolet, proponitque futura vitare, quamvis non adeo doleat neque ita perfecte illa vitare proponat, vt perveniat ad sufficientem contritionem, neque ad eam attritionem, quæ adiuncta Sacramento in contritionem transeat, non tamen tenebitur iterare confessionem. Tenet etiam Sotus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. Can. 5. his verbis: Vbicunque est aliqua detestatio cum aliquo proposito mutandi vitam, quamvis illa neque per se, neque per Sacramentum ad gratiam sufficiat, erit valida Sacramentum; si reliqua quidem concurrant, quę sunt de essentia Sacramenti, &c. Et subiungit. Dixerim cum aliquo proposito, quia cum contritio, & dolorem includat præteriti peccati, & propositum in futurum; qua ratione vbi nulla esset detestatio, anullaretur confessio, eadem ratione, si nullum esset propositum mutandi vitam.

4 Tenet Victoria in summa n. 157. circa finem: vbi cum asseruisset cõfessionem factam sine detestatione peccati esse nullam, addit; si pœnitens habeat dolorem, sed tamen imperfectum; & ipse non percipiat se non habere sufficientem dolorem, confessionem esse validam.

5 Tenet M. Cano Relect. de pœnit. part. 5. fol. 130. & 131. impressionis Complutensis, vbi hanc partem vt probabiliorem defendit tanquam sententiam D. Thomæ contra Maiorem, & Adrianum. Estque hæc sententia communis inter Thomistas, & frequens apud Antiquos, qui admittunt Sacramentum Pœniteneiæ validum, & informe ob defectum in dolore, vt videre est apud Patrem Vazquez tom. 4. in 3. part. quæst. 92. art. 2. dub. vnico num. 1. & apud Patrem Henriquez lib. 1. de Sacramento Pœnit. cap. 13. num. 7. lit. Q. eos referentes, quos nos citavimus disp. præcedenti sect. 7. Horum multi sententiam defendunt, mihi planè improbabilem post Tridentinũ, dum aiunt ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere displicentiam de peccatis præteritis, quamvis non adsit propositum non peccandi de cætero quorũ sententiam merito impugnant Soto, & Navarrus num. præcedenti citati, & Bartholomæus de Medina in summa cap. 12. §. 2. vbi ait: *Lo quinto que haze la confession invalida, es no llevar el penitente proposito de la enmienda, porque la penitencia incluye dolor de pecados con proposito de emmẽdarse; por loqual sino ay proposito de emmienda, no es verdadera penitencia, ni legitima confession.*

6 E nostris Doctoribus sectantur illam sententiam Thomistarum P. Henriquez lib. 2. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 11. num. 3. Cardinalis Toletus lib. 3. summa cap. 10. num. 7. §. *Tertius casus*, vbi ait: Quod cum aliquis existimat se sufficienter dispositum (nempe per attritionem, quæ sit imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propositum futuri) quamvis non vere sit, immò quod quamvis sit taliter dispositus, quod non consequatur gratiam ex absolutione, immò peccabit accedendo; si tamen putet, illam attritionem sufficientem esse, confessio non est iteranda. Sed cum illi constiterit male accessisse, quia dolebat de peccato, & habebat propositum non peccandi amplius, sed imperfectè, & insufficienter,

tunc

„ tunc ſufficiet hoc confiteri, ſed non eſt „ opus peccata iterum exprimere. Specialem tamen habet difficultatem, quod hic addit Toletus, nempe eſſe validam cõfeſsionem, quamvis quis peccet accedendo cum illa attritione, & propoſito imperfecto: nam ſi intelligatur de peccato mortali, committitur ſacrilegium in ipſa confeſsione: implicat autem confeſsionẽ eſſe validam, in qua committitur peccatum mortale novum, vt diximus diſp. præcedenti. Nec facile capitur quomodo quis peccet in confeſsione, quia accedit cum attritione inefficaci; ſi accedit exiſtimans ſe accedere bene diſpoſitum. Vel enim error ille eſt invincibilis, & tunc omnino excuſat à peccato, vel eſt vincibilis, & tunc videtur, quod pœnitens habuit dubium prudens, an illa diſpoſitio eſſet ſufficiens, ſi enim nullum dubium præceſsit, neque ſcrupulus, & ille exiſtimat ſe accedere bene diſpoſitum, accedit bona fide; non ſtat autem accedere bona fide & peccare accedendo. Si autem dubius eſt, an illa attritio ſit ſufficiens diſpoſitio, quomodo in ſenſu compoſito illius dubij exiſtimat, illam attritionem ſufficientem eſſe?

7 Tenet eandem ſententiam Granadus controverſia de pœnit. tract. 3. diſp. 3. ſect. 3. num. 19. vbi ait: Cum „ dolor, ſeu attritio eſt imperfecta, & in„ efficax, neque voluntatẽ omnino aver„ tit à peccatis, ſed tamen bona fide cre„ dit pœnitens, ſe habere dolorem ſuffi„ cientem, vt digne accedat ad Sacramẽ„ tum pœnitentiæ; tunc confeſsionem eſ„ ſe validam, licet non conferat gratiam. Fundamentum huius opinionis proponit Caietanus in ſumma verbo confeſsio §. *Quod confeſsio Sacramentalis multis de cauſis tam ex parte Confeſſoris, quam ex parte confeſsi venit iteranda.*

8 Quia ſi attritio inefficax non eſſet ſufficiens ad valorem huius Sacramenti, neque poſſet dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & tamen informe ob imperfectionem propoſiti, & doloris, „ Nullus eſſet certus ſe eſſe verè confeſ„ ſum; & oporteret hominem ſemper „ de iteranda confeſsione ſolicitari, & „ nunquam confeſsioni finem imponere: „ quod Eccleſiæ pias aures offendit. Rurſus, quia cum reliqua Sacramenta poſsint eſſe vera, & informia ſimul, idẽ quoq; dici debet de Pœnitentia, *Vel oportet probare hanc exceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſolum inter omnia Sacramenta nõ poteſt eſſe informe.*

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur, eſſe nullam confeſsionem, in qua pœnitens non affert dolorem efficacem cum propoſito abſoluto non peccandi de cætero.

9 SENTENTIAM affirmantem, neceſſarium eſſe ad valorem huius Sacramenti dolorem efficacem omnium mortalium, quæ quis in confeſsione exponit, cum propoſito abſoluto non peccandi de cætero, veriſsimam exiſtimo cum Eximio Doctore, Suarez diſp. 20. de pœnit. ſect. 4. num. 7. qui pro eadem refert Gabrielẽ, Maiorem Adrianum, Medinam, & Petrum de Soto: cum P. Vazquez tomo de pœnit. quæſt. 92. art. 2. dub. vnico à num. 13. vbi latè probat, in Sacramento Pœnitentiæ eundem dolorem eſſe neceſſarium ad valorem Sacramenti, qui eſt neceſſarius ad eius fructum, ac proinde non poſſe dari verum Sacramentum Pœnitentiæ, informe tamẽ ob imperfectionem, & inefficaciam doloris, & propoſiti. Cum Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. punct. 2. vbi quamvis admittat Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ex indiſpoſitione ſubiecti; tamen conſtanter docet, dolorem de peccatis mortalibus, quæ poſt diligentem cõſcientiæ diſcuſsionem memoriæ occurrũt, debere eſſe efficacem, & ex parte ſua ſufficientem ad gratiam, niſi ex parte ſubiecti obſtaret indiſpoſitio, nempe occultus affectus ed peccatum mortale, quem affectum pœnitens non advertit, dum cõſcientiam diſcutit: ac proinde dum cum illo affectu recipit abſolutionem, non ſuſcipit gratiam; quamvis habeat dolorem efficacem de mortalibus exiſtentibus in conſcientia cum propoſito abſoluto non peccandi de cætero. Item cum noſtro Egidio diſp. 4. de pœnitentia dub. 5. vbi probat dolorem requiſitum ad valorem huius Sacramenti eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam; cum Tannero tom. 4. diſp. 6. de pœnit. quæſt. 6. dub. 4. num. 83. cum Bellarm. tom. 2. lib. 2. de pœnit. cap. 6. cum Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 7. & 8. & cap. 9. num. 2. & 3.

10 Probatur autem hæc ſententia ex Tridentino: nam cum ſeſs. 14. cap. 3. definiſſet, materiam huius Sacramenti eſſe ipſius pœnitentis actus, *Sunt autem* (inquiens) *quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio,*

tritio, confessio, & satisfactio. Postea cap. 4. explicans, quisnam sit ille dolor, de quo capite antecedenti dixerat esse materiam, & partem huius Sacramẽti, inquit: „ Contritio, quæ primum locum inter„ dictos pœnitentis actus habet, animi „ dolor, ac detestatio est de peccatis cum „ proposito non peccandi de cætero. Ergo iuxta Concilium detestatio de peccatis cum proposito non peccandi de cætero est materia huius Sacramenti, & pars essentialis illius; siquidem ex illis tribus actibus, duo priores, nempe contritio, & confessio sunt partes essentiales Sacramenti, vtpote ordinati ad remissionẽ culpæ, satisfactio vero est solum pars tantum integralis, vtpote quæ iam supponit dimissam culpam ex vi absolutionis Sacramentalis cadentis supra pœnitentem, qui integrè confessus fuerit sua peccata cum dolore, ac proposito efficaci. Atqui detestatio peccatorum cum proposito non peccandi de cætero est dolor efficax peccatorum, & sufficiens dispositio ad eorum remissionem saltem intra Sacramentum, in quo homo ex attrito fit contritus; ergo dolor, seu contritio efficax peccatorum est pars essentialis huius Sacramenti; sed deficiente parte essentiali Sacramenti, deficit Sacramentum, sicut deficeret homo deficiente corpore; cũ enim totum intrinsece cõstituatur ex partibus, ex illisque essentialiter resultet, qualibet deficiente iam non manet totum. Ergo deficiente illo dolore, & contritione efficaci non daretur Sacramentum Pœnitentiæ: ac proinde, qui bona fide accederet reipsa sine dolore, & proposito efficaci non acciperet Sacramentum; sicut si accederet sine vllo dolore vero, existimãs se afferre dolorem: quia cum dolor vetus sit pars designata à Christo ad constitutionem Sacramenti, bona fides accedentis sine dolore poterit quidem ipsum excusare à sacrilegio, non tamen potest efficere vt resultet verum Sacramentum, vbi deficit vera materia assignata à Christo. Sicut si Sacerdos absolveret sub hac forma, *Dimittat tibi Deus peccata tua*, existimans illam esse formam legitimam per errorem invincibilem, non conficeret Sacramentum, licet excusaretur à sacrilegio.

11 Quod autem detestatio de peccatis cum proposito non peccandi de cætero sit dolor efficax, suadetur primò, quia ibi assignat Concilium dispositionẽ necessariam ad gratiam recipiendam beneficio absolutionis, & nullam aliam dispositionem assignat ex parte pœnitentis, nisi quod integrè confiteatur omnia mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrunt cum vera contritione, id est cum vera detestatione peccatorum præteritorum cum proposito non peccandi in futurum: dispositio autem necessaria ad fructum Sacramenti est dolor efficax, nec ad id sufficit displicentia peccatorum, & dolor inefficax, vt constat ex sect. 1. huius dispositionis: ergo contritio, & detestatio peccatorum assignata à Concilio pro materia, & parte essentiali huius Sacramenti est contritio efficax inferens propositum absolutum non peccandi.

12 Suadetur secundò, contritionem, de qua ibi Concilium loquitur, esse contritionem efficacem; quia postquã Concilium initio capitis 4. explicuit naturam contritionis, quam assignaverat pro materia, & parte essentiali huius Sacramenti, dicens, *Illam esse detestationem de peccato cum proposito non peccandi de cætero*; immediate post subiungit. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam contritionem hic motus contritionis necessarius.* Ergo Cõcilium assignat pro materia huius Sacramenti illum motum contritionis, qui quovis tempore fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum. Atqui dolor, seu detestatio efficax peccatorum cũ proposito absoluto non peccandi de cætero fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum. Ergo Concilium assignavit pro materia huius Sacramenti dolorem, ac detestationẽm efficacem peccatorum cum proposito absoluto non peccandi de cætero.

13 Minor probatur, quia sine detestatione efficaci peccatorum præteritorum nulli vnquam Deus peccata mortalia personalia dimisit, nec ad suam gratiam admisit vnquam peccatorem, quin converteretur ad ipsum ex toto corde, id est per contritionẽ incõpossibilem cum affectu actuali ad peccatũ mortale, (quam incompossibilitatem nõ habet simplex displicentia, & velleitas, sed solus dolor efficax inducens propositum absolutum non amplius peccandi) non enim accedit dispositus ad remissionem iniuriæ; qui illam ex animo non detestatur, sed dumtaxat habet illum dolorem, qui componi possit cum proposito irrogandi novam iniuriam: ergo dolor efficax peccatorum cum proposito absoluto non peccandi

candi de cætero fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum; ac proinde iste dolor, prout præscindit à contritione perfecta, quæ detestatur peccatum præcipuè, vel vnicè propter Deum summe dilectum, & à contritione imperfecta, seu attritione, quæ detestatur peccatum ob pœnas inferni, vel ob amissionem gloriæ, vel ob fœditatem peccati; & quatenus solum exprimit detestationem efficacem peccati cum proposito absoluto non peccandi, est materia, & pars Sacramenti Pœnit.

14 Sanè qualis, quantaque debeat esse contritio, & dolor sine quo peccata non remittuntur, non pollumus aliunde melius, ac tutius discere, quam ex litteris Sacris. Litteræ autem Sacræ vbique requiruntur contritionem, & dolorem efficacem, nempe dolorem ex toto corde; qui sit essentialiter incompossibilis cum omni peccato mortali actuali, qui enim habet affectum actualem ad aliquod obiectum graviter à Deo prohibitum, & scienter transgreditur præceptum Dei, non convertitur ex toto corde ad Deum, quamvis habeat attritionem de alijs peccatis, sed simpliciter aversus est à Deo, & conversus ad obiectum pravum. Quod autem id Sacræ litteræ id vbique requirant, constat „ex ipsis. Deut. 4. Cum quæsieris Do„minum, invenies eum, si toto corde „quæsieris eum, & tota tribulatione „animæ tuæ. Deut. 3. Si ductus pœni„tudine cordis, reversus fueris ad domi„num, in toto corde tuo, & in tota ani„ma tua, misserebitur tui. 3. Reg. 8. Si „peccaverint tibi, & reversi fuerint ad „te in vniverso corde suo, & tota ani„ma sua, propitiaberis populo tuo. 2. Pa„ralypom. 30. Dominus bonus propi„tiabitur cunctis, qui in toto corde re„quirunt eum. Hierem. 29. Quære„tis, & invenietis me, cum quæsieritis „me in toto corde vestro. Ioel. 2. Con„vertimini ad me in toto corde vestro.

15 Probatur deinde, *Motum illum contritionis, qui quouis tempore fuit necessarius ad impetrandã veniã peccatorum*, esse dolorẽ efficacẽ, quia est dolor coniunctus cũ proposito absoluto obseruandi omnia præcepta; id autem suadetur ex Sacris litteris. Amos 5. *Odite malũ & diligite bonũ; & cõstituite in porta iudicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* Isai. 1. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationũ vestrarum, quiescite agere perverse, discite bene facere.* Et mox: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Vbi videtur promissionẽ remissionis peccatorum post bona opera, saltẽ desiderio & proposito inchoata. Rursus Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam: vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Quo in loco verba illa, *Et custodierit omnia præcepta*, ad votũ, & desiderium seruãdi mandata referẽda videtur, non ad ipsam mandatorũ obseruantiam. Neque enim vt Deus remittat peccata homini verã agenti pœnitentiã, longũ expectat tempus, in quo ipse obseruet mãdata; cũ ipse Proph. cap. 33. dicat, *Quacunque die peccator conuersus fuerit*, indulgentiam habiturum.

16 Id etiam testatur Apostol. ad Eph. 4. dicens: *Deponite vos veterẽ hominem, qui corrumpitur secundũ desideria erroris, renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem.* Hinc D. Greg. hom. 34. in Evang. dixit: *Veram pœnitentiam esse admissa peccata plangere, & plangenda non committere.* Quam definitionẽ Theologi omnes vnanimi consensu receperunt. Ergo contritio, & dolor, quẽ Sacræ litteræ exigunt vt Deus remittat peccata, cõtinere debet propositũ absolutũ, & efficax non amplius peccandi. Idque persuadet exemplum ab humanis petitum; neque enim parentes graviter offensi à Filijs, & Domini à servis, & mariti ab vxoribus, illos in suã gratiam admittunt, quin ita doleant de offensa irrogata, vt efficaciter proponant non amplius irrogare. Ergo motus cõtritionis, qui quovis tẽpore fuit necessarius ad impetrandã veniã peccatorũ, est motus efficax cum proposito absoluto non peccãdi. At Concilium hanc contritionẽ assignat pro materia, & parte essentiali Sacramenti Pœnitentiæ: ergo contritio efficax est pars essentialis huius Sacramenti: ergo vbi pœnitens non affert hanc contritionem efficacem, non suscipit Sacramentum verum, & validum.

17 Quare, vt merito animadvertit P. Layn. lib. 5. tra. 6. c. 4. n. 8. propositum vitãdi in posterũ peccata mortalia ad valorem Sacramenti requisitũ, non tantũ absolutum esse debet, sed etiam efficax; ita vt cũ talis animi dispositio, seu voluntatis propositum durat, reipsa moveatur homo ad occasiones peccatorum amovendas, & omnem aliam operã adhibendam, quæ ad vitãda peccata necessaria videtur. Ratio est, quia propositũ finis, si absolutũ & firmum sit, statim movet voluntatẽ ad quæ-

renda, & amplectenda media necessaria.

13 Probatur rursus dolorem requisitū vt materiam, & partē Sacramenti Pœnitentiæ, debere esse efficacem, & cum proposito non peccandi de cætero; nam ille dolor explicatur à Concilio nomine contritionis, dum ait; *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentiæ actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.* Vt autem optimè observat P. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 8. punc. 1. versu; Sed vt sit; nomine contritionis omnes intelligunt dolorem de peccatis aliquem, qui sit cum absoluto proposito ea vitandi de cætero, saltem virtuali, nempe vt ita aliquis eiusmodi dolore affectus sit, vt facile velit in posterum vitare, si hæc illi cogitatio de peccatis futuris venit in mentem: ergo pœnitens qui confitetur peccata sine absoluto proposito non peccandi de cætero, non adducit dolorem, qui vocari possit contritio: ergo non suscipit verum Sacramentum pœnitentiæ, siquidem hoc constat tanquam materia, & parte essentiali contritione, & confessione, vt definit Tridentinum.

19 Vbi nota, ibi Concilium nomine contritionis non intelligere contritionem illam perfectam, quæ dolet de peccatis propter Deum summè dilectum, & essentialiter distinguitur ab attritione penès motivum: sed intelligere rationem quādam cōmunem contritioni perfectæ, & attritioni, quæ intra Sacramentum sufficit ad causandam gratiam, ad illamque sufficienter disponit; *Nimirum dolorem animi, seu detestationem de peccato cum proposito non peccandi de cætero.* In hac enim ratione conveniunt contritio perfecta, & attritio, quæ intra Sacramentum iustificat: non enim differunt penès efficaciam, & incompossibilitatem cum affectu ad peccatum; nam vt attritio intra Sacramentum iustificet, debet voluntatem peccandi excludere, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 4. Sed differunt penès motivum. Itaque nomen contritionis vt sic est nomen doloris efficacis de peccatis cum proposito non peccandi de cætero: & hic dolor, si oriatur ex dilectione Dei super omnia, vel illam imbibat, dicitur absolutè in communi modo loquendi act⁹ contritionis; si autem oriatur ex timore gehennæ, vel amissionis gloriæ, vel ex consideratione fœditatis peccati, dicitur attritio. De hoc ergo dolore, seu de hac contritione, quæ est ratio communis ad contritionem perfectam, & ad attritionem efficacem, loquitur Concilium, dum ait: *Contritionem esse partem, & materiam huius Sacramenti.*

20 Nota etiam cum Concilium ait: *Fuit autem hic motus contritionis quouis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum*, loqui de contritione efficaci vt sic, prout est ratio communis ad contritionem perfectam charitate formatam, & ad contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur. Altera enim ex illis semper fuit necessaria ad impetrandam veniam peccatorum tanquam medium à Deo assignatum ad salutem hominibus lapsis in peccatum mortale. Prima quidem fuit necessaria ante tempus legis Evangelicæ. Secunda vero sufficit cum Sacramento tempore legis gratiæ. Vt enim inquit Pater Laymam ex communi consensu Doctorum lib. 5. tract. 6. cap. 2. numero 1. Hoc discrimen est inter „ statum legis Evangelicæ, & statum ante gratiam Evangelij; quod ante legem „ gratiæ nemo adultus à peccato mortali „ liberari, & iustificari poterat sine vera „ contritione includente charitatem Dei „ super omnia; propterea, quod Sacramenta veteris legis innania signa erant, „ quæ gratiam Dei per se non conferebant; sed excitabant fidē in Christum, „ quæ si formata fuerat per actum charitatis, & contritionis, vim habuit iustificandi. In lege autem nova post commissum peccatum mortale non est necessaria vera contritio homini suscepturo Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ; sed sufficit attritio etiam cognita, quam obrem dici solet, ex attritio hominem virtute Sacramenti fieri contritum. Quod non ita intelligi debet, quasi actus attritionis transeat in actum contritionis, sed quod peccator per attritionem cum Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ perinde iustificetur, atque per veram contritionem extra Sacramentum; vti docet S. Thomas in quartum dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. contra S. Bonaventura part. 2. art. 2. quæst. 3.

21 Idque constat ex Tridentino eo cap. 4. postquam enim divisit contritionem vt sic in contritionem perfectam, charitate formatam, quæ hominem reconciliat Deo priusquā in re hoc Sacramentum suscipiat, licet non sine voto, seu proposito Sacramentum suo tempore recipiendi, & in contritionem imperfectā, „ quæ attritio (inquit) dicitur, quoniā vel „ ex turpitudinis peccati consideratione,

vel ex

„ex gehennæ, & pœnarum metu com-
„muniter concipitur, paulo post addit:
„Et quamvis sine Sacramento Pœniten-
„tiæ per se ad iustificationem peccato-
„rum perducere nequeat, tamen eum ad
„Dei gratiam in Sacramento Pœniten-
„tiæ impetrandam disponit. Ex quo sic infero: sola attritio in lege nova per se peccatorem ad iustificationem perducere nequit; sed indiget consortio Sacramenti: ergo sola attritio in lege veteri, & toto tempore ante Evangelium per se perducere non potuit peccatorem ad iustificationem: ergo vt tunc peccatores iustificarentur à suis peccatis mortalibus indigebant contritione perfecta, ac proinde hæc ante Evangelium fuit omnino necessaria ad impetrandam veniam peccatorum; siquidem ante Evangelium non fuerunt Sacramenta, quæ haberent vim conferendi gratiam iustificantem peccatoribus accedentibus cum sola attritione ad ipsa suscipienda.

22 Alio præterea argumento probatur ex Tridentino dolorem efficacem non minus necessarium esse ad valorem huius Sacramenti, quam ad fructum: Atqui ad fructum, certissimum est, requiri dolorem efficacem, vt vidimus sect. 1 ergo etiam requitur ad valorem. Assumptum probatur: nam post-
„quam Concilium dixit: Sunt autem quasi
„materia huius Sacramenti ipsius Pœnitē-
„tis actus, nempe contritio, confessio, &
„satisfactio: statim addit: Qui quate-
„nus in pœnitente ad integritatem Sa-
„cramenti, ad plenamque, & perfectam
„peccatorum remissionem ex Dei insti-
„tutione requiruntur, hac ratione par-
„tes pœnitentiæ dicuntur. Ergo iuxta Concilium eatenus contritio, & confessio sunt partes essentiales huius Sacramenti, & satisfactio pars integralis; quatenus ex Dei institutione contritio, & confessio requiruntur ad remissionem culpæ, & æternæ pœnæ; & satisfactio requiritur ad remissionem pœnæ temporalis manentis post dimissam culpam. Atqui contritio est necessaria ad remissionem culpæ, quatenus est detestatio efficax peccatorum cum proposito absoluto non peccandi de cætero; vt est in confesso apud omnes: ergo contritio est pars Sacramenti, quatenus est detestatio efficax peccatorum cum proposito absoluto non peccandi de cætero. Ergo sicut contritio efficax non est dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum; ita non est pars constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ.

23 Dices contritionem, & confessionem esse partes ex Dei institutione requisitas ad integritatem Sacramenti; satisfactionem vero ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem, quia non est plena, & perfecta remissio quoad vsque remittitur omnis pœna debita peccato: Concilium enim ibi duo distinguit, nempe integritatem Sacramenti, plenam, perfectamque peccatorum remissionem, quare dum dicit illos tres pœnitentis actus ex Dei institutione requiri *ad integritatem Sacramenti; ad plenamque, & perfectam remissionem peccatorum*, videtur, quod debeant tribui singula singulis, scilicet quod integritas Sacramenti correspondeat cõtritioni, & confessioni; plena autem perfectaque remissio correspondet Satisfactioni. Ergo contritio, & confessio non eatenus dicuntur partes Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus ex Dei institutione requiruntur ad remissionem peccatorum, sed præcisè quatenus requiruntur ad integritatem Sacramenti. Nostrum ergo argumentũ non concludit, vtpotè quod non videtur formatum ad mentem Concilij.

24 Respondeo cum perfecta, plenaque remissio peccatorum includat formaliter remissionem culpæ, & cum remissio culpæ proveniat à contritione, & confessione, simul cum absolutione; certum esse debet ex mente Concilij cõtritionem, & confessionem requiri ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem, licet sæpè non sufficiant, sed viterius requiratur satisfactio, quia plena perfectaque remissio includit, non solum remissionem culpæ, sed remissionem pœnæ. Rursus cum integritas Sacramenti includat, non solum partes essentiales, sine quibus essentia Sacramenti non salvatur, sed etiam partem integralem, quæ est complementum Sacramenti, nempe satisfactionem; certum quoque debet esse ex mente Concilij, satisfactionem requiri ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ: ac proinde illi tres actus pœnitentis contritio, confessio, & satisfactio requiruntur ex Christi institutione ad integritatẽ Sacramenti Pœnitentiæ, & omnes tres requirũtur ad plenã, perfectãque peccatorum remissionem; immò idem est requiri ad integritatẽ Sacramenti, ac requiri ad plenã, perfectamque peccatorũ remissionem. Quare argumentum à no-

bis factum efficax est: si enim iuxta Concilium contritio, confessio, & satisfactio eatenus sunt partes huius Sacramenti, quatenus ex institutione divina requiruntur ad perfectam, plenamque peccatorum remissionem: quia contritio eatenus est pars, quatenus requiritur ad remissionem peccati mortalis ex institutione divina; & satisfactio, quatenus requiritur ad remissionem pœnæ remanentis dimissa iam culpa per contritionem, confessionem, & absolutionem, quæ essentiam Sacramēti constituunt. Atqui ex institutione divina requiritur contritio efficax ad remissionem culpæ in hoc Sacramento obtinendam, ergo ex institutione divina contritio efficax est pars huius Sacramenti. Nam sub eadem ratione est pars, sub qua est requisitum ad remissionem peccati: at est requisitam ad remissionem, quatenus est detestatio efficax de peccato cum proposito absoluto non peccandi de cætero: ergo est pars huius Sacramenti, quatenus est detestatatio efficax, &c.

25 Et confirmatur: satisfactio per eandem formalitatem, & sub eadem ratione est requisitum ad remissionem pœnæ temporalis remanentis post remissionem culpæ; per quam est pars huius Sacramenti; & per eandem est pars, per quam requisitum ad remissionem pœnæ. Ergo contritio per eandem formalitatem est pars huius Sacramenti, per quam est requisitum ex institutione divina ad remissionem culpæ. At contritio, quatenus detestatio efficax de peccato, est requisitum ad remissionem culpæ: ergo quatenus detestatio efficax de peccato est pars essentialis huius Sacramenti. At deficiente parte essentiali, Sacramentum evadit irritum & invalidum: ergo confessio facta sine dolore, seu attritione efficaci, est irrita, & invalida, ac proinde iteranda.

26 Argumentor deinde, nam Concilium dùm assignat contritionem, & cōfessionem pro materia essentiali, ex qua simul cum absolutione constituitur hoc Sacramentum, tanquam totum quoddam morale resultans ex materia, & forma; eodem modo loquitur de contritione, ac de confessione integra. Atqui confessio integra formaliter, non solum quatenus integra est dispositio ad gratiam, sed quatenus integra est materia necessaria ad valorem huius Sacramenti: ergo contritio, quatenus efficax, non solum est dispositio ad gratiam, sed quatenus efficax est materia necessaria ad valorem huius Sacramenti. Nec vllum est fundamentum in Concilio ad asserendum efficaciam contritionis esse necessariam ad fructum Sacramenti, & non esse necessariam ad valorem; immò est fundamentum ad asserendum esse necessariam ad vtrumque: cum enim in toto illo capite, & in tota illa sessione mentionem solum faciat de contritione, quæ est dispositio ad gratiam, & est constitutivū necessarium Sacramenti, nec vllo pacto distinguat inter contritionem, vt est dispositio, & vt est materia necessaria ad valorem Sacramenti, sequitur, quod sub eadem ratione formali contritionis efficacis, vtrumque habet.

27 Denique argumentor, quia cum Concilium cap. 3. dixisset, contritionem esse partem Sacramenti tanquam materiam, ex qua scilicet, & confessione simul cum absolutione resultat essentia Sacramenti; postea cap. 4. explicans hunc dolorem, illum dividit in contritionem perfectam, quæ detestatur peccatum vnicè, vel præcipuè ob Deum summè dilectum, id est, quia peccatum est offensa Dei, quem pœnitens super omnia diligit, & in contritionem imperfectam, „Quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex „turpitudinis peccati consideratione, „vel ex gehennæ, & pœnarum metu „communiter concipitur; & statim subiungit, hanc attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, „non solum non facere hominem hypocritam, sed donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem habitantis, sed tantum moventis, „quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Ergo Concilium explicans contritionem, quæ est materia, & pars essentialis Sacramenti, declarat debere esse vel contritionem perfectam conceptam ob Deum summe dilectum, vel attritionem, non qualemcumque, sed quæ voluntatem peccandi excludat, & donū Dei sit. Ergo declarat, attritionem non esse partem Sacramenti, nisi voluntatem peccandi excludat. At voluntatem peccandi non excludit attritio inefficax, sed solum attritio efficax: ergo declarat attritionem, quæ sit pars Sacramenti debere esse efficacem: ergo ex mente Concilij confessio facta cum attritione tantum inefficaci; quæ voluntatem

tem peccandi non excludat, aut donum Dei non sit, non est valida, sed est omnino irrita; ac proinde repetenda.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ; & declaratur; quomodo non oporteat fideles esse nimium solicitos in repetendis confessionibus, & exponitur, cur Sacramentum Pœnitentiæ ne queat esse validum, & informe.

28 AD fundamentum sententiæ contrariæ propositum ad finem sectionis secundæ, quod scilicet fideles essent nimis anxij, & soliciti in repetendis confessionibus, si non posset confessio esse valida, & tamen informis ob imperfectionem doloris, & propositi. Respondeo, vt quis sit deobligatus à repetendis confessionibus bona fide factis, non requiri, quod modo certus sit, se confessum fuisse cum proposito absoluto, & efficaci non iterum peccandi; sed satis esse, quod probabiliter hoc existimet; vt explicat Pater Vazquez quæst. 92. articulo 2. dub. vnico, numero 29. Ad hoc autem vt pœnitens nunc probabiliter iudicet se confessum fuisse cum vero dolore, & proposito absoluto non amplius peccandi, satis est, si sciat, se post confessionem cautius incedisse quam ante illam; & rarius, quam antea solebat, lapsum fuisse, seu per longiorem temporis tractum se conservasse sine lapsu graui, quam solebat, ante confessionem: si sciat, se per aliquod tempus vsum fuisse remedijs, quę sibi contra recidiuum peccati imperata fuerunt à Confessario, & reipsa amouisse occasiones peccandi, quas ante confessionem amouere non solebat; ijs indicijs prudenter iudicare potest, se confessum fuisse valide, licet postea ex fragilitate relapsus sit, & quamvis reipsa contigerit, quod illa confessio fuerit nulla, si tamen ijs fundamentis ductus iudicet probabiliter fuisse validam, eximitur ab obligatione repetendi illam confessionem; cuius defectum facile supplebit postea, vel per actum perfectæ contritionis, vel per confessiones subsequentes, in quibus remittentur indirecte peccata illa invalide expossita, per hoc quod doleat de peccatis commissis post illam confessionem ob motiuum vniuersale, quod omnia mortalia præterita comprehendat.

29 Nec habebit obligationem repetendi confessionem illam bona fide factam, nisi superueniat positivum fundamentum, vi cuius prudenter iudicet, se nõ attulisse propositum firmum non peccandi, quando illam confessionem fecit, vel saltem vi cuius prudenter dubitet, an habuerit illud propositum firmum, cum confessus est. Si autem dubitet prudenter, tenebitur repetere illam confessionem. Ratio est, quia ille certus est se peccasse mortaliter; rursus certus est, peccata illa à se commissa habere sibi annexam obligationem gravem, ea exponendi in confessione cum dolore, & proposito sufficienti ad efficiendum Sacramentum: item propter argumenta à nobis facta ex Concilio, sibi firmiter persuadet, confessionem illam fuisse nullam, si ipse reipsa non habuit dolorem efficacem de peccatis, id est dolorem cum absoluto, & firmo proposito non peccandi: ergo si non habet fundamentum positivum, quo sibi persuadeat per assensum opinativum prudentem, se fecisse illam confessionem cum eiusmodi dolore, & proposito, tenetur illam confessionem repetere; nam vbi debitum est certum, & non datur argumentum positivum, vi cuius quis prudenter iudicet, factam esse solutionem, sed potius prudenter dubitatur de solutione, debet debitum illud integrè solvi. Ergo debet solvi debitum confessionis, quando prudenter dubitatur, an fuerit solutum.

30 Secundum vero fundamentum aduersariorum desumptum à paritate aliorum Sacramentorum, quæ possunt esse valida, & informia; nihil probat; vt vidimus disp. præcedenti sect. 6. circa finem. Nam in alijs Sacramentis dolor de peccatis, & propositum efficax non peccandi de cætero, non sunt materia ipsius Sacramenti, sed dispositio ad digne suscipiendum Sacramentum, quod est adæquate distinctum ab illa dispositione: vnde deficiente dolore, possunt manere omnia constitutiva Sacramenti; existentibus autem omnibus constitutivis, existit Sacramentum. At in Sacramento Pœnitentiæ dolor ipse efficax cum proposito non peccandi de cætero est materia, & pars essentialis ipsius Sacramenti, vt probauimus ex Tridentino: voluit quippe Deus ad remittenda mortalia post Baptismum commissa instituere Sacramentum, in

quo actus ipsius pœnitentis, nempe detestatio de peccatis cum proposito non peccandi de cætero, & confessio formaliter integra, essent partes essentiales, & materia ex qua simul cum absolutione legitimi Sacerdotis constitueretur essentia Sacramenti, postea integranda, & complenda per satisfactionem. Vnde non dedit potestatem Sacerdotibus valide absolvendi pœnitentem, qui non accederet saltem cum attritione efficaci de peccatis; sicut non dedit potestatem valide absolvendi eum, qui scienter, & malitiose aliquod peccatum mortale in confessione taceret; nec eum qui reipsa accederet sine dolore vllo vero, quamvis bona fide existimaret, se dolorem afferre: voluit quippe Christus non dare potestatem valide absolvendi pœnitentem, qui ex parte sua non accederet ritè dispositus ad recipiendam gratiam remissionis peccatorum; ad quam gratiam non accedit ritè dispositus dum non accedit cum dolore efficaci.

31 Quare, vt inquit P. Vazquez, in hoc Sacramento sufficienter dispositus accedit ad effectum illius, qui sufficientem præbet materiam, vt accedente forma fiat verum Sacramentum; sic enim ex parte sua quantum debet affert, & merito sententiam expectat; quia cum partes huius Sacramenti, & materia, cui applicanda est absolutio, sint actus humani; si homo totum, quod sententia postulat, vt talis sententia vera, & firma sit, præstat; sufficienter dispositus ex parte sua accedit vt absolvatur. Quare in hoc Sacramento idem est dolor constituens valorem Sacramenti, & disponens ad eius fructum.

SECTIO QVINTA.

Assignantur casus, in quibus peccatores habere possunt prudens fundamentum ad reiterandas confessiones bona fide factas.

32 RATIONIBVS hucusque expositis ex Tridentino vsus sum in Missionibus ad pungenda peccatorum corda: & quam plurimos induxi ad faciendas confessiones generales, in quibus repeterent peccata in alijs confessionibus integre exposita; si nunc prudenter iudicarent, se antea confessos fuisse sine proposito firmo de cætero non peccandi. Quamvis enim demus eos dum confessi sunt accessisse bona fide, existimantes se afferre propositum absolutum non peccandi; si tamen nunc fundamento prudenti deprehendant, se confessos fuisse sine vllo proposito, tenentur nunc illas confessiones repetere, nam bona fides, si extitit, (nam sæpè non est bona fides, sed error crassus, & ignorantia supina) excusavit sacrilegium, non tamen satis fuit vt esset valida confessio facta reipsa sine proposito absoluto non peccandi; quia vbi deficit pars essentialis Sacramenti, deficit Sacramentum. Ergo qui modo prudenter iudicat, confessionem à se bona fide factam, reipsa fuisse factam sine dolore efficaci, & sine proposito firmo emmẽdationis; nunc iudicat fuisse nullam: ergo nunc iudicat, se per illam non solvisse debitum confitendi: ergo iudicat illud debitum confitendi ea peccata cum dolore efficaci, & proposito firmo emmendationis integrũ nunc subsistere, ac proinde se teneri ad illud solvendum. Id explicare soleo exẽplo, nam si rusticus accedat, merces empturus ad domum vendentis, & offerat aureum reipsa adulterinum, & falsum, quem tamen bona fide existimat esse legitimum, illumque offerat pro pretio mercis perito mercatori: ille quidem cognita bona fide ementis, ipsũ nõ reprehendet propter fraudem, quam ille non advertit, non tamen dabit mercem pro aureo adulterino. Sic ergo Deus peccatorem, qui ad emendam pretiosissimam vestem gratiæ affert dolorem reipsa inefficacem, putatum tamen efficacem, non reprehendet, nec supplicio dignum iudicabit ob hanc confessionem; non tamen propterea illi vnquam concedet vestem illam gratiæ ob illam confessionem; sed ad conferẽdam gratiam exiget tanquam pretium confessionem nouam illorum peccatorum cum dolore efficaci, & proposito absoluto emmendationis.

34 Si autem quæras, quinam peccatores habeant nunc prudens fundadamentum ad iudicandum, se non fuisse confessos cum vero dolore efficaci, & firmo proposito: respondeo primò, hoc fundamentum habere mercatores, qui habẽt consuetudinem falso iurandi, se merces tanto pretio emisse, nec posse infra tantum pretium illas vendere. Hi enim ob vilissimum, & exiguum lucrum quotidie peierant, & quamvis sæpè confiteantur, semper redeunt cum eisdem peccatis periurij: quod argumento efficacissimo

mo est, eos sua iuramenta falsa confiteri sine proposito firmo, non amplius falsum iurandi: obligandique sunt repetere confessiones factas durante prava illa consuetudine; monendique sunt, vt pravam illam consuetudinem abscindant; si autem non fecerint, neganda est illis absolutio, vel differenda quousque fructus emaiendationis agnoscatur.

34 Secundò tenentur confessiones repetere concubinarij, qui habentes domi concubinam, & potentes illam è domo pellere; sæpè id in confessione promisserunt, & nunquam promissis steterunt, ij enim sufficiens habent fundamentum ad credendum, se non attuliſſe firmum propositum in illis confessionibus. Tertiò, qui licet non habeant concubinam domi suæ, sed alia in domo, frequenter illuc accedunt; & quamvis sæpè coram Confessario proposuerint non amplius adire sine vrgente necessitate illam domum; nihilominus post confessionem factam redeunt cum eadem frequentia, qua antea. Ij enim nullum fundamentum habent vt credant, se habuisse verum, & serium propositum vitandi illam occasionem proximam peccandi; ac proinde debent iterare illas confessiones. Quartò, qui habentes in eadem domo fœminam, cum qua labuntur frequentissimè in peccata fœdissima, si solitariè, & seclusis arbitris cum illa commorentur; in confessione sæpè proposuerunt, nunquam quærere occasionem commorandi cum illa in loco occulto; & post confessiones cum eadem frequentia relapsi sunt, qua antea: hoc enim sufficiens est fundamentum, vt credant, se non attuliſſe in illis confessionibus firmum propositum. Si commoratio in eadem domo est inevitabilis, & qui confitetur adhibuit conatum serium ad emendationem, quia remedijs vsus est, quæ ipsi à Confessario contra recidivum imperata sunt, & occasiones extrinsecas peccandi, quas pollicitus fuerat, reipsa removit, quamvis relapsus sit aliquoties post confessionem, iste non habet fundamentum sufficiens, vt credat, se in priore confessione fuisse confessum sine vero, & firmo proposito, immò ex effectibus conijcere prudenter potest, se cum vero proposito confessum fuisse; & solum ex fragilitate fuisse relapsum.

35 Quintò tenentur confessiones repetere, qui habentes obligationem restituendi, & bona vnde restituant, quotidie in confessionibus proponunt restituere, & nunquam restituunt: & quamvis illis non desit pecunia ad ludum, ad lites iniustas, & ad pompam vanam in vestibus, illis tamen deest ad reddendum creditoribus: ij nanque sufficientissimum habent fundamentum, vt credant, se non feciſſe confessiones validas. Expeditque vt Confessarij, antequam peccata pœnitentis audire incipiant, ipsum interrogent, an habeat debitum aliquod, fueritque in mora solutionis; & an in alijs confessionibus illud dixerit, & promisserit restituere, & non fecerit; si enim in vna, vel duabus confessionibus non impleverit promissum, debet illum non absolvere, quin prius solvat, si potest.

36 Sextò, qui habent consuetudinem incidendi frequenter in pollutiones voluntarias, & quibus confessio, & Eucharistiæ sumptio non est vllum frænum, vt saltem rarius prolabantur; sed cum eadem frequentia prolabuntur, ac si confessi non fuissent; suspicari vehementer, possunt, se non accessisse ad confessionem, & communionem cum legitima dispositione; ac proinde repetere debent illas confessiones. Quamvis enim rectè cohæreant, Petrum nunc confiteri cum vero, & firmo proposito non amplius peccandi, & paulo post ingruente gravi tentatione labi in peccatum mortale, siquidem confessio non reddit hominem impeccabilem: tamen qui post confessionem, & Sacram Communionem non cautius incedunt; & cum eadem facilitate, & frequentia peccant, ac si confessi non fuissent; nullum fundamentum habent, quo prudenter moveri possint ad iudicandum se valide confessos fuisse, & digne suscepisse Eucharistiam: cum enim propositum illud sit actus spiritualis in voluntate ipsa receptus, & latens, quem videre nō potest peccator immediate in ipso, sed solū potest ipsum cognoscere per effectus exteriores; sanè si nullus extat effectus exterior, vi cuius conijcere possit, se habuisse illud propositum, non potest prudenter iudicare se habuisse illud; ac proinde tenetur repetere confessionē; quia debitum confessionis annexum peccatis mortalibus, quæ certo scit se commisisse, est certum; & nullum habet fundamentum probabile ad probandum se satisfeciſſe illi debito per validam, & legitimam confessionem: ergo subsistit illud debitum.

37 Immò in illo casu habet positivum fundamentum ad credendum, se male confessum fuisse, & indigne accessisse ad Sacram Communionem, cum enim sit proprius effectus Sacræ Communionis rite susceptæ animam roborare ad vincendas tentationes, & præbere auxilia actualia divinæ gratiæ, quæ homines impellant ad non peccandum; sanè qui post Sacram Communionem eandem omnino fragilitatem, & facilitatem peccandi experitur, quam ante confessionem & Communionem habebat, prudenter suspicari poterit, se indigne accessisse, & ideo nõ fuisse expertum robur illud, quod Sacra Eucharistia communicat fidelibus eam digne suscipientibus ad vincendas tentationes, & fugiendas occasiones peccandi.

38 Denique vt alia omittam, habent sufficiens fundamentum ad credendum se indigne confessos fuisse, illi, qui inimicitias gerunt cum proximis suis, & quamvis dicant, se non velle eis malum; nullam tamen prætermittunt occasionem eis nocendi, vel in honore, de eis ob murmurando; vel in bonis exterioribus, impediendo occasiones, in quibus eorum adversarij possent res suas augere; vel calidè obsistendo, ne ad officia honorifica in Republica evehantur; aut stemmata nobilitatis obtineant in aliquo ex Ordinibus Militaribus, & qui frivolo prætextu nolunt communicare cum illis, sed ab ipsorum conversatione fugiunt; nec æquo animo ferunt, vt illi ad ipsorum domus divertant.

DISPVTATIO XXXXII.

DE EXAMINE QVOD ANTE CONFESSIONEM PRÆMITTI DEBET.

Quæ attinet ad examen breviter perstringenda sunt.

QVÆRITVR ego primò, an validam efficiat confessionem, qui reipsa non adhibuit diligẽtiam requisitam ex præcepto, in discutienda conscientia; eã tamen diligentiã omisit ex ignorantia invincibili, & ad pedes Confessarij accedit bona fide existimans se sufficienter examinasse conscientiam. Ratio dubitandi, quia iuxta Tridentinũ materia huius Sacramenti non est qualiscunque confessio, sed confessio formaliter integra, id est confessio, *in qua pœnitens exponit omnia mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt.* At hanc confessionem non facit, qui diligenter conscientiam non discussit, quamvis ea negligentia non fuerit peccaminosa: quia non verificatur, illum exponere omnia mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt; ergo non facit confessionem, quam Christus assignavit pro materia huius Sacramenti; ergo non suscipit validum Sacramentum. Probatur consequẽtia, quia non datur validum Sacramentum, vbi non exhibetur materia à Christo instituta pro illo Sacramento: materia autem assignata à Christo pro Sacramento Pœnitentiæ, est confessio, in qua pœnitens *recenset omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet*; vt constat ex Trident. sess. 14. cap. 5. quod non verificatur de eo, qui negligenter conscientiam discussit; ille enim potius recenset omnia mortalia, quorum post negligentem sui discussionem conscientiam habet, ergo &c. Quare sicut is, qui accedit sine dolore, & proposito efficaci, non suscipit validum Sacramentum, quamvis bona fide, & inculpabiliter existimet se afferre dolorem sufficientem; ita videtur dicendum in præsenti. Nam bona fides, qua inculpabiliter quis putat, se sufficienter discussisse conscientiam, excusabit quidem sacrilegium; non tamen præstabit, vt validum conficiatur Sacramentum, vbi non ponitur confessio assignata à Christo pro materia Sacramenti Pœnitentiæ.

2 Imprimis adverto cum Victoria in ſumma num. 162. *Raro contingere, quod velit, quis examinare conſcientiam ſuam, & putet ſe feciſſe ſufficientem diligentiam, quin fecerit diligentiam.* Sed admittendo poſſe caſum contingere, ſaltem raro, videamus quid dicant Authores.

3 P. Suarez diſp. 23. de pœnit. ſect. 3. num. 2. numerans caſus, in quibus confeſsio ſit formaliter integra, & valida, licet aliquod peccatum mortale omittatur: ponit caſum illius, *Qui invincibiliter credit ſe adhibuiſſe diligentiam neceſſariam, cum tamen revera non adhibuerit*; ac proinde ſentit illam cõfeſsionem eſſe validam, & ſupponit id eſſe de communi ſenſu Doctorum. Et eſſe validam ſupponit etiam P. Vazquez tom. de pœnit. quæſt. 92. art. 3. dub. 1. num. 4. vbi ſolum admittit confeſsionem nullam defectu integritatis ob negligentiam examinis, quando illa negligentia eſt graviter culpabilis, proveniens ex ignorantia craſſa, & ſupina. Item P. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 5. id teſtatur eſſe communem ſenſum Doctorum, his verbis: *Si aliquis abſq; negligentia mortali, memoriam non habeat commiſſi peccati, fructuoſe ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ, modo reliqua mortalia confiteatur. Eſt communis doctrina, &c.* Idem docet Cardinalis de Lugo diſp. 16. de pœnit. num. 611.

4 Quare defectus ille examinis, quando non eſt mortalis, neque faciens confeſsionem ſacrilegam, non facit confeſsionem invalidam, neque in fructuoſam, quia eſt defectus alicuius prærequiſiti antecedentis, quod non eſt pars conſtitutiva Sacramenti, ac proinde quamvis non præceſſerit, ſi id contingat abſque peccato mortali, confeſsio erit valida, & fructuoſa. Aliaque eſt ratio de dolore, qui eſt conſtitutivum intrinſecum Sacramenti: illo namque deficiente, quamvis id contingat abſque culpa pœnitentis, nõ dabitur Sacramentum Pœnitentiæ; quia deficiente parte conſtitutiva totius deficit totum, quomodocumque illa deficiat. Neque credibile ſit, mentem Concilij eſſe, quod non faciat confeſsionem validam is, qui exponit omnia mortalia, quæ conſcientiæ eius occurrunt poſt eam diligentiam, quam ipſe bona fide exiſtimat fuiſſe ſufficientem. Quare verba Concilij ſolum ſupponunt dari obligationem faciendi diligentem conſcientiæ diſcuſsionem; non ſupponunt autem, non eſſe materiam ſufficientem Sacramenti Pœnitentiæ illam confeſsionem, in qua quis exponit omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt poſt conſcientiæ diſcuſsionem, quam ipſe bona fide putat fuiſſe diligentem.

5 Quæritur ſecundo, quanta debeat eſſe illa diligẽtia in faciendo examine, vt cenſeatur ſufficiens? Reſpondet Scotus in 4. diſt. 17. quæſt. vnica art. 2. debere eſſe: *Inquiſitionem diligentem, ſecundam poſsibilitatem fragilitatis humanæ; qualem inquiſitionem homo faceret circa negotium arduum, quod illi multum cordi eſſet.* Addit Laymam hæc verb. Scoti referens, ſpectandas etiam eſſe hic circunſtantias perſonæ confitentis, numerum, & qualitatem peccatorũ, &c. Nam minore examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur: item qui multis negotijs, aut commercijs, cum peccandi occaſione iunctis, impliciti ſunt, quam hi, qui vitam quietam agunt. Denique rudes, & imperitos adhibere non poſſe, tam exactam diſcuſsionem, ſicuti Doctos, & intelligentes: quamobrem illos Confeſſarij examine iubari debere.

6 Quanta debeat eſſe diligentia in examinanda conſcientia, explicat optimè Magiſter Victoria in ſumma n. 161. ijs verbis: Dico igitur, quod poſt „ quam quis voluit adhibere diligẽtiam „ & fecit aliquam examinationem, quam „ putavit ſufficientem, credo, quod raro „ talis committet negligentiam. Dico „ præterea, quod quando ego puto, quod „ per parvam diligentiam vlteriorem „ veniam in cognitionem peccatorum „ præteritorum, ſi non fecero illam, non „ erit ſufficiens examinatio. Sufficit autem taliter examinare, quod etiamſi „ amplius examinaſſem per aliquod aliud „ tempus, non recordarer aliorum. Et hęc „ ſufficit. Credo, quod viri, qui habent „ animæ ſuæ curam, nunquam deficiunt „ in examinatione conſcientiæ ſuæ. Victoriam ſecutus eſt M. Cano Relect. de pœnit. part. 5. fol. mihi 106. vbi rem hanc dilucide exponit, & copioſius, quam Victoria, cuius de hac re iudicium mihi videtur rectum, & verum, & valde aptum ad ſedandos ſcrupulos, quibus aliqui fideles angi ſolent, an diligentiam neceſſariam adhibuerint in examinanda ſua „ conſcientia. Qui adhibet (inquit ille) „ humanam, vel mediocrem diligentiam, „ qualem videlicet præſtare ſolent viri „ mediocriter timentes Deum, quiſque „ iuxta conditionem gradus, & ordinis ſui,

„ſui verè implet legem de confeſsione „integrè faciendâ, v.g. Si ego adhibui „aliquam diligentiam, & per parvam vl„teriorem probabiliter exiſtimo, aliqua „mortalia fore in memoriam revocan„da, tenetur vlterius inquirere. Quod ſi „putem nullum aliud peccatum venturũ „in mentem, niſi forſitam ingenti qua„dam diſcuſsione, & magni temporis „inquiſitione, non oportet eſſe ſolicitum, „ſatis nempe eſt illa mediocris, & huma„na diligentia. Siquis autem adhibuit „diligentiam, & curam in examinanda „conſcientia, quam credit eſſe ſufficien„tem, etiamſi fallatur, excuſari talis ne„gligentia à peccato mortali, & poteſt „& debet. Non in omnibus id quidem, „ſed in hominibus pijs, qui timẽt Deum, „ac habẽt mediocrem curam animæ ſuę. „Cæterum impios, quos videlicet nulla „animæ ſuæ cura tangit, ego nulla ra„tione à peccato mortali excuſarem, „etiamſi exiſtiment, ſe diligentiam ido„neam habuiſſe: cum videlicet, omit„tant, vel ignorantes, aliqua peccata, ex „inſufficienti diſcuſsione. Nam cum hu„iuſmodi hominibus minima diligentia „eſſe videatur maxima, cumque ſint ſo„liti abhibere mediocrem, timere ſibi ne„ceſſario debent. Quod ſi non timent, „nullam excuſationem habent peccati „ſui: contra, viri conſcientiæ ſobrię, & „timoratæ, cum adhibere diligentiam, „& curam ſoleant: ſi quando ex ignorã„tia, & in conſideratione prætermit„tunt: iure optimo, mortali culpa ſaltem, „excuſantur.

7 Horum Doctorum placitum ſequitur Navarrus in Manuali cap. 9. n. „12. dicens: Tantam debere eſſe ac ſuf„ficere diligentiam, quanta viro pruden„ti, & æſtimatori humano, videbitur ne„ceſſaria hominibus eiuſdem qualitatis, „& conditionis, qualis eſt pœnitens ille, „attenta ſaltem ipſius voluntate, qua cu„pit interrogari à Confeſſario, & de in„terrogatis reſpondere, quæ magnam „partem diligentiæ requiſitæ ſupplet.

8 Idque latius tractaverat Navarrus in cap. Fratres à num. 60. præſertim num. 79. cujus verba ſupra pag. 471. num. 31 tranſcripſimus, quæ omnino legenda ſunt à Confeſſarijs, qui anguntur ſcrupulis, ſi excipiant confeſsiones ruſticorum, quin præmiſerint illi longum examen. Iſte namque pijſsimus, & ſapientiſsimus Author fatetur, ſe aliquando vehementer timuiſſe, ne eſſent invalidæ confeſsiones ordinariæ hominum gregalium, qui accedunt ad pedes Confeſſarii exiguo præmiſſo examine ſuæ conſcientiæ; poſtea autem ſapientior factus, depoſuit hunc timorem, & anxietatem & iudicavit in huiuſmodi pœnitentibus *ſufficere diligentiam aliquantulam cum propoſito, & voluntate obediendi, & reſpondendi Confeſſario, quoniam ſcit de more interrogatorum.* Quia nimirum diligentia confeſſarij in interrogando pœnitentes ſimplices de ſpeciebus, & numero peccatorum ſupplet defectum pœnitentis in diſcutienda conſcientia. Quare moderata diligentia ſufficit, vt hi ſecuri accedant ad confeſsionem faciendam cum Confeſſario, de quo prudenter iudicant interrogare diligenter pœnitentes, & quamvis illa diligentia ſit valde modica, ſi tamen ipſi ſciant, ſe melius, & facilius revocaturos in memoriam ſua peccata, ſi de illis interrogentur à Confeſſarijs, quam ſi proprio ſtudio illa inquirant, *Sufficit aliquantula illa diligentia*, vt nuper aiebat Navarrus. Quare vt inquit P. Valentia tom. 4. col. 1463. ad validum, & licitum vſum Sacramenti Pœnitentiæ, *Satis fuerit confiteri illa omnia, quæ poſt mediocrem diligentiam adhibitam ad cõmemorandum omnia, quando tempus ipſum neceſſario confitendi inſtat, occurrerint memoriæ.*

9 Meritoque P. Conninch diſp. 7. de pœnitentia num. 71. animadvertit: *Homines rudes non eſſe cogendos ad tam exactum examen, quam alios ingenioſores, quia illi non ſunt illius capaces, & quantumcunque adhiberent operam, non poſſent id exacte perficere. Quare Sacerdotem ſua induſtria eos examinando in ijs, in quibus vero ſimiliter conijcit, eos peccaſſe, debere eorum defectum ſupplere.*

(:)

DIS-

DISPVTATIO XXXXIII.

DEMONSTRATVR RATIONIBVS DIVINITAS CHRISTI DOMINI.

Ad quæst. 16. 3. part.

HANC disputationem, licet superioribus parum cohærentem, hic adijcio; propter rationes, quas sectione 2. propono: cæterum, quia illam præcipuè instituo ad conversiouem Gentilium, & Mahometanorum, rationibus vti decrevi, quæ divinitatem Christi ostendant adeò vividè, vt nisi quis vltrò cæcutire velit, eam ob oculos statuant. Et quamvis scopus non sit, divinitatem Christi probare contra Iudæos, tamen aliqua insinuabo scripturæ testimonia.

SECTIO PRIMA.

Insinuantur aliqua veteris testamenti testimonia pro diuinitate Christi.

1 AD probandam divinitatem Messiæ contra Iudæos plura testimonia veteris testamenti expendunt Patres, & Doctores, præsertim Paulus Burgensis 1. part. Scrutinij Scripturarum distinct. 9. cap. 9. præsertim illud Psalmi secundi: *Dominus dixit ad me, Filius meus est tu, ergo hodie genui te.* Quæ intelligi non posse de Davide ipso, constat ex contextu: intelligenda vero esse de Messia, fatentur Rabini, apud Burgensem; Messiam vero non futurum purum hominem, vt ipsi arbitrantur, sed verum Deum ex hoc ipso loco convincit idē Author: quia *Filium suum in singulari, quem ipse genuerit*, nullibi Deus appellat, nisi Christum: vt enim arguit Apostolus ad Hebræos 1. *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Messias ergo est Filius Dei naturalis, ex æternitate genitus; perinde enim fuit dicere, *Ego hodie genui te, ac ego in die æternitatis genui te Deus Deum*, inquit Bellarminus.

2 Secundò Mathæus cap. 22. & Apostolus 1. Corinth. 15. & ad Hebræos 5. probant, Christum esse Filium Dei naturalem ex illo Psalmi 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te:* Quæ verba de Christo intelligenda esse, fatentur sapientissimi Rabini, apud Burgensem. De eo enim hic loquitur, de quo paulò ante dixerat; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* In his autem verbis sermonem esse de Christo, vt quid manifestum supponebāt Phatisæi, cum quibus disputavit Christus Math. 22. v. 41. quos obmutescere fecit, quia cum planè fatsi essent, Christum futurum Filium Davidis, statim subiungit Christus: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est?* Ideòque respondere non poterunt, quia falso existimabant, Messiam futurum purum hominem; quo errore supposito, verificari non poterat, fore Davidis Filium, & simul Dominum. Argumentum vero concludit, Christum in vna persona duplicem habere naturam; alteram humanam, ratione cuius est Filius David; alteram divinam, ratione cuius est Filius naturalis Dei, ex vtero ante Luciferum genitus, & propterea verus Davidis Dominus. Consulatur P. Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 2. sect. 3. vbi contra Iudæos ostendit Messiam esse verum Deum, & in hanc scopum expendit illud Isaiæ cap. 9. *Parvulus datus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, Consiliarius Deus, &c.* Item illud Isaiæ cap. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos; tunc aperiuntur oculi cæcorum, &c.* Et illud Baruch 3. v. 36. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

3 Et hæc insinuasse sufficiat, vt deveniam ad argumenta sensibilia, quę exposita non sunt frivolis Hebræorum expositionibus.

SEC

SECTIO SECVNDA.

Introductio disputationis, eiusque maxima vtilitas.

4 *Si non crediderit is, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, dicebat Christus ad Iudæos, Ioann. 8. v. 24. id est, si non crediderit is, me esse Dei Filium, verumque Christum in lege, & Prophetis promissum, morieminini in peccato vestro, vt ad litteram explicant Toletus, & Maldonatus. Itaque credere, quod Iesus Nazarenus, quem Iudæi crucifixerunt, est Messias, seu Christus promissus in lege, verusque Dei Filius naturalis, ac proinde Deus, est medium necessarium ad æternam salutem, sicut est necessaria fides in vnum Deum, & propterea Christus, Ioan. 17. v. 3. aiebat: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: id est, hæc est causa vitæ æternæ, & hac sola via obtinenda est, nempe fide diuinitatis, & mysterij dispensationis, vt credatur Deus, & credatur Christus, vt expo nit Toletus: articuli enim fidei ad hæc duo reducuntur, ad veritatem diuinitatis, & ad mysteriũ Incarnationis Christi, per quam redemptio perfecta est, sine qua fide, nemo vitam habet æternam.

5 Probat vero optimè D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. fidem mysterij Incarnationis esse necessariam ad salutem, *Quia illud* (inquit) *per se pertinet ad obtum* fidei (sine qua iuxta Apostolum impossibile est placere Deo) per quod homo beatitudinem consequitur: via autem veniẽdi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis, & Passionis Christi: dicitur enim Actor. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Vnde infert mysterium Incarnationis aliqualiter fuisse creditum apud omnes habentes veram Dei fidem. Ante aduentum Christi sufficiebat hoc mysterium sub velis, & figuris credere: at post tempus gratiæ reuelatæ (inquit D. Thom.) tam maiores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur.

6 Certissimè ergo sciant omnes peccatores infideles, se nullatenus posse ad vitam æternam peruenire, nisi credant, quod Christus est Filius Dei viui: nam qui non credit, (inquit ipse Ioannis 3. v. 18.) iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei, id est, iam sententiæ damnationis est ipsẽ subiectus, & adiudicatus, quia non accepit salutis remedium, per quod ab illa sententia mortis liberaretur, vt exponit Toletus. Est autem hæc doctrina vtilissima nõ solum ad conuertendos Iudæos, & Mahumetanos, qui in neganda diuinitate Christi conueniunt; sed etiam ad piam fideliũ consolationem, & maiorem fidei firmitatem, quamvis enim argumenta credibilitatis, esto sint euidentia, non sufficiant ad generandum assensum, tam firmum, qualis est assensus fidei, qui firmius adhæret veritati rerum reuelatarum, quam intellectus adhæreat conclusionibus, quas per euidentia principia cognoscit, sed ad id sit necessarium donum supernaturalis fidei, tamen valde ad maiorem fidei firmitatem conducunt argumenta credibilitatis ritè expensa.

7 Considerans namque homo testimonia, quibus mysteria nostræ fidei reddantur euidenter credibilia, deprehẽdit dignam esse doctrinam Euangelicam, cui fides adhibeatur cum summa adhæsione, & certitudine, tanquam rei à Deo summè veraci reuelatæ: & quo magis expendit motiva credibilitatis, maiori accenditur desiderio assentiendi rebus fidei cum summa adhæsione vt enim optimè explicat P. Coninch de actibus supernaturalibus disp. 9. num. 73. posita sufficiẽti rei credendę propositione, ita vt intellect⁹ videat hanc rem esse talem, quam merito credat, esse à Deo reuelatam, voluntas statim ex pio erga primam veritatem affectu, mota ipsius reuerentia, magno cõnatu impellit intellectum, vt vehementer apprehendat illius maiestatem atque authoritatem, eamque hic, & nunc exigere, vt propter eam firmissimè credat id, quod sibi tanquam ab ea reuelatum tam euidenter proponitur: atque ita partim illa apprehensione, partim imperio, & impulsu voluntatis sine vllo discursu mouetur diuina authoritate, & testimonio, vt mysterio reuelato assentiat firmius, quam vlli rei naturaliter cognitæ possit assentire.

8 Nec vllum est incommodum quod homo Christianus his testimonijs, & motiuis adiuuetur ad credendum maiori cum firmitate; ad hoc enim data sunt, à Deo vt eis infideles inducerẽtur ad volendum credere, & ad petendum à Deo auxilium ad firmissimum fidei assensum,

& vt

& vt fideles in fide magis confirmarentur, & ad id monet Petrus Epiſt. 1. cap. 3. v. 15. illis verbis: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcentibus rationem de ea, quæ in vobis eſt fide.* Quo teſtimonio vtitur D. Tho. 2. 2. quæſt. 2. art. 10. ad probandum, rationem inductivam ad ea, quæ ſunt fidei, non minuere meritū fidei; quamvis enim non debeat quis ea, quæ ſunt fidei credere propter rationem humanam, ſed propter authoritatem divinam; tamen poteſt cum laude expendere motiva credibilitatis, quibus manifeſtum fit Deum eſſe Authorem Religionis Chriſtianæ, vt maiori cum affectu, & fervore imperet voluntas intellectui aſſenſum myſteriorū noſtræ fidei propter authoritatem Dei revelantis, & facilius poſsit vincere tentationes contra fidem, & infideles inducere ad eam amplectendam, fideles vero in ea confirmare, & roborare.

9 Confirmatur: quia nemo poteſt credere fide divina, & ſupernaturali myſteria, quæ ſunt ſupra captum, & diſcurſum naturalem hominis, niſi prius præceſſerit prudens fundamentum, vt ſibi quiſque perſuadeat Deum illa myſteria revelaſſe, non enim ſufficit obiectum vt cumque proponi tanquam dictum à Deo: nam Mahumetus, & alij ſectores etiam dicebant ſuam doctrinam eſſe divinam, & à Deo revelatam; neceſſarium ergo ſaltem eſt, vt doctrina fidei divinæ proponatur cum talibus circunſtantijs, vt prudenter appareat credibilis eo modo quo proponitur. *Nam qui cito credit levis eſt corde*, inquit Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici 19. Dicitur cito, & leviter credere, qui credit imprudenter, & quin videat ſuffiens fundamentum ad ſibi perſuadendum, doctrinam illam eſſe à Deo revelatam; ergo vt quis credat prudenter, & actum fidei ſupernaturalis eliciat, circa aliquod myſterium, debet prius iudicare iudicio prudenti illud obiectum eſſe credibile. Vnde accedit alia magna huius diſputationis vtilitas: nam hoc iudicium prudens de credibilitate myſteriorū debet eſſe evidens; vt enim inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad ſecundum, *Omnis, qui credit, debet evidenter diſcernere credibilitatē myſteriorum, & ea videre ſub ratione communi credibilis*: non enim crederet niſi videret eſſe credenda, vel propter evidentiā ſignorum, vel propter aliud huiuſmodi. Vt autem exponit ibi Caietanus, S. Tho. loquitur de viſione propriè, eiuſque ſenſus eſt, quod verè, & virtuoſe credere exigit evidentiam, quod illud ſit credibile, ita quod nullus aliquid verè, hoc eſt, abſque formidine alterius partis, & virtuoſe, hoc eſt, prudenter credit, niſi evidenter cognoſcat illud eſſe credibile. Ad hoc autem vt quis formet iudicium evidens de credibilitate myſteriorum noſtræ fidei, multum omnino refert, vt fideles noverint motiva præcipua credibilitatis, & vtiliſsimum eſt ea populo proponi.

10 Conſulatur P. Coninch. de actibus ſupernaturalibus diſp. 13. dub. 1. num. 3. vbi docet ante omnem actum fidei Theologicæ debere præcedere iudicium certum, & evidens, id eſt, conceptum per argumenta moraliter certa, quod res ſit evidenter credibilis tanquam à Deo revelata, ita vt prudenter omnino certo iudicem eam verè eſſe talem: aitque, hoc iudicium eſſe neceſſarium, vt voluntas prudenter applicet intellectum, vt rem illam proprer divinam authoritatem firmiſsimè credat. Idem docet Eximius Doctor diſp. 4. de fide ſect. 5. num. 8. vbi dixit, ſe cōvinci hac ratione ad aſſerendum, quod iudicium credibilitatis debet eſſe certum, vt ad fidem certam, & indubitatam inducat. Nam ſiquis poteſt prudenter dubitare, vel formidare de credibilitate obiecti, poterit etiam de ipſa fide dubitare, aut formidare, & ita non erit fides perfecta, & Chriſtiana; iudiciū autem credibilitatis non poteſt eſſe certū, niſi ſit evidens; ergo in quocunq; verè credente debet ſupponi tale iudiciū. Hinc infert, quod ſiquis credat ante iudicium certum, & evidens credibilitatis, concipiet quidem quandam fidem humanam de rebus divinis, quæ interdum poteſt eſſe prudens, & honeſta; non tamen concipiet propriam fidem Chriſtianam, id eſt, omnino certam, & immutabilem: quia ſtante ſola probabilitate, & prudentia in illa fundata, poſſet quis propter maiorem probabilitatem de novo apparentem iudicium prudentiæ mutare, & conſequenter fidem, vel de illa prudenter dubitare, quod de vero aſſenſu fidei nullo modo admittendum eſt. Quomodo autem in perſonis ſimplicibus, & ruſticis præcedat ſufficiens evidentia credibilitatis, explicat ipſe ibidem, & Caietanus 2. 2. quæſt. 1. art. 4.

11 Vnde Eccleſia Catholica media incedit via inter errorem Gentilium, & Mahumetanorum: vt enim refert Baſilius in Pſamum 115. ſolent infi-

deles

deles reprehendere Christianos eo, quod sine ratione, velut ipsi existimant, contra rationem credant, qua de causa Paulus 1. Corinth. 1. aiebat: *Christum Crucifixum Iudæis esse scandalum gentibus autem stultitiam.* Et vt refert Hieronymus in cap. 9. Mathæi, Porphirius, & Iulianus Apostata ob hanc causam irridebant eos, qui Christi doctrinam sequuntur. Hæretici autem Manichæi, vt hanc reprehensionem vitarent, in aliud extremum inciderunt, dicentes nihil esse credendum, nisi quod ratione ostenditur, vt refert Augustin. lib. de vtilitate credendi, & Bernardus Epist. 109. Catholica autem Ecclesia media incedit via, nam & levitatem animi eorum, qui cito, & sine sufficienti fundamento credunt, accipientes vt doctrinam Dei, quæ ab ipso revelata non est, reprehendit, & pariter duritiem cordis eorum, qui nihil credere volunt, nisi quod per naturalem discursum assequuntur, docetque, quamvis non semper possimus reddere rationem propriam eorum, quæ credimus, posse nos semper reddere rationem, cur credamus, sic enim dixit Petrus Epistola 1. cap. 3. *Paratos nos esse debere ad reddendam rationem eius, quæ in nobis est, fidei.*

SECTIO TERTIA.

Primum caput probandi diuinitatem Christi ex miraculis, quæ fecit in huius veritatis confirmationem.

12 ANTE probationem exponendum est nomen, & natura miraculi. Miraculi vocabulum ab admiratione sumptum est; admiratio autem consurgit, quando effectus sunt manifesti, & causa est occulta; vbi autem causa est manifesta aliquibus, & alijs ignota; quamvis hi, qui ignorant causam, mirentur effectum, vt rusticus miratur Eclypsim solis, quia ignorat causam, hoc non est miraculum, quia Astrologus, qui eam novit, non miratur Eclypsi. vt autem inquit D. Thom. 1. part. quæst. 105. art. 7. *Miraculum dicitur quasi admiratione plenum*, quod habet causam simpliciter, & omnibus occultam, nempe Deum. Vnde quæ fiunt à Deo præter causas omnibus notas, miracula dicuntur. Hinc vbi effectus continetur in virtute naturali alicuius causæ creatæ quæ ignota est nobis, si cognoscamus effectum illū, qui est præter ordinem omnium causarū, quas cognoscimus, erit miraculum quoad nos; non autem simpliciter. Vnde miraculum proprie dictū est, *Effectus, seu opus superans vires omnes creatas*, vt definit S. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 4. ac proinde solus Deus potest esse causa principalis veri miraculi, vt probat idem S. Doct. quæst. 110. art. 4.

13 Secundò supponendum est, præcipuum scopum miraculorum, quæ Christus fecit, fuisse stabilire hanc veritatem tanquam basim, & fundamentum veræ Religionis, nempe ipsum esse Messiam in lege promissum, & à Prophetis prænuntiatum; esse verum, & naturalem Dei Filium, verumque Deum. Id constat ex Ioan. vltimò: *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus Christus est Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Non contentus autem Evangelista hæc in generali notasse, cum in speciali miracula Christi enarrat, hoc ipsum animadvertit. Vnde cum cap. 2. retulisset miraculum conversionis aquæ in vinum, addidit: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.* Illa vtique de qua cap. 1. dixerat: *Et vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Effectus autem contecutus hoc miraculum fuit, quod Discipuli crediderunt, ipsum esse Christum in lege promissum, verumque Dei Filium; & crediderunt, inquit, Discipuli eius in eum

14 Inter miracula omnia, quæ Christus edidit in confirmationem suæ divinitatis, maximum fuit resurrectio Lazari, iam quatuor dies in monumento habentis, vt expendit Toletus notatione 14. in cap. 11. Ioannis: hoc autem miraculum præcipuè in eum finem direxit, vt constat 1. ex illis verbis Ioan. 11. vers. 4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Quasi diceret, hoc opere mea divinitas est maximè confirmanda, & ex infirmitate hac procedet argumentum eius efficacissimum, vt ad litteram exponunt Toletus, & Maldonatus. 2. ex vers. 42. *Pater gratias ego tibi quoniam audisti me: ego autē sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circum stat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Quasi diceret, causa propter quam, ò Pater, has tibi nunc publicè gratias ago, ea est, vt populus, qui adest, & coram quo opus tam insigne tua virtute molior, credat me esse Filium tuū

à te in hunc mundum miſſum; credent autem dum vident me virtute tua talia facere, quæ facio: vident autem me virtute tua ea facere, dum te confiteor, & tuæ potentiæ hoc tribuo factum.

15 Celeberrimum etiam fuit miraculum illud, quod narrat Ioannes cap. 9. de illuminatione cæci à nativitate, quod præcipuè deſtinatum fuiſſe ad manifeſtationem divinitatis Chriſti, conſtat 1. ex verſu 3. *Nec hic peccauit, nec Parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quod teſte Toleto per inde fuit, ac dicere: *Cauſa, cur hic cæcus natus eſt, nec eſt peccatum aliquod eius, neque Parentum ipſius, ſed vt opera diuinitatis meæ in ea cæcitate expellenda declarentur, & mundo manifeſtentur*; ac ſi clarius diceret, vt me eſſe Deum in eo ſanando oſtendam, quia tale opus faciam, quod à ſolo Deo eſſe poteſt. Conſtat ſecundò, quia cum Iudæi eieciſſent cæcum à Synagoga, quia palam prædicabat miraculum, Chriſtus in eum incidens verſu 36. ait: *Tu credis in Filium Dei? & cum ille reſpondiſſet, quis eſt Domine, vt credam in eum? Dixit ei Ieſus, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Tertio, quia poſt patratum hoc miraculum cum Iudæi Ioann. 10. verſ. 25. Dominum ſic interrogaſſent: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam; eis reſpondit; loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Ergo Chriſtus illud miraculum fecit, vt probaret ſe eſſe Filium Dei naturalem, verumque Deum.

16 Quæ magis conſtant ex his, quæ addidit verſ. 31. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Quo audito ſuſtulerunt lapides Iudæi, vt eum lapidarent tamquam blaſphemum, *De bono opere* (inquiunt) *non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Conſtat denique ex his, quæ Chriſtus ſubiunxit verſ. 37. *Vos dicitis, quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ex quibus verbis aperte conſtat Chriſtum Dominum opera miraculoſa edidiſſe, vt comprobaret ſe eſſe Filium naturalem Dei, eiuſdemque naturæ cum Patre. Quia ob identitatem naturæ verificatur Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre per circuminſeſſionem.

17 His ſuppoſitis ſic argumentor: Ieſus Nazarenus de ſeipſo dicebat, ſe eſſe Filium Dei naturalem, verumque Deum, & & in huius doctrinæ confirmationem evidentia edidit miracula: ergo certum eſt ipſum eſſe Filium Dei naturalem, verumque Deum. Patet conſequentia, quia vera edere miracula ſolus Deus poteſt: Deus autem nequit ea facere in confirmationem doctrinæ falſæ. Nam, vt inquit Auguſt. Epiſt. 49. quæſt. 6. ſicut humana conſuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur. Deus ergo loquitur operibus mirabilibus, vnde ſicut nequit falſum loqui; ita miraculis nequit falſum confirmare. Et vt inquit P. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 31. ſect. 1. evidens eſt opera miraculoſa non poſſe fieri, niſi virtute divina: evidens rurſus eſt, non poſſe Deum ſua authoritate, ſingularique virtute mendacium confirmare: & ideo mira opera in veritatis confirmationem facta vocantur à Patribus quaſi *ſigillum Dei*, quo talem doctrinam conſignat. Idem docet diſp. 4. de fide ſect. 3. num. 10. citans per eadem ſententia D. Auguſt. & D. Thom. Caniſium; & alios plures.

18 Quod Chriſtus vera ediderit miracula in confirmationem ſuæ divinitatis, conſtat: quia in eum ſcopum Lazarum ſuſcitavit: ſuſcitatio autem mortuorum opus eſt ſolius Dei proprium; nulla enim cauſa creata vim habet ſuſcitandi mortuos; & hæc res propoſita Mahumetanis, & infidelibus ſtatim aſſenſum concilat, vt rem enim certiſsimam apprehendunt, ſolius virtutis infinitæ proprium eſſe hominem verè mortuum ad vitam revocare. Vnde Auguſt. tract. 91. in Ioan. inquit: *Nulla in operibus Chriſti videntur eſſe maiora, quã ſuſcitatio mortuorum.* Et propterea Ambroſius lib. de fide reſurrect. aiebat: *Ideo reſurrectio difficile creditur, quia Dei munus eſt.* Et hac de cauſa actor. 26. verſ. 23. & 25. Feſto Proconſuli, *Inſanire viſus eſt Paulus, eo, quod reſurrectionem prædicaret.* Conſulatur Pater Suarez tomo 2. in 3. part. diſp. 43. ſect. 6. Hoc etiam confirmant miracula in præcedentibus adducta, præſertim viſio cæco à nativitate reſtituta.

19 Quæ opera à Dæmone fieri non poſſunt, vt enim ait Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 8. *Dæmon non aliter opera ſua mirabilia facit, quam applicando virtutem naturalem cauſarum naturalium*; vt etiam explicat D. Thomas 1. p. quæſt. 114. art. 4. Cum ergo in natura non detur virtus aliqua potens vitam repente tribue-

tribuere homini à nativitate cæco, consequens est, vt illius cæci illuminatio non potuerit à Diabolo fieri. Et vt Christus ostenderet fieri opus illud virtute divina, linivit luto oculos cæci: quamvis enim Diabolus posset restituere visum, id solum præstaret applicando causas naturales proportionatas: lutum vero non est causa proportionata ad illuminandos oculos, sed potius ab obcæcandos. Vnde Ioann. 9. v. 34. dixit cæcus, *A sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati; nisi esset hic homo à Deo, non poterat, &c.* Viderunt, & ipsi Iudæi Ioann. 21. vers. 37. ibi.

SECTIO QVARTA.

Roboratur præcedens ratio ostendendo Deum non posse facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ.

20 QVOD autem doctrina, in eius confirmationem vera miracula cõficiuntur, vera necessario sit, constat, quia nec Deus potest facere miracula ad confirmandam doctrinam falsam, vt nuper ostendi, nec potest communicare homini potestatem faciendi miracula, & illi permittere, vt eis abutatur ad confirmandam doctrinam falsam. Hoc enim per inde esset, ac permittere, vt seductor consignaret mendacia sigillo illo, quo Deus ipse veritatem consignat, vt inquit Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiasticis cap. 14. quod confirmat Sanctus Cardinalis ex Marci Vltimo, & Hebræos 2. *Contestante Deo signis, & virtutibus.* Hinc deduci SS. Cardinalis necessarium esse, vt vera sit doctrina, quæ veris miraculis confirmatur: siquidẽ vera miracula non possunt fieri, nisi Dei virtute: dicitur enim miraculum, quod superat vires omnium creaturarum; & ideo omnibus creaturis est mirabile, & propterea etiam in scripturis dicuntur testimonia Dei: quare quod miraculo cõfirmatur, Dei testimonio confirmatur: Deus autem nequit esse testis mendacij, igitur quod miraculo confirmatur, verum sit, necesse est.

21 Nec solum iuxta leges ordinarias providentiæ supernaturalis nunc præsentis nequit fieri miraculum in comprobationem doctrinæ falsæ, etiam sola creatura intendente errorem, vt contra Bañez rectè probat Ripalda disp. 4. de fide sect. 5. num. 45. sed neque potestate absoluta Dei, & seclusis legibus præsentis providentiæ, vt falso affirmat Durandus quæst. 1. Prologi n. 47. & Michael de Medina de recta in Deum fide lib. 5. cap. 5. & alij pauci cum ipsis.

22 Probatur autem nostra, & communis sententia; quia Deus debet habere in theatris suæ omnipotentiæ modum manifestandi divinitatem Filij sui in humanitate latẽtis, qui modus nequeat deservire ad conciliandam authoritatem homini iniquo, qui fingens se esse Filium Dei naturalem, vellet confirmare miraculis hoc mendacium. At non est alius convenientior modus manifestandi divinitatem, quam per ea, quæ sunt propria Dei, vt docet D. Thom. 4. contra „ Gentes cap. 55. num. 8. Est autem Dei „ proprium (inquit) quod naturæ leges „ immutare possit supra naturam aliquid „ operando, cuius ipse est Author: con„ venientissime igitur probatur aliquid „ esse divinum per opera, quæ supra le„ ges naturæ fiunt, sicut quod cæci illu„ minentur, leprosi mundentur, mortui „ suscitentur, &c. Et ideo Christus suam „ divinatatem per hæc media manifestavit; ergo nec de potentia absoluta potuit Deus alicui homini iniquo tribuere facultatem fingendi se esse Christum, & confirmandi similibus miraculis illud mendacium.

23 At si de potentia absoluta posset Deus tribuere facultatem patrandi miracula homini illa abusuro ad confirmandam doctrinam falsam in his circunstantijs, in quibus illa redderetur prudenter credibilis, potuisset homini seductori, & fingenti se esse Messiam in lege promissum, tribuere potestatem confirmandi mendaciũ suum mortuorum resurrectione, & relíquis omnibus miraculis, quibus Christus suam divinitatem manifestavit; Vnde corrueret primum principium probandi veritatem Religionis Christianæ ex miraculis factis à Christo, & ab Apostolis: Gentiles enim, & Iudæi, quibus divinitas Christi miraculis ostenderetur, responderent, nescire se, an Deus tribuerit potestatem patrandi miracula homini in confirmationem erroris. Potuisset etiam Lutero, & Calvino prædicantibus suos errores potestatem tribuere confirmandi suam doctrinam eiusmodi signis: quod est planè indignum summa Dei sanctitate, & veracitate: non enim solum Deo repugnat falsum loqui, sed etiam falsam locutionem creaturæ suo testimonio confir-

confirmare, & ſuo quaſi ſigillo munire.

24 Vnde miracula ex ſe, & ex natura ſua ſunt ſigillũ Dei ordinatũ ad cõſignandã eam rem, in cuius confirmationem eduntur. Et ideo Chriſtus Dominus vt ſe eſſe Meſsiam, & Filiũ Dei naturalẽ probaret, ad opera miraculoſa in huius rei confirmationẽ patrata recurrebat, ad illa inquã, ſecundũ ſe, & quaſi ex terminis accepta, no ad illa vt prouenientia ex prouidẽtia particulari ab ipſis ſeparabili: aiebat enim Ioa. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, & cap. 5. *opera quæ ego facio, teſtimoniũ perhibent de me.* Et cap. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent.* Vbi (vt inquit Ripalda vbi ſupra n. 47.) ſignificat excuſabiles fore Iudæos, & alios quoſcunque contrariæ Religionis ſectarios reſpuentes noſtram Religionẽ, ſi eorum miniſtri operarentur, quæ Euangelici operantur, obligationem que ſectandi noſtrã Religionẽ fundari in miraculis pro illa comprobanda patratis, quæ nemo alius fecit. Quę ratio ex terminis probat omnino repugnare, quod miniſtri falſæ Religionis ſuos errores cõfirmẽt illis miraculis, quibus Chriſtus, & Apoſtoli veritatẽ Chriſtianę Religionis comprobarunt; non repugnaret autẽ ex terminis, ſi ſemel Deus poſſet cõmunicare poteſtatem patrandi verũ miraculum homini iniquo, de quo ſciret illo confirmaturum doctrinã falsã in his circunſtantijs, in quibus redderetur credibilis, quia ſi ſemel nõ repugnat Deo edere vnũ miraculum in confirmationẽ doctrinæ falſæ, neque repugnare poſſet edere omnia, quæ Chriſtus fecit in confirmationem ſuę divinę doctrinę.

25 Quare ad ſupremam Dei Maieſtatem, & dignitatem pertinet, ne ipſius nomine aliquid falſum ita proponatur, & miraculis confirmetur, vt homines ſecundũ rectam rationem cõpellantur credere illud eſſe dictũ à Deo, eique aſſenſuñ firmũ pręſtare. Quia ſi Deus hoc permitteret, & miracola patraret in his circunſtãtijs, in quibus mendaciũ ita confirmaretur vt ſine hæſitatione credi poſſet, ac deberet, ageret contra ſuam dignitatẽ, qua fide dignus eſt. Si enim tot concurrentibus ſignis, & operibus miraculoſis in confirmationẽ veritatis, poſſet adhuc ſubeſſe falſitas, Deus loquens nobis per homines, & edens ſigna ad confirmandam veritatem, dignus non eſſet fide; ſiquidẽ adhuc poſſet ſubeſſe dubium, an miracula illa fiant à Deo permittente, vt eis abutatur homo ad decipiẽdum. Quare non minus repugnat Deo miracula facere in confirmationem falſæ doctrinæ quam ei repugnat non eſſe dignum fide.

16 Hinc merito D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 2. docet hominẽ, qui videret edi miraculum in confirmationem alicuius dicti, evidenter cognoſcere eam locutionẽ eſſe veram: *Si aliquis* (inquit) *Propheta promittiaret in ſermone Domini aliquid futurũ, & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando: ex hoc ſigno conuinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod videtur, in ſe euidens non eſſet.* Et ibidem ad 1. docet, *Dæmonum fidem eſſe quodamodo coactam ex ſignorum euidentia.* Et ar 2. ait: *Hoc ipſum Dæmonibus diſplicere, quod ſigna fidei ſint tam euidentia, vt per ea credere compellantur.* Et 3. p. q. 76 a. 7. affirmat Dæmones præſentiam Chriſti in Sacramento credere, nõ fide voluntaria, ſed coacta; *Quia ad eam* (inquit) *euidentia ſignorum conuincuntur, prout dicitur Iacobi 2. quod Dæmones credunt, & contremiſcunt.*

27 Hinc etiam P. Suar. tom. 2. in 3. p. ſect. 3. affirmat, ſi Dęmones ſpeciali Dei prouidentia impediti non fuerunt, vt Chriſtum cognoſcerent, convictos eſſe ad credendum, & aſſentiendum illum eſſe verum Meſsiam à Deo promiſſum, quia evidenter cognoſcebant veritatem miraculorum Chriſti, & quod magis eſt, ſi à Deo non fuerunt impediti, cognoverunt evidenter conceptum fuiſſe ſine opera viri, & natum ex Virgine, Matris integritate ſervata, & in eius nativitate audire potuerunt Angelos annuntiantes natum eſſe Salvatorem, qui eſt Chriſtus Dominus, quos evidenter ſciebant non poſſe mentiri, vtpotè beatos. Rurſus evidenter cognoſcebant innocentiam, & puritatem vitæ Chriſti, inſuper audiebant ipſum expreſsè dicentem, ſe eſſe Meſsiam promiſſum: Ioannis 4. *Ego ſum qui loquor tecum.* Et Mathæi 15. cum Petrus confeſſus eſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ipſe confeſsionem approbavit dicens, beatus es &c. Et cap. 11. cum Ioannes Baptiſta miſsiſſet ad quærendum, an ipſe eſſet Meſsias, ſatis clare affirmavit, oſtendens miracula.

28 Et Ioanis 11. cum Martha dixiſſet, *Ego credidi, quia tu es Chriſtus*, ipſe tacitè approbavit, & poſtea tactus miraculum dixit: *Vt credant quia tu*

me misisti, intelligens se esse illum, qui quasi per antonomasiam mittendus expectabatur. Quod clarius dixit Ioannis 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: quæ verba tam clara sunt, & aperta, vt nullam amphibologiam, vel violentam, aut falsam interpretationem patiantur. Præterea clarè intelligebãt Dæmones, Christum facere miracula in confirmationem huius veritatis, iuxta illud, *Vt credant homines, quia tu me misisti*. Denique sciebant scripturas, signa, & miracula, quæ de Messia prædicta erant, & evidenter cognoscebant omnia compleri per Christum; ergo vel inniti cogebantur fateri ipsum esse Christum, si à Deo non essent impediti, ne ipsum agnoscerent. An vero defacto impediti sint, non attinet ad nos hic disputare. Consulatur Pater Suarez ibidem fusè hanc controversiam tractans; nobis satis sit cum Augustino lib. 9. de Civitate cap. 21. dicere: *Christus tantum innotuit Dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit quantum oportuit.*

29 Quoties ergo homo docet aliquam doctrinam, & in confirmationem illius facit verum miraculum, convincit illam esse veram, & à Deo: vt enim ait Gregorius lib. 27. Mor. cap. 8. *Miraculũ est in defectu probationis, & est auxilium rationis humanæ, vt assensum præstet alicui veritati*, supplentque argumentorum defectum, suntque velut Dei sigillum, vt quod affirmatur, à Deo esse credatur. Sic cum Deus misit Moysem Exod. 4. ad populum de Egypto educendum, vt ille persuadere posset, se à Deo missum, concesit ei facultatẽ confirmandi suam legationem miraculis, & Exod. 7. cum iussus est nomine Dei Pharaoni dicere, *Dimitte populum meum, &c.* Vt sibi afferenti, se à Deo missum, Pharao crederet, miracula edidit. Deinde Elias 3. Reg. 18. vt Deum Israel verum Deum esse ostenderet, ignem de Cœlo super holocaustum descendere fecit. Et 4. Reg. 1. vt probaret se esse Prophetam Dei, *Si homo*, inquit, *Dei sum, ignis de Cœlo descendat, & deuoret te, & quinquaginta tuos: & descendit ignis, &c.*

30 Ipsique Scribæ, & Pharisæi videntes Iesum Nazarenum palam dicere se esse Christum, & Messiam in lege promissum, & in huius dicti confirmationem opera mirabilia facere; ne cogerentur fateri, illum esse verum Messiam, calide ad blasphemiam confugerunt, dicentes eum virtute Dæmonis opera illa facere: planè sentientes, non posse negari, veram esse eius doctrinam, si semel concederent miracula ab ipso facta in eius confirmationem Deum habere Authorem. Ergo vel Pharisæi ipsi certum arbitrabantur, non posse Deum facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ, seu in his circunstantijs, in quibus doctrina falsa redderetur prudenter credibilis: sed vero cum manifestum sit, miracula multa à Christo facta in confirmationem suæ divinitatis non potuisse à Dæmone fieri; manet convictum ex confessione ipsorum Iudæorum, Christum verum dixisse, dum affirmavit, se esse Filium Dei, & Messiam in lege promissum.

31 Immò Dæmon ipse satis agnovit hanc veritatem, dum Mathæi 4. miraculi vnum, & non ad modum magnum, sufficiens existimavit, vt eum Filium Dei esse cognosceret, si in huius rei probationem esset factum: *Si Filius Dei es, aiebat, dic, vt lapides isti panes fiant.* Cũ enim sciret lapidem non posse virtute Dæmonis in panem converti, certo deprehenderet, illum esse Filium Dei si in confirmationem huius veritatis miraculum illud faceret; ergo ex confessione ipsius Dæmonis repugnat Deum facere miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ.

32 Vnde alia est ratio de potestate supernaturali consecrandi, quam Deus hominis liberati committit; qua potestate licet homo abutatur in pravum finem; tamen Deus, supposita illa prava intentione, supernaturali auxilio concurrit ad faciendum opus vi sua miraculorum. Alia, inquam, est ratio, quia ex hac promissione, nihil contra divinas perfectiones sequitur; immò hic elucet maximus amor Christi erga homines; siquidem vt eos certos omnino redderet de sua præsentia in Sacramẽto voluit miracvlũ illud patrare, quoties verba illa consecrationis proferrentur à legitimo ministro eũ vera intentione supra legitimam materiã, licet Sacerdos in finem parvum ordinet miraculum illud.

33 Alia etiam est ratio de miraculis apparentibus, quę patrata sunt à Magis Pharaonis, & fient ab Antichristo. Etsi enim Deus concurrat ad illa miracula; concurrit tamen dumtaxat vt causa vniversalis, & non vt causa specialis, quia illa

illa miracula eſſent opera naturalia, & habent ſpecialem Authorem Diabolum; vnde Deo non tribuitur teſtificatio falſi, quia opera illa aſtucia Diaboli concinata non eſſent quaſi ſigillũ Dei teſtificantis veritatem, ſed ſigillum Diaboli ad ſeducendum. Pro quo adverte Dæmones multa poſſe facere ſupra humanas vires, quæ miracula videantur. Ea vero omnia dupliciter fiunt, aut in apparientia tantum per ſenſuum illuſionem, aut in rei veritate, ſed quæcunque hoc poſteriori modo Dæmones faciunt, non aliter faciunt, quã per virtutes naturales cauſarum, quas notarũt, & velociſsimè, & occultiſsimè applicant vt ſupra diximus ex Auguſtino, & Thoma: vbi autem non eſt virtus aliqua creaturæ, quæ eiuſmodi effectum producere valeat, ceſſat omnis Dæmonum opera, & ad ſenſuum illuſiones ſe convertunt. Quare vbi Magi virtute Diabolica applicando activa paſsivis aliqua opera mirabilia faciunt ad ſuadendum errorem, Deus illum non confirmat authoritate ſua; quia non eſt author ſpecialis illorum mirabilium, ſed dumtaxat concurrit vt cauſa vniverſalis; ſicut concurrit ad motus indeliberatos concupiſcentiæ inclinantes in peccatum, quin propterea in peccatum inclinet; ſicut revera inclinaret, ſi illos motus per ſe vt cauſa particularis excitaret, vel habitum vitioſum directe inclinantem ad peccandum infunderet.

34 Eiuſmodi opera mirabilia edet Anti Chriſtus, de quo loquitur Apoſtolus 2. ad Theſalon. 2. *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omi virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & omni ſeductione iniquitatis.* Sicut namque Chriſtus in confirmationem veritatis vera fecit miracula; ita Anti-Chriſtus in confirmationem falſitatis fallacia edet ſigna, & prodigia; ſicut Chriſtus miracula vera faciebat virtute Dei qui eſt prima veritas, ita Anti Chriſtus miracula falſa faciet virtute Diaboli, qui eſt Pater mendacij: quia vel mirabilia ab ipſo facienda non erunt res veræ, ſed phantaſticæ; vt ſi videatur ſuſcitare mortuum, qui antea mortuus non erat, vel poſtea vere vivus non remaneat: vel ſi interdum faciat res veras, quæ mirabiles appareant, illa non erunt vera miracula, quia ſolum exhibebit hæc opera, occulte, & velociſsime applicando cauſas naturales illorum effectuum, qui apparebunt hominibus miraculoſi; quia ignorant cauſam, quæ reipſa datur. Id explicat benè Caietanus exponens verba illa Chriſti Marh. 24. Surgent Pſeudo „ Chriſti, & Pſeudo Prophetæ: & da„ bunt ſigna magna, & prodigia, (quæ „ Diabolica poteſtate fieri poſſunt.) Quæ „ ſecundum veritatem (inquit) non ex„ cedunt facultatem naturalium agen„ tium niſi pro quanto Dæmon, & mó„ vere poteſt aliqua quæ naturalia agen„ t'a non movent, vel ad mixtionem, vel „ ad locum, & celerius agere, aut ad „ contraria ſtatim, aut applicando ad ef„ fectus ad quos natura nunquam appli„ caret huiuſmodi. Et propterea appare„ bunt mirabilia, & exiſtimabuntur vera „ miracula. Facile enim erit tantæ mul„ titudini Dęmonum liberæ in ſuo poſſe „ (quod modo ligatum eſt) ſanare ægro„ tos, etiam quos incurabiles appellamus; „ quaſi ſubito: & curare vulnera incura„ bilia à nobis quaſi ſubito: movendo quę „ intus ſunt in corpore, & vtendo intus „ ſecretis naturalium corporum, tanquã „ atomorum, quæ non percipimus. Et ſic „ de ſimilibus.

35 Aliam rationem reddit Eximius Doctor tom. 2. in 3. p. diſp. 31. ſect. 2. cur licet Deus non poſsit facere verum miraculum, quando per illud redditur prudenter credibilis doctrina falſa; poſſit tamen permittere apparentia miracula, quamvis videat per illa decipiendos homines ſub ſpecie divinæ virtutis, & authoritatis. Reſpondet enim, non eſſe eandem rationem, qua quando fiunt falſa miracula, ſemper, inquit, relinquitur aliquis modus, quo moraliter poſsint diiudicari, ſi homines quod in ſe eſt, faciant ad cognoſcendam veritatem. Primo bene conſiderando ipſamet opera, & circũſtantias eorum. Secundo conſiderando perſonam, vitam, & mores eius, qui ſic loquitur, & operatur. Tertio conſiderando doctrinam ipſam, an aliqua in parte rationi adverſetur, vel alijs revelationib⁹ divinis ſufficienter propoſitis per Eccleſiam. Denique orando Deum, & conſulendo ſcripturas, & prædictiones in illis factas, & ſigna data ne in errorem inducamur.

36 Aſſerit itaque Magnus Suarez non pertinere ad providentiam Dei, non permittere falſa ſigna, quæ ad probationem, & protectum electorum proſunt, ſed pertinere ad providentiam Dei dare auxilium, ac modum

quo possint diiudicari, & cognosci, quia non est divinæ bonitatis, & sapientiæ permittere hominem tentari vltra id, quod potest: ac propterea quando facta morali diligentia, & investigatione, adhuc constat evidenter vera esse miracula, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ, nullam relinqui dubitandi rationem de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequentia, & magna authoritate, atque potestate facta, & vitæ innocentia, ac sanctitate confirmata, & in ipsa doctrina, nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat. Quæ omnia cum in doctrina, & miraculis Christi cumulatissime inventa sint; constat miracula Christi evidenter, evidentia morali, comprobasse veritatem doctrinæ ipsius.

37 Addit idem Author quando Deus dat potestatem ad supernaturale opus faciendum, considerandum esse modum, & finem eius: quando enim datur modo stabili, ac permanenti, non ad confirmandam veritatem; sed ad aliquam publicam vtilitatem, vt interdum datur gratia sanitatis, vel alia similis, tunc licet quis diceret se illa vti in confirmationem veritatis, non ideo statim adhibendam esse illi fidem, sed potius attendendum esse ad alias regulas fidei certas, & infallibiles. Si vero potestas hæc, & vsus eius, datur singulari, & extraordinario modo, ita vt non appareat alius finis, & vtilitas eius præter veritatis confirmationem; tum certè maximè spectare ad divinam providentiam non concurrere specialiter ad tale opus, quando homo per illud intendit falsitatem persuadere, ac alios decipere.

SECTIO QVINTA.

Repelluntur frivolæ euasiones, quibus infideles eludere conabuntur argumentum petitum à miraculis Christi.

38 EX DICTIS constat, miracula à Christo patrata in confirmationem suæ divinitatis, eam evidenter evidentia morali convincere, & infideles obligari ad eam credendam, si eis ritè proponatur. Nihil enim solidum huic argumento respondere poterunt. In primis enim frivolum est, quod pagani respondent apud Originem lib. 1. contra Celsum, nimirum miracula, & signa Christi fuisse præstigias, & ludificationes sensuum, quasi non in veritate, & effectu, sed in apparentia illa omnia fuerint facta. Nam quod Lazarus, qui quatuor iam dies sepultus iacebat, vivus ex sepulchro prodierit, & postea multo tempore vixerit, non erat delusio sensuum: & similiter quod cæcus à nativitate postea viderit: nam hic vere experiebatur se videre, & ille se vivere, & miraculum ipsum fatebantur, idque manifestum erat omnibus, non minus, quam est manifestum me vivere, & vobiscum loqui: vnde non minus evidens erat illos esse veros, & reales effectus, quam nunc evidens est vivere homines, qui permanenter exercet opera viventium propria: præstigiæ nanque sensuum statim evanescunt, & ille, quem alij deluforiè existimant vivere, & videre, id non experitur, sicut experiebantur Lazarus, & cæcus.

39 Quod vel inde patet, quod Scribæ, & Pharisæi, qui præ invidia, & odio infensi erant Christo, & per blasphemiam sæpè dicebant, eum virtute Diaboli miracula patrare, nunquam ausi sunt efutire, opera eius mirabilia effectum non habuisse: nam post diligentissimum examen, evidenter deprehenderunt verè videre, qui à nativitate fuerat cæcus; verè vivere, qui diu iacuerat mortuus, & repentè ambulasse, qui per multos annos se movere non poterat.

40 Nec item dici potest, Christum virtute Diaboli miracula patrasse, tum quia multa fecit, quæ omnem creatam virtutem excedunt, ac proinde à Diabolo fieri non possunt. Tum quia licet fecerit aliqua, quæ si secundum se considerentur, Dæmon potuit facere; eo tamen modo fecit, qui omnem virtutem Diaboli supperat: nam Christus fecit solo verbo sine applicatione alicuius virtutis naturalis: fecit etiam in instanti, & sine vlla mora, quod Diabolus facere non potest. Rursus Christi opera illa mirabilia faciebat sæpè orando ad Deum, & imperãdo, & simul secreta cordis pandendo quod procul est à Chri-

à Diabolo. Deinde ſi finem miraculorum Chriſti inſpiciamus, manifeſtè deprehẽdimus, illum virtute divina, nõ Diabolica ea fuiſſe operatum. Nihil enim temporale, nihil pravum per illa intendebat, ſed vnicè rectitudinem morum, Veri Dei cognitionem, & ipſius Dæmonis exterminationem: quæ omnia ſatis probant ea opera non à Diabolo, ſed à Deo proceſsiſſe. Diabolus nanque morum integritatem, vitiorum expulſionem, Veri Dei cognitionem, & ſui Regni deſtructionem intendere non poteſt.

41 Nec denique dici valet, Chriſtum reipſa non feciſſe opera illa mirabilia, quæ Evangeliſtæ narrant, ſed eius Diſcipulos ad ſui Magiſtri commendationem ea finxiſſe, & litteris tradidiſſe. Id enim per ſe apparet manifeſtè falſum, & incredibile. Tum quia ſimili audacia dicere poſſes, Moyſem non patraſſe miracula, quæ in exodo narrantur, nec extitiſſe Alexandrum magnum; & ſimilia. Tum quia ſanctitas Apoſtolorum hoc piaculum admittere non poterat: quomodo enim fingere poterant miracula ad probandum Ieſum eſſe Filium Dei naturalem, ſi ſcirent eſſe purum hominem? Quem enim finem intendere poterant in hac fictione Viri Iudæi, qui lactè doctrinæ Moſaicæ legis erant educati, quam ſciebant à Deo fuiſſe latam, & quam videbant penitus abrogari, ſi doctrina Evangelij admitteretur? Sanè honores, vel lucra temporalia non intendebant: quia ex prædicatione huius doctrinæ nihil in hac vita lucrabantur, niſi verbera, perſecutiones, & mortem.

42 Nec item intendebant lucrum ſpirituale, ſi ſcienter fingebant, quia ſciebant eſſe graviſsimum peccatum, purum hominem Deo æqualem, & per ficti Evangelij prædicationem legem Moyſis à Deo datam evertere; ſcienter ergo volebant æternam damnationem incurrere ſine ſpe vllius temporalis commodi, vt hominem purum, à quo nihil ſperare poterant, Deum eſſe perſuaderent: hoc autem eſt evidenter incredibile: nec in homines rationis compotes cadere poteſt. Vnde, vel dicendum eſt omnes Evangeliſtas, & Apoſtolos, qui Chriſti miracula ſcripſerunt, & prædicarunt, vt mundo perſuderent, eum eſſe Filium Dei naturalem; fuiſſe ſtolidos, vel non finxiſſe illa miracula, ſed ſincere narraſſe, quæ geſta ſunt. Primum dici non poteſt, alioqui cogeris rem incredibiliorem deglutire, nempe homines omnino ſtolidos totum mundum convertiſſe per ficta miracula ad recipiendam fidem tantopere repugnantem carni, & ſanguini, & quæ myſteria creditu difficillima proponit, quin de præſenti aliquid ſectatoribus promittat, ſed omnia in futurorum ſæculum reſerret: ergo debet dici ſecundum.

43 Aliud etiam argumentum conficere poſſumus ex Chriſoſtomo in oratione *quod Chriſtus ſit Deus*. Nam Evãgeliſtæ, qui teterunt Chriſti ignominias, eius etiam miracula narrant: quomodo ergo dignos fide putant infideles in illis; in iſtis vero arguunt, quaſi dixerint non facta? Etſi ad gratiam ſui Magiſtri hæc ſcripſiſſent, ſtultè, & fruſtra iactaſſent, ſi non tacuiſſent, quæ multis ignominioſa, & dura videntur: nunc autem horum veritatem monſtrarunt, dum in illis maximè immorati ſunt, omniaque valde diligenter, & magna copia tractarunt, neque parvum, neque magnum prætermittendo, ſed inſignis, & miraculis plura tranſierunt; ergo ſincere, & ſine dolo ſcripſere.

44 Deinde manifeſtè convincitur, Apoſtolos, & Evangeliſtas hæc miracula non finxiſſe, quia res narrabant non in angulo, ſed immedia Ieruſalem factas: verbi gratia illuminationem cæci nati, qui portans lutum ſuper oculos iuſſus eſt per mediam Civitatem ire ad natatoriam Siloë ad oculos à luto mundandos, vt in longa via, quam plurimos, & cæcitatis, & curationis ſuæ teſtes colligeret, vt notant Chriſoſtomus, & Theophilactus; Reſurrectionem Lazari, quam Chriſtus operatus eſt coram multis Iudæis, qui à Ieruſalem venerant in Bethaniam, vt Mariam, & Martam conſolarentur in morte fratris: curationem repentinam paralitici, quem in probatica Piſcina coram magna languentium multitudine ſanavit, & iuſsit, vt tolleret gravatum ſuum, & ambularet, vt de veritate miraculi omnibus conſtaret: & tenebras illas, quas in morte Chriſti ſuper vniverſam terram factas narrat Mathæus caput. 27. quæ miracula cum narrentur facta coram magna hominum multitudine, facile de falſitate poterant convinci Evangeliſtæ, ſi

falsum narrarent : vnde miracula falsa prædicantes ab omnibus irriderentur, & tanquam fabularum fabricatores reijcerentur, & nulli fidem in Christum persuaderent.

45 Constat autem multos ex Iudæis ad fidem Christi convertisse Apostolos prædicando hæc miracula ; vt patet ex Actuum secundo versicul. 22. vbi Petrus loquens cum Iudæis aiebat : *Viri Israelitæ audite verba hæc : Iesum Nazarenum Virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis, &c.* Constatque ex illo capite versicul. 42. in hac prima concione convertisse Petrum circiter tria millia Iudæorum. Et ex Actorum 4. versicul. 4. constat in secunda concione convertisse quinque millia : ergo argumentum evidens est Apostolum Petrum vera miracula narrasse, dum ea narrando tanquam rem apud audientes notam, tantam multitudinem convertit. Sanè siquis seductor peregrinam doctrinam hodie in hac civitate prædicaret, & ad cõmovendos auditores diceret, se heri coram ipsis suscitasse mortuum in confirmationem suæ doctrinæ ; si falsa narraret, nihil apud audientes obtineret, nisi irrisionem, & ignominiam : ergo pariter, &c.

36 Id ipsum ex alio capite manifeste convincitur : quia cum Scribæ, & Pharisæi odio æstuarent contra Iesum, sanè si falsa essent miracula, quæ Evangelistę de ipso narrant, palam detegerent mendacium, & scripto confutarent, idq; innumeris testibus convincerent, & facile obtinerent, ne fides Christi propagaretur. At nemo Iudæorum ausus est hanc exceptionem Evangelistarum narrationi, & Apostolorum prædicationi verbo, vel scripto opponere ; ergo evidens signum est Christum ea miracula edidisse. Idque patet ex ipsa adversariorum confessione : nam gravissimus Scriptor Iosephus Iudæus, qui proximè pęst Christum floruit lib. 18. antiquitum cap. 4. sic scribit : Fuit autem „ eo his temporibus Iesus sapiens vir, „ si tamen virum eum nominare fas est. „ Erat enim mirabilium operum effe„ ctor, & Doctor omnium eorum, qui „ libenter audiunt, quæ vera sunt. Et „ multos quidem Iudæorum, multos „ etiam ex gentibus sibi adiunxit: Christ„ hic erat. Hunc accusatione primo„ rum nostræ gentis Virorum cum Pi„ latus agendum in Crucem decrevisset, „ non deseruerunt hi, qui ab initio eum „ dilexerunt : apparuit enim eis tertia „ die iterum vivus, secundum quod di„ vinitus inspiranti Prophetæ, vel hæc, „ vel alia innumera miracula futura prę„ dixerant. Sed & in hodiernum diem „ Christianorum, qui ab ipso nuncupa„ ti sunt, & nomen perseverat, & genus. Huc vsque Iosephus.

SECTIO QVINTA.

Secundum caput probandi diuinitatem Christi ex vindicta, quam Deus sumpsit de Iudæis, quia illum Crucifixerunt.

47 PRO conficienda ratione supponendum est, propterea Iudæos Iesum crufixisse, quia dicebat se esse Filium Dei naturalem, verumque Deum. Constat id pri„ mo Ioannis 5. 18. Propterea ergo ma„ gis quærebant eum Iudæi interfice„ re, quia Patrem suum dicebat esse „ Deum, æqualem se faciens Deo. Et „ Ioannis 10. De bono opere non te la„ pidamus, sed de blasphemia, & quia „ homo cum sis, facis te ipsum Deum. „ Et ex Mathæi 26. 41. Adiuro te per „ Deum vivum, vt dicas nobis, si tu „ es Christus Filius Dei vivi ? Et cum „ respondisset affirmative, tunc Prin„ ceps Sacerdotum scidit vestimenta sua, „ dicens, blasphemavit, quid adhuc ege„ mus testibus ? Et Ioannis 19. 7. Nos „ legem habemus, & secundum legem „ debet mori, quia Filium Dei se fecit.

48 Hoc suppositò sic argumentor: Iesus Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium Dei naturalem, verumque Deum ; & hac de causa Iudæi necem ipsi machinati sunt : ergo si ille non esset Filius Dei naturalis, sed purus homo, Iudæi eum crucifigendo non iniuriam Deo irrogassent, sed obsequium exhibuissent ; nec supplicio digni forent, sed præmio. At Iudæi Christum eo titulo crucifigentes, nõ obsequium Deo exhibuerunt, sed atrocem iniuriam irrogarunt : ergo quia non blasphemia, sed summa veritas erat, quod Iesus Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium Dei naturalem. Minor patet ex vindicta, quam de ipsis sumpsit Deus ob necem

neceſſarium Chriſti: nam propter hoc delictum Civitas Ieruſalem, eiuſque Templum à Tito, & Veſpaſiano deſtructa ſunt, & Iudæi vt vilia mancipia venditi, & in varias mundi plagas diſperſi, miſerrimam patiuntur captivitatem, ſine Rege, ſine Templo, ſine Sacerdotibus, & ſine Sacrificijs, factiin de riſum, & opprobrium omnibus nationibus.

49 Aſſumptum conſtat 1. ex Danielis v. 26. quem locum ſect. ſequenti dabimus. Secundò ex Lucæ 19. 42. vbi Chriſtus videns Civitatē fluit, & prædixit eius deſtructionem eo, *Quod tempus viſitationis ſuæ cognoſcere noluiſſet*, hoc eſt, oportunam ſalutis ſuæ occaſionem amplecti. Tempus primi adventus ſui appellat Chriſtus tempus viſitationis, *Quia viſitavit nos veniens exalto*, vt dixit Zacharias Lucæ 1. 68. & quia veniens viſitavit, *Et fecit redemptionem plebis ſuæ*. Conſtat tertiò ex Lucæ 21. 24. vbi Chriſtus de hoc ſupplicio loquēs (vt probat P. Gaſpar Sanchez in cap. 9. Danielis num. 169.) dixit: *Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à gentibus.*

50 Conſtat denique ex Matthei 24. 7. vbi Chriſtus prædixit omnimodam deſtructionem Templi in pœnam illius peccati: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Significat his verbis Chriſtus (inquit Maldonatus) etiam, atque etiam ſtructuram Templi conſiderēt, quo magis everſionem admirentur, non enim relinquetur lapis ſuper lapidē: quod etſi per exagerationem dictum videri poteſt, vt ingens tantum ruina, & vaſtatio declaretur, qualē Ioſephus deſcribit lib. 7. de bello Iudaico cap. 9. & 10. tamen non eſt paſſa divina providentia, vt exiſtimare quis poſſet Chriſtum, vel in vno lapide per hyperbolem loquendo fuiſſe mentitum. Scribunt Chriſoſtomus orat. 2. & 3. adverſus Iudæos, Nazianzenus orat. 3. contra Iulianum. Theodoretus lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 20. Iulianum Apoſtatam, dum imperaret, Iudæis conceſsiſſe, vt Ieroſolimitanum Templū reſtaurarent, id Iudæos incredibili alacritate conatos facere, effodiſſe fundamenta veteris Templi, vt nova reponerent, ignem eximis fundamentis exiliiſſe, multoſque conſumpſiſſe ex his, qui ædificabant, ita Iudæos ſuis manib⁹ Chriſti prædictionem compleviſſe. Vetus enim Templum, ſiquidem ſupererat, ita dicuerunt, vt lapis ſuper lapidem non remaneret, novum vero, ne inchoare quidem divinitus prohibiti potuerunt. Conſtat ergo Ieſum Nazarenum, cuius in verbis veracitatem tantopere Deus cælavit, & cuius mortem illi, vt blaſphemo illatam tam ſeverè punivit, non eum fuiſſe, quem Perfidi Iudæi exiſtimant, ſed quem ipſe ſe dixit eſſe, & Chriſtiani firmiſsimè credimus.

41 Quod confirmare poſſumus ex Chriſoſtomo in orat. *Quod Chriſtus ſit Deus.* Ædificavit Eccleſiam Chriſtus, & nullus eam deſtruere poterit: deſtruxit Templum, & nullus illud ædificare poterit, idque in tam longo tempore. Nam & illam deſtruere conati ſunt, & non potuerunt; & hoc ædificare attentavere, & nec id ipſum potuerunt, hoc autem permiſſum eſt, nec vllus dicere poſſet, ſi attentaſſent, potuiſſent: ecce attentarunt, & nihil potuerunt. Subditque, ſolam virtutem Chriſti potuiſſe impedire Templi reædificationem: nam quamvis olim Templū illud fuit deſtructū, tamen vbi poſt ſeptuaginta annos redierunt, ſtatim excitatum eſt, fuitque priore multo præclarius. Nunc autem ſupra 400. annis eſt (modo ſupra milleſsim. ſexcenteſs.) & nulla, vel cogitatio, vel expectatio, ſed nec ſpes, vt inſtauretur. Et quid obſtabat, ſi non divina virtus obluctata eſt? Nonne multa erat illis pecuniarum copia? Patriarcha, qui omnium vndequaque colligebat tributa, & immenſos Theſauros poſsidebat? Nonne temeraria erat natio? Nonne impudens? Nonne ſeditioſa? Nonne ad audendum præceps? Nonne bellorum ferax? Nonne multi erant in Paleſtina? Nonne multi in Phœnicia? Nonne multi vbique paſſim? Quomodo ergo non potuerunt vnum Templum ſtruere, præſertim videntes cultum ſuum alioqui vbique reſidere quaſi ligatum, & Iudaicos ritus aboleri, & Sacrificia, & oblationes, & alia legitima auferri? Immo non licebat eis excitare, vel Templum, vel Altare, aut Sacrificium offerre, aut immolare ovem, aut imponere timiama, aut inſtruere feſta citra illa veſtibula. Attamen nunc vident, quod deſolatio eius loci ab his omnibus ſe excludat, & quod attentaverunt quidem, ſed temeritatis pœnam luentes non potuerunt locum, in quo hæc omnia licebant legitimè erigere, & conſtituere. Nam virtus Chriſti, quæ ædificavit Eccleſiam, eadem Templum deſtruxit,

52 Deinde Iudæorum nationem hanc vniversalem captivitatem, & dispersionem pati ob delictum occisionis Christi, probat efficacissimè Paulus Burgensis p. 2. Scrutinij Scripturarum dist. 6. cap. 1. & 2. Vt autem argumentum conficat, probat in peccato illo, ob quod tam longam captivitatem patiuntur Iudęi, debere tria concurrere, quæ non nisi in occisionem hominis Dei quadrare possunt: nempe, & peccatum illud esse maius eo, ob quod per septuaginta annos captivitatem Babylonicam passi sunt: & peccatū hoc esse commune omni genti Hebræorum, & demum esse illis occultum, & ignotum.

53 Quod hoc peccatum debeat esse longe maius peccato captivitatis Babylonicæ inductivè, probatur: quia pœna proportionatur culpæ, & vt dicitur Deuteron. 25. *Iuxta mensuram delicti erit, & plagarum modus.* At pœna huius peccati, est longe maior pœna alterius: ergo & peccatum debet esse longè maius. Probatur minor, quia captivitas præsens longe superat Babylonicam: nam illa duravit dumtaxat septuaginta annis; hæc vero vltra mille, & sexcentos iam protensa est: illa fuit vnius dumtaxat tribus Iudâ; ista vero est captivitas vniversalis omnium Tribuum Israel. In prima captivitate Ioachin Rex Iudâ magno in honore habitus est à Rege Babylonię, & in Throno Regum sedit, vt constat ex 4. Reg. vltim. vers. 28. Similiter, & alij illius generis in honore fuerunt constituti, vt constat ex 1. & 2. Danielis: in præsenti autē captivitate nullibi Regē habent, nec notabili fruuntur honore, sed vbique despecti, & contempti sunt. In ista captivitate innumerabilis eorum multitudo occisa fuit à Romanis, & alij multi in captiverium ducti.

54 Audiamus Iosephum lib. 7. de bello Iudaico cap. 17. vbi sic inquit: „ Et captivorum quidem omnium, qui „ toto bello comprehensi sunt, nonaginta „ & septem millium comprehensus est „ numerus: mortuorum vero per omne „ tempus obsidionis vndecies cētum mil„ lia: ab omnibus enim regionibus ad „ azimorum diem festum congregati bel„ lo subito circunfusi sunt. Et post mo„ dum subiungit: Itaque superat omnem „ humanam, & divinitus emissam pestē „ numerus peremptorū, quos partim pa„ lam occidere, partim cepere Romani. „ Inventi autem sunt ibi quoque plusquā „ duo millia, quorū alij manu sua; plures „ autem mutuis se vulneribus interfece„ runt, cum alios fames corrupisset.

55 Deinde in captivitate Babylonica multos habuerunt Prophetas, qui eos Dei nomine de peccatis præteritis increpabant, ad pœnitentiam hortabantur, & spe redemptionis levabant, quod præstiterunt Hieremias, & Ezechiel. Propè finem autem captivitatis inter eos floruerunt Daniel, Esdras, Zacharias, & Aggæus, deditque illis Dominus Salatiel Ducem, & Principes, & Sacerdotes, cū quibus exierunt de Babylonia peracta pœnitentia, & placato Deo: & ædificaverunt Ierusalem, & Templum, aliasque civitates, & effudit dominus super illos copiosè misericordiam suam. Quod signum est, eos tunc puniisse vt Patrē, & vt populum proprium tractasse. In hac autem vltima captivitate nullus vnquam inter eos Propheta surrexit iuxta illud Psalmi 3. *Iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.* Quod argumento est, eos à Deo reprobatos, & non esse iam populum Dei; in eisque adimpleri illud Danielis 9. *Non erit eius populus, qui ipsum negaturus est.* Ex quo enim dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem: & nolumus hunc regnare super nos*, à Deo deserti sunt; constat ergo supplicium huius captivitatis esse longe maius supplicio captivitatis Babylonicæ. Propterea namque hæc vltima captivitas appellatur à Daniele desolatio: prima vero appellata est transmigratio, quia post modicum tempus reducti sunt cum honore in Ierusalem: ergo inflictum est ob aliquod peccatum longe maius: hoc autem nequit esse aliud, quam occisio hominis Dei. Nam Iudæi captivi ducti sunt in Babylonem, quia adoraverunt idola, Prophetas Dei occiderunt, & legem eius abiecerunt. Peccato autem idolatriæ nullum est maius, quam occisio hominis Dei: qui enim idolum, vt Deum colit, est sicut Subditus, qui proprium Regem offendit, ei tributa denegando, & alium Principē, vt Regem salutando. Qui vero Christum occiderunt, sunt sicut hi, qui in ipsam personam Regis offensam committunt, eum blasfemando, & turpiter occidendo.

56 Rursus peccatum, in cuius pœnam inflicta est hęc vltima captivitas, debet esse commune omnibus Hebræis, qui per totum orbem dispersi sunt: cum enim Deus iustus sit, non potest punire Iudæos nunc existentes ob peccatum suo-

fuorum maiorum, qui vitulum in Deserto adoravere, vt somniant aliqui Rabini huc applicantes illud Exod. 32. *Ego autē in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum.* Nec ob peccata commissa in primo Templo, vt alij fingunt. Non inquam, potest Deus hoc facere; nam vt ipse dixit Exodi 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zœlotes, visitans iniquitates Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Ex quibus verbis constat non plus se extendere iustitiam divinam in puniendis peccatis prædecessorum, quam ad tertiam, & quartam generationem. Vel quia, vt exponit Burgēsis, filij, & nepotes pluries inveniuntur imitatores paterni sceleris: vnde in translatione Caldaica dicitur, hoc esse, quia filij sequuntur opera patrū; vel quia peccata parentum solum possunt puniri in descendentibus; quatenus parentes torquentur, dum vident afflictionem eorum & quia communiter solum vident post se quartam generationem. Vt enim inquit D. Thomas 1.2. quæst. 87. art. 8. ad primum: Ideo additur in tertiam, & quartā generationem, quia tantū consueverunt homines vivere, vt tertiam, & quartam generationem videant; & sic mutuo videre possunt; & filij peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum. Cum ergo Iudæi modo existentes nullatenus commiserint peccatum adorandi vitulum, nec illud approbent, sed potius abominentur, & cum longissimè distent à suis maioribus, qui illud commiserunt, consequens manifestè est, eos non puniri tam dira, & longa captivitate propter peccatum adorationis vituli, vel propter peccata commissa in primo Templo. Quod vel inde patet: Nam si Deus placatus est illis ipsis Iudæis, qui peccatum illud commiserunt, & post septuaginta captivitatis annos eorū filios in Ierusalem reduxit magno cum honore, & ingentibus cumulavit beneficijs: quomodo tan dirè punire potuit eorum descendentes post sexagesimam, vel forsam centesimam generationem propter alienam culpam, quam ipsi videre non potuerunt, nec vnquam imitati sunt, sed potius abominantur ex corde?

57 Restat ergo vt hanc captivitatem patiantur propter crimen crucifixionis Christi: vt enim inquit Burgensis, „ Licet Iudæi, qui post destructionem se„ cundi Templi fuerūt, non intervenerint „ in occisione Christi; omnes tamen, qui„ cunq; sunt sub Hebraica perfidia, con„ sentiunt, approbant, & laudāt peccata, „ quæ commissa fuerunt à suis maioribus „ in personam Christi; vt patet per omnes „ Magistros eorū, qui conveniunt in hoc, „ quod occisores Christi secundū veram „ iustitiam legis eum occiderunt. Vnde Rabbi Moyses in lib. de Iudicijs tit. de Regibus, & Messia sic dicit: *Circa finem Templi secundi Nazareus ille iactavit se esse Messiam, & ideo Sapientes, & Magistri nostri fecerunt de eo, seu in eum, quod debebat fieri.*

58 Denique peccatum hoc, ob quod tam acerba, & longa puniuntur captivitate perfidi Iudæi, est eis omnino ignotum. Hoc autem patet ex libro quodam Talmudico valde authentico apud illos, qui dicitur *magnila*: vbi inquiritur ratio, quare Iudæis existentibus sub captivitate Babylonica revelatus fuerit à Deo terminus illius, vt patet Hieremiæ 29. Iudæis vero existentibus sub hac secunda captivitate nunquam revelatus sit eius finis? Ibique respondetur, propterea prioribus revelatum fuisse terminum captivitatis, quia revelatum ipsis fuit peccatum, ob quod illa à Deo immissa fuit, vt de illo dolentes mererentur veniam: posterioribus verò idcirco non revelari terminum captivitatis, quia omnino est ignotū ipsis peccatum, ob quod sic puniuntur. Ex quo concluditur, peccatum hoc esse blasphemiam in Christum, & iniquam eius occisionem: nam tantum abest, quod hoc peccatum cognoscant, vt potius pertinacissime sibi persuadeant maiores suos obsequium magnum præstitisse Deo, Nazareni mortem machinando. Cum ergo constet in solo peccato persecutionis, & occisionis Christi concurrere illas tres conditiones, nempe, & quod sit longe maius peccato idololatriæ, & quod sit omnibus Iudæis commune eisque occultum, & incognitum; manifestum relinquitur eos propter hoc peccatum à maioribus suis commissum, & ab ipsis approbatum pati hanc severissimam pœnam, & manifestam Dei vindictam: ac proinde convincitur Iesum Nazarenum esse Filium Dei naturalem, verumque Deum.

59 Id ipsum comprobat Chrisostomus ex illa prophetia Moysis Deutor. „ 18.15. Prophetam vobis excitabit Do„ Deus de Fratribus vestris: sicut me, i„ sum audietis: & erit, omnis anima, quę „ Prophetam illum non audierit, exter„ minabitur de populo suo. Quæ verba

in nul-

in nullo Propheta sunt impleta nisi in Christoo. Etenim multi Prophetæ surrexerunt, & omnes parum auditi sunt; attamen propterea Iudæi nihil sunt passi; hunc autem quia non audierunt, vagantur erratici, fugitivi, & exules, oberrantes vbique, excluſi à sua Civitate, & à Paternis legibus, & consuetudinibus in ignominia & vltionis pœna. Propter hoc omnia, quæ illorum fuerunt, in solitudinem sunt redacta, quia Prophetam illum non audierunt.

60 Hic noto paucis ab hinc annis conversum esse Romæ Iudæum ad nostram Sanctam Fidē hoc argumēto: Diabolus ante adventum Christi frequenter tentabat Iudæos de idolatria; postquam autem Iesum Nazarenum, vt Blasphemū occiderunt, non amplius eos in hoc peccatum impulit. Vnde hoc? Sanè non aliūde, nisi quia ante adventum Christi remedium habebant in observatione legis Mosaicæ, cuius ceremonialia præcepta, & sacrificia Christum præfigurabant: vnde vt eos in infernum duceret, à vera fide ad idolatriam pertrahebat. Postquam autem Christus venit, quia iam illa sacrificia, & præcepta sunt inutilis vmbra, Diabolus de hoc solicitus non est: quandoquidem loco Idolorum succedunt vanæ iam, & inutiles ceremoniæ, quas cum non minore impietate modo colunt, quam ante adventum Christi, colerent Idola.

61 Hinc etiam manifestum aliud argumentum eruitur ad convincendam incredulitatem Iudæorum. Evidens enim est Iesum Nazarenū veri Dei cognitionem in totum mundum invexisse, & idolatriam ex terminasse à Populo Israel, quia, vt expendit Chrisostomus, post adventum Christi Iudæi meliores sunt facti quam dum à Prophetis erudirentur, & prodigia viderent. Nullus enim ipsorum vel pueros nunc immolat, vel ad Idola currit, vel vitulum adorat. Incredibile autem est, quod ad expellendam idola etiam à Populo Iudaico Deus vti voluerit tanquam instrumento homine iniquo, & blasphemo, qualem fuisse Iesum Nazarenum Iudæi blasphemant: ergo non fuit blasphemus, sed verus Deus, siquidem de seipso hoc sæpè dicebat, quod sine blasphemia dicere non poterat, si esset falsum.

(z)

SECTIO SEPTIMA.

Quartum caput probandi diuinitatem Christi ex mira correspondentia inter vetus, & novum testamentum.

62 EVIDENS est lumine naturæ solum Deum posse infallibiliter cognoscere futura contingentia, quæ dependent à causis liberis, præsertim ab ipsius Dei nutu, & potentia. Hinc autem manifestè concluditur prophetias de rebus futuris à Dei omnipotentia pendentibus, si verę sint, à Dei spiritu esse: cognoscitur autem esse veras, postquam videntur impletæ. Si ergo prophetiæ de adventu Messiæ ad litteram impletæ sunt in Iesu Nazareno, liquido constat ex testimonio Prophetarū eum esse Messiam in lege promissum. Quod autē ita res se habeat, patebit expendenti correspondentiam inter prophetias veteris testamenti, & vitam, & mortem Christi.

63 Testamentum vetus dicit Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Respondet novum Mathæi 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Dicit vetus Michææ 5. *Et tu Bethelem Ephrata parvulus es in millibus Iudæ: ex te enim egredietur, qui sit dominator Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quę verba Prophetæ sic expositerunt Sacerdotes Herodi Math. 2. vers. 6. *Et tu Bethelem terra Iudæ nequaquam minima es in Principibus Iudæ, ex te exiet Dux, qui regat Populum meum Israel.* Respondet Novum Testamentum Math. 2. *Cum natus esset Iesus in Bethelem Iudæ.* Numerorum 24 *Orietur Stella ex Iacob.* Mathei 2. „ Vidimus Stellam eius in oriente. Isaiæ „ 2. Omnes de Sabâ venient aurum, & „ thus deferentes. Math. 2. Obtulerunt „ ei aurum, thus, & myrrham. Isaiæ 62. „ Dabitur ei nomen novum, quod os Do„ mini locutum est. Lucæ 2. Vocatum „ est nomen eius Iesus, quod vocatum est „ ab Angelo. Isaiæ 19. Ecce Dominus „ ascendet super nubem levem, & ingre„ dietur Ægyptum. Math. 2. Accipe Pue„ & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. „ Psalm. 76. In Mari viæ tuæ, & semitæ „ tuæ in aquis multis. Math. 14. Venit „ Iesus ambulans supra mare. Hieremiæ „ 16. Mittam ad eos Piscatores, & pisca„ buntur multos. Math. 4. Venite post me „ faciam vos fieri Piscatores hominum.

Deu-

„ Deutheron. 18. Propheram ſuſcitavit „ tibi Dominus de medio fratrum tuo„ rum. Ioann. 6. Quia hic eſt vere Pro„ pheta, qui venturus eſt in mundum. Pſ. „ 77. Apperiam in parabolis os meum. „ Lucæ 7. locutus eſt eis multa in para„ bolis. Iſaiæ 35. Deus ipſe veniet, & ſal„ vabit vos: tunc apertentur oculi cæ„ corum &c. Math. 11. Euntes renun„ ciate Ioan. quæ auditis, & vidiſtis: cæ„ ci vident, &c. Zacharias 9. Ecce Rex „ tuus veniet tibi iuſtus, & Salvator, & „ aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullũ „ filium aſinæ. Math. 21. Et adduxerunt „ aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſu„ per eos veſtimenta ſua, & eum deſuper „ ſedere fecerunt. Zachariæ 11. Appen„ derunt mercedem meam triginta ar„ genteis. Math. 26. At illi contulerunt „ ei triginta argenteos. Danielis 9. Poſt „ hebdomas 70. occidetur Chriſtus. Ad „ Philip. 2. Chriſtus factus eſt obediens „ vſque ad mortem. Thren. 3. Dabit „ percutienti ſe maxillam, ſaturabitur „ oprobrijs. Math. 26. Tunc expuerunt „ in faciem eius, & colaphis eum cæci„ derunt. Danielis 9. Non erit eius Po„ pulus, qui ipſum negaturus eſt. Ioann. „ 19. Clamaverunt omnes: non habemus „ Regem, niſi Cæſarem. Iſaiæ 53. Et cũ „ ſceleratis deputatus eſt. Mat. 27. Cru„ cifixi ſunt cum eo duo Latrones. Pſalm. „ 21. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & „ ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. „ Math. 27. Dividentes vero veſtimenta „ eius miſerunt ſortem. Exod. 12. Os „ non comminuetis ex eo. Ioan. 19. Vt „ viderunt eum iam mortuum, non fre„ gerunt eius cura. Pſalm. 15. Non relin„ ques animam meam in Inferno. Acto. 2. „ Deus vero ſuſcitavit eum à mortuis 3. „ die. Michææ 2. Aſcandet, pandens iter „ ante eos. Actor. 1. Videntibus illis ele„ vatus eſt. Ioelis 2. Effundam de ſpiritu „ meo ſuper omnem carnem. Actor. 2. „ Effudit hoc donum Spiritus Sancti, „ quod vos videtis, & auditis. Iſaiæ 49. „ Poſui te in lucem gentium, vt ſis ſalus „ mea vſque ad extremum terræ. Actor. „ 13. Audientes autem gentes gaviſi ſunt „ & crediderunt, &c.

64 Omnia ergo, quæ de Meſsia prædixerant Prophetæ, in Ieſu Nazareno adimpleta ſunt: ergo ipſe eſt Meſsias: ergo non ſeductor, & blaſphemus, vt Perfidi Iudæi blaſphemãt, ſed *Doctor iuſtitiæ*, vt eum appellat Hieremias cap. 23. ſiquidem fieri non potuit, vt Deus hominem iniquum, & blaſphemũ eis omnibus ſignis ornaverit, per quæ voluit Meſsiam dignoſci, quia hoc eſſet ipſum Deum homines decipere.

65 Quia teſtimonia Prophetarum adimpleta eſſe in Nazareno eſt medium efficaciſsimum ad convertendos infideles, diſpoſuit Deus, vt antequã Evangelium prædicaretur in vniverſo mundo teſtamentum vetus ex Hebræo in Græcum verteretur, vt Gentiles, apud quos familiaris erat lingua Græca, poſſent legere prophetias, & in illis prænuntiata videre multis retro ſæculis, quæ ipſis annuntiabantur, vt notat Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 42. & in hunc finem ordinavit, vt Romani Iudæos ſubiugarent, vt illi hac occaſione divagarentur inter Gẽtiles per diverſas orbis partes; & ſic ſecum aſportantes Scripturas Sacras, quæ teſtimonium perhibent de Chriſto, & ipſi converterentur, dum eis prædicaretur Evangelium, & eſſent occaſio converſionis gentium. Vt enim inquit Auguſtinus ibidem cap. 46. *Si cum illo teſtimonio Scripturarum in ſua tantummodo terra, non vbique eſſent, profectò Eccleſia, quæ vbique eſt, eos Prophetiarum, quæ de Chriſto præmiſſa ſunt, teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet.* Hac de cauſa Apoſtolus Rom. 11. verſ. 17. ait: *Quod delictum eorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ ſunt gentium.* Quia nimirum, vt explicãt ibi Anſelmus, & Caietanus, delictum Iudæorum manentium in ſua infidelitate occaſionaliter eſt ſalus, & divitiæ gentiũ, quia diſperſi inter gentes afferebant ſecum Scripturas, in quibus continebãtur Prophetiæ de Chriſto. Et ideo gentiles opponere non poterãt illas eſſe confictas â Chriſtianis videntes eas eſſe in poteſtate inimicorum Chriſti: vnde ex illis convincebantur Apoſtolos vera prædicare.

66 Ex his apparet, quam miſeranda cæcitate laborent Iudæi, dum ſunt in perpetua expectatione Meſsiæ, quem iam dudum Deus miſit. Et ad id convincendum ex prophetia Danielis cõficitur evidens argumentum. Loquens enim cum eo Gabriel Archangelus cap. „ 9. verſ. 25. ait: Scito ergo, & animad„ verte, ab exitu ſermonis, vt iterum „ ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtũ „ Ducem hebdomades ſeptem, & heb„ domades ſexaginta duæ erunt; & ruꝛ„ ſum ædificabitur platea, & muri in an„ guſtia temporum, & poſt hebdomades „ ſexaginta duas occidetur Chriſtus, &

non

„non erit eius populus, qui ipsum ne-
„gaturus est. Et Ciuitatem, & Sanctua-
„rium dissipabit populus cum duce ven-
„turo: & finis eius vastitas, & post finē
„belli statuta desolatio. Confirmabit au-
„tem pactum multis hebdomada vna, &
„in dimidio hebdomadis deficiet hostia,
„& sacrificia, & erit in templo abomi-
„natio desolationis, & vsque ad consu-
„mationem, & finem perseverabit deso-
„latio. Hucusque Propheta.

67 Cuius verba ad litteram sic imponit P. Gaspar Sanchez ex communi consensu Doctorum. Hoc itaque cer-
„to tibi persuade, & septuaginta hebdo-
„madum tempora, de quibus nuper,
„hunc in modum partire; ab eo tempo-
„re, quo primum facultas erit instauran-
„dæ Ciuitatis, & Templi, ad Templi,
„Ciuitatisque consumatam fabricam sep-
„tem erunt hebdomades; inde vero ad
„Christum Doctorem, & ducem, id est,
„ad tempus vsque baptismatis sexa-
„ginta duæ intercedent annorum heb-
„domades. Ædificabuntur autem muri
„Ciuitatis, & quæ in illorum circuitu
„continentur, plateæ scilicet, & eius ha-
„bitabitacula cum magna perturbatione
„ac metu ostrepentibus vndique, & vr-
„gentibus hostibus. Ab Vrbe porrò iam
„instaurata per annos 49. ex quo facta
„est ædificandi potestas; cum aliæ sexa-
„ginta duæ hebdomades exactę fuerint,
„occidetur, quem multa sæcula iam pri-
„dem expectant, Christus Dominus.
„Nec cladem effugiet populus, qui cum
„ipsius sit, illum tamen scelerate nega-
„turus est. Nec enim execrabile facinus
„impunitum oportuit. Aderit autem
„post completas hebdomadas septuagin-
„ta Dux Romanus cum exercitu numē-
„roso, ac forti, qui ciuitatem, ac Tem-
„plum à fundamentis eruet, quorum ta-
„lis erit desolatio, & vastitas, vt nullum
„superst superioris mollis, aut gloriæ ve-
„stigium. Nec absoluto bello instaura-
„buntur Ciuitatis ruinæ; nam eo finito
„perseverabit tamen perpetua desolatio.
„In vltima autem hebdomada ex septua-
„ginta, & in eius dimidio moriens Chri-
„stus testamentum statuet, confirmabit
„que novum, & abrogabit antiquum;
„deficient enim sacrificia, atque hostiæ.
„Erit autem in Tempio execrabilis abo-
„minatio, nec vllo tempore illius in-
„staurabuntur ruinę, aut cessabit va-
„stitas.

68 Has septuaginta hebdomadas, de quibus Propheta; esse annorum, ac proinde efficere 490. annos, impletasque fuisse paulo post mortem Christi, cōvincunt ex *hoc loco* Nicolaus de Lyra in Glosa ordinaria, & Paulus Burgensis 1. p. Scrutinij distinct. 3. cap. 3. Id autem facile probatur, quia, vt inquit Burgensis, in tota Sacra Scriptura non inuenitur aliqua hebdomada dici, nisi vel dierum, vt Leuitici 23. vers. 3. vbi de festo hebdomadarum agitur, vel annorum, vt Leuitici 25. 8. vbi de iubileo agitur. At hebdomadæ illę 70. non sunt dierum, quę vix efficiunt annum, & dimidium, vt per se est manifestum: *ergo sunt hebdomadæ annorum.* Deinde sic argumentor: vel hebdomades illæ sunt millenariorum, vel centenariorum, seu sæculorum, vel hebdomades iubileorum, seu quinquagenorum, vel annorum, vel mensium, vel dierum. Non millenariorum: sic enim quælibet hebdomada septem mille annos ambiret, & septuaginta vltra quatuorcenta millia constituerunt. Nec hebdomadæ sæculorum, qua constituunt quadraginta *nouem millia annorum, nec iubileorum,* quæ constituunt viginti quatuor millia, & quingentos annos: constat enim manifestè non posse sic computari, quia secundū hanc computationem nō dum fuisset destructa Ierusalem, eiusque Templum: constat autem manifestè diruta omnino fuisse à Tito, & Vespasiano 42. annis post mortem Christi. Nec item illæ hebdomadæ sunt mensium, vel dierum, quia cō-stat à tempore, quo Daniel prophetavit vsque ad *destructionem* Ierusalem transijsse multo plures, quā septuaginta hebdomadas mensium, quæ vix vnum supra quadraginta annos constituunt. Restat ergo à sufficienti partium enumeratione illas septuagitna hebdomadas esse annorum. Quomodocunque autem incipiant numerari, manifestum est multis iam sæculis fuisse completas, ac proinde iam Messiam venisse.

69 Sciendum autē est verba illa Prophetæ, *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem*, variè exponi à Doctoribus: aliqui enim exponunt de exitu sermonis Dei ad Gabrielem Angelum, de quo dixerat vers 23. *Ab initio precum tuarum egressus est sermo.* Alij à vicesimo anno Regni Artaxerxis, quando idem Rex præcepit, vt reædificaretur Ierusalem, vt habetur Neemiæ 4. Alij vero affirmant hoc initium fuisse anno 4. Sedechię Regis, in quo exivit sermo Dei ad Hie-

remiam

remiam dicens: *Cum ceperint compleri in Babilonia ſeptuaginta anni viſitabo vos &c.* Hieremia 29. verſ. 10.

70 Denique ex prophetia Patriarchæ Iacob, Geneſ. 29. *Non auferetur ſceptrum de Iudâ, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, &c.* apertè convincitur, Meſsiam iam veniſſe, cũ certum ſit, ſceptrum iam dudum ablatum fuiſſe, non ſolum à Tribu Iudâ, ſed ab omni gente Iudæorum. Vide genuinam huius prophetiæ explicationẽ apud Cornelium à lapide ibi: futiles vero, & ridiculas evaſiones Rabinorũ convincit Burgenſis 1. p. Scrutinij diſt. 3. cap. 2. Et Lyra in gloſa ad caput 49. Geneſis.

SECTIO OCTAVA.

Quintum caput probandi diuinitatem Chriſti ex eius Reſurrectione.

71 CVM Chriſtus zelo Patris ſui incenſus eiecit è Templo ementes, & vendentes, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*; Iudæi indignabundi dixerunt: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Quaſi dicerent, quo ſigno nobis probas, te habere authoritatem faciẽdi, quæ facis? Chriſtus vero tanquam ſignum efficaciſsimum ad id probandum, oſtendendo ſe eſſe Filium naturalem Dei, Reſurrectionem ſuam produxit dicens: *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioan. 2. 19. Quod tunc nec Iudæi, nec Diſcipuli intellexerunt, exiſtimantes eum loqui de Templo materiali, cum tamen loqueretur de Templo corporis ſui per mortem à Iudæis ſolvendo, & ab ipſo per Reſurrectionem tertia die excitando, & poſtea Diſcipuli cognoverunt. Et Ioan. 8. cum Chriſtus ſub varijs metaphoris dixiſſet, ſe eſſe Filium Dei, & eis æternam damnationem minatus fuiſſet, niſi hanc veritatem crederent, & cum illi non cognoviſſent, quia Patrem ſuum dicebat eſſe Deum, dixit eis Ieſus: *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum*, id eſt, quãdo in Cruce me vt hominem exaltaveritis, tunc cognoſcitis, me eſſe Filium Dei: humanitate enim mea per vos morti tradita, tunc referabitur divinitas mea per carnis meæ Reſurrectionem.

72 Inquirit Toletus annot. 23. in c. 2. Ioannis, cur Chriſtus dederit Iudæis Reſurrectionem corporis ſui, vt ſignum divinitatis ſuæ? Et reſpondet, licet alia miracula eſſent ſufficientiſsima ad hanc comprobandam veritatem, exiguam habuiſſe efficaciam, quia pauci vi illorũ in Chriſtum crediderunt. Reſurrectionem vero prædicatam multis perſuaſiſſe Chriſti divinitatem, & ideo ipſum dixiſſe, *Cum exaltaueritis Filium hominis, &c.* Hoc expertus eſt Thomas, qui manu tangens Chriſti redivivi vulnera, plenus fide exclamavit Ioan. 20. verſ. 28. *Dominus meus, & Deus meus*: in his enim verbis, & ſuam incredulitatem, & eius præcipuam cauſam confeſſus eſt, ac ſi diceret: non credidi prius, quia neſciebam te eſſe Deum; at nunc credo te eſſe Deum, quia reſurrexiſſe te video: prius quia non credidi divinitatem, negabam Reſurrectionem; at nunc credens Reſurrectionem, confiteor tuam veram divinitatem.

73 Quia ergo Reſurrectio Chriſti eſt tam potens argumentum ad perſuadendam eius divinitatem; & huius myſterij fides eſt fundamentum Chriſtianæ Religionis: nam Chriſtum mortuum eſſe, & Iudæi, & Pagani credunt: Chriſtum vero reſurrexiſſe, eſt propria Chriſtiani fides; ideò Dominus tot circunſtãtijs credibilitatis ſingulari providentia circunvallavit Reſurrectionem, vt ſint inexcuſabiles, quiacam credere noluerint.

74 In primis enim, ne infideles dicerent Chriſtum revera non fuiſſent mortuum, ac propterea non reſurrexiſſe, ſed convaluiſſe à vulneribus: Deo ſic permittente ad manifeſtationem Reſurrectionis Chriſti, *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua, & qui vidit, teſtimonium perhibuit.* Inquit Ioannes cap. 19. verſ. 35. quæ lancea ſecundũ Ciprianum cor tranſfixit, vt extraheret modicam ſanguinis portionem, quæ ibi remanſerat. Quo evidenter probatum eſt Chriſtum revera mortem obijſſe, cum impoſsibile ſit vivere hominem, in cuius corpore nulla manet gutta ſanguinis.

75 Rurſus, ne Perfidi Iudæi Reſurrectionem Chriſti tribuerent virtuti alicuius hominis ſancti iacentis in ipſius ſepulchro, ſicut 4. Reg. 13. verſ. 2. reſurrexit homo, quẽ ſepelierunt in ſepulchro Eliſæi: divina providentia diſpoſuit, vt ſepeliretur; *In monumento nouo, in quo nõdum quiſquam poſitus fuerat*, Ioan. 19. verſ. vltimo. Deinde, ne Iudæi fingerent veniſſe Diſcipulos, & clam tertiam ſuffodiẽtes

tes furatos fuisse corpus sui Magistri, disposuit, vt sepulchrum illud fuerit in petra scissum. *Nam Ioseph ab Arimathia accepto corpore inuoluit illud syndone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra* Math. 22.

76 Quartò, quia si Christi sepulchrum non custoditetur, poterant Iudæi fingere. Apostolos illud fustuliſſe: vsus est Deus malitia, & invidai Iudæorum, vt fidem Resurrectionis stabiliret. Nam vt narrat Mathæus cap. 27. vers. „ 62. Convenerunt Principes Sacer- „ dotum, & Pharisæi ad Pilatum dicē- „ tes: Domine recordati sumus, quia se- „ ductor ille dixit adhuc vivens: post „ tres dies resurgam; iube ergo custodiri „ sepulchrum vsque in diem tertium, ne „ forte veniant Discipuli eius, & furen- „ tur eum, & dicant plebi; resurrexit à „ mortuis, &c. Et ne possent obtendere, Discipulos muneribus corrupisse custodes, disposuit Deus, vt Pilatus eis commiserit custodiam sepulchri dicens: *Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis.*

77 *Illi abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus*, id est, munierunt sepulchrum cum custodibus, cum antea lapidem obsignassent: vt autem notat ibi Maldonatus, credendum est, eos aliquo annulo, vel sigillo signasse lapidem, ne aut dormientibus militibus Discipuli aperire possent, quin furtum ex sigilli violatione deprehēderetur, aut ne milites ipsi pecunia à Discipulis corrupti corpus illis traderent, quemadmodum Darius lacum Leonum, in quem Daniel coniectus fuerat, annulo suo obsignasse dicitur Danielis 6. ne aut illi dicerent se Danielem furtim liberasse, aut illi in lacum ingressi eum occiderent, & à leonibus occisum evulgarent.

78 Admirabilis in obscuranda Christi divinitate, & gloria, Sacerdotum sedulitas, (inquit Maldonatus) admirabilior divina providentia, quæ ipsorum diligentia, atque artificio ad illam illustrādam via est. Timebant Sacerdotes, ne plebi Discipuli persuaderent Christum, sicuti dixerat resurrexisse, adhibent ea de causa custodes: illi ipsi non iam plebi, sed ipsis, à quibus adhibiti fuerant, Sacerdotibus, & Pharisæis Christum resurrexisse testati sunt Math. 28. vers. 11. *Ecce quidam de custodibus venerunt, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ gesta sunt.* Obsignarunt sepulchri lapidem, ne quis corpus furari posset; & ille ipse tam diligenter obsignatus lapis fidem fecit corpus Christi non vi, non fraude de sepulcho sublatum fuisse, sed divina virtute fuisse suscitatum, vt verificaretur illud: comprehendam sapientes in astutia eorum.

79 Cum amitilibus audierunt Principes Sacerdotum Christum surrexisse, pecuniam copiosam dederunt illis, vt dicerent venisse Discipulos eius noctu, & furatos fuisse corpus ipsis dormientibus, vt narrat Mathæus cap. 28. vers. 11. sed vt acutè arguit August. in Psalm. 63. *Qui dormientes oestes adhibuerunt, verè, & ipsi obdormierunt*, siquidem si milites somno dediti erant, quando venerunt Discipuli, illud testificari non potuerunt, & facile de mendacio convincuntur. Manifestum deinde erat Discipulos pauperes, timidos, & inermes, & qui tempore passionis fugerant, non non habituros animum ad hoc facinus aggrediendum, nec potuisse sepulchrum ingenti lapide munitum, & obsignatum sine strepitu, qui custodes excitaret, aperire. Præterea si Discipuli furati fuissent corpus, in illo denudando detinerentur: constat autem Ioan. 20. 7. quod Petrus *Introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, separatim inuolotum*, Deinde vt observat Maldonatus, credendum est, illos ipsos milites, qui ad mentiendum empti fuerāt, & gloriosam Christi Resurrectionem, & Sacerdotum, qui veram obscurarent pecuniam dederunt, facinus intet Familiares suos evulgasse.

80 Vt fidem suæ Resurrectionis Christus firmaret, eam manifestavit primò per Sanctos, qui cum ipso surrexerūt, *Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem eius venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* Math. cap. 27. vers. 53. Secundò per Angelos, qui eam manifestarunt mulieribus cūpis vngere corpus defuncti Math. 28. Tertiò per seipsum apparens non solum Matri suæ, sed multis alijs. Apparuit primò Magdalenę Marci 16. 9. Deinde mulieribus redeuntibus ex sepulchro Math. 28. vers. 9. *Illæ autem accesserūt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Apparuit Petro Luc. 24. 34. *Surexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Apparuit Discipulis euntibus in Emaus Lucæ 24. eumque paulo post, *cognouerunt in fractione panis.* Apparuit vndecim simul congregatis in Ierusalem, *Et ostendit eis manus, & latus*, in ipsa Resur-

surrectionis die. Iuannis 20. 19. Et cum Thomas narrātibus Christi Resurrectionem noluisset credere : octo post dies cū esset cum cum reliquis, *Venit Iesus Clausis ianuis*, & vulnera sua contrectanda ostendit Thomæ, qui priorem infidelitatem agnoscens, Christi divinitatem credidit Ioan. 20. 28. Deinde manifestavit se Discipulis piscantibus in mari Ioan. 21. & vt narrat Lucas 1. Actor. 2. *Præbuit seipsum viuum post Passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Et coram ipsis, abiisque multis in Cœlū ascendit. Hāc Christi Resurrectionem tanquam testes oculares Apostoli prædicaverunt. Et ideo Petrus omnium nomine dixit Actor. 2. 32. *Hunc Iesum Resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus.* Hinc autem evidens conficitur argumentum divinitatis Christi : nam postquam ignominiose crucifixus est, quia dixit se esse Filium Dei, Deus ipsum tertia die suscitauit, & eius Resurrectionem tot inuictis argumentis manifestam fecit.

81 Nec infideles dicere possunt vera non esse, quæ Evangelistæ narrant, sed ea finxisse ad commendationem sui Magistri. Hæc enim evasio falsitatis convicta manet sect. 4. Deinde ab effectu evidens est Apostolos Resurrectionem, & Ascensionem Christi mundo persuasisse tanquam rem à se visam, & in testimoniū huius doctrinæ martyrium pro Christo sustinuisse ; id autem non facerent, si Christus non surrexisset, sed potius se deceptos dolerent, & eum tanquam impostorem execrarentur. Dixerat anim illis palam Lucæ 18. 32. *Se illudendum, flagelandum, & crucifixendum* ; cæterum tertia die surrecturum, idque dixit, cum ascendit Ierosolimā ad passionem subeūdam. Certè si Apostoli viderent, eum quidem vera nunciasse, cum ignominias suas prædixit ; falsa autem, cum prædixit Resurrectionem ; eum falsum fuisse Prophetam, & verum impostorem deprehenderent, nolentque tot labores pati, vt falsam fidem in mundum inveherent cum magna Creatoris iniuria, & certo propriæ salutis detrimento, & sine spe alicuius temporalis emolumenti, & eo solum fine, vt Filium Dei esse persuaderent hominem iniquum, à quo nihil sperare poterant. Quomodo Deus donum linguarum communicaret imperitis piscatoribus, vt tam insigne mendacium, ipsi Deo tam iniuriosum, toti orbi persuaderent?

SECTIO NONA.

Sextum caput probandi diuinitatem Christi ex mirabili mundi conuersione.

82 PRÆDICATIONE Piscatorum conversus est mundus ad credendum hominē crucifixum esse Deum, aliaque mysteria difficillima, & amplectendum legem carni, & sanguini repugnantem : ad deferendam maiorum Religionem, & ad deferendos maiorū antiquos mores, & novos induendos. Hoc autem non minus mirum est & supra humanas vires, quā si per duodecim pueros totum mundum Imperator aliquis subiugaret, vel per decem agnos Pastor aliquis magnum luporum exercitum vinceret. Vnde Aug. lib. 22 de Ciuitate Dei cap. 7. optimè probat, Quod mundus in Christum credat, virtutis fuisse diuinæ, non persuasionis humanæ. Nam fides Christi sub Augusto, & Tiberio, quo tempore maxime eruditio florebat, prædicari cæpit, & tunc non solum populus, sed multi ex sapientibus crediderunt Resurrectionem Christi, atque in Cœlos Ascensionem, aliaque mysteria, quæ mens humana respuisset, nisi eam fieri potuisse, atque factam esse, diuinitas ipsius veritatis, vel veritas diuinitatis, constantiaque miraculorum signa monstrarent, vt terrentibus, & contradicentibus tam multis, tamque magnis persecutionibus præcedens in Christo deinde ad novum sæculum in cæteris secutura Resurrectio, atque immortalitas carnis, & fidissime crederetur, & prædicaretur intrepidè, & per orbem terrę publicaretur, ac facūdius cū Martyrum sanguine fereretur. Legebantur enim præcedentia signa Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur veritas nova consuetudini, non cōtraria rationi, donec orbis terrę, qui persequebatur furore, prosequeretur fide.

83 In Apostolis prædicantibus Christi Resurrectionem, & Ascensionē, eiusque diuinitatem, verificatur ad litteram illud Psal. 67. Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa, vt expendit Chrisost. in orat. Quod Christus sit Deus : Non enim moverunt arma, nec expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituū multitudine vsi sunt, sed verbo simplici, & mul-

„ multam habente virturem, ac miracu-
„ lorum ostensionem. Crucifixum enim
„ prædicantes, & miracula facientes to-
„ tum orbem sibi subiecerunt. Propterea
„ dicit: dabit virtutem evangelizantibus
„ virtute multa: miracula significans. Et
„ enim mira virtus erat, Piscatorem, pu-
„ blicanum, tabernaculorum opificem
„ nudis præceptis mortuos suscitare, Dæ-
„ mones expellere, mortem abigere, Phi-
„ losophorum linguam mutam facere,
„ Rethorum ora constringere, Principes
„ ac Reges supperare, Barbaris, Græcis,
„ & omnia generari hominum imperare.
„ Nam omnia hæc verbo illi perfecerunt
„ & virtute multa mortuos in vivos mu-
„ taverunt, peccatores iniustos, cæcos
„ in videntes, & morbos naturæ, ac ma-
„ litiam animæ expulerunt. De Apostoli-
„ lis etiam verificatur illud Psalm. 18.
„ Constitues eos Principes in omni terra.
„ Quod autem Regibus, & Principibus
„ maiores sint Petrus, & Paulus, declara-
„ vit eventus: nam Regum leges, etiam
„ ipsis viventibus abrogantur: at Piscato-
„ torum illorum, etiam mortuis ipsis ra-
„ tæ sunt, & immobiles manent, licet
„ multis legibus, animadversionibus, ar-
„ mis, supplicijs, argumentis, verborum
„ eloquentia, cognationibus, amicitijs,
„ Dæmonibus, Diabolo, consuetudini-
„ bus, malis moribus, voluptatibus, & in-
„ finitis alijs refringere plurimi conati
„ sint. Hinc merito S. Thom. lib. 1. con-
„ tra Gent. cap. 6. dixit: Hanc tam mira-
„ bilem mundi conversionem ad fidem
„ Christianam, indicium certissimum es-
„ se præteritorum signorum, vt ea vite-
„ rius iterare necesse non sit, cum in suo
„ effectu appareant evidenter. Esset au-
„ tē, inquit, omnibus signis mirabilius, si
„ ad credendum tam ardua, & operandū
„ tam difficilia, & ad sperandum tam al-
„ ta mūdus absq; mirabilibus signis indu-
„ ctus fuisset, à simplicibus, & ignobili-
„ bus hominibus. Quamvis non cesset
„ Deus, etiam nostris temporibus, in cō-
„ firmationem fidei per Sanctos suos mi-
„ racula operari. Hausit hanc doctri-
„ nam D. Thom. à S. August. lib. 22. de
Civitat. cap. 5. vbi subtiliter redarguit
eos, qui credere nolunt carnis Resurrec-
tionem, sumitque argumentum à mun-
do iam credente Resurrectionem Christi
eiusque in Cœlos Ascensionem: format-
„ que hoc dilema; Vel mundus hoc cre-
„ dendo, credit rem credibilem, & sic
„ inexcusabiles sunt, qui rem credibilem
„ credere nolunt: vel credit rem incredi-
„ bilem; & sic iam admittitur aliquod
„ incredibile, nempe mundum tam fa-
„ militer credidisse, id quod erat incredi-
„ bile. Si ergo iam factum esse videmus
„ vnum duorum incredibilium, cur non
„ credemus futurum alterum, nempe no-
„ strorum corporum Resurrectionem?

84 „ Præterea ipse modus, quo
„ credidit mundus, si consideretur, incre-
„ dibilior invenitur: ineruditos libera-
„ libus artibus, & omnino, quantum ad
„ istarum doctrinas attinet, impolitos,
„ non peritos gramatica, non armatos
„ Dialectica, non Rethorica inflatos,
„ Piscatores cum retibus fidei ad mare
„ huius sæculi paucissimos misit, & ita
„ ex omni genere multos pisces, & tanto
„ mirabiliores, quanto rariores, etiam
„ ipsos Philosophos cepit. Iam ergo tria
„ sunt incredibilia, quę tamen facta sunt;
„ Incredibile est Christum Resurrexisse
„ in carne, & in Cœlum ascendisse cum
„ carne. Incredibile est, mundum rem
„ tam incredibilem credidisse. Incredi-
„ bile est, homines ignobiles, infimos,
„ paucissimos, imperitos rem tam incre-
„ dibilem, tam efficaciter mundo, & in
„ illo etiam doctis, persuadere potuisse.
„ Horum trium incredibilium primum
„ nolunt infideles credere: secundum co-
„ guntur, & cernere; quod non inve-
„ niunt vnde sit factum, si non credunt
„ tertium. Resurrestio certè Christi, &
„ in Cœlum in carne, cum qua resurre-
„ xit, ascensio, toto iam mundo prædi-
„ catur, & creditur: si credibilis non est,
„ vnde iam toto orbe credita est? Hinc
„ deducit August. Christi Resurrectio-
nem, eiusque divinitatem, propterea
mundum credidisse, quia Apostoli hanc
doctrinam prædicantes eius veritatem
signis, & miraculis ostendebant. Eloquia
„ namque persuadentium (inquit) quæ di-
„ cebant, mira fuerunt facta, non verba.
„ Qui enim Christum in carne resurre-
„ xisse, & cum illam Cœlum ascendisse,
„ non viderant, id se vidisse narrantibus,
„ non loquentibus tantum, sed etiam mi-
„ rifica facientibus signa, credebant. Si
„ vero per Apostolos Christi, & vt eis cre-
„ deretur, Resurrectionem, atque Asce-
„ sionem prædicantibus Christi, etiam
„ ista miracula facta esse non credunt;
„ hoc vnum nobis grande miraculum
„ sufficit, quod eam terrarum orbis sine
„ miraculis credidit.

85 Ex qua doctrina hoc confici-

tur

cur dilema: vel Apostoli prædicantes hominem crucifixum à Iudæis, esse Filiũ Dei & mundi Salvatorem, verèque resurrexisse, & in Cœlum ascendisse, mundo persuaserunt hanc doctrinã medijs signis, & miraculis; vel sine miraculis? Si primũ, convincitur, illam doctrinam esse veram, Deũque habere Authorem, quia Deus nequit facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Si secundũ? Hoc ipsũ certiũ cõvincitur, quia solus Deus potuit dare efficaciam nudis piscatorũ verbis ad persuadendam veritatem doctrinæ, quę humanę rationi divina luce destitutæ videbatur omnino incredibilis, & vt permoverent homines ad tam arduam, & moraliter impossibilem morum mutationem.

86 Sed quærunt infideles apud Aug. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Cur modo non fiant illa miracula, quæ facta esse prædicamus?* Cui interrogationi secundo loco respondet, *Nec modo deesse miracula*, Quorum aliqua ipse narrat, quę suo tẽpore acciderãt. Sed primo loco respondet, *Miracula necessaria fuisse prius quam crederet mundus, ad hoc vt crederet. Nam qui* (inquit) *adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnũ est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Additque illam interrogationem ab infidelibus fieri, quia nan credunt extitisse miracula, eosque redarguens subiungit. *Vnde ergo tanta fide Christus vsquequaque cantatur in Cœlum cum carne sublatus? Vnde temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest, respuentibus, sine vllis miraculis nimium mirabilicer incredibilia credit mundus?* An fortè credibilia fuisse, & *ideo credita esse, dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt?* Vnde breve hoc dilema conficit: *Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbatur, fecerunt fidem: aut certè res ita credibilis, vt nullis, quibus persuaderetur, miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit incredulitatẽ. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi vni grandi, salubrique miraculo, quo Christus in Cœlum in carne, in qua surrexit, ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc vt fidem facerent, innotuerunt, hæc per fidẽ, quã fecerunt multo clarius innotescunt. Leguntur quippe in populis vt credantur, nec in populis tamẽ, nisi credita legerẽtur.*

87 Est autem hoc argumentum, à conversione mundi petitum, tam efficax ad persuadendum, Christum esse Deũ, vt Chrisost. in orat. *Quod Christus sit Deus*, initio asserat, hoc argumento convinci posse Gentilẽ, quantumvis idiotam. Neutiquã „ enim (inquit) contradicet, quod om„nes vndequaque Ecclesias orbis Christus „ fundavit. Hinc faciemus demonstratio„nem virtutis Christi, & ostendemus, ip„sum Deum. Etenim non est puri homi„nis in tantis rebus orbem terra, marique „ tam brevi tempore comprehendere, & „ tam absurdis moribus, tantisque ma„lis irretitum liberare humanum genus; „ insuper quod hæc confecit nullis vsus „ armis, nullos faciens sumptus, nollos movens exercitus, nulla prælia committens, „ sed per vndecim Viros principio, ignobiles, viles, rudes, Idiotas, inermes, calceamẽtis nudos, vnica tunica tectos &c.

SECTIO DECIMA.

Septimum caput probandi divinitatem Christi ex permanentia Christianæ Ecclesiæ quam fundavit.

88 MATH. 16. v. 18. dixit Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hoc sanè Christus affirmare, & adimplere non potuit, nisi esset Deus omnipotens, & huius dicti adimpletio eũ summe veracem, & summe potentẽ ostendit. Ex hoc loco nervose, & eloquentissime probat Chrisost. divinitatẽ Christi in „ orat. sæpè citata: Quid igitur (inquit) „ Christus dixit, & orbe toto fermè im„pietate detento prædixit, *Super hanc pe„tram, &c.* Examina vt libet, quid sibi hoc „ verbũ vult, & videbis perspicuam eius „ veritatẽ. Nam non solũ hoc mirum est, „ quod ędificavit eã per totũ mundũ, sed „ quod invictã fecit, & iuvictam licet tot „ bella insurgant. Hoc enim est, quod portę inferi non prevalebunt adversus eam. „ Vidisti prædictionis veritatem? Vidisti „ eventus certitudinem, ac robur? Vidisti „ verba in operibus relucentia, & virtutẽ „ absque armis omnia facile conficientẽ? „ Nec ideò, quia paucis dicitur: *Ædificabo „ Ecclesiam*; transcurras obiter, sed cõsidera, & cogita tecũ, quid sit in tam brevi „ tempore omnẽ sub sole terrã tantis Ec„clesijs impleri, tãtas gentes ad fidẽ trãsferri, populos persuaderi vt proprias le„ges abrogent, consuetudinẽ stabilitam, „ & radicatã evellant, Imperiũ voluptatis, „ nequitię vim tanquã pulverẽ abijciant, „ Altaria, Tẽpla, & Statuas, & Sacrificia, „ & profana festa, & immundũ odorem, si„cut fimum aliquem aboleant: & excitent „ Altaria vbique gentium,

89 *Magna vero planè, & supra modum magnæ diuinæque virtutis, etiamsi nemo interturbaret, esset que pax summa, & multis simul admittentibus, & reluctante nullo, posse intra tam breue tempus totum orbem à consuetudine mala sua, qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci: Verum hoc multo maius, quod non solum in aliam inducitur, sed in multo difficiliorem: non solum enim diuersa consuetudo erat, sed & voluptate firmata, duo violenta. Quæ enim acceperat à Patribus, auis & proauis, aliisque superioribus progenitoribus, & Philosophis, & Rectoribus, ea respuere docebatur, quod sanè difficillimum erat: at difficillius, nouam accipere consuetudinẽ, quæ nuper irrepserat, illamque valde laboriosam. Abduxit enim Christus à voluptate, & induxit ad tetranimum: abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis: abduxit à luxu, & induxit ad temperantiam: abduxit ab ira, & induxit ad mansuetudinẽ: abduxit ab inuidia, induxit ad benignitatẽ: abduxit a via lata, & spatiosa, & induxit in angustam, & arctam, & præruptam, & induxit assuetos viæ latæ; nec enim alios homines extra huius mundi consuetudinẽ viuentes assumpsit, sed illos ipsos, qui in talibus vitijs compti ruerant, & luto meliores erant, iussit vt angustam, & arctam viam, asperamque illam, & duram ambularent & persuasit eis.*

90 „Quot autem persuasit? Non „duobus, vel decem, vel viginti, vel cen„tum, sed omnibus fermè subsole habitã„tibus. Et per quos persuasit? Per Viros vn„decim illitteratos, priuatos, in eloquen„tes, obscuros, pauperes, patria, facultati„bus, robore corporis, præcellentia glo„riæ, dignitate progenitorum, vehemen„tia Rectorices, eminentia scientiæ carẽ„tes, per Piscatores, per Tabernaculorũ „opifices, per barbaros. Nec enim eadem „illis, & auditoribus vox: sed extraneum „planè, & peregrinum sermonẽ à linguis „eorum, quibus prædicabant, sortiti erãt: „Hebraicum dico: atque per hosce ædifi„cavit Ecclesiam hanc, quæ à finibus vs„que ad finem extenta est.

91 Neque hoc solum mirabile, quod „priuati, & pauperes illi, & parvi, & ig„nobiles, & illitterati, & viles, & exotici „sermonis, & contemptibiles, totius orbis „corruptionem attentarunt: sed & quod „a longe difficiliora opera ipsum dicere „iussit; quodque non hoc in pace fecerũt, „sed infinitis bellis hinc inde excitatis. „Nam in via quaque, gente, & ciuitate, & „quid dico gente, & ciuitate? In singulis „hominibus peregebatur bellũ. Radicata „enim hęc doctrina, & puerũ sæpè à pa„tre diuisit, & nurum à socru, & fratrem „à fratre, & seruũ à Domino, & Subdi„tum à Principe, & virum ab vxore, & „vxorem à viro, & patrem à filijs: neque „enim simul omnes crediderunt.

92 *Ad hæc, quotidianas inimicitias, continua bella, multasque ipsis moles excitat, & fecit vt Apostolos quasi communes hostes, & inimicos, plerique auersarentur, abigerentque à se omnes Reges, principes, priuati, liberi, serui, populi, & vrbes: & non solũ ipsos sed & (quod grauius) nouitios in fide, & eos qui abipsis instruebãtur, eodem enim bello, & primebantur, & discipuli, & Magistri. Videbatur enim doctrina hac contraria adiecta Regijs, & consuetudini, & Patrijs moribus. Et tamen Apostoli orbi persuaserunt, hominẽ crucifixũ esse Deum, & sic Ecclesiam ædificauerunt. Sed quo pacto, & qua ratione? Virtute scilicet Christi omnipotentis Dei, qui eos ad prædicandum misit.* Ille dixit: fiat Cœlum, *& monstrauit opus*: Fundetur terra, *& illius substantia producta est*: Fulgeat Sol, *& indicauit astrum, omniaque verbo operatus est.* Eodem modo ille, & Ecclesias plantavit: & Verbũ hoc; ædificabo Ecclesiam meã, *hæc omnia operatus est.*

93 Verbum Dei condidit opera „tam mirabilia; & hoc Verbum Christi, *Ecclesiam meam ædificabo*, Ecclesiam indi„cavit, & in æternum duraturã plantavit, „etiam contra illã Tyrannis se armantibus, „& millibus arma moventibus, populis „plus valido igne insanientibus, & oblu„ctante consuetudine, etiam oratoribus, „& sophistis, & divitibus, & principibus „insurgentibus, sermo Dei velut ignis va„lidus adveniens spinas consumpsit, agros „repurgavit, seminavit Verbum prædi„cationis. Et licet ij, qui crediderunt, in „carceribus servarentur, in exilium rele„garentur, despectui essent, amitterent „substãtias, occiderentur, traderentur ig„ni, submergerentur aquæ, & omne tor„mentorũ genus sustinerent cum summa „ignominia, & persecutionem paterentur „vt hostes publici, plures tamen sæpe ac„crescebant: non solum nihil ex afflictio„nibus aliorum facti ad credendũ signio„res, sed & multo alacriores, ad hanc pul„chram piscationem assiliebant, sicque à „piscatoribus capiebantur nõ coacti, non „vim passi, sed sponte accurrentes, gra„tiamque habentes adducentibus. Et „quamvis viderent fluere torrentes san„guinis credentium, ferventiores tamen „reddebantur in fide, & fidentiores. Non „Discipulis solũ, sed & Magistris vinctis, „fugatis, flagellatis aliaq; mille mala pas-

sis,

„ſis Diſcipuli plures fiebant,& magis ſtu-
„dioſi; habebant enim adiutricem,& cõ-
„militãtem inuictam virtutem eius, qui dixerat : ſuper petram hanc ædificabo Eccleſiam,meam & portę inferi non præ-ualebunt aduerſus eam.

94 *Numera,quot Tyrani ab illo tempore aduerſus ipſam inſtruxerunt acies, quot grauiſsimas perſecutiones mouerunt, quomodo toto priore tempore, quando nouitia erat fides, & nuper plantata, tenereque hominum mentes. Gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Veſpaſianus, & Titus, & poſt illum omnes vſque ad Conſtantini tempora, & omnes illi,alij minus, alij ſæuius infeſtabant Eccleſiam, infeſtabant tamen omnes : veruntamen inſidiæ, & machinationes illæ omnes leuius, quam aranearum telæ diſceptæ ſunt,& ea quibus nos inuadebant; & ea quibus inſidiabantur citius fumo diſſoluta puluere præterierunt infirmiora. Magnum enim numerum martyrium impleuerunt, immortaliſque illos Eccleſiæ Theſauros reliquerunt : & columnas, & turres, & eos,qui non ſolum viuentes, ſed & mortui poſteris magnæ vtilitatis materia facti ſunt.* Vides prædictionis robur, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Ab his, & de futuris crede, quod nullus obſiſtet.

SECTIO VLTIMA.

Reliqua capita probandi diuinitatem Chriſti breuiter inſinuantur.

95 CAPVT 8.probandi diuinitatem Chriſti ſumitur ex miraculoſa Sauli converſione ex perſecuto, re Chriſti in prędicatorem diuinitatis eius, & omnis ſanctitatis Magiſtrũ. Nonum ex ſanctitate Apoſtolorũ aliorumque Virorum ſimiliũ, qui diuinitatẽ Chriſti mundo perſuaſerunt. Decimũ ex ſanctitate vitæ,quã hæc fides generat: fides enim falſa veram ſanctitatẽ generare non poteſt, neque ad Deũ ducere Religio,quæ à Deo non deſcendit,neq; ad Cęlũ evehere,quæ ab orco originẽ traheret : vnde tot ſunt manifeſta teſtimonia diuinitatis Chriſti, quot in Eccleſia homines floruerunt inſigni ſanctitate, qui eo fuerunt virtute clariores, quo ardentius Chriſtum dilexere.

96 Vndecimũ ex teſtimonio martyrũ: vt enim inquit Auguſt. lib. 22.de Ciuitat. c.6. *Quis enumeret, quam multi quantalibet ſæuitia crudelitatis occidi quam Chriſtum Deũ negare malucrunt? Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, trucidabantur, & multiplicabantur.* P. Franciſcus Arias 1.p. de imit. Chriſti tract. 3. c.35.in fine cum Genebrardo reputat veriſimile, tantam vſque ad ſua tempora extitiſſe martyrũ multitudinem, vt ſi illorũ feſta per totius anni dies diſtribuerentur,ſingulis diebus occurrere poſsint celebrandi triũphi triginta milliũ, qui vitã pro Chriſto Domino obtulerunt. Inter quos reperiebantur pueri,& teneræ Virgines,à quibus,vt inquit Lactantius lib. 5. divinarum inſtitutionũ c.13. *Experimere gemitũ nec ignis potuit.* Et ſanè morũ integritas in martyribus reperta, invicta patiẽtia,& in tormentis lætitia, & inſignis conſolatio mortẽ obeundi pro divinitate crucifixi manifeſtum eſt argumentum veritatis.

97 Duodecimũ:gloria miraculorũ,qua ſemper in omnibus ſæculis floruit Eccleſia Catholica, vt oſtendit Bellarm.tom.1. lib.4.de notis Eccleſię cap.14.Conſulatur P.Salmer. tom.6.tr.2. vbi egregie probat veritatẽ miraculorũ Chriſti Domini non ſolum ex authoritate Evangelicę hiſtorię, ſed etiã ex ipſis gentibus, & illarum Prophetijs: ea enim narrantur à Sybilla libica, & à Pilato in duplici Epiſtola ad Tyberiũ Cæſarẽ,à Philoſtrato,& à Mahumet.

98 Decimum tertium,atque efficaciſsimũ ſumitur ex mira virtute, quã Chriſtus Crucifixus oſtendit in trahendo ad ſe homines, opere complens, quod promiſerat, *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*; non potuiſſet enim Chriſtus tantam potentiam oſtendere mortuus, niſi eſſet Deus : maiora enim facere poſt mortem, quam in vita, argumentum eſt divinitatis. Audiamus Chriſoſtomum in orat.quod Chriſtus ſit Deus: *Ante Crucem in luctu res erant*, Iudas prodidit,Petrus negavit, reliqui profugerunt; *Ieſus ſolus inter amicos comprehenſus eſt, multi, qui crediderant, retrorſum abierunt; Cæterum vbi occiſus eſt, & mortuus, vt diſcas, quod non ſit purus homo, non ſolum res eius non intercidерunt, ſed multo clariores, & ſublimiores ſunt redditæ. Nam ante Crucem Princeps Apoſtolorũ nec oſtiariæ minas tulit, & poſt tantã eruditionẽ erubebat, ſe neſcire, quis eſſet. At poſt Crucẽ orbem terrarũ peragrauit, & infiniti Martyrũ populi occiſi, malentes mori,quam dicere,quod Princeps ille Apoſtolorũ formidans vnius oſtiariæ minas.*

99 Decimum quartum caput ſumitur ex teſtamento veteri, in quo ſæpè ſignificabatur Meſsiã futurũ eſſe Deum,vt probant Burgenſ.1.p.Scrutinij diſt.10.P.Sua. diſp.2.de Incarn.ſect.2.& 3.& Chriſoſt. in Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus.*

100 Expectabant Iudęi Meſsiã vt potentiſsimũ Regem,qui ipſos à ſeruitute corporali redimeret, & magna bonorum

temporalium copia cumularet, vt docent Rabini Hebræorum apud Burgensem 1.p. Scrutinij dist. 5. cap. 2. & ideo Nazarenũ pauperem, & humilem, vt Messiam recipere noluerunt. Manifestè tamen decepti sunt: nam Isaiæ 42. & Zachariæ 9. promittitur Messias, qui cum summa humilitate, & mansuetudine gentes doceat, & legem ferat: eiusque redemptio spiritualis promittitur, nimirum à servitute peccati, vt patet Danielis 9. 24. vbi dicitur, septuaginta hebdomadas superesse, *Vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* Efficetque res planè Deo indigna, vt tantus apparatus miraculorum, tam magnificæ promissiones Messiæ, tam insignes de eo prophetiæ, tanta mundi expectatatio, tot antiquorum Patrum suspiria, tot signa in eius Conceptione, & Nativitate prænũtiata, tot denique prodigia promissa, desinerent in Rege temporali, qui filios Israel ab hostibus visibilibus liberaret, & devitijs tẽpotalibus infarciret. Messias ergo promissus erat ad destruendum regnum peccati, ad eripiendos homines à potestate Diaboli, ad docendas iustitiæ vias, ad persuadendam veram sapientiam, & Dei imitationem; & ad hæc bona obtinenda debuit Messias esse Deus. Vt enim inquit August. lib. de vtilit. cred. cap. 5. *Sapiens, quantum datum est, imitatur Deum: homini autem stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius; cum igitur, & homo esset imitandus, & in homine non spes ponenda, quid potuit indulgentius, & liberalius diuinitus fieri quam vt ipsa Dei sincera, æterna, incommutabilisque sapientia, cui nos hærere oportet, susciperet hominem dignaretur?* Et vt ait sermone quodam de Nat. vir. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat: vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Debuit item hominũ Redemptor, & Salvator esse Deus, & homo, tum quia, vt inquit S. Leo serm. de Nati. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exẽplum.* Tum quia, vt expendit Athanasius, si Creator, & Redemptor essent personæ diversæ, homo divideret cor amando Redemptorem, & Creatorem, cum tamen totum cor Deus sibi deposcat.

101 Rursus cum homo tendat in Deum per fidem, spem, & charitatem, Redemptor hominum debuit esse Deus factus homo vt sic virtutes Theologales promoveret, firmando fidem, erigendo spem, & accendendo charitatem: firmatur enim fides, dum homo Deo sibi visibiliter loquenti credit: vnde August. lib. 11. de Civit. cap. 2. *Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit, atque fundauit fidem.* Erigitur spes, quia ex hoc mysterio discit homo, quantum diligat nos Deus, nihilque est, quod non possit sperare, à Deo, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Accenditur charitas: quodnã enim efficacius motivum ad excitandum amorem, quam sic amari? *Sic enim Deus Dilexit mundũ, vt Filium suum vnigenitum daret.* Quare vt inquit August. *Si amare pigebat, saltẽ redamare non pigeat.* Sanè vt Messias hominibus persuaderet, vt per exercitia virtutũ ad Deũ tenderent, debuit omniũ exemplar se exhibere: quomodo enim paupertatem spiritus persuaderet, si veniret dives: quomodo humilitatem, si veniret cum superbia, & fastu? Et sic de reliquis virtutibus. Nõ ergo talẽ se debuit exhibere, qualem expectabant Iudæi, sed qualẽ se mundo præbuit in præsepio nascens, & in Cruce moriens.

102 Vltimum denique caput probandi divinitatẽ Christi sumitur ex testimonio tot Doctorũ sapientia, & sanctitate illustriũ, qui examinatis diligentissimè omnium hominũ sectis, tàm evidens censuerunt Religionem Christianã esse veram, quam evidens est Deum providẽtiam hominum habere, eorumque ęternam salutẽ vere procurare. Vnde merito dixit sapiẽtissimus Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 22. *Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus.* Quia non minus impossibile est Religionem Christianam esse falsam, quam impossibile est Deũ homines decipere. Reddiderat rationem paulo antea: *Mysteria nanque nostræ fidei tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs diuinitus sunt confirmata, vt genus videatur esse dementiæ in his, vel aliquantulum dubitare.* Consonat Chrisost. qui postquam expendit argumenta probantia Christi divinitatẽ, sic concludit: *Nullus ergo his contradixerit, nisi qui valde insanus, & totus stupidus sit naturæque sensu priuatus.* Propterea Deum alloquens David v. 92. aiebat: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, *magis quam prima principia scientiarum*, vt explicat ibi Lyra. Vnde August. lib. 10. confes. cap. 10. dixit: *Facilius dubitarem me viuere, quam vera esse, quæ audiui.* Consulatur Bellarminus ad illum Psalmum.

DIS-

DISPVTATIO VLTIMA.

CONSECTARIA AD PRÆCEDENTEM DEMONSTRA-tiones aliquæ contra Mahumetanos.

QVÆ in tota præcedenti diſputatione diximus de Chriſti diuinitate, euidenter probant. Mahumetanã ſectã, quæ Trinitatem perſonarũ, & diuinitatẽ Chriſti negat, eſſe falſam, & Diabolũ habere Authorẽ. Placuit hic adijcere argumenta alia, quib⁹ vſus ſæpè ſum ad conuincendã Mahumetanam perfidiam; cum ad Mahumetanos publicè conciones habui in pluribus Bæticę Prouincię Ciuitatibus, videlicet Malacà, Sexifirmo, vulgo Velez Malaga, Marvella, Calpe, (Gibraltar) Xerà, Beſippone, Gadibus, Sanlucar de Barrameda, Hiſpali, Arundà: & præterea Matrito, & hæc adijcio, quia vſui eſſe poſſunt Mahumetanis conuertendis. Quamvis enim animus ſit, ſi Deus vitã dederit, tractatũ lingua vulgari edere, quo iuuari omnes poſſint ad loquendũ cũ Mahumetanis de Alcorani erroribus, & ſuæ ſectę falſitate: interim tamen operæ pretium me facturũ exiſtimavi, ſi aliquã hic notitiã ſuggererem, quæ Viris Religioſis deſeruire poſſit ad quatiẽdam horum infidelitũ duritiem, & forſam expugnandã. Nam his rationibus, gratia adſpirante diuina, fere ducenti in his locis moti ſunt ad abiurandum Mahumetiſmũ, & Chriſti fidem ſuſcipiendam.

SECTIO PRIMA.

Breuis notitia de Mahumetanorum erroribus & qua arte Mahumetus ſuam ſectam inuexerit.

1 LEGEM Mahumeti graphicè deſcribit Card. Bellarm. ſerm. 5. de fide, his verbis: Nihil aliud eſt lex Mahumeti, vt ex lib. S. Ioann. Dam. de centũ Hæreſibus cognoſci poteſt, quã monſtrum quoddã horrendum, informe, ingens, ex multis Hæreſibus, & ſuperſtitionibus conflatũ. A Iudęis habet horrorẽ carnis ſuillæ, multitudinẽ vxorũ, libellũ repudij, Circumciſionẽ, creberrima baptiſmata. Ab Hæreticis Arrianis habet Verbũ non eſſe Dei Filiũ; neque Patri conſubſtantialem, ſed creatum, & ſeruũ. A Neſtorianis habet Chriſtũ Dominũ de Virgine quidẽ natum, ſed ſolũ eſſe hominẽ, non etiam Deum. A Manichæis habet, Chriſtum, nec paſſum, nec mortuum eſſe; & à vino perpetuò abſtinendum. Ab Ariſtippo, & Epicuro habet ſummã beatitudinẽ in hortorũ amęnitate, & vxorum multitudine, cibo, & potu, aliiſque corporis voluptatibus poſitã eſſe. Porrò ieiunium Religioſe colũt Mahumetani, ſed ab ortu Solis vſque ad occaſum: noctu vero quandò periculum non eſt, ne ſaltẽ à Sole videantur, liberũ eſſe comedere, & bibere vſque ad ſatietatẽ. Poſtremo, quod maximę ſtultitiæ ſignũ eſt, cum lege Moyſis, & Evangelio pugnat, & tamen Chriſtũ, & Moyſem tanquã Prophetas ſanctiſsimos, & veracisſimos veneratur. Itaque Mahumeti propoſitũ non fuit aliud, quã difficultatẽ omnẽ profligare, quam Chriſtiani homines in credendo, & operando patiuntur. Quia difficile eſt cũ vna vxore contentum eſſe, & eam non poſſe dimittere, adhęſit Iudęis. Quia difficile erat credere vnã eſſentiã in tribus perſonis ſubſiſtere, adhæſit Arrianis. Quia difficile erat vnam perſonã eſſe in duabus naturis, adhęſit Neſtorianis. Quia difficile erat credere, Deũ, Chriſtũ pati, & mori voluiſſe, adhęſit Manichæis. Quia difficile erat propter ſpiritualia, & futura contẽnere corporalia, & præſentia, quę videntur, adhęſit Epicuręis. Quia difficile erat poſtremo, Chriſtũ, & Moyſẽ tam perfectè Sanctos, & Dei amicos nõ recipere, & non minus difficile erat cum lege Moyſis, & Evangelio Chriſti ſuã legem coniungere; Chriſtũ, & Moyſem recepit ſed legem; & Evangelium repudiavit.

2 Doct. Martinus de Vivaldo Author illius operis moralis, quod inſcribitur, *Cãdelabrum aureum*, gloſans librũ, cui titulus, *Zelus Chriſti aduerſus Iudæos, & Sarracenos compoſitũ à Doct. D. Petro de Cauelleria*, fol. 131. n. 448. Catalog. contexuit errorum Mahumetanorum ſub hac forma.

1 *Negant Trinitatẽ cũ Sabellio, & Hebræis:*
2 *Chriſtum creaturam eſſe affirmant cum Hebræis, Ario, & Eunomio.*
3 *Chriſtum non eſſe Deum, ſed Prophetam Sanctum, cum Carpocrate.*
4 *Deum habere Filium fatetur eſſe impoſſibile, quia vxore caret, cum Cerdone.*
5 *Quod Chriſtus non fuerit crucifixus, ſed alius ſibi ſimilis cum Manichæis.*
6 *Negant Chriſti myſteria, quæ à Chriſti paſſione habent vim, cum Donatiſtis.*

7 *Dæmones in fine esse saluandos, cum Origine dicunt.*
8 *Deum habere corpus affirmant cum Antropophitis.*
9 *Fælicitatem in voluptate collocant cum Cherinto.*
10 *Circunciſionem admittunt cũ Ebionitis.*
11 *Vinum prohibent cum Tacianis.*

3 Eundem Cathalogũ contexuit Prateolus lib. 10. verbo, *Mahumetes* pag. 304. citatq́; Authores agẽtes de erroribus Mahumetanorũ, videlicet Ricoldum Ordinis Prædicatorũ in libro, quem inſcribit, *Confutatio legis Mahumeticæ*: Ioannẽ Turrecrematã. Pium II. Papam in Epiſt. ad Mahumetẽ Turcatũ Principem. Bartholomæũ Hungarũ: Guillelmũ Poſtellũ in libris de Sarracenorũ, & Turcarum origine. Agit præterea contra Mahumetanorũ errores Euthimius Monachus in ſua Panoplia orthodoxę fidei p. 2. tit. 24. vbi enumerat cẽtum, & tredecim fabulas, quas Mahumetus in Alcoranũ congeſsit: alios Authores, qui contra Mahumetanorũ errores ſcripſerunt, invenies apud P. Poſſevin. tom. 1. Bibliot. ſelect. lib. 9. cap. 8. Copioſius vero contra Mahumet. ſcribit S. Petrus Paſch. Martyr Gienenſis Epiſcopus è Sacra Familia B. Mariæ de Mercede Redempt. Capt. in ſpeciali tractatu, quem ſcripſit Granatę an. 1300. cũ eſſet pro Chriſto incarceratus & in vinculis ferris conſtitutus: qui tractatus cum alijs S. Martyris operibus denuo excuſſus eſt Matriti anno 1676.

4 Duos ego tractatus evolvi, qui mihi maximo vſui fuerunt ad converſionem Mahumetanorũ. Primus conſcriptus eſt à Moſſen Ioanne Andręa lingua vulgari, & typis mandatus Valent. an. 1515. duodecimque dumtaxat continet capita, eiuſque titulus eſt, *Confuſio, ſeu confutatio Mahumetanæ ſectæ*, quem è Bibliot. D. Marchionis de Eſtepa eductum, Granatę legi, & in cõpendiũ redegi an. 1669. Fuit hic Author prius Mahumetanus, & Mahumetanorum Alphaquinus ſeu Sacerdos in Vrbe Xativa: poſtea autẽ ad fidẽ noſtrã converſus, & prædicator Chriſti effectus multos in Valentiæ Regno ab impuro Mahumeto ad Chriſti Vexilla traduxit. Pervenit huius ferventis viri fama ad Reges Catholicos, illũque Granatã adduxerunt, vt ſuæ gentis homines à tenebris Alcorani ad Evangelij lucẽ traduc̃eret: & vt maiori authoritate Verbũ Dei prædicaret, illũ Eccleſię Granatenſis Canonicũ effecerunt: & iuſſu Regum, librum illum edidit ad confutanda Mahumeti mendacia. Secundus tractatus, quo vſus ſum ad converſionẽ Maurorum, ẽditus eſt in lucẽ an. 1553. à Lup. de Obregon Abulenſi Præsbytero; & Parrochiæ S. Vincentij Parrocho, quẽ dicavit Illuſtr. D. D. Didaco de Alava, & Eſquivel Abulenſis Eccl. Epiſcopo. & Supremi Senatus Granatenſis Preſidi; fuitque approbatus à S. Inquiſitionis Tribunali. In hoc tractatu diligenter depingit Mahumeti vitã, mores, & prædicationẽ, & Alcorani fabulas detegit; ſecretiores notitias Mahumetanę ſectę à Ioan. Andręa mutuatus. Huius tractatus copiã manuſcriptã habet excellentiſsimus Marchio del Carpio in ſua Bibliot. quam ego copiã vidi Matriti an. 1670. & ex illa ſelectiora quæque in meos codices retuli. Et hi duo Authores præ cæteris vitã Mahumeti, diligentius ſcribũt, notitias haurientes ex ipſorum Mahumetanorũ libris, quæ proinde apud Mahumetanos maiorem fidem faciunt.

5 Mahumeti vitam deſcribit Card. Baron', tom. 8. annal. ad an. 630. ex annalibus Cedreni, & alicũm, & explicat quo pacto nefanda hæreſis excreverit, *Nimirũ, quod primũ ad eum accurrerunt Iudæi exiſtimantes ipſum eſſe, quem expectarent, Meſsiã: decemque ex ijs ipſum ſectabantur, quod eum Circunciſionẽ amplecti ſciuiſſent: verum cum eundem immunda comedere cognouiſſent, nẽpe Cameli carnẽ, è ſententia receſſere: ſed non ceſſarunt cõmouere eum in Chriſtianos. Excogitauit autẽ ad ſectam propagandã verſutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus cõparatas, fœminarum multitudinem ſuis concedens in hac vita, & in futura ijſdem compoſitum Paradyſum, in quo ipſis omnia ad cibũ, & potũ lautè, abundèque ſuppeterẽt, & ad coitum pariter adfore pulcherrimarũ multitudinẽ fœminarum; his vero potiſsimum potituros fore, qui vel hoſtem occiderent, vel occiderentur ab hoſtibus: iſta ſatis aſtutè proponens, quo ſuos in bello fortes efficeret.*

6 „ Vt igitur populos omnes alliceret, „ ex cunctis fermè aliqua miſcuit, nempe „ ex Iudęis Circunciſionẽ, Dei vnius cul„ tum, abſtinentiã à carne ſuilla; ex Chri„ ſtianis Chriſti nomen, ita tamen vt eum „ ſicuti Arriani, ſive Neſtor. coleret. Rursũ „ vero vt omnes fæces electas ad ſectã al„ liceret, & ſibi cõiungeret, ex Manichęis „ etiã de Chriſto illud accepit, vt nequa„ quam Cruci affixũ Chriſtũ diceret, ſed „ vmbrã Chriſti, Crucẽ penitus abomi„ natus. De eodem Chriſto inſuper blaſ„ phemus iſta confinxit, quæ his verbis „ recitat Damaſcenus; ait enim: Chri„ ſtum autem dicit Verbum eſſe Dei, & „ eius Filium, ſed creatum, atque ſervum, „ eumque fatetur ex Maria ſine ſemine

gene-

,, generatum. Ait enim, Verbum, ac Spi-
,, ritum Dei cum in Mariam introijſſet,
,, genuiſſe Filium, qui Dei Propheta, &
,, ſervus eſt: Iudæos autem contra legem
,, eum in Crucem agere voluiſſe, & eum
,, eum tenuiſſent, eius quidem vmbram
,, egiſſe in Crucem, Chriſtum autem, nec
,, in Crucem actum fuiſſe, nec mortuum,
,, Deum enim ad ſe tranſtuliſſe in Cœlum,
,, quod ei eſſet chariſſimus. Hoc etiam
,, commemorat, Chriſtum cum in Cœ-
,, lum perveniſſet, à Deo interrogatum
,, fuiſſe, an Dei Filium ſe eſſe dixiſſet?
,, Eumque facit hoc modo reſpondentem:
,, in me, Domine ſis placato animo: ſcis,
,, hanc meam orationem non fuiſſe, me-
,, que tuam non faſtidire ſervitutem. Ho-
,, mines ſunt iſti, qui contra legem hoc me
,, dixiſſe arguerunt, falſoque me circum-
,, venerunt crimine, & vehementer erra-
,, runt. Tum Deum hæc ei reſpondiſſe.
,, Scio hanc tuam non fuiſſe orationem.
,, Aliaque multa mõſtra ſimilia in eo nar-
,, rat Commentario, quæ ridicula ſunt.
Hæc Damaſcenus.

7 Ad hæc, præterea alias circulator ,, adiecit ineptias, nempe ſibi vt veritatis
,, cultori fideli tradendas claves Paradyſi
,, in die iudicij. Fatum inſuper aſſeruit, &
,, ſive ad bonũ, ſive ad malũ homines deſti-
,, nari. Cultũ præterea aſtri, quod *Cubar* di-
,, cunt, nẽpe Luciferi, ſive Lunę, cõmiſcuiſ-
,, ſe tradũt, ne Gentilitiæ ſectæ exors exi-
,, teret. Hanc autẽ de cultu Luciferi fuiſ-
,, ſe Sarracenorum antiquã ſuperſtitionẽ,
,, teſtatur S. Hieronym. in Hilarione. Iſta
,, itaque, & alia pudẽda infarciens, ad om-
,, nium conſervationẽ vaſrũ illud excogita-
,, vit, quod enim ſatis intelligeret cuncta,
,, quæ miſcuiſſet, per facile ſolvenda fore,
,, ſi ad exactæ diſquiſitionis revocarentur
,, examen: de traditis à ſe inſtitutis vetuit
,, diſputari. Sicque miſeros, quos decipie-
,, bat, coniecit in foveam, eoſdemque, ne
,, inde emergerent, excæcavit. Hactenùs Baronius.

8 Vt autem refert Gillelm. Totani in Fortalitio fidei fol. 244. calidus iſte Impoſtor vt facilius Iudęos atq; Chriſtianos deciperet, dicebat ſe eſſe Prophetã ad eorũ ſalutẽ divinitus deſtinatũ, vt legẽ Iudæis, ac Chriſtianis datã, quia nimis rigida, & ſevera erat, mitiorũ Præceptorũ promulgatione tẽperaret. Quia vero Iudęi palam ob murmurabãt, Mahumetũ non eſſe Prophetã à Deo miſsũ, ſiquidem nulla edebat miracula in confirmationẽ ſuę legationis, ſicut ederunt Moyſes, & alij Prophetę, finxit revelationẽ, quæ poſtea inſerta eſt Alcorano lib. 2. Zorã, ſeu c. 9. quæ ita habet: *Tu miracula nõ edas corã incredulis, quia ea vt rem otiosã explodent.* Dicebatque, quod petere miracula, erat Deum tentare. Et cum Iudæi non ceſſarent illum corã populo vt Seductorem traducere, ne à ſuis parvi pẽderetur, aliã confixit revelationẽ ibidem inſertã, quæ ita habet: *Increduli, quamuis videant miracula, non tibi credent, niſi vi cogantur, ſemper enim opponent, te illa virtute Diabolica conficere.*

9 Vnde ſuis perſuadebat, ſe à Deo miſſum ad exterminandã idololatriã, & vnius veri Dei cultũ introducendũ, quia Deus alios Prophetas miſerat, qui multis editis miraculis id præſtare non poterant; & ideo à ſe gladio, & non lingua, verã Dei legẽ introducendã, & propterea inſeruit in Alcorano lib. 2. cap. quoddam ſub hoc titulo, *De enſe, ſeu gladio*: in quo ſic iubet: *Occidite omnes incredulos*: Quæ verba exponens libet *Zuna*, vel *Sunæ*, in quo dicta vel facta Mahumeti continentur, & qui apud Mauros eſt paris authoritatis cũ Alcorano, ad ipſumque cõparatur ſicut inter Chriſtianos eõparantur Acta Apoſtolorũ ad Evangelia, inquit: *Omnes occidite, donec Mahumetani fiant.* Cum primũ autẽ armorum vi Almedinam, & Mechã occupavit, Rex iuramẽto inauguratur, edictũq; promulgavit, in quo ſeverè præcipiebat vt omnes Gentiles, omnes Iudęi, & omnes Chriſtiani in illis vrbibus cõmorantes eum vt Prophetã Dei acciperent, & legẽ ab eo promulgatã amplecterentur, ſub pœna capitis, & confiſcationis bonorum; & ita armorum vi ſectam ſuam invexit.

9 Magna eſt diſſenſio inter Authores circa annos vitæ, & mortis Mahumetis. Bellarminus tom. 1. contr. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 3. affirmat, Mahumetum natũ an. Chriſti 597. cœpiſſe autẽ ſe Prophetã appellare an. 623. obijſſe vero anno 637. chronicũ Math. Palmer. ſecutus, poſtea vero cap. 10. ait, ſecundum Ioannem Baſeum in Chronico Hiſpaniæ mortuum eſſe anno 628. & ſecundũ Cedrenũ in cõpendio hiſtoriæ an. 630. & in eodẽ ponit eius mortẽ Baron. to. 8. ad anno 630. Lupus de Obregon affirmat, Mahumetũ natũ an. 568. mortuũ vero an. 631. ac proinde vixiſſe 63. annos, & idem affirmat Vir magnæ authoritatis, qui circa tẽpora Mahumeti vixit, vt teſtatur Dionyſ. Carthuſianus in ſuo opere contra Alcoranum lib. 2. art. 1. in fine: *Vixit autem* (inquit Author ille) *ſexaginta tribus annis, quorum*

viginti tres in sua prophetia expendit. Georgius Almacinus celebris historiæ Sarracenicę Scriptor Arabs, & professione Mahumetanus, de quo infra mentionem faciemus, affirmat vixisse 63. annos, & secundum alios 65. mortuumque esse anno vndecimo Egyrę die duodecimo mensis Rabij prioris; id est anno Christi 632. die 16. Iulij, vt exponit Thomas Erpenius in notis marginalibus ad historiã illam (quã ex Arabico latinam fecit) pag. 5. & pag. 11. Petavius definire non audet, quot annos vixerit Mahum. solum refert opinionem Theophanis affirmantis, decem annis occultam hæresim illum habuisse, ac novendecim postea vi, ferroque propagatam asseruisse: constanter tamen affirmat, obijsse anno 631. Archiepiscopus Rodericus in historia Arabũ cap. 6. obijsse annis decẽ expletis, ex quo apud Damascum, Regni sui ceperat Principatũ: Herà D.C. sexagesima sexta, anno Heraclij XVII. & Scentillæ Regis Gothorũ VII. id est anno Christi 628. Vitam alij duo supra quadraginta annis duxisse attestantur, quos inter eminet R.P.M. Petrus Abarca, qui in Salmãtina Academia Primarius Theologiæ Antecessor nobis pręluxit, ac modo in Regali nostro Colegio rei litterariæ pręest, in suis Aragoniæ Annalibus, quos impatienti iam voto lux publica ambit: vbi miram rerum copiam ad severioris historiæ fidem exactam eleganti adeo sermonis brevitate circunscribit, vt verbis energiam videatur addidisse, ne rerum dignitati derogaret. Sanctus Petrus Paschasius affirmat, eo anno, quo ipse scribebat Granatæ tractatum suum contra Alcoranum, nempe anno Christi 1300. Mahumetanos in Hispania existentes communiter asserere quod tunc esset annus 699. ab incæptione prædicationis Mahumeti: *Mauri* (inquit) *hac mea tempestate dicunt, quod nunc sit annus sexcentesimus nonagesimus nonus ab incæptione prædicationis Mahumeti.* Ita habet pag. 47. num. 56. & secundum hunc computum putat incępisse suam prædicationem anno Christi 600. paulò plùs minusvè. Paulò autem antea, nempe pag. 44. num. 50. inquit: *Mauri dicunt, quod Mahumetus quando mortuus fuit habebat septuaginta tres ætatis annos; & quod vix in illius capite, & barba viginti reperiebantur cani.*

(2.)

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto Mahumetana secta introducta sit.

10 SED merito quis scire desiderabit, quo dolo, qua vè astutia Mahumetus se vt Prophetã incæperit venditare, aut quomodo aliquibus persuaserit tam insigne mendacium. Cedrenus apud Baronium, sic rem accidisse „narrat: Cum enim (inquit) à Dæmone „exagitaretur Mahumetus, & comitiali „morbo laboraret, vxorem suam, quæ „gravem ex eo capiebat dolorem, quod „nobilis ipsa egeno homini, & vexatio„nibus obnoxio nupsisset, ita demulsit, „quod diceret ad conspectum Angeli Ga„brielis sibi apparentis concidere. Erat „amicus ei mulieri Monachus quidam, „qui ob falsam fidem ibi relegatus vive„bat. Huic mulier totam rem aperit, An„geli etiam nomine propalato. Hic autẽ „Monachus, vt opinionem eam prorsus „in animo mulieris confirmaret, verum „Mahumetum Prophetã dicere, ait. Eum „enim Angelum ad quemvis vatem mit„ti. Mulier verbis impostoris illius Mo„nachi fidem habens, alijs suis gentili„bus mulieribus fabulam enarravit, ab „ipsis porrò ad Viros alios dimanavit. Vbi „vero semel innotuisse sciisset, & creditũ „se esse Prophetam, sibi ipsi per imagi„nem quædam effinxit, eademque vt di„vinitus accepta curioso atque simplici „populo facile persuasit, ac volumen va„nis figmentis plenum conscripsit, quod „è Cœlo acceptum effinxit, suisque tra„didit sectatoribus observandum: sicque „factum est, vt ita error vanè conceptus, „non miraculorum virtute, sed vi armo„rum magis, magisque apud posteros at„que etiam exteros invalesceret.

11 Sed rem hanc diligentius narrat Luppus de Obregon ex Ioanne Andręa & alijs Arabibus rem deducens, & historiam Mahumeti contexens. Ait enim, illum natum fuisse in Vrbe Mecha in Arabia fœlice ex Patre Gentili, & Matre Iudæa; eiusque patrem nomine *Abdala Motalib* Virum fuisse nobilem, & in ea Civitate Prætorem, seu Iudicem ordinarium, seu Merinum, vt loquuntur Arabes; fugillatque eos, qui dicunt Mahumetum fuisse servum, vel infimæ conditionis hominem; constat enim ex libro *Azear*, in quo vitæ Alcalifarum, seu Regum narrantur, & ex libro *Sunæ*, immò ex ipso Alcorano, Mahumetum, eiusque fratres fuisse nobiles, &

ex

ex illuſtri inter ſuos ſtirpe: eius Mater nomine *Imina*, illum peperit, mortuo iam Abbadala, illumque nutriendum tradidit Halimæ, cuiuſdam agricolæ, ſeu paſtoris vxori: poſt duos annos mortua eſt Imina eius Mater, ipſeque in domo manſit ſuæ nutricis vſque ad decimum ſextum ætatis annum. Tunc verò domum nutricis deſerens, ſuam operã locavit cuidã prævidiviti mercatori, nomine Abdemonaphis, qui vxorem habebat *Hadixam* Mahumeti conſobrinã, in eiuſque domum vt famulus admiſſus eſt, & mercium copiam in Cayrum, Perſium, & Suriam connexa Camelorum ſerie tranſportavit ſimul cum domino ſuo, cui inſerviebat, vel loco illius, novem annorum ſpacio. Poſt hoc tempus mortuus eſt eius herus: & ipſe matrimonium contraxit cũ vidua Hadixa: illudque Agaconis, ſeu Camelionis officium alijs tredecim annis exercuit. Cum iam vero trigeſſimum ſextum annum ageret, & ſe valdè divitem videret, ab illo laborioſo officio abſtinuit, & Camelorum gregẽ famulo ſuo Zeydin commendavit, & per illum mercaturam exercébat. Ipſe verò vitam otioſam degens, in vrbe commorabatur, & cum eſſet ingenij curioſi, & noviratum amans, maximè delectabatur rebus novis audiendis, vt eas ſuæ gentis hominibus narraret. Liberque Azear, & Alcorani Gloſſatores narrant, hoc tempore familiariter egiſſe, ſermoneſque habuiſſe crebò primos cum duobus Chriſtianis, gladiorũ conflatoribus, qui ei exprobabant idololatriam; & vnius Dei cultum perſuadebant: ille verò cum eſſet acuto ingenio, ex Chriſtianorum ſermonibus facile cognovit vnum duntaxat Deum eſſe adorandũ, & idolorum cultum certam eſſe ad æternam perditionem viam, & decrevit non amplius ingredi famoſum illius vrbis fanum, in quo incolæ adorabant idolum quoddam, quod *Hallete Haluza* vocabatur, & zelo veritatis incenſus, vxorem ſuã & fratres, & conſanguineos ab idololatria avertere ſatagebat, & identidem ingeminabat, in vnum Deum Creatorem Cœli, & terræ eſſe credendum; cultum verò idolorum eſſe cultum Dæmonum. Mirificè autem delectabatur converſatione Chriſtianorum, qui illi notitiam myſterij Incarnationis ingeſſerunt, & miracula, & opera mirabilia Chriſti Domini expoſuerunt. Ille verò à Chriſtianis inſtructus, quidquid ab illis audierat, vxori, & vicinis ſuis narrabat. Referebat ipſis hiſtoriam creationis primorum parentum, & ipſorum lapſum in peccatum, captivitatẽ generis humani ſub ſtatu peccati: & quomodo Deus miſit *Verbum ſuũ ad Mariam Virginem*, & quo pacto poſt ſalutationem Archãgeli Gabrielis conceptus eſt in eius vtero Chriſtus Dominus ſine ſemine viri, operatione miraculoſa Spiritus Sancti, quæ audientes idolatriæ ipſum irridebant. Et ſanè Mahumetus initio rectè de Chriſto videtur ſenſiſſe, vt docet Luppus de Obregon, ex Ioanne Andræa: vt enim inquit P. Molina 1. p. quæſt. 26. art. 1. diſp. 1. inter alia hæc ſcribit in Alcorano: *Chriſtus Ieſus Filius eſt Mariæ, & Apoſtolus Dei, & Verbum Dei, quod in ea poſuit per Spiritum Sanctum*: Rurſus inducit Deum dicentem: *Dedimus Ieſum Chriſtum Filium Mariæ, vt faceret prodigia, & miracula manifeſta, & perfecimus eum per Spiritum Sanctum ſanctificatum, & non communi operatione, ſed virtute Dei conceptum ex Maria Virgine Sanctiſſima, & ſuper omnes mulieres munda procreatũ.* Et id quidem docet in Alcorano lib. 1. cap. 3.

12 Vt teſtantur Ioannes Andræas, & Luppus de Obregon: & S. Petrus Paſchaſius pag. 65. num. 83. alijſque laudes Beatæ Virginis habet in Alcorano; inter quas illa celebris, quod illã immunẽ faciat à peccato originali, dicens: *Solam inter filios Adam Mariam non tetigit Satanas.* Legatur Sanderus lib. 7. de viſib. Monarch. Eccleſ. Hæreſi 125. & Caniſius lib. 3. de Deipara cap. 20. Quamquam vero initio de Chriſto vera prædicaverit, poſtea vero à Sergio Pſeudo Monacho Hæretico Arriano, deceptus, diſſerte docuit Chriſtum eſſe purum hominem.

13 Sed quidquid de hoc ſit, vt ad hiſtoriam redeamus, Mahumetus non ceſſabat ſuis prædicare Deum Creatorem Cœli, & terræ adorandam, & Chriſtum Dominum Verbum eſſe Dei ex Virgine ſine opera viri procreatum: & vt eos ad credendum flecteret, pœnas inferni eis minabatur, referens ſupplicia, quæ Deus intulit Ægyptijs, & Sodomitis, aliaſque hiſtorias veteris teſtamenti referens, quas à Chriſtianis audierat. Cum vero animadverteret, Mechæ incolas ſuis verbis fidem non dare, nec ſuam vxorem ipſi credere velle, depoſitis prætioſis veſtibus, & pauperi habitu indutus vrbe diſcedens, ſeceſſit in montem vicinum, vitam ſolitariam acturus: vbi diu, noctuque animo verſabat quo pacto poſſet vxorem ſuam, ſuoſque concives in cognitionem veri Dei adducere. Et hinc narrant Mahumetanorum

libri

libri apparuisse Mahumeto Angelum Gabrielem, illique annuntiasse, ipsum à Deo electum, in Prophetam, vt idololatriam destrueret. Vt autem vere refert Obregon, Diabolus animadvertens Mahumeti ambitionem, & ardens desiderium faciendi sibi nomen, & ascendendi ad Imperium, & dominationem, illi persuasit, vt se Propheram Dei acclamaret, promittens ipsi auxilium ad introducendam novam legem, qua populum illũ, aliasque gentes suo subiugaret imperio, verique Dei cognitionem inveheret, nihil curans, quod Mahumetus hanc veritatem doceret, dummodo illam doceret coniunctam cum multis mendacijs, quæ homines certissime ducerent in æternam perditionem, & illos abduceret à Christiana professione, in qua vnice est salus. Vt enim optimè observat Guillelmus Parisiensis lib. de legibus cap. 18. *In hac Mahumeti lege, & mendacijs multa vera inserta sunt, & malis bona commixta, malignitate fallendi; vt scilicet falsis propter vera crederentur, & mala propter bona reciperentur.* Si enim nullum bonũ præciperet, nec vllum verum doceret, fidem non inveniret; sed dolus manifeste innotesceret. Igitur Mahumetus à solitudine, & spelunca sua, ad civitatem crebro revertens, vxori suæ narrabat, sibi apparuisse Angelum Gabrielem, & iactabat se Dei Prophetam esse, & ab ipso missum, ad exterminandam idololatriam. Illa vero hæc cum risu excipiebat, & serio ei dicebat, illas esse Diabolicas illusiones, vel Mahumeti somnia. Dicunt autem authentici Mahumetanorum libri, nempe liber inscriptus, *Acear*, & alius incriptus, *Assisa*, Mahumetum hanc suæ vxoris reprehensionem, & derisionem tam acerbè tulisse, vt quadam die existens in sua solitudine se voluerit ex alta rupi præcipitare, eligens potius mori, quam ex dilectissimæ vxoris suæ gratia decidisse: tunc vero ei apparuisse Angelum Gabrielem, & sic illum allocutum: *Lætare, o Mahumete, & gaudio exulta, quia Deus te amicissime salutat*, & scio te *ab ipso electum in suum Legatum, Nuncium, & Prophetam: & iubet, vt legas.* Et cum Mahumetus respondisset, se legere non posse, quia legere nunquam didicisset, nec litterarum caracteres cognosceret: Angelum repositisse, nihil hoc obstare, *Quia Deus ipse* (inquit) *tuus erit Magister, & ipso Præceptore, calamum sumens pulcherrimos efformabis caracteres, & deinceps legere, & scribere scies.* Hoc fabulantur Mahumetani, & hæc fuit prima revelatio, quam Mahumetus confinxit. Occasionem autem illam confingendi sumpsit ex contumelijs, quibus eum impetebat Hadixa, seu *Adissa* eius vxor, sæpè ingeminans, Mahumetũ somnia sua pro revelationibus venditare: se vero nunquam adducendam esse, vt crederet, Angelum illi loqui, nisi revelationem ab Angelo scriptam inspiceret. Tunc vero calidus Impostor, vt vxorem deciperet, elegit in suum Secretarium iuvenem Iudæum, nomine Abdala Serralle, ex matre sibi cognatum; dicens, Angel. Gabriel, sibi familiariter sæpè apparentem, hoc ita præcepisse, illique sugerebat, quæ secreto ab illis duobus Christianis audierat, illasque sententias eleganti stylo in Arabicum conversas, tanquam Dei revelationem suo Secretario dictabat scribendas in quadam schedula: illamque secum deferens, vxori ostendebat, & coram illa recitans verba illa, quæ in schedula erant scripta, simulabat se legere id quod memoriæ tradiderat; & schedulas illas tanquam è Cœlo delapsas, custodiebat in arca, quam *legationis arcam nuncupavit.* Tunc simplex fœmina credidit, maritum suum miraculose à Deo edoctum scribere, & legere, illumque vt Prophetam venerari cæpit; & quoties à Dæmone arripiebatur, vel morbo comitiali correptus in terram cadebat, existimabat, ei Angelum apparuisse, quia calidus Impostor, dicebat tunc temporis se secreta Cœlestia divinitus haurire, & notitiam mysteriorum accipere, quæ ipsis prædicabat.

14 Primus Mahumeto credidit Zeidin, eius servus, cum vt Prophetam veneratus, propter quod ipsum libertate donavit, & legem promulgavit, quod à servitute liberarẽtur quotquot eius legem susciperent: vt hac arte plures sibi aggregaret. Post Zeidin credidit Hadixa eius vxor: & horum exemplum secuti sunt viri alij primę nobilitatis; nimirum Anza, & Alabez, Mahumeti patrui, vel avunculi, Vbequar, Homar, Hocmen, Haly, & alij ex primaria nobilitate. Quorum præsidio, & societate roboratus palam contra idololatriam prædicabat, & veritatem hanc, lumine naturæ evidentissimã, facile persuadebat: revelationes vero fingebat prout tempus postulabat, & prout expediebat ad devinciendos sibi eorum animos. Idolatrę vero ægre ferentes cultum deorum prædicatione Mahumeti in dies minui, illum persequebantur, Iudæi vero, quia magnas de Christo laudes publica-

blicabat, ignem accedebant. Interim Abdala Serralle, qui ei erat à ſecretis, ex Chriſtianis gladiarijs, cognovit, quæcumque ipſi Mahumetus, vt revelata dictabat, ab eis accepiſſe; & fraude detecta à Mahumeto diſceſsit: & ipſe Sergium Pſeudo monachum hęreticum Neſtorianum eius loco ſubſtituit, qui ei ſuos errores circa Chriſti Divinitatem facile perſuaſit. Abdala vero poſtquã à Mahumeto abiceſsit, eius patruis & avunculis, *Coraxiſtas, & Haximiſtas* vocabant, & alijs veris primarijs, qui ei vinculo ſanguinis, vel amicitiæ cõiuncti erant, aperte dixit, ſe Mahumetũ deſerviſſe, quia clare cognovit, eum non eſſe prophetam, ſed impoſtorem: & ipſis narrabat ſe aperte deprehendiſſe, Mahumetum, vt revelationem Dei ſibi ſcribendum dictaſſe, quod de Chriſto audierat à duobus Chriſtianis, cum quibus familiariter agebat: addebatque, ad fraudem detegendam, ſæpè ſe ſubſtantiam eorum, quæ dicebantur mutaſſe, & hoc Mahumetum non animadvertiſſe, vel non curaſſe, dummodo enim in ſchedula ſervaretur metrũ, & verſuum conſonantia; de cætero nihil curaſſe. Et hoc referunt authentici Mahumetanorum libri *Azear, & Aſtfa*, tanquam perſecutionem magnam ſui Prophetæ, aſſerentes Abbadala Serralle hanc perſecutionem commoviſſe præ invidia, quia cum Iudæus eſſet, ferre non poterat laudes Chriſti, quas Mahumetus prædicabat.

His acceſsit, quod cum Mahumetus à Sergio novo ſuo Secretario ſeductus cæpiſſet hæreſes contra Chriſti Divinitatem prædicare. Chriſtiani, cum quibus familiariter egerat, & à quibus acceperat ea, quæ tanquam Divinitus ſibi revelata vis prædicabat, in Mahumetum invecti, palam publicabant, eum nõ eſſe Dei Prophetam, ſed nunc contraria docere ijs, quę prius docuerat. Hęc & nova lex, quam nomine Dei promulgavit (quæ poſtea inſerta eſt in Alcorano lib. 1. cap. 1.) quod videlicet quilibet vir poſſet ſibi legitimo matrimonio duas, tres, vel etiam quatuor fœminas copulare; ſi eas alere poſſet, contra id, quod Idolatræ ipſi in ea vrbe obſervabant, apud quos vnus vnam dumtaxat fœminam, vt vxorem habebat, totam civitatem valde commovit; quia bene noverant, hanc legem promulgaſſe Mahumetum, quia vna fœmina contentus non erat, & probroſum erat, ſcorta & meretrices, quærere, ei, qui ſe Dei Prophetam, & Dei nuntium proclamabat; ac proinde dicebant, cum ſub honeſto matrimonij titulo, velle ſuam luxuriam obtendere: ere vitque procella; cum Mahumetus non contentus quatuor vxoribus, alias octo ſibi copulavit, fingens ſecum Deum diſpenſaſſe, vt plures vxores habere poſſet; quam aliquis alius, quia Dei Apoſtolus, & Nuntius erat: & hanc diſpenſationem; tanquam de cœlo delapſam publicavit, & Alcorano inſervit lib. 3. cap. 17. His & alijs Mahumeti criminibus graviter offenſi Mechæ cives, præſertim ſuorum idolorum deſtructione, & iam Mahumeti aſtutias timentes, arma parabant, vt illum vi comprehenderent, & capite plecterent. Cæterum Mahumetus, & ſui cognito eorum conſilio, in celeres inſilientes equos, fuga noctù ſe ſubduxerunt; & in Almedinam à Mecha octo dierum itinere diſtantem ſe receperunt. Hanc fugam Mahumetus adornavit quadrageſſimo ſexto ſuæ ætatis, anno, vt refert Lupus de Obregon, decem annis poſtquam ſuas fictas revelationes vulgare cæperat. Degebant ea in vrbe quinque Iudæorum tribus, & inter eos non pauci Gentiles idolatræ: prędivites habebat ea in vrbe Vbequar Mahumeti Socer, & ex præcipuis eius confœderatis, qui eum verum Dei Prophetam credebat; & hæc præcipua fuit cauſa, cur Almedinam confugerit.

Ibi aſtutia & ſcientia Sergij adiutus ſuam ſectam extendere connabatur. Obſiſtebant Iudæi, palamque dicebant, Mahumetum non eſſe Prophetam, quia nulla edebat miracula: ipſe vero ne apud ſuos notam incurreret, finxit revelationem, qua Deus pręcipiebat ne ederet miracula, quia increduli illa non erant accepturi, vt miracula, ſed vt præſtigias Dæmonum, finxitque ſe à Deo miſſum, vt gladio cultum veri Dei, inveheret, quandoquidem alij Prophetæ parum profecerant editis miraculis; vt conſtat ex Alcorano lib. 2. c. 9. cuius verba ſupra dedimus. Vt autem Iudæos ſibi conciliaret, laudabat Moyſem, & legem ab eo datam: & iuſsit vt Diſcipuli ſui dum orarent faciem verterent verſus Hieruſalem, vbi erat Dei Templũ: præcepit vt ſui ieiunarent more Iudæorum; & ne porcinam carnem comederẽt; & vt Iudæis placeret, circunciſsionem ab illis ſumpſit, aliaque multa. Dicebatque ſe in hoc vnum eſſe intentum, & ad hoc à Deo miſſum, vt vi armorũ idololatriam exterminaret. Non ceſſabant tamen Iudęi famam Mahumeti elevare, & publice obmurmurare. Ille vero ardenti odio illos averſabatur, & vindictam cogitabat;

& vt æstimationem apud suos sibi adsciscet, finxit se per scalam quandam in cœlum ascendisse, ducente Angelo Gabriele, & suis prædicavit fabulosum illum paradysum, quem Deus promittebat eis, qui eum adiuvarent in hoc magno negotio, quod moliebatur: & vt incredulos terreret, finxit se ab Angelo ductum in infernum, vt oculis suis inspiceret pœnas, quas Deus idolatris & criminosis hominibus erat infligturus, & sæpe inferni pœnas minabatur eis, qui vnum Deum non adorarent. Hac arte novos Discipulos, sibi in Almedina adiunxit; vt autem imperium, sibi firmaret, suos extra vrbem eduxit, & vt constat ex Alcorano lib. 4. cap. 13. sub arbore quadam longum sermonem ad illos habuit, eis persuadens, voluntatem Dei esse, vt gladio idololatriam profligarent; & vt incredulos, qui legem sanctam Dei nolent recipere, interficerent, eorumque bona diriperent, vt autem ad præliandum moveret, eis Dei nomine victorias promittebat, & ingentia hostium spolia: & commentitium illum paradysum post hanc vitam: dicebat adeo dulcem fore mortem eorum, qui in hoc sancto bello occumberent, vt ij, qui morte naturali obijssent, quamvis in paradyso constituti, desiderarent in hãc vitam regredi, vt tam suavẽ mortem opportere possent, & vt refert Ioannes Andræas cap. 12. sui operis contra Mahumetanam sectam: *Dicebat suis militibus, eos, quin eo sancto bello occumberẽt, statim ad paradysum evolare*: eis promisit orbis imperium, eximiamque in hac & in alia vita fœlicitatem: facile esse, vi capere Almedinam, & Iudæos sibi infensos iugulare, eorumque divitias inter se dividere: vi Mecham occupare; & gentes sibi in dies aggregare, quibus veri Dei cultum per orbem terrarum diffunderent. Hac oratione permoti, Mahumetum Regem renunciarunt, iuramento se obstringentes illi fidem servandi. Ille vero ex eis in Duces suos elegit Vbequar, & Homar soceros suos, Hozmen, & Haly suos generos (quorum tres primi suo ordine ei in imperio succedere) & alios sectem vel octo ex nobilioribus, dicens, eos à Deo electos vt nomen suum per orbem portarent, idololatriam exterminando. Consilium cum suis ducibus secreto iniit de subiuganda Almedina, & Iudæis iugulandis; & ne Iudæi coniurationem hanc suboderare possent, suos milites per pagos; & villas illius mõtanæ divisit; bonam autem occasionem nactus, eos congregans, civitatem illam omnino imparatam, & nihil tale cogitantem armorum vi expugnavit, & plerosque Iudæorum, sibi infensos iugulavit, spoliaque illius opulentæ vrbis inter milites divisit, quò avidius similia aggrederentur facinora.

Cito fama huius victoriæ à Mahumeto obtentæ Mecham pervenit, cursorẽ enim illùc statim miserunt aliqui ex Mahumeti hostibus, qui moneret, vt celerrimè exercitum compararent, quo Mahumetum opprimerent, ni vellent eandem aleam cum Almedinensibus subire: exhorruerunt ad hoc nuntium Mechanenses, & Mahumeti iram timentes, cito citius quingentorum equitum turnam Almedinam mittunt, qui longis itineribus viam conficientes, Mahumetum inopinatò aggrederentur. Sed non defuit patriæ proditor, qui illam, de exercitu cito contra ipsum venturo admoneret. Hac notitia instructus Mahumetus prope vrbem in silvis suos milites abstrudit, qua erant hostes transituri. Ad eum locum, in quo Mahumetus insidias paraverat, pervenerunt Mechanenses equites prima noctis vigilia omnino ex via fatigati: & vt vires reficerent, ex equis exilierunt; & stationem ea nocte fixerunt, vt diluculò vrbem invaderent: observabant omnia diligenter Mahumeti speculatores. Et cum eos somno sopitos vident, ex insidijs prodeuntes Mahumeti milites omnes iugularunt, quin vel vnus superstes maneret, qui Mecham funestum hoc nuntiũ deferret. Mahumetus quingentis hosce equos, quos ab hostibus ceperant, suos milites conscendere iubet; & incredibili celeritate exercitum movet in Mecham, eamque expugnat: & se Alcalifam, seu Regem coronat die seq; anno Christi 612. die veneris, quem idcircò Mahumetani colunt, sicut nos diẽ Dominicam: & quia Almedinæ etiam primo Rex appellatus est die veneris. Post Mechã captam, edictum promulgavit Mahumetus, vt intra octo dies omnes in ea vrbe habitantes, sive Christiani, sive Iudæi, sive Idolatræ, ipsum vt Prophetam Dei, & promulgatam ab ipso legem, sub pœna capitis; & confiscationis bonorum susciperent; vt constat ex Alcorano lib. 2. c. 3. & quia aliqui ex consanguineis eius id detrectarunt, crudeliter occisi sunt. Capta Mecha, ad famam tantæ victoriæ, & liberalitatis, qua militibus spolia hostium largiebatur, novæ militum turmæ ipsi adhæserũt; exercitumq; formavit, decẽ millibus peditum, & totidem millibus equitum cõstan-

ſtantem qui Arabiam ſubiugavit,& deinceps maiora aggreſſus eſt. Quare vt ait Clenardus,apud Poſſevinum tom. 1. Bibliothecæ ſelectæ lib.9. cap. 8. * Mahumetus primò novas leges, quas ſtupidis ea tempeſtate Arabibus impoſuit, ad Gabrielem Angelum referebat, quo monitore ſe omnia mentiebatur gerere. Deinde poſtquam fraus in ſuſpitionem,venit,præſertim ob Iudæos, circa Mecham incolentes, quibus odorandi naſus non deerat, robur induit Tullanum, vim omnem in armis ponens; & quos arte capere non poterat,viribus in novum dogma ſubiugavit, atque ita deinceps propagata eſt hæreſis, iacto quidem dolis fundamento, gladijs tamē poſtea ſic prolato imperio, vt Victorijs ingentem mundi partem occuparit. *

§. I.

Qualiter Arabum hiſtorici ſui Propheræ vitam & geſta narrent?

GEORGIVS Almacinus,profeſsione Mahumetanus, celebris Hiſtoriæ Sarracenicæ Scriptor,in compendium redegit Hiſtoriam Arabum concinnatam à Mahumede Abugjafuri, quem ipſe virum Clariſsimum,& Doctiſsimum appellat; & in meliorem formā redactam à Kemaluddino Armunæo;& ex omnibus Mahumetanorum Hiſtorijs ſuam breviter,& dilucidè compoſuit,in qua vitas, & geſta quadraginta novem Chalifarum,ſeu regum per tres libros narrat, incipiens à Muhammede ſectæ Mahumetanæ inſtitutore, & finem imponens in Atimedo Abulabaſo Muſtadiro Billa,qui floruit ad annum Chriſti 1118. & Chalifatum finivit anno ſolari ab Hegira Arabum 511. & ab orbe condito 6669.ſecūdum Chronologiam huius Authoris,quam ponit ad finem ſuæ Hiſtoriæ, pag.369. Hegiram appellant Arabes fugam Mahummedis à Mecha in Almedinam, quæ accidit, die decimo ſexto,Iulij,anno Chriſti 622.

Hanc Hiſtoriam anteà Chriſtianis Europæis incognitam, & in bibliotheca Sereniſsimi Ducis Bauariæ aſſervatā, Latinam reddidit Thomas Erpenius,linguæ Arabicæ peritiſsimus, & typis mandata eſt Lugduni Batauorum in typographia Erpiniana, anno Chriſti 1625. ſimul cum Hiſtoria Arabum Archiepiſcopi Roderici Ximenez. In hac Hiſtoria (quæ in magno pretio habetur ab omnibus huius ætatis hominibus,qui Hiſtorica & Chronologica eruditione eminent) quem nos Hiſpanicè vocamus Mahomam, Latine Mahumetum, vel Mahumetem, vel Mahumetum, ipſe appellat Muhammed. Et ita loquuntur Arabes: nam cùm ego Malacæ Mahumetanis prędicavi,anno 1670. nobilis vir,qui in vrbe Oran diū commoratū fuerat,mihi narravit,Mahumetanos, qui me concionantem audiebant, contra me obmurmurare,quia eorum Prophetam *Mahomam* appellabam, exiſtimantes id à me dici in ludibrium, & irriſionem ſui Legislatoris,quem ipſi Muhammed accētu brevi nominant, & ita deinceps ego nominavi,vt benevolentiam illorum captarem. Mahumetanam vero ſectam appellat *Islamiſmum*. *Religionem* (inquit) *Islamiſmi primus manifeſtauit, & obſeruauit Muhammed Abulcaſimus, Filius Abdallæ: nomen matris eius erat Emina,quæ Filia erat Vuahebi.*

Aſſitmat hic Author natum fuiſſe in valle Lapidoſa vrbis Meccæ, circa auroram diei Lunæ; qui octavus erat mēſis Rabij prioris (ita appellant Iulium, Auguſtum vero Rabium poſteriorē) anno 882. Alexandri Magni.

Aſſerit obijſſe patrem eius duobus menſibus antequam Muhammed naſceretur:matrem vero, cum ſex annorum eſſet. Eumque educaſſe avum ſuum Abdulmutalib donec annum attigit octavum: poſt mortem vero avi educatum bene fuiſſe à patruo ſuo Abutalib.

Vt autem annos implevit 40. vocatum fuiſſe ad munus Propheticum(nimirum, quia tunc incæpit ſuas fictas revelationes vulgare)die Lunæ, qui erat ſecundus menſis Rabij prioris, anno 922. Alexandri Magni, qui erat vigeſsimus Regni Coſroæ Filij Hormiſdæ (Alexander autem Magnus ſecundum ſupputationem Claudij Clementis in tabulis Chronologicis,natus eſt ante Chriſtum 361.annis.) Primam in prophetiam eius credidiſſe Chadigjam filiam patrui eius: deinde eius ſervum Zeidum:deinde Alim,poſtea Abubecrum (Vbequar appellant noſtri Hiſtorici,Rodericus vero Archiepiſcopus Toletanus appellat *Abubacar*) cum alijs quinque,videlicet *Otſman*,Zubeiro,Abdurrhaman,Suado,& Obeidalla: *Atque ij nouem (inquit)præiuerunt ad Islamiſmum.* Anno autem 44.manifeſtaſſe vocationem;(ideſt fictionem) antea enim clanculum tantum invitabat ad Islamiſmum: * Publicata autem vocatione (inquit Elmacinus)

iuſsit

„ iussit credere in solum Deum, eumque „ colere, & adorare, destruxitque idolo„ rum cultum: præcepit circuncisionem: „ sancivit ieiunium mensis Ramadani; „ quinque orationes; mundities; peregri„ nationem ad templum Meccanum, & „ ne cõmederetur sanguis morticinium, „ aut caro porcina. Atque eos, qui hæc nõ „ observabant, bello vexabat, & oppugna„ bat. Iussit quoque credere veritatẽ Pro„ phetarum, & Apostolorum, quique ad „ eos demissi sunt librorum. Item Chri„ stum Filium Mariæ Spiritum Dei esse, „ & Verbum eius, atque Apostolum: ap„ probavitque Evangelium, & Legem „ Mosaicam. *

Etiam, Coraisitas fertitèr Muhammedi obstitisse, atque inimicitias adversus eum denunciasse: patruũ autem eius Abutalib, ipsum ab eorum insidijs liberasse. Et refert, anno quinto credidisse Omarem, fideque sua reliquos Muslismos (idest Muhammedis sectatores) confirmasse: fuisseque quadragesimum, qui Religionem Islamismi susceperit, quia ante illum credidesant 39 anno decimo vita defunctum esse Abutalib Mahumedis patruum in Religione maiorum, idest in idololatria: & benè crevisse Coraisatarum impetum contra Mahummedem, & spem illum vincendi: accessisse hoc tempore ad Prophetam aliquos tũ ex Christianis, tum ex Iudæis, tum ex Paganis, accepto prius securitatis symbolo; & fidem eius accepisse; & iuramentum fidelitatis ei præstitisse; ea tamen lege vt tributum ei solverent. Anno autem decimo Mahummedem, vt insidias Coraisaitarum evaderet, Mecca fugisse, & Medinam, seu Almedinam ingressum esse die duodecimo mensis Rabij prioris. Notat autem Thomas Espernius traductor huius historiæ in notis marginalibus, incidisse Hegiram, seu fugam Mahummedis in diẽ 16. Iulij æræ Christianæ 622. in quo parum differt à Chronologia Patris Marianæ, qui in suo opusculo de annis Arabum affirmat annos Arabum, qui computantur ab hac Hegira, seu fuga incepisse die decima quinta Iulij feria 5. Almacinus asserit, accidisse die Lunæ, & secundum alios, die Iobis. Paulo aliter supputat Petavius Rationarij temporum partis primæ lib. 7. „ pag. 485. sic enim habet: * Illud constat „ anno Christi 622. Iulij die 16. feria 6. „ fugam eum arripuisse, cùm ob erroris „ novitatem devita perichtaretur. Ab hac „ fuga, quam Hegiram vocant Arabes, „ idest persecutionem, nova illorum epo„ cha proficiscitur. *

Refert deinde Almacinus varia Mahummedis prælia, & victorias: aitque, eũ cepisse Meccã anno octavo Egiræ (Christi 629.) mortuum vero esse anno vndeci„ mo Egyræ (Christi 632.) * Obijt autẽ „ (inquit) die Lunæ, qui duodecimus erat „ mensis Rabij prioris, cum natus esset „ annos sexaginta tres, aut secundum alios „ sexaginta quinque. * Postmodum vero annos lunares ad solares reducens, Chronologiam instituit ab Adami vsque ad Ma„ humedem ijs verbis: * Traditur itaque „ Mahummed obijsse, completis, annis so„ laribus 6123. mensibus novem, & qua„ tuordecim diebus; elapsis temporis He„ giræ annis lunaribus decem, & diebus „ septuaginta: idest annis solaribus novẽ, „ & vndecim mensibus minus vno die: „ primus enim Hegirædies fuit Iovis, & „ vltimus vitæ eius, Lunæ. *

Nullum hic Author de suo Prophe„ ta miraculum scriptis suis prodit: solum eum appellat virum gloriosæ memoriæ: eius autem virtutes his verbis describit: * „ Erat optimæ indolis, voce suavi, visitãs, „ & excipiens suos vt ipsum visitabant, & „ excipiebant, pauperes munerans, Mag„ nates laudans; conversans cum infimati„ bus, & petentem à se aliquid non repel„ lens sine eo, aut sermone facili. * Ex quibus verbis constat, Muhammedem solum habuisse virtutes quasdam politicas, quæ vtiles erant ad devinciendos sibi animos, & benevolentiam captandam; quò facilius imperium acquireret & conservaret: tradit autem idem, Mahumetum in vltimo suo morbo dixisse: *Ne duæ in Arabia sint Religiones*: & ptopterea Omarem, qui fuit tertius Achalifa, Iudæos inde eiecisse.

Varios enumerat Almecinus Mahumeti scribas, & inter eos Abdallam, de quo „ ait: * Qui ab Islamismo deficiens Infi„ delibus se adiunxit: sed impunitatem tẽ„ pore victoriæ ei petijt Otsman: quam & „ ei concessit Muhammed, postquam eius „ sangninem fundere decreverat. De Ser„ gio mentionem non facit. De morte au„ tem eius & ægritudine hæc tantũ dicit: „ Cum à peregrinatione Meccana rediis„ set, & Medinæ substitisset ad diem 28. „ mensis safari, ægrotare cæpit; & præce„ pit Abubecro, vt cum populo oraret, ac „ orarunt omnes orationes septemdecim, „ obijt autem die lunæ, &c. * Et hæc ad notasse sufficiat, vt Christi minister, qui Mahumetanorum conversioni intenderit, his notitijs instructus facilius possit cum illis de Religione agere.

§. II.

§. II.

Aliæ notitiæ de Mahumeti vita, & moribus.

NICOLAVS De Cuſa Cardinalis, qui obijt anno 1464. vir doctus & pius, in ſuo opere contra Alcoranum, quod inſcribitur, *Cribatio Alcorani*; in Prolgo narrat, ſe exquiſitam adhibuiſſe diligentiam, vt intelligeret librum legis Arabum, ſeu Alcoranum: & Baſileæ inveniſſe tranſlationem eius factam à Venerabili Petro Cluniacenſi, & diſputationē duorum nobilium Arabum, quorum alter Mahumetanus, alter Chriſtianus erat. Mahumetanus namque volens pertrahere Chriſtianum ad Mahumeſtiſmum rationes pro ſua Religione expoſuit: eis vero Chriſtianus, qui doctior erat, ſcripto ſatisfecit, clare demonſtrans falſitatem Mahumetanæ ſectæ. Addit prætereà citatus Cardinalis ſe Conſtantinopolim pertexiſſe, vt pleniorem leges Mahumetanorum notitiam aſſequeretur, ibique apud Patres Franciſcanos Alcoranum inveniſſe, & ipſis exponentibus, aliqua puncta adnotaſſe: & Dionyſio Carthuſiano perſuaſiſſe, vt contra Alcoranum ſcriberet, idque abunde præſtitiſſe, opuſque ſuum miſiſſe Nicolao Pontifici. Additque ſe poſtea Romæ vidiſſe libellum Fratris Ricoldi, Ordinis Prædicatorum, qui Arabicis literis in Baldach operam dedit, & iſtum præ cæteris ſibi placuiſſe.

Et in ſecundo Prologo cribationis Alcorani, citans Ricoldum, & nobilem illum Arabem, qui cum Mahumetano diſputavit, & Dionyſius Carthuſianus lib. 2. in ſectam Mahumetanam ar. 2. narrant, Sergium Monachum de Monaſterio ſuo ejectum, Mecham applicuiſſe, ibique duos Populos reperiſſe, Idolatras, & Iudæos, prædicaſſeque ibi fidem Chriſtianā, prout Neſtorius illam tenuit, vt Fratres ſuos Monachos, qui Neſtoriani erant, placaret ad gratiam, ſi Idolatras ad fidem Neſtorianam converteret: idque præſtitiſſe, & inter alios Idolatras Mahumetum convertiſſe, & baptizaſſe, & Neſtoriana hæreſi imbuiſſe. Tres autem aſtutiſſimos Iudæos ſe Mahumeto adiunxiſſe, & illi multos errores perſuaſiſſe. Mortuo autē Mahumeto, omnes eius Sectatores ad proprias ſectas rediiſſe: Iudæos autem illos Haly filio Habitalib, cui Mahumetus teſtamento legaverat ſuas collectiones (ideſt ſuas ſchedulas, ſuoſve codices, fictas revelationes continentes) perſuaſiſſe vt ſe Prophetam Dei appellaret, & obtinuiſſe: & abſcriptis Mahumeti detraxiſſe, quæ ipſis placuit, vel addidiſſe.

Poſt hæc narrata, ſubnectit Cardinalis hæc verba. * Videtur igitur, quod Mahumed ab initio fundatus fuit per Sergium, vt eſſet Chriſtianus, & legem illam ſervaret. Ab illa via non potuerūt Iudæi ipſum à movere: ſed vt quantum poſſent retraherent, addiderunt illa per quæ videretur propriæ ſectæ propheta, & veteri teſtamento non minus quam Evangelio fidem dare. *

Addit idem Author, capitula collectionis legis Arabum non continuari, vel connecti invicem, ſed quodlibet per ſe integrum exiſtere, & proprium eſſe rithmum, ſeu carmen plene menſuratum: * In hoc enim (inquit) ſummum ſtudium adhibuit compilator, vt blanditijs dictaminis (ideſt elocutionis) omnes alliceret, & in ſtuporem verteret, ſicque dicta facerēt divina videri. * Itaque certum eſt Alcoranum ſcriptum eſſe ſtilo elegantiſsimo linguæ Arabicę, & non oratione ſoluta, ſed verſibus contare.

Dionyſius Carthuſianus in ſuo opere contra Mahumetanam ſectam lib. 2. art. 1. affirmat inter hiſtorias à ſelectus de vita & geſtis Mahumeti credibiliorē ſibi viſam fuiſſe narrationem, quam invenit in Epiſtola cuiuſdam perfecti Chriſtiani, & eſt ea, de qua nuper mentionem fecit Cuſanus, in qua continetur diſputatio inter duos Doctores Arabes, alterum Chriſtianum, alterum Mahumetanum, qui inter ſe erant amiciſſimi, & erant primi in palatio Regis cuiuſdam Sarracenorum, cui vt famuli inſerviebant, Mahumetanus Doctor ſcripſit Epiſtolam invitans Chriſtianum ad ſuam ſectam, cui Doctor Chriſtianus doctiſsimè & pleniſsimè reſpōdit. Has duas Epiſtolas, ſeu diſputationem in illis contentam apud te habuit Carthuſianus, aitque, Epiſtolā Mahumetani quinque conſtare foliis in octauo libro, quo ipſe vſus eſt; Epiſtolam vero Chriſtiani ſolijs viginti.

In hac diſputatione, ſeu Epiſtola Doctor Chriſtianus, qui (vt coniectatur Carthuſianus) propè tempora Mahumeti vixit, Mahumeti vitam & facta narrat, vt rē apud Mahumetanos notam, vt inde convincat, eum non fuiſſe Prophetam, ſed ſeductorē. In ſumma autē dicit, Mahumetū pūpillum fuiſſe, in ſinu patrui ſui educatum, & Cultoremque idolorum in Mecha

cha cum omni domo; & ig generatione sua. Sicque vixisse quousque pervenit ad servitium Camelorum Hadigiæ, seu Chadigiæ, cuius mercenarius factus fuit: solitumque cum Camelis proficisci in Siriam aliasque regiones, donec duxit illam vxorem. Postquam vero dives factus est opibus vxoris, connatum fuisse super gentem & patriam suam arripere principatum: & cum hoc ad exitum perducere nō potuisset, cum paucos adhuc haberet fautores, arte & ingenio vsum fuisse, & quia se regem facere non poterat, se Dei Prophetam, & nuntium simulasse. Et cum hoc nomen Prophetæ vsurpasset, ingressum fuisse ad homines, qui tanto facilius qualibet astutiæ machinatione decipi poterant, quanto longius ab omni sapientia, & vitæ civilis honestate distantes, per agros & villulas sequestrati, quid Dei Prophetæ, & nuntius esset, & in quo dignosci deberet, penitus ignorabant: ad hos autem decipiendos cuiusdā Astrologi ope atque Consilio non mediocriter adiutum, homines perstiferos, & viarum insidiatores, & homicidas sibi aggragasse, quos ad devia silvarum, ad cacumina montium, & ad proxima fontibus loca mittebat, vt ex insidijs prodeuntes, mercatores & viatores interficerent, eorumque Camelos, & merces diriperent. Si qui autem ei contradicerent, aut palam obmurmurarent, cum primum per se, vel per suos capere poterat, eos crudeliter interfeciſſe. * Postquam hæc & alia Doctor Christianus narravit, quæ Mahumetanus negare non poterat; statim ipsum alloquens subiungit: * Ego autem mirari non sufficio, quo pacto tibi persuasum est, Dei esse nuntiū, aut Prophetam hominem, cuius, (vt breviter vitam facinorosam demonstrem) nulla fuit alia operatio, aut meditatio, quàm homines interficere, aliena diripere, incæstus, & adulteria perpetrare, qui etiam tale decretum inscriptum prophetiæ suæ, sibi facere non erubuit, vt diceret, datū rebus suis à Deo quadraginta viros potentissimos in coitu fortitudine libidinis adæquare. Vbi etiam rebus odoriferis, & mulieribus super omnia delectari se dicit. Præterea vxores eius ingenuè fuerunt quindecim & duæ ancillæ. O quam longe est ab ista impura, & turbulenta doctrina Machomet, Christianæ disciplinæ sancta, & pia Religio, quæ per glorioſum Apostolum Paulum ad Dei amorem, & sanctam castimoniā homines invitans, dicit: qui habet vxorē, cogitat, quæ sunt mundi, si ergo vna sola vxor à Dei amore impedit hominē, quomodo qui tantas habuit, & totus in earum libidine versabatur, quique prædas, latrocinia, & alia sceleta exercebat, Dei Propheta esse potuit? Præterea in vltima sua infirmitate positus Machomet, suis præcepit, ne eum mortuum sepellirent, eo quod tertio die assu mendus esset in cœlum: ipsique observātes præceptum, cum magnis desiderijs exitum expectarunt à feria secūda in qua obijt, vsque ad vesperam quartæ feriæ; & tām longa expectatione fatigati, cum nihil aliud in eo nisi magnitudinem fœtoris crescentem cernerent, tandem sicut retulit Gumbram, nudum eum proiecerunt, Gumbram tamen filius Elusam dixit, quod lotus, & tribus vestibus indutus sepultus sit. Fuit autem per quatuordecim dies infirmus, & fertur, quod per septem dies morbo pleuritico ægrotavit, amissitque sensum, quem septimo die recuperavit. Et iratus est Haly filius Abitalib eoquod perdiderit sensum. Alia vero septima die mortuus est, & intumuit venter eius, & retrò curvatus est. Quo mortuo omnes ab eo decepti reversi sunt statim vnusquisque ad suam, quam antea tenuerat, sectam, seu idololatriam, præter paucos suæ cognationis, qui expectabant se successuros in regno. Verumtamen successor Machomet omni ingenio, atque astutia illos ad pristinas sectas reversos ad legem Machomet revocavit. Vixit autem sexaginta tribus annis, quorum 23. in sua prophetia expendit. * Hactenus Christianus ille Arabs apud Carthusianum.

Luppus de Obregon cap. vndecimo sui operis contra Mahumetanos Mahumeti mortem in hunc modum narrat: cū Machomēt sexagesimum annum impleviſſet, Mecham recessit, vbi tribus annis, sine vllo bello transactis, extremum diem allaturus morbus illum oppressit sexagesimum tertium annum attingētem, & cum vltimum diem sibi imminere noviſſet, nobiliores duces ad se coegit: illisque commendavit, vt legem ab ipso traditam servarent: additque, vt pro comperto haberent plurimas provincias à se debellandas si placuisset illis, ipsas debellare: & vt eius morti adesſent rogavit, nam adijcebat, tertio die Archangelum Gabrielem

reſtituturum illius corpori animum, & ita ornatum animo, & corpore ſe in Cœlos aſcenſurum, vbi vnicuique eorum ſedem paraturus erat. Quod quidem ab illis facile creditum. Invaluit morbus, inſanieſque Machomet ſeptem diebus elinguis permanſit, eo veſania eius peruenerat vt brachia, manuſque ſuas inſano furore diſcerperet; omnes eius horribiles motus præſentibus metum ingerebant, energumini inſtar frendebat, immaniterque dentibus ſtridebat: intumuit gutur, ſerpetque per totum corpus peſtifer tumor. Die decimaquarta poſtquam decubuerat, vſu linguę ſibi reddito, adſtantibus eius vxore Haja, & nonnullis ex Mauris ferociter vociferans diem extremum clauſit: ita referunt teſtata apud ipſos monumenta Suna, & Alcoranus lib. 3. Azorà 6.

Mortuo vigilias egere Mauri, & præcipui Centuriones, vt eum ſuſcitatum inſpicerent: & trium dierum & horarum exacto numero, cum ne ſigna quidē reſurrectionis viderent, abierunt Mauri, & ipſi quoque ſoceri, cum fœtorem ex corpore exilientem ferre non poſſent: itaque duobus alijs diebus ita deſertus ab omnibus iacuit, donec Haja duobus mancipijs præcipiſſet, vt illum in area ſubdiali ſepellirent. At ſerui, cum præ nimio fœtore efferre corpus non poſſent illud in terram proiecere: ſed gener eius Haly ſervos compulit, vt illud humarent in area ſubdiali, vbi ipſum condiderunt. Pudore ſtatim omnes eius aſſeclæ Mauri ſuffuſi ſunt, cum iam aut mendacium Mahumeti, aut illuſio clare pateſceret. Obijt Machomet feria ſecunda duodecima die meſis (iuxta Mauros) Rabeæ: anno Chriſti 631. *Et ab orbe condito*, 5033 1.

In Regnum eius ſuffectus eſt Vbequar eius ſocer, Hajæ parens. Qui duobus annis elapſis morbo læthali, non violento interit. Huic alter Machometi ſocer ſucceſsit Homar. Hic plures Provincias Imperio ſuo adiunxit, Damaſcum, & magnam partem Ægypti ſubiugavit: Hieroſolimam rebellem ſubegit: qui magis Chriſti, quam Maurorum legibus obſtrictus vixit: quippe qui Chriſtianis Præſbyteris Templa reſtituere præcepit. Iterū denuo Salomonis Templum excitavit diū devaſtatum à Tito, & Veſpaſiano Imperatoribus: plurimos cenſus Templo donavit ad alendos Chriſti Sacerdotes: & poſtquam Chriſtianis Hieroſolimam reddidit Mecham receſsit, vbi mortuus eſt, & ex collo demortui Crux, Chriſtique Imago ſuſpenſa reperta eſt: ea propter infenſus ſemper Mauris eſt, vel extinctus. Illud de Templo Hieroſolimitano ædificato ab Homar habet etiam Baronius ad an. 643. num. 2.

Exempto rebus humanis Homar ad Regiam dignitatem evectus eſt Hozmen gener Machomeri, qui cum in legis Machometanæ obſervatione diviſos Mauros animadverteret; domum Hajæ viduæ pergit tanto malo adhibiturus remedium: qua invita arcam reſeravit, quam Machomet arcam *legationis* appellaverat, in qua reconderat præcipua dogmata, & capita, quæ Mauris tanquā è Cœlo immiſſa legerat, (quæ nec ex theca educere Machomet, nec in vnum ſcripta voluerat congregari, ne ſibi adverſantia ſcripta pateſcerent) ex theca ſchedulas extraxit, & in domum ſuam relatas tranſcribere iuſsit: ex omnibus librum compegit in quatuor partes deſtributū, & ſuis capitibus diſtinctū; ſed hoc fecit abſque vllo ordine; quin quod primum dictum fuerat, primum locum obtineret. Poſuitque ſub eadem capitis inſcriptione res inter ſe longè diverſas, minime capitis titulo congruentes. In quavis ſchedula diverſa carmina legebantur metrum Davidis Pſalmorum imitantia. Singula autem capita appellantur Arabicè *Zuar*, vel *Zohara*, vt loquitur Archiepiſcopus Rodericus in hiſtoria Arabum cap. 6. vel Zorà, vt loquitur Doctor Petrus de Cavalleria, vel Azorà, vt loquitur Cardinalis Cuſſa. Totum autem volumen his capitibus compactum appellatur *Alcoran*, vel *Alcoranus*. Quod teſte Ioanne Andræa perinde eſt, ac *Congregatio Capitulorum*, ſeu Azorararum, vel Congregatio Pſalmorum. Quod etiam affirmat Cardinalis Cuſſanus lib. 1. cap. 1. *Liber legis Arabum* (inquit) *Alcoran* ob præceptorum collectionem, atque *Alfur Kan ob diſcreta capitum ſeparationem nominatur*. Luppus de Obregon, ait: *Alcoran*, idem apud Arabes eſſe, ac revelationem: titulumque libri ſignificare, quidquid in lege Arabū continetur fuiſſe Mahumeto revelatum à Deo per Angelum Gabrielem.

Dicunt autem quidam obſervatores huius libri, (inquit Cuſſanus ibidem) illū aliter in oriente, aliter in Heſperijs partibus diſtingui. Occidentales enim poſt orationem, quæ præmittitur, & mater libri nominatur, aiunt totū librum Azoras, ſeu capita habere 123. Orientales ve-

rò dicunt primam Azoram durare vsque ad *Soretamaran*, quod est quintum caput in libro Hispaniarum. Alcoran vt illo vtebantur in Hispania Mauri, teste Ioanne Andræa constat quatuor libris, quorum primus quinque : secundus duodecimus; tertius novendecim: quartus tandem 175. capita complectitur, ac proinde totum constat 211. capitibus secundū hunc Authorem. At secundum Luppum de Obregon quartus Alcorani liber complectitur 160. capita, ac proinde totum volum constat 196. *Capitibus*. Vt mihi autem narravit Matriti anno 1670. Christianus Arabs, qui sua sponte è Tuneto in Italiam fugit, vt Christianus fieret, & ab Eminentissimo Cardinali D. Paschasio de Aragon inter domesticos admissus est ad obsequia familiaria, Tunetani Alcoranum habent in quatuor libros divisum. Turcę autem Cōstantinopolitani eo vtuntur sine distinctione librorum, vt supra notavi.

Agit autem Alcoranus, inquit Ioannes Andræas, de his, quæ Mauri debent credere, de his, quę debent in alia vita sperare, nimirum de gloria bonis conferenda, & de pœna malis infligenda: de ijs quæ debent agere, & de his quæ vt illicita debent fugere, vel vt licita possunt facere, agit de creatione mundi, de peccato Angelorum, de expulsione primorum parentum è Paradysso: de missione Moysis in Ægyptum, & de miraculis, & prodigijs, quæ ibi operatus est: de Virgine Maria, & Iesu-Christo: alijsque historijs Veteris, & Novi Testamenti, quibus mille fabulas admiscet.

Placuit dictis adijcere quæ scribit in suo Apologetico Sanctus Eulogius Martyr, Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, qui vixit tempore persecutionis Sarracenorum, qui Cordubæ Sedem Regni fixerant, & floruit ad annum 850. & martyr occubuit anno Domini 859. In illo igitur Apologetico exordia Mahumeti describens, inquit: „ Cum esset pupillus factus est cuiusdam „ viduæ subditus. Cūque in negotijs dis„ cutteret, cæpit Christianorum conven„ ticulis quotidie interesse, & vt erat astu„ tior, tenebrę filius cæpit nonnullas col„ lationes Christianorum memoriæ com„ mendare, & inter suos brutos Arabes „ cunctis sapientior esse. Libidinis vero „ suę succensus fomite, cum patrona sua „ iure barbarico in ira congressus est (id „ est illa resistente, & ob iniuriam indig„ nante.) Moxque erroris spiritus in spe„ cie vulturis ei apparens, & os aureum sibi „ ostendens, Angelum Gabrielem esse se „ dixit, & vt Propheta appareret, impe„ ravit.

Cùmque repletus esset tumore superbiæ, cæpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in Cœlis adorarent, insinuavit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & qui, novo fidei zelo, vt adversarios gladio trucidarent, instituit. Occulto quoque Deus iudicio (qui olim per Prophetā „ Habacuc cap. 1. dixerat: Ecce ego sus„ citabo super vos Chaldæos, gentem „ amaram, & velocem, ambulantem su„ per latitudinē terrę, vt possideat taber„ nacula non sua, cuius equi velociores „ lupis vespertinis, & facies eorum, vt „ ventus vrens, ad arguendos fideles, & „ terram in solitudinem redigendam) nocere eos permisit. Primum namque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ovantes, de triumpho victoriæ, glorioſi effecti apud Damascum Syriæ Vrbem Regni principium fundarunt. Psalmos denique idem Pseudo Propheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubiæ momoriam faciens. Araneæ quoque muscęque ad capiendas muscas historiam texuit. Vpupæ præterea, & ranę cantus quosdam composuit: vt fætor vnius ex eius ore eructaret, garrulitas vero alterius in eius labijs non desineret.

Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, sive etiam genitricis D. Mariæ stylo suo digessit. Cumque in tanto vaticinij sui errore duraret vxorē vicini sui nomine Zeidi cōcupivit, & suæ libidini subiugavit. Quod scelus maritus eius sentiens exhorruit, eāque Prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille verò quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotavit, dicens: cumque mulieri illa displicuisset in oculis Zeidi, & eam repudiasset, sociavimus eam Prophetæ nostro in coniugium: quod cęteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatū. Post cuius tanti celeris factum mors animę, & corporis illius simul appropinquavit. At ille interitum sibimet imminere præsentiens, quia propria virtute se resurrecturū nullo modo sciebat, per Angelum Gabrielem qui ei in specie vulturis apparere, vt ipse aiebat, solitus erat, resciscitaturum se tertia die prędixit.

Cum-

Cumque animam inferis tradidiſſet, ſoliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadaver eius cuſtodire iuſſerunt. Quem cum tertia die fœtentem vidiſſent, & reſurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adeſſe dixerunt, quia præſentia ſuorum terrerentur. Invento igitur ſalubri, vt putabant, conſilio privatum cuſtodia cadaver eius reliquerunt: ſtatimque vice Angelica ad eius fœtorem canes ingreſi, latus eius devoravérunt. Quod reperientes factum, reſiduum cadaveris eius humo dederunt; & ob eius vindicandã iniuriã, annis ſingulis canes occidere decreverunt: vt merito cum eo habebant illi participium, qui pro eo dignum meruerunt ſubire martyrium. Digne ei quidem accidit, vt canum ventres tantus, ac talis Propheta repleret, qui non ſolum ſuam, ſed multorum animas inferis tradidiſſet. Multa quidem, & alia ſcelera operatus eſt, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hoc tantum ſcriptum eſt, vt legentes, quantus hic fuerit, agnoſcant. Hactenus Divus Eulogius apud Baronium tom. 8. ad annum Chriſti 630.

His relatis ſubdit Baronius; porrò hæc, & alia plura in deteſtationem ſectæ nefandæ publicis ſcriptis ab eodem Authore vulgata in oculis ipſorum Sarracenorum tunc graſſantium in Hiſpanias liquet: vt planè non contemnenda ea ſint ſcripta, quæ in oprobrium ipſorum Sarracenorum de tali Impoſtore veluti Propheta gloriantium coram ipſis obiecta fuere.

Venerabilis quoque Abbas Petrus Cluniçcenſis, qui D. Bernardo Coætaneus fuit, & floruit ad annum Chriſti 1130. eum viſitaret ſui Ordinis Monaſteria in Hiſpaniæ Regnis, legem & vitam, atque doctrinam Mahumeti de Arabico in Latinum transferri caravit, vt teſtatur Carthuſianus lib. 2. articulo 3. & inter alia ſcribit: Mahumetum paulatim creſcendo, „ contiguoſque inſidijs, rapinis, incurſionibus frequenter infeſtando, quos poterat furtim, quos poterat publice occidendo, terrorem ſui auxiſſe, ac tandem ad Regnum gentis, ſuæ aſpirare cœpiſſe: cumque vniverſis reſiſtentibus, videret hac via non poſſe ſe conſequi, quod ſperabat; Religionis velamine, ac divini Prophetæ nomine Regem fieri attentaſſe: interim coniunctum ei Sergium Monachum Neſtorianum, qui Scripturas Sacras ſecundum Neſtorij intellectum ei exponens Chriſtianum Neſtorianum effecit, atque vt tota iniquitatis plenitudo in Mahumetum conflueret, adiunctos illi fuiſſe Iudæos, qui ne verè Chriſtianus fieret doloſe præcaventes, homini rebus novis inhianti, non Scripturarum veritatem, ſed fabulas ſuas quibus nunc vſque abundant, inſibilarunt: ſicque ab his Doctoribus Iudæis, & Hæreticis inſtructum, Alcoranum ſuum condidiſſe; & tam ex Iudaicis fabulis, quam Hæreticorum figmentis contectam ſcripturam barbaro ſuo modo contexuiſſe; eamque ſibi à Gabriele Angelo per partes allatam; „ mẽtitum gentẽ ignorantẽ læthali hauſtu infeciſſe: tandemque in Regem ab eis, vt concupierat, ſublimatum eſſe; & langueſcente, immò penè deficiente „ Romano Imperio, permittente eo, per quem Reges regnant, Principatum Arabum, ſeu Sarracenorum hac peſte infectorum ſurrexiſſe; vique armata maximas Aſiæ partes cum tota Africa, ac parte Hiſpaniæ paulatim occupando, in ſubiectos ſicut Imperium, ſic & errorem transfudiſſe: denique Mahumetum in virtute gladij ſe miſſum perhibuiſſe: cum enim ipſe legem ſuam prædicans per paucos ſibi attraxiſſet, idcirco, tàm ipſum, quam ſibi adherentes concorditer ſtatuiſſe legem ſuam, vi armorum inferre, quoniam enſis timorem ſæpè pluſquam rationis efficit amor. Hæc ille.

SECTIO TERTIA.

Mores, & inſtituta Mahumetanorum.

VT Chriſti miniſter planè inſtructus notitia morum, & Religionis Maurorum, poſſit illorum converſionem facilius procurare, & avidius deſiderare, vtile mihi viſum eſt hic deſcribere modum, & formam vivendi, quam Turcæ Mahumetani obſervant. Et totum hoc extraxi ex Prologo cuiuſdam Authoris Galli, Conſtantinopoli ad Turcam Regij Chriſtianiſſimi legati, quem Prologum facit ad Alcoranum Gallice ex Arabico ab ipſo verſum: quod volumen mihi oſtendit Excellent. Dominus Comes de Iarandilla & ipſe ex Gallico Idiomate in Hiſpanum verſa dogmata, & mores mihi dedit; & ita ſe habent.

Turcæ in vnum Deum credunt, sed vnam tantum personam Creatorem Cœli, & terræ, bonorum remunetorem, punitoremque malorum, qui Paradysum condidit ad munerandos bonos, infernum ad vltimam, & extremam punitionem delictorum.

firmissime credunt Mahumetum esse maximũ Dei Prophetam à Deo in orbem delegatũ, vt homines viam salutis doceret: illi vero suo idiomate seipsas vocant *Musulmanæ*, quod idem est, ac in Deo resignati, aut salvati.

Credunt Moysis Decalogum, & illũ observare tenentur. Dies veneris illis festus, sicut Dies Dominicus Christianis: & hac die in Templũ conveniunt ad habendum orationes suas, & preces. Tenentur quinquies in die orare, manè, meridie, vesperà, occidente sole, & vna hora post occasum solis.

In mense, aut Luna apud ipsos Ramazam ieiunium servant: & hoc tempore totum Diem ieiuni agunt, nec cibum, nec potũ libant vsque dum sol occidat; tunc vero ex omnibus comedunt, & cibis cunctis, & potatione multiplici se onerant; excepta tamen porcina carne, & vino: quæ res omni tẽpore illis interdictæ sunt. Hoc ieiunio peracto celebrant festũ Magni Bairam, sicut Christiani Pascha celebrant.

Expendunt plurimum in ædificatione Templorũ, & Xenodochiorũ, obligantque pauperibus in elemosynas decimam partem lucri anni precedentis facti, prima die anni elargiri.

Persuadent sibi post lotionem corporis factam dicendo aliquã orationem huius ritus accommodatam, omnem maculã peccatumque animi abstergi: quapropter sæpissime lavantur, & præsertim antequã orationes suas recitent.

Præter circuncisionem alia Sacramenta non habent: dant operã vt filij septimum annum, aut octavum agentes circuncidantur, & hoc statim ac proferre possunt hæc verba: *La illa illa Alha Mehemet Rasulalha: id est: Vnus Deus tantum est: Machomet est eius Propheta, & Apostolus.* Hæc est eorum fidei protestatio. Attamen in toto Alcorano de circuncisione non fit mentio; sed dicunt se illam observare imitantes Abrahamum, cuius legem venerando approbat Machomet.

Credunt Alcoranum missum fuisse à Cœlo per Angelum Gabrielem in diversis temporis intervallis Machometo Mecham, & Medinam habitanti; nam Iudæi, & Christiani sacras litteras, & legem Dei corruperant.

Permittitur illis simul quatuor vxores habere, & tot filios, & ancillas, quot alere possint.

Vxores dimittere vbi placuerit possunt, soluta earum dote, & iterum alias ducere prout illis libuerit: verumtamen fæminę expectare tenentur donec clare constet grosiores factas fuisse, quam ante nuptias.

Mariti tenentur alimenta filijs præstare, & illorum curam agere.

Filij ex ancillis suscepti eius conditionis sunt, ac ex vxoribus suscepti, & omnes legitimi reputantur.

Habent Templa, & Xenodochia longo censu instructa. Habent Religiosorum cœnobia, qui austere, & in exemplum aliorum vivunt: obediunt superioribus suis: ad fistularum, & aliorum musicorum instrumentorum sonitum saliunt, suas preces, & orationes dicunt.

Sunt apud ipsos alij Religiosi per orbem vagantes: hic sæpius nudi vagantur, vtuntur interdum veste Væsanorum illius plagæ: pellem infrustra dilacerant: vt sancti coluntur: stipe collecta vivunt, quæ nunquam illis deficit. Vtrique Religiosi *Drenis* vocantur, & noti sunt ob peculiarem vestem; tamen possunt religionem deserere, & vxorem ducere, vbi libuerit.

Nec credunt Christum esse Filium Dei, nec credunt in Trinitatem. Aiunt Christum esse magnum Prophetam, & natum fuisse ex Virgine Maria illæsa eius virginitate ante, & post partum, conceptumque fuisse inspiratione, aut inflatione Divina sine Patre, sicuti Adamus creatus fuit sine Matre, Christumque non fuisse crucifixum, sed assumptum à Deo in Cœlum, iterumque venturum ad terras ante exitium mundi ad confirmandam legem Machometi: & asserunt Iudæos arbitrantes Christũ crucifigere, crucifixisse alium illi similem.

Preces pro mortuis fundunt: Sanctos suos invocant, quorum longam historiam habent: at Purgatorium esse minime credunt: plurimi illorum sibi persuadent animos, & corpora simul in sepulchris condita iacere vsque ad diem Iudicij.

Mecam, & Medinam Villas Arabiæ maxime venerantur: nam Mecæ Machomet natus est, Medinæ coronã Regni accepit. Frequentes peregrinationes facti-

tant

tant ad has civitates apud ipſos Sanctas: Hieroſolima quoque illis veneratione eſt, nam ibi orti, & commorati ſunt plurimi Prophetæ.

Campanarum vſus apud ipſos non eſt: ad horam orationis in ſummum faſtigium turris aſcendunt Sacerdotes, quę ſemper ad latus Templi porrigitur, hinc elata voce populum ad orationē congregant, præcem aliquam fundendo in hunc finem diſpoſitam. Hucuſque Author Gallus.

Qui plura deſideravit de Mahumetanorum moribus, legat R.P.F. Antonium del Caſtillo Ordinis S. Franciſci in ſuo *Deuoto peregrino, & itinerario terræ Sanctæ* lib. 3. cap. 6. vbi deſcribit vitā eorum, quos Mauri Santones vocant; eamque corā Mahumetanis referre, ſufficit ad confuſionem magnam ipſorum; nemo enim rationis particeps, & in regione polytica educatus, eſt, qui non erubeſcat, & pudore ſuffundatur, cum audit vt Sanctos à Mauris haberi eos, qui talia agunt: & incredibile videretur, niſi à Viro Religioſiſsimo, & teſti oculari eorū, quæ narrat, referrentur. Quid enim abſurdius, quā homines rationis compotes magnę ſęlicitati ſuæ tribuere, quod Santones illi domos eorum ingrediantur, & cū ipſorū vxoribus congrediātur, vel eorū filias corrumpant; & de tanto dedecore gratulationes ab amicis, & à cōcivibus excipere; ſibiq; perſuadere, vxores ſuas, & filias ex hoc pudendo congreſſu ſanctificatas manere? Et tamen ita revera eſt, vt refert Religioſiſsimus author, qui multas Turcarū Civitates peragravit. Cerre Mahumetani in Hiſpania his auditis, ita erubeſcunt, vt dicere cogantur, illa ita non ſe habere; ſed à Chriſtianis confingi in opprobrium Turcarū. Sed hęc hic ſcribere, nec vacat, nec libet: tu apud hunc Authorem lege.

§. I.

Prima Demonſtratio contra Mahumetanos.

HANC Demonſtrationē ex dictis in tota diſputatione circa Chriſti divinitatem, ſic conficio. Evidens eſt Deū exiſtere, & habere providentiā circa hominum ſalutem; neque eos creaſſe ad comedendum, & bibendū, & quærendas delectationes corporeas, ſicut quærūt bruta: ſed ad hoc vt ipſum tanquā Creatorē in hac vita colerent, & ſuper omnia diligerent; & aliquā verā ſęlicitatē in alia vita obtinerent: ergo evidens eſt, Deum tradidiſſe hominibus legē, per cuius obſervationem ipſum colerent, & æternam ſęlicitatē obtinerent. Vnde ſicut evidens eſt, Deū ſemper fuiſſe, ita evidens eſt poſt conditum vniverſum ſemper habuiſſe in mundo aliquam veram Religionem, & legem in qua homines ſalvari poſſent: cum enim evidens ſit, in omni tēpore vere procuraſſe hominū ſalutem, evidens quoque eſt, omni tēpore providiſſe hominibus legem, & Religionē, per cuius obſervationem tenderent infœlicitatem vltimam, ad quam ſunt creati, nec enim Deus ſeriò poteſt deſiderare, vt homines perveniant ad terminum, niſi præſtituendo viam, per quam ambulando, pervenire poſsint ad ipſum: nec poteſt ſerio procurare finē, quin provideat medium neceſſariū ad eius conſecutionem.

Manifeſtum Deinde eſt, ante adventū Mahumeti non fuiſſe legem à Mahumeto promulgatā: ergo cum manifeſtū quoque ſit ſexcentos annos ante adventum Mahumeti fidē Chriſti fuiſſe per totum orbem promulgatam: vel dicendū eſt, illis ſexcentis annis nullum hominē ſalutem ęternam obtinuiſſe, immo nec obtinere potuiſſe; vel dicendum eſt, illā obtinuiſſe, vel obtinere potuiſſe fidem Chriſti amplectendo, & eius legem Evangelicam obſervando.

Probatur aſſumptū, quia ſi nulla erat tunc in mundo vera fides, veraq; Religio à Deo data, nullus tūc ſalvabatur; quia ſine vera fide impoſsibile eſt placere Deo, & ſine obſervatione legis à Deo proveniētis, impoſsibile eſt verā ſęlicitatē, vltimūque finē conſequi: vnde tunc Deus creaſſet homines dumtaxat ad comedendū, & bibendū in hac vita, ſicut beſtias, quod eſt per ſe falſum, & Deo indignū. Si autē erat tunc aliqua vera fides, veraque Religio, nulla alia eſſe poterat, quàm Chriſtiana. Nam ante adventum Mahumeti, ſolum erant in mundo tres Religiones, leges, vel fides: nēpe Religio, & fides Gentilium, qui idola colebāt: Religio, & fides Iudęorū, qui Meſſiā expectabant, & fides & Religio Chriſtiana, qui Deū Vnum, & Trinū colebat, & Chriſtum tanquā verū Deum, & hominem adorabat; ex ijs autē tribus fides gentilium erat manifeſtus error; nam Mahumetus ipſe in Alcorano ſæpè dicit ſe eſſe Prophetā à Deo miſſum ad exterminandā idololatriā. Fides autē Iudęorū erat etiam poſt adventū Chriſti omnino vana, & inutilis ad ſalutē. Nam Mahumetus in Alcorano ſępè repetit Chriſtum eſſe Meſsiam in lege, & Prophetis promiſſum, & fuiſſe inſignem Prophetam Virumque ſanctiſsimum: Iudæi verò illum vt Impoſtorem, & blaſphemum execrabantur, ad proinde erant certè extra viam ſalutis,

quia vel dicendum est, nullum hominem illis sexcentis annis fuisse salvatum, vel dicendum est solum in Religione Christiana fuisse salutē: cum ergo primū sit manifestè absurdum, & Deo indignū, debet necessario dici secundū: ergo tunc Religio Christiana erat apta ad salutem: ergo erat vera. Patet conseq quia lex falsa non est à Deo, neque descendit de Cęlo; lex autē quæ nō est à Deo, neque è Cælo descendit, non potest ad Deū ducere, neque ad Cęlū evehere. Vnde evidens est, fidem, in qua homines salvantur, esse veram, & esse à Deo. Ergo vera erāt dogmata, quę lex Christiana tunc profitebatur; nempe Deū esse Trinum, & vnum, & Christum esse hominē, & Deū simul. Nam si hæc dogmata essent falsa, fides ipsa Christiana falsa, & erronea erat, ac proinde non esset à Deo, sed à Diabolo, neque ad Cœlum duceret, sed ad infernum.

Quod si illis sexcentis annis verū erat Deum esse Trinum, & Vnum, & Christū esse Deum, & hominē, evidens quoque est, Deum post adventum Mahumeti esse Trinum, & Vnū, & Christum esse Deum, & hominē: ergo Alcoran° differte hoc negās, non est lex vera, sed manifestè erronea, neque Deū habet Authorē, sed Diabolū; & Mahumetus non fuit Propheta, sed Impostor, & Deceptor. Sequela est evidens: quia cum Deū esse Trinum non sit accidens, sed substantia, si Deus aliquando fuit Trinus, semper necessario est Trinus, & cū propositio aliquid affirmans de præterito, si semel vera est, semper permaneat vera; sanè si illis sexcentis annis verū erat affirmare Deum factū fuisse hominē; sanè id etiam modo verū est, semperque erit verū. Et cum Christus, qui tunc existebat in Cęlo, idem sit, qui modo existit ibidem, sanè si tunc erat Deus, etiam modo est Deus.

Hoc argumentum primum Deus mihi suggessit, cum in Vrbe malaga è nostro Collegio tenderē ad Teatrū Comędiarū ad concionandū Mahumetanis: hic enim locus consulto electus fuerat ad eas conciones habendas; in eumque confluebat tota civitatis nobilitas, tàm Ecclesiastica, quàm secularis. Venerat ad concionē invitus quidam Mahumetanus cum sua vxore, & timens, ne illa peteret Baptismum, mortem minatus est, & dum me concionantem audiebat, oculis torvis minas repetebat. Sed cum hanc demonstrationē audivit, divina gratia repente illuminatus, & filium parvulum, quem inter brachia complectabar, dimittens, à sede prosiliit, & in tabulatum ascendit, alta voce Baptismum petens, cū ingenti Christianorū plausu, & maximā vxoris mætitia. Posteaque seipsum explicans dicebat: tres dumtaxat sunt domus: nempe domus Moysis, domus Christi, & domus Mahumeti: domus Moysis aliquando fuit domus Dei, sed postquam Christus venit, iam domus illa corruit, & iam non est domus Dei: domus Christi est planè domus Dei: domus autem Mahumeti postea supervens nequit esse domus Dei; quia est domus contraria domui Christi; & Deus nequit sibi ipsi contrarius esse. Et hūç alioſque triginta duos infideles ad veram Christi fidē conversos, sacrisque mysterijs imbutos die Evangelistæ Ioanni Sacra è Collegij nostri Ecclesia in Cathedralē ingenti comitatu ductos sacro fonte lustravit Illust. ac RR. D. D. Ildephonsus à S. Thoma è Sacro Prædicatorū Ordine, Episcop. Malacensis, quem dum memoro, gratū denuo animū pulsat effusissima illa humanitas, qua tenuitatem nostrā excepit, & de victu, vestituque indulgentissima nobis largitate provident. Quę cum mēte nequaquam exciderint, nec calamū subterfugere potuerunt, quin eorum rursus memoriam iucundissime refricaret, figeretque monumentum nostræ adversus tantū Virū observantissimæ gratitudinis.

§. II.
Secunda demonstratio.

ALIA deinde conficitur ratio ex dictis in tota disputatione, qua falsitatis convincatur Mahumetana secta: nā cū vnus sit Deus, vna tantū debet esse vera fides, veraq; Religio, in qua homines salventur; & omnes sectæ oppositæ veræ Religioni debēt esse falsę. Ergo cum Deus velit omnes homines salvos fieri, vult omnes homines venire ad profitendam veram fidē, veramque Religionē amplecti. Ergo vera Religio, veraque fides debet habere signa, & notas quibus possit ab omnibus dignosci; & ideo dicitur Deus posuisse in sole Tabernaculum suum, quia nimirum veram Religionem, veram Ecclesiam, in qua homines salvari possint, ita conspicuā reddit, vt possit ab omnibus videri, si illā verè quærant. Vnde P. Valentia 22. disp. 1. q. 1. punct. 7. omniū Theologorū nomine sic sapienter pronuntiat: *Ab ortodoxis Doctoribus secundū certissima, & clarissima sanctitæ scripturæ testimonia Ecclesia visibilis dicitur, id est, sic in luce hominum, & in conspectu posita, vt quouis sæculo evidenter internosci, & quasi digito demonstrari queat congregatio illa, quā Ecclesiā verā determinatè*

cre-

credere poſsis, ac debeas. Quare de vera Religione, veraque Dei Eccleſia, intra quam poſſunt homines ſalvari debet verificari illud quod dicitur ſap. 6. *Clara eſt ſapientia, & quæ nunquam marceſcit, & facile videtur ab iis, qui quærunt eam.* Debet ergo vera Religio, veraque Dei Eccleſia habere argumẽta evidentia credibilitatis, ſeu argumenta, quibus poſsint homines induci, & obligari ad credẽdum illam eſſe verã Religionẽ, & à Deo datã. Si enim hæc argumenta non haberet, non eſſet civitas ſupra montẽ poſita, nec eſſet Tabernaculũ Dei in ſole, id eſt in clara luce poſitũ: nec daretur obligatio illã ſuſcipiendi, nec homines poſſent dignoſcere, illã potius quã ſectã ipſi oppoſitã eſſe verã, vt eã amplecterentur, quod planè eſt abſurdũ, & impoſsibile: implicat enim Deũ velle, vt homines amplectantur verã Religionẽ, & non dare illis media, quibus dignoſcere poſsint, quẽnã ſit vera Religio, ſeu quẽnã ſit à Deo. Ex hoc principio deducitur Mahumetanã ſectam probibentẽ diſputationes in materia Religionis, & præcipientẽ, ne ratione perſuadeantur homines illam amplecti, ſed gladio, & vi cogantur, non eſſe legẽ à Deo latã; & Mahumetanos temere illã profiteri. Nam vel habent rationes, & fundamẽta, quibus ſibi perſuadeant, & alijs perſuadere poſſent, Mahumetanã profeſsionem Deum habere Authorẽ: vel non. Si non habent: ergo temere illam amplectuntur, nam magna eſt temeritas aliquã Religionẽ, ſeu profeſsionẽ vt divinã, & à Deo datam amplecti, quin procedat prudens fundamentũ, quo inducatis ad credendum, illam eſſe à Deo, & poſsis alios inducere. Si habet: ergo iniuſtè prohibet ea fundamẽta proferri. Sanè qui habet numũ aureum non adulterinũ, ſed legitimũ, & iuſti ponderis, illius examen non metuit, nec oculos refugit aurificis, qui explorandis ponderibus præfectus eſt. Si ergo Mahumetana Religio examen ſapientium timet, & prohibet examinare, an à Deo fuerit data, non eſt lex à Deo data, ſed à Pſeudo Propheta doloſe compoſita ad ſubiungandos populos, & illos in propriam ditionem trahendos. Aſtutè prohibuit hic impoſtor ſuis, etiã ſapientiſsimis, & in Alcorano peritiſsimis, cum Chriſtianis, vel Iudeis diſputare de veritate ſuæ ſectæ, quia probè noverat, illius falſitatem vi diſputationis manifeſtè detegendam: nec poſſe vi prædicationis perſuaderi Mahumetum fuiſſe verum Dei Prophetam, ab ipſo miſſum ad promulgandam novam legem; cum nec vitę ſanctitas, & morum probitas, nec Prophetiæ, nec miracula illi teſtimonium perhiberent. Non vitæ ſanctitas, cum fuerit Mahumetus luxurioſsimus, adulter, & periurus, & ſceleratiſsimus regnorum depredator, non prophetiæ; cum in lege veteri, nec in Chriſti Evangelio fuerit promiſſus; licet in Apocalypſi fuerit ſub nomine Anti Chriſti adumbratus: nec vllum miraculum fecerit ad probandum, ſe fuiſſe à Deo miſſum. Quamvis enim in Alcorano aliqua miracula à ſe patrata narret, ea tamen narrat, quæ à nullo viſa ſunt, ne poſſet palam de falſitate redargui.

§. III.

Tertia demonſtratio.

CARDINALIS Bellarminus tom. 1. controverſiarum lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 11. inter notas veræ Eccleſiæ Dei ponit ſanctitatem doctrinæ, quæ in eo conſiſtit, quod nihil contineat falſum, quoad fidei doctrinam: nihil iniuſtum, quoad doctrinam morum: vnde in Pſalm. 18. appellatur, *Lex Domini immaculata, teſtimonium fidele, præceptum Domini lucidum.* Aitque ex hac nota evidenter oſtendi nullam eſſe veram Eccleſiam, niſi noſtram, nempe Eccleſiam Chriſtianam Catholicam Romanam: Nulla eſt enim (inquit) ſecta, vel Paganorum, vel Philoſophorum, vel Iudæorum, vel Turcarum, vel Hereticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectę rationi manifeſtè contrarios. Et enumeratis erroribus Paganorum, & Philoſophorum, ſubiungit: de Mahumetanis idem patet ex Alcorano: nam capite ſecundo docet, omnes ſalvari in ſuis legibus, ſi eas ſervent, Iudæos, Chriſtianos, Turcas; cap. 5. 28. 47. & 48. & alibi paſsim docet, beatitudinem futuræ vitæ conſiſtere in cibo, & potu, & vxorum multitudine: nec vnquam in toto Alcorano mentio fit actionum ſpiritualium, viſionis, vel amoris Dei: & capite quadrageſimo tertio, dicit Deum, & Angelos orare pro Mahumeto. Hic adverto Alcoranum apud Turcas haberi ſine diſtinctione partium, vel librorum, vt conſtat ex Alcorano, quem in linguam Gallicam tranſtulit Legatus Regis Chriſtianiſsimi Conſtantinopoli degens, quem è Gallico in Hiſpanicum idioma convertit excellent. Comes de Oropeſa an. 1672. vt

Missionarijs vsus esse posset, & ego codices manuscriptos vidi, & in illis notavi apponi titulos capitum non experimentes, quæ in capitibus continerentur; & seriem capitum continuari ab initio vsque ad finem sine distinctione librorum. Nam caput primum incribitur, *De boue, seu iuuenca: secundum de stirpe Ioachim: 3. de Mulieribus*, & sic de alijs.

At apud Mahumetanos, qui olim Hispaniam occupatunt, Alcoranus legebatur cũ distinctione librorum, totusque Alcoranus dividebatur in quatuor libros; quorum primus quinque capita habebat: secundus duodecim: tertius novemdecim: quartus, centum, & septuaginta quinque; atque adeò integrum Alcorani volumen continebat vndecim supra ducenta capita. Ita tamen libri illi sunt dispositi, vt primus tantam molem faciat, ac secundus: secundus vero tantam, quantam tertius, & quartus. Hoc constat ex Mossem Ioanne Andrea prius Mohumetano, qui in Prologo sui libri testatur, Alcoranum in quatuor dividi libros, & idem testatur Luppus de Obregon supracitatus. Hæc adnotare libuit, quia magna est varietas in citandis Alcorani capitibus, seu *Zoris*, & Cardinalis Bellarminus Alcoranum citat secundum quod eo vtuntur Turcæ sine distinctione librorum: fidelissima tamen est eius citatio. Nam Ioannes Andreas refert Alcoranum lib. 1. cap. 2. asserentem, *Euangelia Iesu Christi, & Pentateuchum Moysis à Deo esse data hominibus, & in Cœlum ducere eos, qui doctrinam eam obseruant.* Idemque dicit de suo Alcorano, & cap. 4. iterum ait, *Toram Moysis, id est Pentateuchum, & Euangelium Iesu Christi esse legem, & viam salutis*; Idemque testatur S. Petrus Paschasius in suo tractatu contra Mahumetanos (cuius supra §. 1. mentionem fecimus,) pag. 30. num. 26. vbi hæc habet: „ Multis in locis Mahumetus in Alcorano „ affirmat, Christianos optimam habere, „ & colere legem, esseque in statu salvationis, vnde sic ait: Certum est quod illi, qui in Deum credidere, & Iudæorũ „ legẽ custodierint, & sapientes, & Christiani, qui in Deum crediderint, & vltimum esse diem confessi fuerint, benèque „ fecerint, & operati fuerint, mercedem „ à Deo, & præmiũ accipient; error non „ erit super illos, neque formido, dolore, „ que carebunt.

Hinc evidens conficitur ratio ad convincendum Alcoranum non descendisse de Cœlo, neque eius doctrinam esse à Deo traditam. Nam evidens est doctrinam falsam non habere Deum Authorem, & evidens est esse falsam hanc doctrinam, quæ asserit vtramque legem, tam Christianam, quam Mahumetanam, esse aptã, vt in ea homines salventur. Nam evidens est ex duabus doctrinis contradictoriè oppositis non posse esse vtranque veram, sed alteram necessario esse falsam: at doctrina Evangelij, & doctrina Alcorani sunt cõtradictoriè oppositæ, quod attinet ad mysteria fidei, nam Evangelium docet Deum habere tres personas realiter inter se distinctas, Alcoranus hoc negat, vnam dũtaxat personam in Deo constituens: Evangelium docet, Christum Dominum esse Deum, & hominem: Alcoranus hoc negat, assetens esse purum hominem: ergo vel est falsa doctrina Evangeli, vel doctrina Alcorani: ergo non est vtraque à Deo: ergo Alcoranus affirmans, esse vtramque doctrinam à Deo, & vtramque de Cœlo descendisse, mentitur, & manifestum continet errorem. Ergo lex in Alcorano contenta non descendit de Cœlo: ergo lex illa nequit in Cœlum ducere suos obseruatores: nam lex, quæ de Cœlo non descendit, in Cœlum ducere nequit: ergo manifestè mentitus est Mahumetus, dum dixit Christianum salvari in sua lege, si illam obseruet, nimirum credendo, quæ præcipit credi, & opere exequendo, quę præcipit fieri: & simul salvari Mahumetanum in sua lege, si illam obseruet. Nam si vterque obseruet suam legem, vterque credit, quod lex vt articulum fidei proponit: & cum leges istæ articulos ex diametro oppositos proponant: vel Christianus, vel Mahumetanus credit aliquid falsum, ac proinde falsam habet fidem. Qui autem falsam habet fidem, in ea salvari non potest: quia falsa fides, non est fidei divina, siquidem fides est credere Deo loquenti: sine fide autem impossibile est placere Deo: est enim fides salutis fundamentum, & impossibile est vt sine fundamento consistat salvationis ædificiũ.

§. IV.

Quarta Demonstratio.

HINC manifestè convincitur, Mahumetanos ex ipsa doctrina Alcorani compelli ad detestendum Mahumetismum, & amplectendam Domini nostri Iesu Christi fidem. Sic enim arguo: Alcoranus vester, vestraque lex

Pe-

palam fatetur poſſe homines in Chriſtiana profeſsione ſalvari : ècontra vero omnes Chriſtiani vt infallibilem fidei articulum credimus, extra Chriſti Eccleſiam homines ſalvari non poſſe: quia ſicut vnus dumtaxat eſt Deus, ita vnica dumtaxat in mundo debet eſſe Religio vera, in qua homines ſumam ſalutem operari poſsint: reliquæ autem ſectæ, & profeſsiones illi contrariæ, neceſſario ſunt falſæ, quia quod veritati oponitur, falſitatē continet. Hanc autem Religionem vnicam dicimus eſſe Religionem Chriſtianam; quia hanc eſſe à Deo evidentia convincunt argumenta; vt patet ex tota hac diſputatione. Vos probè noſtis Deum habere in mundo aliquā Religionem, ſeu profeſsionem, vel fidem, in qua homines ſalvari poſsint. Probè itē noſtis legem Moſaycam poſt adventum Chriſti iam non eſſe vtilem ad ſalutem; quia vt articulum fidei in Alcorano habetis, Chriſtum eſſe Meſsiam in lege promiſſum; Perfidi autem Hebræi, qui modo legem Moyſis obſervant, hoc negant, & Meſsiam adhuc axpectant: illi ergo meridiana in luce calligant, & omnes infallibiliter peribunt, niſi Chriſtum agnoſcant eſſe verum Meſsiam; vt ipſis palam dixit ipſe Chriſtus: *Si non crediderittis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Ioannis 8. 24. Rurſus etiam noſtis profeſsionem Gētilium, qui verum Deum non agnoſcunt, eſſe certiſsimam ad æternam perditionem viam. Ergo palam fatemini, ad ſalutem æternam obtinendam neceſſarium eſſe, vel Religionem Chriſtianam, vel Mahumetanam profiteri. Inde vero ego evidēter concludo, vos eſſe ſtultos, & imprudētes, ſi Religionem Chriſtianam non amplectamini: quia ſtultum eſt, ex duabus vijs, quæ in opinione hominum ducunt ad aliquem terminum, illam deſerere, de qua apud omnes convenit eſſe rectam, & ad terminum ducere; & illam carpare, de qua dubium eſt, an ducat ad illum terminum, an ad ingens præcipium. De Religione Mahumetana vos ſoli, ò Mahumetani, dicitis eſſe viam rectam ad æternam ſalutem. Nos vero Chriſtiani omnes vt fidei articulum credimus oppoſitum, & certiſsimum iudicamus illam non eſſe ſemitam ad cœleſtem Hieruſalem, ſed viam latam ad infernalem Babyloniam: neque ad optatum terminum ducere, ſed ad inferni præcipitium. De Religione Chriſtiana, & vos, & nos cenſemus eſſe rectam viam ad ſalutem. Ergo Religio Chriſtiana eſt via certa ad ſalutem: Religio vero Mahumetana eſt via ſaltem dubia. Quis autem non videat, ſtultiſsimum eſſe, quando de ſummo omnium negotio agitur, viam certam dimittere, per quam certiſsimè poſſumus ad ſalutis portum pervenire; & viam carpere dubiam, quæ forſam pro portu ducit ad naufragium æternæ damnationis.

Vt Barbari Mahumetani vim huius rationis penetrent, eis exponenda eſt aliquo ſimili. Huc adeſto Haly, Amete, vel ſi aliud tibi nomen eſt. Si tua maxime ins tereſſet Matritum pervenire, & ignorans viam, dubius hæreres in bivio. anceps, an tibi pergendum eſſet per ſemitam, quæ eſt à dextris: an per illam quæ eſt à ſiniſtris, & tunc caſus duo viri graves tibi occurrerent, ab eiſque ſciſcitareris. quænam ex illis vijs duceret Matritum? Et alter tibi diceret; amice, hanc quæ adextris eſt elige, quia illam calcans certiſsime Matritum pervenies; ſi autem ſiniſtram elegeris, longè aberrabis, & præcipitium atque mortem invenies, alter vero tibi diceret, Amice, vtraque via, tam dextera, quam ſiniſtra Matritum ducit; ſiniſtra tamen planior, & facilior eſt: elige quam malueris. Quid tunc, quæſo, faceres? Abſq; dubio, inquies, dexteram eligerem: quia illa ex confeſsione, & conſenſione vtriuſque eſt certa, & ſecura; ſiniſtra vero foret dubia, & illi me committens, præſentiſsimo periculo me exponerem errandi, & operam perdendi, immò & vitam. Recte reſpondiſti: ſed nunc ex ore tuo te iudico. Via Chriſtianorum eſt via certiſsima ad ſalutem; quia tam Chriſtiani, quam Mahumetani credunt, eum qui per illam incedit, perventurum ad Cœleſtem patriam. Via autem Mahumetanorum ſaltem eſt dubia: quia Chriſtiani omnes credimus certiſsime ducere ad infernum: & ſoli Mahumetani creditis ducere ad Cœlum. Tene ergo certum, & dimitte incertum, & noli te exponere manifeſto periculo amittendi ſalvationem, & incidendi in æternam damnationem. Hoc argumento multi Mahumetani victi ſunt ad abiurandum Mahumetiſmum.

Simili argumento permotus eſt inclytus ille Galliarū Rex, & ſtrenuus Dux Henricus Quartus, vt Hæreſim Calviniam abiuraret, & fidem Romanam amplecteretur. Quæſivit enim à Magiſtris Religionis reformatæ, an in Eccleſia Romana eſſet ſalus? Et anuerunt. Quæſivit à Magiſtris Pariſienſis Academiæ, qui omnes erant Romanæ Eccleſiæ filij, an in Eccle-

Ecclesia reformata esset salus? Et omnes constantissime responderunt, certissimum esse, neminem posse extra navim D. Petri, seu extra fidem Ecclesiæ Romanæ, naufragium æternæ damnationis effugere. Tunc prudentissimus Princeps concluſit: ergo salus est certa in Ecclesia Romana; siquis firmiter credat, quæ credenda proponit, & opere exequatur quæ facienda præcipit: in Ecclesia autem reformata, est dubia, quamvis quis, & credat, & operetur secundum eius præscriptum. Relinquamus ergo viam dubiam, & arripiamus certam.

§. V.

Quinta demonstratio.

MAHVMETANI credunt Christum Dominum esse Messiam in lege antiqua promissum, esse Prophetam Sanctissimum; nam vt inquit Sanctus Petrus Paschasius pag. 65. num. 83. *Mahumetus dixit, ac in suo Alcorano scribi fecit: quod Iesus-Christus Verbum fuit Dei, & Spiritus Dei.* Et vt testatur Ioan. Andræas in sua confutatione sectę Mahumetanæ, quam per tot annos professus est, cap. 11. Alcoranus lib. 1. cap. 3. vocat Iesum-Christum, *Quali metu Allah, id est Verbum Dei.* Item vocat illum, *Spiritum Sanctum Dei*, & in eodem capite inquit: „Non est aliud Messias Iesus-Christus „Filius Mariæ, nisi Verbum Dei missum „Mariæ, & Spiritus illius Dei, & nuntius ipsius. Et in eodem lib. cap. 2. dicit Alco„ranus: Iesum-Christū cum corpore, & „anima ad Cœlos ascendisse. Et libro 1. Alcorani capite 1. inquit: Nos Deus „dedimus Evangelia Iesu-Christo Filio „Mariæ, & adiuvimus eum Spiritu Sancto. Id testatur quoque Luppus de Obregon supraciratus, & liber *Zunæ*, seu *Sunæ*, qui magnæ est authoritati apud Mahumetanos, & continet dicta, & facta Mahumeti, affirmat, *Iesum Christum venturum, vt Iudicem verum ad iudicandum hunc mundum.*

Hoc supposito, sic argumentor: Christus Dominus fuit per vos Messias in lege promissus, ac proinde *Doctor iustitiæ, & veritatis*, vt eum Hieremias cap. 23. appellat. Ipseque Mahumetus in Alcorano Zorà 44. quæ intitulatur Zorà Mariæ, vocat Dominum Iesum Verbum veritatis, vt testatur Doctor Petrus de Cavalleria in zelo Christi. Fuit Propheta Sanctissimus, & à Deo missus, qui veritatem suæ doctrinæ innumeris confirmavit miraculis: ergo vera est doctrina quam prædicavit. Atqui ipse dixit se esse verū, & naturalem Dei Filium, verumque Deū, vt constat ex dictis in tota disputatione præcedenti, & dixit in Deo esse tres personas: ergo vera est hęc doctrina: ergo falsa est doctrina Alcorani, illi ex diametro opposita. Rursus Christus dixit: *Hæc est vita æterna; vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum-Christum*, id est, hac sola via obtinenda est vita æterna, fide divinitatis, & mysterij Incaenationis, vt explicavimus disp. præced. sect. 2. Ergo nemo potest salutem æternam consequi, nisi cognoscat Iesum-Christum esse verū Dei Filium. Vlterius, ergo nemo potest salutē æternam consequi, nisi Baptismum Christi suscipiat: nam ipse Christus dixit Ioan. 35. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Quod si Mahumetani responderint, hæc Christum non dixisse, sed eius Discipulos hæc falso scripsisse, & mundo prędicasse: contra manifestè est: quia vel id malitiosè fecerunt, & scientes illum fuisse purum hominem, mundum deceperunt, prædicantes esse verum Deum, & falso testificantes de seipso hoc affirmasse Iesum-Christum. Vel hoc fecerunt ex ignorantia, & quia non benè perceperunt Christi verba. Primum dicere, non possunt Mahumetani, qui credunt cū Alcorano, Apostolos Viros fuisse Sanctissimos, vt testatur S. Petrus Paschasius pag. 19. suorum operum num. 17. & testatur Ioannes Andræas in sua confutatione sectæ Mahumetanæ cap. 11. vbi ait, Alcoranū lib. 1. cap. 2. lib. 3. cap. 18. multa referre miracula Apostolorum, eosque vocare *Haguariyn*, id est mundos, & Sanctos, auri, & argenti contemptores. Deinde penitus incredibile est Apostolos malitiosè prædicasse vt Filium Dei Magistrum suum, si scirent hoc esse falsum, & nunquam ab ipso assertum: quia hoc ipso sine vllo lucro, vel emolumento tēporali enorme committerent crimen, dignumque damnatione ęterna; stulteque desudarent in persuadēdo tam insigni mendacio, quod Iudæis apparebat scandalum, Gentibus vero stultitia, nempe hominē crucifixum esse verum Deū. Multoque facilius potuissent mundo persuadere veritatem, nimirū Iesum Nazarenum esse Messiam promissum in lege, insignemque Sanctum, & iniustè fuisse à Iudæis occisum, quā verum fuis-

fuiſſe, & eſſe purum hominem; ſi ſcirent, hanc eſſe veritatem; & mendacium eſſe quod Chriſtus ſit Deus: ſtultè ergo tã inſigne mẽdaciũ prædicarent. Fruſtraq; tot peregrinationes, & labores aggrederẽtur. Quid enim ex hoc lucrarẽtur? Sane nihil aliud quã perſecutiones & torméta, ipſamque mortem in hac vita, & æternam damnationem in alia: ergo incredibile eſt, Apoſtolos tanta cõſtantia prædicaſſe Chriſti Divinitatem, ſi ſcirent, hoc eſſe falſum, & voluiſſe tantum imponere crimen ſuo Magiſtro, ſi ſcirent, Chriſtum nunquam dixiſſe ſe eſſe Filium Dei. Ergo certum eſt, hæc non prædicaſſe, vel ſcripſiſſe malitioſè. Deinde dici non poteſt, hoc ignorãter feciſſe, quia Evangeliſta Ioannes diſſerte narrat, Chriſtum dixiſſe, ſe eſſe Filium naturalem Dei, & propterea Iudæos contra eum lapides ſuſtuliſſe, & ideo illũ crucifixiſſe, quia hoc de ſe dicebat: ſi autem hoc de ſe Chriſtus non dixit, non ignoranter, ſed malitioſè Evãgeliſta ſcripſit. Deinde incredibile eſt, Deum permiſiſſe, vt Apoſtoli per ignorantiam totum mundum deciperent, & quod miraculis veris falſam fidem invexerint.

Quod vlterius vrgetur, quia ſi Apoſtoli mundum deceperunt, falſa fuit fides, qua ante Mahumetum mundus credidit Chriſtum eſſe verum Deum: ergo nullus mortalium in illis ſexcentis annis ante adventum Mahumeti ſalvationem obtinuit: quia nec illam obtinuerunt, qui Moyſis legem illis ſexcentis annis obſervarunt, quia poſt adventum Meſiæ iam lex Moſſaica abrogata eſt, & qui illam profitentur, non habent veram fidem, ſiquidem credunt Meſiam nondum veniſſe: nec item Gentiles, vt patet. Nec Chriſtiani, quia falſam habuerunt fidem, credentes eſſe verum Deum Ieſum Chriſtum, ſi verus Deus non eſt: falſa autem fides nequit eſſe fundamẽtum ſalutis, quia ſine vera fide impoſsibile eſt placere Deo. Eſt autem evidenter falſum mundum caruiſſe vera fide ſexcẽtis annis, & nullum hominẽ ſalutem tunc obtinuiſſe. Deinde ſi Chriſtus non eſt Deus, nec vnquam de ſeipſo hoc affirmavit: ergo fuit planè mentitus, *cum dixit* Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*: prævaluiſſent enim, ſi Apoſtoli falſam fidem in mundum invexere, nam Eccleſia vera nequit eſſe fundata ſupra fidem falſum.

Quod ſi Mahumetani reſpondeant (vt reſpondere ſolent, ne palàm convincãtur) Apoſtolos quidem ſincere, & iuxta veritatem ſcripſiſſe Evangelia; Chriſtianos tamen poſtea adulteraſſe, & corrupiſſe illa, addentes ea, quæ de Chriſti Divinitate, & Trinitate perſonarum habentur in Evangelijs, & Apoſtolorum libris: poſtea latè hoc deliramentum impugnabimus, manifeſtè demonſtrantes, non alia eſſe Evangelia, quæ modo habet Eccleſia, quã illa, quæ Apoſtoli ſcripſerunt, & pura, & incorrupta exiſtere.

§. VI.

Sexta demonſtratio. Vbi referuntur mirabiles conuerſiones Maurorum in hora mortis.

ARGVMENTOR Sexto; quia illa eſt vera Fides, veraque Religio, quã homines in periculo mortis conſtituti poſt ſinceram orationem ad Dum fuſam, vt eos viam veritatis doceat, ad moriendum eligunt ſuâ ſpõte, & quam ab alijs cogantur: illa falſa, quam homines ob lucrum, vel commodum temporale, vel ob conſuetudinem maiorum eligunt ad vivẽdum, & à quâ in hora mortis tem attentè conſiderantes recedunt. Cum enim Deus ſit ſummè bonus & miſericors, *& velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire*, vt ait Apoſtolus 1. ad Thim. 2. v. 4. credi non poteſt de tanta pietate, quod hominem, qui benè moraliter in vita ſe geſsit, & honeſtè vixit, & in morte ad eum fidenter erat, vt viam veritatis ipſe apperiat, in morte deſerat, & permittat, vt Diabolus contra illum prævaleat, & in falſa ſecta finiat vitam, & damnetur. At quotidiana experientia diſcimus multos Mahumetanos, qui moraliter bene vixerũt in ſua ſecta, in illaque per multos annos perſeverarunt, quia eam quaſi iure hæreditario à parentibus, avis, & proavis acceperant; poſtea vel ante mortem, vel in mortis articulo poſt preces Deo fuſas ad inveniendam ſalutis viam, ſectam illam deſeruiſſe, & Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe, vnicè ob deſiderium æternæ ſalutis, & quin ad vllum temporale emolumẽtum vel lucrum intenti eſſent. E contra vero à ſæculo nõ eſt auditum, quod aliquis legem Chriſti fideliter ſervaverit, & vitam bonam, & honeſtam ſecutus ſit, & quod iſte ſua ſponte dũ morti propinquus eſt, Chriſtianam Religionem deſerat, & in ſecta Mahumeti velit mori. Ergo manifeſtum ſignum eſt, Religionem Chriſtianam eſſe ſan-

ſanctam, & Deum habere Authorem, & eſſe rectam & ſecuram ad Cœlum viam eis, qui Chriſtiana præcepta obſervant. Et è contra Mahumetanam ſectam non eſſe ſanctam, nec Deum habere Authorem, neque ad Cœlum, ſed ad infernum ducere eos, qui illam obſervant. In Africa & alijs regionibus à Mahumetanis occupatis ſæpè contingit, vt Chriſtiani captivi à fide deficientes Mahumetanam ſectam profiteantur; id verò ideò evenit, quia gravibus peccatis irretiti, & à Diabolo in captivitatem redacti, facile à corruptione morum ad infidelitatem tranſeunt; abyſus enim abyſum invocat, & peccatū, quod per pœnitentiam non deletur, in nova trahit peccata, hæc verò multiplicata, mentem obcæcant, & animam diſponunt, vt radicem omnis ſanctitatis, nempe fidem, amittat. Cum enim peccata fidem quaſi captivam teneant, nec ſinant vt in opera ſancta prodeat, Deum provocant, vt permittat, illam radicem è corde avelli à Diabolo. Sic multi propter nimiam avaritiam, & cupiditatem rerum temporalium erraverunt à fide, vt docet Apoſtolus 1. ad Thimot. 6. v. 10. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide.* Et ideo Apoſtolus Petrus Epiſt. 1. cap. 2. v. 6. teſtatur de quibuſdam, quod ob malam vitam amiſerunt fidem, *derelinquentes rectam viã errauerunt ſequentes viam Balaam.* Et Paulus ad Thimoteum ſcribens Epiſt 1. cap. 1. v. 19. teſtatur, aliquos propter malam conſcientiam naufragaſſe in fide, *habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellẽtes circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymineus, & Alexander.* Et de quibuſdam peccatoribus narrat, quia eis defuit charitas, Deum permiſiſſe, vt crederent mendacijs contrarijs fidei 2. ad Theſalon. 2. v. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: ideo mittet illos Deus in operationem erroris, vt credant mendacio.*

Deinde ob commoda temporalia mali Chriſtiani ſæpè apud Mauros ad ſectam Mahumeti tranſeunt; quia frequens eſt apud illos, vt qui Mahumetani fiunt, libertate donentur. Deinde lege ſancitum eſt inter Mauros, vt ſervus, qui ex Chriſtiano factus eſt Mahumetanus, vna cum Filijs Dominij ſui hæreditatem adeat defuncti, poſitque cum vidua matrimonium contrahere. Ita mihi narravit in Portu Sanctæ Mariæ anno 1671. Dominus D. Auguſtinus de la Cerda, anteà Muley Larbe Geſife nuncupatus, Regis Tafileti in Africa ex fratre nepos, & legitimus illius Regni ſucceſſor, qui à Deo ad Chriſti fidem vocatus, ſolemniter baptizatus eſt in ea civitate me præſente, eiuſque in Baptiſmo Patrinus fuit Excellentiſsimus Dominus Dux de Medinaceli. Eius patruus Rex Tafilete tyranus erat: quia cum eſſet ſpurius, fratrem ſuum legitimum Regem per inſidias occidit, & Regnum occupavit, quod iure ſanguinis ſpectabat ad Muley Larbe, vtpote primogenitum germani fratris è patre & matre Regis occiſi; eius namque parẽs antequam Rex occideretur, vita functus erat mortè naturali, ac proinde ipſe legitimus erat Regni ſucceſſor. Tyrannus verò timens, ne Muley Regnum invaderet, ei necem parabat; quam vt effugeret, ad arcem Chriſtianam de Alarache confugit; cuius Gubernator timens ne per vim Rex Tafilete vellet arcem adoriri, vt fugitivum Principem caperet, eum in Hiſpaniam tranmiſit: & in cuſtodia Portus Sanctæ Mariæ ſervabatur; cum ad fidem à Deo vocatus eſt ex converſatione cũ Religioſo Auguſtiniano; & quia, vt ipſe narrabat, ei apparuit D. Auguſtinus, qui Baptiſmum petere iuſsit. Inde ẽductus tradiſtus eſt Religioſis Sancti Auguſtini in myſterijs fidei inſtruendus: & in eorum Cœnobio commorabatur: cum P. Ioannes Gabriel Guillen, & ego è Gadibus ad Portum transfretavimus, vocati ab Excellentiſsima Duciſſa ad Miſsionem faciendam in ea civitate; & ex eius præſcripto in ſacro illo Cœnobio hoſpitio excepti ſumus, & à Religioſiſsimis illis Patribus benigniſsimè & liberaliſsimè accepti. Princeps iſte non modico nobis adiumento fuit ad converſionem Mahumetanorum, qui eum vt legitimum Regni ſucceſſorem colebant, & antequam fidem Chriſti ſuſciperet, ei neceſſaria ad victum & veſtitum ſuppeditabant. Huius converſionis conſcia Regina Maria Auſtriaca, quæ Hiſpaniæ Regna pro minoritate Caroli Regis filij ſui gubernabat, regia liberalitate eum beneficijs cumulavit, & iuſsit vt in Medioanenſi Ditione Ducem cum duplici equitum turma ageret. Ab hoc igitur principe eam notitiam hauſi.

His ergo de cauſis ſæpè accidit vt Chriſtiani in Africa fidem Chriſti deſerant, & ſectam Mahumetanam, exterius ſaltem, profiteantur. Nunquam tamen in Africa, hoc monſtrum vilum eſt, quod aliquis captivus Chriſtianè inter Mauros vixerit, legem Chriſti fideliter ſervans, & in ea conſtanter perſeverans, quin nec minis nec promiſsis ab ea divelli potuerit; &

tamen quod morti propinquus, ſectam Mahumetanam ſponte amplexus ſit. Imò omnino nullus inter Mahumetanos vnquã Chriſtianus verſatus eſt, qui Chriſtianam, & honeſtam vitam agens, ex deſiderio ſuæ æternæ ſalutis, & non ex cupiditate temporali lucri, & meliorem experiendi fortunam in hac vita, ſua ſponte circumciſionem Mahumetanorum pertinerit, & Mahumetanam ſectam ſuſceperit. E contrà verò quotidie in Hiſpania invenire eſt Mahumetanos, qui ſi à Chriſtianis invitẽtur ad noſtram ſanctam Fidem, obſtinatè ſic reſpondeant: *Pater meus Maurus, avus meus Maurus, & proavus meus Maurus extitit, & in fide Maurorum mortuus eſt; & ego quoque Maurus, vſque ad mortem.* Sic in Beatica ſæpiſsimè mihi reſponſum eſt à Mahumetanis, quos in familiari converſatione ad Chriſtum per trahere tentabã. Et tamen ij ipſi, cùm mortem appropinquantem vident, Baptiſmum petunt, & Chriſtiani fiunt. Huius rei aliqua exempla ſubijciam.

Poſtquam Malaca Mauris concionatus ſum, & ſolemniter vna die triginta tres baptizati ſunt ab Illuſtriſsimo Epiſcopo; præter alios, qui privatim ſacro fonte luſtrati fuerant, invaluit apud Mahumetanos perfidos fama, & per finitimas vrbes, & oppida vulgata eſt, Sacerdotem Chriſtianorum (Papacem ipſi vocant) faſcinis dementaſſe Mahumetanos in Malaca degentes, & veneficijs eos ad fidem Chriſti traxiſſe: caverentque proinde reliqui, ne ab hoc inſigni Mago, & venefico deciperentur: & amuletum pararent, ad amovendã veneficia. Poſt Miſsionem Malacenſem, & alias per finitima oppida, peractas Illuſtriſsimus Epiſcopus à Marchione de Aſſentar Ceutæ gubernatore per litteras rogatus, nos in eam vrbem miſsit cum tribus alijs Sacerdotibus ſæcularibus, vt in ea de more Miſsioni incumberemus. Ea vero Miſsione peracta, P. Ioannes Guillen amãtiſsimus meus ſocius (quem per ſex continuos annos in Miſsionibus commitatus ſum, viri zelum, conſcientiæ puritatem, & acrem animi contentionem ad indefeſsè laborandum in vinea Domini illuſtreſque alias virtutes admiratus, ob quas meruit gratiam Baptiſmalem Cœlo inferre, vt teſtatus eſt Sacerdos noſtræ Societatis, qui eius confeſsionem generalem in noſtro tyrocinio Matritenſi, vbi Rectorem agebat, à Miſsionibus avulſus, ad extremum vitæ excepit: obijt Matriti 19. Ianuarij anni 1675, ætatis 48.) cum vno Sacerdote ſæculari Eſteponam profectus eſt: ego verò cum reliquis duobus Maruecam perveni: & vix illuc adventaram; cum Mahumetanus quidam, inter ſuos magnæ authoritatis, & qui omnium ſapientiſsimus habebatur, qui in illis maritimis oris captivi tenebantur; (vtpotè qui in Fez Mauritaniæ vrbe in Collegio quodam alumnus & collega fuerat, & in Mahumetana lege peritus erat; totumque Alcoranum memoria tenebat) Mahumetanos omnes ibi cõmorantes congregavit, illiſque perſuaſsit, me præſtigiatorem, & veneficum eſſe; attendite, inquiens, hunc Papacem è pulpito prædicantem, & animadvertetis, eum brachia & manus identidem movere, vt faſcina, & veneficia diffundat, & audiẽtes ſeducat: geſtus ipſos, & oratorias actiones præſtigias interpretatus. Vnde quoties movebam brachia, vel manus ad exprimendos mentis affectus, toties dicebat me virulentas incantationes ſpargere. Et quò illos facilius deciperet, convivium eis paravit, à ſingulis ſponſionem, vel iusiurandũ exprimens non petendi baptiſmum: & ne attenderent, & quæ dicebantur intelligerent, ante concionem ipſos inebriabat. Et ita obturaverunt aures ſuas, & nullus eorum ad fidem Maruecæ converſus eſt; quamvis fortiùs ibi, quàm alibi prædicavi.

Interim Eſteponæ P. Ioannes Gabriel Guillem, qui nunquam Mahumetanis prædicaverat, quadam die, dum ad Chriſtianos de morte concionem haberet, in qua defuncti cranium populo oſtendens; & hominem mortuum, qui ad vivos verba faceret introducens; audientium animos vehementer commovebat: ad finem concionis pauca, ſed ardentia ad Mahumetanos verba locutus, quinque, qui ſoli in eo opido detinebantur, & concionem audiebant, ad Chriſtum traxit, & Baptiſmum petere perſuaſsit.

Sed ò divinæ miſericordiæ abyſſum! Illum eundem Mahumetanum, qui ſuos Africanos à Chriſto averterat, Clementiſsimus Dominus ad ſe cõvertit: poſt aliquot menſes illum affixit lecto, gravem corpori ægritudinem immittens, vt animum tenaret: agnovit ille mortem iam appropinquantem, & in illo periculo conſtitutus, mentis oculos aperiens, Deum rogat, vt ſi Mahumetana ſecta non ſit bona ad ſalutem via, cor eius cõmoveat, ad Chriſti fidem amplectendam. Hoc ego ſæpè in cõcionibus, quas coram ipſo habui, ingeminaveram, vt ſcilicet Deum Cœli, & terræ crea-

creatorem enixè rogarent, vt si verum sit, quod Christiani dicunt, Christi fidem esse vnicam ad æternam salutem viam, & Mahumetanam Religionem ad internũ certissimè ducere, cor eorum inclinaret ad Religionem Christianam, sin vero Mahumetana Religio sancta, & è Cœlo delapsa sit, vt ipsi credunt, ab ipsis averteret cogitationem omnem petendi Baptismum. Audivit clementissimus Dominus orationem illam, &, vt vbi abundavit delictum, abundaret & gratia, illuminavit huius Mahumetani tenebras *ille, qui illuminat omnem hominem venientem in mũdum.* Igitur sua sponte, & solo Deo interne prædicante, Baptismum petijt, & magna sui spiritus consolatione cœlestis lavacri aqua lustratus paulo post moritur. Illustrissimus Malacensis Episcopus, qui obstinationem huius hominis audierat, & quanto fuerat impedimento ad aliorum conversionẽ noverat, pro sua in me benevolentia, & benignitate, me de hac conversione per litteras certiorem fecit, sciens fausturn hoc nuntium mihi fore gratissimum. Quis non agnoscat hanc mutationem à Deo fuisse? certè hic adimpletum est, quod ipse promisit Math. 7. & Luc. 11. *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. omnis enim qui petit accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Quis de summa Dei bonitate credere possit, quod hominem ex toto corde ad se clamantem pro animæ suæ æterna salute, sinat à Diabolo seduci, vt veram Religionem, in qua salvaretur, deserat, & eam, in qua damnetur, eligat? Vt enim inquit veritas ipsa Luc. 11. *Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se*: ergo Religio Christiana, quam Mahumetani ipsi ad moriendum eligunt post quam rem Deo impense commendarunt, vera est, & à Deo. Quod autem in vita, Mahumeti sectam obtinatè sectentur, non probat illam esse à Deo: sed probat illam esse carni & sanguini conformẽ; probat, connaturale esse, vt homines ægre, & difficulter sua sponte deserant Religionem, in qua educati sunt, & quam à majoribus acceperunt. At quod homines in secta aliqua blanda & molli atque concupiscentias carnis foventi educati, illam deserant, & Religionem amplectantur strictam, & quæ concupiscentias carnis cohibere, & crucem mortificationis amplecti jubet, & eam solum exequi, quæ rationi cõsona sunt; hoc profecto probat, illam Religionem Deum habere Authorem, & Deum ad illam capessendam interne movere.

Huic exemplo alia subiungam, quæ manibus contrectavi. Dum Malacæ operã Missioni navarem, accidit, vt ægrotaret ad mortem Mahumetana fœmina, nomine Fatima. Erat nobilis & pij Ecclesiastici ancilla, qui eius conversionem sæpè tentaverat, sed in casum. Erat enim obstinatissima, nec exemplo duorum fratum suorum, qui simul cum illa incaptivitatem redacti, Christi fidem susceperant, quidquam mota est: nec de conversione ad fidem Christianam verbum audire volebat. In reliquo vitam agebat honestam, & moraliter bonam; & fideliter domino suo inserviebat. Intimè dolebat bonus Sacerdos ancillam suam in æternum perire; fratres eius Christianos admonet, vt eam innisant, & vt Baptismum petat, suadeant; & cum illi nihil profecissent, ne aliquid intentatum relinqueret, me vocat, vt eam alloquerer. Adivi, Christiano more salutavi, & Christiana viscera ei ostendens, dixi, Soror Fatima, huc me duxit Christi charitas, & tuæ æternæ salutis desiderium: quia Sacrosancta Iesu Christi fides, quam profitemur, iubet, vt proximorum nostrorum salvationem sicut nostram optemus, & illam pro viribus procuremus: ego autem à Deo vocatus ad procurandam æternam animarum salutem, tuam vt propriam exopto; & eius desiderium huc me lubentem adduxit. Nihil temporale quæro: tu scis quot sermones in hac civitate fecerim, & quantum laboraverim; vt Christianos peccatores à vitijs ad virtutem evocarem: pro his curis & laboribus nullam ego mercedem in hac vita requiro: sed vnicè Dei gloriã, & proximorum salutem prospecto. Tu, quamvis Mahumetana, ad imaginem Dei facta es, sicut Christiani, & Christus pro te passus est, non minus quàm pro nobis. Tuam proinde salvationem ardenter desidero, & paratus sum quòscumque labores temporales pro illa obtinenda subire. His præmissis adieci. Tu Deum creatorem Cœli, & terræ adoras: tu scis, illum quãtumest ex se velle, vt omnes homines salvi fiant: ac proinde non ignoras, Deum hominibus providisse legem aliquam & Religionem, in qua salvari possint, cum enim desideret, vt homines perveniant ad terminum, nempe ad gloriam paradysi, debuit e is præstituere viam, qua ad illum terminum perveniant: via autem ad gloriam est lex; & vera Religio; aliquam ergo habet

bet Deus in mundo Religionem in qua homines ſalvari poſsint. Hoc vnum ergo maximè noſtra intereſt, ſcire, quænam lex, & Religio vera, & à Deo deſcendens; lex enim falſa, & quæ à Deo non deſcendit, non poteſt ad Deum, & cœlum ducere. Et hoc omni animi contentione debemus ſedulò quærere: & enixe à Deo poſtulare, vt nos illuminet ad cognoſcendum quænã ſit hac vera lex, in qua ipſe vult coli, & per quam vult homines ad ſe ducere. Quatuor tantũ ſunt in mundo leges; lex Gentilũ, lex Iudæorum, lex Chriſtianorum, & lex Mahumetanorum. Tu benè ſcis ex tuo Alchorano legem Gentilium nunquam fuiſſe ad cœlum viam. Etiam ſcis, legem Iudæorum, poſtquam Chriſtus in mundum venit, iam non eſſe viam ad Cœlum. Hoc breviter & dilucide expoſui. Reſtat ergo vt hæc lex vera ſit vel lex Chriſtianorum, vel lex Maurorum. Chriſtiani omnes firmiſsimè credimus legem Maurorum eſſe falſam, & à Mahumeto confictam ad parandum ſibi Regnum & imperiũ ſub honeſto & ſpecioſo Religionis titulo: certiſsimè ſcimus, & perſuaſi ſumus, eum non fuiſſe Prophetam Dei, ſed ſeductorem. Ac proinde vt quid indubitatum credimus in ſola Religione Chriſtiana poſſe homines ſalvari. Vos Mahumetani creditis Mahumetum eſſe Dei Prophetam, & vera eſſe omnia quæ in Alcorano docet: in Alcorano dicit, in Deo non dari tres perſonas, ſed vnam duntaxat; Chriſtum fuiſſe quidem Prophetam ſanctiſsimum, ſed non eſſe Deum, nec pro hominibus fuiſſe crucifixum, nec tertia die ſurrexiſſe à mortuis; ac proinde vos creditis rem ita ſe habere. Chriſtiani omnes oppoſitum conſtanter credimus, quia ita ſcripſerunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui cum Chriſto converſati ſunt, & ab eius ore audierunt dari in Deo tres perſonas, & ipſum eſſe Deum: & qui eum viderunt in Monte Calvario crucifixum, & poſt tertium diem redivivum. Neceſſe eſt, vt ex his duabus legibus altera ſit vera, & altera falſa; quia impoſsibile eſt, vt vtrumque ſit verũ, & quod docet lex Maurorum, & quod docet lex Chriſtianorum. Si lex noſtra eſt falſa, omnes Chriſtiani damnamur: ſi veſtra lex eſt falſa, omnes Mauri ad internum tenditis. Ego tibi in Dei nomine annuntio, quod in æternum peribis, ſi Chriſtiana non ſias. Si mihi non credis, hoc vnum à te enixe rogo, vt Deum ſuper hoc negotio conſulas: & ex toto corde ab illo poſtules, vt ſi vera ſunt quæ tibi dico, tibi inſpiret efficaciter voluntatem & deſiderium ſuſcipiẽdi Baptiſmum, & moriendi in lege Chriſti: ſin autem ſunt falſa, talem tibi cogitationem non injiciat. Bonus ſermo, reſpondit Fatima, optimè dicis, Pater; ego rem Deo commendabo, & lucem ab ipſo petam ad veritatem cognoſcendam, & cràs tibi reſponſum dabo.

Præſtitit quod promiſit; rem impenſe Deo commendavit, enixè lucem petivit. Et ad ianuas divinæ miſericordiæ pulſavit: & primo manè divinitus tacta, clamat ſe velle eſſe Chriſtianam, & Baptiſmum ardenter petit: admonitus de hac ſubita mutatione illuc advolavi, myſteria ad ſalutem neceſſaria docui; quid Baptiſmus conferret, expoſui, & qua eſſet diſpoſitione ſuſcipiendus; & poſt ſufficientem inſtructionem Baptizata eſt ingenti cum gaudio ſpiritus ſui. Attuli imagines Chriſti, & Beatæ Virginis, & eas devotiſsimè oſculabatur, & pectori admovebat: petivit à me, vt eius confeſsionem exciperem; ipſam docui peccata ante Baptiſmum cõmiſſa, non eſſe materiam confeſsionis: ipſique expoſui, peccata venialia, in quæ homines incidunt poſt Baptiſmum, eſſe ſufficientem materiam confeſsionis, expoſui; que quænam ſint peccata venialia; & rogavi, vt conſcientiam diſcuteret, an poſt Baptiſmum occaſione dolorum in aliquam impatientiam incidiſſet, an verbum aliquod amarum protuliſſet, vel alicui malæ cogitationi conſenſum dediſſet. Et poſtquam conſcientiam diſcuſsit, poſt varias interrogationes altera die poſt Baptiſmũ ſuſceptum, materiam quam potui abſolutionis eliciens, abſolutionem Sacramentalem impertivi, & paulo poſt magna cum devotione ſacram Euchariſtiam accepit; & denique Sacramento extremæ vntionis munita ad cœlum evolavit fœlix illa anima. Accidit caſus iſte ad extremum anni 1669.

Huic exemplo aliud adjicio. Anno 1672. cum Hiſpalim vocati ſumus ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo D. D. Ambroſio Ignacio de Eſpinola & Guzmam ad iterum faciendam Miſsionem in illa vrbe, & toto Archiepiſcopatu (nam primum habueramus an. 1669. tempore Illuſtriſsimi D. D. Antonij Payno) monitus ſum à viro nobili & illius vrbis in Conſilio ſæculari ſenatore, eſſe in Perroquia Magdalenæ Mahumitanum octogenarium gravi morbo oppreſſum, & in periculo mortis conſtitutum: illum viſitavi frequenter, & de rebus Religionis cum eo collocutus, & confectis argumentis pro illius capru opi-

por-

portunioribus, tandem persuasi, vt enixè à Deo postularet lucē ad vitam finiēdam in Religione vera, & à Deo hominibus data, eisdem fermè rationibus, quibus idipsum Malacæ persuaserat Fatimæ. Oravit, & quod quærebat invenit, & subito mutatus est in alium virum, & toto corde cæpit abominare sectam Mahumetanam, & deplorare cæcitatem, in qua per tot annos vixerat: nam quadraginta integros Hispali degerat in Alcorani tenebris, & octogesimum primum ætatis iam agebat annum. Rogatus autem, quænam illa fuisset tam subitæ mutationis causa; respondit se post preces ad Deum fusas, vt ipsum doceret viam bonam, in qua esset salus, in somnijs vidisse in amænissimo horto duos Religiosos pulcherrima colligētes poma, & ab eis postulasse, vt sibi aliquod donarent; illos vero respondisse poma illa esse Christianis reservata, & non posse Mahumetanis concedi: hinc vero cor suum inflammari cæpisse Baptismi desiderio; & hoc desiderium crevisse, quia post somnum dum iam esset spergefactus vidit propè lectulum suum imaginem magnam Christi è Cruce pendentis, & cum ipse ad illam adorandam ad Christi pedes se abiecisset, eisque oscula magna cū devotione infixisset, Christus pedes retraxit, & subitò disparuit, quasi eum repelleret, quia Christianus non erat: ita narrabat ipse; & eam non fuisse imaginationis delusionem probavit eventus; quia ingenti cum gaudio Baptismum suscepit; & ingravescente postea morbo sacram Cōmunionem, quæ ipsi solemni cum pompa administrata est, certatim contendentibus primæ nobilitatis viris munia daduchorum, seu ceriferorum, & æditui obire, & accepta extrema vnctione, elicitis ferventibus, fidei, spei, charitatis, & contritionis actibus, animam Deo reddidit, cum ingenti totius civitatis consolatione, & spirituali lætitia; anno 1672. mirantibus omnibus divinæ misericordiæ abyssum, quę tot annos expectavit hunc fœlicem peccatorem, qui in Baptismo voluit Ioannes Baptista appellari.

His duobus exemplis recentibus addo aliud antiquius, quod narrat P. Ignatius de las Casas nostræ Societatis Sacerdos, qui ob peritiam linguæ Arabicæ missus est à Gregorio XIII. Summo Pontifice ad reducendum in vnionem cum Ecclesia Romana Patriarcham Græcorum, alioſque Prælatos Schismaticos, de quorum conversione spes affulserat, plurimasque Provincias pera gravit, & propria manu itinerarium scripsit, in quo fidelissimè narrat ea, quæ in tam longo itinere acciderunt; & data occasione interserit aliqua exempla conversionis Mahumetanorum, quæ ipse vidit. Hunc librum manuscriptū habet R. P. Petrus Hieronymus de Cordova secundò Provincialis Societatis Iesu in Provincia Castellana, dum hæc scribo, nempe mense Ianuario, anni Domini 1680. & cum illum librum legerem, hoc & alia exempla ex illo manuscripto excerpsi. Vt autem constat ex illo itinerario, conversio referenda accidit post annum 1562. & ante annum 1570. nec enim ex manuscripto annum certum eruere potui. Rem narrabo verbis Authoris ex Hispano in Latinum conversis.

Canonicus quidam S. Corduvensis Ecclesiæ Africanum servum habebat, qui ei à viginti annis magna cura & diligentia inserviebat. Apparebant in eo tot virtutum moralium signa, vt mihi dominus eius serio testatus sit, se nūquam in servo suo quidquam vidisse, quod gravē culpam redoleret. Propter has virtutes herus servum amabat, eiusque æternam salutem enixè exoptabat. Ille vero sectam Mahumetanam, tàm constanter servabat, vt quā. vis bis aut tèr quotidie dominum suum in templum euntem commitaretur, nūquam iste ab illo impetrare potuerit, vt intra sacra limina ingrederetur, ne eo quidem titulo, quod olim templum illud celebris fuerat Mahumetanorum Mezquita. Erat iam longævus; & vti aiebant Mauri in ea Civitate commorantes, fuerat inter suos Alphaquinus, seu Sacerdos. Incidit in gravem morbum, & eius herus de æterna servi salute solicitus, Collegium Societatis adit, & superiorem rogat, vt mittat aliquē ex Patribus, qui illum ad Christum reducat. Assignati sumus Pater Baena, & ego, vt eius interpretem agerem. Illùc statim convolavimus. Et quantum potuimus laboravimus pro eius conversione: sed frustrà; quia ille non tantùm benignas aures præbere nolebat, sed amaris verbis, & indignatione plenis nos repellebat. Ego „ vero eius obstinationem videns: Non à „ te (inquam) postulo, vt sectam tuam de„ seras, vel quidquam contra illam agas, „ sed tantùm vt eam orationem ad Deum „ fundas, quam in Alcorano Mauri habe„ tis, & ita habet: doce nos Domine viam „ rectam, & bonam; siquidem probè nosti, omnes Christianos inconcussè asserere, Mahumetanos in æternum damnandos, si in sua secta vitam finiant. Roga ergo Deū.

vt

vt ſi à vera Religione aberras, veram tibi oſtendat ſalutis viam, & ad illã capeſſendã cor tuum moveat. Annuit ille, & manus, & oculos ad Cœlum attolens, *Duc me Domine* (inquit) *per ſalutis viam.* Hoc audito, diſceſsimus, quia ſpes non erat aliquid aliud ab eo eliciendi.

Sed cum Dei proprium ſit, cuius vult miſereri, vel quem vult obdurare, die ſequenti accitus ſum, vt feſtinanter in domũ ęgrotantis Mauri deſcenderem. Cum primum cubiculũ iacentis ingredior, illũ conſpicio, devotè Chriſtũ crucifixũ amplexãtem, & oſculantẽ; & cauſam fœlicis huius mutationis ſciſcitatus, ab eius ore hoc reſponſum accepi. Petivi, inquit, iuxta prȩceptũ tuum à Deo, vt è Cœlo mihi lucẽ imitteret ad cognoſcendã certã ſalvationis meę viam, audivit benigniſsimus Dominus orationẽ meam. Hiſtoriamque ſuæ converſionis texens, narravit, ſibi vigilãti apparuiſſe duodecim feroces Ætiopes, ipſum circundantes, & è lecto rapere geſtientes: tunc ſe expaviſſe, & interpellaſſe Chriſtianum, qui iuſſu heri ſui illi aſsiſtebat, & Chriſtianum facere ſatagebat. Acceſsit Chriſtianus, & rogavit à Mauro, quid illud novi eſſet, quid ve ipſum defatigaret? reſpondit ægrotus: Nam ne vides hos duodecim Ætiopes, qui me è lecto eripere, & diſcerpere tẽtant? At vero Chriſtianus (qui tamen nihil horũ videbat) crucifixum apprehendit, illumque ante oculos ægrotantis obijciens, opẽ, inquit, poſce, à Chriſto, & à ſanctiſsima eius Matre Maria, qui ab hoc agmine Ætiopũ, qui Cacodęmones abs dubio ſunt, te liberabunt. Tunc ſublatis in Cœlũ oculis infirmus (vti narravit Chriſtianus) ſtupenti ſimilis hęſit, obfirmato obtutu proſpiciens. Viſibilem ſe illi oſtenderat Deipara & benigno vultu ſic illũ allocuta eſt Arabico idiomate: cave ab his Ætiopibus: *Et ſcito, quod niſi Chriſtianus fias, & credas, Ieſum Chriſtũ Filium meum eſſe Deum, te violenter rapient Dæmones iſti.* Ille vero in ſe reverſus, & ad Chriſtianũ converſus, cito, inquit, Sanctũ Crucifixum mihi porrige; quia ego firmiſsimè credo, Ieſum Chriſtũ eſſe verum Deum, qui pro me paſſus eſt: volo Chriſtianus eſſe; & baptizari deſidero. Teſtatuſque mihi eſt Maurus, Virginem ſibi manifeſtaſſe omnia, quæ credenda ſunt ad ſalutem æternam obſtinendam. Ego vero illum qua potui diligentia in rebus fidei nihilominus intruxi, prout tempus, & morbus exigebant. Enixè ab hero poſtulavit, vt Baptiſmus ipſi, non non in lecto, ſed in Eccleſia, in quam nunquam intra re volebat, adminiſtraretur. Morem illi geſsit herus, & candida ſerica veſte indutus in ſella geſtatoria ad Eccleſiam Cathedralem vectus eſt: & coram Auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, magna animi ſui lætitia, & circunſtantium gaudio, ſalutari lavacro tinctus eſt à ſuo hero, & in Baptiſmo appeliari voluit Ioannes Maria de IESVS. Et cum morbus invaleſceret, ſtatim in domum reduxerunt illum: in via autem cum liquato cibo eum reficere vellent, vix illum guſtaverat, cum cibum dimittens, & crucifixum amplectẽs, & dulciſsimum Ieſus nomen invocans, ſpiritum illi tradidit in eadem ſella, in qua Baptiſmum ſuſcepetat; lacrhymantibus præ ſpitituali gaudio eis, qui ſellam circunſtabant; nondum enim herus cum reliquo comitatu ſupervenerat. Vt autem fœlicitatem Mauri in Cœlum iam admiſsi cognovere, in divinas laudes effuſi ſunt. Hucuſque P. Caſas.

Hæc exempla cum propoſuiſſem anno præterito 1679. menſe Aprili cum in Miſsione Hiſpalenſi per ſex continuos dies ad Mahumetanos publicè concionatus ſum, eis auditis ſtatim me inviſit Illuſtris Dominus D. Alphonſus Verdugo Albornoz & Soromayor Alcantarenſis Militiæ Eques, & nunc Comes de Torrepalma, Vir nulli Hiſpalenſium Equitum ingeni acumine, iudicijque maturitate cedens, & pietate non minus, quam nobilitate claros; & vt in ſimilibus concionibus poſſem Mahumetanos vberius cõfundere, ſingulare exemplum mihi narravit, quod totã Hiſpalim haberet in teſtem; ab ipſoque poſtulavi vt ſcripto rem ad vngem traderet, vt palam poſſem illud exemplum Mahumetanis poſtea proponere: id quod diligenter præſtitit, hiſtoriam ſequentem tranſcribens ex libro funerali Perroquiæ Sanctę Andræę, in quo memoria huius mirabilis converſionis conſervatur: & ita ad verbum habet.

Die vigeſsima quarta Maij anno milleſsimo ſexcẽteſsimo quinquageſsimo ſeptimo Hiſpali evenit, quod referam. Vivebat in prędicta Civitate Maurus Almanzor nomine, ſervus D. D. Alphonſi Fernãd. Marmolexo, qui cũ Mahum. legis obſervator accerrimus eſſet, acriter inſectabatur perſequebatur que omnes, qui perfida Alcorani fide relicta ad noſtram

veram ; & Catholicam convertebantur: accidit quadam die vt propè portam Domus Professæ Societatis Iesu in quemdam Neophitum Tingitanum offenderet seruũ D. Marchionis de Algava, & cum Neophitum incepisset contumelijs onerare, & conuicijs, quod auitam legem Mahumeti desseruisset, vlterius vesanus processit, manusque iniecit; quin ab isto incepto precibus repetitis Neophitus amovere potuisset; at cum Christianus Tingitanus effugere violẽtiam aliter non posset, pugionem extraxit, extractumque in Almanzoris alvum illum percurientis adegit: tunc Almanzor humi sternitur, visceribusque per vulnus emissis: sed mira res vix ceciderat, cum sacram aquam Baptismi poposcit, dictitans se velle Frãciscum appellari: accurrunt vndiquaque prætereuntes, inter quos Presbiter Benedictus de las Heras accessit Capellanus Didaci de Payva, qui iuxta ipsiusmet limina Baptismum Sanctum Almanzori ministravit. Hinc percussus Maurus, iam Christianus in domum sui Domini D. Alphonsi Marmolexo, curandus defertur. Habitabat tunc prædictus Dominus D. Alphonsus in ædibus Domini Comitis de Peñaflor, quæ ædes pertinent ad Parrochiam Sancti Andreæ, cuius Parrochus erat D. D. Laurentius de Maldonado (qui nunc inter vivos agit.) Qui cum rectè novisset ab ipso baptizato, & prædicto Presbitero Benedicto rem totam: & cum animadvertisset actus fidei ferventes, quos eliciebat Franciscus Andræas paulò antea baptizatus, pergit ad consulendum Illustrissimum Dominum D. Fr. Petrum de Tapia, an vulnerato, & recens Christiano posset Sacram Eucharistiam, & Sanctam Vnctionem ministrare: responsum illi fuit ab Illustrissimo Tapia, tunc Archiepiscopo Hispalensi, licere, & expedire tam Sancta Sacramenta morienti Francisco Andreæ præstare: & eadem nocte Sacro Viatico, & Extrema Vnctione munivit iacentem. At vulneratus magna devotione, tantique beneficij Cœlestis conscius ea Sacramenta excepit. Res quidem mira! Adeò ferventi spiritu, lachrymarumque copia ignovit aggressorem, & homicidæ, vt adstantes omnes stuperent, videri in recens Christiano tot signa pietatis. Spiritum emisit inter hos pios, & ferventes divini amoris singultus. Adfuimus (inquit perillustris Dominus Comes de Terrapalma) eius funeri, omnes maioris notæ huius Civitatis, & addit, quod quidem iuramento firmabimus quot quot nunc vivimus.

§. VII.

Septima demonstratio, vbi miræ vocationes Mahumetanorum ad fidem Christi enarrantur.

HOC argumentum præcedenti affine est, sumiturque ex alia experientia notissima; constat nunquam aliquem Principem Christianum, immò nec vllum Virum Nobilem, vel Plebeium, patriam, vxorem, filios, divitias, & temporalia commoda deservisse, & in Africam trajecisse, ex desiderio salutis æternæ, vt ibi Mahumetanus fieret, & in secta Mahumetana moreretur. E contra verò certissimum est, non paucos Mahumetanos reliquisse patriam, parentes, divitias, immò, & regna, & ad terras Christianorum transfugisse, ex desiderio salvationis, & vt Christiani fierent & in Religione Christiana vitam finirent, vel in captivitatem à Christianis redactos, postea noluisse reverti ad patriam, ad parentes, ad filios, ad vxores, ad divitias, cum facile possent illuc remeare. Hoc autem signum clarum est vocationis divinæ intus moventis ad quærendam viam salutis: ergo in Religione Christiana vnice est salus; in Mahumetana verò certissima est æterna perditio. Hoc argumentum Christi prædicator facile amplificare poterit.

Ego hic aliqua tantũ subijciã exempla, quæ ad movendos Mahumetanorum animos non parũ momenti habent. Novi ego Matriti Christianũ novũ Africanũ, qui inserviebat Eminent. Cardin. & Archiepiscopo Tolet. D. Paschasio de Aragon, & curã habebat argenteę supelectilis illius principis; Virũ verè piũ, & devotũ, qui quotidie per duas horas vacabat orationi mentali, & singulis hebdomadis bis vel ter ad Sacrã Eucharistiã accedebat ex cõsilio P. Spiritualis. Hic Tunetanus erat: & à Deo illuminatus ex conversatione cũ captivo Christiano, fugã ad terras Christianorum diu meditatus est, & cum modũ non inveniret vota sua adimplendi, Deum ex intimo cordis rogabat, vt eum duceret in eorũ terras, & vt à Christianis capi posset, voluntarie aggregatus est Mauris, qui in eorum terras navigabant ad captivandos Christianos, sperans fore, vt sic posset inter illos remanere. Vt tamen posset aliquo argumento comprobare, se non coactè, sed voluntariè illuc advenisse,

in qua-

in quadã inſula maris mediteranei, in qua extabat ſacellum, ſeu ędicula ſacra, reliquit ſingraphã, ſeu ſchedulam propria manu exaratam, in qua nomen ſuum, patriam & deſiderium ſuſcipiendi Baptiſmum exponebat: reliquit autem ſub pedibus Sanctæ Imaginis, cui ſacellum illud dicatum erat. Deus vota eius exaudivit; & in mari cum ſocijs à triremibus Chriſtianorum captus eſt, & Neopolim ductus, Cardinalem Aragonium tunc proregem adit, votum ſuum exponit; & ne exiſtimaret ſe narrationem confingere, vt libertate donaretur, affirmat ſe in tali Inſula reliquiſſe ſchedulam, ex qua veritas conſtare poſſet. Non fuit difficile rem explorare: cõpertum eſt vera eſſe, quę ille narrabat; & ſic declaratum, eum non eſſe ſervum; ſed liberum manere: & Eminentiſsimus Cardinalis illum ſolemniter baptizatum in ſuam familiam admiſit, & poſtea ſecum in Hiſpaniam tranſvexit: & dum ego Matriti anno 1670. Miſsionem feci, cum illo familiariter egi, & illius opera vſus ſum ad converſionem Mahumetanorum, quos ille ferventer adhortabatur ad Baptiſmum petendum, & vocationem ſuam ad Chriſtianiſmum eis narrabat, quo illos facilius ad Chriſtum traheret.

Aliud exemplum in ſuo Itineratio adducit P. Ignatius de las Caſas cuiuſdam nobilis adoleſcentis Turcæ, qui cum patrẽ ſuo, & alijs inter Turcas primariæ nobilitatis Virisà Chriſtianis in Navali prælio captus, Romam delatus eſt; vbi cor eius B. Virgo ad Chriſti fidem ambiendã mirabiliter accendit. Rem ſic narrat citatus Author.

Turca quidam duodecimum, aut triceſimum annum agens Romam delatus eſt, vbi vna cum parenti, & alijs patricijs Turcis in Palatio nobili non longe à Baſilica S. Petri hoſpitatus eſt. Turcæ in cuſtodiam traditi ſunt Germanicis Prętorianis Papæ; qui adoleſcenti iuveni, inſcio patre papiraceam iconem B. Virginis Dominæ noſtræ dedere: Turca puerili genio ductus illam ſæpius intueri gaudens, in pectore ipſam reconderat, ne ſi aliquis ex Turcis videret, raperet. Aliquibus diebus eam retinuerat, cum Mater miſericordiarum, illi maiorem fecit: apparuit illi per quietem, eodem habitu, quo in papiro viſebatur, Virgo venuſte ornata, Cęleſti ſtipata comitatu, & divinis ſplendoribus micans veniebat; adoleſcenti acceſit blandè, benignèque illum aſpiciens Turcico idiomatè illi locuta eſt, docuitque ipſum, aliam ſalutis viam non eſſe præter Baptiſmi Sacri. Ita edoctus à Virgine fuit, vt veniente die ex feneſtra tranſeuntibus, vt rectius poterat, diceret, ſe Chriſtianum eſſe velle: nec ſemel, ſed iterum, atq; iterũ Pater illum à feneſtra removit, nec minis, nec blanditijs à propoſito iuvenem removere potuit; quin immò ſæpius è feneſtra vocitabat, clamitabatque, ſe Chriſtianum eſſe velle, Pater ea propter aſperè filium tractabat, donec cognita re à Prętorianorũ Germanorum Duce, Dux cauſam originẽ que illius ſupplicij exquiſivit, & tandem è patentis manibus filium ſuffocare nitentis, abripuit adoleſcẽtem vocitantem *Chriſtianus*, *Chriſtianus* Dux per interpretem ab adoleſcente, quid intenderet? rogavit. Turca, quod retuli, reſpondit: Dux Pontifici totum renunciavit, qui miſsit Cardinalem Gueſtavilanum eius nepotem vt veritatem rei inquireret; qua comperta Cardinalis eum in Palatium ſuum detulit, vbi poſtquam rebus fidei ſatis inſtructus fuit, inſignì pompa Baptiſmum ſuſcepit, nomẽque ſortitus D. Ioannes Guaſtavilani. Et poſtquam idiomate Italico loqui, & ſcribere didicit, ad Seminarium Romanum delatus eſt, ſed magis ad arma, quam ad litteras propenſus evaſit. (Ego familiariter cũ illo egi, & quę narravi mihi retulit.) At vbi Turcæ patricij, & nobiles redempti fuere, & Pater adoleſcentis inter ipſos maxime nobiles, in patriam ſuam rediturus enixe Pontificem ſummum rogavit, vt cum filio loqui ſibi liceret, dictitans, filium puerorũ inſtar deceptum fuiſſe, & vt hoc clarũ fieret ſinerent cum eo loqui, nam ſtatim ac Patrẽ videret omnia relicturũ, & abiturũ ſecum filium. Scivit Pontifex minime deceptum fuiſſe iuvenem, & nullum adeſſe periculum, & ita copiam Patri fecit vt cum filio loqueretur coram aliquo honorato Viro, ne violentiam adoleſcenti inferret. Pater pervenit ad fores Seminarij Romani, quod tunc ſitum erat in ædibus D. Marci Antonij Colonæ propè Templum Sancti Apoſtoli. Deſcendit Pater Claudius Aquaviva tunc Rector Seminarij, & cum ipſo aliqui ex Societate deſcendimus, (& ego præcipuè comitabar D. Ioannem Guatavilani, illamque conſolebar ne deficeret,) deſcenditque Paulus Vrſinus Iordan. Magna erat frequentia rhedarum, carrucarumque Turcorum nobilium, & aliorum eos vſque ad littus comitantium, in foro Sancti Apoſtoli, itaque iucundum omnibus, & mirabile ſpectaculum fuit. Accepit parens

D. Ioannis inrehedà cum alijs nobilibus, loquutuſque eſt cum filio D. Ioanne, qui nec amplexus parenti abituro conceſsit, nec eius manum exoſculari voluit, nobis vt faceret perſuadentibus; pater lacrhymis madens dolorem aperuit, & matris quoque futurum, ſi filium non videret: adijcitque pater, ſibi facultatem conceſſam à Papa, vt illum ſecum adduceret, quapropter haud metu, & periculo in rehedam aſcenderet: at iuvenis quo magis eius pater animi dolorem lachrymaſque oſtendebat dictitando, *Deceptus fuiſti, deceptus fuiſti*, eo magis animus, deſpiciensque paterni affectus D. Ioannes oſtendebatur. Itaque animoſe reſpondit, ſe minime deceptum, ſed potius à Cœlo edoctum, & illuſtratum fuiſſe, ſeque parvi habere parentes in æternum arſuros in inferno: & cum lachrymas innanes patrem fundentem aſpiceret, quin eum vellet ampleeti, ex oſcularique manum (vt dixi) iuvenis terga vertit, & parentem reliquit. Ego iuvenem vidi lætè exultantem ſcalam Seminarij aſcendere triũphanti ſimilem, & ſibi de victoria magna gratulantem. Hæc Pater Caſas.

§. VIII.

Mirabilis conuerſio Regis de Fez, poſtea Baltharis de Loyola Societatis
IESV.

NOTA eſt in Italia, & Hiſpania mirabilis huius Principis converſio ad noſtram Sanctam Fidem, & eius in Societatem noſtram ingreſſus. Obijt Matriti anno 1667. omniſque Hiſpaniç nobilitas ſupremis honoribus funeris exequias proſequuta eſt. Et RR. P. Petrus Eſquex Concionator Regius eius virtutes, & converſionem magno cum auditorum plauſu, & admiratione è pulpito expoſuit. Eius vera effigies in Colegio Imperiali cum hac inſcriptione appenſa eſt.

P. BALTHASAR DE LOYOLA, Olym, Muley, Mahumet, Athaſi, Gerife, Rex, Pater, & Filius Regum Fez: Miraculoſe factus ex Mauro Chriſtianus, ex fortiſsimo Duce, qui armorum vi in ſuam poteſtatem redegit iam amiſſa Regna Tafilat, & Marroci, pauper miles Societatis Ieſu: ex obſervantiſsimo Alcorani Zelatore Eximius Evangelij præco: miſſus à Summo Pontifice ad illud diſſeminandum in vaſtiſsimum Magorij Regnum; diem extremum clauſit in Collegio Imperiali Matritenſi, ætatis ſuæ anno 37. à Baptiſmo ſuſcepto 14. à præsbyteratu in Societate Ieſu 6. die 15. Septembris anni 1667.

Fuerunt qui revocarent in dubium eius genus, cum præſertim ipſe abſtineret ab omni verbo, quod talem gloriam poſſet redolere, quod ipſum à malignis malè capiebatur. Quare ei Pater Spiritualis iniunxit, vt ſcriberet genus ſuum, & vocationem ad Chriſtianiſmum; idque ipſe præſtitit fideliſsimè, & ego epiſtolę ab eo ſuper hac re ſcriptæ exemplar ad verbum tranſcriptum apud me habeo, quod ſtatim ſubijciam. Et Pater noſter Generalis, vt fidem apud exteros poſſet facere minime dubiam, curavit, à Patribus noſtris, qui erant in Africa, tranſmitti: Abeſſet ne à Regno Fez filius Regis? Fuiſſetque ductus à Militenſibus navibus captivus? Quomodo vocaretur? Quo tempore abijſſet? A quibus reſponſum tulit omninò idem cum eo, quod P. Balthaſar deſcripſerat ex mandato Patris Spiritualis. Illud autem ita habet,

---

EGO BALTHASAR DE LOYOLA, MENDEZ INDIGNISSIMVS DOMINI NOSTRI IESVCHRISTI, AC SS. EIVS GENITRICIS SERVVS HAEC AD IPSORVM MAIOREM GLORIAM

CVM MIHI A PATRE MEO SPIRITVALI IMPOnatur, vt rationem reddam de ijs omnibus, quæ ad me attinent circa res tàm temporales, quam ſpirituales, eius imperio obſecuturus,

turus, quoad memini, hæc omnia ſubiicio: (Et plurima ſubdit infimę animi demiſſionis, & altiſsimę in Dominũ laudis, quod tã miſericorditer ſecum agere dignatus fuerit, quæ operi intermiſcens ego brevitatis cauſa omitto.)

In Vrbe Fez ortum duxi, fuitque mihi nomen datum Mahumed Attazi. Parenſque meus dicitur Agid, Aluaid, Intah, Mahumed, & in præſentia toti Regno Fez, vti Rex dominatur. Partus iſte præcũ fructus videtur poſſe dici; nam Parens mea vouit Deo, Cæli, terræque Creatori, ſi marem conciperet, ſe eum Diuinæ Maieſtatis conſecraturam fuiſſe, & ita contigit. Cum ad quinquennium perueni, dati fuerunt mihi præceptores, vt me, & in litteris, & Religione erudirent. Sed accidit ſæpius res mira, quod cum ijs ſacrilegis doctrinis imbuerer, ſæpius ea intrinſecus execrarer, & blaſphemijs inſectarer. Quod coactè cum agerem, quodã modo diſplicebant inde mihi non paululum: Quin ſemel SS. IESV, & MARIAE nomina protuli prorſus ignarus quid illa ſignificarent; & cum Parens mea adeſſet, increpauit acerbè; & extorquere conata, vndenã ea audiuiſſem, timore faſsũ me, nec ſcire quid ſibi vellent, nec vnquã intellexiſſe, monuit ne amplius proferrẽ, cum eſſent Chriſtianorũ Mahumet inſenſorũ verba; in ſuo cubiculo me noctu quieſcere volebat; & noctu radios ſupra caput meũ, vt luctantes vidi; nec timens tegumento vllo valebã effugere illorum ſplendorẽ; & ſæpius vidi mulieres pulcherrimas albis indutas veſtibus. Cum attigi 14. an. petij connubio iungi, & intra annũ, qui præterijt, duxi, & tractaretur res, & pararentur feſta, duxi Principẽ Dominã; ſed inter hæc gaudia non cumulate gaudebat cor meũ, & benè iam noui, quid mihi deeſſet, cũ à Domino meo Ieſu abeſſẽ; qui ſolũ cumulata poteſt gaudia præſtare. Inceſsit cupido, poſtquã binas ex vxore filias ſuſceperam, inuiſendi Mechã, vt ea omnia ſpiritualia bona conſequerer, quæ illuc eũtibus largè impertiri à cæcis illis, ducibuſque cæcorũ audiebã; & me præſertim incitabat, quòd ſæpius intellexeram, qui Mechã non viſiſſet mortẽ oppetiturũ, vel Iudæũ, vel Chriſtianum. Ne igitur huic periculo ſubiacerẽ, illuciter deſtinaui; ſed incredibile eſt quanta vi Parentes, vxor, Magnates id impedire conati ſint; eo genitor deuenit, vt mihi omnia negaret ad iter neceſſaria; ſed ego cõtra adeo flagrabã deſiderio eũdi, vt pænè ignis eſſet meo in corde. Tãto hic magis inflãmari, & corroborari videbatur, quãto ei aditus erat magis occluſus; adeo vt decernerẽ abſque vllare iter capeſſere, ſed rogatus, vt per annũ ſaltẽ differrẽ, æquitate poſtulationis flexus veni in hanc ſententiã; & interim natus eſt mihi filius. Demũ ſumma vi obſtaculis omnibus ſuperatis, quãuis, vt prius, omnibus inuitis, & ſola genitrice mei miſerata itineris viatici cũ ſuppeditãte, ſuſcepi iter. Peruenj Tunetũ; vbi magnificè fui exceptus, ibique fui per plures dies ab maris exagitationẽ vehementiſsima: his diebus vidi noctu dormiẽs hominẽ albis indutũ, quime circunducebat variis Tuneti vijs. Cui dixi: Quò me vis ducere? Et ille repoſuit mihi; in Chriſtianorũ regiones, nã Deus vult te ibi mori. Dixi hanc rẽ variis, qui reſpondebant mihi, hãc Diaboli fuiſſe impreſsionẽ; vt me deuiaret; & ego reuera intra me contẽnebã: Quomodo namque id futurũ, ſi modo ab eo? Et quidẽ abiui, ſed non quò credebã: nã incidimus in naues Melitẽſes, quæ ſuma pace in nos impetu facto fecerũt captiuos. Erat no

bis tum ob nauium numerum, tum ob militum experientiam, quomodo resisteremus; sed Dominus voluit, vt non essemus simul, vt non timeremus, & (nescio modum certè) captiui duceremur, sed gloriosa captiuitate nulli comparabili libertati. Ductus sui Melitam, & nihil ego de me dixi, aliquis tamen meorum dixit, quis ego essem. Propterea non siuerunt me esse, vti mos est, 40. diebus extra Melitam; sed statim fui oblatus ad magnum Magistrum; & statim confluxus equitum adfuit me interrogantium de Patria, & genere: Sed dies mei tunc erant maxime tristes; semper enim eram in luctu, in suspiri js, in afflictionibus. Occurrebant Patria, Parentes, vxor, Filij, cognati, charique. Displicebat mihi agere cum hostibus Mahumetis, & spem concepi rem meam promouendi in his miserijs, restaurans labantem Melitæ apud Turcas Religionem Mahumetis; eram enim ego maximè peritus illarum sacrilegarum nugarum. Scripsi igitur Alcoranos, impugnaui Christi veri Domini, Patris mei, & Veri Regis sanctissimam doctrinam. Nunc benè noui, Domine, & scio te mihi condonasse hæc scelera, cum fui lustratus Sacro Christimate. Quinque annis Melitæ fui semper in his tricis; libertatem quærebam, & non erat modus. Regio mea nimium aberat; qui redimeret non erat nisi Rex Tunetanus, cui de me cura iam in itinere fuerat demandata. Sacra Equitum Religio nolebat indicere Redemptionis pretium. Demum facta fuit conuentio pro me, ac meis 40. millium scutorum Melitensium, quæ Tunetanus Rex persoluit. Interim Melitæ videndam se mihi præbuit SS. Mater mea, Mater Domini mei Iesu-Christi, quæ dormienti mihi dixit ter: Te in filium meum accipiam. Experge factus credidi id futurum post mortem: nam Turcæ B. Virginem vt Messiæ Matrem, non tamen Dei credunt. Scripsi ad Regem Tuneti, vt expectaret me redeuntem, & iter inde prosequuturum ad Mecham. Respondit vt proficiscerer: sæpius rebus ad iter adornatis reperi difficultates. Demum ad extremum discessurus cum noctem insomnem transegissem, ante me contuli in cubiculum, vt paulum quiescerem, totus in his cogitationibus. Quid sibi volunt tot impedimenta, tot aduersitates, in hisce annis? Aliquid à me quærit Dominus. In his curis ob dormiscens, ecce videre mihi videor duo maria, alterum nigerrimum, alterum igneum; & quod cum natassem in nigro, iam aduentarem ad igneum; quapropter accerrime inclamare: Adiuvame Domine. Cum in altissimo monte vidi virum, manum porrigentem, illinc extrahentem, & in tuto ponentem; petij ab eo, ecquisnam esset: ille mihi: ego sum Sanctũ Baptisma: ego si tibi desim, nullus hominum saluum te reddere potest: te ideò Deus tot obstaculis in Christianorũ finibus distinuit, vt Christianorũ albo adscribaris. Sopore excussus, visus mihi repentè sum alter homo: negligere Patriam, & Parentes; frigere cupiditatem abeundi; detestare mentem visendæ Mechæ; abominari Mahumetem; & solum curam esse de dando Sanctæ Christianorum Religioni nomine. Accidit id peruigilio S. Antonij Patauini anno 1656. Ecquis festa, & admirationes equitum, ac Magni Magistri valeat referre? Sed difficilius tamen gaudia cordis mei exprimere; quam dulce sit, Domine, tibi seruire, & quam

suauis

ſuauis conuerſatio tua ; & verè mandata tua dulciora ſuper mel , & fauum. Nihil ſonabat in auribus meis tunc acerbius , crudelius , magiſque abominatum, quam iter , quam Turcæ , quam Mahumetes ; & Equites illi de induſtria fingebant aduenisſe , qui me redimeret , gaudentes cum cernerent me adeò ab illo mutatum. Sed mihi bellum exortum eſt inde cum meis antiquis ſocijs , famulis obtendentibus fidem demandatam ſibi de me ; ſed largitus erat Dominus conſtantiam ad longe grauiora. Dicebant : Quomodò viues ? Neſpera è Patria ; ne è Rege Tunetano. Sed ego : precario viuam , & mendicus. Interim à meis derelictus , & rebus omnibus deſtitutus adij , decretum meum ei collaturus, Dominum Balium de Mandola , qui auditâ re abiecit ſe in terram deoſculans ; & gratias agens Deo accepit me vt Filium , & ſuppeditauit largiſsime omnia , ædes ſuas, famulatus , & dominium rerum omnium ſuarum , duxit me ad Magnum Magiſtrum : qui dixit mihi : Deminus eſto rerum omnium , quæ ſunt Melita. Et aliquibus è ſuis impoſuit , vt quæcumque vellem , mihi darent , & inſeruirent. Non petij tamen ab vllo quicquam , affatim deſideria preueniente D. Balio. Inde traditus fui PP. Societatis , vt inſtruerent me. Fuit aſsignatus Pater , qui me omnia docuit. Iuſsit in Patronum peculiarem accipere S. P. Ignatium apud Dominum Deum ; accepi , & verè immunera beneficia ſuſcepi. Et eius die Feſto benè inſtructum , ſacra me aqua tinxerunt in Miſſa ſolemni. Interim domeſticæ perſecutiones augmentum non contemnendum fecere ; nam præter eas , quas Melitæ vſque ad mortem ſuſtinebam , nam occidere me volebant , ex vxore mea tenerrimam epiſtolam accepi , qua nuntiabat mihi Patris obitum , & impacientiam , qua (me ad Regnum vocans , ad quem iure ſpectabat) me præſtolabatur. Sed omnibus reſtiti , aſſerens me nihil omnino quicquam velle præter Deum ; & cogitantibus Equitibus de conferenda mihi Cruce nihil decernebam , idem perpetuo reiterans. Aſsignauit Religio 15. ſcuta Melitenſia ſingulis menſibus , quoad vixero , & vt filium acceptarunt. Dedit mihi iuxta ritum enſem , quem ad S. Virginis aram appendi poſt aliquod tempus in Domo Profeſſa Meſanenſi : vbi habitum indui Clerici ; & fui apud PP. in eorum Domo.

HIC HIC definit Author. Addit autem Pater ſpiritualis quę ſequuntur. Quorum omnium fidem maximam præſtat præclariſsima eius vita omnibus ornata virtutibus, & quidem adeo eminenter, vt Religioſis, quibus cum vixit, & adeò parũ profecerunt, vti ſum ego, ſit pudori non exiguo. Ad obedientiæ ſigna promptiſsimus, in Refectorij pœnitentijs frequens, in recreationibus hilaris, ſed ſemper de rebus diuinis, & illuſtrationibus adeò viuis, adeò acutis, vt mirum ſit. Sed quod ſemper præ omnibus admiratus ſum, eſt candor, quo agit cum P. Spirituali ; nihil decernens, quin ei primum aperiat, & ab ipſo approbetur ; ne latum quidem vnguem ab eius voluntate diſcedat. Quę omnia, qui in tali Viro non admiratur iniuriam inferre mihi videtur omnipotentiæ diuinæ gratiæ, quæ ſua pietate præſtet ; vt quotidie in eius ſancto ſeruitio creſcat in mille millia, vt & omnes eius Fratres. Nam in Societatẽ Ieſu eſt iã adoptatꝰ, quã tanto proſequitur amore, vt nemo poſsit amare magis.

Poſtquã in Societatẽ admiſſus brevi annorũ decurſu tum in litteris, tũ præcipuè in pietatis ſtudio maxima ſedulitate verſatus, iam ſapientia, ac ſanctitate publico bono maturus, Sacrum B. V. Sodalitiũ ſer-

vorum in Domo professa Neapolitana, moderandum suscepit, in quo solerti, nõ minus in concionibus, quam in confessionibus cura ingentem animarum fructũ excipiens, magnum ardentis suæ in proximos charitatis exhibuit argumentum. Residẽti in portu Navali triremium classi assiduus aderat, Muhumetanos hic maxima in copia emancipatos convocabat, quibus tanto rationum pondere, tanta spiritus vehemẽtia prava Mahumeti dogmata opponebat, ac refellebat, vt frequentibus horum Maurorum conversione iratus Avernus, proditorio vnius impij Mauri astu, qui deinde fidà conversione, doli improbitatem in propriæ salutis argumẽtum convertit, veneniferam tanto Viro, oblatam in flore mortem, ab ipso, divini luminis monitu declinatam, intentaverit. Pari eventus fœlicitate, sed non minori proprię vitæ discrimine; Genuæ non paucos huiusmodi Mauros convertit. Nam cum plurimos illorum ab errorum tenebris in lucem Catholicę veritatis adduxisset; accidit quadam die vt dum in quadã triremi Genuẽsi magna circũstante Maurorum caterva concionaretur, Alcoranũ confutaturus, extraheret; primo Alcorani aspectu omnes dimissis in obsequium frontibus in faciem provoluuntur. Exarsit tali intuitu, Patris Zelus, librum in terram proicit, pedibus conculcat, conterit, diffringit, & vocibus divino spiritu afflatis in insanũ tam perfidi legislatoris volumen exoneratur. Accẽdit barbaros Maurorum animos Patris in Alcoranum contemptus; quem vlturi, in ipsum efferato impetu irruunt, & proculdubio crudeli morte trucidassent nisi adstantes triremis milites districtis ensibus invadentiũ Maurorum furorem retudissent. Italiam igitur tot eximijs suæ charitatis exemplis illustraverat, grandi animo in spem Africę conversionis erectus, nulla laborum asperitate detentus, nulla periculorum arduitate dejectus, nulla mortis severa fronte perterritus, omnibus votis ad maiora divinæ gloriæ incrementa anhelans discessum in Africam Divino Christi Imperio submittendam meditabatur.

Instruit iter, cui ineunte æstate maxima celeritate se committens ex Italia discedit: in Hispaniam tendens, quo brevi temporis interiectu, pervenit, vndique in itinere virtutis vestigia imprimẽs Galliam pervadit. Nobilem non minus Hispaniæ, quam Europæ Vrbem Maritum petit, vbi tum assidua longi itineris agitatione, tum exęstuante tunc temporis calore concepto, viribus exhaustus, inopino morbo corripitur, qui illicò eò excrevit, vt omni salutis spe destitutus ad mortem celeriter properaret. Hæc inter, Nobilissimus Aulæ Regiæ Eques, Mauro mancipio comitatus Patrem invisurus adest. Admittitur exceptus ab ægroto ea humanitate, quæ pietati non minus, quã nobilitati tanti viri debebatur. Post brevem cum tanto equite discursum de suis in Africam votis, ad Maurum convertitur, quem tanto spiritus fervore alloquutus est, vt omnes adstantes, quantum ardẽtem ipsius zelũ mirarentur: tantum Africæ infœlicitatem intempestiva tanti viri morte, deplorarent. Nam paulo post inflammatis Cœli desiderijs conflagrans, & veluti novus Paulus cupiens dissolvi, & esse cum Christo, sive cum Regio Psalte lætatus, quod in domum Domini ibit, totus æquo divinæ voluntatis imperio conformis ex hac vita discessit, eo magis in posterorum memoria immortalis victurus, quo liberalius vitam in viridi suæ ętatis flore, immatura morte reçisam, in animarum salutem immolavit.

Tàm celebris fuit Principis huius fama in Matritensi curia, in qua obijt, vt celeberrimus Poeta Comicus D. Petrus Calderon de la Barca selectissimam de eius conversione, & rebus gestis comędiã ediderit sub hoc titulo *Magnus Princeps de Fez D. Balthasar de Loyola*, quæ ingenti eum plausu ab Scenicis sæpè in præcipuis Hispaniæ Vrbibus repræsentata est.

§. IX

Alia Exempla

HIS exemplis aliud adnecto, quod narrat Sanctus Eulogius Episcopus Toletanus, & Martyr in opere cui titulus *Memoria Sanctorũ*. Refert itaque Sanctus Martyr, eo tempore, quo Hispania Mauris subiecta erat, iuvenem Carduvensem professione Mahumetanũ sæpè rogatum esse ab amita Christiana, vt Christianus fieret; cuius autem consanguineos Mahumetanos solicitè curasse, vt linguam Arabicam addisceret, quod cum ille fęliciter præstitisset, legisse Alcoranum, & ex eius lectione clarè cognovisse sectam Mahumetanam falsam, & inventionem hominum esse, & idcircò illã ex intimo cordis affectu execratum fuisse; Christianam Religionem cum Baptismo

tiſmo ſuſcepiſſe; & eam palàm profeſſum fuiſſe; & ob eã cauſam illuſtre martyriũ ſubijſſe à Mauris, qui illum crudeliter trucidarunt, quia cum eſſet à parente Mahumetano genitus, à Religione parentis diſceſerat. Additque S. Eulogius, ſi aliquis Catholicus velit falſitatem ſectæ Mahumetanæ clarè deprehendere, nullo alio opus ipſi eſſe, quàm cum ſapiẽtoribus Mahumẽtanorũ ſermones de Religione miſcere, & ab ijs interrogare, quid credant: eis enim auditis, quæ ipſorum lex docet, ſtatim cognoſcet, illam eſſe mendacem, & Deo Authore indignam.

Sed vt ab exemplis converſionis Maurorum ad alia tranſeamus: ſanè mirabilis modus, quo multi vel à Iudaiſmo, vel à Gentiliſmo tracti ſunt à Deo ad credendum firmiter, hominem crucifixum eſſe Deum; & Deum vnum in eſſentia, eſſe in perſonis Trinum, manifeſte evincunt Religionis Chriſtianæ veritatem. Talis fuit miraculoſa Sauli converſio Act. 9. Eunuchi Candacis Reginæ Act. 8. converſio Conſtantini Imperatoris: converſio Auguſtini: converſio Æditui idolorum, quæ legitur in vita S. Gregorij Taumathurgi: cõverſio Principis Ioſaphat à S. Barlaam, quam habes apud S. Ioannem Damaſcenum, & apud P. Petrum de Ribadeneyra in extravagantibus. Converſio Pauli de Sancta Maria, qui cum eſſet Hebræorum Rabbinus ſapientiſſimus, legens gloſſas, quibus perfidi Hebræi contra veritatem Evangelij ſacras litteras exponunt, agnovit eas mendacia multa contra ſacros libros continere; & ſic Talmudi fabulas dimittens, ad Chriſtum acceſſit; ſecum ad Baptiſmum pariter ducens filios; & quia vxori perſuadere non potuit vt ipſum imitaretur, ab ea diſcedens, factus eſt Chriſti Sacerdos, & ſtrenuus Evangelij præco; & inter omnes ſuæ ætatis homines litteris, & ſanctitate excelluit; & Epiſcopus Burgenſis, magnuſque Cancellarius Regũ Caſtellæ creatus eſt, & ſapientiſſimè contra Iudæos ſcripſit ad an. 1430. Celebris quoque fuit converſio Rabbi Samuelis in ſecta Iudæorum educati, qui cum magno eſſet præditus ingenio, res ſuæ ſectæ conſideranſ, & veritatem ſacræ Scripturæ contẽplans, clare cognovit cæcitatem, qua miſeri Iudæi laborabant, & Chriſtianæ Religioni nomen dedit, validiſsimiſque argumentis à ſacra Scripturis petitis probavit Ieſum Nazarenum à maioribus ſuis crucifixum, eſſe verum Meſsiam Iudæis promiſſum, verumque Deum & hominem, qui mundum à captivitate peccati liberaturus advenit; vt refert Genebradus in Chronol. an. 1200.

Inſignis etiam fuit converſio Magiſtri Andreæ à ſecta Iudæorum; qui cum magno ingenij acumine polleret, aperte cognovit falſa & vana eſſe ſuæ ſectæ dogmata, & cupiens veritatis ſemitam agnoſcere per quam ad æternam fœlicitatem tenderet, in Hieroſolimam peregrinationem inſtituit, preceſque ad Deum fudit, vt mentis ſuæ tenebras illuminare dignaretur: & ea in oratione inſpirationem accepit, vt doctrinam antiquorum Rabinorum legeret, qui ante adventum Nazareni floruerunt. Quod cùm opere compleviſſet, clare cognovit, eos ſacram Scripturam expoſuiſſe ſicut eam exponit Evangelium de Regno ſcilicet Meſsiæ, non temporali, ſed ſpirituali, non de bonis terrenis, ſed de ſpiritualibus à Meſsia adducendis. Quare Chriſtum in Baptiſmo induens, peritiſsimus fuit ſacræ Scripturæ interpres, eamque publicè Romæ interpretatus eſt, accepto annuo ſtipendio à Summo Pontifice, qui Iudæis præcepto iniunxit, vt eum ſingulis ſabbatis audirent, cum magno animarum fructu; ſapientioreſque ſtupebant viri ſapientiam, & in ſacris litteris exponendis peritiam. Et vitam protaxit vſque ad Pontificatum Syxti Quinti.

Sed maximè eminuit Romæ converſio Marij Victorini inſignis Philoſophi, & Oratoris præſtantiſsimi, & Romanorum Senatorum Magiſtri, quam deſcribit S. Auguſtinus lib. 8. confeſ. cap. 2. cuius exẽplo ſe quoque arſiſſe affirmat ardore fidei ſuſcipiendæ: tanta ille claritudine apud Romanos Ethnicos floruerat, vt ex Senatus Cõſulto donari meruerit ſtatua in foro Traiani, vt tradunt Auguſtinus, & Hieronymus. Hic talis tantuſque vir in ſenectute à Deo illuminatus eſt, vt cognoſceret Chriſtum à Iudeis crucifixum, eſſe verum Deũ, eiuſque Crucem, libentiſsime amplexus eſt. Quis hanc mutationem fecit, niſi omnipotentia crucifixi?

Denique vt alia omittam exempla, Iuſtinus Philoſophus, qui prope tempora Apoſtolorum floruit, poſt tentatas omniũ Philoſophorum ſectas veræ ſapientiæ adipiſcendæ cauſa, veram Chriſtianæ Religionis ſapientiam invenit, Chriſtum crucifixum adorans vt verum Deum; & hanc fidem ſcripto defendit, & tandem pro illius veritate ſanguinem fudit. Martyrioque coronatus eſt Romæ, anno Chriſti 165.

§. X.

Conuersio mirabilis multorum infidelium spectantium martyrum atrocissima tormenta, ad eam fidem amplectendam, pro qua tam dira videbant tormenta homines pati, clarissimum est veritatis Christianæ Religionis argumentum.

QVIS enim nisi Deus omnipotens potuit subitò cor infidelium ita mutare, vt eam Religionem amplecterentur, pro qua videbant homines igne torreri, liquato plumbo aduri, vncis ferreis dilaniari, & alia atrocissima tormenta tolerare? Huiusmodi autem conversiones passim leguntur in actis martyrum. Talis fuit conversio S. Romani militis qui videns Angelum abstergentem sudorem Beati Laurentij in craticula positi clamavit: *Video ante te iuvenem pulcherrimum, festina me Baptizare.* Et vt testatur Martyrologium Romanum die 9. Augusti propter Baptismum publicè petitum, *fustibus cæsus, ad vltimum decolatus est.* Talis quoque fuit conversio illius fœlicis ianitoris, qui cum quadraginta milites Cappadoces tempore Licinij Imperatoris post vincula, & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus facies, in rigens stagnum missi essent, vbi gelu constricta eorum corpora distum pebantur, solus vigilabat, cæteris custodibus somno deditis, & videns Angelos è cœlo descendentes cum coronis triginta novem, sic secum ratiocinabatur: *Quadraginta hi sunt*, quadragesimi corona vbi est? Quæ dum cogitaret, vnus ex illo numero, cui animus ad frigus ferēdum defecerat, in proximū patefactum balneum desiliens, sanctos illos summo dolore affecit. Verum Deus illorum preces irritas esse non est passus, quorum omnium vna fuerat oratio: *Quadraginta in studium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, corona donemur, nec vna quidem huic numero desit.* Nam rei eventum admiratus ianitor, mox custodibus è somno excitatis, detractisque sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, martyribus se adiūxit, & cum illis martyro coronatus est. Vt habes in Breviario Romano die 9. Martij.

Talis etiam extitit conversio S. Genesij celebris inter Romanos mimi, seu comœdi faceti & lepidissimi, cuius vitā habes apud Petrum de Ribadeneyra tom. 2. Floris Sanctorum extragartium, die 25. Augusti, de quo Martyrologium Romanū ad illum diem: *Romæ Sancti Genesij Martyris*, qui primùm sub gentilitate mimus, cùm in theatro spectante Deocleciano Imperatore, mysterijs Christianorum illuderet, à Deo inspiratus, repente conversus ad fidem, & Baptizatus est, mox Imperatoris iussu fustibus crudelissimè cæsus, deinde in equuleo suspensus, & vngularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide Christi persisteret, dicens: non est Rex præter Christū, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis, martyrij palmam, capitis obtruncatione *promeruit.* Idem Martyrologium, die 14. Aprilis memoriam colit S. Ardalionis mimi, qui cùm sacris Christianorum in theatrō illuderet, de repēte mutatus ea non solum verbis, sed testimonio sui sanguinis comprobavit. Item die 15. Septemb. memoriam facit Sancti Porphirij mimi, qui coràm Iuliano Apostata per iocum Baptismum suscipiens, Dei virtute de repente mutatus, Christianum se esse professus est, ac mox iubente eo, secuti percussus martyrio coronatus est.

Cùm præsens adesset martyrio sanctorum Chrysanti, & Dariæ Claudius Tribunus, qui eos torquebat, cum sexaginta militibus, animadvertens quanta lætitia Sancti Martyres perferrent atrocissima tormenta, quousque viventes terra, & lapidibus obruti sunt; ipse cū militibus illis ità firmiter Christo adhæsit, vt pro Christo omnes mortui sint, vt habes apud Surium tom. 5. Octo crudelissimi milites, qui sub Alexandro Severo Sanctam Martinam Virginem diversis tormentorū generibus cruciarunt, & tandem gladio iugularunt; Sanctæ Virginis constantia, & sanctitate ita permoti sunt, vt Christi fidē amplexi pro ipso vitā martyrio dederint. Vt habes apud Surium tom. 1. Martyrologium Romanum, die 21. Augusti memoriam celebrat Anasthasij Corniculatij (id. est in castrēsi militia nobili equite) qui cū videret B. Agapytum constanter tormenta perferentem conversus est ad fidem, & pro confessione nominis Christi iubente Aureliano Imperatore, martyr migravit ad Dominum.

Et die 20. Septembris celebrat memoriam S. Evilasij idolorum Sacerdotis, qui intuitus constantiā, qua S. Fausta Virgo crudelissima tormenta sub Maximiano Imperatore pertulit, in Christum credidit, & vna cum Sancta Virgine martyrio coronatus est.

Denique vt alia omittam, miles, qui S. Pau-

Paulum Apoſtolum iugulavit, & triginta quatuor eius Socij, videndentes ſpectaculũ illud admirabile, quod nimirum Sanctus Apoſtolus, tàm hilariter pro Chriſto cervicem gladio ſuppoſſuerit, & quod loco ſanguinis lac è vulnere fluexerit, libentiſſime fidem amplexi pro Chriſto martyriũ ſubierunt. Celebrat hanc converſionem S. Ioannes Chriſoſtomus, meritò admiratus, quod animus ferox illius militis tàm celeriter factus ſit mele ſuavior, & dulcior. Has & alias converſiones expendere poterit Chriſti miniſter coram Mahumetanis, & ab illis quærat, an vnquam in ſua ſecta ſimile quid contigerit? Inde concludat, nõ poſſe non eſſe veram Fidem illam, quæ Chriſtũ crucifixũ vt Deũ adorat, & Trinitatem perſonarum in Deo colit; quandoquidem ſolus Deus potuit hanc fidem interne perſuadere ijs, qui videbant Chriſtianos tam crudeliter torqueri pro confeſsione illius: Deus autem fidem falſam inſpirare non poteſt: ergo veriſsima eſt hæc fides.

Audiamus S. Iuſtinum Philoſophum & martyrem, qui ex alacritate, qua Chriſtiani pro Chriſto patiebantur tormenta, optimè intulit eos eſſe viros probos & ſanctos, & veram Religionem profiteri. Sic enim ait in Dialogo cum Triphone apud „ Baronium anno Dom. 130. Ego ipſe (in„ quit) Platonis diſciplinæ ſectator, cùm „ calumnioſe audirem Chriſtianos defe„ ri; intrepidè autem ad mortem, & alia, „ quæ terribilia cenſentur, omnia adire „ conſpicerem, ſtatui ipſe mecum, fieri „ haud quaquam poſſe, vt illi vitijs, & „ voluptatibus ſervirent. Quis enim vo„ luptatum ſectator, aut per animi impo„ tentiam obtemperans in humanarum „ carnium dapes, pro bono ducens mortẽ „ amplecti queat, vt bonis ſuis ſeipſum „ privet, ac non potius bonis omnibus, vt „ hanc ſibi perpetuo vitam agere, & ce„ lare Principes, & Magiſtratus fallere „ liceat, operam naver, nedum per denun„ tiationem, & indicium ſeipſum cædi of„ ferat?

Finio materiam hanc exemplo admirabili, quod ſcribit Nicephorus Calixtus lib. 17. Eccleſ. Hiſt. c. 6. In civitate „ (inquit) cui Nigræ nomen eſt, egregium „ virilis animi ſpecimen dedit quidã puer „ Martyr mulierculæ vnius ex ijs, quæ ad „ pyram accenſam rapiebantur pro Chri„ ſto, filius. Hũc etenim tenderum adhuc, „ tyrannus retinens diſtrahere à matre cõ„ nabatur, demulcens illum, & quidquid „ ad animum adoleſcentuli alliciendum „ faceret obijciens. Ibi vero matrem puer „ aſpiciens, femur Tyranni momordit, atque ad illam procurrit, atque ita vna cũ „ matre ſacrificium ſuave olens per litatio„ nem ad Deum eſt tranſmiſſus. Quis „ hic non agnoſcat omnipotentiam Dei „ interne moventis puerum ad morien„ dum pro fide, quæ Chriſtum vt Deum „ adorat?

§. XI.

Singularis Dei Providentia, quam Author expertus eſt in Maurorum converſione, ſatis probat, Religionem Chriſtianam eſſe neceſſariam ad ſalutem viam.

FIDELITER narrabo, quod mihi accidit, circa converſionem Maurorum, vt hoc exemplo excitati alij Religioſi viri maiori virtute prẽditi, in Deo totam ſuam ſpem collocantes opus hoc intrepidè aggrediantur, & publicè ad Mahumetanos conciones habeant; quandoquidem ego talento, & ſpiritu carens, opus hoc ferè imparatus incæpi, & fœliciſsimum exitum expertus ſum.

Incubueram Miſsioni Granatenſi, anno 1668. tempore adventus, & quamvis in illa civitate plurimi ſint Mahumetani, nunquam mihi occurrit cogitatio concionem ad illos habendi. Tranſivimus poſtea Hiſpalim, & per quadrageſsimam in ea civitate Miſsionem fecimus, & in alijs vrbibus, & oppidis Hiſpalenſis ditionis per vernum tempus. Æſtatis autem tempore, quando ardentes calores Miſsiones intercipere cogunt, in Collegium Granatenſe nos recipimus: cum autem appropinquaret iam tempus iterum procedendi ad ſacras has expeditiones, & quinque vel ſex dumtaxat ſupereſſent dies ante conductum è Collegio egreſſum, in familiari, & Religioſa converſatione poſt prandium incidit ſermo de lege Mahumetana, & tunc R. P. Thomas de Leon Primarius Theologiæ Profeſſor iam emeritus, dixit ſe habere librum quendam adverſus Mahumetanã ſectam, quẽ commodatum acceperat ex bibliotecha Dom. Marchionis de Eſtepa. Pulſavit ſtatim animum cupido librum illum legendi; petivi, obtinui, & legi, & in compendium redegi. Erat autem liber iſte compoſitus à Ioanne Andræa, de quo mentionem fecimus ſectione 1. Egreſſi ſumus ad finem menſis Septembris P. Ioan-

nes Gabriel Guillem,& ego ad sacras expeditiones continuandas: cæterum antequam in Malacam contenderemus, invicem separati sumus cum alijs socijs, ille Alamam,ego Lojam profectus sui; & die Sanctæ Theresiæ sacro Malacam convenimus,vbi Illustrissimus,& Reverendissimus Episcopus D.Fr.Alphonsus à S.Thoma nos benignissimè excepit. Missioni Malacensi operam dedimus per aliquot hebdomadas in quius decursu accidit conversio Fatimæ, quam suprà commemoravimus pag. 558. illa vero innescatus sensi cor meum vehementer pulsari desiderio concionandi Mahumetanis. Finita itaque Missione Christianorum Illustrissimum Episcopum adeo rem communicaturus: sentio,inquam,in corde meo, Illustrissime Domine, ardens desiderium habendi conciones publicas ad Mahumetanos; & puto quod hæc cogitatio à Deo sit; certus sum enim, quod nihil temporale hic quæro, neque lucrũ,neque plausum,forsam Deus hanc cogitationem immisit, quia vult aliquos Mahumetanos hic convertere per hoc medium, vel causam suam magis iustificare, quò minorem suæ obstinationis in die iudicij excusationem habeant, vel aliquem alium finem suæ gloriæ nobis occultum intendit. Respondet primò Illustrissimus Dominus, multum se timere ne in vanum laboratem, quia Barbari isti, inquit,nec attendent,nec intelligent quę dicentur. Cui ego, probemus,inquam, Illustrissime Domine,experiamur,& quasi periculum faciamus; quia lucrum sperare possumus, damnum timere non possumus; si labor iste non profit illis ad conversionem,mihi proderit ad meritum: ego conciones istas ita disponam, vt si infidelibus fidem non persuaserint,fideles in fide confirment, quæ res in his oris maritimis, in quibus Christiani quotidie à Mauris capti abducuntur, maximè vtilis est; quia his concionibus auditis in fide amplius radicabuntur, & difficilius postea ab illa deficient. Approbavit consilium prudentissimus,& Religiosissimus Princeps,restabat eligendus locus opportunior ad has conciones habendas, non visum est Illustrissimo expediens, vt haberentur in templo, ne infideles irreverentiã aliquam in Augustissimum Sacramentum ostenderent. Postea tamen experientia docuit Mahumetanos non se irreverenter gerere in templo;& ideo Gadibus,Xera, in Portu Sanctæ Mariæ,Matrito,& alibi in templis cõciones habuimus. Diu deliberatum est de loco his concionibus apto,& tandem præelectum est Scenicum teathrum; quo incredibili studio confluxit civitas ad has conciones audiendas. Eventus monstravit cogitationem illam concionandi Mauris è cœlo demissam: nam in prima concione quinque infideles publicè Baptismum petierunt, & in tabulatum ascenderunt, ad amplexandum concionatorem, & ab illo accipiendum Rosarium Beatæ Virginis, quod in signum desiderij, quo flagrabant suscipiendi Baptismum,è collo pendulum gestabant. In secunda Baptismum petierũt octo:in tertia decem. Et sic completus est numerus triginta trium, qui solemniter eadem die Baptizati sunt, vt diximus supra pag. 550. præter alios non paucos, qui privatim Baptismum susceperc.

Iam suprà pag. 557. dixi, nos cum tribus Sacerdotibus sæcularibus missos ab Illustrissimo Malacensi Episcopo in Ceutam. Antequam illùc è Calpe navigaremus,stetimus in vrbe hac per duos, vel tres dies expectantes navigium Ceuta mittendum, quo illuc deferremur; in eum namque scopum accensa fuit tæda in vertice montis Calpe, ad cuius radicem civitas sita est, quo signo monebatur Ceutæ Gubernato, vt navigium transmitteret, quo veheremur. Interim Calpe brevem Missionem confecimus, in qua ego duos sermones habui in foro ad Mahumetanos; in eisque duo, vel tres conversi sunt. Postmodum cymbam conscendentes in Ceutã navigavimus,quæ à Calpe quinque leucis distat, sine cogitatione in Calpem regrediendi;Finita Missione Ceutica,in scaphã aliam ascendimus,navigationẽ versus Estęponam dirigentes, ad sinistram relinquentes Calpensem portum. Sed ecce,cum ad medium freti pervenimus nauclerus nuveculam detegit,quæ ventum contrarium,& tempestatem portendebat;admonuit,vt ad fugiendum naufragij periculum in Calpensem portum descenderemus: & illico scapham versus montem Calpem direxit, vt ad eius radicem navigantes securè portum possemus ingredi. Et ita incolumes eò pervenimus. Petivimus ab Excellentissimo Domino Marchione de la Laguna illius arcis,& vrbis gubernatore, vt nobis suppeditaret equos, ad iter faciendum primo mane:instabat enim tempus pergendi Matritum quò nos vocabat Excellentissimus Marchio de Aytona, qui per litteras rogaverat Illustrissimum Episcopum,vt Patres Missionarios in Curiam Matritensem mitteret, vt ibi tempore quadragesimæ Mis-

sio-

ſionem inſtituerent, iuſſerat tamen Illuſtriſsimus Epiſcopus, vt per tranſitum duo illa ſuæ Diœceſis oppida, ad oram maritimam ſita, Eſteponam ſcilicet, & Marueca Miſsione luſtraremus: nos autem cupientes iuſſa eius adimplere, profectionem maturare ſategebamus. Iam omnia parata erant ad iterfaciendum diluculò: pluebat tamen inceſſanter, & nos expectavimus aliquantulum temporis intervallum, vt pluvia quieſceret: & cum non ceſſaret, nihilominus diſceſſum meditabamur, ſed pro ſua in nos benignitate Dominus Marchio non permiſit, vt illinc abiremus, donec cœlum tantiſper ſereneret; cum verò iam meridies appropinquaret, decrevimus illic ea die remanere. Vix hoc conſilium remanẽdi inivimus, cum ſubitò mutatus eſt ventus; & ab occidente perflans, nubes diſsipavit, & cœlum ſerenum reddidit. Tunc ad me accedens vir nobilis, nõ hoc caſu, inquit, factum exiſtimo: dum Paternitates veſtræ non mutarunt conſilium proficiſcendi, cœlum faciem non mutavit; nunc vero, quia melius conſilium inierunt hodie hic remanendi, cœlum ipſum ſe apperire cepit, & ſerenum factum eſt: aliquid hic, vt ſuſpicor, intendit Deus: ego ancillam Africanam habeo, quæ mihi dixit, aliquas Mauras poſtquam veſtram Paternitatem concionantem audierunt contrà ſectam Mahumetanam, alijs iam oculis Chriſtianam Religionem proſpicere, & earum cor non parum illis concionibus emollitum eſſe; contingenſque proinde eſſe, vt aliquæ convertantur, ſi aliã concionem ad Mahumetanos habeat: rogo ergo Paternitatem veſtram, vt hoc veſpere aliã concionem ad illos habeat. Viſum nobis eſt hoc conſilium à Deo venire. Decrevimus, vt Pater Guillem concionem exhiberet Chriſtianis, & ego per modum tradentis Catechiſmum, & doctrinam explicantis ante concionem Chriſtianorum, pulpitum conſcenderem, & cum Mahumetanis de Religione loquerer. Probavit conſilium Dominus Marchio; & voce præconis per vicos & plateas edictum promulgavit, quo iubebat, vt omnes qui ancillas, vel ſervos Mahumetanos habebant, eos in Eccleſiam adducerent, quarta poſt meridiem hora. Congregata eſt tota civitas: & ante concionem Patris Guillem ego de neceſsitate Chriſtianę Fidei ad ſalutem diſſerui per dimidiam horam, vel tres quadrantes: & vt omnibus clarè pateret, illam pluviam, quæ nos detinuit, à Deo ſpeciali providentia ordinatam fuiſſe ad conver-

ſionem infidelium; quinque fœminæ Mahumetanæ, quæ ad audiendam concionem venerant, alta voce Baptiſmum in media Eccleſia poſtularunt. Quis hic non miretur Divinam Providentiam, quæ homines ad Religionem ita vocat? Signum ergo manifeſtum eſt, Religionem Chriſtianam ad quam Deus homines ita trahit, eſſe veram, & rectam ad cœlum viam.

Sequenti die cum eſſet iam tempus tranquillum ſcapham iterum aſcendimus, & verſus Eſteponam navigavimus, ad cuius oram Patrem Guillem, cum vno ex Sacerdotibus ſæcularibus dimittens, navigationem continuavi Maruecam vſque cũ alijs duobus; vt ſic invicem ſeparati citiùs Miſsiones illas abſolveremus. Et hic tõtigit quod ſupra pag. 557. narravi de obſtinatione Maurorum, qui Maruecæ commorabantur, & facilitate, qua omnes, qui Eſteponæ habitabant, ad Chriſtum converſi ſunt. Et Malacam regredientes, acceptà benedictione ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, ad Miſsionem Matritenſem profecti ſumus 2. die Februarij, anni 1670.

SECTIO IV.

Convincitur falſitatis ſecta Mahumetana ex eo, quod ponat hominis beatitudinem in delectationibus carnalibus guſtus, & tactus.

MAHVMETVS in ſecundo Alcorani capitulo ita habet: Deum prædicate bonos in paradyſum inducturum, vbi dulciſsimas aquas, poma que multimoda, fructuſque varios, & decentiſsimas ac mundiſsimas mulieres, omneque bonum in æternum poſsidebunt. Rurſus capite ſeu Zora 28. Credentes & benefacientes ſua non amittẽt opera. Illic namque paradyſum fontibus amænum, & illic annulos, & torques aureos, & ornatus fericos viridesque & deauratos poſsidebunt, & in lectis aulæatis accumbent: & hæc eſt maxima merces, & interminabilis. Et rurſus Zora 47. 48. & 62. paradyſi bona enumerat, nempe mulieres mundas, fructus dulciſsimos, aquas limpidiſsimas, lectos fericos, aulæa, pulvinaria, ſcyphos, pincernas, hortos, viridaria, fontes, &c. Neque hæc myſticè, ſed propriè & corporaliter intelligi voluit, & omnes intelligunt.

Joannes Andræas, qui prius fuit Mahumetanorum Doctor, & Alfaquinus, in ſuo opere contra Alcoranum cap. 9. affirmat, Ma-

Mahumetum in Alchorano asserere, Deũ creavisse septem paradysos, vel septẽ Mãsiones, quarum singulæ paradysus appellãtur; omnesque ex auro, argento, lapidibusque pretiosis constare; multaque ibi esse palatia. Insuper testatur, Mahumetum asserere paradysum promissum Mauris magnitudine æquare cœlos, & terram. Et meritò à Mahumetanis rogat, vt sibi exponant, vbinam futurus sit iste paradysus, si eius amplitudo tanta est, quantam continẽt cœlestes orbes, & terra? Insuper affirmat Mahumetum ponere in suo illo paradyso fontem quendam nomine *Alcauzar*, quæ ipsius Mahumeti peculiaris est, tantæ magnitudinis, vt penes longitudinem, & latitudinem septuaginta mille dierum iter contineat, eiusque aquam esse lacte candidiorem, & mele dulciorem, torque esse prope fontem illum vasa aurea, pateras, crateres, & scyphos ad hauriendam aquã, quot sunt in cœlo stellæ. Et in medio paradyso arborem ponere tantæ magnitudinis, & proceritatis, quantæ est ipse paradysos, quæ ramos proinde diffundat vsque ad paradysi muros; eiusque folia aurea, & argentea esse, & in singulis inscriptum esse nomen Dei, & nomen Mahumeti.

Insuper testatur Mahumetum in Alchorano asserere, Deum in quadam paradysi Mansione, quæ appellatur *Genetu Alcodux*, ideſt paradysus sancti, paraturum Mauris convivium magnum, lautumque epulum, quod Arabicè appellatur *Alrate Alcodux* mensam vero, in qua dapes sunt apponendæ, adamantem esse tantæ molis vt penes longitudinem & latitudinem septem mille dierum iter ambiat, dicit præterea, pincernas pulcherrimos, post alios cibos, ad extremum adducturos in mẽsam singulis convivis singula mala citrea, & ex eis prodituras Virgines pulcherrimas mire ornatas, & vnumquemque Maurorum, suam Virginem arctissimè amplexaturũ, & per quinquaginta continuos annos hunc amplexum duraturum, post hoc vero tempus Deum ostensurum illis faciem suam amotis velis, quibus regitur: postquam vero Dei faciem viderint, abituros ex illa Mansione paradysi in aliam, ibique per totam æternitatem mansuros cum illis pulcherrimis fœminis, vt ex cibo, potu, & mulierum consortio æternam capiant delectationem.

Quis hæc sine risu audire queat? quis non miretur, non stupeat, homines rationis compotes has fabulas, hæc ridicula somnia, vt articulum fidei credere, & tanquam magnum Prophetam venerari Mahumetum, qui talia confinxit. Certe Alcoranum ipsum sine alio argumento manifeste probat, legem illam non esse à Deo: & inexcusabiles sunt Mahumetani perspicaces & ingenioſi, qui hæc legentes, non agnoscunt has esse fabulas deridiculas, indignasque, vt eis vlla fides adhibeatur.

Ioannes Andræas postquam hæc retulit, Mauros irridens, merito animadvertit, latrinas & cloacas desiderari in illo paradyso, in quo tam splendidè epulantur & bibunt Mauri. Rursusque per iocum ait, fœminas Mahumetanas meritò de suo Propheta conqueri posse, quia eis non assignat completam fœlicitatem in suo paradyso: si enim Virgines illæ, quibus fruentur Mauri, non sunt huius generationis, vt Mahumetus docet, sed in paradyso de novo creatæ, & ab æterno Mauris præparatæ ad æternam fœlicitatem, quia sine vsu fœminarum arbitratur nõ posse dari beatitudinem virorum; necessariò sequitur fœminas Mahumetanas non fore beatas, sed in æternum miseras, quia carebunt consortio virorum: quia si delectatio venerea necessaria est viris ad beatitudinem, etiam erit necessaria fœminis: vnde istæ erunt in æternum miseræ, & præ invidia tabescent, animadvertentes fœminas in paradyso creatas, frui viris, quibus non inservierunt, se vero post tot labores ab illa fœlicitate repelli. Quare Mahumetus cogitur alterum è duobus dicere, nimirum vel fœminas, non resurrecturas in corpore fœmineo, vel non habituras beatitudinem, si in illo resurgant: & vtrumque est falsum. Primum quidem, quia cũ fœminæ in corpore fœmineo sustinuerint dolores, ærumnas, & mortificationes propter Deum, ratio postulat, vt in eodem corpore resurgãt, vt ipsummet individuum, ipsemet homo, qui laboravit, præmium recipiat; & ita merito docent Theologi Christiani cum D. Thoma in 4. dist. 44. & 4. Contragent. cap. 88. & planè colligitur ex verbis Christi Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerũt, in resurrectionẽ vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ergo fœmina ipsa, quæ in hac vita per corpus bona opera fecit, eademmet numero resurget, vt premium in eodem corpore recipiat, in quo laboravit: & similiter de illa, quæ mala opera per corpus exercuit, &c. Vnde S. Dionysius lib. de Eccles. Hierar. par. 1. cap. 7. meritò dixit, eos, qui animabus aliorum corporũ coniugia tribuunt;

buunt, *Quantum in ſe eſt, iniurijs afficere corpora, quæ cum ſanctis animabus laborarũt, ſacris retributionibus priuantes quæ ad finem ſanctiſſimi curſus peruenerunt.* Et ideò Sanctus Iob cap. 19. ſeipſum, & ſuam carnem exhortabatur ad laborem, quia in ipſa reſurrecturus eſſet, & viſurus ſuum redemptorem: *Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius*, &c. Hinc Eximius Doctor P. Suarez. tom. 2. in 3. par. diſp. 43. ſect. 3. aſſerit, certum eſſe ex ſententia omnium Theologorum in reſurrectione hominum ſervãdam eſſe ſexuum diverſitatem: neque aliquem Catholicum id vertere in dubium, ſed ſolùm illos hæreticos, qui humanum corpus organicum negarunt futurum eſſe in hominibus reſurgentibus.

Secundum vero, nempe quod fœminæ in alia vita non habituræ ſint, plenam & veram fœlicitatem, ſi in hac vita piè & ſancte vixerunt, eſt manifeſte falſum, & contra Dei iuſtitiam. Cum enim fœmina poſsit virum in hac vita excedere in ſanctitate, eſſet contra iuſtitiam, illam fraudare beatitudine, quæ conceditur viro.

Quare convincitur Mahumetum in illo ſuo paradyſo confingendo vnicè fuiſſe intentum in captandam gratiam, & benevolentiam virorum, quia illis indigebat ad bella, quibus regnum ſibi parare cogitabat; de fœlicitate vero fœminarum, non fuiſſe ſolicitum, quia illis non indigebat ad certamina: vnde de illo neque verbum fecit.

Docet autem liber *Sunæ*, qui apud Arabes paris eſt authoritatis cum Alcorano, Virgines illas in paradyſo retribuendas Mauris, fore adeò pulchras, & venuſtas, vt ſi aliqua earũ ſe ſpectandã præberet, & in extima cœli parte appareret, totum mundum mira claritate illuſtraret: fore adeò ſuaves, & dulces, vt ſi aliqua earum in mare ſalivam regereret, totam aquarum abyſsum in aquam dulciſsimam, & meleam converteret.

Dubium autem eſt, an Mahumetus in paradyſo ſingulis viris multas fœminas aſsignet ad plenam fœlicitatem, an ſingulis ſingulas dumtaxat? S. Petrus Paſchaſius in ſuo tractatu contra Mahumetanos, pag. 68 num. 86. ait, vnicuique virorum in paradyſo aſsignare ex virginibus valdè pulchris, & decoris quatuor mille, & ex alijs octo mille. Certè de impuriſsimo Mahumeto, qui in hac vita contentus non fuit vna vxore, ſed plurimas ſimul habuit, credi non debet, quod vnam dumtaxat pro alia vita, vbi gaudia & delectationes debent eſſe maiora, ſuis promiſſerit. Ioannes Andræas in ſua confutatione Alcorani c. 7. teſtatur, Mahumetum cum quindecim mulieribus matrimonium contraxiſſe, & eodem tempore vndecim ſimul vxores habuiſſe, præter ancillas. Ita enim teſtatur liber inter Arabes magnæ authoritatis, cui titulus *Aſſameyl*, de ſe de bonis Mahumeti dotibus, & indole. Et liber *Azear*, teſtatur, quando Mahumetus obijt, novem ſimul vxores eius viduas remanſiſſe. Qui ergo in hac vita tot vxores habebat præter concubinas, exiguam putaret ſuam fœlicitatem, ſi vna tantum in alia vita eſſet donandus.

Hunc paradyſum indignum eſſe creatura rationali, vel ipſi Philoſophi Mahumetani cognovere. Siquidem Averroes præſtantiſsimus Philoſophus, & Ariſtotelis commentator, quamuis profeſſione Mahumetanus, falſus eſt, melius ſenſiſſe, & ſcripſiſſe Ariſtotelem, quamvis Philoſophum Ethnicum, de vltimo fine, & fœlicitate hominis quàm Mahumetum, nam Ariſtoteles poſuit fœlicitatem hominis in excellentiſsima hominis operatione, nempe in contemplatione Dei: Mahumetus vero in abiectiore & ſordidiore, qualis eſt comedere & bebere, & fœminis vti. Quod nihil aliud eſt, quam pro paradyſo lupanar & proſtibulum conſtituiſſe; potiuſque appellari deberet paradyſus beſtiarum, quàm hominum. Vnde meritò Guillelmus Pariſienſis lib. de legibus c. 19. inquit: Quid „ eſt paradyſus iſte; niſi taberna indefeſſæ „ ingurgitationis, & perpetuæ turpitudi- „ nis proſtibulum? Et ad finem capitis: Ma- „ niteſtum eſt, quod paradyſus iſte non eſt „ niſi volutabrum porcorum, & quod vo- „ ciferatio ipſius pecudum eſt, non homi- „ num. Avicena vero vir magni ingenij, „ Philoſophuſque, & Medicus inſignis lib. 9. de prima Philoſophia fœlicitatem hominis ſpiritualem eſſe debere agnoſcit, nõ materialem, & corpoream, qualem po- „ ſuit Mahumetus: Lex noſtra (inquit) quã „ dedit Mahumet, diſpoſitionem fœlicita- „ tis, & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum cor- „ pus attendit. Sed eſt alia promiſsio, quæ „ attenditur intellectu. Sapientibus verò „ Theologis multo maior cupiditas fuit „ ad apprehendendam illam, quàm cor- „ porum, quæ quamvis daretur eis, non ta- „ men attenderunt eam, neque in pretio „ habuerunt in comparatione fœlicitatis, „ quæ eſt coniunctio cum veritate. Hæc ille. Quibus verbis ſatis ſignificavit, fœlicitatem conſiſtentem in delectationibus ſen-

sensuum & tactus non posse esse vltimum finem hominis, qui rationalis est.

Maximæ olim inter Philosophos extitere concertationes circa finem hominis, videlicet qua in re consistat hominis beatitudo, quodque sit summum eius bonum. Tres autem hac de re fuerunt sententiæ celebriores. Prima, summum hominis bonum consistere in voluptatibus corporis. Hæc passim tribuitur Epicuro, eiusque sectatoribus. Secunda, summum hominis bonum consistere in virtute, sive in eo, quod est *viuere conuenienter naturæ, & rationi.* Ita Stoici. Tertia Aristotelis, qui constituit beatitudinem potissimum in perfectissima operatione præstantissimæ facultatis circa præstantissimum obiectum, hoc est in contemplatione Dei, & rerum diuinarum, quantum fas est homini.

Ex his tribus Philosophorum sententijs prima Epicuri, & sequacium contemnitur à cordatioribus Philosophis; & nihilominus illam sectatus est Mahumetus, & quidem absurdius, quam Epicurus. Nam iste licet posuerit fœlicitatem in voluptate, non tamen in voluptate solius corporis, sed in voluptate corporis, & animi, & vtrasque voluit esse moderatas. At Mahumetus in solis voluptatibus corporis, illisque immoderatissimis beatitudinem, & fœlicitatem hominis collocat. Vnde eius sententia est absurdissima, & contra lumen rationis. Cum enim homo sit animal rationale, & ab omnibus brutis differat essentialiter, non potest consistere eius fœlicitas, & beatitudo in illis operationibus, quas habet communes cum brutis: delectatio autem quæ capitur ex cibo & potu, & ex vsu veneris, communis est homini cum brutis: ergo in illa non potest consistere hominis beatitudo.

Hunc bestiarum paradysum multis impugnat Guillelmus Aluernus Episcopus Parisiensis, qui floruit ad an. 1240. lib. de legibus cap. 19. qui inter alia argumenta, quæ contra illum conficit, arguit ab inconvenienti, quia cum in homine sit pars superior, nempe ratio, quæ semper in hac vita pro virtute pugnat contra rebellionē appetitus: & pars inferior, nempe appetitus & caro, quæ pugnant contra spiritum, iuxta illud Apostoli, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; esset plane iniustitia, portionem inferiorem æterna fœlicitate donare, & partem superiorem, sine beatitudine relin-
„quere: Sequeretur (inquit) ex hoc mani-
„festa Dei iniquitas atque perversitas;
„pars enim ista semper rebellis est in no-
„bis, dum hic viuimus, honestati, & re-
„pugnans Dei voluntati. Reliquum vero
„quod est in nobis nobile atque præci-
„puum, semper pugnat pro honestate, &
„pro Dei voluntate contra residuum: hæc
„igitur esset manifesta Dei iniquitas, quod
„seruientem sibi partem in nobis, & pro
„eo semper pugnantem, non remuneraret
„propria felicitate & gloria: hæc vero
„perversitas, quod inimicam sibi & hone-
„stati partem, vitiorumque omnium fo-
„mitem remuneraret.

D. Thomas, qui paulo post Guillelmum Parisiensem floruit (siquidem natus est anno 1224. & obijt anno 1274.) lib. 4. contra gentes cap. 83. latè probat post resurrectionem non fore vsum ciborum, & venereorum. Euidentissimeque constat fœlicitatem atque beatitudinem hominis nō posse in illis delectationibus consistere. Quis enim non erubescat, & tanquam cōtumeliam excipiat, quod ei dicatur: *Tu solum ad commedendum, & bebendum, & vacandum delectationibus venereis creatus es.* Nulli autem potest esse probrosum, quod ipsi exponatur finis, ad quem conditus est; ergo homo conditus non est ad vilissimum illum finem bestiarum proprium.

Et sanè cum beatitudo hominis sit res prętiosissima, & margarita maximi valoris, & supelex maximi pretij; & nullus sapiens gemmam pretiosam in theca sordida reponat, quomodo Deus sapientissimus beatitudinem in corpore vili, & non in spiritu nobilissimo collocaret?

Si delectationes venereæ, etiam licitæ, indecentiam quandam habent, & ideo natura duce homines latebras quærunt ad vacandum generationis operi; quodomo in eis beatitudo hominis consistere potest? Certe de adeptione sui finis, & de potissima suæ fœlicitatis parte, homo erubescere non potest. Erubescit autem de opere vxorio, ergo in illo nec in toto nec in parte potest beatitudo hominis consistere. Si camelus, & elephas, vt refert Aristoteles lib. 5. de Histor. Anim. cap. 2. latibulum quęrunt ad coitum, & elephas post coitum iterum absconditur, quasi facti eum pudeat, & mox se abluit, quasi sordes contraxerit; quomodo beatitudo hominis potest in tam pudendo opere consistere?

Si Seneca, cum esset Philosophus Gentilis, seriò dicebat Epist. 65. *Maior sum & ad maiora natus, quàm vt corporis mei mancipium sim*, quærendo scilicet corporis delectationes, & gulæ, & veneri, indulgendo.

Si

Si Socrates interrogatus, in quo ipſe differret ab alijs hominibus, qui delectationes guſtus immoderatè quærebant, reſpõdit: *Alij viuunt, vt edant, ego edo vt viuam:* Si Oratius lib. 2. Epiſt. 2. ad Leliũ, homini, quem deprimere, & humiliare volebat, per opprobriũ, & contemptum dixit, ipſũ ad hoc ſolum natũ eſſe vt comederet, *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati:* quid iſti Philoſophi dicerent, ſi Mahumetum audirent prædicãtem, ſupremam hominis fœlicitatẽ conſiſtere in ventris ingluvie, & venereis delectationibus? Certè dicerent, illum non hominum, ſed pecudum Magiſtrum appellari debere.

Si Vir nobilis, & honeſtus nollet in domo ſua filios, vel famulos habere, qui tota die nihil aliud curarent, quam ventrẽ cibo, & potu onerare, & venereis delectationibus inhiare: quomodo Deus in puriſſima empirei domo ferre poſſet homines, qui in hoc ipſum vnicè intẽti forent? Profecto cum homo ſubſtantia ſit rationalis intellectiva, & volitiva, eius ſuprema fœlicitas, & beatitudo debet eſſe participatio quædam altiſſima illius beatitudinis, qua Deus in ſe beatus, & ſummè fœlix eſt: Deus autẽ beatus eſt, quia ſeipſum contẽplatur, ſeipſum amat, & de ſeipſo ſummè gaudet, nec enim aliquid extra Deũ poteſt eſſe beatitudo obiectiva Dei, ſeu materia fœlicitatis Dei: ergo hominis beatitudo debet cõſiſtere in altiſſima Dei cõtemplatione, & amore, & gaudio de diuinis perfectionibus inde reſultante: ergo nequit conſiſtere in delectationibus ſenſus & tactus. Faceſſat ergo impuriſſimus ille Mahumeti paradyſus, & longe ſit ab hominib⁹ rationalib⁹ beſtialis illa beatitudo.

O quam longe eſt ab hac cęcitate diuina Chriſti doctrina, qui Math. 22. Saducæis negantibus reſurrectionem, & ab incõmodo arguentibus, quia ſi eadem fœmina ſucceſsive nupſiſſet ſeptẽ Viris, in reſurrectione non poſſet determinari, cuiuſnam de ſeptem vxor futura eſſet, Dominus reſpondit: *Erratis neſcientes ſcripturas, & virtutẽ Dei. In reſurrectione enim, nec nubunt, nec nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo.* Et Luc. 20. *Nec nubunt, nec ducunt vxores, qui digni habentur ſæculo illo* Meritoque dicuntur homines in beatitudine futuros ſicut Angelos, quia cum conueniãt cum Angelis penes intellectum, & voluntatẽ, quæ ſunt potentię ſpirituales, eorum beatitudo debet conſiſtere in actibus intellectus, & voluntatis, & in delectatione ſpirituali ex illis actibus reſultãte. Dubiũ non eſt, eo in hac vita quem eſſe perfectiorẽ, quo magis aſsimilatur vitæ Beatorum: ſi ergo perfectio vitæ beatæ conſiſtit in cumulo delectationum carnalium, nimirum in ſuauium ciborum ſumptione, dulcium liquorum hauſtu, & in venerea delectatione, eo quis in hac vita melior, & perfectior exiſtet, quo auidius hæc oblectamenta quæſierit, & plenius aſſecutus fuerit. Quis autem non videat hoc eſſe abſurdiſsimum? O quam longè fuerunt ab hac ſententia, vel ipſi Gentiles ſolius rationis naturalis ductu! Audiant Mahumetani celebre illud Catonis pronuntiatum, qui dixit, *Si ſine vxoribus mundus eſſe poſſet, vitam noſtram futuram eſſe, qualis eſt Deorũ Cœleſtium: quare eas malum eſſe, ſed malum neceſſarium.*

Quis non videat creaturæ rationalis perfectionem conſiſtere in imitatione Creatoris, ſeu in eo, quod quantum fas eſt creaturæ, mores diuinos in ſe exprimere conetur? Vnde Chriſtus aiebat: *eſtote* ergo perfecti ſicut Pater veſter cęleſtis *perfectus eſt.* Idque cognouit Pithagoras Philoſophus Gentilis, quando dixit: *Vitæ finis eſt Dei aſsimilatio.* Cum ergo Deus incapax ſit delectationum carnalium cibi, potus, & veneris, nequit hominis beatitudo in illis conſiſtere; eoque perfectius homo Deum imitatur, quo ab illis magis recedit, & magis rebus intelligibilibus, & ſpiritualibus inhæret.

Sed placet in medium proferre elegantem, & dilucidum diſcurſum, quo Pater Leſsius lib. 1. de ſummo bono cap. 4. in hunc Mahumeti paradyſum inuehitur. Primò. Summum bonum hominis debet eſſe tale vt hominem faciat meliorem, & perfectiorem: immò debet efficere optimum, & perfectiſsimum. Ideò enim dicitur ſummum bonum, quia ſummè perficit, & in ſummo dignitatis, & perfectionis gradu conſtituit. At voluptas corporis hominem non ſolum non facit optimum, & perfectiſsimum, ſed etiam reddit deteriorem. Nihil enim eſt quod æquè lumen rationis offuſcet, ac mores corrumpat, atque voluptas: vt videre eſt in illis, qui ventri, & libidini ſunt dediti. Nihil enim his ſtupidius, nihil ad ſapientiam, & diuina percipienda ineptius, nihil moribus, & vita inquinatius. Idem teſtãtur etiam Ethnici Scriptores. Cic. in Cat. *Diuinè Plato eſcam malorum appellat voluptatẽ, quod ea videlicet homines capiantur, vt hamo piſces.* Et Seneca Epiſt. 5. *Indulgere voluptati initium omnium malorũ eſt.* Ratio eſt: quia cũ voluptas mentẽ excęcet, vt virtutis pulchritudinẽ, &

vitiorum fæditatem non consideret, & ex altera parte suis blanditijs affectum hominis vehementer alliciat; fit vt nullum sit peccatum, nullum crimen adeò detestabile, in quod hominem non præcipitet.

Secundò, summum bonum potiorem hominis partem, nempe mentem, perficere, & ornare debet. At voluptas hanc non solum non perficit, sed illius perfectionem, & functionem maxime impedit, ipsamque brutam, & stupidam reddit.

Tertio summum bonum facit honore, & veneratione dignum: quia summam homini excellentiam confert, & in summo dignitatis gradu constituit; ita vt altius conscendere, aut aliquid, quod sublimius sit, obtinere nequeat. Si enim aliquid sublimius posset consequi, hoc ipsum potius esset summum, non illud. Denique maxime elevat hominē supra se, facitque Deo simillimum. At voluptas facit hominem vilem, abiectū & despicabilem. Qui enim voluptatibus dediti, passim contemnentur tanquam mentes, & gulæ, veneriſque mancipia. Hinc illud Poetæ:

Epicuri de grege porcus.

FACIT enim similem porcis, qui ad pastum, & libidinem abiecti: non Deo, qui longissimè ab omni corporali voluptate, & contagione segregatus, cōtemplatione veritatis, hoc est sui ipsius, delectatur. Itaque voluptas hominem maximè dedecorat. *Quis hostis* (inquit Seneca) *in quemquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ ſunt, quorum impotēti, & inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quod quæ fecere, patiuntur.*

Quarto, si voluptas esset summum bonum, fas esset illam quærere in omni re, in qua reperitur, & ad eam obtinendam adhiberi possent quæcunque ad hoc opportuna. Itaque licita esset omnis libidinum turpitudo, licitæ commensationes, & ebrietates, licita furta, rapinæ, homicidia, & omnia scelera, per quæ ad voluptates pervenitur: summum enim bonum in omni re, in qua reperiri potest, & omnibus medijs, per quæ obtineri potest, quærere licet. Idē suis moribus confirmant ij, qui in voluptate summum bonum constituunt: nullum enim scelus, nullam turpitudinem, si absit metus legum, recusant. Nihil illicitum, aut recusandū, quod summo bono est consentaneum, vel aliquid opis, commodi ve adferre potest ad illud obtinendum.

Quinto, rursus si voluptas esset summum bonū, vita ista esset expetenda propter cibum, potū, & venerea, in quibus cōsistit illa voluptas, & hæc non propter vitæ conservationem, aut naturæ propagationem, sed propter voluptatem, ordine planè in verso, & naturæ contrario, quæ statuit, vt cibo, & potu vtamur ad vitæ conservationē, re venerea ad naturæ propagationem. Adiunxit autem his functionibus voluptatem tanquam condimentum, & illecebram, ne propter molestiam negligantur. Itaque voluptas est propter has functiones; functiones propter vitæ, & speciei conservationem.

Sextò denique, qui voluptatem statuit summum bonum, eo ipso suum ventrē statuit sibi Deum, iuxta illud Apostoli: *Quorum Deus venter eſt.* Ratio est, quia illud cuique est Deus, in cuius obsequio, & cultu summū bonū suum constituit. Nihil enim agnoscit præstantius, aut quod huic sit præferendum. Atqui iste summū bonū suum constituit in obsequio, & cultu ventris. Servire enim ventri, & libidini est illi summū bonum. Ergo venter est illi Deus. Confirmatur: quia illud cuique est Deus, ad quod omnia sua, etiam suam beatitudinē vltimo refert, & dirigit. Ad Deum enim vltimo omnia referenda. Atqui hic omnia sua dirigit, etiam cibum, & potum &c. quorū fruitione seputat beatū ad bonū ventris: ibiq; sistit: ergo &c. Talis erat ille Cyclops apud Euripidem in Cyclope, quid dicebat se Iovem non curare, sed maximum Deorum sibi esse suum ventrem: huic se assiduè sacrificare &c.

Ex his manifestum est, voluptatem corporis non solum non esse censendam summum bonum, sed potius numerandam in malis, ac proinde sapienti fugiendam, quantū eius cōmode furi potest. Etsi enim per se sit quidam adiaphorū, tamen tanta mala secum trahit, vt potius in malis, quā in adiaphoris sit numeranda: nam mentē excæcat, virtutem elidit, in vitia præcipitat; corpus & animū enervat, naturā humanam dedecorat, molles, inglorios, viles, & despicabiles efficit, brutis assimilat. Denique omnes huius vitæ voluptates sunt valde imperfectæ, multis sordibus, & fœtoribus inquinatę, multis doloribꝰ permixtæ, & pleręque dolorū, & molestiarū dumtaxat solatia. Voluptas enim edendi, solatium est molestiæ, quam affert fames; bibendi, quā sitis; veneris, quam incitatio libidinis: ac proinde pares illę voluptates sunt voluptati, quā leprosi, & scabiosi, dū scabuntur, sentiunt. Præclare hæc omnia confirmat Architas Tarentinus apud Ciceronē in Catone, cum ait; *Nullam capi-*

talio-

taliorem peſtem, quã corporis voluptatẽ homi-nibus à natura datã. Hinc patriæ proditiones; hinc rerũ publicarũ euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcuntur. Nullũ denique ſcelus, nullũ facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendũ non libido voluptatis impellat. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris excitari niſi voluptatis. Cumq; mente nihil ſit præſtabilius homini à Deo datum, huic diuino muneri nihil eſſe tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante tẽperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutẽ poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere iubebat animo quempiam maxima voluptate incitatũ: neminẽ cenſebat fore dubium, quin tandiù dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione nihil cogitatione conſequi poſſet: Quo circa nil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quam voluptatem. Siquidem ea, cum maior eſſet, atq; longinquior, omne animæ lumen extingueret. Hęc ille: qua ſententia optimè oſtendit tantũ abeſſe vt voluptas ſit ſummum bonum, vt potius ſit dicenda ſummũ malum, ac peſtis quædam naturæ humanæ, cum id, quod optimum eſt in homine, nempe lumen rationis extinguat, & ad omne malum animos incitet.

Denique Mahumetanorum ſententia etiã multis alijs nominib⁹ eſt abſurda. Vel enim beati poſt hanc vitam egebunt cibo, & potu ad corporis, & vitę ſuſtentationẽ, vel non egebunt. Si egebunt, non ſunt beati, nec immortales, ſed corpore ſunt labili, quod fame, & ſiti cruciari poſsit, & diſſolvi, ſicut in hac vita: illiſque edendum, & bibendũ erit vitę potius conſervandę cauſa, quã captãdę voluptatis. Si non egebũt, cur illis vtentur? An ideo ne videlicet careant hac voluptate? Ita planè illi ſentiũt, quia nihil maius, aut dulcius gulæ, ventris que voluptate, animo concipere poſſant. Sed comedere, & corpus purum ſordibus implere ſolius voluptatis cauſa, natura id minime poſtulante, res eſt abſurda, rationi, & naturę adverſa. Neceſſe enim eſt hoc totum, cum natura non poſtulet, verti in ſordes, & excrementa, & locum beatorũ immani fœtore cõpleri. Pari modo, vel erit procreatio poſt hanc vitam, vel non erit. Si erit, vel proles erunt beatæ, & immortales, & ſic creſcet numerus beatorum in infinitum, vel nõ erunt beatæ, ſed mortales, ac proinde Cœlo exturbandæ, donec beatitudinẽ mereantur. Si non erit procreatio, quorſum vſus veneris? Solius enim voluptatis cauſa vti venere, brutorum potius eſt animantiũ, quæ cum nõ poſsint intelligere in quẽ finẽ vſus veneris ſit inſtitutus, ſolam voluptatẽ apprehendunt, & in illã cæco feruntur impetu) quam hominum luce rationis prędito rum, qui ſcopum cuique operi præfixum ſpectare, & opus ad eum dirigere debent. Solent Turci Chriſtianos per convitiũ vocare *canes*, ſed nullo fundamento, cum Religio, & inſtitutũ Chriſtianorum potius ſit Angelicũ vel divinum quam caninũ. Longè verius, & iuſtius ipſi vocari poſſent *Porci, & canes*, quorum ſummum bonum ſicut porcorum, & canum in ventre eſt, & ijs, quę ſub ventrẽ, nihilque ſpirituale continent.

SECTIO QVINTA.

Demonſtratur Chriſti diuinitas contra Mahumetanos; & primo ex dictis ipſius Alcorani.

MAHVMETVS in Alcorano cap. 1. clarè, & diſſertè aſſerit, *Chriſtum Filium Mariæ eſſe Dei Verbũ*; idque teſtatur etiam Georg. Almac. apud Arabes Author ſummæ authoritatis, vt vidimus ſuprà, qui lib. 1. hiſt. Sarracen. cap. 1. cuius titulus eſt: *Primus Muſlimorũ Imperator fuit Mahumet Abulcaſimus glorioſæ memoriæ*, agens de his, quę Mahumed iuſſit credere, inquit: *Iuſsit quoque credere Chriſtum Filium Mariæ, Spiritum Dei eſſe, & Verbum eius.* Muſlimorum nomine intelligit Mahumetanæ Religionis profeſſores, id eſt, Turcas, vt explicat Calepinus, ſed ego ſuſpicor hoc nomine aliud ſignificare: Nam Legatus Regis Galliæ Conſtantinopoli degens, qui Alcoranũ in Gallicum idioma convertit, in Prologo illius operis refert, Turcas ſeipſos appellare; *Muſulmans, id eſt, Deo adictos, ſeu in Deo reſignatos, vel ſaluandos.*

Hoc ſuppoſito ſic argumetor: Chriſtus eſt Dei Verbũ: ſed Verbũ Dei eſt Deus, ergo Chriſtus eſt Deus. Mai. eſt expreſſa doctrina Alcorani. Min. prob. nam dum Mahumetus dicit Chriſtũ eſſe Dei Verbum, non loquitur de Verbo externo, & vocali, quo nimirũ Deus externe cum hominibus vel Angelis loquatur, vel formando, & articulando voces ſignificativas in aere, vel infundendo verba interna mentalia ſicut loquutus eſt cum Prophetis: nam verba hæc quæ extra Deum ſunt, ſeu per quæ externè Deus loquitur, non ſunt ſubſtantia aliqua, ſed accidens, nec ſunt perſona, vel ſuppoſitum, ſed ſunt accidentia aliqua, quibus, vel homo formaliter intelligit, vel ad intelligendum manuducitur, & excitatur: Chriſtus vero non eſt accidens, ſed ſubſtantia: ergo Chriſtus non

est Verbū Dei externū. Fuerunt olim Hęretici, quorū meminit Athan. homil. in il-*Missus est Angelus, &c.* qui dicebant, Verbum illud illud Angeli, quo locutus est B. Virgini in annuntiatione, esse incarnatū, & factum carnē, quam Hęresim vt deliramentum impugnant PP. quia illud Verbū fuit sensibile, in aere formatū, transitoriū, sicut nostrū, & quoddā accidens, quia sonus erat: at Verbum factū caro, substantia est permanens, & insensibilis. Verbaq; Evangelistæ hunc errorē convincunt; nā hoc Verbum, quod caro factū, idem est, quod in principio erat apud Deū, & Deus erat, & per quod omnia facta sunt: Ioannes enim de eodē Verbo suam texuit narrationem, & de illo præmisit illa omnia, vt significaret, non incępisse tunc illud Verbum, quod caro factū est, quando factū est caro, sed fuisse ab æterno, ac proinde esse vnigenitum, & ęternū Dei Filium, qui in tempore susceperit humanitatē, vt in illa pro hominibus pateretur, & per illā homines doceret: ergo certū est, Christū non esse Verbū Dei externum, sed Verbū Dei internū, & mentale. Et confirmatur: nam Verbū externum, vel conceptus mētalis creatus à Deo infusus non est Apostolus, & Nuntius Dei; quia esse Apostolum solum potest convenire personæ. At iuxta Alcoranū hæc tria æqualiter competunt Christo, nēpe esse Verbū Dei, esse Apostolum, & Nuntiū Dei. Ergo sicut nomen Apostoli est nomen personæ, & non accidentis; ita nomen Verbi est nomen personę: ergo Verbum, quod de Christo prædicatur, non est Verbū externū: ergo est Verbū internum Dei, quod Deus intra se producit; est Verbum per se subsistens, & substātiale. Ergo Christus est Verbū illud æternū, quod Deus intra se producit dum seipsum, & alia intelligit. Sed Verbū mētale Divinū, quod intra Deū est, Deus est: cum enim Deus sit entitas simplicissima, infinita, & cōpositionis incapax, quidquid in Deo est, Deus est. Ergo Christus est Deus. Quod vt Mahumetani intelligant, hoc ipsis explicandū est per similitudinem eorū, quæ in nobis inveniuntur. Sanè quoties nos aliquid intelligimus, & penetram' nostro intellectu, formamus intra nos imaginē quandā illius rei de qua cogitamus, & quā intelligimus. *Quicunqxe enim intelligit ex hoc ipso, quod intelligit* (inquit S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1.) *procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua prouenieus, quā quidē Conceptionē vox significat, & dicitur Verbum cordis significatum Verbo oris.* Ergo Deus seipsum intelligens ex hoc ipso quod seipsum *intelligit*, producit intra seipsū imaginē sui expressam, & vivā, quæ suum principium repræsentat: quę imago, est partus quidā, & conceptio, seu conceptus intellectus divini: & cum sit intra Deum, est Deus. Ergo Christus hoc ipso, quod est Verbum Dei, est Deus.

Deinde ex Alcorano sic argumentor. Mahumetus in Alcorano pręcipit Mussimis, seu Sarracenis, *Vt libris Moysis, Christi, Apostolorum, aliorumque Prophetarū firmam adhibeant fidē.* Vt constat ex c. 1. Alcor. & ex Georg. Almac. Atqui lib. Christi, nēpe Evāgelia, & libri Apostolorū, nempe Epistol. Apostolorum, Acta Apostolorum, & Apocal. & libri Prophetarū, Christū esse Deū apertè dicunt: ergo firmiter credum est, Christu esse Deum: ac proinde Alcoranum hoc negans non est liber Dei.

Probatur minor: nam imprimis Evangeliū Ioannis apertè testatur Christū esse Deum: sic enim incipit: *In principio erat Verbū, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbū; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil.* Ecce Evangelista Ioannes apertè dicit, quod in principio, seu rerum initio, quando Deus mundum condidit, & omnia ex nihilo creavit, iam erat Verbū, alludit enim ad illa Verba Genesis: *In principio creauit Deus Cælū, & terram*, id est in principio durationis, & tēporis: ergo planè significat Verbū Dei, non solum esse in Deo nunc, sed quod erat in Deo antequā mundum conderet, ac proinde significat verbū Dei non esse aliquid creatum, quia omne creatum aliquando incæpit, ac proinde de nullo creato verificari potest, quod iam erat in principio temporis, & durationis, quando Deus mundū condidit. Rursus significat Verbū Dei esse æternū, illud enim Verbum, quod iā erat, quando Deus mundum condidit, seu quando incępit duratio rerum, non habet initium suæ durationis, de illo enim, quod aliquando habuit initiū sue durationis, verificari non potest, quod iam erat, quando incępit duratio rerum: quod autē non habet initiū sue durationis ęternum est: ergo Verbum illud, de quo Ioan. loquitur, ęternū est. Sic ipsa sapiētia genita, seu Verbū & Filius Dei dicit Pr. 8. *Dñus. possedit me in initio viarū suarū antequā quidquā faceret a principio: non dū erant abyssi & ego iam concepta eram.* Quare idē est, *In principio erat Verbum, ac ante principiū erat.* Parum enim erat in principio fuisse, si antea non fuisset: nam & Cœlū & terra in principio erant, sed ante principiū non

erant

erant; quia in ipſo principio creata ſunt: & ideo, quod hic ſimpliciter dicitur: *In principio erat Verbum*, in lib. Salomonis explicatur, *Antequam quidquā faceret à principio*. De Verbo hoc æterno ſubdit quod *erat apud Deum*, quia cum Verbū hoc ſit productum abęterno à Deo per actū intelligendi; & dicēdi, manet in ſuo principio, nēpe in Patre, ſicut Verbū mentis, quod producit homo intra ſe dum ſeipsū intelligit, manet in intellectu ipſius producētis; vnde duo ſequuntur; nēpe Verbū eſſe diſtinctū eſſentialiter à principio à quo producitur, nēpe à Patre, quia cū nemo proprie dicatur *eſſe apud ſeipſum*, dum dicitur Verbū *eſſe apud Deum*, ſignificatur in Deo eſſe perſonā diſtinctā à Verbo, nempe Patrē, à quo Verbū procedit (vt argumentatur Aug.) & in quo manet, tanquam terminus immanēter productus: rurſus ſequitur; Verbum eſſe vnū cum Patre in natura, quia hoc ipſo, quod Verbum iſtud ſit intra Deum, eſt Deus, & ideo ſubdit Evāgeliſta, *Et Deus erat Verbū*, illud enim Verbū, quod iam erat antequā mundus fieret; hoc ipſo quod erat in Deo, erat Deus; & Deus erat illud Verbū: nequit enim Verbum eſſe Deus; quin Deus ſit Verbū, quia identitas debet eſſe mutua. Subdit, *Quod omnia per Verbum facta ſunt*, ex quo evidēter infertur, quod Verbum illud non eſt factum, neque creatura, ſed factor, & creator omnium: nihil enim poteſt facere, & creare ſeipsū: ergo ſi omnia per Verbū facta ſunt, Verbū nō factū neq; creatura eſt.

Ex ijs evidenter probatur, Chriſtum eſſe Deum: nam Evangeliſta per *Verbum* intelligit Chriſtum; quod patet, quia de Verbo iſto paulo poſt ſubdit: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*: Vbi per eos, qui Verbū hoc non receperunt, intelligūtur Iudęi, de quibus Mahumetus ipſe in Alcorano dicit, ideo à Deo derelictos, quia Ieſum eis miſſum non receperunt. Et patet rurſus, quia de Verbo hoc addit: *Et Verbum caro factum eſt*, id eſt Verbum hoc indutum eſt carne, ſeu Verbum hoc factū eſt homo: ibi enim nomine carnis intelligitur homo. Sicut Iſai. 40. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Et Iob. 12. *Spiritus vniuerſæ carnis*. Et Pſal. 117. *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi caro*. Et Pſ. 64. *Qui dat eſcam omni carni*. Et Luc. 3. *Ad te omnis caro venit*. Frequens eſt enim in Script. Sacr. Hebræor. phraſis, qui per ſynodochē nomine *carnis* totum hominē intelligunt, præſertim cū humiliter ac modice de illo loquuntur. Dum autem Verbum, quod eſt Deus, dicitur factū *homo*, non ſignificatur naturam Dei tranſiſſe in naturā humanā, quaſi per identitatē ſubſtantia Verbi ſit humanitas: hoc enim eſt impoſsibile; ſed ſolum ſignificatur, perſonam Verbi Divini vnitam fuiſſe cum humanitate, ita vt Verbum, quod ab æterno habuit naturam divinā ſibi comunicatam à Patre per generationē æternā, in tempore incæperit habere naturā humanā ſibi comunicatam à Matre per generationem temporalē: eatenus enim Deus factus eſt homo, quatenus facta eſt vnio perſonalis, & hypoſtatica inter hypoſtaſim, ſeu perſonā Verbi, & humanitatem miraculoſe formatā in vtero Virginis, ſine ſemine, & opera viri. Sicut enim dum anima rationalis, quæ eſt purus ſpiritus, vnitur verè, & proprie, intrinſece, & intime corpori, ex anima, & corpore reſultat homo; ita dum perſona Verbi divina, vera, & phyſica vnione intimè vnita eſt cum natura humana, ex perſona Verbi, & humanitate intimè, & phyſicè vnitis reſultat Chriſtus, qui eſt Deus, & homo; quia eſt perſona habens naturā divinam, & humanā, divinam per identitatē, humanam per vnionē. Vnde cum dicimus, *Deus eſt homo*, illa propoſitio nō facit hunc ſenſum, *Deus eſt natura humana*; ſed hunc: *Deus habet naturā humanā ſibi hypoſtaticè, ſeu perſonaliter vnitam*; ſicut cum dicimus, *homo eſt albus*, non ſignificamus, quod *homo eſt albedo*, ſed quod *homo habet in ſe intrinſece albedinem*, quā afficitur, & à qua denominatur, & in ratione albi conſtituitur.

Addit Evangeliſta, *& habitauit in nobis*, tum vt ſignificaret, ideo perſonā Verbi Divini veſtiram fuiſſe carne in vtero Virginis, vt viſibiliter poſſet cum hominibus converſari, & inter illos habitare, ſicut dixit Propheta Baruch c. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cū hominibus converſatus eſt*: tū quia volebat ſignificare, ſe vidiſſe Verbum carne indutū, & teſtē illius rei oculatū eſſe. *Et vidimus gloriam eius, gloriā quaſi vnigeniti à Patre*; quaſi diceret, non ita Verbū factū fuiſſe carnē, vt eius maieſtas penitus obſcuraretur, ſed potius multis indicijs ita ſe prodidiſſe, vt oculis ipſis videri poſſet. Ita enim in humanitate aſſumpta latebat divinitas, vt per opera mirabilia, quæ per humanitatem faciebat, ſeipſam proderet, & manifeſtaret. Vnde gloriam eius vocat ſigna divinitatis, quæ multis in rebus in Chriſto manifeſtē apparebant. Et ſic etiā Epiſt. 1. c. 1. ait: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis*.

Certum ergo est Christum esse Deũ: nam quę Ioan. in hoc 1. cap. dicit de Verbo Incarnato, seu Christo verificari non possent, si ille esset purus homo: nam si esset purus homo, non fuisset ante Mariam Matrẽ suam, sed ex ea sumpsisset exordiũ: ac proinde non fuisset in principio, nec omnia per ipsum facta fuissent, sed potius ipse fuisset post creationẽ Cœli, & terræ: & incepisset quatuor mille annis post orbem conditum: siquidem iuxta veram, & exactam chronologiam Christus natus est anno 4001. post mundi creationem.

Rursus si esset purus homo nõ potuisset præcedere Abraham, sicut ipse dixit Iudęis Ioan. 8. v. 58. & quasi iuramento affirmavit: *Amen, amen dico vobis, ante quam Abraham fieret ego sum.* Audite Tertullianu probantem divinitatem Christi ex hoc loco. *Christus cum ex Abrahã sit, ante Abraham se esse dicit: Mentitur igitur, & fallit, si ante Abraham non fuit, qui ex Abrahã fuit.* Aut non fallit, si et ante Deus erit, dũ ante Abrahã fuit. *Quod nisi fuisset*, consequenter cũ ex Abrahã fuisset, *ante Abraham esse non posset.* (libr. de Trinit.) Fit igitur hoc dilema: vel Christus mentitus est, dum dixit se esse ante Abraham, vel verũ dixit. Primũ dicere non possunt Mahumetani, qui fatentur Christum fuisse Prophetam Sanctissimũ, & mendacium minime quam dixisse: ergo debent dicere secundũ. Atqui secũdum nequit ẽsse verum, nisi sit Deus & simul homo: nã si esset purus homo, vnicaque esset eius nativitas, fuisset 2023. annis natus post Abrahamum; totidem siquidem anni transierunt ex Nativitate Abrahami ad Nativitatem Christi ex vtero Mariæ; siquidẽ Abraham natus est anno 1978. post creationẽ mundi: ac proinde fuisset vnice post Abrahã, & non fuisset ante. At cum sit Deus, & homo, simul est simpliciter ante Abraham, quia est Deus, Deus vero est ante omnia, & ab æterno: & pariter quatenus homo est post Abraham, quia quatenus homo natus est ex B. Virgine descendente ex Abrahamo.

Audite Augustinum deducentem ex hoc loco, Abrahamum fuisse creaturam, Christum vero esse Creatorem. *Appende*, (inquit tract. 43. in Ioan.) & cognosce mysterium. Antequam Abraham fieret, intelige *fieret* ad Humanã facturã, *sum* vero ad divinam pertinere substantiam. Fieret quia creatura erat Abrahã. Non dixit, antequam Abraham esset, sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret, ego sum. Nec hoc dixit, antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim Deus fecit Cęlum, & terram: nam in principio erat Verbum. Sed antequam Abraham fieret, ego sum. Agnoscite Creatorẽ, discernite creaturam.

Probatur 4. divinitas Christi: nã Ioan. 8. v. 25. Iudæi interrogaverunt Christum; *Tu quis es?* Et Iesus respondit: *Principium, qui loquor vobis.* Additque Evangelista: *Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum.* Quasi responderet, vos me interrogatis, *Quis ego sum?* Et ego respondeo vobis, quod ego, qui loquor vobis, *Sum Principium*, nimirum per anthonomasiã, absolute, & simpliciter, & sine addito diminuente, nimirum principium omnium rerum, quia sum Verbũ illud, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Ita exponunt August. Ambr. Prosper, Bernardus, & Rupertus, apud Maldonatum; Quasi diceret, non putetis me id solũ esse, quod exterius apparet, nẽpe solum hominem, qui loquor vobis; tum enim præterea Deus, & primum principium: *Sum primus & nouissimus* (Apoc. 1. 17.) primus quatenus Deus, nevissim⁹ quatenus homo: vel quasi diceret, vt explicant August. & Beda: *Ego sum principium, qui cum huiusmodi sim, tamen eo me vsque demitto, vt vobiscum loquar.* Vel vt exponunt alij: *Ego loquor vobis, id est, quem loquentẽ auditis sum principium. sum Deus. sum Author rerum omniũ, quamuis vobiscum humano more loquar.* Vt autẽ Maldon. explicat Christi responsio hunc reddit sensum: *Ego sum id, quod vobis à principio loquor, id est, quod iam inde ab initio, quod semper vobis dico, semper dixi vobis, me esse Christũ, me esse Filiũ Dei ab eo ad liberandos à peccatis homines missum, panẽ vitæ mundi lucem, & cætera, quæ supra sæpe dixit.*

Probatur 5. quia si Christus homo tantũ esset, nõ posset verificari quod esset filius David, & simul Dominus David: cũ enim Christus quatenus homo natus sit 1082. annis postquam David regnare cæpit, non potuit quatenus homo esse Dominus David qui vltrà mille annos antea floruit. Atqui ex divinis litteris constat Christũ esse Filiũ David, & simul Dominũ: primum constat ex Math. 1. & 2. Reg. 12. *Iurauit Dominus Dauid veritatẽ, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponã super sedẽ tuam.* Secundũ cõstat ex illis verbis Ps. 109. *Dixit Dñus. Domino meo, sede à dextris meis.* Hic enim Davidem loqui de Messia, seu Christo, fatentur Rabini apud Burgens. 1. p. Scrutinij Scripturarũ dist. 9. cap. 9. & tanquam quid manifestum supponebãt Pharisæi, cum quibus disputa-

vit

vit Chriſtus Math. 22. v. 41. cum enim ipſos interrogaſſet, cuius filius futurus erat Chriſtus promiſſus in ſcripturis, & ipſi reſpondiſſent, Davidis: ſtatim eos obmutescere fecit hoc argumento: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius eſt?* Cui argumento reſpondere non potuerunt, quia falſo exiſtimabant futurum purum hominem. Et planè argumentum convincit, Chriſtum eſſe Deū, & hominem ſimul: vt ita verificetur eſſe Dominum Davidis ſecundum naturam divinam; eſſe autem eiuſdem filium ſecundum naturam humanam. Si enim vnā dumtaxat haberet naturā, nō poſſet ſimul eſſe Filius, & Dominus Davidis: ſi eſſet ſolum Deus, eſſet ſolum Davidis Dominus, non vero filius: ſi eſſet ſolum homo, eſſet Davidis filius, non autē Dominus: vnde vt ſit Dominus, & Filius ſimul, debet eſſe Deus, & homo ſimul.

Prob. ſexto, quia Chriſtus Apocal. 1. v. 8. de ſeipſo dicit: *Ego ſum Alfa, & Omega, principium, & finis*, abſolutè ſcilicet, & ſimpliciter primū principiū, & vltimus finis, ſicut *a* & *zo* ſunt prima, & vltima littera alphabeti Græci, quod de ſeipſo falſo diceret, niſi eſſet Deus. Solus enim Deus eſt Alfa, & Omega, primū principiū & vltimus finis. Quod Chriſtus ſit, qui ibi loquitur, probat Alcazar in eum locū ex Naziāzeno, Athan. Ruffino, Idacio Claro, & Sebadio, Agenenſi in Gallia Epiſcopo. Itē probat ex verbis immediatè ſequentibus: *Dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*: Verbum enim *dicit*, deſignat eum, qui Ioanni Apocal. miſſit, hic autē fuit Chriſtus, vt patet ex v. 1. *Apocalipſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni. Et probatur etiam ex verbis immediate antecedentibus v. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Prob. ſeptimo, ex his, quæ de Chriſti Conceptione, Nativitate, vita, & geſtis teſtatur ipſe Mahum. in Alcor. Illa enim ſatis oſtendunt Chriſtū non ſolū eſſe Prophetā, ſed pluſquā Prophetā, non ſolum eſſe Sanctū, ſed Sanctū Sanctorū, non ſolū hominē, ſed etiam Deum. In primis enim Matrē habuit Virginē, quę nō opera viri, ſed Spiritus Sancti operatione ipsū concepit, & ſine detrimento ſuę Virginitatis peperit, idque multo antea annuntiauerat Deus per Prophetas, nempe per Iſaiā, qui cap. 7. hoc annuntians inquit. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, id eſt Virgo manens concipiet, & pariet. *Et vocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatū, nobiſcū Deus.* Vt inquit Matth. cap. 1. v. 23. nam rē tam ſtupendā, & novam operatus eſt Deus, vt nobiſcum eſſet, & nobiſcū converſaretur viſibiliter natura humana indutus: quare Virginitas Matris concipientis, & patientis, probat divinitatē filij, nec enim Deus vlli vnquā Prophetarum, talē Matrē deſtinavit, quæ Virgo manēs Filium conciperet, & pareret, ſed hanc mirabilē nativitatem reſervavit Filio ſuo; vt in mundū veniens carnem ſumeret de Virgine Matre; nec enim decebat vt Filius Dei naſceretur niſi de Virgine. Vnde Auguſt. ſerm. 25. de temp. *Videte miraculum Matris Dominicæ: Virgo concepit. Virgo parturit, Virgo poſt partum permanſit. Dignum enim erat, vt Deo naſcente meritum creſceret caſtitatis, nec per eius aduentū violaretur integritas qui venerat ſanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quē donatur caſtitas ſpiritualis.* Et Ambroſ. in tract. de ſymb. Apoſtolor. cap. 12. *Hic ergo vnicus in Deitate Filius, in Natiuitate etiā carnali, per quā hominem noſtrum, vt ſaluaret, aſſumpſit, vnicus inuenitur. Solus enim natus ex Virgine, quæ neque Conceptionē de Viro, neque corruptionē ſenſit ex partu.* Et S. Leo Pap. ſer. 2. de Nativit. cap. 2. *Noua autē Natiuitate genitus eſt* conceptus à Virgine, natus ex Virgine ſine paternæ carnis concupiſcentia, ſine maternæ integritatis iniuria, quia futurū *Hominē Saluatorē talis partus decebat, qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ Authorē & humanæ carnis inquinamēta neſciret.* Et Bern. ſer. 4. de Aſſ. *Quæ iam poterit lingua, etiam ſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginē Matrē, Matrem autem non cuiuſcunque, ſed Dei? Duplex nouitas, duplex prærrogatiua, duplex miraculum, ſed digne prorſus ampliſsimeque cōueniens, nec enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit, partus alter.*

Certè tam ingens miraculū, & nunquam in mundo viſum niſi in Cōceptione & Nativitate Chriſti, vt fatetur ipſe Mahumetus, Deus nō faceret, niſi quia Chriſtus non eſt ſolum homo, ſicut cęteri Prophetæ, & cæteri Sancti, ſed eſt ſimul Deus. Vnde tam ſtupendū miraculum admiratus. Hierem. c. 31. v. 22. inquit: *Creauit Dominus nouū ſuper terram: Fœmina circundabit Virum.* Id eſt intra vterum geſtabit fœtum, qui licet ſit ætate, & corpore infans, erit tamen ſapiētia, & intellectu vir, nimirum quia in Chriſto à primo ſuæ

Conceptionis instanti fuerũt omnes Thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei. Hæc autem novitas vnice facta est in Nativitate Christi,& non in Nativitate cuiuscunque Alterius Prophetæ, & Sancti; quia solus Christus est Deus,& homo.

Deinde ex confessione ipsius Mahumeti ad annunciandam Christi Conceptionem mittitur Angelus Gabriel ad Beatam Virginem. Eligitur in eius Matrem Virgo sine labe culpæ originalis cõceptæ, vt fatetur ipse Mahumetus, qui dixit: *Solam inter filios Adam Mariam non tetigit Satan, vt vidimus supra.* Impletur gratia fœmina, quæ futura erat eius Mater, & propterea ab Angelo salutatur: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris sui, & regnabit in Domo Iacob in æternũ, & Regni eius non erit finis.* Luc. 1. v. 28. & 31. Apparet Pastoribꝰ Angelus,& Christi Nativitatem eis annuntiat: *Nolite timere, ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie vobis, Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid.* In eius Nativitate multitudo Cœlestis canit Deo gloriam dicens: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. v. 10. & 13. Apparet in oriente stella Regibus, illosque mirabiliter ducit, vt Christum natum adorent: *Ecce magni ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim Stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Math. 2. v. 2. Assignatur Ioannes Baptista, quem Mahumetani, vt Virum Sanctissimum colunt, & in cuius nativitatem singulis annis festum celebrant, vt Christi præcursor: *Hic est enim, qui dictus est per Isaiã Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Math. 3. v. 3. Luc. 3. v. 4. & cum Ioan. tantus esset, tamen de Christo testimonium perhibens, inquit: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calcamentorum eius; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Luc. 3. v. 16. & cum præhumilitate non auderet Christum baptizare, tamen Christi verbis obtemperans, ipsum baptizavit in Iordane Math. 3. Et postquã Christus ascendit de aqua, vidit Spiritum Sanctum sub specie columbæ super eum descendentem: *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi spiritũ descendiẽtem quasi columbam de Cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum:* Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Ecce ò Mahumetani, magnus ille Baptista, quem vos tantopere colitis, de Christo testatur esse Filium Dei, & illum digito demonstrãs, dixit esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; tollere autem peccata soli Deo competit: *Vidit Ioannes Iesum veniẽtem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vbi notandum est cũ Chrisostomo, non dixisse, *Ecce qui tollet*, sed de præsẽti, qui tollit: vt significaret, Iesum natura sua habere vim tollendi, & penetitus auferendi, peccata, ac proinde esse Deum, quia qui natura sua vim habet tollendi peccata, Deum esse necesse est. Sic non dicimus, ignis calefaciet, sed ignis calefacit, vt significemus, natura quidem sua omni tempore, omni loco, omnem materiam, nisi quid obstet, calefacere.

Vltimo omnia quæ de Christo narrant Evangelistæ, circa eius Conceptionem, Nativitatem, Magorum adorationem, fugam in Ægyptum, Baptismum, prædicationem, Apostolorum electionẽ, miraculorum operationem, Passionem, mortem, & Resurrectionem, prænuntiata erant omnia singillatim à Prophetis multis retro sæculis, vt constat ex dictis disp. præcedenti sect. 7. ergo cum Mahumetus in Alcorano fateatur miraculosam Christi Conceptionem, & Nativitatem, Pastorum, & Magorum adorationem, testimonium Ioannis Baptistæ de ipso, miracula ab ipso facta, & alia huiusmodi; & manifeste cõstet hæc omnia fuisse multo antea prænuntiata à prophetis; cogitur concedere, hunc Prophetam aliquid specialissimum habere, quod in nullo alio reperitur, neque in Moyse, nec in Elya, nec in nullo alio Propheta: quorsum autem tantus miraculorum apparatus erga hunc Prophetam, si esset tantum sicut vnus ex reliquis, id est purus homo?

Probatur octavo, quia Mahumetus in Alcorano docet, Christũ esse Messiam Iudæis promissum. Atqui Messias promissus Iudæis in veteri testamento futurus erat Deus: ergo Christus est Deus. Maior constat ex Alcorano Zora 2. quæ est Zora *Hambram*, & Zora 3. Idque probat

bat Petrus de Cavalleria linguæ Arabicæ peritus in *Zelo Chriſti*,fol.4.num.19.& 20. vbi notat, in Alcorano Ieſum appellari *Ice*, & Meſsiam appellari Arabice *Maceh*. Conſtatque manifeſte,eſſe inter Arabes articulum fidei, quod Chriſtus eſt Meſsias promiſſus in lege antiqua Iudæis. Minor, in qua ſola eſt difficultas,probatur 1.ex illo Iſai.35.*Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc apperientur oculi cæcorum,& aures ſurdorum patebunt,tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & ſoluta erit lingua mutorum.* Quæ verba de Chriſto, & de nullo alio intelligi debent. Perinde enim fuit dicere, Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos,ac dicere: ipſe per ſe,& non per legatos veniet. Deus autem per ſe immediate non venit ad ſalvandos homines, niſi quatenus factus eſt homo,& homo factus ſalvavit homines. Et negato Myſterio Incarnationis Filij Dei, nequit verificari Deum ipſum per ſe venturum, & ſalvaturum hominem. Ergo Chriſtus eſt Deus. Et confirmatur, quia ſi Chriſtus eſſet purus homo, & purus Dei miniſter in ſalute hominum procuranda, & non eſſet ſalvator, ſed Dei ſalvatoris merum inſtrumentum, meruſque miniſter: inde Apoſtoli à Chriſto miſsi in vniverſum mundum ad procurandam hominum ſalutem, eſſent comminiſtri Chriſti, non autem miniſtri Chriſti. At conſtat Apoſtolos ſe Chriſti miniſtros, non comminiſtros appellaſſe,ſiquidē Paulus 1.Corint.4.ait:*Sic nos exiſtimet homo,vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorum Dei*,planè ſignificans Chriſtum eſſe verum hominum ſalvatorem, & non purum miniſtrum Dei,ſed verum Deum, & myſteria eius,eſſe myſteria Dei.

Conſtatque apertè Iſaiam in illis verbis loqui de Chriſto: tum quia ipſe Chriſtus,cum Ioannes Baptiſta miſsit Diſcipulos ſuos ad ipſum,vt eum interrogarent,an ipſe eſſet Meſsias in lege promiſſus;illa verba Iſaiæ de ſeipſo expoſuit Math.11.v.3. *Tu es qui venturus es,an alium ſpectamus? & reſpondens Ieſus*, ait illis: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant,leproſi mundantur, ſurdi audiunt,mortui reſurgunt*,&c. Quæ erant ſigna,quæ Iſaias aſsignaverat ad dignoſcendū Meſsiam. Tum quia nunquam Deus per vllum Propheram hæc ſigna fecit, de quibus loquitur Iſaias,niſi per Chriſtum. Nam qui tempore veteris teſtamenti miracula fecerunt,ſunt Moyſes,Ioſue,Elias,Eliſæus, & ipſe Iſaias: nullus autem eorum fecit eiuſmodi ſigna, quia nullus eorum illuminavit cæcos,ſurdos,mutos, claudoſque ſanavit. Tum quia Iſaias loquitur de futuro, *Deus*, inquit, *ipſe veniet*: omnes autem Prophetæ,qui ſigna aliqua fecerunt, ante Iſaiā floruerunt. Ergo de nullo alio Propheta, niſi de Chriſto illa verba intelligi poſſunt. Et propterea ipſe Chriſtus Ioan.15.v.24. dixit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent:nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Quibus verbis ſignificavit, Iudæos eſſe inexcuſabiles,quia videntes in ipſo cōcurrere omnia ſigna, quæ de Meſsia futura prædixerant Prophetæ, nihilominus eum recipere noluerunt, ſed perſecuti ſunt, vſque ad necem Crucis.

Probatur ſecundo, Meſsiam promiſſum Iudæis eſſe Deum ex Baruch 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum,hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eā Iacob dilecto ſuo, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Hic de Deo Iſrael clariſsimè agitur; vt probant Cyprianus lib.2. contra Iudæos cap.5.Ambroſ.lib.1.de Fide cap.2.Auguſtinus lib.18.de Civit.cap.33. Naciancenus orat.4.de Theologia,Baſilius lib.4.cōtra Eunomium,Chriſoſtomus in oratione, quod Chriſtus ſit Deus, Hilarius lib.5. de Trinit. & alij. Vnde Athanaſius lib.de Incarnatione ait,ideo Filium Dei factum eſſe hominem: Vt homines ipſum intuentes,ex mirabilibus eius operibus perſuaderent ſibi non eſſe dumtaxat hominem, ſed etiam Deum, & veri Dei Verbum ac ſapientiam:quemadmodum enim,quâ minimè ſpectabilis eſt,ex creationis operibus cognoſcitur:ſic homo factus,& in corpus receptus ex operibus dignoſci poteſt, Dei eſſe virtus, & Verbum; non homo(ſimplex) qui hæc operatur. Et in Epiſtola ad Antiochenſes, quam Alexandrina Synodus ſcripſit:Cum reverā Dei eſſet Filius (inquit) factus eſt etiam hominis Filius, cum vnigenitus eſſet Dei Filius,idem & primogenitus factus eſt in fratribus. Ideo non alter quidem erat,qui ante Abraham fuit Dei Filius, alter vero,qui poſt Abraham extitit: alter ille, qui Lazarum excitavit; alter qui de illo ſciſcitatus eſt:ſed idem planè erat,humano quidem more dicens:vbi Lazarus iacet? Divino autem,hunc à mortuis ſuſcitans.

Quare Propheta loquitur de Deo Iſrael, qui ſolus ſimilem non habet, & qui poſtquam tradidit diſciplinam Iſraeli,ideſt legem in monte Sinâ,tandem homo factus in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.

Tertio,

Tertio, quia Messias promissus erat ad salvandos homines à servitute peccati; vt constat ex dictis disputatione præcedenti, sect. vltima, & redemptio, quam allaturus erat Messias, erat redemptio spiritualis, eripiens homines à potestate Diaboli, non corporalis liberans eos à tyranide alicuius Principis temporalis. Vnde Deus loquens apud Isaiam cap. 49. cum Messia, inquit: *Parum est, vt sis mihi servus ad suscitãdas tribus Iacob & fœces Israel conuertendas. Ecce dedite in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Quod perinde est ac si Deus Pater diceret Filio suo incarnato, seu Messiæ: Non mitto te ad salvandum duntaxat Iudæorum nationem; sed totius generis humani redemptorem te cõstituo, & salvatorem: munus autem salvatoris spiritualis, solius Dei proprium est, & salvatio opus est proprium Dei; vt ipse Deus „ testatur Isai. 43. Ego sum Dominus, & „ non est absque me salvator. Et cap. 25. „ Deus iustus, & salvator non est præter „ me. Et Oseæ 13. Ego sũ Dominus Deus, „ & salvator non est præter me. Tum sic: sed Christus est verè & propriè salvator: ergo Christus est verè & propriè Deus. „ Minor constat ex Mat. 1. Vocabis nomen „ eius Iesum, ipse enim salvum faciet po„ pulum suum à peccatis eorum. Et Luc. 2. „ 11. Angelus dixit pastoribus: Natus est „ hodie vobis salvator, qui est Christus „ Dominus. Et Ioan. 4. v. 42. Samaritani post Samaritanæ conversionem factam à Christo, cognoverunt, ipsum esse verum „ mundi Salvatorem: Scimus, quia hic est „ vere Salvator mundi. Et Apostolus ad „ Titum cap. 2. v. 11. Apparuit gratia Dei „ Salvatoris nostri erudiens nos, vt ab ne„ gantes impietatem, & sæcularia desi„ deria, sobriè, piè, & iustè vivamus in hoc „ sæculo. Et Petrus Epist. 2. c. 1. v. 1. Simon „ Petrus servus & Apostolus Iesu Christi „ ijs, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt „ fidem, in iustitia Dei nostri, & Salvatoris „ Iesu Christi. Et Ioan. Epist. 1. c. 4. v. 14. „ Et nos vidimus, & testificamur, quoniam „ Pater misit Filium suum Salvatorem „ mundi. Hinc Augustinus ser. 81. de tem„ pore, vnigenitus Dei (inquit) factus est „ hominis Filius, vt qui creator mũdi erat, „ fieret & redemptor. Et Ambros. lib. 3. „ de Fide cap. 2. Decuit enim, vt ille nos „ redimeret, qui creavit.

Quarto, quia Isaias de futuro Messia „ loquens cap. 45. inquit: Hæc dicit Domi„ nus, labor Ægypti, & negotiatio Æthio„ piæ, & Sabaim, viri sublimes ad te tran„ sibunt, & tui erunt, post te ambulabunt „ vincti manicis pergent, & te adora„ bunt, teque deprecabuntur, tantum in „ te est Deus, & non est absque te Deus: „ verè tu es Deus absconditus, Deus Israel „ salvator. Hæc tam manifestè dicuntur à Domino Deo de Filio suo incarnando, vt Hieronymus in hunc locum scribat, nullũ esse effugium à laqueis huius testimonij.

Quinto, idem Isaias c. 9. luculenter docet: nam de Christo loquens, inquit: „ Parvulus natus est nobis, & Filius datus „ est nobis: & factus est principatus super „ humerum eius; & vocabitur nomen eius: „ Advirabilis, Cõsiliarius, Deus, fortis, pa„ ter futuri sæculi, princeps pacis, &c.

Mitto alia plura testimonia, quia hæc sufficiunt; & ex omnibus concluditur ad hominem contra Mahumetum, Christum esse verum Deum; quia Mahumetus docet vera esse, quæ Prophetæ scripserunt: at Prophetæ scribentes de Messia dixerunt illum futurum esse Deum. Ergo Messias est verus Deus. Sed Mahumetus confitetur Christum esse Messiam promissum in lege antiqua, & Prophetis: ergo cogitur fateri Christum esse Deum.

Probatur præterea Christum esse Deum omnibus argumentis, quibus disputatione præcedenti ostendimus hanc veritatem. Primo, quia Christus palam dixit se esse Deum, & in cõfirmationem huius doctrinæ mortuos suscitavit, cæcos illuminavit, & alia miracula operatus est. Ergo hęc est veritas certissima. Secundo, quia Iudæi eo titulo præcipuè Christum crucifixerũt, quia dixit se esse Filium Dei naturalem, verumque Deum: & tamen Deus illos propter necem Christo illatam severissimè punivit, & vsque modo punit, quod argumentum manifestum est, Christum dum seipsum appellavit Deum, non blasphemiam dixisse, sed veritatem certissimam. Tertio, quia Deus Christum eo nomine crucifixũ, quia Filium Dei se fecit, tertia die suscitavit à mortuis: hoc opere evidenter manifestans, illum vera dixisse. Quarto, quia Apostoli innumerabilibus miraculis mundo persuaserunt rem humanæ sapientiæ penitùs incredibilem, nempè hominẽ crucifixum esse verum Deum. Quinto, quia nisi Christus esset verus Deus, non potuisset opere complere, quod promisit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Sexto, quia Christus maiora operatus est postquam a Iudæis crucifixus est, quam dum viveret, quod argumen-

mentum manifeſtum eſt, eum non eſſe nudum hominem, ſed hominem Deum. Septimo, quia Apoſtoli, & innumerabiles Martyres, vtriuſque ſexus, & in omni ætate, conſtanter, & alacriter in teſtimonium huius veritatis atrociſſima tormenta paſsi ſunt, & necem acerbiſsimam; Deuſque illos manifeſtis illuſtravit miraculis. Octavo, quia fides falſa veram nequit generare ſanctitatem, Fides autem hæc de Divinitate *Crucifixi* innumerabiles genuit ſanctos. Chriſti prædicator Mahumetanorum cõverſioni intentus, enumeret Illuſtriores ſanctos, qui in ſingulis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, illos præſertim, qui gloria miraculorum eminuerunt.

§. I.

Inſinuantur breuiter notæ, quibus dignoſcitur Religionem Chriſtianam eſſe veram.

SANE in Religione Chriſtiana, tanquam primam baſem ſtatuente Chriſtum eſſe Deum, & hominem, mortuum, & crucifixum pro ſalute humani generis, & tertia die reſurrexiſſe à mortuis, atque in Deo dari Trinitatem perſonarum, tot concurrunt notæ, & ſigna, vt credamus, illam eſſe à Deo, vt evidenter convincant illam habere Deum Authorem, & poſſe ac debere hominem myſterijs ab illa propoſitis infallibili & firmiſsimo aſſenſu credere: notas autem, & ſigna ex dictis in hac & antecedenti diſputatione breviter hic appendam.

1 Quòd myſteria noſtræ fidei in Scripturis ſacris ſpiritu prophetico tot ſæculis antè fuerunt, & prænuntiata, & præfigurata.

2 Quòd à paucis hominibus plebeis, nulla doctrina ſæculari inſtructis, ſolo Spiritu Divino afflatis, doctrina fidei mundo ſit perſuaſa, tota ſæculi potentia, & ſapientia repugnante.

3 Quòd infinitis miraculis confirmata.

3 Quòd pro ea doctrina tot Martyrum myriades libentiſsimè, & fortiſsimè omne tormentorum genus ſubierint, & ſanguinem profuderint.

5 Quòd eadem doctrina iam à ſedecim ſæculis continenter toto penè orbe vigueric.

6 Quòd à ſapientiſsimis viris, qui diverſis temporibus, vel diſtinctis locis vixere, ſummo conſenſu tradita.

7 Quòd omnes qui vel ſanctitate vitæ, vel gloria miraculorum clari fuerunt, eam ſectati ſint.

8 Quòd homines ad pietatem, iuſtitiam, benignitatem, animi fortitudinem, vitæ puritatem, contemptum rerum terrenarum, innocentiam, atque adeo ad omnem virtutem informet, & inſtruat.

9 Quòd nihil à recta ratione alienum contineat.

10 Quòd efficaciſsima præſidia, & incentiua ad rectè, & innocenter vivendum, & ad peccatum vitandum ſuppeditet.

Hæc, & alia ſigna, & notæ clarè demonſtrant Religionem Chriſtianam eſſe à Deo datam hominibus, vt in illa ſuam ſalutem operentur; & hoc velle de ſe credi, quod Chriſti Eccleſia Catholica Romana credendum proponit; & eo modo velle ab hominibus coli, quo illa tradit eſſe colendum. Cum enim evidens ſit vnum dumtaxat eſſe Deum, evidens quoque eſt, vnam dumtaxat eſſe veram Fidem, & Religionẽ in mundo: reliquas verò ipſi oppoſitas, quoad id quod de Deo, & divinis iubent credi, eſſe falſas. Quod lumine naturæ ductus agnovit Cicero, qui cum in libris de natura Deorum propoſuiſſet varias Philoſophorum opiniones de natura Deorum, & de Fine, ad quem homo conditus eſt, ſic concludit: *Quorum opiniones cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſidentes, alterum fieri profectò poteſt, vt earum nulla, alterum certè non poteſt, vt plus vna vera ſit.*

SECTIO SEXTA.

Oſtenditur contra Mahumetanos pluralitas perſonarum in Deo, & Diuinitas Chriſti: ex ipſo Alcorano: ex Diuinis Scripturis quas Mahumetus admittit.

MAHVMETVS in ſuo Alcorano hæreſes renovavit, quas Eccleſia Catholica in pluribus Concilijs Generalibus damnaverat, nempe hæreſim Arianam, quæ negans intra Deum pluralitatem perſonarum, negabat conſequẽter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe naturalem Dei Filium conſubſtantialem Patri; & conſequenter negabat eſſe verè & propriè Deum, & in hoc ſequebantur Arriani Ebionem, & Cherintum Hæreticos, qui Divinitatem Chriſti primi negarunt tempore Apoſtolorum, renovavit quoque hæreſem Neſtorij affirmantis Chriſtum fuiſſe, & eſſe hominem Dei ſerum, ideſt in quo Deus moraliter habitavit, non timen verum Deum, ac proinde Beatam Virginem non eſſe appellandam Matrem Dei, ſed Matrem Chriſti, non Theotocon, ſed Chriſtotocon, Chriſtum dividens in

duos

duos Filios, alterum Dei, alterum Virginis. Hos errores damnaverat Ecclesia in quinque Concilijs Generalibus 1. Nicæno: 2. Constantinopolitano primo: 3. Ephesino: 4. Calcedonensi: 5. Constantinopolitano secundo. Et post hæc omnia Mahumetus hanc hæresim renovavit.

Siquidem in Alcorano Zora 4. in principio hæc habet: Hæretici sunt illi qui dixerunt, quod Deus est Messias Filius Mariæ. Et Zora 1. Habuit Deus Filium? Absit ab ipso, laudetur ipse, sed omnia sunt sua, quæ sunt in cœlo, & in terra; omnia sibi subiecta. Et Zora 4. negat Trinitatē his verbis: Hæretici sunt illi, qui dicunt, quod Deus est tertius de tribus, intendens per hoc dānare Christianos, qui dicunt Deum esse Vnum, & Trinum. Ita refert ex Alcorano D. Petrus de Cavalleria, linguæ Caldaicæ, Arabicæ, & Hebraicæ apprimè peritus in suo *Zelo Christi*, fol. 129. quem librum eruditissimis notis illustravit Doctor D. Martinus Alphonsus de Vivaldo, anno Christi 1592 qui in prologo testatur, se in illo libro glossando tres annos consūpsisse. Et vt testatur Carthusianus lib. 1. art. 2. Mahumetus in Alcorano cap. 19. sic ait: Nihil præter opiniones sequuntur dicentes Deum sumpsisse Filium, quo nequaquam indiguit. An habent rationes hoc demonstraturas? An hoc nescium Deo imponunt? Et in cap. 12. Sciēdum eos incredulos esse, qui Iesum Filiū Mariæ Deum esse dicunt. Et iterum: Omnes dicentes Christum Mariæ Filiū Deum existere, mendaces inventi sunt, atque increduli, cum Christus ipse dixerit: Filij Israel in Deum vestrum ac meum credite. Cui quicumque socium ac participem posuerit, ignem intrabit perpetuum. Et frequenter asserit, quod Deus non habet Filium sibi æqualem: quia Deus non habuit vxorem: aitque, omnes, qui Deum Trinum asserunt in personis, tres Deos affirmare.

Hoc supposito probo Alcoranum librum esse mendacem, & Diaboli suggestione compositum. Primo, quia cum ex ipso constet, Christum esse Verbum Dei missum à Deo in hunc mundum, sequitur dari in Deo plures personas; nempe personam missam, & personam mittentem. Nā Verbum Dei Persona Divina est, vt manet probatum supra, quia Verbum Dei est conceptus intellectus paterni, & imago Patris intra Deum existens: quia conceptus mentis intra intelligentem est, & verbum seu sermo internus in loquente est; Persona autē Divina nequit seipsam mittere. Vnde Augustinus lib. 2. de Trinitat. cap. 5. dicit: *Quod solus Pater nunquam legitur missus.* Quia neque potest dici missus à seipso, nec à Filio; quia in Divinis Persona, quæ mittitur, debet procedere à mittente. Et ideo Christus Dominus Ioā. 8. dicebat: *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me Pater.* Quare vt rectè explicat magnus Christianorum Doctor S. Thomas 1. part. q. 43. art. 1. cap. Missio Divinæ Personæ convenire potest secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente, & secundum quod importat ex alia parte novū modum existendi in alio. Sicut Filius dicitur missus à Patre in mundū, secundum quod incæpit in mundo esse per carnem assumptam; & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.

S. Vincentius Ferrerius Domin. 3. post Pascha term. 4. narrat, quod cum ipse prædicaret in quadam synagoga Iudæorum, accessit ad eum quidam Mahumetanus, Sarracenorum Alfaquinus, seu Sacerdos, illumque interrogavit, quomodo Deus posset habere Filium? Cui sanctus respondet quadam interrogatione. *Tu credis Deum esse æternum?* Et cum illę annuisset, subiunxit S. Vincentius: credis ne Deū esse mutum, aut credis eum loqui? fixum habeo, inquit, Deum non esse mutum, sed loqui. *Ecce igitur* (re posuit S. Vincentius) Verbum hoc æternum, quod Deus loquitur, & intellectu suo profert, hoc est Verbum, de quo loquitur S. Ioannes quando dicit: *Verbum caro factum est*; & istud Verbum est Filius Dei.

Sanè cum Mahumetani credant Deum ab æterno nihil creatum produxisse, quia in principio temporis initium habuit rerum creatio; si concedant Deum ab æterno loqui; necessario fateri debent Deum ab æterno loqui intra se; nam locutio externa importat aliquid creatum, quia repugnat Deum ad extra loqui, quin ad extra aliquid producat. Deus ergo ab æterno ore suo, ideſt intellectu suo loquitur: (cum enim Deus non sit substantia corporea non potest habere os materiale, sed tātùm spirituale, nempe intellectum) ergo Deus medio intellectu suo profert Verbum: hoc autem Verbum ab æterno intra Deum existens, Deus est non minus quam Deus sit Persona Divina hoc Verbum producens. Hoc ergo Verbum æternum est Filius Dei, quia est substantia vi-

veni

vens quæ Patrem perfectiſsimè repræſentat.

Nunc veniamus ad argumenta petita ab Scriptura. Nam Mahumetus ait, credenda eſſe quæ ſcripſit Moyſes, & ſcripſerunt Prophetæ,& credendum eſſe Evangelio Ieſu-Chriſti. Argumentor ergo 1.ex Pſal.2. v.7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,ego hodie genuite.* Certum eſt Prophetam loqui non de ſeipſo, ſed in perſona Chriſti:nam vt probat Bellarminus, totus hic Pſalmus eſt manifeſtiſsima prophetia de Chriſto, David enim in ſpiritu prænoſcens Meſsiam venturum, & perſecutiones multas adverſus eum exorituras, & eum tamen fœliciſsimè regnaturũ, incipit ab increpatione perſecutorum illis verbis: *Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius:*& ſenſus eſt,fruſtrà Gentiles,& Hebræos,tum Principes,tum populos infremuiſſe indignatione contra Meſsiam,& cogitaviſſe rationem impediendi Regni eius.Conſtatque manifeſtè Davidem non loqui de ſeipſo, ſed de Chriſto,nam ſtatim poſt illa verba:*Ego hodie genuite,addit: poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& poſſeſsionem tuam terminos terræ:* quæ de Davide verificari non poſſunt: verificantur autem ad litteram de Chriſto,& eorum ſententia eſt apertiſsima,ac ſi Deus Pater dicat: Quia tu Chriſte Filius meus es naturalis, & virtute mea incarnatus,& à mortuis ſuſcitatus,iure potes à me petere imperium in omnes gentes,tanquam hæreditatem tuam,& omnẽ terram vſque ad vltimos fines eius, tanquam poſſeſsionem tibi debitam. Ipſique Rabini,& Magiſtri Iudæorũ,qui floruerunt multis annis ante adventum Chriſti, fatentur Davidem non loqui de ſeipſo, ſed loqui in perſona Chriſti, vt teſtatur Paulus de S.Maria,qui prius fuit Rabinus Hebræorum, & poſtea ad fidem Chriſti converſus, fuit Epiſcopus Burgenſis, & floruit ad an. 1430. & ſcripſit doctiſsimum librum adverſus Iudæos,in quo probat,Ieſum Nazarenum quem Iudæi crucifixerunt,eſſe Meſsiam,&Chriſtum promiſſum per Prophetas,& inter alia argumenta id probat ex ijs verbis Pſalmi,1.p. Scrutinij Scriptur.diſt.9.cap.9.affirmans Rabinos ipſos Hebræorum ea expoſuiſſe de Meſsia venturo.

Et Apoſtoli Chriſti, quos Mahumetus fatetur fuiſſe viros ſanctos,& vera eſſe quæ ſcripſerunt,hunc locum exponunt de Chriſto Actor.cap.4.v.25. cum enim Petrus in nomine Ieſu Nazareni miraculoſe curaſſet hominem claudum, qui ſedebat ad portam Templi Salomonis,quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſinam ab introeuntibus in Templum, dicens; *Argentum aut aurum non eſt mihi;quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt bases eius & plantæ.* Act.3.7.cũ hunc hominem,qui annorum erat amplius quadraginta,curaſſet D. Petrus, magna perſecutio contra ipſum ſuborta eſt, & contra D. Ioannem, qui illum comitabatur;quia prædicabant populo,Ieſum Nazarenum reſurrexiſſe:ipſi vero conſtanter „ dixerunt Scribis,& Phariſæis:Principes „ populi, & ſeniores audite. Notum ſit „ omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, „ quia in nomine Domini noſtri Ieſu„ Chriſti Nazareni, quem vos crucifixi„ ſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis,in „ hoc iſte ſtat coram vobis ſanus.Et allegabant varia Scripturæ teſtimonia ad probandum Ieſum Nazarenũ eſſe Chriſtum in lege promiſſum: *Et non eſt* (inquiunt)*in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*: & ad probandum Ieſum Nazarenum eſſe Chriſtum adduxerunt verba Pſalmi, quæ modo citavimus, & cum Deo loquentes dicebant „ Domine tu es, qui feciſti cœlum,& ter„ ram,mare,& omnia,quæ in eis ſunt:qui „ Spiritu Sancto per os patris noſtri Da„ vid,pueri tui;dixiſti:Quarè fremuerunt „ gentes, & populi meditati ſunt inania, „ aſtiterunt Reges terræ, & Principes „ convenerunt in vnum,adverſus Domi„ num, & adverſus Chriſtum eius: con„ venerunt enim verè in civitate iſta ad„ verſus ſanctum puerum tuum Ieſum, „ quem vnxiſti,Herodes,& Pilatus,cum „ Gentibus,& populis Iſrael,facere, quæ „ manus tua, & conſilium tuum decreve„ runt fieri. Ergo Apoſtoli Spiritu Sancto pleni, quamvis eſſent ex ſe rudes piſcatores, acceperunt à Deo lucem ad interpretandas Scripturas, & teſtati ſunt, Davidem in illo Pſalmo loqui de Ieſu Nazareno, qui eſt verus Meſsias, & verus Chriſtus in lege promiſſus.Ergo certum eſt, verba illa: *Dominus dixit ad me,Filius meus es tu,ego hodie genuite*, intelligenda eſſe de Chriſto:ergo Chriſtus eſt Filius naturalis Dei ab æterno à Patre ge-

genitus ex ſua ſubſtãtia: Perinde enim fuit dicere: *Ego hodie genuite, ac ego in die æternitatis genui te Deus Deum*, vt inquit Bellar. Vnde Origenes tom. 1. in Ioannẽ circa medium hunc locum exponens inquit: „Manifeſte Filij nobilitas declaratur, cũ, „ Filius meus es tu, ego hodie genui te, „ dicitur ad illum à Deo, cui ſemper eſt „ hodie. Neque enim eſt veſpera Dei, neque mane: ſed ipſi dies eſt hodie, in qua „ genitus eſt Filius. Et Auguſtinus exponens hæc verba, ego hodie genuite, ſic „ habet: Hodie, quia præſentiã ſignificat, „ atque in æternitate, neque præteritum „ quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, neque „ futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens „ tantum, quia quidquid æternũ eſt, ſemper eſt, divinius, accipitur ſecundum id „ dictum, ego hodie genuite, quo ſempiternam generationem virtutis, & ſapiẽtiæ Dei, qui eſt vnigenitus Filius, fides „ ſyncerisſima, & Catholica prædicat. „ Et lib. 11. Confeſ. cap. 13. in fine: Hodiernus tuus, æternitas, ideo coæternum „ genuiſti, cui dixiſti. Ego hodie genuite. „ Et in Enchir. cap. 49. Ego hodie genui„ te, non vnum illum temporis diem, quo „ Baptizatus eſt, ſed immutabilis æternitatis oſtendit, vt illum hominem ad „ vnigeniti perſonam pertinere monſtraret. Vbi enim dies, nec heſterni fine inchoatur, nec initio craſtini terminatur, „ ſemper hodiernus eſt.

Nec poteſt locus ille intelligi de filiatione per adoptionem ſecundum quam omnes iuſti ſunt Filij Dei, quia vt obſervat Paulus Burgenſis 1. par. ſcrutinij diſt. 9. cap. 9. *Filium ſuum in ſingulari*, quem ipſe genuerit, nullibi Deus appellat niſi Chriſtum; quia nimirum ſolus Chriſtus eſt Filius Dei naturalis. Quare illud, *Filius meus es tu*, intelligendum eſſe de filiatione naturali efficaciter confirmat D. Thomas 4. contra gent. cap. 7. initio ex Paulo ad Hebræos 1. vbi volens proba„ re, quod Chriſtus eſt verus Deus, per „ quem fecit, & ſæcula, qui eſt ſplendor „ gloriæ, & figuræ ſubſtantiæ eius, por„ tanſque omnia verbo virtutis ſuæ, pur„ gationem peccatorum faciens; quę ſunt certiſsima conſubſtantialis, ac veræ Deitatis indicia ita argumentatur ex hoc lo„ co: Cui enim dixit aliquando Angelo„ rum, Filius meus es tu, ego hodie genui„ te? Ergo Chriſtus eſt alia ratione Filius Dei, quam ſit quilibet Angelus, etiam ſanctiſsimus: ergo non eſt Filius adoptivus, ſed naturalis, & conſubſtantialis Patri, nã ſi propter filiationem adoptivam dixiſſet Pater de Chriſto, *Filius meus es tu, ego hodie genuite*; etiam poſſet dicere Michaeli, *Filius meus es tu, ego hodie genuite*. Ergo id dixit propter filiationem naturalem.

Argumentor ſecundo, ex illis verbis Pſalmi 109. v. 4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum; ex vtero ante Luciferum genuite*. In quibus certum eſt ſermonem eſſe de Chriſto; quia de illo loquitur in hoc verſu, de quo verſu 1. dixerat: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Vt autem inquit Bellarminus in eum Pſalmum, *certum* eſt non alium hoc loco Dominũ vocari niſi Meſſiam, qui fuit Filius David ſecundum carnem, & Dominus David ſecundum Divinitatem: totus enim Pſalmus id clamat, cum neque Abraham, neque Ezechias (de quibus riduculè Rabini cæcorum Iudæorum id exponunt) ſederint *ad dexteram Dei*, neque geniti ſint ante Luciferum, nec Sacerdotes fuerint ſecundum ordinem Melchiſedec. Quarè Iudæi interrogati à Chriſto Math. 22. v. 42. quomodo David in ſpiritu vocet Meſsiã Dominum ſuum? non ſunt auſi negare, Pſalmum intelligendum eſſe de Meſsia.

Ex his verbis probant efficaciſsimè Patres Chriſti Diuinitatẽ: quæ verba ſic ad litteram explicat Bellarminus: dixerat: *Dominare in medio inimicorum tuorum*, quod intelligitur in hoc tempore, dum regnum Chriſti ab omnibus oppugnatur: declarat nunc, quid erit in noviſsimo die, quando omnes inimici ſubiecti erunt, vt ſcabellum pedum eius: *Tecũ*, inquit, *principium in die virtutis tuæ*, ideſt, tecum erit principatus manifeſtus, tùnc apparebit omnibus tuum eſſe regnum, & apud te ſolum eſſe verum principatum. *In die virtutis tuæ*, in die videlicet noviſsimo, quando potentia tua cœlum movebit, cœlum obſcurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, & omnes ad tribunal tuum adducet. *In ſplendoribus ſanctorum*, ideſt, quãdò circumdatus eris ſanctis tuis, qui omnes fulgebunt ſicut ſol: *Ex vtero ante Luciferum genuite*, ideſt, ideò tecum erit tantus principatus, quia ego Deus Pater omnipotens genuite, non ex nihilo, vt res creatas, ſed *ex vtero* meo, vt Filium verum, connaturalem, & ſubſtantialem, *ante Luciferum*, ideſt ante quam ſtellas creare, ante omnem creaturam, ante omnia ſæcula. Hæc eſt communis expoſitio Patrum, Hieronymi, Auguſtini, Chriſoſtomi, Theodoreti, Euthimij.

Quod

Quòd ſi placet (inquit Bellar.) non accipere principium pro principatu, ſed ſimpliciter, pro principio, exponere poterimus: *Tecum principium*, ideſt tecum eſt principium omnium rerum, quia tu es in Patre, & Pater in te. Sed prior expoſitio videtur præferenda, vtpote magis conformis textui Hebraico. *Ex vtero.* Ex hoc verbo efficaciſsimè probant Patres Chriſti Divinitatem; nam ſi Chriſtus creatura eſſet, non poſſet dici genitus ex vtero: nemo enim dicit, ſe genuiſſe ex vtero domum, vel ſcamnum, vel aliud quidpiam ex arte factum. Nec Deus dixit vnquam ſe genuiſſe ex vtero cœlum, aut terram. Porrò per vterum intelligitur eſſentia Dei ſecreta, & intima; & quamvis vterus propriè ad matrem, non ad patrem pertineat: rectè tamen Deus Pater dicitur ex vtero genuiſſe, tum vt clarius oſtendatur Filius conſubſtantialis genitori (clariùs enim Filius eſt ex ſubſtantia Matris, quàm ex ſubſtantia Patris) tum quia Deus opus nõ habuit vxore ad Filium gignendum, & pariendum. Vnde dicit Iſaiæ vltimo: *Nũquid ego, qui alios parere facio, non pariã? Ante Luciferum.* Hinc ſignificatur æternitas Filij, qui genitus fuit ante Luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed poſuit nomen Luciferi, quoniam ipſe etiam Filius Dei, eſt quidam Lucifer increatus; eſt enim lux vera, quæ illũminat omnem hominem, & omnem Angelum.

Argumentor tertio, ex illis verbis Eccleſiaſt. 24. ego ex ore *Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Quæ Ambroſius, Cyprianus, Auguſtinus, & alij Patres communiter exponunt de generatione Verbi, quod eſt ſapientia Divina genita; textus enim expreſſe loquitur de ſapientia increata, vt autem expendit Lyrannus: *Non loquitur de ſapientia Diuina eſſentialiter dicta; quia hæc non eſt generans, nec genita. Nec etiam de ſubſtantia quacumque creata, per hoc quod dicitur ante omnem creaturam.* Nam ſapientia illa quæ genita eſt ante omnem creaturam, creatura eſſe nequit: rurſus ſapientia illa eſt per ſe ſubſiſtens, ſeu ſapientia ſapiens, ideſt perſona, id enim denotat illud, *Ego.* Ergo in Deo datur perſona generans, & perſona genita, ſapientia generans, & ſapientia genita. Ergo cum nulla perſona poſsit generare ſeipſam, concluditur dari in Deo plures perſonas. *Ex ore altiſsimi.* Per os Dei intelligitur intellectus fœcundus Patris, ex quo procedit Verbum. Cum enim certum ſit, Deum non habere os corporale, quo vocaliter loquatur, concluditur ibi ſermonem eſſe de ore ſpirituali, quo ſubſtantia ſpiritualis loquitur, nempe de intellectu, quo loquitur dum Verbum mentale producit. Ergo in Deo datur Verbum ſubſtantiale æternum, & increatum diſtinctum realiter à Patre.

Simile argumentum ſumitur à Patribus cõtra Arrianos ex illis verbis Prov. 8. *Nondum erant abyſsi, & ego iam concepta eram; ante colles ego parturiebar, quando præparabat cœlos, ad eram, &c. cum eo eram cuncta componens*, quæ de ſapientia Divina æterna, & genita intelliguntur à Patribus, nempe de Verbo.

Argumentor quarto, ex illis verbis Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iudæ: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Manifeſtum eſt enim loqui de Chriſto; & ideo ipſi Iudæi Principes Sacerdotum, & Scribæ populi interrogati ab Herode Math. 2. vbi Chriſtus naſceretur, reſponderunt, naſciturum Bethleem. Ex hoc autem textu evincitur, duplicem eſſe Chriſti Nativitatem, alteram temporalem, & humanã in Bethleem, alteram ſempiternam, & Divinam. Ergo Chriſtus, qui naſciturus dicitur in Bethleem, quatenus homo, eſt ſimul Filius naturalis Dei, procedens ab æterno à Patre per ſpiritualem, & intellectualem generationem.

Omiſsis alijs pluribus, veniamus ad novum teſtamentum, quod Mahumetus admittit, & iubet credi: ex quo manifeſte conſtat Chriſtum eſſe verum Deum. Vt liquet ex teſtimonijs allegatis diſp. præc. Et nunc probatur 1. ex illo Pauli ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Vbi clariſsimè explicatur, Chriſtum eſſe verum Deum, cum habeat formam, ideſt naturam *Dei*, & ſecundum illam non ſit rapina, ſed natura æqualis Patri. Secundo ex illo Rom. 9. *Ex quibus Chriſtus eſt ſecũdum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.* Cum enim ſuper omnia nihil ſit niſi verus Deus, ſi Chriſtus eſt ſuper omnia Deus, ſequitur eſſe verum Deum. „ Tertio, ex illo 1. Ioan. 5. Vt ſimus in ve„ ro Filio eius, hic eſt verus Deus, & vita „ æterna. Audi Auguſtinum lib. 1. de „ Trinit. c. 6. Et Filius non tantum Deus, „ ſed & verus Deus, quod Ioannes aper„ tiſsimè in ſua Epiſtola dicit: Scimus „ quia Filius Dei venit, & dedit nobis intelle-

„ telle ctum hic est verus Deus, &c. 1. „ Ioan. 5. v. 20. Audi & Cyrillum lib. 12. „ Thesauri cap. 23. Quid (inquit) dicent „ hæretici ad hæc Beati Ioannis verba, „ quibus apertissimè Deus verus Filius „ appellatur? Nam si Deus verus est sub- „ stantialiter, non participatione hoc ip- „ sum est, sicut creaturæ. Neque Mahu- metani respondere poterunt, Christum ab Apostolis appellari Deum, quia erat eius legatus. Sic enim non esset verus Deus, sed solum Dei minister, & vt inquit „ S. Irinæus lib. 3. cap. 6. neque Domi- „ nus, neque Spiritus Sanctus, nec Apo- „ stoli eum, qui non esset Deus, definitivè „ & absolutè Deum nominassent aliquan- „ do, nisi esset verus Deus.

Quare Mahumeto quadrat illud, quod ait S. Ioannes Epist. 1. cap 4. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Anti Christus.* Quid est enim solvere Iesum, nisi dividere Iesum à Deo, dicendo Iesum non esse personam Divinam, sed creatam, non Deum, sed purum hominem? Mahumetus ergo Anti Christus est, idest spiritum Anti-Christi habuit.

Denique probatur; quia Christus non dicitur in Evangelio vtcumque Filius Dei, sed Filius vnigenitus; est ergo Filius naturalis, & consubstantialis Patri, & Filius vnicus. Ergo nō est Filius per adoptionem, quia sic non esset vnigenitus. Assumptum probatur ex Ioan. 1. Vidimus „ gloriam eius, & gloriam quasi vnigeni- „ ti à Patre. Et paulo post: Vnigenitus, „ qui est in sinu Patris, ipse ennarravit. Et „ cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Fi- „ lium suum vnigenitum daret. Et paulo „ post: Qui non credit, iam iudicatus est, „ quia nō credit in nomine vnigeniti Fi- „ lij Dei. Et 1 Ioan. 4. Filium suum vni- „ genitum misit Deus in mundum. Hinc Patres manifestè convincebant Arrianos. Sic Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 4. ini- „ tio: Non est vnigenitus, nisi qui ita na- „ tus est, vt nullos habeat fratres. Atha- „ nasius oratione in illud dictum. Deus „ de Deo: Christus ideo vnigenitus est, eo „ quod nullus alius ex Patre sit genitus. Et „ Cyrillus lib. 4. de Trinit. vnigenitus sig- „ nificat id, quod ex natura cuiusdam ge- „ nitum est. Et lib. 5. Thesauri cap. 5. Si „ Filius creatus est, non erit vnigenitus, „ quem multi sequuntur similes, non enim „ quia primo creatus est, erit vnigenitus: „ nam & Ruben principium factus est fi- „ liorum Iacob, nec tamen ideirco vnige- „ nitus, aut alienus à natura fratrum suo- „ rum. Igitur Ioannes, teste Cyrillo lib. 1. „ in Ioan. cap. 22. Vnigenitum Filium ap- „ pellavit, & in sinu Patris esse affirma- „ vit, vt ab omni creatura eum disiunxe- „ ret, & ex Patre propriam substantiam „ habere; & in Patre esse ostenderet. De- „ nique Chrisost. hom. 14. in Ioan. Evan- „ gelista sinus meminit, quo vno verbo, „ multa, substantię cognationem, propin- „ quitatem, parem Patri cognitionem, „ potestatem ostendit. Non enim diver- „ sam substantiam in sinu haberet Pater: „ sed neque ipse auderet, si servus, si ex „ multitudine vnus esset, in sinu Domini „ versari. Vt autem notat Cyrillus, Evan- „ gelista sinum pro substantia, per simili- „ tudinem corporum, quæ rebus intelli- „ gibilibus manifestiora sunt, posuit. Et sanè cum Filius hominis homo debeat esse, & Filius equi equus, Filius naturalis, & vnigenitus Dei, Deus debet esse. At Christus est Filius naturalis, & vnigenitus Dei, ergo est Deus.

SECTIO SEPTIMA.

Soluitur crassa quædam Mahumeti obiectio, & explicatur quo pacto sine vxore propriè Filius Deo conueniat.

QVALIS est vnusquisque, talitèr iudicat, vt docet Aristoteles; & vt inquit Paulus: *Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Carnalis nimis erat Mahumetus, & ideo non posuit nisi carnalem generationem apprehendere: obijcit ergo, Deum non habere Filium, quia vxorem non habeat, quæ ei Filium pariat æternum, & sibi consubstantialem. Ita enim loquitur in Alcorano Zora 5. paulò post medium: *Quomodo Deus haberet Filium, si non habuit vxorem, aut sociam?* Vt testatur *Zelus Christi*, fol. 131. pag. 1. Sed hæc obiectio pinguis, & crassa est, & quæ magis risum moveat, quam solutionem postulet. Sed tamen res ipsa explicanda est.

Dum auditis Mahumetani, Deum habere Filium, elevare debetis mentes vestras supra feces omnes creaturarum, supra omnia corpora. Quia Deus substantia est spiritualis; omnino purissima, & simplicissima, molis corporeæ expers; ac proinde essentialiter incapax habendi Filium per generationem corporalem, quæ est propria animalium, quæ corpore constant. Vnde generatio Filij, quæ Deo cōpetit, non est carnalis, sed spiritualis, non corpo-

corporea, ſed intellectualis: cum enim Deus ſit ſubſtãtia ſpiritualis intellectualis infinitè perfecta, non aliter filiũ generare poteſt, quam per intellectũ. Ideoque generat Filiũ, quia Deus Pater ſeipsũ cõprehendens, & in nitidiſsimo ſuæ divinæ eſſentiæ ſpeculo ſeipſum intuens, & contẽplans, hac ipſa actione ſeipſum videndi & contemplandi producit quandã vivam ſui imaginẽ, cui cõmunicat ſuã eſſentiã, ſuam omnipotentiã, ſuam ſapientiam, & reliqua omnia attributa; & hæc imago viva, & vivens, producta à Patre ſeipſum intelligente, eſt Verbũ Patris, & ſimul Filius. Quare idem eſt Patrẽ generare Filium, ac producere intra ſe Verbũ mentale, quo tota perfectio Patris repræſentatur. Illa enim imago repræſentans divinas perfectiones, quã Deus producit dum ſeipſum contemplatur in ſpeculo nitidiſſimo, & pelucido ſuæ eſſentiæ, eſt Filius: quia illa imago eſt per ſe ſubſiſtens, eſt imago ſubſtantialis participans per identitatẽ eſſentiã Patris, ac proinde eſt *Viuẽs à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, quæ eſt definitio filij.

Id vobis exemplo exponam: Dum quis ſeipsũ intuetur in ſpeculo, ipſa actione ſe intuẽdi producit imaginẽ ſui in ſpeculo, quæ eiuſdem figurę eſt cum homine ſeipſum intuente, & illi ſimilis. Illa imago in ſpeculo producta nõ eſt filius eius, qui ſeipſum intuetur, quia eſt imago mortua, non imago vivens, quia eſt accidens, non ſubſtãtia, quia eſt ſimilitudo, ſpecies, effigies, & ſimulacrum hominis, cæterũ non eſt homo, quia non eſt quid conſiſtẽs, & permanens; ſed ſtatim evaneſcens. Quod ſi illa imago reſulcãs in ſpeculo eſſet verus homo, & ſubſtantia vivens, profecto eſſet verè filius hominis ſeipſum intuentis; quia ſi per actionẽ ipſam videndi cõmunicaret ſuam ſubſtantiã illi imagini & produceret hominẽ ſibi ſimilẽ, vt ſuas perfectiones repræſentaret; ſanè per ipſam actionem ſe videndi generaret ſibi filium. Deus ergo Pater dum ſeipſum intuetur in cryſtallino, & puriſsimo ſuæ divinæ eſſentiæ ſpeculo producit quandam imaginẽ perfectiſsimã ſui; producit Verbũ, *Quod eſt, & ſpeculum, & character, & imago Patris, in omnibus Patris ſimilis*: vt loquitur S. Clemens Papa, & Martyr, & Diſcipulus D. Petri in Epiſtola ad Iacobum. Hæc autem imago non eſt mortua, ſed viva, non eſt tranſiens, ſed permanens, non eſt accidens, ſed ſubſtantia, non eſt inhærens; ſed per ſe ſubſiſtens; ac proinde eſt imago manens intra Deum, quia eſt partus quidam, & conceptio intellectus; conceptio autem, & partus intellectus intra intelligentem manet, dum enim intelligimus, non producimus aliquid extra nos in exteriori materia, ſed intra nos producimus imaginem expreſſam rei, quam cogitamus: quidquid autem eſt intra Deum, Deus eſt, eſſentiamque Dei habet: ergo Pater Æternus dum ſeipſum intelligit, ſeipſum cogitat, & intuetur, atque contemplatur, producit imaginem ſubſtantialem ſui, quæ Deus eſt, non minus quam Pater producens. Hæc imago eſt Verbum, & eſt Filius: immo vt loquitur maximus Chriſtianorum Doctor poſt Apoſtolos, in Africa natus, & educatus, & qui in Africa obijt, nempe S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Eo Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius*. Dicitur enim Verbum, quia eſt ſimilitudo expreſſa, & producta ad repræſentandũ obiectum, nempe Patrem, & dicitur Filius, quia eſt ſimilitudo ſubſtantialis, per ſe ſubſiſtens, & eiuſdẽ naturæ cum principio producente.

Id alio exemplo explico, homo dũ ſeipſum cogitat, & ſeipſum interne contemplatur, producit intra ſe quandã imaginem ſui, quę eſt Verbum mentis: hæc imago eſt imperfecta, quia eſt accidens, non ſubſtantia, ac proinde eſt Verbũ accidentale, non ſubſtantiale, vnde hoc Verbum non eſt filius. At Verbum Divinum, vt inquit Baſil. orat. 16. in illud Ioan. *In principio erat Verbum, ideo Verbum dicitur, quia eſt imago genitoris totũ in ſe monſtrans genitorem*: & quia eſt imago perfectiſsima, & ſubſtãtialis, & per ſe ſubſiſtẽs eſt filius, vt enim inquit S. Aug. lib. 6. de Trin. c. 2. *Filius, & imago quò Filius*, & vt ait S. Auſ. „ in Monol. c. 53. Verbum mox vt cõſide„ ratur, ſe prolẽ eſſe eius, à quo procedit, „ evidentiſsime probat, promptã præſe„ rẽdo Parẽtis imaginẽ. Vnde S. Athan. in Epiſt. de decret. Nicæn. Syn. Quem„ admodum (inquit) vnus eſt Deus, ne„ ceſſarium quoque eſt vnã eſſe eius ima„ ginem, quę ipſius eſt Filius. Si eum ima„ ginem nomines, filium hoc ipſo eum „ eſſe iudicaveris, quid enim ſimile eſt „ Deo, niſi ſua ipſius progenies? Et S. Greg. Nazianz. orat. 4. Theologiæ: Bre„ vis, & compendioſa, faciliſque Pater„ næ naturæ declaratio eſt filius, omne „ enim, quod genitũ eſt, genitorẽ ſuũ ta„ cita quadã voce definit. Hinc S. Tho. 1. p. q. 27. a. 2. probat Verbũ in Deo eſſe Filiũ, *Quia Verbũ eſt conceptio intellectus*,

Conceptio autem intellectus est similitudo rei intellectæ, & insuper Verbum in Deo *est in eadem natura existens.* In nobis Verbum, quod quis formar de seipso, non est filius, quia cum in nobis aliud sit intelligere, aliud esse; Verbū, quod homo formar de seipso, *Est quidem homo intellectus seu homo in esse intelligibili, quia est similitudo* expressa hominis ipsum representās, non tamen est verus homo, sed aliquod accidens existens in homine. Cæterum cum in Deo idem sit intelligere, ac esse, quia Deus per suam substantiam, non solum est potens intelligere, sed actu intelligens; ideo in Deo Verbū mentis, quod formar de seipso, est Deus, quia non solum est *Deus intellectus, seu Deus in esse intelligibili*, id est representativo, & Imago Dei, sed est verus Deus, quia habet idem esse, & eādem essentiam cum Deo, quia quidquid existit in Deo Deus est. Ac proinde, non solum est Deus intellectus, sed Deus intelligens, non solum Deus in esse representativo, & intelligibili, sed Deus inesse reali.

Cur autem Verbum mentis appelletur proles, & conceptio, & partus intellectus, explicat optimè idem S. Tho. opusc. 2. seu in compendio Theologiæ cap. 37. Probat cap. 36. ponendum esse Verbū in divinis: *Quia Deus seipsum intelligit, omne autem intellectum in intelligente est; Vnde oportet Deum in seipso esse tanquam intellectu in intelligente; intellectum autem prout in intelligente est Verbum quoddam intellectus, hoc enim exteriori voce significamus, quod interius intellectu cōprehendimus: sunt enim secundum Philosophum voces signa intellectuum: oportet igitur in Deo ponere Verbum ipsius.* Postquam hoc probavit subiūgit in cap. 38. Id autē quod in intellectu „ continetur, vt interius Verbū ex communi vsu loquendi conceptio intellect⁹ dicitur: nam corporaliter quidem aliquid „ concipi dicitur quod in vtero animalis „ vivifica virtute formatur, mare agente, „ & fœmina patiente, in qua fit conceptio „ ita quod ipsū conceptū pertinet ad naturā vtriusque quasi secundū speciem „ conforme. Quod autem intellectus cō„ prehendit, in intellectu formatur, intel„ ligibili quasi agente, & intellectu quasi „ patiente. Et ipsum, quod intellectu cō„ prehenditur, intra intellectum existens „ cōforme est, & intelligibili movēti, cui„ us quædā similitudo est, & intellectui „ quasi patienti, secundū quod esse intel„ ligibile habet. Vnde id, quod intellectu „ cōprehenditur, non immerito conceptio intellectus vocatur. Rursus cap. 39. in hoc differentiā considerat. Nam cū id „ quod intellectu concipitur, sit similitu„ do rei intellectæ eius speciē repræsen„ tans, quædam proles ipsius esse videtur. „ Quādo igitur intellect⁹ intelligit aliud „ à se, res intellecta est sicut pater Verbi „ in intellectu cōcepti, ipse autē intelle„ ctus magis gerit similitudinem matris, „ cuius est, vt in ea fiat conceptio. Quan„ do vero intellectus intelligit seipsum, „ Verbū conceptū comparatur ad intel„ ligentē, sicut proles ad patrē. Cum igi„ tur de Verbo loquamur, secundū quod „ Deus seipsum intelligit, oportet quod „ ipsum Verbum comparetur ad Deum, „ cuius est Verbū, sicut filius ad Patrem.

Itaque dum Christiani credimus Deum habere Filiū, credimus Deum dum seipsū intelligit producere Verbū quoddam internū, quod omnes eius perfectiones perfectissime repræsentat; & credimus hoc Verbum esse personā distinctā à persona producente, & esse Filiū Dei. Vnde idem est formalissime in Deo dari Verbū productum ad exprimendas perfectiones personæ producentis, ac dari in divinis Filiū. Sicut ergo certū est, Deum non indigere fœmina, vt intra se producat Verbum mentis; ita certū est non indigere fœmina vt habeat Filiū sibi consubstantialem. Et ideo Evangelista Ioannes illud Verbum, quod erat in principio, & per quod omnia facta sunt, postea appellat *Vnigenitum Dei Filium*, dum ait: *Et Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.*

Non caret autem mysterio, quod Ioannes Filium Æternum Dei voluerit potius explicare nomine Verbi, quam nomine Filij, quamvis reipsa idem omnino sit Verbum Dei, & Filius naturalis Dei. Vt enim inquit D. Thomas ibidem cap. 40. *Ne aliquis audiens nomen Patris, & Filij, carnalem generationem suspicaretur, secundum quam apud nos Pater dicitur, & Filius, Ioannes Euangelista, cui revelata sunt secreta Cœlestia, loco Filij posuit Verbum, vt generationem intelligibilem cognoscamus.*

Rem hanc egregie explicat S. Tho: opusculo tertio; interrogatus enim à Cantore Antiocheno, quomodo respondendū esset Sarracenis irridentibus Christianos, quia dicimus Christum esse Dei Filium, cum Deus vxorem non habeat; respondet cap. 3. derisibilem esse irrisionem, qua nos irridēt, quia ponimus Christū esse Filiū Dei vivi, quasi Deus

vxorem

vxorem habuerit, cum enim carnales ſint, non poſſunt niſi ea, quę ſunt carnis, & ſanguinis cogitare, & ſtatim explicat modũ, quo Deus ſine xore filium habere poteſt.

Quilibet enim ſapiens (inquit) conſiderare poteſt quod non eſt idem generationis modus in omnibus rebꝰ, ſed in vnaquaque re invenitur generatio ſecundum proprietatem ſuæ naturæ. In animalibus quidẽ per maris, & fęminæ commixtionẽ, in plantis vero per pullulationem, ſeu generationem, atque in alijs aliter. Deus autem non eſt carnalis naturæ, vt fęminam requirat, cui commiſceatur ad prolis generationẽ, ſed eſt ſpiritualis naturæ, ſive intellectualis, immò magis ſuper omnem intellectualẽ. Eſt ergo in eo accipiẽda generatio ſecundũ quod convenit intellectuali naturę. Et quamvis intellectus noſter ab intellectu divino deficiat, non poſſumus tamen aliter loqui de intellectu divino, niſi ſecũdum ſimilitudinẽ eorum, quę in intellectu noſtro invenimus. Eſt autem intellectus noſter aliquando quidẽ in potentia intelligens, aliquando in actu. Quandocũque autẽ actu intelligit, quoddã intelligibile format, quod eſt quædam proles ipſius: vnde & mentis conceptus nominatur. Et hoc quidem eſt, quod voce exteriori ſignificatur: vnde ſicut vox ſignificãs, verbum exterius dicitur, ita interior mentis cõceptus verbo exteriori ſignificatũ, dicitur verbũ intellectꝰ, ſeu mẽntis. Hic autẽ mentis noſtrę cõceptus nõ eſt ipſa mẽtis noſtrę eſſentia, ſed eſt quoddã accidẽs ei, quia nec ipſum intelligere noſtrũ eſt ipſum eſſe intellectus, alioquin nunquã intellectus eſſet, quin actu intelligeret. Verbum igitur noſtri intellectus ſecundũ quandã ſimilitudinẽ dici poteſt, vel conceptus, vel proles: & præcipuè cũ intellectus ſeipſum intelligit, in quantum ſcilicet eſt quædam ſimilitudo intellectus procedẽs ab intellectuali eius virtute: ſicut & filius habet ſimilitudinẽ patris, procedens ab eius generativa virtute. Non tamen propriè Verbũ noſtri intellectus poteſt dici proles, vel filius, quia nõ eſt eiuſdem naturæ, cuius eſt intellectus noſter. Non autẽ omne quod procedit ab aliquo, etiam ſi ſit ei ſimile, dicitur filius, alioquin imagino ſui, quã aliquis pingit, proprie filius diceretur; ſed ad hoc, quod ſit filius requitur, quod procedẽs ab altero ſimilitudinem habeat eius, àquo procedit, & ſit eiuſdem naturæ cum eo.

Quia vero in Deo non eſt aliud intelligere quam ſuum eſſe, conſequenter, neque Verbũ quod in intellectu eius cõcipitur, eſt aliquod accidens, aut aliquid alienum ab eius natura, ſed ex hoc ipſo, quod Verbum eſt, habet rationem procedentis ab altero, & vt ſimilitudo eius, cuius eſt Verbũ: hoc enim in Verbo noſtro reperitur, ſed iſtud Verbũ Dei habet vlterius, quod nõ ſit aliquod accidens, nec aliqua pars Dei, qui eſt ſimplex, nec aliquid alienũ à Divina natura, ſed quoddã completũ ſubſiſtens in natura divina habens rationẽ ab altero procedentis: ſine hoc enim Verbũ intelligi non poteſt. Hoc autem ſecundũ humanæ locutionis conſuetudinem nominatur filius, quod procedit ab illo in ſimilitudidem eius ſubſiſtẽs in eadẽ natura cum ipſo. Secundũ igitur, quod divina verbis humanis nominari poſſunt, Verbũ intellectus divini Filium Dei nominamus: Deum vero cuius eſt eſt Verbũ, nominamus Patrẽ, proceſſum Verbi dicimus eſſe generationẽ filij immaterialẽ, non autem carnalem, ſicut carnales homines ſuſpicantur; eſt autẽ aliud, in quo excedit prædicta filij Dei generatio omnem generationem humanam, ſive materialem ſecundum quam homo ex homine naſcitur: ſive intelligibilem, ſecundũ quã Verbũ accipitur in mente humana. In vtraq; enim illud, quod per generationẽ procedit, invenitur poſteriꝰ tẽpore eo, à quo procedit. Pater enim nõ generat ſtatim à principio ſui eſſe, ſed oportet quod de imperfecto ad ſtatũ perfectũ veniat, in quo generare poſsit. Nec iterũ ſtatim vt generationi operã dat, filius naſcitur, quia carnalis generatio in quadam mutatione conſiſtit, & ſucceſsione: ſecundum intellectũ etiam non ſtatim à principio homo eſt aptus ad intelligibiles conceptus formandos, ſed poſtquam ad ſtatũ perfectionis venit. Vnde non ſemper actu intelligit, ſed potentia eſt intelligens tantum, & poſt fit intelligens actu, & iterum deſinit actu intelligere, & remanet intelligens in potentia, vel habitu tantum. Sic ergo Verbum homine poſterius invenitur tempore, & deſinit aliquando eſſe ante quam homo. Impoſsibile eſt autem iſta duo Deo convenire, in quo nec imperfectio, nec mutatio locũ habet, nec etiã exitus de potentia ad actũ, cũ ſit actus purus, & primus. Verbũ ergo Dei cœternũ eſt ipſi Deo. Eſt autem & aliud, in quo Verbum noſtrũ differt à Divino. Intellectus enim noſter nõ ſimul intelligit omnia, neque vnico actu, ſed pluribus, & diverſis, & ideo verba intellectus noſtri ſunt multa, ſed Deus omnia ſimul intelligit, & vnico actu, quia eius intelligere non poteſt eſſe

nisi vnicũ, cum sit suum esse, vnde sequitur quod in Deo sit vnum Verbum tantum. Vlterius est considerandа alia differentia, quod scilicet Verbum intellectus nostri nõ adequat intellect⁹ virtutẽ, quia cum aliquid mente concipimus, adhuc possumus alia multa cõcipere: vnde Verbum nostri intellectus imperfectũ est, & in eo potest compositio accidere, dum ex multis imperfectis fit vnum Verbum perfectius, sicut cum intellectus concipit aliquam enunciationem, seu definitionẽ alicuius rei: sed Verbum Divinum adæquat virtutem Dei, quia per suam essentiam seipsum intelligit, & omnia alia: vnde quanta est essentia, tantum est Verbũ, quod concipit per essentiam suam, se, & omnia alia intelligendo. Est ergo perfectum, simplex, & æquale Deo, & hoc Verbum Dei Filium nominamus ratione iam dicta, quod eiusdem naturæ cum Patre, & Patri coæternum vnigenitum, & perfectum confitemur.

SECTIO OCTAVA.

Cur Euangelista non dixit, Verbum homo; sed caro factum est.

PRIVS explicanda sunt verba illa. *Et Verbum caro factum est* Particula illa, *et* denotat illud ipsum Verbum de quo paulo ante dixerat, *In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, &c.* factum esse carnem. *Caro* autem ibi, vt supra ostendimus, pro toto homine sumitur vt idem sit, ac *Verbum factum est homo*; frequens enim figura est, vt pars pro toto accipiatur, & sic sæpè accipitur in scriptura caro pro homine vt Genes. 8. *Omnis caro corrumperat viam suam.* Et Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Vt autẽ notat Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 15. Non dixit Evangelista, *Verbum venit in carnem*, ne sic Verbũ esse in Christo intelligeremus, sicut est in Prophetis, & iustis. In hos enim per lumen prophetiæ, aut per gratiam venisse dicitur: sed dixit, *Verbum caro factum est*, vt significaret vnione physicam, & realem factam esse inter personam Verbi, & naturã humanam, ita vt incæperit in tempore esse homo, qui semper est Deus: & denotaret in Christo convenire duplicem naturam, divinam, & humanam, in eandem personam, ita vt Deus sit homo, & homo sit Deus; id est eadem persona sit habens naturam divinam, & humanam.

In illis tamen verbis impegerunt Hæretici. Nam in primis Arrius vt testatur Ambr. lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 7. asserebat Verbum carnẽ solam assumpsisse, & in Christo Verbũ esse loco animæ. Verũ Hæresis hæc præter quam quod in multis Concilijs Œcumẽnicis est damnata, & in symbolo Athanasij reprobatur, falsitatis convincitur ex illis verbis Christi Ioan. 12. *Anima mea turbata est.* Et Math. 27. *Tristis est anima mea.* Turbatio enim, & tristitia nequit conuenire Christo ratione Verbi, quod incapax est tristitiæ; debet ergo convenire ratione animæ creatæ vivificantis carnẽ; nam caro capax non est tritiția, & doloris, nisi informetur anima. Deinde cum Verbũ assumpserit naturã nostrã, vt eam sanaret, eam præcipuè debuit assumere partem, quæ plus indigebat sanitate; hæc autẽ est anima rationalis, quę initium fuit peccati, & inqua peccatum immediate existit. Præterea Apolinaris impugnatus à Nazianzeno Epist. 1. ad Clidon. sciens, carnem proprie dici non posse, nisi sit animata, concedebat quidẽ, Verbũ assumpsisse carnẽ animatam anima sensitiva, non tamen animatã anima rationali, ac proinde dicebat; Verbũ assumpsisse animã sensitivam, non rationalem. Hęc etiam Hęresis in multis Concilijs damnata, manifestè impugnatur ex illis verbis Ioan. cap. 23. *In manus tuas Domine cõmendo spiritũ meũ*, ex quibus constat Christum habuisse spiritũ, id est animam rationalẽ, quem emisisse dicit Evangelista, dũ spiravit. Math. 27. v. 50. *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Et ratio facta cõtra Arrium, hanc etiam Hæresim ingulat. Et vtraque apertè reijcitur; quia de fide est, Christum esse hominem, & Filiũ hominis, vt constat ex illis verbis Pauli Rom. 5. *Gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et ex illis 1. ad Corinth. 15. *Primus homo de terra terrestris, secundus homo de Cœlo Cœlestis: & per hominẽ mors. & per hominem resurrectio mortuorum*; ex qua cõparatione liquet, Christum verè, & propriè esse hominẽ similẽ Adamo quoad omnẽ perfectionẽ, & proprietatẽ naturalẽ. Non foret autẽ homo, si non haberet animã rationalẽ; quia homo essentialiter est animal rationale. Habet ergo animam rationalem, quæ simul est sensitiva, & munus etiam vegetativę exercuit in vita mortali.

Hoc supposito inquirimus, cur Evangelista dixit, *Verbum caro factum est*, nec enim existimandum est carere mysterio, quod ita loquatur, cum potuerit facilius,

& non

& non oblata occaſione errandi Arrio, & Valentino, dicere, *Verbum homo factũ eſt*. Varias rationes aſsignant Patres, & Doctores, quas referre expedit, vt Chriſti miniſter poſsit plenius myſterium Incarnationis explicare.

Cyrillus lib. 1. in Ioann. cap. 15. ait, ideo vſum fuiſſe Evangeliſtam illa loquendi forma, vt ſignificaret, humanam carnem, quæ per peccatum mortalis facta fuerat, per coniunctionem Verbi, id eſt, naturalis, & immortalis vitæ, immortalitatem eſſe conſecutam. Auguſtinus, vt cõmendaret Chriſti humilitatem, qui noſtræ ſalutis cauſa carnis nomen ſibi indignum non putavit. Theophilactus, vt ſingularẽ Dei erga homines benevolẽtiam declararet, qui propter ipſos caro, id eſt, res omnium fere viliſsima factus eſt.

Alias rationes ſatis congruas adduxit Toletus: 1. eſt, vt ſic magis exprimeretur extremorum diſtantia: ſicut enim cũ dixit *Verbum*, natura ſpiritualis, & intellectiva ſignificatur, quam vox *Filius* non ita indicabat: ſic dum dicit *caro*, oſtendit quod ſenſibilius eſt, & magis remotum à natura intellectuali; atque ita duorum extremorum maxima diſtantia deſcribitur, dum dicitur, Verbum intellectuale, ſpirituale, & inviſibile ad carnem ſenſibilem, corporalem, & viſibilem deſcendiſſe: factamque eſſe vnionem, inter extrema adeo diſtantia: quæ enim maior diſſimilitudo, quam ea, quæ intercedit inter ſummum ſpiritum, & corpus? Altera cauſa eſt, quia ſic magis declaratur coniunctio Verbi cum natura noſtra. Si enim dixiſſet, *Verbum homo factum eſt*, poſſet exiſtimari, hoc eſſe factum, quia Verbum aſſumpſit animam rationalem exiſtentem in carne, non tamen, quia immediatè ſibi vniverit carnem: at dum dicitur *caro factum*, non relinquitur dubitandi locus, an aſſumpſerit animam. Si enim vnivit ſecum carnem à ſe maxime diſtantem, dubitari non poteſt, quod vniverit animam, quę cum ſit immortalis, & ſpiritualis, minus ab ipſo diſtat. Vltima denique cauſa fuit; quia illo loquendi modo ſignificare voluit, Verbum naturam humanam aſſumpſiſſe ex illa eadem maſſa in qua erat peccatum, ſeu carnem derivatã, & deſcendentem ab Adamo, qui peccavit, id eſt carnem mortalem, & paſsibilem ſimilem nobis; ſine peccato quidem, ſed tamen *in ſimilitudine carnis peccati*, vt loquitur Paulus Rom. 8. ante peccatum non appellatus eſt homo caro, poſt peccatum verò vocatus eſt à Deo caro in cõtemptum, & opprobrium, vt agnoſceret, quantũ dignitatis amiſerit per peccatũ; quia enim ſprevit rationẽ, & Dei mandatum, ſubiectus eſt carni rebelli, & paſsibili; dictũque ei eſt, *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*. Vt ergo ſignificaret Evangeliſta, Verbum non aſſumpſiſſe carnem aliquam è Cęlo delapſam, dixit, *Verbũ caro factum eſt*, id eſt, factum eſt homo ſimilis Adamo, & nobis, qui in pœnam peccati *caro* dicimur: quamvis enim Chriſtus ſegregatus fuerit à peccatoribus, & rebellionis appetitus incapax fuerit, tamen aſſumpſit carnem paſsibilem ſimilem noſtræ in omnibus, vno excepto peccato.

Maldonatus arbitratur veram rationem, ob quam Evengeliſta vſus eſt illo loquendi modo, fuiſſe, quod hominẽ Verbo opponere voluit, id eſt infimum ſummo. Propterea Filiũ Dei, qui homo factus eſt, non Filium, ſed Verbũ appellavit, (inquit) quod ſummã declarat potentiam. *Tribuitur enim potentia Verbo Dei, quia omnia quæ vult Verbo facit. Omnipotẽs* (inquit ſap. 18. 15.) *Sermo tuus exiliens de Cœlo à regalibus ſedibus, durus bellator in mediã exterminij terram proſiliuit*. Et Hębr. 13 *portans omnia Verbo virtutis ſuæ. Ideo hominem è contrario non hominẽ, ſed carnem vocauit, quod Verbum ſummam ſubiectionem ſummam ſignificat infirmitatem, vt appareat quantus Deus quantillus ſit factus homo.*

Nec ex ex eo quod Evangeliſta dicat Verbũ factum fuiſſe carnẽ, ſequitur divinã Verbi naturã converſam fuiſſe in carnẽ, vt ſomniarunt Hęretici, quos impugnat Ambr. lib. de Inc. Dom. Sacr. cap. 6. vt enim inquit Greg. Epiſt. 61. hãc Hęreſim impugnans, *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat; ſed ſuſcipiendo quod non erat, noſtra auxit, ſua non minuit*. Sic ex eo quod dicamus, hominẽ factum eſſe ſanum, non ſequitur hominẽ converſum eſſe in ſanitatẽ, ſed ſolũ ſequitur recepiſſe ſanitatem, manente natura hominis, & natura ſanitatis. Sic cũ Genſ. 2. dicitur, *Factus eſt homo in animam viuẽtem*, nõ ſignificatur converſum eſſe in animam viventẽ, ſed ſolum ſignificatur ſuſcepiſſe à Deo animã viventẽ. Ex eo ergo quod Verbũ caro factũ ſit, non ſequitur, quod converſum fuerit in carnem, ſed ſolum ſequitur quod manente propria natura ſuſcepit carnẽ, ſeu naturã humanam ſub vnitate perſonæ, vniendo perſonæ divinæ naturam humanam, à qua Deus

denominatur homo, ad modum quo homo à ſanitate denominatur ſanus, & ab albedine denominatur albus. Quamvis enim humanitas ſit ſubſtantia, dum tamē vnitur perſonę diuinę comparatur ad illā quaſi entis ens, quia iam illa humanitas non eſt ſui, ſed eſt Verbi, cui tribuuntur operationes illius, ſicut operationes accidentis tribuuntur ſubſtantiæ, vt explicui diſp. 27. ſect. 5. & 6. Verbū enim eſt, quod denominatur homo, & non ipſa humanitas, quia Verbū eſt ſuppoſitū habens humanitatem, & per illam tanquam per inſtrumentum ſibi coniunctum operatus; ſiquidem mediante vnione hypoſtatica impeditum eſt, ne humanitas illa ſit ſuppoſitum, & perſona, quia mediante vnione hypoſtatica factum eſt, vt exiſtat in alio digniore ſe cui tribuantur eius operationes; foret autem homo, ſi per ſe, ac ſeparatim exiſteret, ac proinde tunc foret perſona creata: at dum eſt in Chriſto, nō eſt perſona, ſed exiſtit in alio tanquam in ſuppoſito, & perſona.

Et ex illis verbis. *Verbum caro factum eſt*, confutatur Hæreſis Valentini, qui vt refert Tertulianus lib. 1. de carne Chriſti, dicebat corpus Chriſti eſſe naturæ, & ſubſtantię Cœleſtis, non de noſtra ſubſtantia. Confutatur etiam Hæreſis Eutychetis, qui aſſerebat ante incarnationem duas fuiſſe naturas, diuinā, & humanam; poſt vnionem vero vtranque fuiſſe permixtam, & vnam tertiam ex vtraque reſultaſſe naturam, quam hæreſim damnavit Concilium Calcedonenſe ſub Leone 1. anno 451. quod fuit quartum generale, & Ecumenicum. Confutatur inquam, quia ſi Verbum caro factū eſt; manet igitur poſt vnionem natura carnis, & non eſt in tertiam converſa naturam. Quod ſi converſa eſſet in tertiam naturam, Chriſtus nec eſſet Deus, nec eſſet homo, quia nec haberet naturam diuinam, nec humanam, ſed aliam à qualibet ex illis diſtinctam. Fides ergo vera docet, diuinam naturam, & humanam in Chriſto vere, & proprie reperiri ſine confuſione, & promixtione deſtruēte diſtinctionem.

Confutatur etiam ex illis verbis Hæreſis Manichæorum, qui teſte Aug. lib. de Hæreſib. cap. 46. veritatem carnis negaverunt in Chriſto, affirmantes illius carnem apparentem fuiſſe, non veram: nam ſi res ita ſe haberet, falſum dixiſſet Euangeliſta.

Item impugnatur Hæreſis Cherynthi, qui teſte Irinæo lib. 1. cap. 25. affirmavit Chriſtum eſſe purum hominem, & tunc incepiſſe, quando natura humana in vtero Virginis concepta eſt: contra quem Ioannes ſcripſit Euangelium, & dum dixit, Verbum fuiſſe ante omnia, & per ipſum omnia creata facta fuiſſe, & poſtea ait, hoc Verbum factum eſſe carnem, apertè definit, Chriſtum eſſe illud Verbum æternum indutum carne, id eſt natura humana; ac proinde apertè ſignificat, perſonam Chriſti non incæpiſſe, quando incępit eius natura humana, ſed abæterno fuiſſe in natura diuina, & in tempore extitiſſe in natura humana, illam ſibi phyſicè vniendo.

Denique illis verbis confutatur Hæreſis Neſtorij damnata in Concilio Epheſino ſub Celeſtino I. anno 431. qui vt perhibet S. Gregorius lib. 4. Epiſt. 32. duas perſonas in Chriſto ponebat, diuinam, & humanam, increatam, & creatā, negabatque duas naturas, diuinam, & humanam conveniſſe in eandem perſonam. Confutatur inquam, quia ſi *Verbum caro factum eſt*, id eſt ſi Verbum factum eſt homo: ergo perſona Verbi, quæ ante Incarnationem erat pręciſe Deus, incæpit eſſe homo in ipſo inſtanti Incarnationis, quia incæpit habere naturam humanam ſibi verè, & phyſicè vnitam: idem enim eſt eſſe hominem, ac habere naturam humanam verè, & propriè, ſive per identitatem, vt illam habet purus homo, v.g. Petrus, vel per vnionem phyſicam, & realem, vt illam habet Verbum. Nec enim homo ſolum habet verè, & propriè animam cum qua identificatur in adæquatè, ſed etiam habet verè, & propriè accidentia, cum quibus vnitur, & habet brachium continuatum per phyſicam vnionem cum corpore, quo amputato, manet nihilominus eſſentia vera hominis. Illa autem verba *Verbum caro factum eſt*, denotant veram, & phyſicam vnionem inter hypoſtaſim Verbi, & naturam humanam; poſita autem hac vnione phyſica, non poteſt dari in Chriſto niſi vnica perſona cum duplici natura; & ideò S. Cyrillus Alexandrinus, qui præfuit Concilio Epheſino, vt Legatus Sedis Apoſtolicæ, dixit fore in Eccleſia Dei pacem, ſi Neſtorius admitteret veram, & phyſicam vnionem inter Verbum, & humanitatem, & non tantum vnionem moralem per conformantem voluntatum, vt vidimus diſp. 27. num. 56.

SEC-

SECTIO NONA.

Oſtenditur contra Mahumetanos pluralitas perſonarum in Deo, & Chriſtum eſſe Filium naturalem Dei, verumque Deum ex divinis teſtimonijs viſionum, & miraculorum.

QVÆ ſupra rationem ſunt rationibus perſuaderi non poſſunt, ſed Deo revelanti credenda ſunt: ſicut autem *qui citò credit leuis eſt corde*; ita qui credere non vult, vbi ſunt vrgentiſſima credendi fundamenta, quæ morali cum evidentia probant, myſteriũ aliquod eſſe à Deo revelatum, inexcuſabiles ſunt apud Deum. Et in vtroque Mahumetani peccant, qui ſine vllo fundamento credunt Mahumetum fuiſſe verum Dei Prophetam, & vera eſſe quęcũque in Alcorano ſcripta reliquit: & credere nolunt Chriſtum eſſe Deum, & dari in Deo Trinitatem perſonarum, quamvis dentur evidentia argumenta credibilitatis, quæ manifeſtè convincunt, illa myſteria fuiſſe à Deo revelata, ſi attente, & ſine præiudicio cõſiderentur. Ideo poſtquam authoritate Scripturarum, quias Mahumetus non negavit, apertè probavi diuinitatẽ Chriſti, & pluralitatem Divinarum Perſonarum; placuit adijcere argumenta petita à divinis viſionibus, & miraculis, quibus Deus confirmare voluit fidem Catholicam contra Arrianos, & Neſtorianos, quorum Hęreſim toties damnatam in Eccleſia Chriſti, Mahumetus renovavit, quæ vt maiorem fidem faciant hic narrare libet verbis ſapientiſſimi, & venerabilis Cardinalis Bellarmini, qui contra Hæreticos quoſdam modernos ſui temporis eandem Hæreſem renovantes ea ſcripto tradidit tom. 1. Cõtroverſiarum libr. 1. de Chriſto cap. 12. fideliſſimè omnia referens. Sic ergo ait.

Prævidens Spiritus Sanctus Arrianam Hæreſim ſæpius renovandã, & plurimum Eccleſiæ nocituram, teſtatiſſimum eſſe voluit eam veriſimam eſſe Hęreſim.

Primò igitur annis circiter quinquaginta ante exortam Arrij Hæreſim apparuit S. Gregor. Thaumaturgo Virgo Maria, & cum ea S. Ioannes Evangeliſta: & Virgine imperante Ioannes tradidit Gregorio eam fidei confeſsionem, in qua prædicatur Verbum Deus verus, æternus, inviſibilis, increatus, & Trinitas conſubſtãtialis. Refert hanc viſionem Gregorius Nyſſenus in oratione de laudibus eius Thaumaturgi.

Secundo paulo ante Arrianam Hęreſim revelavit Deus S. Antonio, vt Athanaſius ſcribit in eius vita, horribilia illa mala, quæ Arrius in Eccleſia invecturus erat. Ex quo factum eſt, vt Antonius nullũ Arrianum ad montem ſuum aſcendere pateretur, ſed vt peſtem quandam ex toto illo monte fugaret.

Tertio circa idem tempus S. Petro Martyri Epiſcopo Alexandrino cum iam prima ſemina Arrianæ Hæreſis apparere cæpiſſent appatuit in carcere Chriſtus veſte ſciſſa à ſummo vſque deorsũ, & cum S. Petrus rogaret, quid hoc ſibi vellet, reſponſum accepit: Arrius hoc fecit, quia populum meũ à me ſeparavit. Scribunt Beda & Ado in Martyrologijs 25. Novembris.

Quarto Arrius ipſe Conſtantinopoli in publicis latrinis ſubita ventris ſolutione occupatus in teſtina omnia cum vita profudit. Scribũt hæc Athanaſius in oratione prima cõtra Arrianos, Ruffinin. lib. 10. Hiſtor. c. 13. Gaudentius in Epiſt. ad Paulũ. Epiphanius Hæreſi 68. 69. & alijs. Addit Athanaſius in Epiſt. ad Serapionẽ fratrem, antequam hoc fieret, Arrium Conſtãtino iure iurando affirmaſſe ſe Catholicam fidem colere: à Conſtantino autem audiviſſe. Si recta eſt fides tua, bene iuraſti, ſi autem impia eſt, & tamen iuraſti, Deus te pro iuramento condemnet. Deinde cum vellet Arrius vi in Eccleſiam intrare, ſcribit ibidem Athanaſius, S. Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum oraſſe Deum, vt ſi permitteret Arrium ingredi Eccleſiam, tolleret ſe de hoc mundo: ſin autem Eccleſiæ parceret, tolleret Arrium.

Ex quo intelligimus non caſu factũ fuiſſe vt tam fęda morte Arrius extingueretur, ſed planè Dei providentia ſingulari, qui ea ratione implere voluit, & pij Principis comminationem, & S. Pontificis orationẽ. Ipſe Dominus, inquit Athanaſius, Iudicem ſe præbens Arrianam Hæreſim condemnavit.

Quinto cum Lucius Epiſcopus Arrianos Catholicos vbique perſequeretur: Monachi, his verbis miracula faciebant. In nomine Ieſu, quẽ Lucius perſequitur, ſurge, & ambula. Scribit Ruffinus lib. 11. hiſtor. cap. 4.

Sexto S. Hilarius ab Arrianis in exilium relegatus, Inſulam quandam ſolo imperio, & præſentia ſua à ſerpentibus liberavit, poſt modum etiam mortuum ad vitam revocavit, vt ſcribit Fortunatus in eius vita. Septimo S. Martinus, vt Sulpi-

eius scribit adeo vehementer Arrianis resistebat, publice virgis cæsus, & à patria expulsus fuerit, cum interim innumerabilibus quotidie miraculis corruscaret.

Octavo, S. Basilius, cum quæstio esset de quadã Ecclesia, vtrũ eam Catholici, an Arriani possidere deberent, conditionẽ illis obtulit, vt Ecclesia firmissimis repagulis clauderetur, & eorum esset, qui iuxta suam fidem orantes solo verbo, nulla vi alia externa adhibita, eam aperirent. Accepta conditione priores Arriani diù orãtes iuxta fidem suam nihil efficere potuerunt: deinde Basilio cum Catholicis orante tanta vi continuo fores Ecclesiæ apertæ sunt, ac si verba illa tonitrua quædam fuissent. Scribit hoc Anphilochius in vita Basilij.

Nono, cum Iustina Imperatrix Arriana, cum suis Ambrosium, & Catholicos persequeretur, revelavit Deus eidem Ambrosio corpora incorrupta S. Gervasij & Prothasij, & per ea cæcum illuminavit, multaque alia edidit miracula. Fuisse autem hæc ad Arrianorum confusionem, docet Augustinus lib. 6. confes. cap. 7. & idem etiã patet ex eo quod Arriani quãtum poterant ista miracula calumniabantur, vt ipse Ambrosius testis est in sermone de S. Gervasio, & Prothasio. Decimo, scribit Victor Vticensis lib. 1. de persecutione Vandalica, cum S. Martyres pro fide Catholica ab Arrianis flagellarentur vsque ad ossium denudationem, sæpè accidisse, vt sequenti die divino miraculo in columes conspicerentur. lib. 2 idem Author scripsit, à S. Eugenio cæcum illuminatum eo ipso tempore, quo Arriani Catholicos maxime vexabant: lib. 3. scribit aliquot Catholicis hominibus iussu Regis Arriani linguas radicitus evulsas fuisse, & eos tamen semper loquutos optime quousque vixerunt. Cuius miraculi meminit etiam S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 32. ac dicit, se loquutum cum quodam Episcopo sene, qui vnum ex illis viderat sine lingua loquentem. Vndecimo, idem Gregorius eodem lib. 3. cap. 29. 30. & 31. tria mirabilia narrat, quæ suo tempore, acciderunt: primum accidit in Vrbe Spoletana. Cum enim Arrianus Episcopus in Ecclesiam S. Pauli intrare, & suo errori eam Ecclesiam dedicare vellet, Catholici metuentes Ecclesiam lampadibus omnibus extintis diligẽtissime clauserũt: sed cum accederet Arrianus cum suorum grege impetum facturus, continuo omnes portæ simul magno fragore edito per se patuerunt, & effusso cœlitus lumine lampades omnes accensæ sunt; sed simul cæcitate Episcopus percussus est, tantoque terrore omnes affecti, vt intrare ausi non fuerint, sed Episcopum suum cæcum effectum in domum suam confusi retulerint. Secundum Romæ accidit. Nam cum Ecclesiam quandam, quæ Arrianorum fuerat, ipse B. Gregorius introductis Sanctorum reliquijs reconciliasset, Diabolus in specie horrenda suis exivit. Item nubes lucidissima super altare descendit, & simul ingens suavitas odoris in eum omnem locum effusa est, lampadesque omnes accensæ divinitus.

Tertium in Hispania; vbi cum Herminigildus Regis Filius à Patre Arriano propter fidem necatus esset, visæ sunt noctu circa eum lampades accensæ, & Angelorum cantus à multis est auditus. Duodecimo, vt scribit Gregorius Turonicus lib. 2. Histor. Franc. cap. 3. cum in Africa Cirola quidam Patriarcha Arrianorum Catholicos persequeretur, & eodem tempore tres Sancti Episcopi, Eugenius, Vindemalis, & Longinus, qui præter cæteros ei resistebant omnes miraculis coruscarent, voluit etiam Hæreticus miraculum facere: itaque cuidam quinquaginta aureos numeravit, vt se cæcum fingeret: sed dum transeunte perviam Cirola, ille cęcum se simulans Cirolæ auxiliũ postularet, accessit Cirola, & oculos eius tetigit, imperans vt videret in signum veritatis, quam prædicabat, repente vero tantus ardor oculos illius miseri occupavit, vt coactus fuerit manibus eos comprimere ne è fronte exilirent: tum vero detexit dolum, & fidem Catholicam alta voce confessus, à Sancto Eugenio signo Crucis repente curatus est.

His igitur, alijsque divinis testimonijs satis apertè probatur eorum sententiam Deo inimicam esse, qui Dei Filiũ Deum verum esse negant. Hucusque Bellarminus. Idque ipsum alijs miraculis cõprobatur, nimirum omnibus illis, quæ Sancti ediderunt in nomine Iesu Christi Filij Dei vivi, & quia credebant Christũ esse Deum. Talia sunt omnia miracula, quæ operati sunt Martyres, & Confessores in testimonium fidei Christianæ, & quæ operati sunt Apostoli. Addecat in medium Christi Prædicator illustriora ex ijs, quæ leguntur in Breviario Romano in lectionibus Sanctorũ. Vt in lectionibus S. Clementis, S. Ceciliæ, S. Catherinæ, S. Priscæ Virg. & Martyris, S. Agnetis, S. Gre-

S.Gregorij Taumathurgi, S.Nicolai Epiſcopi, S.Martini Epiſcopi, S.Pauli Eremitæ, S.Antonij Abbatis, S.Sylveſtri, S.Staniſlai Epiſcopi, S.Ildephonſi, S.Bernardi, S.Xaverij, & aliorum Cõfeſſorũ, & Martyrum, qui gloria miraculorum manifeſta ſtoruerunt.

Quibus addo miraculoſam vindictam, quam Deus ſumpſit de quodam Præfecto Ægypti Mahumetano fratre *Abdulmelici* Regis Sarracenorum, quem Rex ipſe præcefecerat Ægypto, & vocabatur *Abdulazizus*. Ægrè ferebat Barbarus iſte, quod Chriſtiani Imagines Chriſti, tanquam Filij Dei, & Imagines B. Mariæ Virginis, tanquam Matris Dei venerarentur: & ſacrilege ſpuit in Chriſtum, & eius Matrem; & ſtatim cœleſtis vindicta venit ſuper eum. Rem narrat Georgius Almacinus Mahumetanus hiſtoricus ſummæ authoritatis apud Turcas lib. 1. hiſtoriæ Sarracenicæ cap. 12. pag. 81. his verbis: „ Habent autem vitæ Patriarcharũ (Alexandrinorum Iacobitarum) Abdulazizum ingreſſum templu Monaſterij Hulivanenſis vidiſſe figuram Dominæ habentis Dominum Chriſtum in vlnis ſuis, „ & ſpuiſſe in eos: atque ea nocte in ſomno ſuo vidiſſe Dominum Chriſtum iubentem, vt occideretur, ſeque illicò lancea in latere ſuo transfoſſum, indeque „ mox experrectum valdè tuiſſe conſternatum, & expiraviſſe eadem nocte. Hęc ille, quam hiſtoriam dum non reprobat, approbat Author iſte Chriſtianorum inimicus. Accidit hic caſus anno Egyræ Maurorum 85. & Chriſti 734.

Innumera etiam miracula, quæ B. Virgo Maria invocata vt Dei Mater à Catholicis omni ſæculo patrauit, clarè probant, illam eſſe Dei Matrem, & conſequẽter Chriſtum eius Filium eſſe verum Deũ, neque enim alia ratione eſt Dei Mater, niſi quia eſt Mater Chriſti, qui eſt verus Deus, & homo. Inter hæc miracula celebre eſt illud, quod operata eſt cum Sancto Ioanne Damaſceno, cui accuſato de proditione apud Regem Sarracenorum amputata fuit manus dextera, anno Chriſti 728. ſed ipſe domum ſe recipiens, in oratorio ſuo ante Imaginem Dei genitricis provolutus, magna fide exciſam manum priſtinæ ſuæ commiſuræ admovit, & ferventibus orationibus à B. Virgine eius integram reſtitutionem expetijt, quo poſſet illius miniſterio Chriſti Domini, eiuſdemque ipſius Matris laudes celebrare. Nec mora cum obdormiſſet, viſione potitus S. Dei genitricis experrectus manum ſanatam reperit, lineâ tantummodò quadam relicta, qua locus exciſionis demonſtraretur. Qua recognita cum vellet eum Rex dignitati priſtinæ reſtituere; ipſe impetratâ ægrè miſsione, cunctis bonis ſuis, pauperibus, propinquis, & Eccleſijs diſtributis, Hieroſolymam primo profectus eſt, indeque Syriæ petens eremum, apud S. Sabæ Lauram monaſticam vitam egregiè excoluit. Vt narrat Baronius ad an. 728. ex Ioãne Patriarchâ Hieroſolimitano, qui in eiuſdem Sancti Damaſceni vita id fuſius ſcribit.

Huic miraculo annectam aliud modernum evidentiſsimum, quod vltra octodecim mille teſtes habuit, quod operata eſt B. Virgo Cæſarauguſtana, vulgò del *Pilar*, quod typis vulgavit Matriti Petrus Neurath Germanus, Medicinæ Doctor, in cõfirmationem fidei Catholicæ, & confuſionem hæreticorum, & in fronte libelli expreſſa eſt vera effigies B. Virginis ſupra columnam marmoream ſtantis, & coram illa effigies iuvenis crure carentis, cũ hac inſcriptione: *Crus puero abciſſum Virgo Sanctiſsima reddidit Cæſaraugustæ 29. Martij an. 1640.* Cuius miraculi teſtis oculatis fuit P. Ioannes Gabriel Guillen, qui ſæpè vidit Cæſaraugustæ ad ianuam Eccleſiæ B. Virginis del Pilar adoleſcentem vno crure truncatum, eleemoſinam petentem; & poſtea eundem intuitus eſt vtroque crure inſiſtentem, & crus à B. Virgine redditum manibus ſuis contrectavit. Hoc miraculum ſæpe coram Mahumetanis prædicavimus; & Malacæ, Hiſpalis, & Matriti non paucos teſtes invenimus, qui illud oculis ſuis ſpectarunt. Et ideo illud placuit hic ſubijcere illius Authoris verbis.

Miraculum Diuę Virginis, quæ Cæſaraugustæ crus puero abciſſum reſtituit, anno 1640. 29. Martij.

Ne tam mirâ rerum varietate, ordine & Maieſtate, quæ in vniverſa hac machinâ ſplendet, humanum obrueretur ingenium, & creaturam pro creatore coleret; ſupremus ille mundi Dominus quædam præter rerum ordinem, & omnem naturæ vim exſuperantia omni ævo patrare ſolitus eſt. In Geneſi vbi orbem ex nihilo cõdidit, & naturæ primas leges dixit, Adamum operum ſuorum teſtem conſtituit; primis Patribus coràm loquutus eſt, & abdita rerum penitùs revelavit: Propheras factis mirandis comprobavit: Moyſes mare ſcidit: Ioſuè Solem detinuit: Helias ignem de cœlo evocavit: Heliſæus puerum

ad

ad vitam reduxit: Angelus postremò inter Iudæos, ægros in piscina sanavit. Ipse Christus haud minoribus ostentis se Filium Dei asseruit: Lazarum putrescentem è sepulcho resurgere iussit: cæco à nativitate visum dedit: quid alij in intimis cordis penetralibus absconditum gererent cognovit. Et talia quidem facta veræ Ecclesiæ suæ symbola esse voluit. Sic enim loquitur, Marcij 16. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverũt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Horum igitur signorum patratio solis in Christum credentibus data est, non alijs (neque enim rationi consonum est, dupremam illam Maiestatem sygillum illud quo suos signavit, adulterari vllo vnquam tempore voluisse) sed nec singulis fidelibus (quòd Iulianus Apostata cavillabatur) talia concessa sunt. Ecclesia vniversa eis semper claruit, & hunc vsque in diem claret: idque iure meritò, si enim hodie æquè ac olim multis ignota est, signo certè aliquo supernaturali opus habet, quo se semper eandem à Christo electam sponsam vniverso orbi ostendat.

Constans apud omnes Hispanos traditio est, Divum Iacobum Apostolum Cæsaraugustæ primum Deo templum, sub Deiparæ Virginis nomine, consecrasse: in eo columna marmorea, atque super illam Divæ Mariæ statua visitur. Sacellum est celeberrimum, & totius Hispaniæ antiquissimum, quod Maurorum etiam tempore subsitit. De eo Calixtus Tertius Romanus Pontifex in Bulla 23. die Septembris, an. 1456. data, sic ait: Beata Maria, antequam ad cœlos assumeretur, cum Iesu Christo Filio suo, & Domino nostro, B. Iacobo Maiori in columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen Beatæ Mariæ de Pilari assumpsit: ac inibi quam plurima, & infinita miracula divina provisione dictim fiunt. Hisce nostris diebus iuveni crus abscissum ibidem restitutum est.

Erat autem iuvenis ille Michael Ioannes Pellicer annorum novendecim Calandà ortus (pagus Arragonum est, Ordinis Calatravæ) filius Michaelis Pellicer agricolæ, & Mariæ Blasco eiusdem pagi incolarum. Hic dum Castelloni de la Plana (pagus Regni Valentiani est) avunculo suo Iacobo Blasco serviret, ex curru, in quo triticum vehebatur, excidit, atque crus illi dextrum ab rotâ confractum est. Cumque & ipse, & avunculus eius pauperes essent, Valentiam ad domum hospitalem delatus est. Vbi cum varijs tentatis remedijs nihil proficeret, magnum illud Cæsaraugustæ Nosocomium petijt, & se Ioanni de Estanga chirurgo expertissimo, & medicinæ publico ibidem professori commisit, qui crus ex toto corruptum videns, ad quatuor digitos infrà genu abscidit, ac terræ mandavit. Iuvenis cicatrice obducta ędem Sanctæ Mariæ adijt, ibique nunc opem Virginis implorans, nunc stipem à prætereuntibus petens, biennio integro omnibus se notum fecit. Anno 1640. vt parentes inviseret Calandam, patriam suam petivit, vnde ad vicina oppida proreptans, sibi parentibusque victum quærebat.

Die vigesima nona Marcij, anno à Virginis partu millesimo sexcentesimo quadragesimo, fœnum colligendo fessus, ad focum assistentibus patre, matre, alijsque duobus conterraneis, ligneum crus deposuit, ac cubitum ivit. Vndecima noctis hora mater cubiculum intrans, duos in filij lecto pedes mirata est, & militem (eorum enim cohors ibidem tunc morabatur) esse suspicata, ad maritum cucurrit, qui filium agnoscens, excitavit, ille verò in hæc verba prorupit. Somniabam me in sacello Divæ Virginis de Pilari lampadis oleo crus vngere. Et pater: gratias Deo redde, Deipara tibi crus restituit: hoc enim iuvenis eò vsque ignorabat.

Stupendum hoc factum mox illa ipsa nocte divulgatum est, & omnes incolæ oculati testes id arbitrati sunt. Die sequẽti iuvenis à frequenti populo ad templum ductus est, ibi pes (quem Virgo sanctissima distortum, vt omnes miraculum intuerentur, reliquerat) situm naturalem recepit: agnoveruntque eum verè bipedem, quem pridiè altero crure destitutum viderant: cui scriba publicam fidem tunc quidẽ dedit. Iuvenis autem Cæsaraugustam adductus est, res in iudicium vocata, datus causidicus, examinati testes, causa ventilata, & tãdem die vigesima septima Aprilis, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi sententia, qua factum illud verum, & omnem naturæ vim excedens dicitur, lata est ab Illustrissimo, & Reverendissi-

diſsimo Domino Dom ino Petro Apaolaza, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, ſubſcribentibus Domino Antonio Xavierre, Priore Sanctę Chriſtinæ, Domino Ioanne Perat, Vicario Generali, & Officiali Canonico S. Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſt. Domino Virto de Verâ Archidiacono Cæſarauguſt. Domino Ioanne Plano à Frago Officiali, Domino Philippo Bardaxi, Sacr. Canonum primario interprete, Domino Didaco Chueca, Canonico Magiſtrali Cæſarauguſt. Domino Martino Irribarne, Can. Lectore Cæſaraug. Frat. Bartholomæo Fojas, Provinciali Ordin. S. Franciſci, Frat. Antonio Ortin Abbad, Provinciali Ordin. Minimorum S. Franciſci de Paula, Domino Dominico Cebrian, Cathedr. primario Theologiæ Cæſarauguſt. Promulgata eſt ſententia à iuris vtriuſque Doctoribus, Domino Philippo Bardaxi, Domino Ægidio Fuſter, & Michaele Cipres Cauſidico, & Notario. Signata ab Antonio Alberti Zaportà, Notario Apoſtolico, & Scribà principali Curiæ Eccleſiaſticæ Cæſarauguſtanæ. In Annales verò retulit Dominus Thomas Tamayo de Vargas, Hiſpaniarum ac Indiarum hiſtoriographus regius, in eis, quæ addidit Enchiridio temporis, Rever. Pat. Frat. Alphonſi Veneri, Ordin. S. Dominici, Compluti nuper lingua vernaculà editis.

Videant hæretici, ſi hoc tam facilè explodent, vt illud S. Ioannis Damaſceni, & reliqua, quæ à maioribus accepimus, quæque apud Indos hodie fiũt. Hoc enim, & noſtro ſæculo, & coram multis oculatis contigit, Cæſarauguſtæ in civitate frequentiſsima, & Arragonum Regia, ſpectantibus Hiſpanis, & Gallis: teſtes examinati, cauſa per integrum annum agitata, & ſententia ab Archiepiſcopo iuridicè lata eſt. Quòd ſi rei tam notæ contradicere auſint: quis illos non impudentes, & Iudæis magis incredulos incuſabit?

SECTIO DECIMA.

Probatur Trinitas perſonarum contra Mahumetum: & oſtenditur illum ſtulte negaſſe hoc myſterium, quia demonſtrari non poteſt. Eius cum Simone Mago ſimilitudo. Vbi, quomodo Auguſtinus inductus fuerit ad deſerendum errorem in quo erat, quod videlicet nihil credi debeat, quin firma prius ratione probetur.

PROBATVM manet efficaciter in Deo dari plures perſonas; hoc autem ſemel admiſſo, facile erit perſuadere eſſe tres. Nunc vero probandum eſt ex Alcorano ipſo, in Deo dari tres perſonas. Nam Alcoranum Zora 1. ſic Deum loquentem introducit: *Fecimus venire Ieſum Filium Mariæ & adiuuimus eum cum Spiritu Sancto, & inſuper ait, quod Ieſus Chriſtus eſt Verbum Dei poſitum in Maria.* Ergo Mahumetus admittit perſonam Divinam mittentẽ Verbum ſuum ad Mariam, ideſt Patrem mittentem Filium ſuum vnigenitum in vterum Virginis per aſſumptionem carnis: rurſus admittit Spiritum Sanctum, qui ſit quoque perſona Divina. Dum enim dicit Deum adiuvare Ieſum Chriſtum, ſeu Verbum incarnatum Spiritu Sancto, fateri debet Spiritum Sanctum eſſe perſonam Divinam. Deus enim verbũ ſuum, ſeu Filium ſuum ſibi conſubſtantialem adiuvare non debuit perſona aliqua creata; cum enim Filius ſit omnipotens, adiuvari non debuit a perſona aliqua finitæ virtutis; dicitúrque illum adiuvaſſe Spiritu Sancto, quia miſit Spiritum Sanctum, qui hominibus teſtificatus eſt Divinitatem Filij, ideſt, qui Apoſtolos implevit, vt Chriſti Divinitatem mundo manifeſtarent. Et confirmatur, quia ille Spiritus Sanctus, quo Deus dicitur adiuvaſſe Ieſum Chriſtum, non eſt accidens aliquod, ſed ſubſtantia; at non ſubſtantia creata; quia hæc non eſt proportionata, vt dicatur adiuvare Filium vnigenitum Dei: ergo increata. ergo dantur in Deo tres Perſonæ, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Deinde probatur: quia cum Chriſtus fuerit iuxta Alcoranum legatus Dei, eiuſque Nuncius, non potuit falſa annuntiare, neque aliquod Deo tribuere, quod in ipſo non detur. At Chriſtus mittens in mundũ vniverſum Apoſtolos ſuos, planè ſignificavit dari in Deo tres Perſonas, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. vltimo. Nam dum dixit: *In nomine & non in nominibus*, vnitatem authoritatis, & eſſentiæ ſignificavit in tribus illis Perſonis. Neque ſi ſolus Pater, eſſet Deus, & Filius, & Spiritus Sanctus eſſent Perſonæ creatæ habentes naturam finitam, & limitatam, iuſſiſſet Chriſtus Baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed iuſſiſſet Baptizare in nomine ſolius Patris: quia valde turpe eſſet Deo, quod ad ſalvandas animas indigeret auxilio Spirituum creatorum. Dum ergo in nomine Trium Baptizari iuſſit, planè ſignificavit, illas tres Perſonas eſſe Divinas, ac proinde habentes eandem na-

naturam: natura namque divina cum infinita ſit multiplicari non poteſt; planeque repugnat dari plures Deos. Erravitque plane Mahumetus, & falſum teſtimonium impoſuit Chriſtianis, dum in Alcorano ſcripſit, eos qui ponunt in Deo tres Perſonas, ponere tres Deos. Vtrumque enim Eccleſia Chriſti fatetur, & Deum eſſe vnum in eſſentia, & eſſe trinũ in Perſonis, quod ſignificavit Ioannes Epiſt. 1. cap. 5. dicens: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt.* Ipſeque Chriſtus palam dixit Ioan. 8. Perſonas Divinas eſſe plures, & tamen non eſſe niſi vnum Deum: *Ego* (inquit) *& Pater vnum ſumus.* Nam quatenus dixit *ſumus* pluralitatem perſonarum ſignificavit, quatenus dixit *vnum* vnitatem eſſentiæ. Nec enim loquutus eſt ſolum de vnitate metaphorica per vnionem, & conformitatem voluntatis ſuæ cum voluntate Patris, ſed de vnitate propria in eadem natura; idque vel ipſi Iudæi intellexerunt: *Quia audito verbo hoc ſuſtulerunt lapides, vt iacerent in eum, tanquam in blaſphemum,* quia probè cognoverunt, Chriſtum ijs verbis ſignificaſſe ſe eſſe Deum, quod ipſi blaſphemiam exiſtimabant. Idque manifeſte patet ex ſcopo Chriſti, nam vt probaret, non perituras oves ſuas, fecit hoc argumẽtum: *Nemo poteſt* rapere oves meas de manibus Patris mei, quia ipſe maior omnibus eſt: ergo nec poteſt vllus rapere de manibus meis: *Quia ego, & Pater vnum ſumus.* Quod argumentum eſſet nullum, ſi loqueretur de vnitate per charitatem; ex eo enim quod nemo poſsit rapere oves de manu Dei omnipotentis, non ſequitur quod nemo poſsit rapere de manu puri hominis, quantumvis iuſti, & per charitatem vniti cum Deo. Ergo loquitur de vnitate in natura. Vnde Auguſtinus ex his verbis tract. 37. in Ioannem debellat duplicem hæretim, alteram negantem pluralitatem perſonarum, alteram adſtruentem multitudinem perſonarum cum pluralitate naturarum: In errore Sabellianorum (inquit) vnus eſt ſolus ipſe Pater qui Filius: in errore Arrianorum alius eſt quidem Pater, alius Filius, ſed ipſe Filius non ſolum alius, ſed etiam aliud eſt. Tu in medio quid? Excluſiſti Sabellianum, exclude Arrianum. Pater Pater eſt, Filius Filius eſt, alius non aliud, quia ego, & Pater (inquit) vnum ſumus. Cùm audit *ſumus*, abſcedat confuſus Sabellianus, cum audit *vnum*, abſcedat confuſus Arrianus: gubernet Catholicus inter vtrũque Fidei ſuæ navigium, quia iam cavendum in vtroque naufragium.

Erravit itaque turpiter Mahumetus dum in Alcorano Zora 19. ſcripſit: *Nihil præter opinionem ſequuntur dicentes Deum ſumpſiſſe Filium, quo nequaquam indiguit. An habent rationes hoc demonſtraturas? An Deo neſcitum imponunt?* Quibus verbis ſignificavit nihil in Deo admittendum eſſe niſi illud, quod humana ratio demonſtraverit. Hoc autem eſt manifeſtè falſum, quia cum Deus ſit infinitus, & mens humana ſit finita & limitata, evidens lumine naturæ eſt, Deum habere perfectiones aliquas, quas mens humana per diſcurſum naturalem aſſequi nequeat; ſolumque eas poteſt cognoſcere per revelationem ipſius Dei, quia nimirum Deus illas voluit manifeſtare per Prophetas, & per vnigenitum ſuum, quem in mundum miſit, enarrare: vt enim inquit Evangeliſta Ioannes cap. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Quare dum Chriſtiani affirmamus Deum habere Filium, & dari etiam tertiam Perſonam, quæ vocatur Spiritus Sanctus, non imponimus Deo neſcitum; ſed de Deo affirmamus illud, quod de ſeipſo dignatus eſt nobis revelare. Affirmamus quidem id, quod per diſcurſum naturalem non aſſequimur, & captivamus intellectum in obſequium fidei. Deo enim loquenti debemus credere, etiam ſi nobis dicat aliquid quod eſt ſupra humanũ captum: vbi enim per fundamenta & ſigna ſufficientia certum nobis fuerit, Deum eſſe qui loquitur, clauſis oculis diſcurſus noſtri firmiſsimè debemus credere verum eſſe, quod nobis dicit, licet per diſcurſum capere non poſsimus quo pacto id poſsit eſſe, imò quamvis id nobis videatur impoſsibile: quia evidentiſsimum eſt, Deum eſſe infinite ſapiẽtem, qui falli non poteſt, & infinite bonum, qui fallere nequit. Ac proinde vbi per argumenta, & ſigna credibilitatis nobis conſtiterit Deum eſſe qui loquitur, debemus firmiſsime credere quæcumque dixerit, & quamvis myſteria revelata ſint altiſsima, & quæ omnem vim intelligendi creatam ſupergrediantur, debemus in obſequium Dei loquentis intellectum ſubijcere, & captivare. Sicut enim vbi Deus eſt qui præcipit debemus Deo præcipienti ſubijcere voluntatem, quamvis ardua præcipiat, ſicut præcepit Abrahæ ſacrificare Filium ſuum vnigenitum, quem diligebat. Sic vbi Deus eſt qui loquitur debemus, ipſi loquenti aſſenſum firmiſsimum præbere, licet

cet ea loquatur quæ nobis difficillima appareant, & intellectui deſtituto lumine fidei impoſsibilia viderentur. Vnde quando Deus eſt qui loquitur, & nobis per ſufficientia argumenta conſtat Deum loqui, nihil amplius examinare aut inquirere debemus. At quando homo loquitur, oportet examinare, an abſurda & repugnantia dicat; quia poteſt aut per ignorantiam inculpabiliter falli, vel per malitiam culpabiliter fallere, vnde ne falſa vt vera credamus oportet res ipſas examinare; vt docet D. Thom. in 3. diſt. 24. q. 2. ar. 3. quæſt. 2. ad 1.

Vnde hæc eſt inter fidem, & ſcientiam differentia, quod myſteria fidei ſumēda ſunt, ſicut pilulæ amaræ, quæ non mandūtur, ſed devorantur, & deglutiūtur vno hauſtu, quin dentibus atterantur: quia videlicet vt myſteria divina credamus non debemus ea minutatim diſcurſu noſtro, & examine diſcutere, & deguſtare, in examē vocando, quomodo poſsint eſſe, ſed integra debemus vno quaſi hauſtu deglutire, ideſt aſſenſu firmiſsimo credere, hoc vno contenti, quod nobis ſufficienter conſtet Deum eſſe quo loquitur. Veritates autem naturales comparantur cibo, qui non ſumitur, niſi prius dentibus comminuatur, & ore deguſtetur, quia nimirū illis aſſenſum prudenter præſtare nō poſſumus, niſi prius conferendo prædicatum cum ſubiecto detegamus illud conuenire iſti. Errat ergo manifeſte Mahumetus dum infert; Deum non eſſe trinum in Perſonis, quia hoc demonſtrari non poteſt per diſcurſum naturalem. Satis enim eſt quod nobis conſtet Deum hoc dicere, quia Deo dicenti debemus credere; vt enim inquit S. Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromat. initio: *Quis eſt adeò impius, & à Deo alienus, vt Deo non credat, & probationes à Deo quærat, ſicut ab hominibus?* Deum autem hoc reuelaſſe, manifeſtum eſt: quia manifeſtum eſt Chriſtum hoc docuiſſe: Chriſtus autem manifeſte probavit ſe eſſe Deum, Deus autem mentiri non poteſt, neque per ignorantiam decipere. Ipſeque Mahumetus concedit Chriſtum eſſe Prophetam ſanctiſsimum, & veritatis Magiſtrum. Ergo cum nobis conſtet, hoc Chriſtum dixiſſe Apoſtolis, & Apoſtolos hoc ſcripſiſſe, & prædicaſſe in vniverſo mundo, credere hoc debemus, licet demonſtrari non poſsit per diſcurſum humanum, nec Angelicum.

Mahumetus ſimilis eſt Simoni Mago, qui vt refert S. Clemens Romanus lib. 3. recognitionum, voluit ante omnia cum S. Petro diſputationem inſtituere de immortalitate animæ; quia niſi anima ſit immortalis, fruſtra (aiebat) laborabimus in inquiſitione verę Religionis. Si autē prius demonſtretur animam eſſe immortalem, tunc cum fructu inveſtigabimus, quæ nam ſit vera Religio, in qua anima immortalis ſalvari poſsit, & pervenire ad æternam felicitatem. At D. Petrus diſputationem detrectavit: *Non metu, ſed iure* (inquit S. Clemens) *vtque vtiliter negotium converſionis gereret*; quia non eſt rite diſpoſitus ad recipiendam fidem, quæ inter alia docet immortalitatem animæ, qui non vult credere animam eſſe immortalem, quin hoc prius rationibus demonſtretur: nam iſte, poſtquā illi probata fuiſſet immortalitas animæ, probationes poſtularet ad credenda myſteria reliqua, & ſic nollet credere, niſi quod rationibus probaretur: quod eſt contra rationem fidei; ad quam videlicet ſufficit, quod probetur, Deum eſſe, qui loquitur; hoc enim ſemel probato, obligamur credere Deo loquenti, etiam ſi loquatur myſteria, quæ ſint ſupra omnem diſcurſum, & quæ captui noſtro appareant quaſi impoſsibilia: Et ideo (inquit S. Petrus apud Clement.) ante omnia fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari; quem cum cognoveris eſſe Prophetam, de reliquo cuncta ei credere oportet; nec vltrà cum diſcutere per ſingula quæ docet, ſed habere firma, & ſancta quæ dicit; quæ quamvis fide ſuſcipi videantur, ante habita tamen ratione creduntur: cum enim ſemel ab initio veritas Prophetæ examinata conſtiterit, reliqua vero fide audienda ſunt, & tenenda.

Et ſanè Mahumetus ipſe volebat ſibi credi hiſtorias quas referebat ex veteri, & novo teſtamento, quin ratione probaret res illas ita eveniſſe; & propterea volebat ante omnia credi, ſe eſſe Propheram à Deo miſſum, quia exiſtimabat, ſi ſemel hoc crederent auditores, facile poſtea adducendos vt crederent omnia quæ ipſis teſtificaretur. Et tamen nullo argumento probavit ſe eſſe Dei Prophetam. Cur ergo impoſtor iſte reprehendit Chriſtianos, quia dicimus Deum eſſe trinum in Perſonis, quamvis hoc non demonſtremus, nec rationibus probemus: id enim credimus, quia Chriſtus Dominus ita docuit; & nobis manifeſtum eſt ex Evangelio, & traditione Apoſtolorum ita Chriſtum docuiſſe. Vt enim præclarè dixit Auguſtinus in Enchiridione ad Laurentium c. 4. Quæ ne-

„ neque corporeo sensu experti sumus, ne-
„ que mente assequi valuimus aut vale-
„ mus, eis sine vlla dubitatione credenda
„ sunt testibus, à quibus ea, quæ divina
„ vocari iam meruit scriptura confecta
„ est: quia ea sive per corpus, sive per ani-
„ mam divinitus adiuti, vel videre, vel
„ etiam prævidere potuerunt.

Ipse Augustinus in eo aliquando fuit errore, vt diceret, nihil esse credendum, quod non videtur, nisi certa demonstratione probaretur verum esse, vt ipse testatur lib. 6. confess. cap. 4. *Volebam enim* (inquit) *eorum, quæ non viderem ita me certum fieri, vt certus essem, quod septem, & tria decem sint.* Et hic error magnum erat impedimentum ne fidem Catholicam susciperet, in qua iubetur credi id quod non demonstratur. Dicitque Sanctus Doctor sibi accidisse, „ quod accidere solet homini, qui malum medicum expertus etiam bono ti-
„ met se committere: Ita (inquit) erat va-
„ letudo animæ meæ, quæ vtique nisi cre-
„ dendo sanari non poterat, & ne falsa cre-
„ deret, curari recusabat, resistens mani-
„ bus tuis, qui medicamenta fidei confeci-
„ sti, & aspersisti super morbos orbis terra-
„ rum, & tantam illis authoritatem tribui-
„ sti. Cum ergo anteceps esset, & non au-
deret fidem Christianam recipere, quia nesciebat an vera essent quæ docet: adfuit tamen in hac mentis fluctuatione lux de cœlo, qua intellexit, quam iustum erat fidem præbere mysterijs Religionis Christianæ, quæ in Scriptura Sacra continentur, quin præcederet ea demonstratio evidens, quæ de rebus naturalibus habetur. Et hanc rationem apud se formavit. Ego credo, & pro certis habeo in hac vita res multas, quas non video, & de quibus demonstrationem evidentem non habeo,
„ v.g. Tam multa in historia gentium, tam
„ multa de locis, atque vrbibus, quæ non
„ vidi, tam multa medicis, tam multa ami-
„ cis, tam multa hominibus alijs atque
„ alijs, que nisi crederentur, omnino in hac
„ vita nihil ageremus. Postremò incon-
„ cusse fixum fide retineo, de quibus paré-
„ tibus ortus sum, quod scire non possem,
„ nisi audiendo credidissem. Hinc intulit: si ego res has pro certis habeo solum quia eas legi in historijs authenticis, vel ab hominibus fidedignis audivi: & non possent homines in hoc mundo degere, nisi alij alijs crederent: iustum ergo est fidem habere rebus, quæ in Scriptura Canonica narrantur, quæ tantam à Deo authoritatē accepit. Vnde aiebat cum Deo loquens:
„ Persuasisti mihi, non qui crederent libris
„ tuis, quos tanta in omnibus ferè genti-
„ bus authoritate fundasti, sed qui non
„ crederent esse culpandos: nec audiendos
„ esse, qui forte mihi dicerent: vnde scis
„ illos libros vnius veri, & veracissimi Dei
„ spiritu esse humano generi ministratos? Redditq; ratione cur credendū sit, Scripturam Sacram, in qua cōtinetur Fidei Christiana, Deum habere authorem, & ab illo ministratam hominibus fuisse. Nimirum,
„ quia evidens est: Deum esse, & curam
„ nostri gerere. Ideoque cum essemus in-
„ firmi (subiungit Augustinus) ad inveniē-
„ dam liquida ratione veritatem, & ob
„ hoc nobis opus esset authoritate sancta-
„ rum litterarum, iam credere cœparam
„ nullo modo te fuisse tributurum tam
„ excellentem illi Scripturæ per omnes
„ iam terras authoritatem, nisi & per ip-
„ sam tibi credi, & per ipsam te quæri vo-
„ luisses.

Ex quibus Augustini verbis conficitur hæc manifesta ratio ad convincendos Mahumetanos; quia cum evidēs sit Deum esse, & Deum habere curam, & providentiam hominum, & certum quoque sit velle illos salvos fieri cognoscendo, diligendo, & colendo ipsum; evidens est, Deum habere aliquam fidem, vel Religionem in mundo, quæ doceat ea, quæ Deus vult de ipso credi, & ea tradat, per quæ vult coli, & quæri: concluditurque hanc Religionem non esse aliam, quam Religionem Christianam, quæ in Scripturis Sacris habet ea, quæ de Deo credi debent. Et ea per quæ Deus coli vult. Quia credibile non est, Deum tantam authoritatem tributurum fuisse Libris Sacris, nisi ipse illos tribuisset hominibus, vt per ipsos dirigerentur ad credendum, sperandum, & operandum. Illa autem authoritas evidenter probatur ex miraculis Christi, & Apostolorum; ex adimpletione prophetiarum veteris testamenti, quæ in adventu Christi, & fundatione Ecclesiæ Christianæ ad literam completæ sunt: ex sanguine tot myriadum Martyrum: ex testimonio tot illustrum Doct. ex sanctitate quam floruerunt qui hanc fidem in mundo plantarunt; ex sanctitate, quam generat in ijs, qui hanc legem observant, & ex alijs argumentis, quæ in hac, & præcedenti disputatione tacta sunt.

Quarè evidens est esse ineptam rationem, qua Mahumetus ductus est, ad negandam Trinitatem Personarum in Deo, quia hoc ratione demonstrari non potest:

nam

nam evidens eſt hominem poſſe ac debere prudenter credere multa, quæ demonſtrari non poſſunt, vt probat argumentum quo convictus fuit Auguſtinus; quia inter homines vivere non poſſemus, niſi multa crederemus, quę ratione evidenti non poſſunt convinci. Nihil autem credere poteſt homo maiori authoritate, quam ſit ea, ob quam credimus Myſterium Trinitatis: credimus enim hoc, quia maiori certitudine nobis conſtat, hoc Chriſtum docuiſſe, quam olym fuiſſe Iulium Cæſarem, & Alexandrum Magnum, ſiquidem Evangelia Apoſtolorum maiorem fidem merentur, quàm vlla hiſtoria humana. Rurſus manifeſtis argumentis nobis conſtat Chriſtum mentitum, aut deceptum non fuiſſe, ſed veram doctrinam hominibus tradidiſſe. Ergo poſſumus ac debemus credere Deum eſſe Trinum, quamvis id non poſſimus ratione demonſtrare.

Rurſus convincitur illam rationem Mahumeti eſſe abſurdiſsimam, quia ſi ſolum homo poteſt credere de Deo ea, quæ per rationem naturalem demonſtrantur; pauciſsimi erunt homines, qui ſalvi fiant, quia pauci ſunt homines, qui eas demonſtrationes aſſequantur, ad idque multo ſtudio, & labore opus eſt: quid ergo erit de fœminis ignorantibus, de ruſticis, de pueris? Nam ſupra fidem falſam de Deo, rebuſque divinis nequit fundari vera ſanctitas & ſalus animæ.

Quare Doctores Chriſtianorum manifeſte probant, ad ſalutem neceſſarium eſſe vt per fidem multa credat homo, quorum veritatem aſſequi non poteſt per ſolum naturalem diſcurſum: quia cum Deus ſit finis hominis, ad quem cognoſcendum, & amandum creatus eſt; & cum evidens ſit, Deum eſſe infinitum, & incomprehenſibilem ab intellectu creato, evidens eſt Deum habere perfectiones multas, quas ipſe ſolus cognoſcit, vel cui ipſe voluerit revelare: ac proinde evidens eſt multas Deum habere perfectiones, quas homo certo cognoſcere non poteſt, niſi Deus eas revelare voluerit: ac proinde evidens eſt, non poſſe hominem pervenire ad cognoſcendum Deum, & divina ſine errore, niſi per viam fidei, nimirum credendo Deo loquenti ea, quæ per diſcurſum naturalem ſcire certò non poſſumus. Ergo ſtultiſsimum eſt dicere, homines non poſſe credere Deum eſſe Trinum, quia id demonſtrare non poſſunt.

Hinc Magnus Doctor Chriſtianorum S. Thomas ſecutus D. Auguſtinum 2.2. q.2. art. 3. & 4. inquirit duo: primũ „ An credere aliquid ſupra rationem naturalem ſit neceſſarium ad ſalutem? Se„ cundum, vtrum credere ea, quæ ratione „ naturali probari poſſunt, ſit neceſſarium? Et ad vtramque quæſtionem reſpondet affirmativè, & poſtquam probavit primum, tranſiens ad ſecundum, ſic in 4. art. inquit: „ Dicendum, quod neceſſarium eſt ho„ mini accipere per modum fidei non ſo„ lum ea, quæ ſunt ſupra rationem, ſed „ etiam ea, quæ per rationem cognoſci „ poſſunt, & hoc propter tria. Primò vt „ homo citiùs ad veritatis divinæ cogni„ tionem perveniat: ſcientia enim ad quã „ pertinet probare Deum eſſe (nẽpè Me„ taphyſica, & Theologia) & alia huiuſ„ modi de Deo, vltimò homini addiſcen„ da proponitur, præſuppoſitis multis alijs „ ſcientijs, & ſic non niſi poſt multum tẽ„ pus vitæ ſuæ homo ad cognitionem Dei „ perveniret. Secundo, vt cognitio Dei ſit „ communior; multi enim in ſtudis ſcien„ tiæ proficere non poſſunt, vel propter „ hebitudinem ingenij, vel propter alias „ occupationes, & neceſsitates, tem„ poralis vitæ, vel propter corporem „ addiſcendi, qui omnes à Dei cognitio„ ne fraudarentur, niſi proponerentur „ eis divina per modũ fidei. Tertiò prop„ ter certitudinem. Ratio enim humana „ in rebus divinis eſt multum deficiens; „ cuius ſignum eſt; quod Philoſophi de „ rebus humanis naturali inveſtigatione „ perſcrutantes in multis erraverunt, & ſi„ bi ipſis contraria ſenſerunt. Vt ergo eſ„ ſet indubitata, & certa cognitio apud „ homines de Deo, oportuit vt divina eis „ per modum fidei traderentur, quaſi à „ Deo dicta, qui mentiri non poteſt. Hactenus S. Thomas.

Ex his manifeſte patet Chriſtianos prudenter ſibi perſuadere, Deum eſſe Trinum, & Vnum, quamvis id ratione naturali non demonſtretur. Quia evidens eſt, Deum dignum eſſe, cui aliquid revelanti, & affirmanti credamus, quãvis non intelligamus, qui pacto ſe habeat illud myſterium, quod revelat. Nos autẽ habemus manifeſtiſsima argumenta ad nobis perſuadendum Deum revelaſſe Trinitatẽ, illa ſcilicet omnia, quæ habemus ad credendum Chriſtum eſſe Deum, & Doctorem veritatis, quia moraliter evidens eſt, Chriſtum hoc docuiſſe.

(?) (:) (?)
(!)

SECTIO XI.

Proponitur colloquium quod Author habuit cum Mauro arguto, & inter suos erudito, qui nolebat Christianæ Fidei nomen dare, quia capere non poterat, quomodo Deus sit Trinus in Personis, & quomodo potuerit fieri homo. Vbi symbolis, & similitudinibus explicantur Mysterium Trinitatis, & Incarnationis.

POST finitam Missionem Malacensem factam Christianis, dum ego Malacæ prædicabam Mahumetanis, & Cathecumenos ad Baptismum instruebam, socius meus profectus est Sexifirmũ, vulgo Velez Malaga, ad Missionem exhibendam Christianis: post Baptismum solemnem Cathecumenorũ illuc ego quoque migravi Mahumetanis prædicaturus, vt enixe desiderabat Excellentissimus D. Marchio de Santillan, Dux Generalis per illas maritimas oras, & Excellentissima Marchionissa eius vxor, vterque non minus virtutum splendore, quàm natalium gloria illustris: quod & præstiti, operam navante Excellentissimo Principe, vt Mahumetani omnes ibi commorantes, conciones audirent, posteaque celebratus est quoque Baptismus solemnis sex vel septem Mahumetanorum, qui ad Christum conversi sunt, quos in sacro fonte tenuerunt Excellentissimi Marchiones, & splendidis vestibus induerunt, vt maiori cum decore sacra functio perageretur.

In hac civitate Mahumetanum inveni, Amete Solymam nomine, cæteris Africanis, quos videram, argutiorem, & melioris indolis, qui non solum linguam Hispanam expeditè loquebatur, sed libros nostros legebat, & legendo percurrerat totum symbolum fidei R. P. Fr. Ludovici Granatensis: erat vir pacatus, & modestus, fidelis, & verax, & qui inter Christianos tanquam vir probus, & honestus habebatur: quia revera virtutibus moralibus præditus erat. Erat homo iste suæ sectæ tenacissimus, legemque suam exactè observabat. Propter has causas huius viri conversionem, præ reliquis desiderabã; quia si semel ad Christum transiret, multos secum ad fidem veram duceret, & nobis ad cæterorum conversionem maxidio vsui foret, Sed conversio infidelium non est hominis volentis, sed Dei miserentis. Illum publicè & privatim sæpè aggressus sum: audiebatque attente argumenta, quæ conficiebam, & palam fatebatur, se nescire solvere, ea argumenta: cæterum non propterea cor suum inclinari ad Religionem Christianam; præcipua difficultas ipsum retrahẽs erant duo præcipua Christianæ Fidei fundamenta, nempe Dei Incarnatio, & Trinitas Personarum. Deus, aiebat, vnus est; si vnus, quomodo trinus? Si trinus, quomodo vnus? Non capio, non intelligo hoc impossibile apparet; vnitas essentiæ, & Trinitas Personarum inter se cohærere nõ possunt: vnaquæque enim Persona suam essentiam habet: si ergo sunt tres Personæ, tres habent essentias, seu naturas: ergo erunt tres Dij. Rursus quomodo Deus immortalis potuit fieri homo passibilis, & mortalis? Hoc durissimum mihi videtur, & penitus impossibile, & ideo non possum amplecti Religionem Christianam.

Cum ego animadvertissem huius hominis bonam indolẽ, & ingenium percipiendi argumenta capax, decrevi seorsim cum illo de rebus fidei non raptim, sed ex instituto agere, & ideo illum mecum vt famulum ex Sexifirmo in Malacam deduxi, atque cum illo amicabiliter, & confidenter agens in itinere illo, quod novem vel decem, leucis constat, de rebus Religionis fusè disputavi. Et imprimis illi exponere conatus sum mysteria illa, quæ ipsi difficultatem ingerebant. Ne existimes, nos Christianos asserere in Deo, tres Personas, ita distinctas, & separatas, sicut vnus homo distinguitur ab alio homine. Inter nos vbi dantur tres Personæ distinctæ, necesse est vt dentur tres homines; quia vnaquæque Persona habet suam naturam humanam distinctam à natura humana alterius, nimirum distinctum corpus, & distinctam animam; & ideo tres Personæ humanæ sunt tres homines, quia vbi dantur tres Personæ, dantur tria corpora, & tres animæ, ac proinde tres naturæ humanæ: vbi autem reperiũtur plures naturæ humanæ, plures debent homines reperiri. At tres divinæ Personæ habent eandem naturam divinam, easdem perfectiones, eundem intellectum, eandem voluntatem, eandem potentiam, & sic de reliquis perfectionibus: vnde quamvis Personæ sunt tres, non sunt tres Dij, sed vnus Deus, quia non habent tres essentias, sed vnicam simplicissimam. Natura Dei non constat corpore, & anima sicut nostra; quia Deus non est substantia corporea, quæ manibus contrectari possit, vel sensibus corporalibus percipi; sed est substãtia incorporea, spiritualis, & simplicissima, quæ solo intellectu cognosci valet. Habent ergo tres divinæ Personæ

ean-

eandem ſimpliciſsimam eſſentiam, ſeu naturam; & ideo tres divinæ Perſonæ non ſunt tres Dij, ſed vnus. Certe ſi tres perſonæ humanæ, v.g. Petrus, Ioannes, & Didacus, haberent idem omnino corpus, & eandem numero animam, eſſent tres Perſonæ, & tamen foret vnicus homo. Cæterum id in creatis non contingit: quia natura humana eſt finita & limitata, ac proinde vna natura ſolum eſt capax exiſtendi in vna perſona, ſolum eſt capax conſtituendi vnam perſonam: vnde natura Petri nequit conſtituere niſi perſonam Petri, & non poteſt conſtituere naturam Pauli: at natura divina eſt infinita, & illimitata, & immenſa, & ob hanc infinitatem poſtulat conſtituere plures perſonas inter ſe diſtinctas. Nonne vides, Amete, quamcumque perſonam creatam eſſe in ſpatio loci determinato, v.g. Malacæ, & non Matriti? Et nihilominus tu fateris Deū ſimul eſſe hic, & Matriti, in Hiſpania, & in Africa, & in omnibus locis ſimul: vnde hoc? Certè reſpondebis, hoc competere Deo, quia Deus eſt infinitus, & illimitatus, ſubſtantia autem infinita non debet eſſe alligata alicui loco determinato, ſed debet eſſe vbique præſens tota. Similiter ego dico tibi, quod natura divina, quia eſt infinita, & illimitata non exiſtit in vna ſola perſona, ſed in tribus: naturæ autem creatæ, quia ſunt finitæ, & limitatæ, & imperfectæ, non poſſunt vltra vnam perſonam extendi, ſed vna natura vnam tantum habet perſonam.

Non debes cogitare has divinas Perſonas, eſſe invicem ſeparatas, ſicut invicem ſunt diſtinctæ: ſicut enim ſunt diſtinctæ, quia vna procedit ab alia, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: ita ſunt inter ſe inſeparabiles, quia omnes exiſtunt in eadem eſſentia divina. Sic corpus ſolis, radius ſolis, & calor ſolis, inter ſe ſunt res diſtinctæ, quia corpus ſolis non eſt radius ſolis, ſed eſt principium radij, & radius eſt principium caloris: & tamen ſol, radius, & calor in vna natura ſolis conſunguntur, & nunquam ſeparantur; ſed vbicumque exiſtit ſol, ibi exiſtunt radius ſolis, & calor ſolis. Vnde iſtæ tres Perſonæ ſunt inter ſe omnino æquales in duratione, in ſapientia, & cæteris perfectionibus. Quāvis enim Pater ſit principium Filij, & Pater, & Filius ſint principium Spiritus Sancti, tamē Pater non eſt antiquior Filio; nec Pater, & Filius ſunt antiquiores Spiritu Sancto. Sic quamvis ſol ſit principium lucis, ſol non eſt antiquior luce, quia nunquam extitit ſol, quin haberet lucem: & quamvis ignis ſit principium caloris, & quaſi pater caloris, tamen ignis non eſt antiquior calore, ſed ab initio mundi fuerunt ſimul. Deus Pater non habet principium ſuæ durationis, quia ſemper fuit: nec Deus Filius, quia Deus Pater nunquam extitit, quin produceret Filium, ſicut ſol nunquam extitit, quin diffunderet à ſe radium lucis, & in ſe lucem haberet.

Anima noſtra vna eſt, & cum ſit vna dumtaxat, tres nihilominus habet potentias, quæ in illa ſemper exiſtunt, & nunquam extra animam exiſtere poſſunt, nimirum intellectum, voluntatem, & memoriam. Adhunc ergo modum dico tibi, in Deo, qui vnus eſt, tres exiſtere Perſonas inter ſe realiter diſtinctas, quia inter ſe comparantur tanquam producens, & productum, quæ tamen à Deo non diſtinguntur; quia cum Deus ob ſuam infinitam ſimplicitatem capax non ſit compoſitionis, quidquid in Deo exiſtit, Deus eſt. In creatis aliter ferres habet, nam non omne quod eſt in anima, & corpore noſtro eſt idem realiter cum anima, & corpore: ſiquidem anima noſtra, & corpus noſtrum ſunt capacia compoſitionis, & mutationis.

§. II.

Rationes probabiliter ſuadentes pluralitatem Perſonarum in Deo.

QVOD in Deo debeat dari pluralitas perſonarum, tibi volo explicare hac ratione. Nam propriū eſt boni eſſe communicativum ſui: & maioris boni eſſe magis communicativum: ergo boni infiniti proprium eſt ſe cōmunicare infinitè: ſed Deus per productiones ad extra non ſe communicat infinitè: ergo habet ad intra aliquas productiones per quas ſe communicet infinitè. Ideo ergo dicimus Patrem æternum generare Filium æternum ſibi conſubſtantialem, & Patrē, & Filium producere Spiritum Sanctum ſibi in omnibus æqualem, quia Deus habet infinitam bonitatē: ac proinde debuit habere naturam infinitè fœcūdam ad ſe diffundendum, & communicandum perſonis realiter inter ſe diſtinctis.

Sanè Deus per Prophetam Iſaiam c. 66. v. 9. dicit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus. Si ego,*

qui generationem alijs tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus. Deus est summè perfectus: posse autem generare sibi similem est perfectio: & sterilitas atque infœcunditas est imperfectio. Ergo Deus habet perfectionem hanc fœcunditatis, quod possit generare sibi similem. Ergo Deus habet Filium sibi similem, & consubstantialem; & consequenter habet Filium, qui sit Deus. Nam sicut Filius hominis est homo, & Filius Leonis est Leo, ita Filius naturalis Dei debet esse Deus. Est ergo rationi maxime conforme, quod in Deo non detur vna tantum persona, sed plures. Quod alia ratione volo tibi exponere. Certe Deus est summè fœlix, & summè beatus; ad cumulum autem fœlicitatis pertinet, quod persona rationalis habeat aliam personam sibi similem, cum qua possit loqui, & cui possit secreta cordis aperire.

Nonne tibi videtur, quod quando Deus creavit Adamum, non creasset illum in perfecta fœlicitate, si illum reliquisset cum solis brutis animalibus, cum quibus loqui, & communicare non posset, & non creasset Evam ipsi similem, cum qua amicitiam, & societatem haberet posset. Attende, quæso, omnes creaturæ minus sunt respectu Dei, quàm bruta animalia respectu hominis. Si ergo homo non esset cumulatè fœlix, si non haberet societatem cum alia persona humana, & maneret cum solis brutis animantibus: nec Deus esset cumulatè fœlix, si non haberet aliam Personam divinam, cum qua loqui posset, & amicitiam atque societatem habere. Quamvis enim Deus possit loqui cum Angelis, & cum hominibus; tamen non potest cum illis loqui plenè, quia illi capaces non sunt, vt Deus integrè illi manifestet omnia quæ scit. Et Deus loquens cum Angelis se habet sicut vir sapientissimus loquens cum homine rustico, & rudi; minus enim capaces sunt Angeli comprehendendi, quæ Deus scit, quam rusticus comprehendendi quæ scit vir sapientissimus, & omnibus scientijs perfectissimè instructus. Vnde sicut vir sapiens non esset cumulate fœlix, si solum posset loqui cum rusticis, & ignorantibus: ita Deus non esset cumulate fœlix, si solum posset loqui cum creaturis. Præterea cum Deus fuerit per totam æternitatem sine creaturis, non habuisset per totam æternitatem personam rationalem cum qua loqueretur: ac proinde fuisset per totam æternitatem mutus, si non darentur multæ Personæ divinæ. Ergo dicendum est dari multas Personas divinas, vt ità vna possit perfectè loqui cum altera: & dari personam loquentem, & personam audientem, & comprehendentem omnia quæ alia persona ipsi loquitur. Dicimus autem has personas esse tres, nec plures, neque pauciores.

§. III.

Exponitur, quomodo in Deo detur Pater, & Filius, & insuper Spiritus Sanctus.

VT autem tu intelligas, quomodo in Deo dari possit Pater, & Filius, & præter Patrem, & Filium detur tertia Persona, quam vocamus Spiritum Sanctum, id tibi exponere volo. Exposui autem similitudine ducta ab homine se ipsum intelligente, & amante; nam dum se intelligit format sui imaginem, quæ est quædam proles intellectus, & dicitur verbum, & cum per hanc imaginem objicitur menti hominis eius bonitas, & perfectio, homo producit amorem sui: & ideo ibi mens intelligens est quasi pater, verbum mentis est quasi filius, & amor à mente per verbum procedens, est quasi spiritus. Et adduxi similitudinem speculi, qua supra sect. 7. pag. 593. generationem Filij in divinis exposui. Et progressus sum ad explicandam processionem Spiritus Sancti.

Sicut enim quia Deus est summè intellectivus, hoc ipso quod seipsum intelligit producit per ipsum actum intelligendi imaginem quandam perfectissimam sui ipsius, quæ est Verbum repræsentans Deũ, & omnia quę Deus potest facere, ac proinde est veluti ars quędã, & exemplar rerum omnium factibilium; ac proinde Deus per Verbum suum omnia produxit, sicut artifex in creatis fabricatur domum per exemplar, & simulachrum, seu idæam domus, quam idæam intra se gerit, seu in mente sua format. Ita quia Deus est summè volitivus producit per verbum amorem quendam sui infinitè perfectum: nihil enim potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Hic autem amor procedens à Deo per Verbum, est tertia Persona, quam vocamus Spiritum Sanctum: quæ procedit à Patre, & Filio per voluntatem, & amorem; sicut Verbum, seu Filius procedit à Patre per intellectum.

Id

Id vt aliquomodo percipias reflecte supra id, quod in nobis contingit. Quando rem aliquam attentè, & serio cogitamus, formamus intra nos quandam imaginem, quæ rem illam, nobis repræsentat: si autem res repræsentata sit aliqua persona bona, & pulchra, ex imagine illius rei oritur in nobis amor, impulsus, & inclinatio vitalis in rem illam cognitam, & repræsentatã. Sic ergo Deus seipsum contemplans, & comprehendens producit imaginem perfectissimam suarẽ perfectionum; & perfectiones illæ divinæ, vt repræsentate per eiusmodi imaginẽ, seu Verbum rapiunt divinam voluntatem in sui amorẽ, ac proinde Deus Pater mediante illo Verbo, seu imagine perfectissima suæ bonitatis, & simul cum illo producit amorem quendam infinitum erga bonitatem illam repræsentatam per Verbum, & in Verbo. Et hic amor productus est Spiritus Sanctus, & tertia persona divina.

§. IV.

Cur in Deo dentur tres Personæ, neque plures, neque pauciores.

VNde percipies rationem, cur in Deo ponamus tres Personas, neque plures, neque pauciores. Ratio est, quia emanationes, seu productiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quæ in agente manent: huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & divina non sunt nisi duæ, scilicet *intelligere & velle*: vnde productiones in divinis nõ possunt esse nisi duæ, & Personæ divinæ, non nisi tres: nam prima persona est omnino improducta, & innascibilis, nempe Pater, qui est origo prima, & fons divinarum Personarum: Pater per actionem intelligendi producit Verbum, seu Filium: Pater vero, & Filius per actionem amandi producunt Spiritum Sanctum; & hic sistunt divinæ præcisiones, seu emanationes. Quia ergo Deus est substantia spiritualis infinita, est persona; quia est actu intelligens infinitè, per actionem intelligendi producit Verbum, & quia est amans infinitè per actionem amandi per Verbum, & simul cum Verbo producit Spiritum Sanctum: & sic sunt tres Personæ divinæ.

Explicato Mysterio Trinitatis, transivi ad explicandum Mysterium Incarnationis, & fusè illud exposui eo modo quo illud exponit Sanctus Thomas opusculo 3. Cuius explicationem hic apponere decrevi, vt Christi prædicator ad manum habeat dilucidam tanti mysterij expositionem; quæ licet non sit proponenda rusticis Mahumetanis, si tamen inter illos sit aliquis perspicax, & acutus, & repugnantiam inveniat in illo mysterio, ei potest exponi, vt ego præstiti cum Amete Solimam.

§. V.

Quomodo exponendum sit Mysterium Incarnationis ex Sancto Thoma.

„ CVM dicimus Deum hominem fieri, non existimes Amete, hoc ita „ accipiendum esse, vt Deus con„ vertatur in hominem, sicut aer fit ig„ nis, cum in ignem convertitur. Immuta„ bilis enim est Dei natura; corporea autem sunt, quæ invicem convertuntur. Spiritualis autem natura in naturam corpoream non convertitur, sed potest ei aliqualiter vniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima vnitur corpori: licet humana natura ex anima constet, & corpore, anima autem non corporea; sed spiritualis naturæ sit, omnis tamen creatura spiritualis deficit à simplicitate divina multo amplius quam corporea creatura à simplicitate spiritualis naturæ. Sicut ergo spiritualis natura vnitur corpori per efficaciam suæ virtutis, ita & Deus potest vniri tam spirituali, quam corporali, & secundum hunc modum dicimus Deum naturæ humanæ fuisse vnitum. Est autem attendendum, quod vnumquodque maxime videtur esse illud, quod invenitur in eo esse principium. Omnia autem alia videntur ei, quod est principium adhærere, & quodammodo assumi, in quantum id, quod est principium alijs vnitur secundum suam dispositionem: quod quidem patet non solum in ordinatione civili, in qua principes civitatis quasi tota civitas esse videntur, & alijs vniuntur secundum suam dispositionem, vt sibi adhærentibus membris, sed etiam in adunatione naturali. Licet enim homo naturaliter constet ex anima, & corpore, principalius tamen homo videtur esse anima, quam corpus, quod animæ adhæret, & quo anima vnitur ad operationes animæ invenientes. Sic ergo, & in vnione Dei ad

creaturam, non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur, non quidem vt convertatur in Deum, sed vt Deo adhæreat, & sunt quodãmodo anima, & corpus sic assumpta anima, & corpus ipsius Dei, sicut partes corporis assumptæ ab anima sunt quodammodo ipsius animæ membra. Est tamen in hoc aliqua differentia attendenda. Nã anima licet sit perfectior corpore, non tamen totam perfectionẽ in se possidet humanæ naturæ: vnde corpus sic ei advenit, vt ex corpore, & anima vna compleatur humana natura, cuius quædã partes sunt anima, & corpus: sed Deus ita est in natura sua perfectus, vt plenitudini naturæ ipsius nihil adijci possit, vnde cũ natura divina nõ possit sic vniri alterа natura, vt ex vtraq; vna constituatur natura cõmunis: sic enim natura divina pars esset illius naturæ cõmunis, quod repugnat perfectioni divinæ naturę: nã omnis pars imperfecta est: Deus ergo Dei Verbũ sic humanã naturã assumpsit, quæ ex anima constat, & corpore, vt tamen nec altera transiret in alteram, nec ex duabus vna natura cõflaretur, sed post vnionẽ duæ naturæ distinctæ remanerent quãtum ad proprietates naturarũ. Est autẽ rursus considerandũ, quod cũ spiritualis natura corporeæ vniatur per spiritualẽ virtutẽ, quanto fuerit maior virtus spiritualis naturæ, tãto perfectius, & firmius sibi naturam inferiorem assumit. Est autẽ Dei virtus infinita, cui omnis creatura subijcitur, & vnaquaque vtitur pro suo arbitrio: non autem eis vteretur, nisi aliquomodo per efficaciã suæ virtutis vniretur eis. Tanto autẽ alicui naturæ perfectius vnitur, quanto in eo magis suã virtutẽ exercet. Inter omnes siquidẽ creaturas virtutẽ suam exercet quãtum ad hoc, quod omnibus esse largitur, & ad proprias operationes mover, & secũdũ hoc quodã cõmuni modo in omnibus rebus dicitur esse. Sed specialiori quodãmodo virtutẽ suã exercet in mentibus sanctis, quas non solum in esse conservat, & ad operandũ movet sicut alias creaturas, sed etiã eas convertit ad se cognoscendũ, & amandum; vnde etiam sic in sanctis mentibus specialiter dicitur habitare, & mentes sanctę Deo plenæ esse dicuntur. Quia ergo secundum quantitatẽ virtutis, quam Deus exercet in creaturã, magis, & minus dicitur creaturæ vniri, patet quod cũ efficacia divinæ virtutis humano intellectu comprehendi non possit, sublimiori modo Deus potest creaturæ vniri, quã intellectus humanus capere possit. Quodãmodo ergo incomprehensibili, & ineffabili modo dicimus Deũ vnitum esse humanæ naturæ in Christo non solũ per inhabitationẽ, sicut in alijs sanctis, sed quodammodo singulari, ità quod humana natura esset quædã Filij Dei natura, vt Filius Dei, qui ab æterno habet naturam divinã à patre, ex tẽpore per assũptionẽ mirabilẽ, habeat humanã naturã ex genere nostro, & sic quælibet partes humanæ naturę ipsius Filij Dei dici possunt Deus, & quidquid agit, vel patitur quælibet pars naturæ humanę in Filio Dei, potest attribui vnigenito Dei Verbo. Vnde non incõvenienter dicimus animam, & corpus esse Filij Dei, & oculos, & manus, & quod Filius Dei corporaliter videat per oculi visionẽ, & audit per auris auditũ, & sic de alijs, quæ partibus animæ, vel corporis cõvenire possunt. Huius autẽ vnionis admirabilis nullum cõvenientius exemplũ inveniri potest, quã vnio corporis, & animæ rationalis. Est etiam nõ inconveniens exemplũ de hoc quod Verbũ nostrũ in corde manet absconditũ, & sensibile fit per assumptionẽ vocis, & scripturę. Sed tamen hæc exẽpla à prædicta vnionis repræsentatione deficiunt, sicut & cætera exempla humana à rebus divinis. Nam neque deitas sic vnitur humanæ naturæ, vt sit pars alicuius naturæ: neque sic vnitur humanæ naturæ, vt solũ significetur per eam, sicut verbum cordis significatur per vocẽ aut scripturã, sed sic vt veraciter Filius Dei habeat naturã humanã, & homo dicatur. Patet ergo quod non dicimus, Deum vnitũ esse corporeę naturę, vt sit virt° in corpore ad modum materialium, & corporaliũ virtutum, quia nec intellectus animæ corpori vnitę sic est virtus in corpore. Multo minus ergo Dei Verbũ, quod ineffabiliter, & sublimiori modo sibi naturã humanã assũpsit. Patet etiam secundum præmissa, quod Filius Dei, & divinam naturam habet, & humanã, vnam ab æterno, aliam ex tẽpore per assumptionẽ. Cõtingit autem ab eodẽ plura haberi secundum diversos modos, in quibus tamen omnibus semper quod est principalius habere dicitur: quod autẽ minus principale, haberi. Habet enim totũm multas partes, vt homo manus, & pedes. Nõ autẽ dicimus è cõverso, quod manus, & pedes habeãt hominẽ. Habet etiam vnũ subiectũ multa accidentia, sicut pomũ colorẽ, & odorem, non è converso. Habet etiã homo aliqua exteriora, sicut possessiones, & vestes, nõ è cõverso. In solis autẽ illis, quę sunt partes alicuius vnius essentiales aliquãdo aliquid dicitur habere, & haberi, vt anima corpus, & corpus animã. Et similiter

in

in quātū vir, & vxor in matrimonio cōiungūtur, dicitur vir habere vxorem, & vxor virū. Et ſimiliter in his, quæ per relationē vniūtur, ſicut dicimus, quod pater habet filiū, & filius patrē. Si ergo ſic vniretur Deus humanæ naturæ, ſicut anima corpori, vt ex his cōſtitueretur vna natura cōmunis, poſſet dici, quod Deus habet naturam humanā, & humana natura habet Deū, ſicut anima habet corpus, & è cōverſo. Sed quia ex divina & humana natura non poteſt cōſtitui vna natura propter perfectionem divinę, vt dictum eſt, & tamē in prædicta vnione principalius eſt, quod eſt ex parte Dei, manifeſte conſequitur, quod ex parte Dei accipi oportet, id quod habet naturā humanā. Illud autē, quod per aliquam naturā dicitur eſſe, dicitur eſſe ſuppoſitū, vel hypoſtaſis naturæ illius, ſicut quod habet naturam equi, dicitur eſſe hypoſtaſis, vel ſuppoſitū naturę equinę. Et ſi ſic natura intellectualis, quę habetur, talis hypoſtaſis dicitur perſona. Sicut dicim' Petrū eſſe perſonā, qui naturā humanā habet, quæ eſt intellectualis natura.

Cum ergo Filius Dei, vnigenitus Dei Verbum per aſſumptionem habeat humanam naturam, vt dictum eſt, ſequitur, quod ſit hypoſtaſis, vel ſuppoſitū, vel perſona humanæ naturæ. Et cū ab æterno habeat divinam naturam, non per modum compoſitionis, ſed ſimplicis identitatis, dicitur etiā hypoſtaſis, vel perſona divinæ naturæ, ſecundum tamen quod divina verbis humanis exprimi poſſunt. Ipſum ergo vnigenitū Dei Verbū eſt hypoſtaſis, vel perſona duarum naturarum, divinę ſcilicet, & humanę, in duabus naturis ſubſiſtens. Si quis autem obijciat, quod humana natura etiam in Chriſto nō ſit accidens, ſed ſubſtantia quædam, non autem vniverſalis, ſed particularis, quæ hypoſtaſis dicitur, videtur conſequi, quod ipſa humana natura in Chriſto hypoſtaſis quædam ſit præter hypoſtaſim Dei Verbi, & ſic in Chriſto erunt duę hypoſtaſes. Conſiderare debet, qui ſic obijcit, quod non omnis ſubſtātia particularis hypoſtaſis dicitur, ſed ſolū illa, quæ ab aliquo principaliori nō habetur. Manus enim hominis ſubſtantia eſt quædam particularis, non tamen poteſt dici hypoſtaſis, nec perſona, quia habetur à principaliori, quod eſt homo: alioquin in quovis homine eſſent tot hypoſtaſes, vel perſonæ, quot membra, vel partes. Humana ergo natura in Chriſto nō eſt accidens, ſed ſubſtantia, non vniverſalis, ſed particularis: nec tamen hypoſtaſis dici poteſt, quia aſſumitur à principaliori, ſcilicet à Dei Verbo. Sic ergo Chriſtus eſt vnus propter perſonæ, vel hypoſtaſis vnitatem, nec poteſt dici eſſe duo. Sed proprie dicitur, quod habet duas naturas. Et licet divina natura prædicetur de hypoſtaſi Chriſti, quę eſt hypoſtaſis Verbi Dei, quod eſt eius eſſentia, tamen humana natura non poteſt prædicari de eo in abſtracto, ſicut nec de aliquo habente humanam naturam. Sicut enim non poſſumus dicere, quod Petrus eſt humana natura, ſed quod eſt homo, in quantum habet humanam naturam; ita nec poſſumus dicere, quod Dei Verbum eſt humana natura, ſed quod habet humanam naturam aſſumptām, & ex hoc dicitur homo. Vtraque ergo natura prædicatur de Verbo Dei, ſed vna in cōcreto tantum, ſcilicet humana, vt cū dicimus, Filius Dei eſt homo: divina vero natura, & in abſtracto, & in concreto dici poteſt, vt quod Verbum Dei eſt divina eſſentia, vel natura, & quod eſt Deus.

Cum autem Deus ſit habens divinā naturam, & homo ſit habens humanam naturā, per hæc duo nomina ſignificantur duæ naturæ habitæ, ſed vnus habens vtrāque. Et cum habens naturam ſit hypoſtaſis, ſicut in nomine Dei intelligitur hypoſtaſis Verbi Dei, ita in nomine hominis intelligitur Verbum Dei ſecundum quod attribuitur Chriſto. Et ſic patet, quod per hoc, quod dicimus Deum Chriſtum, & hominē, non dicimus eum eſſe duo, ſed vnum in duabus naturis. Quia vero ea, quæ conveniunt naturæ, attribui poſſunt hypoſtaſi illius naturæ, hypoſtaſis autem tam humanæ naturæ, quam divinæ includitur tam in homine ſignificante divinam naturam, quam in homine ſignificante humanam, quod eſt eadē hypoſtaſis habens vtramque naturam, conſequens eſt, vt tam humana, quam divina prædicentur de illa hypoſtaſi, ſeu ſecundū quod includitur in nomine ſignificante divinam naturam, ſeu ſecundum quod includitur in nomine ſignificante humanā. Poſſumus enim dicere, quod Deus Verbū, Dei eſt conceptus, & natus de Virgine, paſſus, mortuus, & ſepultus, attribuentes hypoſtaſi Verbi humani propter humanā naturam & è converſo poſſumus dicere, quod homo ille eſt vnū cum Patre, & quod eſt ab æterno, & quod creavit mundum propter divinam naturam. In his ergo tam diverſis de Chriſto prædicandis diſtinctio invenitur, ſi conſideretur, ſecundum quod iſta de Chriſto dicuntur.

Quædam enim dicuntur ſecundum humanam naturam, quædā ſecundū divinā. Si autē cōſideretur de quo dicūtur indiſtincte

proferuntur, quia eadem est hypostasis, de qua & divina, & humana dicuntur, vt si dicam, quod idē est homo, qui videt, & audit, sed non secundum idem. Videt enim secūdum oculos, & audit secundum aures. Idem etiam est pomū, quod videtur, & adoratur, sed hoc quidē colore, illud autē odore, ratione cuius dicere possumus, quod videns audit, & audiens videt, & visū odoratū videtur. Et similiter dicere possumus, quod Deus nascitur de Virgine propter humanā naturam, & homo ille est æternus propter divinam.

§. VI.

Explicatur Mysterium Incarnationis variis similitudinibus.

VAria adduxi symbola, & exēpla sensibilia, quibus huic Mauro emolliré difficultatem, quam experiebatur in credendo hoc mysterio. Nō quia existimarē illa sufficere ad persuadendum mysteriū tam arduum, & superans omnem humanū discursum; sed vt minorem difficultatem experiretur, & vt ostenderem non esse impossibile, vt ipse existimabat.

Primo igitur explicui hoc mysterium exemplo *insitionis* desumpto ex Theodoreto Dialogo *inconfusus*. Nā si tu haberes in tuo horto nobilissimum truncū pyri habētem vnum ramū, huic trunco posses insere alium ramū pruni, v.g. & tunc iam idē arbor esset pyrus, & prunus, produceretque duos fructº specie diversos, nimirū pyra, & prunos. Et in eodem trunco, veluti in eadē hypostasi, & supposito existeret duplex natura, & natura pyri, & natura pruni; nec propterea esset duplex arbor, sed vnicº, cui esset connaturalis natura pyri, quia cū illa nasceretur, natura autē pruni licet per *insitionē* appropriaretur ipsi, tamen ex se esset extranea à natura pyri. Sic ergo cogita Verbum divinum seu personā Filij Dei, tanquā arborem divinum habentem ex se ramū divinitatis, & ferentem ex se fructus omnino divinos; huic divino arbori, & quasi nobilissimo trunco inseruit omnipotentia Dei ramū humanitatis. Vnde Verbum post incarnationem iam habet duplicē naturam, quasi duplicē ramum; habet quidem naturam divinā sibi connaturalem & secū identificatā, & simul habet naturam humanam ex se quidem extranēā, quæ tamen per *insitionē* incarnationis inserta est personæ Filij Dei, & facta est propria Filij Dei. Vnde eadē persona Filij Dei habet naturā divinā, & humanā, ac proinde est Deus & homo. Vnde Christus est vnus arbor cum duplici fructu, divino, & humano, habet enim operationes Dei, quia est Deus, & operationes humanas, quia est homo. Sicut pyrus, cui inserta est prunus, habet duplicem fructū.

Secūdo id ipsum explicui exemplo *ignitionis* desumpto ex D. Basilio. Sumamus, ferrum candens, vel carbonem ignitū. Nonne vides, quod ignis totū ferrum penetrat, occupat, & ad suam puritatem, & nitorem trahit, sibiq; penitus adstringit & vnit? Sic ergo considera, quod Verbum divinū tanquam ignis splendidissimus totā naturam humanā Christi penetravit, & omnes eius partes sibi vnivit. Nonne vides, quod illa vnio ignis cū ferro est ita intima, vt vix possimus alterū ab altero discernere, cùm tamen certū sit ibi post ignitionē manere naturā ferri. Hoc ergo modo debes cogitare vnionē Verbi cum humanitate esse penitissimam, & vi illius humanitatē totā esse imbutā, & refulgentē igne divinitatis; & nihilominus manere cū distinctione à natura divina Verbi, à qua magis illustratur, & perficitur, quā ferrum, vel carbo ignitus perficiatur ab igne secū penetrato. Et sicut durāte vnione ignis cū ferro, ferrum redditur incapax ferruginis, nigroris, & frigoris: ita humanitas ratione vnionis cum divinitate est incapax peccati, & erroris, quorū foret capax, si nō esset vnita Verbo divino. Vnde humanitas Christi differt à nostra sicut differt carbo ignitº à carbone extincto; & sicut differt ferrū cādēs à ferro frigido. Deniq; advertere debes, quod sicut beneficio vnionis inter ignē & ferrū, operatio ignis tribuitur ferro, & operatio ferri tribuitur igni: dicitur enim ferrū splēdere, calefacere, vrere, accēdere, & ignis potest dici secare, dividere, penetrare, condensari; imperfectiones tamen ferri ignē non afficiunt. Ita beneficio illius admirabilis vnionis inter Verbū divinū, & humanitatē, ea quæ sunt hominis tribuūtur Deo, & ea quæ sunt Dei tribuuntur homini: sic tamen vt imperfectiones humanitatis non lædant divinitatem, sicut ferrum sua nigredine non inficit ignem, cui coniungitur.

Sed potissimū ad hoc mysterium explicandū vsus sum exemplo *animationis*, *sicut enim anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*; vt inquit Athanasius in symbolo. Adverte, Amete, quanta sit distantia inter animam & carnem; anima enim est res subtilis, incorporea, simplex, viva, mobilis, pura, intelligens, immortalis, per se subsistens; caro est crassa, multiplex, impura, sordida, torpens, sensu, & ratione distincta, corruptioni obnoxia

noxia: & tamen anima vi ſua ſuoque cõtactu carnem extollit, & ad ſe trahit, ſibique ſubſtantialiter vnit, & vnus ex vtroque homo conſtat: & per hanc vnionem caro fit ſpiritualis, pulchra, viva, mobilis, & bonorum animæ particeps, ita vt omnis honor, qui animæ defertur, ſimul etiam deferatur carni. Rurſus caro non geſtat animam, ſed anima carnem, & hæc in anima veluti in ſuſtentante recumbit, non autem anima in carne: vnde caro ad hypoſtaſim animę elevata, & vnita videtur. Prętereà iſte homo, v.g. Petrus, ſimul eſt anima & caro, vel vt magis propriè loquar animalis, & carnalis, vt animalis, anima rationali, eſt incorporeus, immortalis, & ratione præditus: vt carnalis, eſt corporeus, mortalis, & ratione carens, &c. Deniq; quidquid operatur aut patitur caro, operatur vel patitur homo animalis: & quid operatur aut patitur anima, operatur, vel patitur etiã homo carnalis. Adhunc ergo modũ licet quoad perfectionem inter naturam humanã & Deum ſit infinita diſtantia; tamẽ poteſt Deus ſua infinita potentia naturam humanã in infinitã celſitudinem ſupra omnem creaturam attollere, & ad hypoſtaſim, ſeu Perſonam Verbi (quæ naturæ humanæ & ſingulis eius partibus intimè præſens erat) inſolubili, & ſubſtãtiali nexu adſtringere, & vnire potuit, ita vt iam non illa in ſe, & per ſe, ſed in Verbo, veluti ramus terrenus in cęleſti trunco, & veluti corpus in regente, & ſubſtentante ſe anima ſubſiſteret. Nec idcirco Verbũ mutari, ſed humanitas elevari, ad Verbũ trahi, & modum quendã inexiſtẽdi Verbo accipere debuit. Sicut cùm magnes attrahit, & copulat ſibi ferrum, nõ magnes, ſed ferrum mutatur: cũ Angelus aſſumit corpus, nõ Angelus, ſed corpus mutationẽ patitur: & cũ cera infunditur ſigillo, ipſa, nõ ſigillũ mutatur. Hæc ſymbola adducit P. Leſsius in tract. de Perfect. Divin. ad explicandum hoc myſteriũ, & illis ego vſus ſum ad imprimendã aliquam notitiam huius veritatis illi Mauro, ne tãtam difficultatem ſentiret in ea credenda. Et in hoc colloquio aliquam partem viæ tranſegimus; ſed quia vt inquit Iſaî. c. 7. v. 9. *Si non credideritis, nõ intelligetis*, prius debet perſuaderi myſteriũ aliquod eſſe revelatum à Deo, ac proinde credi debere, quã illud rationibus explicemus; quia rationes illæ homini habenti fidem deſerviunt ad acuẽdam intelligentiam; vbi autẽ fides non pręcedit, non ſufficiunt ad perſuadendum, illud myſterium eſſe verum: & ideo poſtquam explicui myſteria illa; aliã viam aggreſſus ſum, qua pergere debẽt, qui infidelibus volunt perſuadere vera eſſe myſteria noſtræ fidei. Nã colloquium hucuſque habitum in eum finẽ direxi vt huiç Mahumetano oſtenderẽ non eſſe impoſsibile Miſteriũ Incarn. non autẽ vt rationibus perſuaderẽ debere ab illo acceptari vt verũ.

§. VII.

Quomodo Prædicatores Euangelici perſuadere debent in fidelibus vera eſſe myſteria noſtræ Fidei.

QVIA myſteria noſtræ fidei ſunt omnino ſupernaturalia, & ſuperãt omnem rationẽ, & diſcurſum naturalem, ratione naturali nõ poteſt directè oſtendi eorum veritas; quia quod eſt ſupra omnem rationem, ratione demonſtrari nõ poteſt. Et ideo licet poſsimus ſolvere, quæ contra illa objiciuntur, quia cum impugnent veritatẽ, neceſſe eſt vt ſint fallacia argumenta appugnantia myſteria noſtræ fidei: tamen non debet miniſter Evangelicus niti rationibus ad directè probandum illa eſſe vera: *Quæ igitur fidei ſunt* (inquit D. Tho. 1. p. q. 32. ar. 1. c.) *non ſunt tentanda probari, niſi per authoritates iis, qui authoritates recipiunt. Apud alios vero ſufficit defendere, nõ eſſe impoſsibile quod prædicat fides. Vnde Dionyſ. dicit c. 2. de Divin. Nomin. ſi aliquis eſt, qui totaliter eloquiis reſiſtit; longè erit à noſtra Philoſophia. Si autẽ ad veritatẽ eloquiorum, ſcilicet ſacrorũ reſpicit, hoc & nos canone vtimur.* Hinc S. Auguſt lib. de Fide, & ſymbolo c. 9. circa finem ait: *Fides inconcuſſa tenẽda eſt, vt dicamus iſtam Trinitatem vnum Deum: nec temerè aliquid de inviſibilibus, affirmemus tãquam ſcientes, ſed tãquam credentes: quoniã videri niſi mundo corde nõ poſſunt.*

Colloquium ergo cum Amete Solimam proſequẽs, addidi: hucuſque tibi explicui, quomodo ſine repugnantia, & contradictione intelligi poſsit quod Deus factus ſit homo; & quomodo Chriſtus poſsit ſimul eſſe Deus & homo. Nunc vero alia via vtar, vt tibi perſuadeam Chriſtianæ Religioni nomẽ dare. Et imprimis amice Amete, ſtultũ eſt, quod tu tibi perſuadeas myſteria Religionis Chriſtianæ eſſe falſa, quia tu ratione & diſcurſu tuo nõ potes aſſequi quomodo ſe habeant. Sic enim negare deberes vt falſum omne illud quod tuo diſcurſu non potes comprehendere. Hoc autem eſt manifeſtè abſurdum: multa enim ſunt, quæ ratio naturalis non valet comprehendere. Inter Ariſtotelẽ, & alios Philoſophos diù, acriterque diſputatum eſt;

an continuum componatur ex punctis indivisibilibus, an ex partibus semper divisibilibus in minores & minores sine termino. Et hucusque nemo Philosophorum hanc difficultatem omnino vincere potuit, & veritatem palam detegere. Rem illi explicui, quæstio est inter Philosophos, an si Angelus dividat hunc unguem in duas medietates; & rursus unam medietatem in alias duas, & sic deinceps, an aliquando perveniret ad punctū aliquod indivisibile, quod amplius non posset dividi. In qua quæstione Princeps Philosophorum Aristoteles negat, & multi cum illo. At Ceno cum alijs affirmat. Et nemo hucusque clarè ostendere potuit quisnam eorum sit veritatem assecutus. Rursus tu certa experientia cognoscis fluxus, & refluxus maris: & tamen unde nam illi proveniant ignoras.

Nos omnino videre res à longe experimur, & interposito medio opaco eas non videre; & tamen ignoramus quomodo fiat tam mirabilis visio in humore oculorum. Experimur homines tam fœlicis memoriæ, vt continuata serie multa recitare valeant: & tamen quomodo fiat illa memoratio, ignoramus. Scimus ex rudi massa formari fœtum in ventre fœminæ; & tamen quomodo id fiat, omnino ignoramus. Videmus ex grano, vel ossiculo arborem nasci, & quomodo id fiat nescimus. Experimur magnetem attrahere ferrum, & quomodo attractio fiat, ignoramus. Et vt alia omittam, vos Mauri creditis corporum resurrectionem; & tamen discursus naturalis non assequitur, quomodo corpus conversum in vermes, in hervas, vel in pisces (quando scilicet ab eis devoratur) possit resurgere. Ergo stultum est dicere: Deus non est Trinus, quia ego non assequor, quomodo hoc possit esse: Deus non est factus homo, quia ego non capio, quomodo id fieri potuerit. Ratio stultiæ est, quia ratio evidens demonstrat, Deum esse infinitum, & incomprehensibilem ab omni humano, imò ab omni creato intellectu: si ergo est infinitus, poterit in se habere perfectiones aliquas, quas noster intellectus solo lumine naturali nequeat assequi: si est omnipotēs, ergo potest aliquid facere, quod discursus humanus non potest assequi esse possibile. Ergo stat Mysterium Trinitatis, & Incarnationis esse vera, quamvis tu non possis mente tua illa capere: ergo stultum est asserere, *non ita est, quia ego non capio.*

Christiani no credimus hæc mysteria, quia illa intellectu nostro cōprehendimus; sed quia Deus, qui nec fallere, neque falli potest; illa nobis revelavit. Deo autem loquenti credere debemus, quamvis non intelligamus quomodo esse possit id quod ipse dicit. Certè quod tibi difficultatem ingerit, difficultatem ingessit vehementem Philosophis, & sapientibus, qui extra Religionem Christianam educati, impossibile primo iudicabant, Deum esse Trinum, & Vnum, & hominem crucifixum esse Deum. Et tamen id postea firmissime crediderunt, & in defensionem horum mysteriorum libros scripserunt, & multi eorum sanguinem pro hac fide profuderunt. Tales fuerum Dionysius Areopagita, qui ad fidem Christi conversus est ab Apostolo Paulo, (occasionem cōversionis exposui ex Actibus Apostolorum cap. 17.) Insignis iste Philosophus cum esset annos natus viginti quinque, & Heliopoli in Egypto commoraretur, mirandum illam solis Eclypsim, quæ tempore Passionis Domini contigit, vidit: & causam ignorans obstupuit: & postea ex Paulo cognoscens hoc prodigium accidisse in morte Iesu Christi, quē Paulus Athenienſibus prædicabat, hinc ad motus non parùm est ad amplectendam eam fidem, quam Apostolus prædicabat. Et postea illam scriptis illustravit, & pro hac fide Martyr occubuit: imitatus Magistrum suum Paulum, qui prius magnam blasphemiam cogitabat, quod Apostoli prædicabant, nempe Iesum Nazarenum à Iudæis crucifixum esse Filium Dei naturalem postea vero à Christo miraculosè conversus, eius divinitatem, mortem, & resurrectionē, & reliqua Religionis Christianæ mysteria in magna orbis parte prædicavit; & tandem in huius fidei defensionem martyrium passus est Romæ simul cum Apostolo Petro. Talis etiam fuit conversio Iustini Philosophi sapientissimi, qui postquam perscrutatus fuit omnes penè sectas veræ sapientiæ adipiscendæ causa, tandem ad fidem Christi conversus est, eamque doctissimis libris defendit, & Romæ pro ea martyrium subijt anno Christi 165. Talis quoque fuit Hilarius, qui cum esset Philosophus Gentilis, desiderans veram Philosophiam invenire, libros Philosophorum legens, & in eis quod quærebat non inveniens, tandem libros Sacræ Scripturæ perscruratus est, & planè cognovit Scripturam Sacram Deum habere Authorem, & fidem Christi suscepit; & postea Episcopus Pictavienſis creatus, Fidem Catholicam confitentem divinitatem Iesu Christi, & Trinitatem Personarum

acce-

acerrimè propugnavit contra Arrianos, vt conſtat ex eius libris de Trinitate, in quorum principio ſuam cõverſionem ſcribit: & denique plenus ſanctitate & fide, multis vndique virtutibus editis, ita vt & mortuos ſuſcitaverit, migravit ad cœlos, anno Chriſti 369. Talis etiam fuit magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, qui cum eſſet ſubtiliſsimi vir ingenij, & in ſcientijs verſatiſsimus, ex cõverſatione D. Ambroſij cœpit errores priſtinos agnoſcere, & tandem Catholicam Chriſti Fidem ſuſcepit; omniaque illius myſteria, præſertim Trinitatem Perſonarum Divinarum, & Deitatem Chriſti contra hæreticos propugnavit.

Certè omnes iſti, & multi alij, quos brevitatis cauſa prætermitto, ſapientiores multo erant, quam tu: fueruntque poſt converſionem Viri Sanctiſsimi, & dubitari non poteſt, quod maximam experti ſunt difficultatem in ijs myſterijs, & tamen illa firmiſsimè crediderunt, & multi pro teſtificatione illorum vitam dedere: cur ergo tu non credes, quod tot tam illuſtres ſapientia, & ſanctitate Viri poſt diligentem omnium ſectarum diſcuſsionẽ crediderunt? Aut cur quæſo, illi ſapientiſsimi Doctores captivaverunt intellectum ſuum ad credendum firmiſsimè myſteria, quæ non intelligebant, niſi quia vrgentiſsima habuerunt fundamenta, quibus perſuaſi ſunt, Deum revelaſſe myſteria hæc, & Authorem eſſe Religionis Chriſtianę? Et inde bene intulerunt, hominem teneri credere Deo loquenti, quãvis loquatur myſteria, quæ excedunt naturalem noſtrum diſcurſum. Hæc autem fundamenta te etiam movere debent, vt id credas, quod illi crediderunt.

Dic mihi, quæſo ſi aliquis tuę ſectæ *Papaz* (ſic vocant Sacerdotes, & Alfaquinos) eſſet vir eximiæ probitatis, & veracitatis, eſſetque ſapientiſsimus; ita vt ſuſpicari prudenter non poſſes, eum, vel ex ignorantia falli, vel ex malitia velle fallere, tibi aſſeveraret rem aliquam valde difficilem, & ſerio teſtaretur ita ſe habere; non ne illi affirmanti crederes? Reſpondit annuendo: crederem, inquit, quia ita mecum diſcurrerem, hic Vir eſt ſapientiſsimus, & ego homo ignarus; ille multa ſcit, quæ ego ignoro: aliunde verò eſt Vir probus, & Sanctus, qui neminem decipere curaret: ergo prudentiæ erit fidem illi tribuere. Bene dixiſti: ſed ex ore tuo te iudico: ſi homini probo & ſapienti credere debemus, quæ narrat, quamvis ea per noſtrum diſcurſum non aſſequamur, cur non credemus Deo loquenti, & teſtificanti? Hic reſpondit: ſi ego ſcirem Deum eſſe qui loquitur, libentiſsimè crederem, quamvis eſſent myſteria altiſsima ſupra meum captum. Et tunc ego: optimè dixiſti: ſed inde convinceris vt credas, Chriſtum eſſe Deum, & in Deo non dari vnam tantum perſonam, ſed tres, quamvis tuo diſcurſu id capere non poſſis: quia ego tibi manifeſtiſsime probabo, Deum revelaſſe hæc myſteria, & manifeſtaſſe mundo.

Ad hoc probandum adduxi argumenta illa, quibus diſputatione præcedẽti demonſtravi Chriſti divinitatem. Primò quia Chriſtus fuit Propheta Sanctiſsimus & Doctor veritatis, vt tu fateris: At manifeſtum eſt Chriſtum de ſeipſo dixiſſe ſe eſſe Filium Dei naturalem, verumque Deum; ſiquidem hoc ab eius ore audierunt Apoſtoli, & toto mundo prædicarunt, & perſuaſerunt, & in teſtimonium huius veritatis martyrium ſubierunt. Secundò, quia Chriſtus doctrinam illã evidentibus confirmavit miraculis. Tertiò, quia Apſtoli per totũ orbem diſperſi hanc doctrinam innumeris ſignis confirmarunt. Quartò, quia pro illa teſtificanda multa centena Martyrũ millia attrociſsima paſsi ſunt tormenta cum ſumma conſtantia, & magna lætitia. Quintò, quia in hac fide ſingulis ſęculis floruerunt inſignes Sancti, manifeſtis miraculis à Deo illuſtrati. Sextò, quia perfidi Iudæi, quia Chriſtũ tanquam blaſphemum occiderunt, à Deo deſerti ſunt, & ſeveriſsime vſque modo puniuntur. Septimò, quia in ſola Chriſti fide elucent notæ veræ Religionis, quas ſupra breviter perſtrinxi, & fuſſe in hac, & præcedenti diſputatione explicavi. Hæc & ſimilia argumenta petita à motivis credibilitatis confeci. Ad quæ ob muteſcebat Maurus, & fatebatur ſe neſcire, reſpondere ijs argumentis.

Sed præcipuè inſtiti primæ demonſtrationi, quam ſupra pag. 549. confeci. Hic reſpondit Maurus, legem Chriſti fuiſſe quidem Sanctam, & à Deo datam, cæterum non duraſſe niſi vſque adventum Mahumeti; ſicut lex Moyſis fuit Sancta, & à Deo collata per Moyſem tanquam per legatum, & Nuntium Dei, & tamen non duravit niſi vſque ad adventum Chriſti. Aiebat ergo has tres leges à Deo deſcendiſſe, & Moyſem, Chriſtum, & Mahumetum fuiſſe Dei prophetas, & veras leges publicaſſe; cætetum duas priores

iam

iam cessasse, & abrogatas esse, solumque nunc in mundo esse veram legem Mahumeti. Sed contra ego manifestissimis argumentis ostendi, id nequaquã dici posse,

§. VIII.

Demonstratur legem Mahumeti nõ successisse legi Christi, sicut lex Christi successit legi Moysis. Vbi exponitur, quomodo lex Christi non sit opposita legi Moysis sed eius adimpletio, & perfectio, & convincuntur Iudæi contendentes Sacramentum Circumcisionis & ceremonialia legis antiquæ debere in æternum durare, quia sunt à Deo instituta.

ILLA evasio Mauri cum quo colloquebar, fundamentum habet in Alcorano, in quo Mahumetus frequenter docet, & asserit, *Quod Deus sublimis, & benedictus misit Moysi testamentum, id est scripturam veteris testamenti, & legis Mosaicæ; Dauidi autem Psalterium, Iesu vero Filio Mariæ Euangelium, sibi autem Alcoranum.* Verum manifestum esse mendacium, quod Deus miserit Alcoranũ Mahumeto, inde convincitur. Quia Alcoranum continet doctrinam contrariam Evangelio; & apertè negat quod Evangelium clarè docet, nempe Christum mortuum esse, & resurrexisse; Christum esse Deum, & dari in Deo Trinitatem personarum. Vnde est manifestum mendacium quod Mahumetus pronuntiat in quinto capitulo Alcorani, dicens: *Hic liber*, videlicet Alcoranum, *Nec mendacium aliquod, neque aliquid præteritis Prophetis contrarium nuntiat.* Nam mors Christi, eiusque Resurrectio erat prænuntiata à Daniele, à Davide, & alijs Prophetis, vt infra ostendam manifestè: & ab omnibus Evangelistis vniformiter docetur: vnde Alcoranum hoc negans evidenter opponitur Prophetis, & Evangelio, ac proinde non est liber à Deo missus, sed à Diabolo inventus, & à Mahumeto confictus ad seducendum.

Vnde contra evasionem Mauri insurgens, illi evidenter ostendi, legem Mahumeti non posse esse à Deo; quia cum certum sit legem Moysis, & legem Christi à Deo descendisse, vt ipsi Mauri confitentur; necesse est, vt lex Mahumeti non descenderit à Deo: quia Deus sibi contradicere non potest; & per vnum Prophetam nequit prius revelare vnum mysterium, & per alium postea revelare oppositum. Deus autem per Prophetas antiquos revelavit Christum moriturum, & resurrecturũ. Mahumetus autem apertè in Alcorano negat Christum mortuum esse, ac proinde negat etiam resurrectionem, quia resurrectio mortem supponit. Rursus Christus manifestè docuit se esse Filium vnigenitum Dei, verumque Deũ, & docuit in Deo dari tres personas: idque scribunt Evangelistæ: & Apostoli omnes id mundo persuaserunt. Nam dũ in orbem terrarum profecturi essent, ne vlla ex parte aliqua, vel apparens inter eos in annunciatione Evangelij diversitas esset, communi consilio quosdam Fidei Canones, quibus vniversam Christianam fidem præstringentes stabilirent, constituerunt; quos proprio nomine Dei Ecclesia *SYMBOLVM APOSTOLORVM* dicere consuevit; vel quia singuli ad illud perficiendum attulerint suum symbolũ, vel quoniam qui verè Christiani essent eo symbolo velut thesera militari, aut indicio dato, ab ijs, qui falso Christũ prædicarent, dignoscerentur, vt docet Ruffinus D. Hieronymi coætaneus in præfatione expositionis symboli.

Ex his clarè cognoscere potes, Amete, Mahumetũ non fuisse Dei Prophetam, sed seductorem. Ad hæc Maurus ne cogeretur fateri, vel Christũ, eiusque Evangelistas, & Apostolos falsam doctrinam prædicasse, vel Mahumetum non fuisse verum Dei Prophetam, respondit, Evangelium prout ex ore Christi manavit atque ab eius Apostolis, & Evangelistis descriptum est, absque falsitatis commixtione verum esse: cæterum à posteris Christianis infectum, & falsificatum esse in multis, nimirum in illis omnibus, in quibus discordat ab Alcorano. Et hæc est communis solutio ad quam recurrunt Mahumetani quando fit argumentum contra ipsos ex libris Prophetarum, & Evangelistarum, quos ipsi vt libros Dei venerantur. Et sumitur ex Alcorano Azora 12. Videns enim Mahumetus doctrinam suam esse contrariam Evangelio, quod ipse sepè laudaverat, ne videretur sibi contradicere, dixit Evangelia esse corrupta, & adulterata à Christianis: & se solum in suo Alcorano habere puram, & incorruptam doctrinam Christi, & Prophetarum, qui ante ipsum præcesserunt. Hanc Mauri evasionem ita præclusi, tanque patenter de falsitate cõvici, vt obmutescerem, & quid opponeret, non haberet. Et infra seorsim adduçam

cã argumenta quibus Chriſti prędicator poſsit hanc Mahumetanorũ fabulã apertè confutare. Ad colloquium autem rediens addidi.

Lex Moyſis ſancta fuit, & â Deo data; cæterum in illa nihil continetur quod non concordet Evangelio: non exiſtimes Amete, legem Chriſti eſſe contrariam legi Moyſis: Chriſtus enim ipſe dixit, ſe non veniſſe ſolvere, ſed adimplere legem Moyſis, *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat Cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non prætenibit à lege donec omnia fiant.* Matth. 5. v. 17. & 18. Si me interrogaveris, quomodo Chriſtus dicit ſe nõ veniſſe, vt legẽ ſolveret, ſed adimpleret, cum reipſa ſolverit, & abrogaverit & poſt Chriſti adventum ceſſaverit lex Moyſis? Reſpondeo tibi; veriſsimum eſſe, quod Chriſtus non venit, vt legem ſolveret, ſed adimpleret; primo, quia quandiu lex vigere debuit, ipſe eam diligentiſsime obſervavit (quamvis ad eius obſervationem non teneretur, quia erat Deus,) & vt Apoſtoli obſervarent curam habuit, & ideo ipſe, & Apoſtoli circunciſi ſunt, & aſcendebant quotannis ad Templum ad diem Feſtum. Secundo dicitur non ſolviſſe, ſed adimpleſſe, quia benè interpretando perfecit. Tertio legem implevit, quia gratia, per quã impleri poſſet, nobis attulit: vt enim inquit Evangeliſta Ioannes cap. 1. v. 17. *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem per Ieſum Chriſtum facta eſt*, & ideo vt ait Auguſtinus, prius *iuuebat, ſed non iuuabat. Poſt Chriſti aduentum, & iubet, & iuuat.* Quartò, quia quæ in lege promiſſa erant, exhibuit; quæ cæremonijs, & figuris adumbrata, repræſentavit.

Itaque cum in lege, & Prophetis quatuor eſſent partes, nempe promiſſa, & vaticinia; præcepta Decalogi; cæremonialia; atque iudicialia: Chriſtus omnia complevit: promiſſa, & vaticinia complevit, exhibendendo quæ promiſſa, & prędicta erant: præcepta moralia Decalogi complevit, melius interpretando; & falſas expoſitiones Scribarum, & Phariſæorum reijciendo: complevit cæremonialia, exhibendo illa, quæ per cæremonias repræſentabantur, & adducendo veritatem illarum figuratum, & corpus illius vmbrę, vt pro Circunciſione carnis Baptiſmum, & Circunciſionem cordis; & pro ſacrificijs animalium, & avium Sacrificium ſui corporis in Cruce offerendum; & pro ſacrificijs, & oblationibus panum, & farinæ ſacrificium incruentum corporis, & ſanguinis ſui in Euchariſtia: denique complevit iudicialia, quia præmia, & ſupplicia corporea, & temporalia, quæ lex Moyſis promittebat, vel cominabatur, populo illi rudi, & carnali, Chriſtus in ſpiritualia, & æterna commutavit.

Quare legem illam antiquam Chriſtus abrogavit, non ſolvendo, ſed adimplendo; non violando, ſed perficiẽdo; ſicut pictor (vt Theophil. ait) inchoatæ, & extremis tantum lineamentis adumbratę imagini, dum vltimam apponit manum, & colores adhibet, priorem imaginem abolet, & novã induxit, abolet autem non diſolvendo, ſed abſolvendo, non delendo, ſed perficiendo.

Vnde lex Moyſis, & lex Chriſti non cõparantur inter ſe tanquã duæ leges ſpecie diverſæ, & inter ſe õppoſitę; ſed tanquã duæ leges reſpicientes eundem finẽ, quarũ altera imperfectè, altera perfectè illũ finẽ attingit; vel potius tanquã vna, & eadem lex ſecũdum ſtatum perfectum & imperfectum: non differunt illæ duæ leges, ſicut differunt homo, & brutum; ſed ſicut differt homo dum eſt vir à ſeipſo dum eſt puer. Lex antiqua data eſt per Moyſem à Deo Populo Iſraelitico ſicut puero: lex Evangelica data eſt generi humano à Deo per Chriſtum Filium ſuum ſicut viro. Genus humanum ſub lege veteri erat in ſtatu pueritiæ; ſub lege autem nova eſt ſub ſtatu virilitatis, & perfectionis, vt enim inquit S. Thomas 12. quæſt. 91. art. 5. ad 1. *Sicut Pater familias in domo alia mandata proponit pueris, & alia adultis: ita etiam vnus Deus in ſuo regno aliam legem dedit hominibus adhuc imperfectis exiſtentibus, & aliam perfectiorem iam manuductis per priorem legem ad maiorem capacitatem diuinorum.*

Itaque lex poteſt conſiderari ſecũdum finem, ad quem ordinat homines, & ſecundum propinquitatem ad finem, vel diſtantiam ab illo. Si primo modo conſideretur, *Lex noua non eſt alia à lege veteri* (inquit S. Thom. 12. q. 97. art. 1.) *Quia vtriuſque eſt idem finis, ſcilicet vt homines ſubdantur Deo, eſt autem vnus Deus, & noui & veteris teſtamenti ſecundum illud Rom. 3. vnus Deus eſt qui iuſtificat circunciſionẽ ex fide, & præputium per fidem.* Si autem conſideretur ſecundo modo, *Lex noua eſt alia à veteri: quia lex vetus eſt*

quaſi

quasi Pedagogus Puerorum, vt Apostolus dicit ad Galatas 3. lex autem nova est lex *perfectionis*, *quia est lex charitatis*, *de qua Apostolus dicit*, Colos. 3. *quod est vinculum perfectionis.*

Quare lex nova comparatur ad veterem sicut perfectum, & imperfectũ; & quia omne perfectum adimplet id, quod imperfecto deest; ideo lex nova adimplet veterem, in quantum supplet illud quod legi veteri deerat, vt docet ibidem art. 2. idem S. Doctor. Quamvis autem aliqua dederit præcepta Deus hominibus in illo statu legis veteris, quæ cessarunt adveniente, & promulgata lege nova, quia illa erant convenientia pro illo statu, & non erant convenientia pro statu legis novæ: tamen non revelavit Deus de seipso aliquid in lege veteri, quod negaverit in nova: in lege veteri sub vmbris, & figuris significavit Trinitatem personarum, licet non proposuerit expresse hoc mysterium illi populo rudi, ne sumeret inde occasionem existimandi esse tres Deos: manifestationem huius mysterij reservavit tempori legis novæ, in quo misit vnigenitum suum in mundum, vt ipse qui est in sinu Patris enarraret. Benè quidem potest Deus in vno tempore revelare, & manifestare aliquod mysteriũ, quod in alio non revelavit; nequit tamen illud ipsum, quod prius de seipso affirmavit, postea negare. Vt constat ex prima nostra demonstratione. pag. 549.

Creavit Deus primum hominem in gratia, & iustitia originali ad finem supernaturalem visionis beatificæ, amoris, & gaudij inde resultantium, eo pacto, & conditione, vt si observaret præceptum non edendi fructus arboris scientiæ boni, & mali, conservaret sibi, & derivaret in posteros eam gratiam, & iustitiam; si autem peccaret, eam amitteret sibi, & posteris, omnesque manerent sub captivitate peccati, & potestate Diaboli. Peccavit Adamus, & totam posterorũ massam corrupit, infecitque peccato, & subiecit se, & omnes suos posteros captivitati Diaboli. Deus autem summè bonus, & misericors decrevit Filium suum vnigenitum in hunc mundum mittere, vt indutus carne Diabolum vinceret, & captivos eriperet de eius tyranica potestate. Decrevit autem differre huius mysterij executionem per multa sæcula propter rationes quas expendit D. Thom. 4. contragent. cap. 55. num. 9. & 3. part. quæst. 1. art. 5. Præstituit tamen tempus convenientius ad tanti mysterij dispensationem. Vt autem pararet sibi populum, in quo erat nasciturus, apparuit Abrahæ, illumque elegit in patrem credentium; & Abrahę posteros multiplicavit, vt ex illis constitueret Synagogam: filios Israel in signis & portentis eduxit de Ægypto; promisit adventum Messiæ, & Salvatoris per Prophetas, dedit legem populo Israel, eique dedit præcepta moralia, quæ semper erant per mensura, scribens in tabulis lapideis decem præcepta Decalogi, quæ in prima creatione impresserat tabulis cordis, quia videlicet illa erant penè obliterata ex multitudine peccatorum, quæ mentem obcæcabant; dedit etiam præcepta quædam cerimonialia de sacrificijs, & oblationibus, quæ adumbrabant, & repræsentabant sacrificium mortis, & Passionis Christi: dedit etiam præcepta iudicialia, quasi propria illius populi, vt illum separaret à consortio Gentilium, ne ex illorum contubernio, & communicatione inciderent in peccata fœdissima, quibus idolatræ contaminabantur. Vt autem reciperent Messiam, quando veniret, prænuntiavit per Patriarchas, & Prophetas tempus, & locum, vbi & quando erat nasciturus: & mores eius, miracula, Discipulos, & mortem præsignavit, sub velis tamen, & figuris, vt fides locum haberet. Tota autem illa lex antiqua erat imperfecta, eiusque finis erat disponere homines ad suscipiendum Messiam venturum, & legem perfectam ab eo promulgandam.

Quod egregiè explicat S. Thom. 4. contrag. cap. 55. num. 9. Quia hoc requirit conditio humanæ naturæ vt non „ statim ad perfectum ducatur, sed ma„ nuducatur per imperfecta, vt ad per„ fectionem perveniat: quod & in instru„ ctione puerorum videmus, qui primo „ de minimis instruuntur: nam à princi„ pio perfecta capere non valent: simili„ ter etiam si alicui multitudini aliqua „ inaudita proponerentur, & magna, nõ „ statim caperent, nisi ad ea assuescerent. „ sic igitur conveniens fuit à principio, „ vt humanum genus instrueretur de ijs, „ quæ pertinent ad suam salutem per ali„ qua levia, & minora documenta per „ Patriarchas, & Prophetas: & tandem „ in consumatione temporum perfecta „ doctrina Christi proponeretur in ter„ ris, secundum quod Apostolus dicit ad „ Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum in terris*; & idem

dem dicitur. *Quod lex pædagogus noſter fuit in Chriſto : ſed iam non ſumus ſub pædagogo.* „ Et ſicut ad advẽtum magni Regis opor„ tet aliquos nuntios præcedere, vt præ„parentur ſubditi ad eum reverentius „ſuſcipiendum : ita oportuit adventum „ Dei in terras multa præcedere, quibus „homines eſſent parati ad Deum incar„natum ſuſcipiendum : quod quidem fa„ctum eſt, dum per præcedentia pro„miſſa, & documenta hominum mentes „diſpoſitæ ſunt, vt facilius ei crederent, „ qui antea prænuntiatus erat, & deſide„rantius ſuſciperetur propter priora pro„miſſa.

Poſtquam autem Chriſtus venit, debuit ceſſare lex vetus quoad præcepta ceremonialia, & iudicialia, & quoad Sacramenta, quæ habebat lex illa ; quia lex quoad illas ceremonias, & leges municipales ſeparantes Iudæos à Gentilibus, debuit ceſſare quando venit Chriſtus, qui in illis præfigurabatur; & qui veniebat ad ſalvandos omnes homines, & congregandam vnam Eccleſiam ex Iudæis, & Gentilibus, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 2. verſ. 14. *Qui fecit vtraque vnum.* Et cum omnia Sacramenta, ex Paſsione Chriſti efficaciam habeant, ſanè Sacramenta, quæ præceſſerunt Incarnationem Chriſti, talia eſſe debuerunt, vt ſignificarent, & quodammodo repromitterent ſalutem futuram ex Chriſti Paſsione : vnde ceſſare debuerunt, poſtquam Chriſtus redẽptionem generis humani ſua morte conſumavit. Et debuerunt illis ſuccedere Sacramenta, quę hominibus reipſa ſalutem exhiberent ob moritum paſsionis iam præſentis. Et hinc confutatur error Iudæorum, qui credunt Sacramenta legalia propter hoc quod à Deo ſunt inſtituta, in perpetuum eſſe ſervanda ; cum Deus nõ pęniteat, neque mutetur. Confutatur, inquam, quia vt optimè inquit D. Thom. „ 4. contrag. cap. 57. Abſque aliqua mu„tatione, vel pœnitentia diſponentis fit, „ quod diverſa diſponat ſecundum con„gruentiam temporum diverſorum, ſicut „ pater familias alia præcepta tradit filio „ parvulo, & alia iam adulto; ſic & Deus „ congruenter alia Sacramenta, & præ„cepta ante Incarnationem tradidit ad „ ſignificandum futura, alia poſt Incar„nationem ad exhibendum præſentia, & „ memorandum præterita. Quare poſt Paſsionem Chriſti ceſſare debuit circunciſio ; quia hæc inſtituta fuit in ſignum fidei Abrahæ ; fides autem Abrahę fuit fuit commendata in hoc, quod credidit divinæ promiſsioni de futuro ſemine, in quo bene dicerentur omnes gentes, id eſt de futuro Chriſto, & ideo quandiù hoc erat futurum, oportebat proteſtari fidem Abrahę in circunciſsione : ſed poſtquam hoc iam eſt perfectum, oportet idem alio ſigno declarari, ſcilicet Baptiſmo, qui in hoc circunciſsioni ſuccedit, ſecundum illud Apoſtoli ad Coloſenſ. 2. *Circunciſsi eſtis, circunciſsione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſsione Chriſti, conſepulti in Baptiſmo.* Ita Divus Thomas 12. quæſt. 103. art. 3. ad quartum. Audiamus etiam D. Aug. to. 1. lib. de Vera Relig. c. 17. egregiè, explicantẽ, quo pacto lex nova veteri non opponatur, ſed vtraque à Deo ſit. Quiſquis au„tẽ (inquit) ideò negat vtrumque teſta„mentum ab vno Deo eſſe poſſe, quia nõ „ eiſdem Sacramentis tenetur populus no„ſter, quibus Iudæi tenebantur, vel ad„huc tenentur : poteſt dicere, non poſſe „ fieri, vt vnus pater familias iuſtiſsimus „ aliud imperet eis, quibus ſervitutem „ duriorem vtilem iudicat, aliud eis, quos „ in filiorum gradum adoptare dignatur. „ Si autem præcepta vitæ movent, quod „ in veteri lege minora ſunt, in Evange„lio maiora, & ideo putatur non ad eun„dem Deum vtraque pertinere ; poteſt „ qui hoc putat perturbari, ſi vnus me„dicus alia per miniſtros ſuos imbecilio„ribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat ad reparandum, vel ob„tinendum ſalutem. Vt enim ars medi„cinæ cum eadem manear, nec vllo pa„cto ipſa mutetur, mutat tamen præcep„ta languentibus, quia mutabilis eſt no„ſtra valetudo : ita divina providentia „ cum ſit ipſa omnino incommutabilis, „ mutabili tamen creaturę variè ſubve„nit, & pro diverſitate morborum alijs „ alia iubet, aut vetat, vt àvitio vnde mors „ incipit, & ab ipſa morte ad naturam „ ſuam, & eſſentiam, ea quæ deficiunt, „ id eſt ad nihilum tendunt, reducat, & „ firmet.

§. IX.

Demonſtratur legem Chriſti non potuiſſe abrogari per legem Mahumeti, quamvis lex Moyſis ſit abrogata per legem Chriſti.

HIS ſic explicatis ad Maurum converſus, non ne vides, inquam, Amete, quomodo inter ſe benè cohæ-

cohæreant; quod Deus sit Author legis Mosaycæ, & legis Christi? At minime cohæret quod sit Author legis Christi, & simul author legis Mahumeti: nam Deus nequit mentiri, neque quod semel revelavit potest falsificare. At per Christum docuit homines, Deum esse Trinum in personis; ipsumque Christum esse Filiũ suum vnigenitum, quem in hunc mundũ misit ad salvandum genus humanum per mortem, & Passionem suam; mundoque per Apostolos persuasit, hominem crucifixum esse Deum, & tertia die resurrexisse, & corpus suum, & sanguinem hominibus reliquisse in Sacramento Altaris; Baptismum esse necessarium ad salutem, circumcisionem autem iam cessasse. Cum ergo Mahumetus hæc omnia neget, evidenter convincitur, eum non fuisse Dei Prophetam, sed seductorem qui honesto Religionis titulo imperium vsurpavit.

Clarissimeque hoc perspicere potes: nam quia postquam Deus dedit legem populo per Moysem, daturus erat legem perfectam per Christum: in lege veteri per Patriarchas, & Prophetas promisit Christum, illiusque adventum prænuntiavit: & prædixit omnia, quæ futura erant tẽpore legis novæ. Si etgo Deus nasturus erat in mundum perfectissimum legislatorem, maximumque Prophetarũ, qualem vos Mahumetum fuisse creditis, illius adventum prænuntiavisset in lege Moysis, & in lege Christi, vt scilicet mũdus eum tanquam Dei Prophetam susciperet, & legem ab eo promulgatam ad salutem necessariam amplecteretur. At manifestissimum est, nec Deum in veteri testamento, nec in novo promisisse Mahumetũ; nec in illo fuisse à Christo prænuntiatum nisi sub generali ratione falsorum Prophetarum, cum dixit Math. 24. v. 11. *Multi pseudo Prophetæ surgent, & seducent multos.* Ergo certum est Mahumetum non fuisse Dei prophetam, nec legem dedisse vt verum Dei ministrum.

Sed miseri Mahumetani meridiana in luce caligant, & credunt illum fuisse prænuntiatum à Moyse, & Christo, cæterum Iudæos, & Christianos in odium Mahumeti deleviss ea quę in scripturis de eo erant prænuntiata: idque credunt, quia Mahumetus ipse in Alcorano ad præoccupandam hanc obiectionem testatur mentionem fieri de eo in veteri, & novo testamento. Siquidem Azora 60. affirmat, Dominum nostrum Iesum Christum eũ prænuntiasse, & in Evangelio suo hęc verba posuisse: *Amen amen dico vobis, quod post me venturus est Apostolus Dei, qui vocabitur Mahumed*, seu Mahumetus. Refert autem teatrum vitę humanę tom. 1. fol. 595. esse opinionem apud Mahumetanos, in cap. 14. Ioan. v. 16. vbi nos legimus, *Ego rogabo Patrem, & alium paraclytum dabit vobis*, antea loco paraclyti legi *Mahumed*, quasi Christus dixisset, *Ego rogabo Patrem, & Mahumetum dabit vobis.*

Verum hoc esse insigne mendaciũ facile evincitur, quia eadem Evangelia quę in Ecclesia leguntur, fuerunt in Ecclesia Christi ante adventum Mahumeti, vt constat ex expositionibus Sanctorum Patrum Hieron. Ambr. Basilij, Nazianzeni, Athanasij, Chrisostomi, Augustini, & Gregorij, qui ante Mahumetum floruerunt; nam hic postremus mortuus est anno Christi 604. Mahumetes vero anno 631. reliqui autem multo ante floruerũt. In ijs enim expositionibus, nec apud vllum scriptorem, nec in aliquo exemplari, vel versione Evangeliorum mentio vlla facta est Mahumeti: certum est autem non potuisse Christianos, vel Iudæos in odium Mahumeti corrumpere scripturas, antequam Mahumetus in mundum venisset. Deinde cum Moyses Deuteromij 4. severissimè prohibuerit aliquid addere, vel detrahere Sacris Scripturis dicens: *Non adijcietis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque auferetis ab eo.* Et cũ Ioannes Apocal. 22. id ipsum prohibens, dicat: *Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super eum plagas scriptas in libro isto, & auferat eum de libro vitæ*: quis nisi stultus credat Iudæos, vel Christianos voluisse à sacris litteris abradere nomen Prophetæ, quem Deus illis promitteret, præsertim antequam cognoscerent, qualis futurus esset. Idque amplius constabit ex dicendis infra quando probemus scripturas non esse corruptas. Constatque manifestè easdem extare nunc veteris testamenti versiones, quæ extiterunt tempore Christi, & ante eius adventum, in quibus nulla mentio Mahumeti fit.

Estque manifestum, Paraclytum, quẽ Christus promisit Ioannes 14. non esse Mahumetum: nam adventus illius Paraclyti promittitur futurus intra paucos dies Act. 1. v. 15. *Non post multos hos dies*: Mahumetus autem venit post sexcẽtos annos. Secundo, quia illum Paraclytum promittit Christus Apostolis, vt eos instrueret: *Ille vos docebit, & suggeret vobis*

bis omnia, quæcunque dixero vobis. Ioan. 14. 26. Mahumetus autem Apostolos non docuit. Tertio, quia Christus dixit, illũ Paraclytum esse invisibilem, *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec nescit eum.*

Alio etiam argumento evidenti probavi illi Mauro, legem Mahumeti nõ esse datam à Deo post legem Christi, sicut lex Christi fuit data post legem Moysis. Quia si res ita se haberet, lex Mahumeti esset perfectior lege Christi, & lex Christi foret dispositio ad legem Mahumeti, sicut lex Moysis fuit dispositio ad legem Christi: Deus enim in institutione generis humani procedit ab imperfecto ad perfectum, vt supra explicuimus cum Sanct. Thom. At hoc est manifestè falsum; quia Christus in Evangelio docuit altissimam vitæ sanctitatem, quã posuit in ardenti, & perfecta Dei dilectione; & ad eam assequendam altissima dedit consilia, contemnendi divitias, honores, & delectationes carnales, abnegãdi seipsum, sumendi Crucem suam, diligendi inimicos, tollerandi iniurias, & exercendi perfectissima omnium virtutũ opera; patientiam, humilitatem, continentiã, temperantiã, &c. Et omnium virtutum se exhibuit exemplar perfectissimum. Hanc autem perfectionem lex Mahumeti non præcipit, nec consulit. Immò in Alcorano docet, vt fideles reddant malum pro malo, & easdem iniurias, molestias, atque læsiones inferant alijs, quas ab illis patiuntur, & habenas laxat delectationibus carnis. Tantumque abest vt virginitatem, vel castitatem consulat, vt eius observationem censeat impossibilẽ: sic enim in Alcorano ait: *Nocturnos coitus cum mulieribus promittit nobis Deus, sciens nobis huius rei abstinentiam, tum difficilẽ, tum impossibilem esse.* Ipsique Mahumetani dicunt, nimis arctam, & spiritualem esse legem Christi; propterea que sapienter egisse altissimum mittendo Mahumetum Regnis Arabum cum lege laxa, ac facili: ipseque Mahumetus in Alcorano inquit: *Deus nequaquam difficilia, seu ardua requirit à nobis.* Et sæpè dicebat se missum fuisse à Deo vt legem Christi, quę nimis rigida erat, temperaret, & per mitiora præcepta homines duceret in Paradysum.

Ipsaque impura Mahumeti vita, evidenter probat, illum non fuisse Dei Prophetam: quod latè in hoc colloquio huic Mauro exposui, & infra seorsim proponam.

Denique illam Mauri evasionem manifestè confutavi, quia si lex Mahumeti comparatur ad legem Christi, sicut lex Christi comparatur ad legem Moysis, sequitur legem Christi post adventum Mahumeti abrogatam, iam esse, sicut abrogata fuit lex Moysis post adventum Christi; ac proinde iam homines in illa non salvari, sicut post adventum Christi non salvantur in lege Moysis. At hoc esse evidenter falsum, constat primo: quia post adventum Mahumeti floruerunt singulis sęculis in Ecclesia Christi multę fœminæ & viri sanctitate insignes, & gloria miraculorum illustres: Deus autem sectatores falsarum sectarum miraculis, & signis non illustrat. Et ideo in Sinagoga post quam Christus venit nullus extitit Propheta, nullus homo, qui gloria miraculorum claruerit; cum tamen ante adventum Christi tot miracula, & prodigia operatus fuerit Dominus per Moysem, per Iosue, per Eliam, per Elisæum, aliosque Viros Sanctos: & ratio est, quia post quam Christum occiderunt, & eius Apostolos persecuti sunt, ablata sunt eis omnia supernaturalia beneficia, & privilegia consueta, gratia prophetiæ, efficacia miraculorum: reprobataque sunt à Deo eorum Sacrificia: quod hoc argumento probat Chrisostomus, nam Deus in lege illa præcipiebat, ne sibi offerrentur sacrificia extra Templum Hierosolimitanum. Ergo cum templum illud destruxerit Deus in vindictam occisionis Christi, vtens tanquam instrumento Imperatoribus Tito, & Vespasiano; signum est, iam sacrificia illa reprobasse. Quod hoc simili explicat: nam si ægrotus enixè à Medico postulasset facultatem bibẽdi binũ, eamque concessisset Medicus eo pacto, & conditione, vt non biberet nisi per talem scyphum, quem ipsi assignasset: & postea vas illud Medicus ipse infringeret: planum est, quod Medicus hoc facto protestaretur, se nolle, vt ægrotus vinum gustaret. Hoc ergo pacto dicimus iam Deo non placere sacrificia, & victimas Hebræorum, quia destruxit Templum, in quo vnice licebat illi populo sacrificia Deo offerre. Abstulit ergo Deus ab illo populo Charismata supernaturalia, & eius sacrificia reprobat: omnemque illam excellentiam vaticiniorum, miraculorum, privilegiorum, & Divinorum Charismatum transtulit in Apostolos, & in Christi Ecclesiam, in qua semper floruerunt, & nunc florent; quod signum manifestum

est,

est, Deum Ecclesiam Christi diligere vt Sponsam, & velle eo modo coli, quo illa à Christo, & Apostolis edocta perscribit. Alio deinde sensibili, & manifesto argumento hoc ipsum cõprobatur, quia Deus statim post peccatum primorum parentũ, Christum promisit; qui Diabolum vinceret, vt deducunt communiter Patres ex verbis illis, quæ Deus adversus serpentẽ pronũtiavit: *Ipsa conteret caput tuũ* Gen. 3. v. 16. promisit eius adventũ Abrahç Gen. 22. v. 18. *Benè dicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et Patriarchæ Iacob Gen. 49. v. 10. prædixit Christi adventum illis verbis: *Non auferetur sceptrum de Iudà, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus est.* Prædixit etiam, & promisit Moyses Deut. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus &c.* Promisit, & prænuntiavit per alios Propheras eius adventum varijs signis præfigurans: & cum venit dedit illi potestatem faciendi magna, & stupenda miracula, vt ipse Mahumetus in Alcorano Azora 1. testatur. Introducit enim Angelum alloquentem cum Maria „ sub hac forma: O Maria omnibus vi„ ris, & mulieribus splendidior, mundior, „ atque iucundior, tibi ab vniversitatis „ creatore mittitur summi nuncij gaudiũ „ cum Verbo Dei, cuius nomen est Iesus „ Christus, qui est facies omnium gentiũ „ in hoc futuroque sęculo, sapiens vir op„ timus, ipse Deus Filium tuum cum di„ vina virtute venientem edocebit librũ „ legiferum, omnisque Magisterij peri„ tiam, & testamentum, ac Evangelium. „ Ille cæcos, & mutos curabit, morphea„ ticos, „ ac lepro sos mundabit, mortuos „ creatore cooperante vivificabit, &c. Hæc Mahumetus de Christo. Cum tamẽ de seipso in Alcorano dicat, *Non sibi datum esse signum aliquod facere*, vt testatur Carthusianus lib. 2. art. 9. pag. 103. Fatenturque, *se esse Prophetam ignorantem.* Si ergo Deus tot retrò milliaribus annorum per Prophetas, & Patriarchas promisit Christum, illumque, & legem ab eo dandam prænuntiavit; ipsumque tot prærogativis, & excellentijs ornavit, quales, nec Moysi, neque vlli Prophetarum vnquam concessit, quis nisi stultus potest credere, legem ab illo tot prodigijs inductam, & propagatam, solum sexcentis annis durasse? Si lex Moysis, quæ imperfecta erat, & solum dispositio ad legem Christi, duravit vltra mille, & quingentos annos; (nam ab egressu filiorum Israel de Ægypto vsque ad Christi Nativitatem transierunt 1518. anni) quis mentis compos credere possit legem Christi perfectam, solum sexcentis annis durasse? Si vmbra, & figura tantopere duravit, res figurata, & significata quomodo potuit tam citò finiri? Quorsum tot miraculorum, & Prophetiarum apparatus, si lex Christi, tam exiguo tẽpore erat per mẽsura? Quomodo Angelus dixit Luc. 1. 33. *Dabit illi Deus sedem David Patris sui, & Regni eius non erit finis?* si eius Regnum, & Ecclesia intra tam brevi temporis intervallum interiturum erat.

His auditis argumentis obmutuit Maurus, & fatebatur se nescire illis respondere: non potui tamen ei persuadere, vt Baptismum peteret. Illum in nostro Collegio Malacensi Religiosi per humanitet tractarunt. Ego verò ad extremum illum amicabiliter, & familiariter alloquens, dixi: Amice Amete, coram Deo ignorantiam allegare non poteris: ego tibi veritatem manifestè annuntiavi. Si adhuc dubitas, an ego vera locutus sim, Deum roga vt tibi veritatem manifestet, vt tenebras mentis tuæ illuminet, & te doceat viam salutis. Post tot argumenta audita, saltem debes dubius manere, an tibi sit necessarium ad salutem æternam, Religionem Christianam suscipere, agitur hic de summa rerum; Deum ergo enixe roga, vt te illuminet: & vt merearis à Deo illuminari, vitia fuge, pietatẽ sectare, Deum super omnia dilige, & proximum sicut te ipsum, & decem præcepta Decalogi diligẽter observa; hęc enim omnes homines obligant. Donavi illi doctrinam Bellarmini, & rogavi, vt attẽte legeret explicationem mysteriorum nostræ sanctæ fidei, sperans, fore vt aliquando veritatẽ agnosceret: & post multa charitatis signa, & amicabilem amplexum, Maurũ dimisi. Audivi postea hunc hominem gravi morbo oppressum, Baptismum petijsse. Rem tamen satis explorata tam non habeo, maximam tamen spem concepi, eum tandem moriturum Christianum.

SECTIO XII.

Demonstratur contra Mahumetanos, Christum mortuum esse, & resurrexisse: indeque euidenter ostenditur, Alcoranum mendacijs, & fabulis plenum esse.

NICOLAVS de Cusa Cardinalis in sua Crivatione Alcorani lib. 1. c. 3. ait,

ait totam intentionem Mahumeti in Alcorano hanc eſſe, vt ſcilicet perſuadeat *Chriſtum*, ſeu Meſsiam, nec Filium Dei eſſe, neque pro hominibus crucifixum, & mortuũ. Quoniam Chriſtũ Filũ Dei eſſe, & in Cruce mortuum, eſt fides illa, quæ vincit Diabolum, & mundum, & ſola eſt vera, & perfecta, & nulla fides præter illã reſiſtere poteſt Diabolo, & dare victoriã, & immortalem vitam in Regno Cœlorum intellectuali, & incorruptibili: ideo hoc medio Sathan, de mundo ipsã Evangelicã fidem omnino elliminare conatur.

Mahumatus igitur in Alcorano lib. 2. Azora 6. qui intitulatur de Ioſepho ſic inquit: *Iudæi Mariæ blaſphemiam, & immoderatam contumeliam inferunt, ſeque Chriſtũ Mariæ Filium, Dei nuncium, perimiſſe perhibent, ſed nequaquam eum, ſed ſui ſimilem ſuſpendentes interfecerunt.* Eſtque inter Mahumetanus opinio, ſeu error ſatis communis, Ieſum Chriſtum ea hora, qua Iudei eum comprehendere voluerunt, poſuiſſe figuram ſuam in Iudâ proditore, ſicque Iudæos Ieſum capere exiſtimantes, Iudam cæpiſſe; vt teſtatur Carthuſianus lib. 2. art. 22. pag. 158. & mihi narravit Maurus quidam Matriti an. 1670. id ipſum, & ideo in alio cap. ſeu Azora Alcor. ait Mahumetus, *Iudæi Ieſum illudere æſtimantes ab eo ſunt illuſi.* Doct. Petrus de Cavalleria in ſuo *Zelo Chriſti* pag. 129. teſtatur Mahumetum in Alcorano Azora 3. de Iudæis „ loquentem hæc habere, Dicunt ſuper „ Mariam mendacium magnum, & dicũt: „ Nos occidimus Meſsiam Ieſum Filium „ Mariæ, nuntium Dei: non occiderut, „ neque ſuſpenderunt, ſed ſic ſimulatum „ fuit eis. Et paulo poſt: Non occiderunt „ eum veraciter, immo elevavit eum Deꝰ „ ad ſe. Itaque Mahumetani credunt hanc fabulam Alcorani, quod Chriſtus non ſit mortuus, ſed alius eius ſimilis, vt teſtatur etiam R. P. F. Antonius del Caſtillo in ſuo Itinerario Hieroſolymitano lib. 3. cap. 4. pag. mihi 178.

Quis non miretur Mahumetum Virum ſagacem, & calidiſsimum id auſum fuiſſe negare, quod non ſolum Chriſtiani, ſed etiam Iudæi, & Gentiles, & vniverſus orbis vt rem manifeſtam ſupponebant, nempe Ieſum Nazarenum fuiſſe à Iudæis in Crucem actum: res enim hæc publica fuit, & toti orbi nota, Pilatuſque Iudææ Præſes ſententiam pronuntiavit, & res coram infinita hominum multitudine peracta eſt. Quod negaverit Chriſti divinitatem, & Trinitatem Divinarum Perſonarum, aliaque myſteria ſupernaturalia adeo mirandum non eſt: cæterum quod negare auſus ſit hiſtoriam apud omnes nationes mundi notam, & litteris conteſtatam à Chriſtianis, à Iudæis, & ab ipſis Gentilibus, manifeſtè probat huius nebulonis impudentiam, & liberam mentiendi audaciam ſine fronte. Hic error ſimilis eſt Hæreſi Baſilidis, de quo ita „ ſcribit Epiphan. Hæreſi 24. Baſilides „ confingit nobis alium fabulæ actum, „ non Ieſum paſſum eſſe aſſerens, ſed Si„ monem Cyrinęum. Nam quoniam dum „ Dominus Hieroſolymis educeretur, ve„ lut Evangelij ſeries habet, coegerunt „ quendam Simonem Cyrinæum ad por„ tandum Crucem: hinc reperit, vt ne„ quitiæ ſuæ tragœdiam confingeret. Et „ illum (inquit) quo portabat Crucem, „ transformavit in ſuam ſpeciem, & ſeip„ ſum in Simonem, & pro ſeipſum tradi„ dit Simonem, vt crucifigeretur. Cum „ autem ille crucifigeretur, ſtabat ex „ oppoſito inviſibilis Ieſus, deridens eos, „ qui Simonem crucifigebant. Ipſe vero „ diſceſsit ad Cœleſtia, tradito Simone „ ad crucifigendum, & illæſus proceſsit „ ad Cœlum.

In ſimilem errorem lapſus eſt Manichæus, dicens, non Chriſtum, ſed Diabolum fuiſſe crucifixum: ſic enim ait, apud Auguſt. lib. de fide contra Mani„ chæum cap. 22. Inimicus quippe, qui „ eundem Salvatorem, iuſtorum Patrem, „ crucifixiſſe ſe ſperavit; ipſe eſt crucifi„ xus: quo tempore aliud actum eſt, aliud „ oſtenſum. Princeps itaque tenebrarum „ affixus eſt Cruci, idemque ſpineam co„ ronam portavit cum ſuis ſocijs; & ve„ ſtem coccineã habuit: acetum etiam, & „ fel bibit: quod quidam dominum po„ taſſe arbitrati ſunt; atque omnia, quæ „ hic ſuſtinere viſus eſt, tenebrarum du„ cibus irrogata ſunt.

Eundem errorem tenuerunt Marcioniſtæ, & Cerdoniani; qui in eo tamen differunt à Mahumeto, quod illi negabant, Chriſtum veram habuiſſe carnem; Mahumetus vero verè natum fuiſſe ex Maria fatebatur: vt enim inquit Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 21. Cerdoniani, *Dogmatizabant Chriſtum neque natum ex fœmina, nec habuiſſe carnem, neque vere mortuum, neque quidquam paſſum, ſed ſimulaſſe Paſsionem.* Et vt ait ibid. c. 14. *Marcus neſcio quis, qui Hæreſim condidit, negans reſurrectionẽ carnis, & Chriſtũ non verè, ſed putatiuè paſſum aſſeuerans.* Et de Manich. teſtatur lib. cõtra Epiſt. Manich. eos docuiſſe, Chriſtũ non veram, *Sed ſimu-*

latam carnem oculis ostendisse, nec pertulisse, sed simulasse passionem. Sed omnes isti Heteliarchę inimici Crucis Christi sugillantur ab Augustino; & his omnibus dicere possumus, quod dixit Sanct. Doct. Manichæis lib. de fide c. 33. *Miseri non timetis, vt dicatur vobis in iudicio: ego eos liberaui, pro quibus passus sum: Ite, ille vos liberet, cui meas adscribitis passiones.*

Impugnatur verò hoc delirium, & manifestum Mahumeti mendacium. Primo, quia falsificat prædictiones Prophetarum, qui annuntiarunt Christi mortem; vt illā Danielis cap. 9. *Post hebdomadas septuaginta annorum occidetur Christus*, & illud Psal. 21. *Foderūt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea &c.* Et illud Isaiæ 53. *Verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse autē vulneratus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus, & posuit Dominus in eum iniquitates omnium nostrum: oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, tanquā ouis ad occisionē ducetur &c.* Hunc textum Isaiæ legebat in curru suo eunuchus Reginæ Candaces, cum Deus miraculosè adduxit Philippū, qui eum illi exponeret, ipsumque baptizavit. Act. 8. v. 28. Neque dicere potest Mahumetus, Iudæos corrupisse, & adulterasse scripturas; tum quia id esse evidenter falsū, sect. sequent. ostēdam: tum quia cum nulla sit in testamento vetere illustrior prophetia, clariusve probans, Iesum Nazarenum esse Messiam, & Christum promissum in lege antiqua, nihilominus Iudæi Perfidi, quorum maxime intererat, quod ex Scripturis non constaret, illum esse Christum, nunquam ausi sunt negare, Danielē scripsisse illa verba, & cum Christiani, & Iudæi sint inter se maxime contrarij, habeantque Scripturas veteris testamenti secundū varias versiones, etiam interpretum, qui floruerunt ante Christum; in omnibus exemplaribus veteris testamenti leguntur illę prophetię eodem tenereē verborum. Et sanè si appareret aliquod verisimile fundamētum, ad asserendum Prophetiam Danielis esse adulteratam, id non dissimularent Iudęi, ne tā apertè convincerentur illo textu.

Impugnatur secundò, quia ipse Mahumetus in Alcorano Azora 44. quæ appellatur Azora de Maria, vocat Dominum Iesum *Verbum veritatis*, & Prophetā Sanctissimum, qui nunquā falsum locutus sit. Et tamen, dum dicit, eum non fuisse crucifixū, illum facit Prophetam mendacem. Siquidē Christus ipse Math. 20. duodecim Discipulis in vnū congregatis dixit: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & scribis, & cōdemnabunt eum morte, & tradent eum ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.*

Tertiò, quia facit Christum impium erga Virginem Matrē, cui secretum illud non manifestavit: constat enim illam acerbissimos passam fuisse cōpassionis dolores iuxta Crucem; quos non pateretur, si sciret, eum, qui inter duos latrones pendebat, non esse filium suum, sed Iudam proditorem, vel alium, cui Deus impressisset Christi figuram.

Quartò, quia eclypsis illa Solis, quæ accidit in morte crucifixi, fuit planè, & evidenter miraculosa, siquidem accidit in Paschate Iudęorum, quod nunquā nisi in diem 15. Lunæ primi mensis incidebat, cum Luna est plenissima. Hoc autē prodigiū simul cum alijs, quæ in morte crucifixi acciderunt, manifestè probat, eum, qui crucifixus est, fuisse verum Christum.

Quintò, quia vt ostendi disp. præced. Christus suam Resurrectionem manifestis argumentis probavit: Resurrectio autem Mortem supponit.

Sextò, quia si indecens non fuit Deū permittere, vt Christus Vir Sanctissimus, & innocētissimus à Iudęis cōprehenderetur, & flagellaretur, vt Mahumetus supponit fuisse comprehensū, & flagellatū, neq; indecentia vlla reperiri potest in eo, quod permisserit crucifigi. Vt quid autē illā metamorphosim, & illusionē Deo decerneret?

Septimo, quia cum quatuor Evangelistæ, qui Evāgelia sua scripserunt, diversis locis, & tēporibus, tam diligenter, & tam vniformiter narrent omnia, quæ attinent ad Passionē Christi, cum tamen miracula breviter præstringant; id sanè nō fecerunt nisi ex impulsu divino, & quasi Spiritus Sancti amanuenses. Deus autem illos movere non potuit ad scribēda mendacia; ergo verissimū est, Christū mortuū esse.

Octavo, quia cum Apostoli dispersi sunt per vniversū mundum, symbolū fidei composuerunt, in quo expresse docetur, *Christum crucifixum, mortuum, & sepultum fuisse. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, & sequentibus signis.* Marc. vlt. & fidē contentā in illo symbolo, quę rem docet humanæ sapientię incredibilē, nempe hominē inter duos latrones crucifixū esse vnigenitum Dei Filiū, verumque Deum, mūdo persuaserunt sine armorū violētia, sine sensuum blandimento pauci homines ignobiles infimi prædicantes contemptū

cm-

ōnium eorum, ad quæ humanus appetitus rapitur, quos homines ſequi crimen erat morte plectendum, & brevi tempore vrbem mundi dominam expugnarunt, & meliorem mundi partem: quod ſine ingēti miraculo, & divina potentia fieri non potuit. Deus autem nequit miracula facere ad radicandam in mundo fidē falſam.

Nono, quia myſterium Crucis Chriſti innumeros Sanctos Chriſto peperit, qui eo ordentius Chriſtum diligentes, quo ignominiam Crucis pro ſe indignius pertulit, carceres, Cruces, innumeraque tormēta pro Chriſto alacriter paſsi ſunt, in eiſque impletum eſt illud Chriſti verbum, *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahamad me.* Credibile enim nō eſt fidem falſam, & quæ crucifixum crederet, qui crucifixus non fuit, talem potuiſſe generare ſanctitatem.

Decimo, quia miracula, quæ per ſignū Crucis Deus operatus eſt, & quotidiè operatur, & honor, quem Deus exhiberi voluit Cruci, quæ ante Chriſtum erat ignominiæ ſignū, manifeſtè probant, Chriſtum in Cruce morientem eam virtutem Cruci communicaſſe.

§ II.

Crucis miracula clarè probant, Chriſtum in ea mortem ſuſtinuiſſe.

MIRACVLA Crucis illuſtriora enumeret Chriſti prædicator ad confundendos Mahumeti ſectatores. Obſervat Baronius divina quadā diſpenſatione factum eſſe, vt ſupplicii, quod Barabbæ duplici ex cauſa debebatur, tum vt latroni, tū vt homicidæ, converteretur in Chriſtū, cuius nulla eſſet mortis cauſa; vt Dei Filius pro redemptione totius generis humani Crucē ſubiret, quæ tā apud Iudæos, quā apud Gentiles, inſigne ſalutis eſſet. Signandos nāque eſſe ſigno *THAV*, qui liberādi eſſent ab ira Dei, Ezech. Prophetæ fuit divinitus demonſtratum c. 9. & apud Ægyptios iſtud ſignū Crucis in Sacris eorū litteris ſignificaſſe vitā. Ruffin. 2. hiſt. 29. Socrat. lib. 5. c. 17. Sozomen. & alij teſtantur. Vide Breviariū Rom. die 3. Maij, in qua celebratur Inventio S. Crucis ab Helena Auguſta, & quomodo miraculo fuerit diſtincta à reliquis latronū: cōtigit hęc Inventio an. Chriſti 326. Ea fuit in partes diviſa, & vna delata Romā, alia Conſtantinopolim, quæ autē maxima pars relicta eſt Hieroſolymis, iugi miraculo per particulas diſtributa, ſemper tota integra permanſit, vt teſtatur Baronius in notis ad Martyrologiū Romanum die 3. Maij, idē que teſtantur S. Paulin. Epiſt. 11. ad Sever. & S. Cyrillus Cathec. 10. vbi affirmat totum terrarū orbē ligno S. Crucis Hieroſolymis accepto locupletatum eſſe.

Idem autem Baronius ibidē teſtatur Græcos aliam etiam de S. Cruce celebrare cōfueviſſe ſolemnitatem ad 16. kalendas Iunij, qua recolitur memoria admirāda illius apparitionis Crucis ſigni ſupra Hieroſolymam meridie factæ, cuius rei geſtæ hiſt. S. Cirillus tunc eiuſdem Civitatis Epiſcopus exactè deſcribit poſt Catechel. Et die 14. Septemb. celebrat Eccleſia Exaltationem S. Crucis, quando Heraclius Imperator, Coſrhoe devicto, eā de Perſide Hieroſolymam reportavit: miracula verò, quę tunc contigerunt, ſatis cōprobant, Sacrū illud Lignum contactu corporis Chriſti ſanctificatum fuiſſe. Petavius affirmat S. Crucē reſtitutam eſſe an. Chriſti 628. & ſequenti vere Hieroſolymā Heracliū illā ſumma veneratione tranſtuliſſe. Concordat Baron. in notis Martyrolog. affirmans contigiſſe hanc tranſlationē an. 19. Imperij Heraclij, id eſt, anno Chriſti 629. quo tēpore Mahumetus vivebat; & tranſportationem S. Crucis in Perſiam, eiuſque recuperationem factam ab Heraclio non ignoravit, quo magis innoteſcat hominis impudentia, qui negare auſus eſt mortem Chriſti in illa Cruce, pro qua totus orbis Chriſtianus pugnavit.

Inter apparitiones S. Crucis inſignis eſt illa, quā promeruit Conſtantinus Magnus Imperator, quam deſcribit Euſebius lib. 1. vitæ Conſtantini cap. 22. & ſequentibus, & ex ipſo Baronius ad an. 312. Cum enim Vrbem Romanam ex Tyranide Maxentij, armata manu *eripere ſtatuiſſet*, deque belli ancipite alea, & Marte communi diligentius cogitaret, Deorumque imbecillitatem iam aliquoties perſpicuè cognoviſſet, ad Deum Chriſtianorum confu-
„ git, eumque ſolum obſervare, & cole-
„ re ſtatuit, inquit Euſebius. Quo circa
„ huius opem imploravit precibus, vt tum
„ quiſnam eſſet, illi ſignificaret, tum rebus
„ quas apud animum propoſuiſſet, dexte-
„ ram adiutricem, porrigeret. Imperatori
„ igitur iſta precanti viſio quædam divi-
„ na, & imprimis admirabilis apparuit, quam ipſemet poſt victoriam narravit Euſebio Cęſarienſi, qui eam litteris prodidit, etiam iure iurādo interpoſito *Cum iam Sol* (verba ſunt Euſebij) *ad medium Cœlum aſcendiſſet*, die in promeridianū tempus paulum inclinante, dixit, ſe Crucis ſignū, ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo Cęlo, Soli imminens, manifeſtis oculis aſpexiſſe

„ inque eo inscriptionem consignatam: „ *IN HOC VINCE.* Admiratio ingens ip„ sum, & totum exercitū, qui eum comi„ tabatur, atque adeo huius facti specta„ tor factus erat, incessit. Sed dubitatione „ admodum inter se distrahi, quidnā ostē„ tum illud sibi vellet, asseruit, atque eum „ diū multumque de eo cogitantem op„ pressit nox; ibi ei dormienti Christum „ Dei Filium, cum signo in Cœlo mon„ strato visum esse, præcepisseque vt exē„ plari ad imitationē illius signi, quod in „ Cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquā „ præsidio in prælijs cum hostibus cōmit„ tendis vteretur: simul atque dies illuxit „ surgens Constantinus primo arcanū il„ lud visum amicis exponit: deinde arti„ ficibus, qui aurum, & lapides prætiosos „ affabre sculpere noverant, accersitis, „ medio inter illos loco assidet, verbis „ signi describit effigiem, eāque auro, & „ lapidibus prætiosis imitatione adumbra„ re mandat. Et hanc effigiem ab artifici„ bus sculptam vexilli, seu labari imperia„ lis hastili infigi iussit, cuius formā ibi des„ cribit Eusebius, tandēque concludit: *Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cuiuscunque, & infestæ violentiæ propugnaculo, semper vsus est, cuius expressæ similitudines mandauit, vt vniuersum exercitum perpetuo antecederent.*

Virtute autē Crucis Constantinus Magnus de Maxentio, eiusque exercitu victoriā reportavit: & Maximinū Tyrannū orientis superavit: & denique Liciniū Tyrannū virtute eiusdē Crucis profligavit. Probat autē P. Gretserus lib. 2. de Cruce cap. 44. Constantino Magno ter Crucis signum Cœlitus ostentum esse.

Sed quis numerare possit miracula, quę Christiani signo Crucis operati sunt? S. Antonius Abbas, vt scribit S. Athan. in eius vita, omnibus Dęmonū machinamētis, & tentationibus signū Crucis objiciebat, & eos fugabat. Et cum Ethnicis quibusdā Philosophis disputās, inter alia sic locutus est: *Crucifixū nominamus, & vniuersi Dæmones, quos vos vt Deos colitis, rugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ Crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? vbi Ægyptiorū incantationes? quo Magorū profecere carmina? Certè nunc vastata sunt omnia, cum de sua Cruce Christus intonuit.* Hinc Chrisost. hom. 4. de laudibus S. Pauli probat, non solū veritatē hanc, quod Christus crucifixus sit, sed etiam quod crucifixus sit Deus, qui per Crucem Diabolum vicit. *Cuius rei gratia* (inquit) *Dæmones tantum modo nomen Crucis audientes in fugam resiliunt, cum certè si res se haberet aliter, magis eos oporteret irridere, quam fugere? An forte Crux quid clarum videtur, ac nobile? Immo è contrario, turpis, & exprobabilis mors est: vnde igitur illam Dæmones reformidant, nisi de virtute crucifixi?* Theodoretus lib. 3. hist. cap. 3. narrat, quod cū Iulianus Apostata privatam adhuc agens vitā, spem Imperij po„ tiendi concepisset, perlustrare cæpit „ Græciam, conquirere vates, & ariolos „ scisciturus ab illis an voti compos fu„ turus esset, incidit in hominē, qui ei hoc „ prædicere pollicitus est. Qui quidē de„ ducto eo in fanum simulacrorū, & intra „ eius abdita collocato, fraudulentos Dę„ mones invocat, quibus in specie, qua „ solent, apparētibus, metus coegit Iulia„ num, signo Crucis frontem suam signa„ re. Dæmones igitur Dominici trophæi „ conspicati figurā, & suæ ipsorum cla„ dis recordati, confestim evanuerunt. „ Tum præstigiator, causa cur fugerent „ intellecta, Iulianum obiurgat, qui tum „ timorem, in quo erat, declaravit, & se „ virtutem Crucis vehementer admirari „ dixit: nam Dęmones quoniā eius figurā „ ferre non poterant, aufugisse. Hæc Theodoret. & idem testatur S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Iulian.

S. Hier. in vita S. Hilarion. narrat, S. Virū signo Crucis armatū vicisse Dæmonum turbas, qui ferocium animalium assumentes formam, illū terrere conabantur. Severus Sulpitius refert, Diabolū se visibilem S. Martino formis diversissimis sæpè ingessisse: Sanctū vero semper interritum stitisse, signo S. Crucis munitum, S. Greg. Nisen. in vita S. Greg. Thaumat. scribit, eum signo Crucis fugasse Dæmones ex Templo Idolorum, in qno pernoctarat. Et in vita S. Chrisost. legimus, eum signo Crucis in publica concione Dęmoniacū curasse. S. Greg. Magn. lib. 8. Dial. c. 2. narrat S. Benedict. signo Crucis fugasse Diabolū tentatorem, qui sub specie avis nigrę circa eius faciē volitabat. Gregor. Turon. affirmat, S. Patroclū, & S. Nicetium Treveritorum Episcop. plurimos energumenos virtute Crucis liberasse. Idemque testatur Beda de S. Arnolfo in eius vita c. 3. & in actis fidelissimis S. Daniel. apud Surium t. 6. 11. Decemb. legimus eum Dæmones expulisse, cum manus solum modo obsessis imposuisset eū signo Crucis. Idemque testātur gravissimi Script. de S. Medardo Episcop. Noviam. de S. Domnol. de S. Germ. Parisiens. de S. Nicęta, de S. Albino Audegan. Episcop.

de

de S.Iniberto,& S.Procopio Martyre: de S.Placido Martyre,de S.Mauro, & alijs apud Greſſerum lib.4. de Cruce cap.41.

Et apud eundem Greſſerum ibid. c.42. Gregor.Turon. narrat S.Simplicium Epiſcop. Aguſtud. ſigno Crucis in terrã deiecciſſe ſimulacrum Berecynthię, quod in proceſsione deferebant Gentiles circũ agros, & vineas. Et Surius teſtatur Sanct. Glyceriam Virginem, & Martyrẽ facto ſigno Crucis, & invocato nomine Ieſu obtinuiſſe à Deo, vt ſtatua lapidea Iovis corruerit ſubito, & comminuta fuerit.

Deinde S. Martina, Virgo nobiliſſima,ſub Alexandro Imperatore paſſa 12. Ianuarij, cum ſibi Crucis ſignum impreſſiſſet, Dianæ idolum, fulmine cœlitus excuſſo, comminutum eſt. Itemque S.Satyrus Martyr quoddam idolum præteriens, cum exuffiaſſet in illud, ſignans ſibi frõtem, ſtatim Idolum corruit, atque ea de cauſa decollatus eſt. Et S.Procopius Martyr, qui ſub Deocleciano paſſus eſt 8. Iulij oratione facta ad Dñum Ieſum-Chriſtum, cum ſignum Crucis in aere iecciſſet adverſus ſtatuas Idolorum,dixit: vobis dico immundis ſimulacris, timete Domini mei nomen, & in aquam reſolura, in hoc Templo diſpergimini. Quod & factũ eſt. Denique vt alia omittam, S.Benignus,qui ſub Aurelio paſſus eſt 1. Novemb. cum Idolothyta Sancto in os ingerere vellent, ſigno Crucis contra eas carnes edito cordeque ſurſum ſuſpenſo, & oculis in Cœlum ſublatis dixit: *Domine &c.* Cum hęc dixiſſet, & Crucis expreſsiſſet ſignum, mox idola omnia lignea,& lapidea,& vaſa, in quibus ſacrificia offerebantur,inſtar fumi euanuerunt.

De S.Laur. Martyre canit Eccleſia: *Quod per ſignum Crucis cæcos illuminauerit*, S.Greg. lib.1. Dialog. c.10. ſimile miraculum narrat de Fortunato Epiſc. Civit. Turditanę,& alij multi Sancti eadẽ miracula ſæpè operati ſunt ſignantes cæcos ſigno Crucis.Conſulatur P.Greſſerus lib. 4.c.48.ad 58.qui ex D. Aug. & Sophronio, & ex S.Greg.Nyſſen. alijſque Sanct. Script. probat ſigno Crucis morbos fuiſſe depulſos, mutos, aridos, paralyticos, & ſurdos recepiſſe vſum membrorũ: ſerpentes,& dracones fugatos, vel interemptos: truculentas feras cicuratas, flammaſque repreſſas: multos virtute Crucis venenũ ſine noxa bibiſſe. S.German.Epiſcop.Pariſienſis,qui ſub Iuſtiniano Imperatore vitæ ſanctitate floruit, ſigno Crucis mortuos ſuſcitavit, vt teſtatur Fortunatus in eius vita c. 35. Ad probandã mirabilem Crucis virtutem habes opportuna valdè exẽpla apud P. Franc. Arias noſtræ Societatis to.1.de imitat.Chriſti tract.3.c. 40.& in vita S.Chriſoſt. apud Ribaden. in qua dicitur S. Doct. ferociſsimũ occidiſſe Leonẽ,qui hominibus infeſtus erat, erecta Cruce, iuxta quã Leo mortuus inventus eſt.

§. III.

Cur Deus factus ſit homo, & pro hominibus pati voluerit.

EXPONENDA eſt Mahumetanis, & infidelibus Incarnationis Filij Dei neceſsitas, & convenientia, vt in amorẽ Dei excitati, mentis tenebras excutiant. Eam autem dilucidè explicat P.Leſsius lib.12.de perfectionibus divinis c.3.ijs verbis. Prolapſa natura generis noſtri in primo parente fraude Diaboli à ſtatu ſupernaturali, & amiſſa iuſtitia originali, cæteriſque virtutibus, ſubtracta etiã ſingulari illa Dei protectione,ac directione,& partis inferioris obediẽtia, & immortalitatis dono,in miſerrimũ ſtatum incidit; neque aliud reſtabat, quam vt ſibi relicta, ſuo pondere, & impetu inſtar fluminis cuiuſdam de peccato in peccatum ruens,per varios anfractus errorũ, & dolorum in pelagus exitij ſempiterni devolveretur. Tanta enim erat ad malum pronitas, vt nihil fere niſi peccare poſſet; tantus impetus, vt à nemine niſi à ſolo Deo poſſet ſiſti, ac inhiberi, ipſum vero malum tam atrox, ac penitùs inolitum, vt à nullo præter quam à Dei manu poſſet excindi.

Deus igitur, cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, intimis miſericordiæ viſceribus eõmotus, ſtatuit nos iſta multiplici miſeria eripere,& rurſum ad ſtatũ ſupernaturalẽ erigere. Verũ id nec ita cõvenienter nec ſatis fructuoſe fieri poterat, niſi& pro peccato iuſtitiæ divinæ æquivalens ſatisfactio exhiberetur, & fons quidam perẽnis,ac in exhauſtus,quo peccata,quotieſcunque homines in ea inciderent, deleri poſſent,conſtitueretur. Parũ enim fuiſſet, in priſtinum gradum iuſtitiæ reſtitui, niſi etiã futuris lapſibus in tanta infirmitate, & mali proclivitate fuiſſet cõſultum. At neutrum illorum à pura creatura præſtari poterat: nulla enim pro homine liberando poterat offerre pretiũ æquivalens,nulla etiam fontem perpetuæ remiſsionis, & iuſtificationis conſtruere. Tanta enim eſt, vel vnius peccati mortiferi malignitas, tanta in maieſtatem illam infinitam iniuria, vt omnibus Sanctorum, Angelorum

lorum, & hominum obsequijs, laudibus, cultibus, precibus, humilitationibus, pœnitentijs, afflictionibus ex æquo, & vt vita dicam, ad æquilibrium, iustamque æqualitatem nequeat compensari, vt infra de iustitia ostenderur. Cum igitur nullum remedium, nec in terra, nec in Cœlo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec vllus Angelus aut vlla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus Angelis, & hominibus obstupescẽdum excogitavit consilium, nimirum, vt Filius Dei, sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet. Nisi enim reparator noster esset Deus, non posset exhibere pro offensione, & iniuria à nobis in divinitatem commissa quidquam æquivalens: nec constituere perennem, & indefectibilem reconciliationis Thesaurum. Nisi esset etiam homo, cessaret meritum, cessaret satisfactio, cessaret exemplum, cessaret illa suavis, & naturę congruentissima providentia, qua res per ea, quæ sui sunt generis, gubernantur.

Hoc igitur post casum est primum, & maximum misericordiæ divinę in nos beneficium, vtpotè infinitum, & aliorum multorum, quorum singula infinitæ sunt æstimationis, origo, & fundamentum; quo maximè Deus infinitum suum in nos amorem, & misericordiam declaravit. De quo Dominus ipse Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis hæc animo voluens non obstupescat? Quis tantæ benignitatis consideratione lachrymas contineat? Quis in obsequium Dei vicissim se non libentissime expendant? *Sic*, tam intense, tam effuse, tam ardenter, tanta æstimatione, tanti illum fecit, & appreciavit *Deus*, illa infinita maiestas, nullius agens, sibi sufficientissima, qui verbo creavit omnia, cui tot milliones serviunt Angelorum, & qui momento temporis infinitos alios excellentiores servos, & cultores sibi ex nihilo poterat condere. *Mundum*, humanum genus, infimum naturæ rationalis terminum, brutis affine, terrenis addictum, Cęlestium inane, immundum, ingratum, inimicum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima dagna odio, & supplico. Obstupesce homo; Angelicis spiritibus, tam sublimi ingenio, & natura præditis, in sua damnatione relictis, tibi vilissimo, & nullius pretij vermiculo, à magno illo Numine tam immẽsum amorem, & favorem exhibitum. *Filium suum vnigenitum*, non Angelum, non Cherubinum, non Seraphinum, non Filium aliquem adoptivum, sed Filium suum vnigenitum, naturalem, consubstantialem, eiusdem maiestatis, potestatis, sapientiæ, excellentiæ, quem infinito dilexit amore, cui totam suam substantiam, vna cum omnibus suis perfectionibus, & thesauris bonorum abæterno profudit. *Daret*, in Rectorem, in Doctorem, in exemplũ vitæ; in Redemptorem, in pretium, & satisfactionem pro peccatis; in Thesaurum perpetuum iustitię, & reconciliationis; in iuge sacrificium, in Sacerdotem æternum; in panem vitæ æternæ, & alimentum immortalitatis, in pignus futurę gloriæ; in Regem, Iudicem, & Remuneratorem vivorum, & mortuorum; in gloriam, & triumphum patriæ Cœlestis. *Daret*, ad vnionem nostrę naturæ, ad nuditatem, & paupertatem, ad labores, & incommoda huius vitæ, ad contumelias, & persecutiones, ad alapas, & sputa, ad flagella, & spinarum punctiones, ad omne genus probrorũ, & dolorum, ad Crucem, & mortem, vt totius nostri generis peccata in se susciperet, eaque in suo, quasi illorum author ac reus, lueret corpore. *Vt omnis, qui credit &c.* Totum hoc fecit, vt nos ab exitio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet, & ęterna vita donaret; nec de nobis requiret aliud, quã vt credamus in Filium, eique obediamus. Hactenus P. Lessius.

Quare vt merito inquit Clem. Alex. in exhortat. ad Gent. *Verbum vitam præbuit vt opifex; bene viuere docuit, vt Magister; vt semper viuere suppeditaret, vt Deus.* Hinc pulchrè Aug. tract. 24. in Ioan. Si „ dixisset tibi Deus tuus, *Ego sum veritas,* „ *& vita*, tu desiderans veritatem concu„ piscens vitam, viam, qua ad hæc perve„ nire posses, profecto quæreres, & dice„ res tibi: Magna res veritas, magna vita; „ si esset, quomodo illuc perveniret, anima „ mea. Quæris quæ? Audi dicentẽ primo; „ *Ego sum via.* Primo dixit, quã venias; „ postea dixit, quò venias. *Ego sum via,* „ *ego sum veritas.* Ipse manens apud Patrẽ, „ veritas, & vita est: induens se carne fa„ ctus est via. Non tibi dicitur; labora „ quærendo viam, vt pervenias ad verita„ tem, & vitam: non, inquam, hoc tibi „ dicitur. Ergo piger surge, via ipta

ad

„ ad te venit, & te de ſomno dormientẽ „ excitavit, (ſi tamen excitavit) ſurge, & „ ambula.

§. IV.

Exponitur ex Patribus cur Deus voluerit fieri homo paſsibilis, & mortem Crucis ſubire.

ECCLESIÆ Sol Auguſt. to. 1. lib. de vera Religione c. 16. ſic rem hanc explicat, & convenientias detegit, quibus Deus permotus eſt ad aſſumendã carnem paſsibilem. *Cum omnibus*, inquit, „ modis medeatur animis Deus pro tẽ„ porum opportunitatibus, quæ mira eius „ ſapientia ordinantur, nullo modo bene„ ficentius conſuluit generi humano, quã „ cum ipſa ſapientia Dei, id eſt vnicus Fi„ lius conſubſtantialis Patri, & coæternus „ totũ hominẽ ſuſcipere dignatus eſt, & „ Verbum caro factũ eſt, & habitavit in „ nobis. Ita enim demõſtravit carnalibus, „ & non valentibus intueri mente veritatem, corporeiſque ſenſibus deditis, quã „ excelſum locum inter creaturas habeat „ humana natura, quod non ſolum viſibi„ liter, nam id poterat & in aliquo ethe„ reo corpore ad noſtrorũ aſpectuum to„ lerantiam temperato, ſed etiã hominib⁹ „ in vero homine apparuit: ipſa enim na„ tura ſuſcipienda erat, quę liberanda. Et „ ne quis fortè ſexus à ſuo creatore ſe cõ„ temptum putaret, virum ſuſcepit, na„ tus ex fœmina. Nihil egit vi, ſed om„ nia ſuadendo, & monendo, vetere quip„ pè ſervitute tranſacta, tempus liberta„ tis illuxerat, & opportunè iam homini „ ſuadebatur, quam libero eſſet creatus „ arbitrio. Miraculis conciliavit fidem „ Deo, qui erat, paſsione homini quẽ ge„ rebat. Satellites voluptatũ divitias per„ nitioſe populi appetebant: pauper eſſe „ voluit. Honoribus, & Imperijs inhia„ bant: Rex fieri noluit. Carnales filios „ magnum bonum putabant: tale coniu„ giũ proleque contempſit. Contumelias „ ſuperbiſsimè horrebant: omne genus „ contumeliarum ſubſtinuit. Iniurias in„ tollerabiles eſſe arbitrabantur: quę ma„ ior iniuria, quam iuſtum, innocentem„ que damnari? Dolores corporis exe„ crabantur: flagellatus, atque cruciatus „ eſt. Mori timebant: morte mulctatus „ eſt. Ignominioſiſsimum mortis genus „ Crucem putabant: crucifixus eſt. Om„ nia, quę habere cupientes non rectè „ vivebamus, carendo vilia fecit. omnia „ quæ vitare cupientes à ſtudio deviaba„ mus veritatis, perpetiendo deiecit. Non „ enim vllum peccatum committi poteſt, „ niſi dũ appetuntur ea, quæ ille contẽp„ ſit, aut fugiũtur quę ille ſubſtinuit. To„ ta itaque vita eius in terris per hominẽ „ quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina „ morum fuit. Reſurrectio verò eius à „ mortuis, nihil hominibus perire natu„ ræ, cum omnia ſalva ſunt Deo, ſatis in„ dicavit, & quemadmodum cuncta ſer„ viant creatori ſuo, ſive ad vindictã pec„ catorum, ſive ad hominis liberationem, „ quamque facile corpus animæ ſerviat, „ cum ipſa ſubijcitur *Deo*. Hactenus Au„ guſtinus.

Guillem. etiam Pariſ. lib. de fide c. 3. pulcherrimã reddit rationẽ, cur expediẽs fuerit Deũ pro hominibus pati in homine aſſumpto: *Nulla enim via* (inquit) ma„ gis ſuaderi communitati generis huma„ ni potuit, Deũ ſuæ gloriæ velle nos ha„ bere conſortes, quã per hoc, quod mi„ ſerię noſtræ conſortiũ inivit. Qua enim „ via evidentius oſtendi potuit hominibus, quod ſecum vellet Deus beatè, & „ glorioſe vivere, quam per hoc, quod cũ „ eis voluerit miſerè, & ignominioſe, vi„ vere, & quod plus eſt etiam mori? Quid „ ingentius imprimere potuit cordi hu„ mano, quod communicanda ei eſſet di„ vinæ gloriæ beatitudo, quam ipſius hu„ manæ miſerię in Filio Dei facta com„ municatio? Deinde quid adeò ſpem ve„ niæ erigere potuit, quid adeò de miſe„ ricordia Dei firmare fiduciam, quo ſig„ no, vel argumento veriſimilius proba„ ri potuit cordi humano, Deum velle „ parcere, & miſereri hominibus, quam „ per hoc, quod Pater miſericordiarum „ proprio Filio, vt eis parceret, non pe„ percit, & ipſe filius, vt immunes, & il„ læſi abirent latrociniorum ſuorum, dig„ natus eſt perpeti ſuſpendiũ. Manifeſtũ „ igitur eſt ex his quantum Deus volue„ rit homines eſſe ſuos ſocios in gloria „ ſua, quibus & ipſe voluit eſſe ſocius in „ eorum tanta miſeria.

Poſtmodum aliam adiungit rationem, qua probat ſolam fidem Chriſtianã Catholicam eſſe veram, quia ſola fides Catholica ea continet, & prædicat, quæ hominem accendere poſſunt ad Deum amandũ ardentiſsimè, & prout ipſe amari vult ab hominibus. Vera namque fides & Religio debet homines ducere ad Dei perfectũ amorẽ: & hęc motiva ardẽtiſsime Deum diligendi maxime continet, & predicat fides Cathol. *Sicut enim* (inquit)

„ ignis ignem maximè generat, & appli-
„ catione sua, seu contactu, quæ ignibi-
„ lia, & succensibilia sunt maximè inflã-
„ mat, & ignit, sic ignis divinæ dele-
„ ctionis tanto beneficio nobis exhibitæ,
„ per credulitatem cordibus hominum
„ applicatus, ignem sanctæ dilectionis in
„ Deum maximè in illis generat, eaque
„ amore beneficio maxime incendit, &
„ inflammat. Et omnia alia beneficia ve-
„ luti scintillæ, & prunullæ permodicę
„ ad calefaciendum, inflammant cor hu-
„ manum: beneficium vero Incarnatio-
„ nis atque Redemptionis, non solum est
„ sicut mons igneus cordibus nostris in-
„ flammandis per credulitatem appositus,
„ immò incomparabiliter maior ignis,
„ quam esset totus mundus, si totus ar-
„ deret. Quanto enim maior est Filius
„ Dei toto mundo; tanto corda humana
„ magis calefacere debet, & inflammare
„ per hanc credulitatem ei applicitus,
„ quam totus mundus corpora nostra, si
„ totus arderet. Est enim Filius Dei be-
„ neficium nobis collatum, in quantum
„ nobis, & pro nobis datus: quod autem
„ sunt torres, & faces, ad calefacienda
„ corpora calore sensibili, hoc sunt bene-
„ ficia ad calefacienda corda calore spiri-
„ tuali, hic autem calor amor est. Ma-
„ nifestum igitur est, quia si totus mun-
„ dus arderet, modicus ignis esset ad cale-
„ faciendum corpus quodcunque, immò
„ nullus in comparatione huius beneficij
„ ad calefacienda corda humana. Mani-
„ festum igitur est, quia maior ignis ca-
„ lefaciendis, aut inflammandis cordibus
„ nostris adhiberi non potuit, quam be-
„ neficium Dominicæ Incarnationis, &
„ passionis: hunc autem sola ista fides,
„ seu credulitas ipsis adhibet. Hæc ille.

Denique vt alia omittam, egregiè S. Thomas 4 contrag. cap. 55. explicuit, cur conveniens fuerit Deum carnem passibilem assumere. *Non oportuit* (inquit) *Deum carnem impassibilem, & immortalem suscipere*: Sed magis passibilem, & mortalem. Primo quidem, quia necessarium erat hominibus, quod beneficium incarnationis cognoscerent, vt ex hoc ad Divinum amorem inflammarentur. Oportuit autem ad veritatẽ incarnationis manifestandam, quod carnem similem alijs hominibus sumeret, scilicet passibilem, & mortalem. Si enim immortalem, & impassibilem carnẽ suscepisset, visum fuisset hominibus, qui talem carnem non noverant, quod aliquod phantasma esset, & non veritas carnis. Secundò, quia necessarium fuit, Deum carnem assumere, vt pro peccato humani generis satisfaceret. Contingit autem vnum pro alio satisfacere, ita tamen quod pœnam pro peccato alteri debitam ipse sibi non debitam voluntarie assumat; pœna autem consequens humani generis peccatum est mors, & aliæ passibilitates vitæ præsentis: vnde & Apostolus dicit ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: & per peccatum mors.* Opportuit igitur, vt carnem passibilem, & mortalem Deus assumeret absque peccato: vt sic patiendo, & moriendo pro nobis satisfaceret, & peccatum auferret. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Romanos 8. quod *Deus misit Filiũ suũ in similitudinẽ carnis peccati*, id est, habentem carnem similem peccatoribus, scilicet passibilẽ, & mortalem. Et subdit, *Vt de peccato damnaret peccatum in carne*, id est, vt per pœnam quã in carne pro peccato nostro sustinuit, peccatum à nobis auferret. Tertio, quia per hoc, quod carnem passibilem, & mortalem habuit, efficacius dedit nobis exempla virtutis, passiones carnis fortiter superando, & eis virtuosè vtendo. Quartò, quia per hoc magis ad spem immortalitatis erigimur, quod ipse de statu carnis passibilis, & mortalis mutatus est in impassibilitatem, & immortalitatem carnis: quod etiam de nobis sperare possumus, qui carnem gerimus passibilem, & mortalem: si vero à principio carnem impassibilem, & immortalem assumpsisset, nullam daret occasio immortalitatem sperãdi his, qui in seipsis mortalitatem, & corruptibilitatem experiuntur. Hoc etiam mediatoris officium tequitebat, vt communẽ haberet nobiscum passibilem carnem, & mortalem, cum Deo verò virtutem, & gloriam, vt auferens à nobis quod nobiscum commune habebat, scilicet passionem, & mortem, ad id nos duceret, quod sibi, & Deo erat cõmune, fuit enim mediator ad iungendum nos Deo. Similiter etiã non fuit expediens, quod Deus incarnatus vitam in hoc mundo ageret opulentam, & honoribus, seu dignitatibus sublimem. Primo quidem, quia ad hoc venerat, vt mentes hominum terrenis deditas, à terrenis abstraheret, & ad divina elevaret: vnde opportuit, vt suo exemplo homines in contemptum divitiarum, & aliorum, quæ mundani desiderant, traheret: & quod inopem, & privatam vitam agerent in hoc mundo. Se-

cun-

cundo, quia ſi divitijs abundaſſet, & in aliqua maxima dignitate cõſtitutus fuiſſet: id quod divinè geſsit, magis potentiæ ſæculari, quam virtuti divinitatis fuiſſet attributum: vnde efficaciſsimum argumentum ſuæ divinitatis fuit, quod abſque adminiculo potentiæ ſæcularis totum mundum in melius commutavit.

SECTIO XIII.

Demonſtratur contra Mahumetanos, neque vetus, neque novum teſtamentum eſſe adulteratum; & inde euincitur, Alcoranum, vtrique teſtamento contradicens, eſſe librum mendacem, & Diaboli ſuggeſtione compoſitum.

CVM Mahumetani ex vna parte videant, Alcoranum apertè dicere libros veteris teſtamenti, & Evangelia Ieſu-Chriſti deſcendiſſe de cœlo: nam in prima Azora, ſeu primo capite introducit Deum ſic loquentem cum Mahumeto: „ Tu fidem creatoris illis prædicans, „ penitus perſuade, vt libris tibi divinitus „ miſsis, Abrahæ quoque ac Moyſi, ac „ Chriſti, cæterorumque Prophetarum li„ bris fidem firmam adhibeant. Et capite duodecimo introducit iterum Deum ſic loquentem cum Iudæis: (ſecundum quod Turcæ vtuntur Alcorano ſine diſtinctio„ ne librorum) Chriſtum Mariæ Filium, „ cui commiſsimus Evangelium, quod eſt „ lumen, & confirmatio teſtamenti, ac re„ cta via timentibus Deum, ad veſtræ le„ gis ſupplementum miſsimus, Iudæi, om„ nis ergo Evangelij ſervus, ipſius præcep„ ta indicando ſequatur, alioqui malus „ erit.

Et demum Alcoranum introducit Deum præcipientem Mahumeto, vt quãdo incidat dubium circa intelligentiam eorum, quæ ipſi divinitus revelata ſunt, recurrat ad Iudæos, & Chriſtianos, qui legem prius receperunt: *Si ambiguus fueris de his, quæ deſcendere fecimus, interroga eos, qui legem legunt ante te. Noli eſſe de his, qui non crediderunt ſignis Dei, ne forte damneris.* Cum hoc, inquam, Mahumetani ex vna parte videat; & ex alia videant, Evangelia, & vetus teſtamentum continere doctrinam manifeſtè contrariam Alcorani doctrinæ, ſic diſcurrunt. Alcoranum, & vtrumque teſtamentum inter ſe diſſentiunt: Alcoranum neceſſe eſt eſſe verum, integrum, ſincerum: vtrumque ergo teſtamentum neceſſe eſt eſſe depravatum, & inverſum. Idque deducunt ex Alcorano Azora 12. vbi Mahumetus dicit: *Se ſolum habere Euangelium purum, & incorruptum, quod Chriſtus à Deo accepit*; ac proinde Chriſtianos habere illud depravatum, & adulteratum. Et idem docet de libris Moyſis, & Prophetarum.

Sed Mahumetanos falli, dum ſibi perſuadent Alcoranum de cœlo deſcendiſſe, eiuſque doctrinam eſſe divinitus revelatam, evidenti argumento evincemus in hunc modum. Alcoranum, & vtrumque teſtamentum inter ſe diſſentiunt, & doctrinas continent contradictoriè oppoſitas. At certum eſt vtrumque teſtamẽtum de cœlo deſcendiſſe, ideſt Deum habere authorem, & doctrinam veram continere: certum deinde eſt nec vetus teſtamentum, neque novum eſſe corruptum, ſeu adulteratum, ſed eſſe integrum, & incorruptum, prout à Moyſe, & Prophetis, atque ab Apoſtolis, & Evangeliſtis ſcriptum eſt. Ergo certum eſt Alcoranum de cœlo non deſcendiſſe, neque Deum habere Authorem; ſed eius doctrinam quatenus opponitur veteri, vel novo teſtamento, eſſe apertè falſam, & diabolum habere Authorem.

Minor ſeorſim probanda eſt, quoad vtrumque teſtamentum; & nunc in generali ſuadetur: quia vt tanquam corrupta, & adulterata reijciatur aliqua ſcriptura, non ſufficit quod aliquis affirmet eſſe corruptam, ſed neceſſe eſt quod id probet, producendo in medium aliquod illius exemplar authenticum ab illo diſcordans, quod ipſe vitiatum eſſe ait. At Mahumetani nihil tale producunt, ſed potius contra ipſos aperte demonſtratur, omnia exẽplaria novi, & veteris teſtamenti, Hebraica, Caldaica, Syriaca, Arabica, Græca, & Latina, quæ per vniverſum mundum diſperſa ſunt, habere expreſsè eam doctrinã, in qua eis contradicit Alcoranum; quin vnum vnquam repertum ſit exemplar Alcorano concordans, & à doctrina Religionis Chriſtianæ diſcordans. Ergo Mahumetani temerè, & cęcè credunt vtrumque teſtamentum eſſe corruptum, quia vtrumque contradicit Alcorano; ſed potius deducere debent, Alcoranum nõ eſſe librum divinitus inſpiratum, ſed mendacijs plenum, quandoquidem continet doctrinam contrariam libris veteris, & novi teſtamenti, qui reperiuntur inter omnes ferè orbis nationes.

(?)

§. II.

§. II.

Demonstratur vetus testamentum non esse depravatum à Iudæis, vt Mahumetani fabulantur.

VT Id demonstrem quæro, quando Iudęi adulterarunt, & immutarunt scripturas veteris testamenti? An ante adventum Christi, an post? Non ante, quia cum ipsi accepissent librum legis à Deo per manus Moysis, tot præcedentibus signis, & prodigijs, scirentque certissimè libros Moysis, & Prophetarum scriptos fuisse inspirante, & dictante Deo, ingensque esse crimen eos adulterare; certe id præstare non potuerunt sine vehementi passione, ante adventum autem Christi nulla passio vehemens ad id præstandum eos compellere potuit; siquidem nec odiũ Christi, & Christianorum, neque odium Mahumeti ad id compellere potuit antequam Christus nasceretur, & Mahumetus in mundum veniret.

Præterquamquod cum essent in Sinagoga viri probi, & zelum Dei habentes, qui fortitèr obsisterent depravatoribus, fieri non potuit vt viri aliqui nequam & scelerati corrumperent omnia exemplaria, quæ per orbem erant dupersa, & in varias linguas translata à diversis interpretibus, & in celebrioribus orbis bibliotheçis asseruabantur.

Deinde si Hebræi ante Christi adventum scripturas corruperunt, quarè Christus, & Apostoli nunquam illos de tàm insigni crimine reprehenderunt, præsertim cum leviora non tacuerint? Quare Dominus ait Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas.* Et Math. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque ergo dixerint vobis, seruate, & facite.* Cui credibile erit, Christum ad corruptas Scripturas legendas sine vlla præmonitione homines invitasse: vel ad corruptores audiendos, & sequendos amandasse. Nec enim si testamentum vetus esset corruptum, id Christus ignoraret, cum esset plenus sapientia: nam Mahumetus ipse in Aleorano cap. 13. inquit: *Quod Deus Christum librum & sapientiam, & Euangelium, & testamentum educuit.*

Nec item dici potest Iudæos post Christi adventum adulterasse, & depravasse Scripturas. Nam omnia testimonia, quæ à Christo, & ab Apostolis citantur, inveniuntur in Moyse, & Prophetis, vt ab illis citata sunt. Ergo sic legebantur tunc in Moyse, & Prophetis. Ergo neque ante, nec post Christi adventum Scripturæ veteris testamenti adulteratæ sunt à Iudæis. Et hoc argumento vsi sunt Origenes lib. 8. in Isaiam, & Hieronymus in caput 6. Isaiæ ad probandum vetus testamentum non fuisse corruptum ab Hebræis.

Item Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 13. inde probat Iudæos non adulterasse Scripturas, quod non videatur vllo modo credibile, Iudæos voluisse suis codicibus eripere veritatem, vt nostris detraherent authoritatem: & etiam si voluissent, non sit verisimile potuisse.

Vt autem vis argumenti magis innotescat, sciendum est, vetus testamentum sæpe, & per diversos Interpretes translatum esse ex lingua Hebraica in Græcam. Prima translatio facta est iussu Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti à septuaginta senioribus 291. annis ante Christi adventum, vt testatur S. Epiphanius, & sequitur Bellarminus Rex enim ille, qui ex toto orbe terrarum libros adducebat in suam Bibliothecam, voluit in ea habere libros Moysis, & Prophetarum: & ideo per legatos suos rogavit Eleazarum summum Sacerdotem, vt ad se mitteret viros sapientes, qui libros legis, & Prophetarum transferrent in linguam Græcam: misit autem summus Sacerdos septuaginta duos seniores, senos ex singulis tribubus filiorũ Israel, vtriusque linguæ peritissimos, qui spatio dierum septuaginta duorum mirabili consensione divinas Scripturas apud Pharum Ægypti ex Hebræo sermone in Græcum idioma transtulerunt. Idque divino consilio factum est, vt cùm Apostoli postea prædicarent Evangelium Græcis, ex testimonio Prophetarum, quorum libros Græci habebant, omnibus persuaderent, Iesum Nazarenum à Iudæis crucifixum esse Christum promissum in lege & Prophetis. Et vt notat Eusebius lib. 8. de præparatione Evangelica, ideo Deus disposuit vt ea translatio fieret ante Christi adventum, quia si facta fuisset posteà, perfidi Iudæi in suspicionem translatores vocarent.

Anno autem 104. post Christi Nativitatem, nempe quarto anno Imperij Trajani facta est secunda translatio ab Aquila Pontico, vt quidam volunt: vt autem sentit Bellarminus cum Epiphanio, facta est hæc translatio anno duodecimo Adriani Imperatoris, idest anno Christi 131. Tertia translatio facta est à Theodotione octavo anno Imperatoris Cõmodi,

di, ideſt anno Chriſti 189. Poſtea anno 9. Imperatoris Severi, & Chriſti 203. facta eſt alia translatio à Simacho. Poſtea ſub Imperium Heliogabali ad annos Chriſti 222. vel 223. Patriarcha Hieroſolimitanus invenit in ſubterraneis vrbis Hiericho totum vetus, & novum teſtamentum è lingua Græca in Latinam fideliter tranſlatum; & hæc vocatur quinta editio, ſeu translatio Hiericontina. Ita refert Fr. Antonius de Guevara. Sed Cardinalis Bellarminus ait, quintam editionem Græcam inventam eſſe in dolijs quibuſdam apud vrbem Hiericho anno 8. Antonini Caracallæ; & ſecundum Baronium hæc tranſlatio inventa eſt ſeptimo anno Antonini Caracallæ, & anno Chriſti 219. Sexta quoque editio incerti Authoris in dolijs incluſa inventa eſt apud Nicepholim Alexandro Mammeæ filio imperante, imperare autem cœpit Alexander anno Chriſti 224.

Has omnes verſiones in vnum corpus cõiunxit Origenes anno Chriſti 233. dividens ſingulas paginas in ſex columnas, ac in prima quidem ſcripſit Hebraicum textum: in ſecunda eundem textum Hebraicum Græcis litteris: in tertia interpretationem Aquilæ: in quarta interpretationem Simachi: in quinta interpretationem LXX. ſeniorum: in ſexta interpretationem Theodotionis: atque hæc volumina propter quatuor interpretationes tetrapla, propter ſex columnas hexapla dicebantur.

Quadraginta annis ante Chriſtum natum translata eſt Scriptura Sacra ex lingua Hebræa in Caldaicam à Iudæo quodam in Babilonia, qui appellabatur Ionathan Abenunciel; & translatio hæc fuit fideliſsima. Et ea frequenter vtuntur Eccleſiæ Orientales, videlicet Armeni, Caldæi, & Ægyptij. Translata quoque eſt in linguam Syriacam.

Quarè libri Moyſis, & Prophetarum translati erant in varias linguas, & orbis erat plenus his libris. Omnes autem iſtæ translationes continent prophetiam Danielis, quæ prædixit Chriſtum occidendum: & continent alia multa contraria his, quæ in Alcorano habentur. Et translationes iſtæ hucuſque perſeverant. Nec fieri potuit vt omnia exemplaria ab aliquo, vel aliquibus corrumperentur. Ergo eſt falſiſsimum, Iudæos ante Chriſtum, vel poſt Chriſtum adulteraſſe Scripturas.

Sanè Religio Iudæorum erga ſacros libros tanta fuit, vt ſcribat Philo in libro de egreſſu filiorum Iſrael ab Ægypto, vſque ad ſua tempora per ſpatium pluſquam duorum millium annorum, ne verbũ quidem fuiſſe vnquam in lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Iudæum centies potius moriturum, quàm vt pateretur legem in aliquo mutari.

Idque ipſum alijs argumentis convincitur: quia ſi Iudæi falſare voluiſſent Scripturas in odium Chriſtianorum, ſine dubio præcipua vaticinia ſuſtuliſſent: id autem minimè fecerunt, quia vt probat Bellarminus, ea in quibus diſcrepant exẽplaria Hebræa à Græcis, & Latinis, ſæpè nullius momenti ſunt, quantum attinet ad fidem, & Religionem: *Et ſæpè codices Hebræi magis Iudæos vexant, quàm Græci, aut Latini.* Ipſaque diſperſio Iudæorum per vniverſum orbem cum libris ſacris, probat in illis libris cõtineri ea, quæ de Chriſto prædixerant Prophetę circa eius mortem, & reſurrectionem aliaque myſteria, in quibus Religio Chriſtiana opponitur Mahumetanæ. Vt enim obſervant S. Iuſtinus in oratione exhortatoria, & S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 46. & manifeſtè deducitur ex illis verbis Pſalmi 46. *Ne occidas eos, ne quando obliniſcantur populi mei, diſperge illos in virtute tua.* Ideo diſperſi ſunt Iudæi Sacras Scripturas circumferentes: vt cum Pagani nolunt credere ea, quæ dicimus de Chriſto eſſe prædicta, ſed dicũt eiuſmodi vaticinia à Chriſtianis fuiſſe conficta, eos mittamus ad inimicos noſtros Iudæos, qui vaticinia illa ſecum ferunt. Ergo myſteria Religionis Chriſtianæ, in quibus opponitur Mahumetanis, & ex quibus probatur Chriſtum à Iudæis occiſſum, tertia die ſurrexiſſe, & eſſe verum Deum, continentur in Scripturis veteris teſtamenti prout à Deo dictatæ fuerunt.

Denique probatur eſſe manifeſtum mendacium, quod Scripturæ veteris teſtamenti ſint à Iudæis falſatæ: quia cum certum ſit Deum habere providentiam ſuæ Eccleſiæ, veriſimile non eſt paſſurum fuiſſe, vt verba tot illuſtrium Prophetarum generaliter falſarentur: præſertim cum adhunc finem Iudæos diſperſerit per totum orbem terrarum, ac circumferre eos voluerit libros legis, & Prophetarum, vt inimici noſtri Chriſtianæ Religioni teſtimonium perhiberent.

§.

§. III.

Demonstratur novum testamentum non esse corruptum: & inde convincitur, doctrinam Alcorani ipsi contrariam esse falsam. Ubi recensentur hæreses præcipuæ contra Trinitatem, & Incarnationem; & Concilia generalia, in quibus damnatæ sunt.

LIBER Alcorani Azora, seu capite 5. hæc habet: *Hic liber*, videlicet Alcoran, *nec mendacium aliquod, nec aliquid præteritis Propheris contrarium nũtiat.* Verum hæc verba dolosè dicta esse à Mahometo ad seducendam barbaram illam gentem, & falsissimam Alcorani laudem continere, facile convincitur tum ex dictis, tum ex dicendis: quia liber ille continet doctrinam evidenter contrariam doctrinæ Evangelij, quod à Deo descendisse, & scriptum esse impulsu, & directione Spiritus Sancti, ipse Mahumetus fatetur.

Quod autem Evangelium Christi, quod modò habemus Christiani, sit illud ipsum quod ex impulsu divino conscriptum fuit ab Apostolis; neque fuerit adulteratum à Christianis, nunc demonstrandum est. Et imprimis onus incumbebat Mahumetanis producendi in medium aliquod exemplar Evangeliorum conscriptũ ante adventum Mahumeti, quod concordaret cũ Alcorano: at id non præstant, nec præstare possunt: sed potius omnia exemplaria Evangeliorum ante Mahumetum conscripta, Hebraicè, Græcè, Latinè, & in alijs linguis, quæ erãt per totum orbem dispersa, manifestè attestantur Religioni Christianæ. Quærantur exemplaria antiqua Evangeliorum inter Christianos, inter Iudæos, inter Gentiles, & nullum invenietur, quod non eam contineat doctrinam, quam Christiani credimus: neque huius depravationis, & corruptionis vniversalis Evangeliorum omnium, quæ narrant Passionem Christi, & mortem Crucis, & tertia die resurrectionem, & miracula, quæ fecit in confirmationem illius doctrinæ, quam prædicabat, quod ipse sit Filius Dei naturalis, verusque Deus, nullus vnquam scriptor mentionem fecit vsque ad Mahumetum, & Mahumetanos; neque post Mahumetum vllus Doctor Christianus, vel Iudæus, vel Gentilis mentionem aliquam facit tam horrendæ hæresis, qualis foret Evangelia omnia subvertere, & doctrinam falsam in mysterijs tãm principalibus illis affigere, & vniverso orbi tanquam articulos fidei proponere: quod signum evidens est, talem hæresim non extitisse; nam de omnibus, & de earum authoribus, & tempore, & loco, quo incœperint, habemus certas historias; & tamen de hac re altum est silentium apud omnes omnino Scriptores, præter Mahumetanos. Cum tamen silentio non esset omnino prætereũda tam nefaria hæresis, & tam horrendũ delictũ. Quis enim credat hoc in mũdo accidisse, quod omnia Evangelia à Christo tradita, & ab Apostolis scripta fuerint depravata, & falsata; & tamen quod nullus extiterit in toto orbe Christianus, qui zelum veræ doctrinæ haberet, & litteris proderet posteris tantum nefas, vt à doctrina falsa caverent?

Vnde hoc dilema conficitur: si extitit revera hæc vniversalis omnium Evangeliorum depravatio, & falsatio: vel Summus Pontifex cum omnibus Patriarchis, & Episcopis, & Christianis in hanc depravationem cõsensit: vel illi restitit Summus Pontifex cum aliquibus Prælatis, vel saltem aliqui Prælati illi obstiterunt. Si primum, ergo perijt Christi Ecclesia, siquidem omnes Prælati successores Apostolorum, apostaverunt à fide vera; & amplexati sunt fidem falsam, & secum traxerũt reliquos Christianos. Ergo Christus fuit Propheta falsus dum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*: Christum vero fuisse Prophetam veracissimum, Mahumetani confitentur. Si secundum: ergo veri Christi fideles congregarent Concilium, vt se opponerent tãtæ impietati, & tam nefariam hæresim damnarent, & omnes fideles per litteras monerent, vt à tãm pestilenti doctrina fugerent. Si enim non obsisterent impietati, & non pugnarent pro defendanda veritate Evangeliorum, sed sinerent, vt illa adulteraretur, & corrumperetur, non essent vera Christi Ecclesia: ac proinde vera Christi Ecclesiæ funditus perijsset. At certum est nunquam in Ecclesia Christi congregatum fuisse Concilium ad damnandos tanquam hæreticos eos qui dicunt Christum mortuum esse, & resurrexisse, & se Filium Dei appellasse, sed potius dãtur multa concilia, quæ illam doctrinam stabiliant; nullumque congregatum est Concilium in Ecclesia Christi, quod non stabilierit doctrinam contentam in symbolo Apostolor. Ergo manifestum est Evangelia non esse falsata, & depravata.

Dein-

Deinde argumentor. Si Christiani falsaverunt Evangelia: vel id fecerunt post adventum Mahumeti quasi in odium illius, & vt Alcorano authoritatem detraherent: vel ante advẽtum illius. Neutrum autem dici potest: ergo est insigne mendacium, quod Christiani falsaverint Evangelia, falsò illis affigẽtes narrationem Passionis, & Resurrectionis Christi, & ea, quæ significant Divinitatem Christi, & Trinitatem personarum divinarum. Quod non falsaverint post adventum Mahumeti, & in odium illius: probatur primo, quia vt in simili arguit S. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 13. incredibile est, quod Christiani sibi abstulerint veritatem, dum invident Alcorano authoritatem, & quod fundamenta suæ Religionis voluerint subvertere, vt aliquantulam authoritatis detraherent Alcorano; hoc enim perinde esset, ac siquis sibi ipsi brachium amputaret, vel lethale vulnus infligeret, vt inimicum suum leviter vellicaret. Sanè neque Mahumetus, nec vllus vnquam hæresiarcha tantum damnum intulisset Ecclesiæ Christi, quantum ipsa inferret sibi mutando, & pervertendo Evangelia, nam hæreses Ecclesiam Christi impugnant, sed non expugnant, quatiunt, sed non subvertunt: at Ecclesia depravans Evangelia, & mendacia proponens vt articulos fidei, seipsam expugnaret, & subverteret.

Prob. 2. quia evidens est Ecclesiam Christi habuisse eadẽ Evangelia ante adventũ Mahumeti, quæ habet modò, ná Evangelia, quę habuit ante advẽtũ Mahumeti narrabãt historiã Passionis, & Mortis Christi, eiusque Resurrectionem, & doctrinam eandem continebant, de Divinitate Christi, & Trinitate, quam modò continent, vt constat ex omnibus Doctoribus Ecclesiæ Christi, tum Latinis, tum Græcis, qui ante Mahumetum floruerunt, quorum scripta continent expositionem eorundem Evangeliorum, quæ modo habemus, & leguntur eorum homiliæ, & sermones in Breviario Romano. Nam præter S. Dionysiũ Areopagitam, S. Ignatium Martyrem, S. Clementem Papam, S. Policarpum, & alios, qui cum Apostolis egerunt: & præter S. Iustinum Philosophum, & Martyrem: & Sanctum Egesipum, & Sanctum Theophilum Episcopum Antiochenum Sextum ab Apostolo Petro: & S. Irinæum Episcopum, & Martyrem, auditorẽ Sancti Policarpi, & S. Melitonẽ Sardensem Episcopum, & Clementem Alexandrinũ Originis Præceptorem, alioſque illustres Scriptores, qui propè tempora Apostolorum vixerunt, & ad secundum Ecclesiæ sæculum pertinent, suisque scriptis Divinitatem Christi, eiusque post mortem resurrectionem, aliaque mysteria nostræ fidei defenderunt: & præter Tertullianum, & Origenem, qui floruerunt sub initium tertij sæculi, & suis scriptis Divinitatem Christi, & Trinitatem personarum divinarum propugnarunt; in medio tertij sæculi floruerunt S. Gregorius Taumethurgus Origenis auditor, & Sanctus Cyprianus Episcopus, & Martyr, alijque illustres sanctitate, & sapientiæ lumina. In quarto sæculo floruerunt magna illa Ecclesiæ lumina Athanasius, Basilius Magnus, Ambrosius, Hilarius Pictavensis, Gregorius Naciancenus, Gregorius Nissenus, & ad finem huius sæculi, & sub initium quinti Hieronymus, Chrisostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, alijque Illustrissimi Doctores, quorum opera nunc extant, & mysteria Christianæ Religionis, quæ modo profitemur, explicarũt. Et sic ab Apostolis vsque ad hæc tempora semper in Ecclesia Christi floruerunt Doctores, qui Divinitatem Christi, Trinitatem divinarum personarum, aliaque mysteria omnia, quæ Mahumetus negat, suis scriptis illustrarunt, vt contenta in Evangelijs Domini nostri Iesu-Christi.

Id ipsum secundo probatur ex symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Christi ab Apostolis accepit, & semper retinuit, in quo cõtinentur omnes fidei articuli, in quibus liber Alcorani opponitur Evãgelijs

Tertio, quia errores illi, quos Mahumetus in Alcorano docet, damnaverat iam Ecclesia in quinque Concilijs Generalibus, & in alijs Provincialibus. Sub Imperatore Gallieno ad annũ Christi 255. Sabellius Hæresiarcha apud Ptolemaydã Ægypti docuit, in Deo vnam tantum esse personam diversis tantùm nominibus significatam ob diversa munia, quæ scilicet dicatur Pater, quatenus est principium creaturarum, Filius quatenus carnem assumpsit, & Spiritus Sanctus, quatenus animas sanctificat. Paulo post Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus Divinitatem Filij oppugnare cœpit, contra quem prima Antiochiæ Synodus est habita sub annum Christi 260. cui inter alios insignes viros interfuerunt S. Gregorius Taumathurgus Episcopus Neocesarienſis, & eius Frater Athenodorus. Sed tunc subdola tergiversatione Patrum studia Paulus eluſit. Postea vero altero in Concilio Antiochiæ

chiæ celebrato damnatus, ac sede deturbatus est.

Postea ad annum Christi 314. tempore Constantini Magni Imperatoris surrexit Alexandriæ impius hæresiarcha Arrius, qui licet contra Sabellium assereret, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse personas inter se realiter distinctas, tamen aiebat non esse eiusdem naturæ; ac proinde dicebat, Verbum, & Spiritum Sanctum, non esse Personas divinas: ac per consequens vnam dumtaxat Personam intra Deum admittebat. Hæc hæresis damnata est sub Sancto Silvestro Pontifice, & Constantino Magno Imperatore in prima Synodi Generali 318. Episcoporum habita in Nicæa Bythiniæ vrbe anno Christi 325. & in ea damnata est hæresis Sabelliana, & Arriana; & declarata est veritas Catholica, quam vera Ecclesia Christi nunc tuetur, & semper tenuit; nempe in Deo dari tres Personas realiter distinctas inter se, eiusdem tamen naturæ; ac proinde definitum est, Christum esse verum Deum; & in hoc Concilio editum est symbolum illud, quod Ecclesia canit in Missa. Interfuere huic Concilio Episcopi sanctitate, & miraculis illustres, inter quos eminuere S. Nicolaus Episcopus Miræ in Lycia, & S. Spiridion Episcopus Trimituntis in Cypro, S. Alexander Episcopus Alexandrinus, & S. Panuphius Thebaydis superioris Episcopus: & S. Spiridionē, & S. Panuphium, aliosque insignes viros sacra æstigmata decorabant, quæ pro testificatione Fidei Divinitatis Christi, & Trinitatis personarum magna constantia acceperant in persecutione Imperatorum.

Deinde contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, congregata est secunda Synodus Generalis Episcoporum 150. sub S. Damaso Papa, & Gratiano, atque Theodosio Imperatoribus anno Christi 381. Constantinopoli; & secunda Synodus appellatur Concilium Constantinopolitanum primum. In hoc Concilio iterum damnatæ sunt hæres Sabellianorum, & Arrianorum, & publicatum fuit illud symbolum quod canitur in Ecclesia, in quo addita sunt aliqua verba symbolo Nicæno. Inter Alios Prælatos sanctissimos interfuere huic Concilio Naciancenus, & S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilij.

Quamvis in ijs Concilijs definitum fuerit Verbum Dei esse Personam Divinam æqualem Patri, & eiusdem naturæ cum illo; ex quo necessario sequabatur, Christum Dominum esse verum Deū, siquidem Christus, nihil aliud est, quam Verbum Dei indutum carne, seu Filius naturalis Dei factus homo, tamen postea Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, nescions distinguere inter naturam, & personam, asseruit sicut in Christo est duplex natura, divina scilicet, & humana, ita esse in Christo esse duplicem personam, alteram humanam, & purè creatam; alteram divinam, & increatam; asserebatque Personam Divinam Verbi habitasse in persona creata Iesus Nazareni, seu Christi speciali quodam modo, quem explicui disp. 22. sect. 3. proindeque asserebat, Beatam Virginem, non esse dicendam Theotocon, sed Christotocon, ideſt non Matrem Dei, sed Matrem Christi, seu puri hominis, in quo speciali modo habitabat Deus. Contra hanc hæresim congregata est tertia Synodus Generalis, ideſt Concilium Ephesinum sub Celestino primo Papa, & sub Theodosio minore Imperatore anno 431. eique præfuit S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, nomine Summi Pontificis; ad illudque confluxere vltra ducenti Episcopi; & inter eos multi sanctitate, & miraculis illustres, quos Baronius enumerat. In hoc Concilio Nestorius sede sua pulsus est, & definitum est, in Christo dari vnicam personam, divinam scilicet, cum duplici natura, altera divina, quā ab æterno habuit per identitatem, & à Patre accepit per generationem æternam; altera humana, quam in tempore sibi copulavit per vnionem physicam, & realem; & quam accepit in tempore à Matre per generationem temporalem miraculosè factam sine opera viri: ac proinde definitum est, Christum esse verum Deum, & verum hominem, & Beatam Virginem esse Dei genitricem; quia nimirum genuit humanam naturam, quam Deus sibi coniunxit vnione hypostatica, seu personali: *Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*, vt dicitur in symbolo Athanasij. Et sancta hæc Synodus Nestorium negantē Christi Divinitatem appellavit *novum Iudam*, & decrevit, vt scripta Nestorij flammis absumerentur: renovavitque symbolum Nicænum, & sub anathemate præcepit, ne quis aliquid præter id quod per illud definitum est, ad fidem adijcere vllo modo tentaret.

Et hæc eadem fides Catholica confirmata rursus est in quarta Synodo Gene-

nerali, ideſt in Concilio Calcedonenſi celebrato ſub Leone I. Pontifice, & Marciani Imperatore anno 451. contra Eutichianos, & Neſtorianos, in quo definitum eſt, eſſe in Chriſto duas naturas in vna perſona. In hoc Concilio ſimul cum Eutyche te Conſtantinopolitano Archimandrita, damnus eſt Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus, & Cyrilli immediatus ſucceſſor, qui hæreſim Eutychetis tollentis in Chriſto naturarum omne diſcrimen probabat, & relegatus eſt in Gangram Paphlagoniæ vrbem, ibidemque infœliciter obijt. Et hæc quatuor Concilia Generalia S. Gregorius Papa, vt quatuor Evangelia venerabatur. Eademque fides denuo confirmata eſt in quinta Synodo Generali, ideſt in ſecundo Concilio Conſtantinopolitano celebrato anno Chriſti 553. ſub Vigilio Papa, & Iuſtiniano primo Imperatore, iterumq; Neſtoriani, & Eutychiani damnati ſunt, & definitum eſt contra Monotheli tas in Chriſto dari duplicem voluntatem divinam, & humanam, quia cũ eſſet Deus, & homo, habebat operationes divinas, & humanas, & omnia in ipſo erant duplicia; duplex natura, duplex intellectus, duplex voluntas, duplex operatio intelligendi, & amandi.

Conſtat ergo evidentiſsimè non fuiſſe corrupta Evangelia à Chriſtianis poſt Mahumeti adventum, ideo enim id dicũt, quia Evangelia Eccleſiæ Catholicæ, quæ leguntur poſt Mahumetum, continẽt Divinitatem Chriſti, & Trinitatem Perſonarum, & narrant Chriſti Mortem, & Reſurrectionem. At hanc doctrinam vt contentam in Sacris Scripturis Eccleſia multis ſæculis ante Mahumetum definivit contra Sabellianos, contra Arrianos, & Neſtorianos. Et Mahumetus nihil aliud fecit, quàm renovare has hæreſes. Ergo manifeſtum eſt doctrinam illam de Divinitate Chriſti, eiuſque Morte, & Reſurrectione, & de Trinitate Perſonarum non fuiſſe additam Evangelio à Chriſtianis poſt Mahumeti adventum.

Et ſanè cum Patres Concilij Nicæni ad damnandos Arrianos argumenta ſumerent ex Evangelijs; ſanè ſi aliquod fundamentum daretur ad ſuſpicandum illa eſſe corrupta qua parte ſignificãt Trinitatem Perſonarum, & Divinitatem Chriſti, illud non diſſimulaſſent Arriani: conſtat autem manifeſtè, nunquam Arrianos in favorem ſui erroris hunc prætextum allegaſſe; ſed admiſiſſe Evangelia illa, quæ modò habemus, & controverſiam inter illos, & Catholicos non fuiſſe de verbis, ſed de verborum ſenſu; quia hæretici verba Evangelij ad improprios ſenſus detorquebant, evidenſque eſt ex ſcriptis Auguſtini, Hieronymi, Baſilij, & aliorum Patrum, Arrianos confutatos fuiſſe à Patribus ex illis verbis, quæ nunc legimus in primo capite Evangelij Ioannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt*, &c. Quæ verba hęretici admittebãt, & ex ipſis contra ipſos inſurgebant Doctores Catholici, eoſque convincebant. Ergo planum eſt tunc extitiſſe Evangelia, quę modò exiſtunt. Ergo falſum eſt Chriſtianos poſt adventum Mahumeti corrupiſſe Evangelia.

Dicent forſam Mahumetani, ſe quidem idem nunc docere, quod docuerunt Arriani de Trinitate Perſonarum, & quod docuerunt Neſtoriani de Chriſto; inde tamen non inferri, quod ipſi à veritate aberrent: quia non probatur Arrianos, & Neſtorianos iuſtè fuiſſe damnatos, vt hæreticos: ſed potius dicendum eſſe, erraſſe Patres Concilij Nicæni, & Concilij Epheſini. Sed contra eſt primo, quia ſi Mahumetani fateantur ſe eſſe Arrianos, & Neſtorianos, fateri debent Alcoranum eſſe librum mendacem, quia negat id quod cõſtanter affirmabant Arriani, & Neſtoriani, nempe Chriſtum vere mortuum fuiſſe, & tertia die ſurrexiſſe; circumciſionem iam ceſſaſſe, & Baptiſmum eſſe neceſſariũ ad ſalutem: item novum teſtamentum eſſe purum, & incorruptum. Si ergo Arriani veram fidem habebant, ſequitur Mahumetanos habere fidem falſam, ſiquidem ſectantur articulos omninò oppoſitos. Quod ſi Mahumetani dicant, Arrianos veram quidem fidem habuiſſe, quatenus negabant Trinitatem, & Divinitatẽ Chriſti; falſam tamen quatenus credebãt Mortem, & Reſurrectionem Chriſti, atque neceſsitatem Baptiſmi; ſequitur Arrianos habuiſſe abſolutè fidem falſam, quia vt Fides ſit falſa, non eſt neceſſe vt nullum articulum verum habeat, ſed ſufficit vt habeat aliquos falſos: fides autem falſa nequit eſſe fundamẽtum ſalutis æternæ, fuerunt ergo Arriani extra viam ſalutis. Aliunde vero dicis Catholicos, qui damnarunt Arrianos, etiam habuiſſe fidem falſam: ergo ſentis omnes omnino Chriſtianos tunc habuiſſe fidem falſam, quia Chriſtiani, vel erant Catholici, vel Arriani. Ergo ſentis omnes Chriſtianos fuiſſe tunc extra viam ſalutis: deinde etiam fateris

Iu-

Iudæos post adventum Christi esse extra viam salutis. Ergo nulla tunc erat in mundo Religio, & Fides vera: siquidem Religio Mahumetana nondum tunc advenerat. Ergo omnes damnabantur omnibus illis sæculis: quod est evidenter falsum, vt constat ex prima demonstratione suprà facta pag. 549.

Contra secundo, quia facile est probare, non Catholicos, sed Arrianos errasse: tum quia Christus vere promisit Ecclesiam à se fundatam supra Petrum in perpetuum duraturam. Ecclesia autem Arriani penitus interijt per multa sæcula: ergo Ecclesia Arriana non erat Ecclesia Christi. Tum quia tanta fuit potentia Arrianorum, vt non minus miraculum sit Catholicos prævaluisse contra Arrianos, quàm prævaluisse contra decem terribiles persecutiones Gentilium, quas per tria sæcula passa est Ecclesia Christi. Deus autem miracula nequit facere ad destruendam veram Ecclesiam.

Denique id ipsum clarissimè demonstratur, quia nullus eorum, qui Divinitatem Christi, & Trinitatem Divinarum Personarum negarunt, nec vllus hæreticus damnatus ab Ecclesia Catholica postquã hæresim bibit & docuit, vnquam miracula fecit; vt facile est comprobare per omnes hæresiarchas, qui Ecclesiam Catholicam oppugnarunt ab exordio eius vsque ad nostra tempora; cum tamen omni sæculò floruerint evidenti gloria miraculorum multi viri, & fœminæ ex ijs, qui credunt Christum crucifixum esse verum Deum, & Trinitatem Personarum in Deo adorant: nam surdos, cęcos, mutos, claudos à nativitate mirabiliter curarunt, mortuos suscitarunt, aliaque innumerabilia prodigia operati sunt; in eisque ad litterã verificata est illa Christi promissio: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia vado ad Patrem.* Specialique gloria miraculorum floruerunt multi sancti, qui infensissimi fuerunt hæreticis Arrianis, vt Athanasius, Basilius, Hilarius, Nicolaus, Antonius Magnus, Martinus; & alij innumeri: vt patet ex ijs, quæ supra diximus sect. nona pag. 599. Martyresque invocato nomine Iesu Filij Dei vivi idola confregerunt, Dæmones expulerunt, ora leonum obturaverunt, aliaque innumera signa ediderunt, vt constat ex eorum Actis.

Probavimus hucusque Christianos non adulterasse Evangelia post adventum Mahumeti: nunc probandum restat, nec antea hoc nefas commisisse. Et sanè ante Mahumetum, id facere non potuerunt in odium ipsius, & vt Alcorano auferrent authoritatẽ vt per se patet. Quo ergo fine tantum scelus committere potuerunt? Et imprimis incredibile est adulterasse Evangelium quoad eam partẽ, in qua tam latè, & ex instituto narratur Historia Passionis, & Mortis ignominiosissimæ. Si enim Christiani ad extollendum, & magnificãdum Christum addidissent Evangelio ea, quæ testantur eius divinitatem, falsoque scripsissent illum esse verum Deum, nullatenus confinxissent, eum tam ignominiosè ac turpitèr crucifixum esse; quia hoc potissimum augebat difficultatem credendi, quod ipse sit Deus, nam Iudæi scandalizabantur audientes Deum fuisse crucifixũ, & Gentiles hoc putabant stultitiam, vt testatur Paulus, quia indecens iudicabant Filium Dei tam turpiter fuisse trucidatum. Quarè si ad commendationem sui Magistri aliquid confictum essent; potius quamvis reipsa fuisset crucifixus, confingerent, non ipsum, sed alium, cui impressit suam figuram, reipsa crucifixum fuisse; vt configunt Mahumetani; quia indecens ipsis videtur quod Propheta sanctissimus, qualem credunt fuisse Christum, tam indignè tractatus fuerit à Iudæis. Deinde si ea quæ Evangelia dicunt de Divinitate Christi; & de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & de Passione Domini essent conficta à Christianis: certe obiter tantùm perstringerent ea quæ attinẽt ad Passionem, & ignominiam Christi; & ea, quæ attinent ad eius commendationem, & gloriam, lato calamo prosequerentur. Constat autem Evangelia Historiam Passionis quoad omnes eius circunstantias latissimè proponere, miracula verò, Divinitatem Christi, & alia quæ in oculis hominum glorioſa apparent, breviter tantum, & quasi per transe nam narrare: quod argumento est, Evangelia sincere, & vere esse conscripta ex impulsu Spiritus Sancti, non autem mendaci artificio compositа.

Deinde probatur Evangelia non fuisse corrupta ante adventum Mahumeti. Nec enim dici potest fuisse corrupta ab ipsis Apostolis, qui ea scripserunt; nec dici potest fuisse corrupta à Christianis post tempus Apostolorum. Vt primum probem, suppono vt quid certum, & exploratum, Christum non scripsisse manu sua Evangelia; necdum viveret ea dictasse scribenda à Discipulis, sed Apostolos

ea

ea ſcripſiſſe poſt Mortem Chriſti diverſis locis, temporibus, & linguis. Nam vt probat Baronius, Mathæus ſcripſit Hebraicè Hieroſolymis anno Chriſti 41. Iudæis, qui crediderant, expoſcentibus: Marcus ſcripſit latinè Romæ anno Chriſti 45. vt interpres Petri. Lucas ſcripſit Græcè in Achaya anno Chriſti 58. Ioannes ſcripſit Epheſi anno Chriſti 99. lingua Græca. Suppono ſecundo, Evangeliſtas cum primum ſcripſerunt Evangelia, veritatem ſcripſiſſe, & nullas eis immiſcuiſſe falſitates: quia Mahumetus ipſe iubet credere Evangelijs, aitque illa de cœlo deſcendiſſe, ideſt ex impulſu divino conſcripta eſſe. Cum ergo exploratum ſit nulla vnquam fuiſſe in Eccleſia Chriſti Evangelia, niſi quæ conſcripta ſunt ab Apoſtolis, manifeſtè ſequitur Apoſtolos veridicè primò ſcripſiſſe Evangelia. Hoc ſuppoſito probo Apoſtolos non adulteraſſe Evangelia: quia cum diſperſi fuerint per vniverſim orbem, & veram Chriſti fidem invexerint multis editis ſignis, & miraculis in confirmationem doctrinæ illius, quam prædicabant; & volumina Evangeliorum vere, & ſincere conſcripta, per totum orbem fuerint diſperſa: quomodo potuerunt poſtea Evangelia illa adulterare, aut quo fine? Sanè Apoſtoli, ipſo Mahumeto teſte, fuerunt viri ſancti, ac proinde tantum nefas ſubvertendi veram fidem, quam tot miraculis plantaverant, in eos cadere non potuit. Conſtatque eos immenſos labores ſuſtinuiſſe in prædicatione Evangelij, potiuſque ignominioſam, & crudelem necem ſubire voluiſſe, quam eam fidem deſerere, quam prædicabant: quomodo autem tam conſtanter martyrium ſubirent pro doctrina falſa, & dolosè conficta ſine vllo emolumento temporali, & cum certo ſalutis æternæ detrimento?

Rurſus licet ipſi vellent Evangelia à ſe conſcripta mendacijs, & fabulis corrumpere; id minimè obtinere poſſent: tum quia obſiſterent fideles, qui cum Domino noſtro Ieſu-Chriſto converſati fuerant, & non ſinerent corrumpi Evangelia ſincere, & fideliter conſcripta, & veridicè narrantia Chriſti geſta, & doctrinam; manifeſteque convincerent, eſſe commentia, & falſa ea, quæ de novo adijciebantur: vnde mendacium non poſſet prævalere. Deinde quomodo pauci homines poterant omnia exemplaria Evangeliorum per totum orbem diſperſa colligere, & comburere, & loco illorum nova exemplaria mendacia, & fabuloſa reponere, quin vel vnum exemplar ſuperfuerit veridicum? Præterea cum Evangeliſtæ prædicaverint in Provincijs inter ſe adeo diſtantibus, quomodo communi conſilio potuerunt tam vniformiter narrare mendacia, & fabulas? Evidens ergo eſt, Apoſtolos ipſos, & Evangeliſtas non adulteraſſe Evangelia.

Quod etiam alio argumento convincitur. Nam inter Evangeliſtas nullus tam aperte teſtatur Chriſti Divinitatem, ac Ioannnes. Conſtat autem Ioannem cum primum ſcripſit Evangelium, Divinitatem Chriſti declaraſſe: nam vt teſtatur Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Ioannes ſcripſit Evangelium ſuum vt confutaret Cherinthum, Ebionem, alioſque hæreticos negantes Divinitatem Chriſti, quam Apoſtoli per vniverſum orbem prædicaverant. Narratque Hieronymus ex fideli hiſtoria, quam citat, Apoſtolum rogatum ab omnibus penè Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarũ legationibus de Divinitate Salvatoris altius ſcribere, ita facturum reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur; ieiunio vero expleto, revelatione Divina ſaturatum, illud proœmium de cœlo veniens eructaſſe: *In principio erat Verbum, &c.* Ergo Evangelium Ioannis ita ab illo conſcriptum eſt, ſicut modo legitur. Ergo quod Evangelium dicit de Chriſti Divinitate, non eſt confictum, ſed veriſsimè ſcriptum. Ergo Evangelia non ſunt corrupta ab ipſis Evangeliſtis.

Sed nec dici poteſt eſſe corrupta à poſterioribus Chriſtianis, qui Apoſtolis ſucceſſerunt. Primo, quia oppoſitum evincit argumentum proximè factum, quia conſtat Ioannem ſcripſiſſe ſuum Evangelium ad declarandam æternam generationem Chriſti, eiuſque Divinitatẽ. Secundo, quia D. Dionyſius Areopagita, qui cum Apoſtolis converſatus eſt, & ab eorum ore audivit myſteria noſtræ fidei, edidit libros multos, in quibus loquitur de Trinitate Divinã Perſonarum, de Divinitate Chriſti, eiuſque Morte, & Reſurrectione, & de eius præſentia reali in Euchariſtia, & reliquis myſterijs, quæ continentur in Evangelio, quod modo legitur. Et ſimiliter Sanct. Iuſtinus Philoſophus, & Martyr, qui prope tempora Apoſtolorum floruit (ſiquidem obijt anno Chriſti 165.) & S. Egeſipus Iuſtino coæqualis eandem

doctrinam suis scriptis tradiderunt, quam modo habent Evangelia: & similiter reliqui omnes Doctores Christiani qui continuata serie post Apostolos floruerunt.

Tertio, quia vt testatur Baronius ad annum Christi 185. S. Pantænus Christianus Philosophus, & Clementis Alexandrini magister, vir omni eruditionis genere præstantissimus, cuius memoriam ob insignem vitæ sanctitatem Ecclesia celebrat die 7. Iulij, qui summa cum laude litteras sacras Alexandriæ interpretatus est, desiderio flagrans propagationis fidei ad Indos profectus est; vbi Evangelium Mathæi Hebraicè scriptum à Bartholomæo Apostolo illùc delatum, reperit, in manibus quorundam, qui hactenus ibi Christum profitebantur: eratque plane illud ipsum, quod nunc habemus, & quod ipse exposuit Clementi Alexandrino, & Clemens Origini, & Origenes Gregorio Taumathurgo, & vsque ad nos pervenit.

Quarto, quia anno Christi 485. repertum est in insula Cypri Corpus Sancti Barnabæ Apostoli cum Sancti Mathæi Evangelio ad pectus appositio, quod manu sua exciptum secum tulerat ad annunciandam Fidem Christi in illa insula; repertum, inquam, est ex revelatione ab ipsomet Apostolo facta Archemio Salaminæ Episcopo. Et hoc Evangelium manu Sancti Barnabæ exaratum Constantinopolim delatum est, petente Zenone Imperatore, & auro exornatum in Palatio Imperiali positum est, vt scribit Baronius ex fidelissimis historicis rem comprobans. Erat autem Evangelium illud ipsissimum, quod tunc habebat Ecclesia. Ergo certum est illud Evangelium permansisse purum, & incorruptum, & prout à Mathæo fuerat scriptum.

Quinto, quia Apostoli antequam dispergerentur per vniversum orbem ad prædicandum Evangelium Christi, composuerunt brevem illam formulam articulorum, quam vocamus symbolum Apostolorum, quam vniformitèr proponerent Iudæis, & Gentilibus; vt vidimus suprà sect. XII. pagina 626, & ideo fides Christi vbique terrarum introducta est cum mira vniformitate, ita vt regna, & Provinciæ inter se valde distitæ: omninò convenirent in articulis fidei quos credebant. In illa autem brevi formula, seu symbolo continentur præcipua mysteria Religionis Christiani, in quibus ipsa differt à Religione Mahumeti; nempe Incarnatio Filij Dei, eius Mors, & Resurrectio, & Trinitas Divinarum Personarum: ergo Evangelium, quod Apostoli prædicaverunt in vniverso orbe, continebat hanc eandem doctrinam: nec enim Apostoli vulgarunt per orbem Evangelium, quod in sua doctrina opponeretur symbolo. Ergo certum est doctrinam de Incarnationem Verbi Divini, & Divinitate Christi, & de eius Morte, & Resurrectione, & Trinitate Personarum contentam fuisse in Evangelijs, quæ scripserunt Apostoli. Ergo non sunt corrupta Evangelia quatenus hanc doctrinam continent.

Sexto, quia pro asserenda divinitate hominis crucifixi à Iudæis, eiusque gloriosa Resurrectione, cæterisque mysterijs, in quibus Evangelium differt ab Alcorano passi sunt innumerabiles Martyres à Nerone Imperatore vsque ad Constantinum Magnum, ideſt ab anno Christi 66. in quo sub Nerone Petrus, & Paulus Romæ, & Andræas in Achaya passi sunt martyrium, vsque ad annum Christi 312. in quo Signum Crucis Constantino apparuit, & Religioni Christianæ favere cœpit, donec anno 324. Baptizatus est. In ijs persecutionibus Fidei Catholica innumeris est confirmata miraculis; ideoque tam diræ persecutiones non minuebant, sed potius augebant credentium numerum, quia Gentiles videntes constantiam martyrum, & in perferendis tormentis atrocissimis alacritatem, & miracula quæ martyres edebant, hinc movebantur ad eam fidem suscipiendam; vt vidimus suprà sect. III. pagina 570. Satis hoc comprobatur ex Actis Sancti Ianuarij quæ habentur in Breviario Romano die 19. Septembris: ex quibus constat quinque hominum millia conversos fuisse ad confitendam crucifixi divinitatem propter constantiam Martyris, & miracula, quæ faciebat. Et miraculum vsque adhuc perseverans, planè evincit, veram esse Christi Divinitatem, pro qua asserenda Ianuarius mortuus est. Vt enim inquit Martyrologium Romanum: Neapoli *Beatissimi Martyris sanguis in ampulla vitrea adhuc seruatur, qui in conspectu capitis illius positus, velut recens liquescere, & ebullire conspicitur.* Constatque ex Actis Sanctæ Martinæ

Vir-

Virginis, & Martyris die 30. Ianuarij propter constantiam Sanctæ Virginis, & miracula manifesta, quæ Deus operatus „ est in eius martyrio. Ex eius tortoribus „ non nullos miraculi novitate correp„ tos, Dei adspirante gratia, Christi fidem „ amplexos, post cruciatus glorioſam „ martyrij palmam capitis abscisione „ promeruisse.

Constantiaque ipsa, & alacritas in perferendis atrocissimis tormentis pro asserenda Christi Divinitate in ætate vel nimis tenera, vel nimis lenili, & in sexu fragili, clarissimum argumentum est, quod Fides illa vera erat, ac proinde quod Evangelia testantia Christi Divinitatem, Mortem, & Resurrectionem eius non erant corrupta. Prædicator Christi in medium producat Acta S. Agnetis Virginis trecennis, & S. Eulaliæ Meritanæ, quæ cum duodecim esset annorũ, decem & novem pro Christo pertinaciter tormentorum stupenda genera, cuius memoriam habes in martyrologio Ro„ mano die 10. Decembris; S. Agapyti „ Martyris, qui cum esset annorum quin„ decim, & amore Christi ferueret, iussu „ Aureliani Imperatoris tentus est, ac „ primo nervis crudis diutissime cæsus, „ deinde sub Antiocho Præfecto gravio„ ra supplicia passus, exinde cum ex im„ perio Imperatoris leonibus objicere„ tur, & minimè læsus esset, gladio mini„ strorum coronandus percutitur, vt ait Martyrologium Romanum die 18. Septembris. Et Acta Sanctorum Martyrum Complutensium Iusti, & Pastoris fratrum: „ Qui cum adhuc pueri litteris imbue„ rentur, proiectis in schola tabulis, spon„ te ad martyrium cucurrerunt, & mox „ à Daciano Præside teneri iussi, & fusti„ bus cædi, cum se mutuis colloquijs „ constantissimè roborarent, extra civi„ tatem perducti, à carnifice iugulati „ sunt. Proponat Acta S. Simeonis Episcopi Hierosolymitani, qui cum centum, & viginti esset annorum, ita fortiter, & hilariter sustinuit ea tormenta quæ Dominus noster Iesus Christus passus est, vt omnibus esset admirationi, vt habes in Breviario Romano 18 Februarij. Proponat constantiam S. Policarpi iam senis, vt eam narrat P. Ribadeneyra in eius vita. Hæc, & alia exempla, quæ passim occurrunt in Breviario, & Martyrologio, manifeste probant, illam constantiam, & hilaritatem inter atrocissima tormenta, quam Martyres ostenderunt, vt contestarentur Iesum crucifixum à Iudæis esse verum Deum, & miracula, quibus Deus illorum fidem approbavit, à Deo fuisse, & Deum habuisse Autorem. Deus autem nequit miracula facere in confirmationem doctrinæ falsæ; nec constantiam, & hilaritatem tribuere in sustinendis tormentis pro mendacijs, & erroribus. Verissima ergo est fides, quæ confitetur, Christum esse verum Deum, & pro hominibus fuisse crucifixum, & tertia die surrexisse. Delirant ergo Mahumetani, dum dicunt esse corrupta Evangelia quæ hanc doctrinam continent.

Septimo probatur Evangelia non fuisse adulterata, & corrupta post tempora Apostolorum. Quia vnaquæque Provincia, vel natio à suo Apostolo conversa, ab eodem accepit Evangelium Christi, sive in scriptis, sive in tabulis cordis; & post fidem susceptam procuravit sibi describi quatuor Evangelia, aliosque libros sacros novi, & veteris testamenti, qui confirmati, & roborati erant per divina miracula. Si ergo in illis Evangeliorum libris, quos primo per Apostolos suscepit, nihil continebatur de Passione, ac Resurrectione Christi, nihil de eius Divinitate, & præsentia in Eucharistia, nihil de Trinitate Divinarum Personarum; quis ex vniversis regionibus, & Provincijs ad Christum conversis, vel in toto, vel ex parte, potuit in vnum colligere omnes libros sacros novi, & veteris testamenti, & illos immutavit, corrupit, & infecit, quia vel vnum exemplar purum, & incorruptum ex innumeris, quæ per vniversum erant dispersa, superfuerit? Quis non videat hoc esse incredibile?

Sic enim arguo. Nam cum Apostoli fidem Christi invexerint editis multis signis, & miraculis, vera Christi Evangelia, & sinceram doctrinam in libris sacris contentam, sparserunt per orbem. Quis ergo potuit omnes illos libros colligere, & comburere, vel dilacerare, & loco illorum ponere nova exemplaria corrupta, & adulterata? Vel enim tantum opus aggressi sunt pauci aliqui viri sceleratissimi: vel tota Christi Ecclesia simul hoc consilium sumpsit, destruendi Evangelia pura, & immaculata, quæ à Sanctis Apostolis acceperat, & tot signis, & miraculis erant confirmata,

& loco illorum reponendi Evangelia corrupta, & depravata. Neutrum autem dici potest. Non primum, quia impossibile est, paucos aliquos homines potuisse à toto orbe Christiano penitus exterminare exemplaria omnia sincera, & vera Evangeliorum: & quamvis physicè possent, est penitus impossibile, quod Christiani hoc permitterent. Si enim tanto ardore Christi fidem complectebantur; vt mille mortes mallent pati, quàm Christum negare: quomodo permitterent, quod divina Christi doctrina penitus interiret. Hoc non est minus incredibile, quam quod omnes cives vnius Regni sponte consentiant, vt omnes fontes, & putei, & flumina è quibus bibunt, veneno inficiantur.

Nec potest dici secundum. Ecclesia enim, quæ tantum zelum habuit, vt pro conservanda incorrupta, & pura doctrina Christi tot Concilia Generalia summis sumptibus, & laboribus congregaverit: quomodo nemine cogente ipsa sua sponte divinissimam Christi doctrinam ab Apostolis acceptam, & tot miraculis confirmatam, & sanguine tot martyrum illustratam, corrumperet, & inficeret? Hoc est evidenter incredibile: rursus est aperte impossibile. Quia hoc ipso, penitus intra aliquot annos perdita fuisset, & omnino interijsset, Fides illa, quam Christus per Apostolos plantavit; & Ecclesia Christi conversa fuisset in Sinagogam Satanæ, & magistram errorum. Quod & Christum facit mendacem, siquidem promisit Petro, fidem ipsius, & successorum non-de futuram: *Rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. v. 32. Et Math. 28. v. 2. promisit futurum in sua Ecclesia vsque ad finem mundi: *Ecce ego vobiscum sum vsque in consumationem sæculi.* Et promisit inferni portas non prævalituras adversus Ecclesiam. Rursus facit Deum improvidum. Est enim res Deo indigna, quod legem novam perfectissimam tot retrò sæculis promiserit, quod illam tot prodigijs, & miraculis per Christum in mundum invexerit; & tamen cito permiserit illam penitus aboleri.

Denique delirium impugnatur. Quia si fides de divinitate hominis à Iudæis crucifixi, & Trinitatis Personarum in vna essentia, & præsentiæ realis Christi integri, & perfecti sub qualibet particula Hostiæ consecratæ, falsa est: sequitur fidem falsam fuisse introductam in mundo per vera miracula. Quia lex proponens credenda fide infallibili mysteria tam ardua, & quæ præcipit concupiscentias omnes frænare, & vitia resecare, eximiamque puritatem sectari, & omnia in futurum reservat, non potuit mundo persuaderi nisi signis, & miraculis. Deus autem miracula nequit facere ad introducendam fidem falsam. Ergo delirium est asserere, quod hæc fides est falsa.

Postremo in hac Fide de Divinitate Christi, & Trinitate Personarum, & alijs mysterijs, quæ Ecclesia Catholica credit, omni sæculo floruerunt eximia sanctitate viri, & fœminæ, & gloria miraculari illustres; & extra Ecclesiam Catholicam hoc non invenitur. Hoc autem est manifestum argumentum, quod illa est vera, reliquæ autem sectæ oppositæ sunt falsæ. Ex quibus omnibus apertè concluditur, Mahumetanos asserentes Evangelia esse corrupta manifestè falli.

SECTIO XIV.

Euidentes contradictiones in Alcorano contentæ manifestè probant, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed Diaboli ministrum. Vbi, cur vinum Mauris prohibuerit.

§. I.

ALCORANVM manifestas continere contradictiones, facile est probare. Imprimis contradictio est, quod ex vna parte dicit, Christum Filium Mariæ esse *Verbum Dei missum Mariæ*; & ex alia parte docet, Christum non esse Deum. Hæc contradictio constat ex sect. 5. à pag. 579.

Secundo constat; quia ex vna parte dicit, cap. 5. *Hic liber* (videlicet Alcorani, vel Alcoranum) *neque mendacium aliquod, neque aliquid præteritis Prophetis contrarium nuntiat.* Et ex alia continet doctrinam manifestè contrariam doctrinæ Christi, & Prophetarum; vt demonstravimus suprà sect. 12. à pagina 625. Continetque evidentia mendacia contra rationem naturalem, contra historiam, contra mathematicam, & contra scripturas divinitus revelatas; vt infra probabimus.

Constat tertio, ex libro 1. Azora 2. cuius titulus est, de bove, seu vacca, vbi

„ vbi ait, Deum dixisse Christo, sinam vt
„ patiaris, & mortem subeas, cæterum
„ tertia die te suscitabo, & supra omnes
„ cœlos exaltabo. Et Azora 3. inquit: Ie-
„ sum Christum Passionem, & Mortem
„ voluntarie sustinuisse pro salute mul-
„ torum, & tertia die surrexisse, & in cor-
„ pore suo redivivo ad cœlos ascendisse.
Vnde Glossatores Alcorani *Abuatia*, & *Acamajari* hunc textum exponentes dicunt, Christum habuisse transitum trium dierum, ideſt tribus diebus mortuum iacuisse, postea autem ad cœlos ascendisse; mortem vero voluntarie obijsse, quia facili negotio poterat ab illa se liberare. Et tamen postea in eodem Alcorano lib. 6. Azora 6. cui titulus *de Iosepho*, aperte dicit Christum, nec mortuum, nec crucifixum, sed alium hominem, cui Christus suam figuram ita impressit, vt idem cum Christo videretur: vt constat ex dictis sect. 12. pag. 625.

Hinc apud Mahumetanos oppositæ dantur opiniones de Christi Morte: siquidem alij dicunt Christum revera crucifixum, & mortuum fuisse, & tertia die resurrexisse: alij vero id constanter negant, asserentes, non Christum, sed Christi vmbram, vel potius hominem eiusdem figuræ cum Christo, tormenta illa sustinuisse; & inter hos sunt aliqui ex Glossatoribus Alcorani, qui testatur, Christum transfiguratum Iudam proditorem in sui imaginem, atque ita Iudam, non Christum crucifixum fuisse. Et ia hoc mihi testatus est Christianus novus Africanus Matriti anno 1670.

Sed hæc ridicula fabula de transmutatione, & metamorphosi Christi in Iudam sect. 12. impugnata manet. Constat enim manifestè Iudam proditorem laqueo se suspendisse, & id fecisse antequam Christus in Crucem ageretur satis innuit Mathæus cap. 27. v. 6. & id approbat Maldonatus: sunt tamen qui dicant, non nisi post Christi resurrectionem id eum fecisse, cum audisset Christum resurrexisse, quod minimè sperabat: tunc enim abiecta omni spe salutis, quod humani generis Redemptorem vendidisset, laqueo sibi vitam eripuisse, vt historiæ Scholasticæ Author scribit. Quomodocumque tamen res acciderit, certum est, Iudam laqueo se suspendisse: *Et suspensum crepuisse medium, & diffusa fuisse omnia viscera eius*, vt dicitur Actor. 1. ver. 19. Et loco eius electum esse Mathiam in Apostolum ad prædicandam Christi Resurrectionem, & Evangelium eius annuntiandum.

Rationem huius contradictionis in Alcorano circa Christi mortem reddit Lupus de Obregon in confutatione Alcorani cap. 9. folio mihi 93. quia initio cum Mahumetus cœpit in schedulis scribere tanquam revelationes sibi factas à Deo per Angelum Gabrielem ea, quæ audierat à Christianis gladiarijs (vt vidimus suprà sect. 2. pag. 537. column. 1.) vera scripsit de Christi Morte, & Resurrectione, prout illi enarraverant Christiani. Sed postea Almedinæ, quia Iudæi ipsi valde infensi ob laudes Christi quas prædicabat, iactitabant Iesum Nazarenum Mariæ Filium non fuisse Sanctum, nec Messiam in lege, & Prophetis promissum vt Mahumetus prædicabat, sed hominem blasphemum, qui cùm esset simplex homo sicut reliqui, Filium Dei se faciebat; & ideo à maioribus suis iure merito fuisse occisum: vt se vindicaret de Iudæis, illos confundere cœpit, hanc fabulam in vulgus spargendo, & contra
„ Iudæos sic prædicando: Iudæi dicunt,
„ se Christum crucifixisse; sed hoc men-
„ dacium est; quia non illum, sed pro illo
„ alium ipsi similem crucifexerunt; &
„ Iesus Christus se in cœlum sublevavit;
„ & ideo Iudæi existimantes se illusis-
„ se Christum, potius illusi sunt ab
„ eo.

His adiungamus alias Alcorani contradictiones. Multas enumerat Ioannes Andræas, antea Maurorum Alfaquinus, de quo mentionem fecimus sect. 1. pagina 534. num. 4. in confutatione Sectæ Mahumetanæ cap. 10. Nam lib. 1. Alcorani capite, seu Azora 1. dicitur: *Alcoranum descendisse de cœlo* in mense *Aramadan*. Et lib. 4. capite *de Famo*, & capite *de Nocte Sancta* dicitur, *Vna nocte descendisse*. Et tamen constat Mahumetum in componendo Alcorano viginti tres annos consumpsisse, decem in Mecca, & tredecim in Almedina: existuntque in Alcorano capita, quæ appellantur *Mequiya*, & alia, quæ appellãtur, *Mediniya*, ideſt capita edita Meccæ, & capita edita Almedinæ.

Item lib. 2. cap. XI. inquit: *De fructu palmarum, & de vuis vitum comedite, & bibite*, ideſt, *dactylos comedite, & vinum devite bibite*, idque tanquam Dei oraculum suis Discipulis proposuit. Et propterea duodecim annis licitum fuit Mahumetanis vinum bibere. Postea verò cõtra Dei permissionem vsum vini suis prohibuit;

Quam autem huius prohibitionis causam reddiderit, narrat Carthusianus lib. 3. in secta Mahumetana art. 13. pagina 331. verba Alcorani transcribens. In articulo primo illius libri pagina 264. proponit Carthusianus proœmium Alcorani, seu exordium, in quo hæc verba leguntur: „ Erat Nuncius Dei (scilicet „ Mahumetus) sedens inter socios, & descendit super eum Angelus Gabriel, „ dicens: Salutat te Deus, Mahumete, veniunt ad probandum te tres vel quatuor „ viri peritissimi Principes Iudæorum, & „ Magistri in Israel. Et narrat Alcorani liber, Magistros illos Iudæorum varias quæstiones proposuisse Mahumeto: illorum autem Iudæorum peritissimus vocabatur Abdias, qui cum Mahumeto loquens, sic interrogavit: Cum in paradyso vinum esse describas, quid operis „ ibi habet, si vinum illicitum est? Si autem licitum est, cur in hoc sæculo prohibes vinum? Respondit: tàm argutè „ quæris, vt vna interrogatione geminam „ necessariò responsionem extorqueas. „ Vtrumque ergo exponam, & illic esse „ licitum, & hic illicitum.

„ Erant enim Angeli Deilduo, Horoth, & Maroth, missi olim à Deo de „ cœlis in terram, gubernando, & instruendo generi humano tributi, his „ interdictis, ne occiderent neque iniustè iudicarent, neque vinum biberent. „ Multo itaque tempore sic habito cum „ noti iudices essent vniverso orbi, venit „ ad eos quadam die mulier præcunctis „ fœminis omnino pulcherrima, causam habens adversus maritum: quæ vt „ causæ suæ accommodaret iudices, quadam die invitavit eos ad prandium. „ Quibus epulantibus ipsa epulas & pocula vini apponit, astat ministrans, affert crebro, instat vt sumant. Quid plura? Vicerunt blanditiæ mulieris. Inebriati poculis in hospitam formosam „ incaluerunt: victi accubitum petierunt. Spondet conditione, dummodo alter verbum doceat per quod ascendebant in cœlum: alter verbum, „ per quod descendebant. Placet conditio. Cùm ergo didicisset, elevata est „ tubitò, & ascendit in cœlos. Quod „ cùm vidisset Deus, explorata causa „ posuit eam Luciferum ita pulcherrimam inter stellas, vt fuerat inter mulieres. Illis in iudicium evocatis proposuit eis Deus, vt eligerent inter „ pœnas sæculi huius, & alterius. Elegerunt hanc. Suspensi sunt ergo per catenas ferreas, demissis capitibus in puteo Behil vsque in diem iudicij. Quid „ ergo Abdia? Nonne sufficiens videtur „ causa, cur in paradyso licitum sit vinum, & hic illicitum? Ait: vera satis, & meritò. Hucusque Alcorani textus.

Quis hæc audiens non miretur, vel potius intimè doleat, quod tàm ingens pars mundi, vt Prophetam Dei veneretur tàm ridicularum fabularum artificem? Oportet vt Christi prædicator hanc fabulam coram Mahumetanis narret, & quod certam fidem faciat, quod illam Mahumetus in Alcorano scripserit, vt certum est scripsisse, vt confundantur, & erubescant, & qualis fuerit Mahumetus tandem agnoscant, & intelligant Alcoranum fabulis, & mendacijs esse plenum; & erroribus manifestis. Nonne error est manifestus, quod Angeli boni, qui statim post casum malorum, confirmati sunt in bono, tàm turpiter deliquisse? Nonne error est, eos corporeos facere, & capaces comedendi verè, & vtendi fœminis eo pacto, quo homines vtuntur? Oppositum namque constat tùm per rationem, tùm ex scriptura Tobiæ 12. *Ego sum Raphael Angelus: etenim videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego invisibili cibo & potu vtor*, videlicet clara Dei visione, & fruitione. Quis non rideat audiens, fœminam in præmium patrati sceleris illud præmium à Deo accepisse? Quis non sciat stellam illam, quæ Lucifer appellatur, cum alijs fuisse in principio creatam? Audiant hæc Mahumetani, & erubescant, quod librum Alcorani, in quo eiusmodi fabulæ continentur, pro libro divinitùs inspirato recipiant.

Quamvis Mahumetus eam rationem reddiderit Abdiæ de prohibitione vini; aliam tamen reddit Author quidam, qui inter Sarracenos diu conversatus est, vt refert Carthusianus illo articulo 13. pagina 335. Narrat itaque Author ille, Mahumetum visitare solitum quendam eremitam: eius autem ministros super hoc tædio affectos, & tam frequentes visitationes ægrè ferentes decrevisse occidere eremitam: cumque quadam vice tam Mahumetus, quam eremita vino fuissent inebriati, & gravi somno opprimerentur, satellites principis sui gladium extrahentes, eremitam occidisse, cruentatumque gla-

gladium in locum reposuisse priorē; Mahumetum vero à somno excitatum, suis ministris imputasse eremitæ mortem, & eos punire statuisse: eos vero concorditer testatos fuisse, Mahumetum ipsum in ebrietate necem eremitæ intulisse; & in huius dicti comprobationem, ostendisse ipsi proprium gladium cruentatum: eoque viso, erubuisse Mahumetum, & de cætero renuntiasse vino, eiusque vsum suis discipulis prohibuisse.

Vt testatur citatus Ioannes Andræas, & refert Carthusianus lib. 2. art. 9. pagina 103. Mahumetus in Alcorano introducit Deum sic loquentem cum „ ipso: Si ambiguus fueris de his quæ „ descendere fecimus (idest de Alcora„no) interroga eos, qui legunt legem „ ante te. Noli esse de ijs, qui nolunt „ credere signis Dei, ne forte damne„ris. Super quem textum dicunt omnes glossatores Alcorani, Mahumetum nomine eorum, qui scripturas legunt ante ipsum, intellexisse Iudæos, ac Christianos; ac proinde docuit ibi, Iudæos, & Christianos habere legem à Deo datam. Ex alia vero parte in Alcorano libr. 1. cap. 1. affirmat: *Neque Iudæos, neque Christianos legem habere.* Quæ sunt dicta manifestè inter se opposita.

Alia evidentissima contradictio in dictis Alcorani constat; quia sæpè cultores suæ legis hortatur Mahumetus in Alcorano, vt eant præliatum contra incredulos, præsertim contra participatores, idest Christianos, quatenus timore, & virtute gladij eos inducant, & cogant ad credendum Mahumeto, illumque recipiendum tanquam Dei Nuncium, & Prophetam. Idque opere exequuntur vsque modo perfidi huius Legislatoris Discipuli. Ipseque sæpe dicebat, se in virtute gladij missum esse; & vt vidimus sect. 1. pagina 535. num. 9. lib. 2. Alcorani ha„bet caput, cuius titulus est: De ente seu „ gladio, in quo sic iubet: occidite om„nes incredulos. Item: omnes occidite „ donec Mahumetani fiant. Et in capite decimo Alcorani, vt testatur Carthu„sianus pag. 496. sic ait: Quid cum il„lis incredulis communicatis? Vos ita„que neminem eorum vobis associate ne„gociatorem aut socium, vel amicum, „ nisi prius recta via Dei inierit vobis„cum pugnatum, sive prædatum: sin au„tem eos vbicunque repertos (si sit pos„sibile) capite, & interficite. Hinc iterum iussit, vt non credentes, eum esse Dei Nuncium, & Prophetam, occiderentur, vel saltem tributum solverent.

Et tamen his dictis in Alcorano sæpè contradicit; nam cap. 4. sic inquit: *Vim nequaquam propter legem inferatis*, cùm recta pravaque via patefactæ sint. „ Et cap. 5. ex Dei persona: Tuum est „ mea præcepta tantummodo gentibus „ patefacere. Et cap. 24. Nuncio nihil „ attinet nisi præceptum cuique gentium „ applicare. Et cap. 21: Nos non mittimus „ te custodem vel coactorem digredien„tium à lege: tuum enim non est, nisi tan„tum rem annuntiare. Et cap. 19. An tu „ gentes ad fidem, & credulitatem co„gere studes; cùm nisi Deo volente ne„mo credere possit, qui malos atque „ incredulos in sua sorte dimittit. Quis non videat inter hæc dicta apertissimam contradictionem?

Deinde Mahumetus in Alcorano in „ Azora, quæ inscribitur de Vacca, seu „ juvenca, affirmat, Iudæos, Christianos, „ & Sabæos, vnumquemque salvari posse „ in sua lege. Et Azora 2. Omnes gentes, „ quæ benè viuunt, sive sint Iudæi, sive „ Christiani, sive quicumque alij, quam„vis propriam legem dimittat, & aliam „ accipiat, si bona opera faciat, certissimè „ salvabitur. Et capite seu Azora 31. (vt refert Carthusianus pag. 7. & pag. 170.) „ introducit Deum sic loquentem: A no„bis cuique gentium lex, quam sequatur, „ est posita. Et cap. 32. inquit: Deus sin„gulis gentibus nuncios misit, vnicuique „ ex gente sua. Et cap. 12. introducit „ Deum sic loquentem: Sua vnicuique à „ nobis posita sunt lex atque iudicia. Quod perinde est ac dicere, vnumquemque salvari posse in lege sua: quod certum est Mahumetum docuisse, vt constat ex dictis à nobis sect. 3. in 3. demonstratione pag. 552. Cui doctrinæ apertè contradicit in Azora de Abraham, vbi ait: *Nullum posse salvari nisi in lege Mahumeti.* Et Azora 5. vbi docet: *Eos, qui non receperint Alcoranum, grauissima tormenta passuros.*

Illi etiam doctrinæ, qua vniversaliter docet, vnumquemque salvari posse in sua lege, manifestè opponitur quod docet Azora 12. vbi hæc habet: *Secundum Viros legum nullius legis fidelve perfectionem assequi, nisi testamenti* (veteris scilicet, seu legis Mosaicæ) *& Euangelij, & huius libri* (nempe Alcorani) *à Deo dati*

præceptis obediant. Quæ doctrina non solum pugnat cum eo quod vniversaliter alibi docet, vnumquemque salvari posse in sua lege, sed etiam repugnantia inter se dicit, quia docet, neminem posse salvari nisi obediat præceptis Evangelij, & Alcorani: ergo cum in Evangelio præcipiatur Baptismus, & fides in Divinitatem Christi, & Trinitatem Personarum Divinarū, nemo poterit salvari nisi hæc præcepta adimpleat: vnde si ad salutem necessarium quoque est obedire præceptis Alcorani; impossibilis redditur omnibus salvatio, cū Alcoranum oppositum præcipiat: & nemo possit præcepta contradictoriè opposita simul observare. Vnde patet Mahumetum insigniter mentitum esse dum capite, seu Azora 1. Alcorani dicit: *Hic liber veridicus est, & sine contradictione falsitatis.*

§. II.

Cur tot in Alcorano reperiantur contradictiones?

SED meritò quis interrogabit, quomodo Mahumetus, qui vir erat astutus, & sagax, tot contradictiones in Alcorano reliquit? Respondeo primò, rationem generalem petēdam esse ex Dei providentia: cum enim Deus sit summè bonus, & hominum salutem verè, & sincerè desideret, nunquam permittit, vt seductor aliquis ita falsam sectam colore veritatis vestiat, vt ab amatoribus Dei, & veritatis nequeat deprehendi eius falsitas. Permisit Deus vt Diabolus appareret Evæ ad illam seducendam, sed non permisit vt in forma honesta Angeli appareret, sed in forma serpentis, vt facilius posset Eva mendacium detegere. Vt enim inquit Augustinus lib. 11. de Genesi ad „ lit. Non debemus opinari, quod serpen„ tem sibi, per quam tentaret Diabolus „ eligeret. sed cum esset in illo decipiendi „ cupiditas, non nisi per illud animal po„ tuit, per quod posse permissus est. Nec permisit vt deciperet falsitatibus nimis occultis, quas Eva non posset deprehendere, sed mendacijs ita clarè oppositis ijs, quæ Deus dixerat, vt facile posset ea discernere, & agnoscere, Diabolum esse, qui in serpente loquebatur. Permisit, vt Diabolus ingrederetur simulachra idolorum; & inde responsa preberet, & idololatriam suaderet: ita tamen hoc temperavit, vt homines facile possent cognoscere, non esse spiritum bonum, & veracem, qui in statuis idolorum loquebatur; quia nimirum Dæmones respondebant res tam clare falsas, & præcipiebant res tam aperte malas, vt solo rationis naturalis lumine possent homines mendacium detegere. Permisit, vt Rabini Talmudi inventores deciperent Iudæos, qui in sua infidelitate perseverant; sed tales fabulas, & res adeò absurdas in Talmud miscuerunt, vt Iudæi facile possent cognoscere, libros illos Talmudi non habere Deum Authorem. Adhunc ergo modum permisit vt Mahumetus se Dei Nuncium, & Prophetam simulaverit ad decipiendum: cæterum tot fabulas, & contradictiones in Alcorano immiscuit, & res adeò fœdas præcepit, & fecit, vt sint inexcusabiles, qui Alcoranum tanquam librum divinitus inspiratum venerantur, & Mahumetum vt Dei Prophetam suscipiunt.

Harum vero contradictionum causa magis immediata fuit; quod Mahumetus revelationes fingebat, prout opus erat illi ad decipiendum, & captandam populorum gratiam, & vitia sua occultanda, & sic secundum opportunitatem temporum fingebat revelationes contrarias, quia illis indigebat ad fines suos obtinendos; Et revelationes illas in schedulis scriptas in arca quadam servabat. Disposuitque Deus, vt moreretur antequam schedulas illas recognosceret, & contradictiones deleret, & Alcoranum in vnum volumen digereret. Vt enim constat ex dictis sect. 2. pag. 545. non Mahumetus, sed Homar eius socer, & tertius Arabum Achalypha, schedulas ex arca *legationis* extraxit, & ex ijs librum Alcorani composuit. In his autem quæ de persona Christi scripsit, propterea doctrinas contrarias habuit; quia initio cum se vt Prophetam venditare cœpit, ea vt revelata prædicabat, quæ à Christianis audierat: vnde cum ab illis audivisset, Christum esse Verbum Dei factum hominem, seu indutum natura humana: in principio suæ prædicationis Divinitatem Christi agnovit: posteà verò à Sergio Monacho. Hæretico Nestoriano, & Arriano deceptus, impiè docuit, Christum esse purum hominem.

(.?.)

§. III.

§. III.

Oſtenditur inexcuſabiles eſſe Mahumetanos, qui legentes in Alcoranum, & percipientes quæ docet, non deſerunt Mahumeti legem.

HOC ex dictis clarè deducitur. Cum enim Alcoranum plenum ſit fabulis ridiculis, contradictionibus manifeſtis, & erroribus craſſiſsimis contra rectam rationem; fieri non poteſt, vt homines perſpicacis ingenij librum illum legant, quin ſaltem in dubium prudens inducantur, an liber ille ſit à Deo inſpiratus; an Diaboli ſugeſtione compoſitus; & in hoc dubio tenentur à Deo lucem enixe poſtulare ad cognoſcendam veritatem, quod ſi ſerio facerent, abſdubio à Deo illuminarentur, & traherentur ad Chriſti fidem ſuſcipiendam. Hanc obligationem Mahumetanorum ob oculos ponet vtilis valde quæſtio, quam proponit, & ſolvit Guillelmus Pariſienſis lib. de legibus cap. 21. his verbis.

„ Siquis quęrat de illo, qui invenit „ Doctores, vel Prædicatores contrarios „ videlicet vnum fidelem, & alium infide„ delem, neque ſufficiat ex proprio ſenſu, „ vel ex dictis eorum, vel ex vita, cui eo„ rum magis credere debeat, an requiret „ Deus ab illo vt divinet fidem? Hic pro„ culdubio, quia non habet de humana „ ratione quid faciat, implorare debet di„ vinum auxilium; vt dicit Auguſtinus „ & tota inſtantia deprecari, vt illumina„ tor animarum Deus viam veritatis ei „ oſtendat, & cor eius applicet ei parti „ contradictionis, quæ vera eſt, & ei ac„ cepta. Pie autem credendum eſt de mi„ ſericordia Dei, quia ſic pulſanti aperiat, „ & quod niſi vel negligentia quęrendæ „ veritatis, vel alia culpa obſiſtat, cor „ eius avertet Deus, ne impietatis errori „ conſentiat. Idem ſentiendum eſt, & in „ alio caſu, videlicet ſi ſeductor ſub præ„ textu veri, Catholicique Doctoris ſim„ plici alicui, & indocto errorem aliquem „ impietatis prædicet, quia Deus cor eius „ avertet, ne illi credat, niſi hoc, vel ne„ gligentia eius, vel alia culpa impediat; „ cuſtodit enim Dominus diligentes ſe. „ Dicimus etiam, quia cum intellectus „ humanus creatus ſit ad inquirendam, & „ cognoſcendam veritatem ſalutarē, ma„ xime debet eſſe ſtudioſus, atque ſolici„ tus. Quare negligentia eius in hoc ar„ que deſidia maxime culpabilis eſt, atque „ damnabilis.

Vnde deduces iuſtiſsimè à Deo damnari omnes Gentiles, omnes Mahumetanos, & omnes Iudæos, qui fidem Chriſti non quærunt, & quæſitam amplectuntur: quia cum Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, omnes homines rationis compotes cognoſcere poſſunt, ac debent, exiſtere Numen aliquod, cui inſervire debeant, & tenentur quærere veritatem ſalutarem, & legem naturalem obſervare; quod ſi præſtarent, abſdubio Deus illos traheret ad fidem Chriſti, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, vnde quod non trahantur, culpa illorum eſt. Hinc Auguſtinus loquens de Religione Chriſtiana Epiſt. 49. *Ad Deo gratias*, protulit celebrē illam ſententiam: *Ita* (inquit) *Salus Religionis huius, per quam ſolam vera ſalus vera veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.* Vocat autem dignos Religionis Chriſtianæ eos, qui obſervant legem naturalem ſcriptam in cordibus hominum, quæ dictat Deum, eſſe colendum, honeſtè vivendum, & proximo non inferendum malum: non quia homines per opera mere naturalia mereantur poſitive illuminari à Deo per donum fidei; ſed quia per opera naturalia honeſta impedientes peccata, adquirunt aliquam diſpoſitionem, qua poſita abſdubio illuminarentur; *Facienti enim, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*: ac proinde licet per actus naturales honeſtos obſervationis legis naturalis non conſtituerentur poſitivè digni, vt illis Deus retribueret fidem; quodam modo conſtituerentur digni, quibus Deus miſereatur.

Vt autem exemplo monſtremus, Mahumetanos lumine rationis naturalis poſſe cognoſcere falſitatem ſectæ Mahumetanæ, vel ſaltem in prudentem dubitationem induci an ſit falſa, hic appendam colloquium, quod habuit P. Ignacius de las Caſas noſtræ Societatis (cuius memoriam fecimus ſupra ſect. 3. pag. 560.) cum Mauro quodam dum iter faceret per Turcarum terras, illudque referam ipſius verbis.

(*)

§. IV.

§. IV.

Colloquium inter Patrem Ignatium de las Casas, & Mahumetanum quendam: ex quo probatur Mahumetanos solo rationis ductu posse cognoscere Alcorani falsitates.

PATER Casas. Mihi Tripolim versus pergenti se adiunxit Maurus ex comitatu nostro; & iam mihi proprior factus benevolè, vrbanèque salutem mihi impartitus est: dixitque mihi, audivite. Idiomate Arabico loquentem, quapropter placet mihi tecum sermonem facere. Tunc ego placet inquam, maximèque delector, quod qualis fuerit peritia tibi deservire possit.

Maurus. quod primum scire velim abste sit, an Arabicè loqui, scribereque scias?

Pater. Quid tibi proderit hoc scire? Nullum commodum video profecturum, ni velis falsa crimina mihi impingere, & ita me in vitæ discrimine constituas.

Maurus. Ego sum prædives mercator, & probus, & inter Alfaquies magnę notæ; absit vt iudices me improbum esse; paratorumque malum alicui; quin potius hoc à te scisciatus sum, vt te mearum cogitationum, curarumque conscium faciã, & hoc iuramento firmo.

Pater Ego non omnino ignarus sum lectionis, Scriptorumque Arabum.

Maurus. Legisti ne nostrum Alcoranum?

Pater. Maiorem curam ingeris mihi hac interrogatione: si ego affirmem, tu quidem coram iudice me coges, vt morte subeam; vel Maurorum legem amplectar.

Maurus. Iam quidem tibi subiratior; testor Deum, me nolle tibi parare insidias, neque tibi ex colloquio meo aliquid mali obenturum est; & hoc sincere, & amicabili animo tibi dico.

Pater. Legi quidem Alcoranum.

Maurus. Non ne tibi placet?

Pater. Si mihi placuisset, iam Mahumeti legem amplexus fuissem. Ne nos legis concertationibus immisceamus: nam tu servas tuam legem, & ego meam: nec ego infructuose disceptare de legibus volo; sin verò aliquid me tibi pro futurum sperarem, non dubitarem caput meum pro veritate opponere.

Maurus. Cupio certè scire quid sentiant Christiani Alcoranum legentes.

Pater. Aperi tu mihi tuam mentem, & ego tibi respondebo.

Maurus. Ego in illo multa sibi adversantia reperio: nam iam hic aliquid dicit, & illi oppositum alibi asserit. Profecto attentè considero, quid sibi velit tot rerum diversarum, & interse contrariarum varietas ore Dei prolata: & hærentem dubitantemque me trahit, an lex Dei sit nostra, quæ tam facile plures vxores admittit, & dimittit.

Pater. Si tu hoc sentis, quid tibi addere possum? At siquidem aperta fronte mihi loqueris, ego tibi dico, Alcoranum, nec legem datam à Deo esse, nec eius Authorem Prophetã fuisse, sicut nec tu Imperator Turcarum es: & rectè arbitratus es, nam ille Mahumet cum nebulo insignis foret ingentiaque mendacia comminisceretur, cuncta Deo loquenti sibi fallo attribuit.

Maurus. Sed quid dices ad illa, quę certè bona, & pia, preceſque sancta, quæ in illo reperiuntur? Hoc quidem ostendit eius Authorem Deum fuisse.

Pater. Ne miteris si inter plurima nefanda, & mala dogmata, aliquid boni intermisceatur: hæc versutia est Dæmonis semper nobis infesti, sub velamento ali cuius boni aut veri vult decipere incautos. Veritas vbicunque refulgeat Deum habet Authorem; mala, & pessima Diabolum, & eius asseclas; nec à Deo lata lex est, quæ veris & falsis texelata est.

Maurus. Quomodo lex vestra Deũ Trinum facit, & Christum Mariæ Filiũ, Deum dicitis esse, cum homo sit, & Propheta? Et quod mihi absonum videtur, est, Christianos minime iuxta sua legem vivere.

Hinc arrepta occasione ego (inquit Pater Casas) de Divinis Personis, de Incarnatione Verbi, de eius necessitate ad delendum originale peccatum claritate, qua potui, disserui cum illo. Attente me excepit, dubitavit prudenter, & tandem rationibus victus ingenuè fassus est, Alcoranum non esse legem à Deo datam, nec Mahumetum Prophetam fuisse. Alacrique animo decrevit collectis in vnum opibus suis cum vxore, & filijs Venetias navigare prętẽto titulo negotiationis. Tripolim inter hęc pervenimus, vbi cum in eum offenderem in hospitali domo mea, cum illo egi de suis sanctis desiderijs: at ille lachrimans, heu! respondit, vereor ne vxores, & filij mei me in infernũ trahant: tum ego, noli te ipsum obcæcare, & irretire his ille celebris, plus his animus æstimatur tuus, de hisque curare non debes; De⁹

qui

qui te creavit, vocavitque ad ſe, non te deſeret, dūmodo, quod tuū eſt, præſtes. Tunc ille ſic facturum promiſit, meique coram Deo memor eſto, *reſpondit*. Hucuſque Pater Caſas.

SECTIO XV.

Impura Mahumeti vita, clarè probat, eum non fuiſſe Dei Prophetam, ſed ſagacem regnorum deprædatorem.

QVIA falſa perſuaſio, quod Mahumetus fuerit Dei Apoſtolus, & Propheta, cæcos Arabes detinet in Alcorani tenebris; Chriſti Prædicator, vt ab his tenebris ad lumen Evangelij eos traducat, debet ipſos perurgere, vt dicant, quo fundamento credunt, Mahumetum fuiſſe Dei Prophetam, & legem ab ipſo latam, fuiſſe Dei iuſſu, & impulſu promulgatam? Et facile convincere poterit, Mahumetum nullo argumento probaſſe ſe fuiſſe à Deo electum; & temere Arabes illum vt Dei Prophetam venetari; cum nullum ad hoc credendum habeant prudens fundamentum; quia nec vitæ puritate, & glorię mundanæ contemptu, neque miraculis, neque dono prophetiæ, neque aliquo alio argumento Mahumetus ſuam electionem comprobavit. Sed potius dantur evidentia ſigna ad credendum, illum fuiſſe callidum impoſtorem, & ſagacem regnorum deprædatorem. Conſtat enim, non rationabili prædicatione, non divinarum Scripturarum allegatione, non miraculorum ſoli Deo poſsibilium operatione, non ſancta, & exemplari converſatione, omniumque terrenorum contemptu Mahumetum, eiuſque ſocios, diſcipulos, ſucceſſores, ac miniſtros legem ſuam introduxiſſe, ſed manu hoſtili, fortitudine populari, violentiaque crudeli hoc egiſſe; ideoque homines viles, ac beſtiales pronos fuiſſe ad eius legis ſuſceptionem, quia tota illa lex carnalis, atque venerea eſt.

Chriſtus Dominus nobis præſcripſit veram formam cognoſcendi, quiſnam ſit verus Dei nuncius, ac Propheta; quiſnam Pſeudopropheta, veruſque deceptor. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Math. 7. 16. & 20. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala arbor malos fructus facit.* Ex operibus, ex moribus dignoſcendus eſt Propheta, an à Deo ſit Miſſus, an ſpiritu humano, vel diabolico ſe ingeſſerit.

Et Propheta Iſaias nobis præſcribens modum dignoſcēdi, quiſnam ſit Propheta à Deo vetè internè illuminatus, & ſupernaturaliter inſtructus, & à Deo miſſus ad tradendam hominibus legem Divinam, & viam Cœli perſuadendam, inquit cap. 28. 9. *Quem docebit Dominus ſcientiam, & quem intelligere facit auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab vberibus.* Id eſt quis erit dignus à Deo ſupernaturaliter informari, & divinorum ſecretorum intelligētiam veram ab ipſo accipere? *Ablactatus à lacte, avulſus ab vberibus*, id eſt homo abſtinenter, & ſobriè vivens, carnales delectationes, mundanas conſolationes deſpiciens, & à terrenis, & ſenſibilibus ſe abſtrahens, vt ad Cœleſtia, & ſpiritualia mentem levet, vt Deo omnis putitatis fonti adhæreat, & in amore creatoris cor ſuum ſtabiliat. Ex quibus verbis conſtat, quam longè fuerit Mahumetus à munere Nuncij, & Apoſtoli Dei, & Legiſlatoris divinitus miſsi; cum luce meridiana conſtet, cum toto cordis affectu ad principatum terrenum, ad pulcharum fœminarum, non ſolum ſibi nuptarum, ſed alijs legitimè coniunctarum, propriarumque cognatarum amplexum, & ad temporales divitias anhelaſſe. Id autem manifeſtè probabimus ex ipſo Alcorano, & Mahumetanorum libris authenticis.

Antequam autem adhoc probandū deſcendam, prius in medium proferam fabulam, quam in ſui commendationem confinxit, & tanquam Dei gratiam, & favorem miraculoſum ſibi factum rudibus Arabibus credendum propoſuit. Dicebat Mahumetus, ſibi, cum eſſet quatuor annorum, Angelum Gabrielem aperuiſſe pectus, & cor extraxiſſe, & mundaſſe à gutta nigra, quam omnes homines in corde habere credunt Arabes, & dicunt eſſe quaſi fomitem peccati; quia exiſtimant ratione illius gutæ nigræ homines à Diabolo tentari. Ita habetur in Alcorano lib. 1. cap. 1. & tanquam res certa refertur in libro *Azear*, qui eſt valde authenticus apud Mahumetanos, & in illo continetur vita Mahumeti, & Alchalifarū, ſeu Regnum aliorum, qui illi in Regno ſucceſſerunt, vt teſtatur Ioannes Andræas in ſua confutatione ſectæ Mahumetanæ cap. 1. Conſequēter ad hanc fabulam introducit Mahumetus lib. 4. Alcorani in cap. quodam, quod intitulatur de *Stellis* Deum ſic loquentem cum Mahumetanis: *Deus iurat per ſtellas, quod veſter Propheta Mahumetus nunquam fuit tentatus à Diabolo, neque falſum, aut mendacium ore ſuo vnquam protulit, nec vanè locutus eſt, ſed per veram revelationem Dei omnipotentis: & quod fuerit*

propè

prope Deum ad duplicem balliſtæ iactum.

Et in proœmio Alcorani hæc habet: *Hic liber abſque falſitatis, vel erroris annexu veridicus eſt eis, quibus ineſt amor diuinus, Deitatisque timor, & cultus,* & in cap. 1. inquit: *Hunc librum verace eſſe penitus credite.* Et cap. 17. introducit Deum ſic commendantem librum Alcorani: *Si hanc legem feciſſemus deſcendere ſuper montem, inclinaret ſe mons ille, & adoraret eam prætimore Dei.*

Verum omnes has laudes Mahumeti, & Alcorani eſſe fabulas, & inſignia mendacia artificioſe compoſita ab ipſo ad ſeducendos barbaros illos Arabum populos, evidenter comprobatur: quia manifeſtum eſt Alcoranum eſſe plenum fabulis, mendacijs, & erroribus: & Mahumetum qui tantopere ſe extollit, fuiſſe hominem mendacem, periurum, & vitioſiſimum; quod nunc liquido conſtabit ex ipſo Alcorano, & libris authenticis Maurorum.

Nam Mahumetus ipſe Azora, vel cap. 44. Alcorani introducit Deum ſic loquentem cum ipſo: *O Propheta, mulieres omnes, quibus donanda dederis, omnes tuæ manui per emptionem ſubditas, & amitæ tuæ materteræque, filiarumque filias, omneſque item bonas mulieres tibi gratis ſuccũbere cupientes, licitas tibi conſtituo: idque tibi ſoli permittitur, has à te remouet, illas adiũge pro libito tuo: nec propriis abiectis, niſi dilexeris, moleſteris, illæ namque tuo voto carere debent.*

Quis etſi cæcus ſit, non videat, hanc non fuiſſe conceſsionem Dei, ſed fictionẽ Mahumeti, vt polliceretur effrenem ſuam libidinem? Quis dicat Deum, qui vniuerſaliter dixit, *Vxorem proximi tui non concupiſces: & non mœchaberis,* huic homini tribuiſſe amplam facultatem cognoſcendi aliorum hominum coniuges, & conſanguineas, & affines ſuas, & omnes ancillas, & vniverſaliter omnes fœminas ſibi placẽtes, quarum voluntates oblatis donis ad ſui amorem flecteret? Quomodo non erubeſcunt Arabes venerari vt Dei Prophetã hunc equum emiſſarium potius quam hominem temperatum, & modeſtum.

Id autem melius conſtabit, ſi detegamus cauſam ob quam hanc conceſsionẽ Alcorano inſerit tanquam Dei revelationem. Rem narrat Luppus de Obregon ex Ioanne Andræa. Iam vidimus ſect. 2. pag. 539. colum. 1. Mahumetum non cõtentum vna vxore, & quia probè noverat, quod cum munere Prophetæ, quod ſibi ambitioſe aſſumpſerat nõ benè cohærebat alias fœminas cognoſcere extra Matrimonij honeſtum titulum, finxit revelationem, in qua Deus concedebat facultatem, vt vnuſquiſque Maurus poſſet Matrimonium contrahere cum duabus, tribus, quatuor, vel etiam pluribus fœminis, ſi eas poſſet ſuſtentare, quæ lex inſerta eſt Alcorano lib. 1. cap. 3. Poſtea vero, quia idolatræ obmurmurabant, novam legem promulgavit, in qua Deus iubebat vt nullus vir poſſet vltra quatuor vxores ſibi aſſociare: & ſimul præcipiebat ad vitandas lixas, & contentiones, vt æqualitatem ſervaret vir cum ſingulis vxoribus: & ius tribuebat fœminis, vt coram iudice poſſent conqueri de marito, ſi æqualitatem non ſervaret in toro, & reliquis, ſimulque præcepit viris, & fœminis, vt fidem conſortibus ſervarent, & iuſsit, vt lapidaretur quicunque ex conſortibus adulterium committeret. Publicatis his legibus, Mahumetus præter Adixam, quam dudum duxerat, matrimonium de novo cõtraxit cum Axa puella octo annorum filia Vbequaris, cum Hafiza filia Omaris, & cum Aguadà filia Zambi.

Liber Azear narrat, quod cum à Civitate abeſſet Zeidin olim Mahumeti ſervus, Mahumet amore captus vxoris eius, quæ pulcherrima erat, eam viſitavit, & blande eam allocutus, ſignificavit, ſe velle illam ducere vxorem; & præcepit, vt cum Zeidinus domum reverteretur, hoc ei mãdatũ daret, *Propheta Mahumetus iuſsit vt ſtatim coram illo compareas, quia iam optimum cardinem pro tua ianua elegit.* His verbis ſignificans paremiam quandam inter lenones frequẽtem, qua vti ſolebat Mahumetus ipſe, cum mercaturam exercebat, & ſeriem Camelorum in Ægyptum cum mercibus ducebat; & per illam loquendi formam ſignificabat, ſibi aliquam fœminã placuiſſe, velleque eam ſibi capere. Auditis ijs verbis contriſtatus eſt valde Zeidinus, quia bene cognovit, Mahumetum velle ſibi vxorem, vel vi vel dolo auferre. Et timens inſidias, & mortem ſibi parandam ab illo, ſi ei reſiſteret; Mahumetum adit, qui palam illum hortatus eſt vxorem repudiare, vt eam ſibi matrimonio iungeret.

Potentiam Mahumeti timens Zeidinus invitus repudiavit vxorem, quam vehementer amabat: eamque Mahumetus clandeſtinè ſibi copulavit, libidinem ſuam ſub honeſta Matrimonij larva expleturus: vulgatum eſt hoc Mahumeti facinus; & cõſanguinei vxoris Zeidini domum Mahumeti

meti armati invadunt, eum occisuri; si vxorem marito legitimo non restitueret: timuit ille tumultum, & vxorem Zeidino restituit, sed amore illius fœminæ captus, ad suas artes confugit, finxit sibi Angelū Gabrielem apparuisse, & adduxit scripta in schedula verba, quæ sibi Angelum locutum fuisse dicebat, illaque legi iussit coram suis Discipulis, & postea inserta sunt Alcorano lib. 3. cap. 17. verba autem sunt hæc: *O Mahumete, quare iussisti vt servus tuus Zeidin vxorem tuam iterum acciperet, quando quidem tu illam diligebat à Deus vult, vt illam iterum accipias, & vt tuam possideas: contentus sit Zeidin sua forte, quod scilicet per aliquod tempus voluptatem cepit cum illa fœmina: nunc Deus vult vt tu illa fruaris, & ne ab timorem hominum illam relinquas, & vt sine stomacho, & ira esto quietus.*

Publicato hoc capitulo inter Mahumeti discipulos, testatur Alcorani liber, & Azear ipsos Mauros fœminā illam in domum Prophetæ reduxisse: & cum illam sibi in vxorem accepisset, Zeidinus tamen noluit aliam sibi fœminam matrimonio iungere, ne similem violentiam à Mahumeto iterum pateretur. Idolatræ Meccæ ita incensi sunt contra Mahumetum, palam ob murmurantes, cum lenonis potius officium, quam Prophetæ munus obiret: & tumultum commoventes, illum absque dubio occidissent ob iniuriam illatam Zeidino, nisi eius Socer Vbequar, & Homar, & alij Viri nobiles tempestatem hanc sedassent, & tumultum compescuissent. Hāc historiam referunt ipsi libri Mahumetanorum tanquam persecutionem sui Prophetæ.

Sed quamvis Cives Meccani necem non intulerunt Mahumeto, tamen publicè eius famam corradebant, dicentes, eum dignum esse, qui lapidaretur, tum propter iniuriam illatam Zeidino, tum quia violavit legem Matrimonij, plusquā quatuor vxores assumendo. Ille vero cognito scandalo, & populi tumultu, ad suas artes confugit: finxit, sibi Archangelum Gabrielem locutum, & novum capitulum Alcorano addendum dedisse, illudque iussisse legi Mauris: sic autem habet: *O prophetā, Deo placet vt lex communis Matrimonij te non comprehendat; vult vt tu solus possis nubere cum omnibus fœminis, quæ tibi placuerint, & quæ se tibi obtulerint, idque sine charta dotis.* Caput hoc insertum est Alcorano in lib. 3. cap. 17. Hæc arte persuasit populo barbaro, voluntatem Dei esse, quod Prophetæ non ligarentur lege communi circa numerum vxorum, sed possent sibi Matrimonio iungere quotquot vellent. Et post hanc dispensationem à Deo concessam Prophetæ, refert liber Azear, Mahumetum alias octo vxores duxisse, quorum nomina refert Luppus de Obregon in suo libro contra Mahumetanos. Vnde præter ancillas habuit eodē tempore duodecim, vel tredecim vxores. Liber Azear citatus dicit Mahumetum nupsisse cum quindecim mulieribus: & eodem tēpore habuisse undecim vxores, præter ancillas. Ita testatur Ioannes Andræas in suo lib. cap. 7.

Sed cum Mahumetus aliquas ex vxoribus ardentius amaret, & pluribus noctibus cum illis dormiret; duæ ex principalioribus, nempe Zaynex filia Sahiz, & Maymona filia Alariz, conquestæ sunt, dicentes Mahumetum non servare eam cum vxoribus æqualitatem, quam in sua lege præcipiebat; ipsasque iniuria affecisse, & contempsisse. Et cum ex hac quærimonia scandalum suboriretur, novam eō fixit Mahumetus revelationem sibi à Gabriele factam, novumque adduxit capitulum, quod insertum est lib. 3. cap. 17. Alcorani, & ita ad verbum habet. *O Mahumete vxores tuæ de te conquerentur. Sed Deo placet, vt tu frequentius vtaris illis, quæ tibi magis placuerint: vt iubet, ne reliquæ idcirco de te conqueri possint.*

Hæc omnia constant manifestè ex ipso libro Alcorani, & ex libro Azear, vt testatur Ioannes Andræas: factumque ipsum negari non potest. Ex ijs vero planè convincitur Mahumetum adulterum fuisse, & sæpe mentitum esse: atque fabulosam esse fabulam illam, quam in Alcorano legimus, nempe *Deum per stellas Cœli iurasse, nunquam Mahumetum fuisse tentatum &c.* Quis non miretur Mauros venerari, vt Sanctum, & Dei Prophetam hominem vitiosissimum, & delectationibus carnis penitus deditum. Hæc expendere, & amplificare debet Christi prædicator, vt pudore suffundat Mahumetanos, & eos agnoscere cogat Mahumetum Virum fuisse sceleratissimum.

His adiungo aliam historiam, quam ex libris Mahumetanorum refert S. Petrus Paschasius pag. 25. num. 21, historiā hanc de vxore Zeidini à Mahumeto vsurpata narrans, ait, Mahumeto cum alij deambulante, manus, pedesque eius repentè in tortos apparuisse, eumque in terram cecidisse, vti solebat cum spiritus eum arripie-

piebat: tunc circastantes illum operuisse dicentes, eius amicum Angelum ei apparuisse. Et postquam paulisper in terra iacuisset, surrexisse, & dixisse sibi dictum, & inspiratum fuisse, quod Zeineb vxorem Zeidini Matrimonio sibi copularet, & insuper Deum illam sibi in Matrimonio collocasse, quia illius flagrabat amore: & illius Matrimonij testes esse Michaelem, & Gabrielem. Additque Sanct. Martyr prædictam Zeyneb alijs vxoribus Mahumeti insultare solitam, cum iactantia dicendo, *Semeliorem esse illis, siquidem nupta vxurataque erat cum Propheta, non ab hominibus, sed à Deo.* Finitque narrationem S. Martyr, his verbis: *Et hæc historia in Alcoran scripta manet, tanquam maxima, & præcipua Mahumeti laus.*

Quis est adeò vecors, & stupidus, qui non agnoscat hoc dolo, & hac arte vsum fuisse Mahumetum, simulasseque revelationem, vt potiretur vxore Zeidini sine nota adulterij, & incæstus? Nam Mahumetus Zeidinum adoptaverat in filium, vt testatur ibidem S. Petrus Paschasius. Vnde manifestè constat Mahumetū adulterum, & incæstuosum fuisse, & revelationes finxisse ad explendam impotētem libidinem.

Et vt ait Ioan. Andr. in suo libro cōtra sectam Mahumetanam cap. 7. Iacobitarum Rex tanquam munus magni pretij obtulit Mahumeto Virginem pulcherrimam, natione Iudeam, Marinam nomine: statim eius amore captus est Mahumetus; eamque solicitavit, & consequutus est. Et cum duæ ex principalioribus vxoribus Mahumeti adulterium suspicarentur, stimulis Zelotipiæ agitatæ; diligenter eum observabant, per rimas, & cancellos auscultantes maritum suum, & ancillam. Tādemque eos in adulterio deprehenderunt; & acriter vtraque Mahumetum reprehēdit, exprobrantes delictum, & dicentes, eum non se gessisse vt Prophetam; nec facere, quod prędicabat, sed violasse fidem matrimonij, quam in sua lege prędicabat. Ille vero timens ne res tam fæda in vulgus spargeretur, enixè ab eis postulavit, vt rem silentio pręmerent; & iure iurando promisit, se nunquam deinceps fidem matrimonij violaturum. His promissis placatæ sunt. Cæterum cum secundo eum quadam die cum ancilla peccantem offendissent, in iras effusę conquestæ sunt apud suos consanguineos de Mahumeti infidelitate, dicentes, Mahumetum eas repudiasse, & fidem matrimonij, & iuramenti inique fregisse. Res publicam est, & Mauri scandalizati sunt. Mahumetus vero vt notam, & ignominiam effugeret, ad communes suas artes fingendi revelationes cōfugit. Finxit Deum per Angelum Gabrielem sibi locutum, & novum capitulum legis sibi dedisse Alcorano inserendum, in quo *Deus præcipiebat, quod Mauri possent ancillas cognoscere licite, & absque vllo peccato, etiam vxoribus inuitis.* Et hoc mandatum posuit initio capitis, vt gratiam Maurorum captaret. Et legitur in Alcorano lib. 4. & caput illud appellatur *Capitulum de prohibitione, capitulo del vedamento*, vt ex Arabico vertit Ioannes Andræas. Introduciturque in eo capite Deus excusans Mahumeti factum, & testificans, *Eum in hoc opere non peccasse*, & præcipiens vxoribus Mahumeti, vt veniam à Propheta petant. Viderint nunc Mahumerani, quam verum sit quod Alcoranum testatur, Mahumetum nunquam peccasse, neque falsitatem dixisse, cum constet evidenter, eum adulterum, & periurum fuisse. Hanc eandem historiam narrat etiam S. Petrus Paschasius pag. 35, num. 34. dicitque illā Mahumeti concubinam appellatam fuisse *Meriam.*

Vt autem constet, quam carnalis fuerit Mahumetus, audiant Mahumetani, quod narrat liber, *Axar*, nempe Mahumetum nupsisse cum illa Vbequar puella sexeni, & in illa tenera ætate consummasse cum illa matrimonium. Ita testatur Ioannes Andręas cap. 12. sui libri in fine. Alij autem Authores dicunt, octo annos habuisse puellam illam, quando Mahumetus cum ipsa concubuit. S. Petrus Parchasius pag. 23. num. 20. ait, Axam septem habuisse annos, quando Mahumetus duxit illam, decem vero cum eam defloravit.

Audiant, quod narrat S. Petrus Paschasius ex Maurorum libris pag. 36. „ num. 36. Mahumetus (inquit) in diebus „ menstrualibus suarum mulierum vtebatur illis vase præpostero. Et sic Axa „ vxor illius circa hoc dedit contra Ma„ humetum testimonium pessimum, & „ vile, dicens: Mahumetus mihi iussit „ meam operire naturam, quando volebat „ coire mecum in tempore menstrui, & „ insuper Maymona vxor illius dixit: „ Quod quando Mahumetus cum aliqua „ ex suis mulieribus cubare volebat, iu„ bebat illam, quæ tunc habebat men„ struum, quod naturam suam cooperi„ set, panisque etiam eam comprimeret, „ & tunc vtebatur illa. Et circa hanc materiam

„ teriam Maurus quidam illum interro-
„ gavit, dicens: Quid faciam, quando
„ mea eſt in menſtruis vxor? Et reſpondit
„ illi Mahumetus, comprime ſuper eius
„ naturam fæmoralia illius (nam fæmora-
„ libus vtuntur mulieres Mahumetanæ)
„ & reliquis eius membris, ſeu corporis
„ partibus ſcito te pro tua voluntate vti
„ poſſe.

Audiant, quod idem Sanctus Martyr narrat ex Mahumetanorum libris pag. 27. num. 23. *In Maurorum* (inquit) *libris ſcriptum habetur*, quod Mahumetus veſte „ vtebatur purpurea, vngebatque ſe vngē-
„ tis odoriferis, vt bene oleret, optimuſ-
„ que à ſe odor exiret: etiamque oculos, &
„ labia tingebat, ſicut hac tēpeſtate Mau-
„ rorum prætores, & alij multi, & mul-
„ tæ faciunt. Vnde cum aliqui ſuorum
„ ſectatorum Mahumetum de his rebus
„ reprehenderēt, & obiurgarent dicentes,
„ quod talia Dei nuntio non conveniret. Reſpondit (falſe ſe excuſando:) *Datum mihi eſt, & conceſſum, quod delecter voluptatemque capiam in tribus: Primum vnguentis: ſecundū mulieribus, tertium oratione* Sed in hoc tertio palā mentitus eſt, quia cum duobus prioribus nō convenit: nihil enim ita mentē avertit à Deo, rebuſque divinis, neque orationem ita impedit, ac carnales delectationes, quę mentem obcæcant, & hominem ſimilem iumentis inſipientibus reddunt. Et duo priora manifeſtē oſtendunt, Mahumetum non fuiſſe Dei Prophotam, neque Virum ſpiritualem. Nam vt inquit S. Gregorius; *Guſtato ſpiritu, deſipit caro*: & quanto quis Deum glorioſum, & excelſum profundius contemplatur, ardentius amat, dulcius guſtat, tanto plus faſtidit carnalia, & delectamenta aſpernatur venerea. Idcirco ſi Mahumetus fuiſſet vir ſpiritualis, & conſolationes divinas expertus, nuſquam vſque adeo inſipienter fuiſſet locutus. Propterea quae Paradyſum poſuit in delectationibus guſtus, & tactus, quia eius ſpiritus ſemper carnalibus delectationibus inhians, veluti in carnem mutatus erat: & quia caro erat, ſpiritus Dei in illo commorari non poterat.

Audiant quid narrat Dionyſius Carthuſianus in ſuo opere contra Mahumetanos pag. 487. id deducens ex libris authenticis Mahumetanorum, nimirum Mahumetum faſſum eſſe, *Quod tantum potuerit cum mulieribus agere, quantum alij viri quadraginta ad coitum fortes.* Vnde vna hora poterat cum quadraginta fœminis conſumatam, & perfectam copulam habere. Hoc de ſeipſo dixiſſe Mahumetum, & ſe laudaſſe de hac monſtruoſa potētia, teſtantur tres libri apud Mahumetanos valde authentici, nempe liber *Aſamail*, in quo agitur de bonis qualitatibus Mahumeti: & liber *Azear*, in quo ſcribuntur vitę Acalifarum, & alius liber, qui appellatur *Almazhodi*. Ita refert Luppus de Obregon in ſuo tractatu cōtra Mahumetanos ex Ioanne Andræa, & alijs. Ex his verbis planè cōvincitur Mahumetum non fuiſſe Dei Prophetam, & Virum Sanctum, vt cæci Arabes credunt: quia vel falſum dixit, vel verum. Si falſum, mendax fuit, & inſuper carnaliſsimus, quia magnam ſui laudem exiſtimavit, habere potentiam ad coeundum valentiorem, quā habeant tauri, vel aſini emiſſarij. Si verū, evincitur Diabolum ei ſubminiſtraſſe fomenta libidis, quia naturale nequit eſſe, quod vnus homo poſsit cum tot mulieribus intra brevem temporis moram copulam conſumare.

Quare merito S. Petrus Paſchaſius, poſtquam ex libris ipſis Mahumetanorum, enormia Mahumeti comprobavit „ delicta, tanden pag. 50. num. 60. con-
„ cludit, quod doctrina, quam tribuit, &
„ docuit ſuos credentes Mahumetus, fuit
„ occidere homines, ſtuprare, & captivas
„ ducere mulieres cum parvulis, alienum
„ prædari, ſub illorum poteſtate redigere
„ terras, & aliena regna ſortiri, incanta-
„ tiones, & coniurationes facere, augu-
„ rari, ominari, & auſpicari, divinis, & in-
„ cantatoribus vti propter concupiſcen-
„ tiam, & luxuriam, propter cupiditatem
„ & ambitionem omnes rationis metas
„ tranſilire, havenas vitijs laxare, nihil ma-
„ lum prohibere, omnia mala tolerare,
„ non cuſtodire, neque ſervare legem, ver-
„ bis, & promiſsis non ſtare, & quod plus
„ eſt, omnia iuramenta faciliter frangere,
„ niſi in illorum vtilitate cedere conſpe-
„ xerint. Denique in eius Alcoran, eiuſ-
„ que dictis multas vanitates, fabulas, mē-
„ dacia, contrarietates, & Hęreſes viles, &
„ impuras invenietis inſertas, & alia mul-
„ ta, quæ minimè dicere, nec facere de-
„ buiſſet homo, qui ſe nuncium Dei eſſe
„ dicebat. Et ſi ſe ab hoc inaniter iacta-
„ bat, quare vxores accipiebat alienas,
„ non ſolum exterorum, ſed etiam ſuorū,
„ & viliter, & petulanter ſe excuſſans,
„ dicebat, quod illi Deus omnia, quæ ap-
„ petebat, concedebat? Et quod in h
„ mundo ſuæ delitiæ, ac voluptates era
„ vnguētis prętioſis, & odoriferis, veſtil

„ purpureis, & mulieribus vti ad nutum „ suæ voluntatis? O stultitia miserorum, „ qui crediderunt, & credunt in talem „ nuncium! Tam manifestè infrontem, & „ inverecundum, tam publicum peccato„ rem, Hæresum, mendaciorum, errorũ, „ abusionum, amentiarum, & vanitatum „ seminatorem! Hucusque Sanctus Martyr. Lege, quæ â nobis supra dicta sunt sect. 1. & 2. de modo quo Mahumetus suã sectam invexit, & facile constabit Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed sagacissimum regnorum deprædatorem, qui vt regnum sibi, & suis successoribus relinqueret legem composuit, quę nihil difficile intellectui proponit, & nihil arduum voluntati præcipit, sed habenas laxat cupiditati, ambitioni, & luxuriæ.

§. II.

Ideo Diabolus Mauris persuadet, Mahumetum fuisse Virum Sanctum, vt eius vitia sub larva virtutum imitantes, in infernum cum ipso detrudantur.

QVI serio meditatus fuerit, quomodo tot Arabes, & Persæ & aliarũ nationum homines ingenij acumine prædíti Alcoranum legere possint, quin statim cognoscant, Mahumetum nõ divino consilio, sed astutia humana librum illum composuisse, & legem dedisse carni, & sanguini conformem, vt homines facilius ad se traheret, & regnum sibi pareret: facile deprehendet Diabolum tenebras offundere menti eorum, vt dum Mahumetum Virum Sanctum fuisse credunt, facile eius vitia imitentur. Vt enim expendit Theodoretus lib. 7. de Græcarũ affectionum curatione, inter tehnas, & astutissimos Diaboli dolos ad præcipitandos homines infędissima flagitia, vnus ex præcipuis fuit, persuadere hominibus, vt tanquã Deos colerent, & venerarentur homines flagitiosos, plenos sævitijs, libidinibus, injustitijs, & omnium generum delictis; vt Saturnum homicidam, & parricidam: Iovem incęstuosum, & nefandum: Apolinẽ adulterum, Mercurium Seductorem, Venerem, & Floram meretrices, Plutonem Proserpinę raptorem, & alia huiusmodi monstra; & vt omnibus manifesta fierent suorũ Deorũ flagitia, etiam persuasit poetis, vt illa carminibus suis depingerent, & mentibus hominum ad imitationem blan„ de insinuarent. Quia vero maxima pars „ hominum litteras nescit, neque idonei „ sunt qui Poetarũ, ac Philosophorũ ver„ ba, sensusq; percipant, alia quædã retia „ radioribus his capiendis retinendisque „ comparavit. Instituit enim pictores, fa„ brosque ferrarios, quique faciendis si„ mulachris opifices ligno lapideque vtũ„ tur, tales eorum figuras, qui vocantur „ Dij, pingere, cudere, conflare, effinge„ re, quales illi fabulatores suis pridem „ verbis expressérant, vt haberent hi quo„ que proposita flagitiorum exempla, qui„ que participes lectionis, sermonumque „ esse non poterant, ita saltem fædissimas „ imagines intuendo execrabili doctrina „ minus carerent. Atque horum artifi„ cum simulachris, non solum templa cõ„ plerunt, sed fora, sed vicos, sed locuple„ tum Virorum domus; quoquo enim te „ vertas, est videre eos, qui falso Dij no„ minantur, amatorum facta exprimere, „ prælibidine rabidos terri, in venerem „ concitari: Patremque Deorum tauro, „ aquila, cygnoque dissimulatum, eoque „ pacto amicis fœminis commiscerí: Mer„ curium vero sermonis prędidem, hircum „ effectum Panã, filium genuisse capri„ nis fultum cruribus, & cornibus præ„ munitum, &c.

Hincque effectum est, vt miseri homines, qui in suis peccatis interioribus conscientię stimulis pungebantur, & remorsus conscientiæ aliquantulum detinabantur, ne tam proni in vitia ruerent, in tantam dissolutionem devenerint, vt sine fræno in omne flagitiorum genus suorum Deorum facta imitantes prolapsi sunt. Vt optimè notavit Iulius Firmicus in eo libro quem composuit de errore Religionum prophanarum. *Adulterio delectatur aliquis? Iouem respicit, & inde cupiditatis suæ fomẽta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro.* Erant quippe quasi canonizata flagitia, dum tanquam Dij colebantur, qui similia comisserant peccata, & ideo non fugiebantur vt probrosa, quia patrata cernebantur ab ijs, quos vt Deos colebant. Vnde cũ Chreas apud Terentiũ in Eunocho reprehenderetur, quod dolo, & violentia virginem quãdam defloraverat, respondit. *Si Princeps Deorum Iupiter hoc fecit, cur non facerem ego, qui homo mortalis sum?* Si enim iure merito dixit Firmicus, *Desinunt esse probri loco purpurata flagitia*: à fortiori definebant apud Gentiles esse probri loco *quasi deificata flagitia*, id est, à Dijs commissa.

Et

Et ideo æterna Dei ſapientia, Dei Filius, in hunc mundum venit, vt diſſolveret hęc opera Dæmonum. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli*, inquit Ioannes Epiſt. 1. cap. 3. v. 8. Ideo enim Filius Dei factus eſt homo, vt ſe nobis omnium virtutum exhiberet perfectiſsimũ exemplar: vt qui Deorum falſorum vitia imitantes præcipitabantur in infernum, Veri Dei apparentis in homine virtutes imitantes in Cœlum aſcenderent, & ideo factus eſt homo, vt ſicut falſi Dij, qui fuerunt homines vitioſiſsimi, & exemplo ſuæ depravatæ vitę in libris Philoſophorum, & Poetarum publicatę, & oculis repræſentatæ in ſtatuis, & ſimulachris totum mundum corruperunt: ita verus Deus factus homo exemplo viſibili ſuæ vitę, ab omni peccato mundiſsimæ, & omni virtute ornatiſsimæ, litteris traditæ ſumma authoritate, & ſinceritate, & mundo prædicatæ per Viros Sanctiſsimos, & coram oculis hominum in imaginibus, & ſimulachris propoſitæ in templis, & domibus magna efficacia moveret homines ad fugam, & deteſtationẽ omnium vitiorum, & ad amorem honeſtatis, cunctarumque virtutum valide pertraheret. *Atque adeo ſapientiſsimus vniuerſorum Deus factus homo paucis viris, iiſque piſcatoribus, & publicanis, & vni funium contextori*, (inquit Theodoretus in proœmio libri, quẽ inſcripſit, „ Hæreticarum fabularum compendium) „ vniverſum terrę habitabilis orbem co„ lendum tradidit. Sceleſtiſsimus autem „ Dæmon hominum pernicies, cum vide„ ret eos multorum Deorũ adorationis „ errorem ſpinas radicitus evellere, ſeque „ ijs, qui obedirent, privari, ac deſtitui: „ cum ſit machinarum confarcinator, & „ improbitatis artifex, alias inſidiandi „ rationes excogitavit. Cum enim homi„ nes ſua operatione dignos elegiſſet, & „ veluti perſonam quandam eis Chriſtia„ norum appellationem impoſuiſſet, & „ tanquam melle quodam os poculi illiviſ„ ſet, exitiale mendacij venenum hominí„ bus obtulit: & cum hominum pernicię „ ſitiret, non expectavit vt Apoſtolorum „ prædicatio confirmaretur, & invaleſce„ ret, & tunc fraudem offerret: ſed cum „ primum illi terram colere cæperunt, & „ vera pietatis, ac Religionis ſemina deij„ cere, is interea ſeminavit zizania. Hereſiarchas ſcilicet excitando, qui veritatem ab Apoſtolis prędicatã oppugnarent; & primum omniũ elegit Simonem Magum: Deinde Baſilidem, Carpocratem, Cherinthũ, Ebionem, Marcionem, Ariũ, Neſtoriũ, & álios eiuſmodi Hæreſum opifices. Cum autẽ aſtutiſsimus Dæmon videret Eccleſiam Chriſti harum Hæreſum zizania eradicaſſe per Concilia, & Sanctiſsimorum Patrũ ſcripta: excitavit Mahumetum hominem ſuperbum, ambitioſum, carnalem, qui novam cuderet ſectã, & ſub ſpecioſo titulo cultus vnius veri Dei introducendi, & idololatriæ exterminandæ, mundum inficeret; & vt facilius finem intẽtum aſſequeretur, diſpoſuit, vt Arabes cum ſectam illam ſuſcipiunt, tanquam ſummam, & compendium ſuæ fidei crederent, *Vnum eſſe Deum, & Mahumetũ eſſe eius Prophetam*, Nuncium, & Apoſtolum. Et ideo vt vidimus ſupra ſect. 3. pag. 548. col. 1. cum circunciduntur faciunt fidei ſuæ profeſsionem ſub hac forma: *La illa illa Alha Mahumed Raſualha, id eſt: Vnus Deus tantũ eſt, & Mahumetus eſt eius Profeta, & Apoſtolus.* Et dant operam vt pueri non circuncidantur vſque dum poſsint verba illa proferre, & ſuæ fidei proteſtationem facere. Atque Dæmon nullum detrimentũ ratus eſt, quod Mahumetani credant hanc primã veritatem, quod non eſt niſi vnus Deus, dummodo ſimul cum hac veritate credant maximam illam falſitatẽ, quæ omnium errorũ Mahumetanæ ſectæ origo eſt, nempe, quod Mahumetus fuit maximus Dei Propheta à Deo in orbem miſſus, vt homines viam ſalutis doceret, & legiſlator ſãctiſsimus. Hinc enim fit, vt credant vera eſſe omnia, quę in Alcorano credenda proponit, & licita, & ſancta eſſe omnia quæ præcipit, & permittit, & vt exempla ſui Prophetæ ſectentur. Vnde, quia ille multas vxores habuit, & ancillas defloravit, & venerem præpoſteram cum vxoribus exercuit, & vxores dimittere docuit, & peccatum nefandum in lege ſua non punit; & incantationibus, & augurijs vſus eſt: & regna deprædatus eſt aliena, & Chriſtianas terras occupavit; aliaque execranda commiſit ſcelera, hæc omnia Mahumetani imitãtur; nec illos pudet facere, quod feciſſe ſciunt Mahumetũ, quẽ Virum Sanctum, & Dei Apoſtolum credunt fuiſſe.

Quare Chriſti prędicator in converſione Maurorũ laborans, debet in hoc maxime incũbere, vt oſtendat Mahumetum non Dei Prophetã, ſed ſeductorẽ; non virum ſanctum, ſed hominẽ ſceleratiſsimum fuiſſe; qui larvã illam legiſlatoris, & Prophetę accepit, vt ſibi regnũ compararet; qui in ſuo Alcorano *mendacijs multa vera*

inseruit, & malis bona commiscuit, malignitate fallendi, vt scilicet falsis propter vera crederetur, & mala propter bona reciperentur, vt supra pag. 538. obseruauimus ex Guillelmo Parisiensi: eiusque propositum non fuit aliud, quam difficultatem omnem profligare, quam Christiani homines increndo, & operando patiuntur, vt constat ex verbis Bellarmini relatis pag. 533. vt ita homines facile susciperent legem, quæ nihil difficile intellectui credendum proponit circa diuina, neque aliquid carni, & sanguini contrarium præcipit, sed ianuam aperit delectationibus carnis, & cupiditatibus animi.

SECTIO XVI.

Pluralitas vxorum & eas repudiandi licentia, quam lex Mahumeti præscribit, clarè demonstrat, eam non esse legem Dei.

§. I.

MAhumetus in Alcorano lib. 4. Azora 3. sic loquitur: *Duas vel tres, aut quatuor vxores ducite, nisi timueritis eas nullatenus pacificare posse; tunc enim quot sua manus castigare quiuerit.* Iam autē vsu receptum est apud Mahumetanos, vt vnusquisque, tot ducere possit, quot alere valet. Et ideo Magnus Turca in quodam Palatio, quod appellatur Serralle, ducentas, vel trecentas mulieres sub titulo vxorum habet præter concubinas. Magnates autem & Dynastæ habent quadraginta vxores in diversis domibus, quas Eunuchi custodiunt. Ita testatur Thomas Bocius de signis Ecclesiæ tom. 1. signo 56.

Quia Mahumetus suam legem miraculis, & operatione virtutum introducere non potuit, per humanam astutiā excogitavit quidquid erat acommodatum ad suę legis divulgationem, & extensionē, & id tanquam sibi à Deo revelatum, & diuinitus inspiratum barbaris Arabibus proposuit. Hinc se in virtute gladij à Deo missum perhibuit, hinc suos ad depræda-tionem, & pugnas hortatus est: hinc multitudinem vxorum, & repudiationem concessit; hinc licentiam cognoscendi fœminas in bello captas indulsit, quo alacriores & promptiores ad bella faceret.

Hanc vero legem de pluralitate vxorum iniustam esse, est de fide Catholica, definitum in Tridentino sess. 24. Canone 2. his verbis: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.*

Sed non solum est illicitum Christianis, sed omnibus gentibus. Idque probatur cōtra Mahumetanos ex veteri, & novo testamento, quę Mahumetus admittit, & quibus iubet credi, vt vidimus supra pag. 580. Nam Gen. 2. v. 24. dicit Deus: *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Vt autem expendit Innocent. III. in cap. *Gaudemus* de divortijs ad probandum paganum habētem plures vxores, dū convertitur ad fidem non posse nisi vnam retinere, nempe illam, quam primo duxit, in illis verbis continetur præceptum divinum de vnica tantum vxore, non enim dixit Deus: *Adhærebit vxoribus suis, sed adhærebit vxori suæ*: nec dixit, erunt plures in carne vna, *Sed erunt duo in carne vna*; ijs verbis aperte significans, à se sancitum esse, vt vnus vir vnam dumtaxat, & non plures simul habeat vxores. Quod autem illa sint verba Dei, & non Adę, apertè docuit Christus Dominus Math. 19. v. 4. Cum enim Pharisęi tentantes eum, interrogassent ab eo, an liceret homini dimittere vxorem quamcunque ex causa? Respondit Dominus: *Non legistis, quia qui fecit hominem abinitio, masculū & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Hæc verba dicta à Deo, & per os Adæ, tanquam per os præconis divini proclamta legem apertissimam de vnitate vxoris declarant. Ex illis enim verbis tanquam à Deo prolatis Salvator noster contra Pharisæos probavit, non licere viro prima vxore vivente alteram ducere, neque primam dimittere. Ergo Christus Dominus exponens mentem supremi legislatoris Dei, docuit, Deum vnā tantum vxorem vni viro concessisse: ergo polygamia multarum vxorum simul iure divino à Deo fuit prohibita.

Quod confirmatur ex illa explicatione Christi Domini Math. 19. vers. *6. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Hæc enim verba significant, matrimonij initio institui eum esse effectum, vt qui coniunguntur fiant vna caro: at si vnus multis iungatur, non erit vna caro, sed multæ, neque tam fiet vnio, quam divisio per tale matrimonium. Expendensque Hieronymus illa verba Christi, *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit illum*, asserit, quod dicendo, *Masculum, & fœminā*, ostendit, secunda vitanda coniugia: nō enim ait, masculū, & fœminas, quod ex priorū repudio

quæ-

quærebatur, ſed *maſculum, & fœminam*, vt vnius coniugis conſortia necterentur. Et vt communiter interpretantur Patres, Chriſoſtomus, Hieronymus, Beda, Theophilactus, Euthimius, Strabus, & Author imperfecti, Chriſtus illis verbis fecit hoc argumentum: ſi Deus voluiſſet vnum virum plures habere vxores, non vnam tãtum, ſed plures fœminas initio feciſſet. Neque enim Adamus aliam poterat habere vxorem, niſi quæ cum illo creata fuiſſet à Deo: quia omnino repugnat naturæ, vt pater ducat filiam, aut neptem: omnes autem fœminæ præter Evam, aut filiæ aut neptes Adami fuerunt. Atque adeo Deus coegit Adamum Monogamũ eſſe. Quod ſi tunc, quando propagandum erat genus humanum, noluit Deus vt Adamus haberet niſi vnam vxorem: multo minus volet nunc, quando vniverſus orbis plenus eſt iam hominibus, quod vnus homo habeat plures fœminas.

Idque iterum deducitur ex illis verbis Dei, *Et erunt duo in carne vna*. Diſputant Patres, & expoſitores, quomodo vir, & mulier dicantur vna eſſe caro. Hieronymus, & Beda ad liberos referunt, vt D. Thomas interpretatur in catena, & in cõmentarijs ad hunc locum; quia nimirum ex viro, & vxore genitus filius vna vtriuſque communis eſt caro. Alij ad corporum coniunctionem, quem admodum videtur interpretari D. Paulus 1. ad Corinth. 6. dum ait: *Qui adhæret meritrici vnum corpus efficitur*. Alij ad amorem mutuum, de quo idem Paulus ad Epheſ. 5. *Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua. Qui vxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit*. Alij ad poteſtatem, quam vir in vxorem, & vxor in virum habet; vt enim inquit D. Paulus 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Alij vero, quorũ ſententiã maximè probat Maldonatus, aiunt, perinde fuiſſe dicere, *Erunt duo in carne vna*, ac ſi diceret: non iam duo ſunt homines, ſed vnus. Notum eſt enim carnem ab Hebræis poni pro toto homine, vt vidimus ſupra pag. 596. Significat ergo Chriſtus virum, & vxor non duos eſſe homines, ſed vnum; vxorem veluti corpus, virum veluti ſpiritum, & animam eſſe. Itaque non magis debere virum ab vxore, quam animam à corpore ſeparari. Vnde ſicut eadem anima non poteſt duplex corpus ſimul informare; ita ex Dei inſtitutione nequit idem vir duplicẽ vxorem habere.

Probatur idipſum ex novo teſtamento. Nam Chriſtus Dominus Matth. 19. volens reſtituere matrimonium ad eum ſtatum, eamque perfectionem, & rectitudinem, quam habuit in ſua primeva inſtitutione, polygamiam omnino prohibuit, illis verbis: *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*. Ex quibus verbis evidenter infertur eſſe illicitum tranſire ad ſecundas nuptias vivente prima vxore; ſi enim qui primam vxorem dimiſerit, non poteſt ſecundam legitime ducere, ſed mœchatur dum alij mulieri coniungitur, quia nimirum priori iniuriam facit, cui ſui corporis poteſtatem fecit per primum & legitimũ matrimonium: ergo à fortiori mœchabitur, ſi retenta priore vxore, novã duxerit. Ergo ex Chriſti declaratione, & inſtitutione eſt omnino irritũ ſecundũ matrimonium vivente prima vxore.

Quod confirmatur: nam Marcus hanc eandem hiſtoriam narrans, inquit cap. 10. v. 11. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Vbi non excipit fornicationis cauſam; ſicut Mathæus exceperat. Vt autem notat Maldonatus, non poteſt excogitari alia cauſa, cur Mathæus exceperit fornicationem, Marcus vero non exceperit, niſi quia Mathæus voluit explicare, aliquando licere vxorem dimittere, ſi nimirum adultera ſit: Marcus autem docere voluit, nunquam licere aliam vxorem ducere: etiamſi prior propter adulterium dimiſſa ſit.

Animadvertitque Maldonatus, obſervatione dignum eſſe, quod Marcus dicat, *Adulterium committit ſuper eam*, id eſt contra eam, atque, ideo Marcum hoc dixiſſe, vt indicaret, non magis licere dimiſſa vxore adultera aliam ducere, quam vxore contra ipſum adulterium committente, contra illam adulterium committere. Lucas etiam cap. 16. v. 18. generaliter locutus eſt ſicut Marcus, dicens: *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit*, mœchatur. His verbis planè ſignificãs, Chriſtum Dominum vniverſaliter prohibuiſſe polygamiam.

Deinde id ipſum probatur multiplici ratione. Quia quamvis vxorum pluralitas non ſit contra primarium matrimonij finem, qui eſt filios procreare, & educare; cum vnus vir multis mulieribus fœcundandis, earumque libris educandis ſufficiens eſſe poſsit; neque vxorũ pluralitas

ralitas sit contra prima iuris naturalis principia, quę certissimam, ac inviolabilem rectitudinem continent, & in quæ nulla potest cadere dispensatio: tamen illa vxorũ pluralitas est contra alios fines secundarios matrimonij; & attento iure naturæ illicita est, nisi accedat Dei dispensatio, vt late probat P. Thom. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 80. Idque persuadent rationes adductæ à D. Thom. 3. contrag. c. 124. & à Bellarm. t. 2. lib. 1. de matr. c. 10. & ab Alphonso de Castro lib. 11. adversus Hæreses verbo nuptiæ in 4. Hæresi.

Probatur autem primo, quia in omni matrimonio intervenit quidã contractus vi cuius coniuges mutuo trasferunt in alterum sui corporis dominium. Neque mulier dum viro nubit gratis tribuit viro corporis sui potestatem, sed propter æqualem compensationẽ, quia nimirum vir vicissim tradit mulieri sui corporis potestatem, & ideo Paulus 1 corinth. 7. dicebat: *Mulier sui corporis potestatẽ non habet, sed vir. Similiter autem vir, &c.* Ergo sicut mulier plenam sui corporis potestatẽ viro tradit, ita vir tradere debet plenam sui corporis potestatẽ mulieri: quod non contingeret, si idem vir plures haberet vxores, quia potestas in corpus mariti esset divisa inter plures, & ita nulla haberet plenam potestatẽ in illud. Quid enim si vtraque simul debitum peteret? Tunc enim vtique maritus reddere non posset. Vnde vel vtraque fraudaretur vsu dominij sui: vel altera alteri præferretur, & tunc illa, quæ postponeretur, iniuriam pateretur. Esset ergo contractus inæqualis, & iniustus.

Secundo, quia finis secundarius matrimonij est remedium adhibere fragilitati virorũ, & mulierũ, ne si consorte careãt prolabantur in peccatũ incontinentiæ. Et ideo Apost. 1. corinth. 7. v. 5. dicebat vxoratis: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiã vestram.* Est autem cõtra hunc finem pluralitas mulierũ; quia vnicus vir nequit multarum mulierũ incontinentiæ remedium adhibere. Vnde quo vir plures vxores acceperit, eo matrimonium erit inutilius.

Tertio, quia vxorũ pluralitas adversatur tranquillę, ac pacificæ cohabitationi coniugũ, quæ est finis secundarius matrimonij, esset quemultarũ rixarũ fomes, & contentionibus, & æmulationibus perpetuã præbet occasionẽ, vt constat ex contentionibus inter Saraim, & Agaręm vxores Abrahæ, inter Liam, & Rachelem vxores Iacob Gen. 16. & 30. & inter Annam, & Phenenã vxores Eleanę 1. Reg. 1. cõnaturale enim est, & sexui fragili mulierũ conforme, vt vnaquæque vxorũ vitũ sibi magis propitiũ, & ardentiorẽ sui amatorẽ facere satagat, & alijs invisum, & infestum reddere, vnde ex multitudine vxorũ vitiũ Zelotipiæ, rixæ, & discordiæ necessario oriuntur. Cum ergo Deus nihil magis cõmendaverit hominibus, quã concordiã, & pacẽ: consequens est vt prohibuerit pluralitatem vxorum, quæ perpetuam discordiæ materiam facile subministrat.

Quarto, quia vxor non subditur viro tanquam famula, sed tanquam socia, & collateralis: & ideo ipsa quoque in domo principatũ habet, vt fusè probat S. Chrisostom. hom. 20. in Epist. ad Ephes. Idque deducit S. Thom. 1. p. q. 29. a. 3. ex ipsa formatione mulieris: ideo enim nec ex capite, nec ex pedibus, sed ex latere formata est, vt neque denominetur viro, nec illi subijciantur instar ancillæ; sed socia sit & collateralis. Quod etiã testantur honorũ vocabula, & Regũ enim vxores Reginæ, & Augustorũ Augustæ dicuntur. Iam vero omnis principatus sua natura diligit singularitatem, vt August. docet lib. de bono cõiugali, c. 17. ergo repugnat matrimonio vt vnius viri plures sint coniuges. Vt enim Aristotel. docet 8. Ethic. c. 12. vir, & vxor non coniunguntur solum ad procreãdum, vt animalia cætera, sed etiam ad cohabitandum, & vt simul familiam regant, & officia domestica inter se dividant. Vnde officia illa, quæ attinent ad vxorem vnius debent esse, vnaque proinde dumtaxat debet esse vxor, vt illa quoad illa munia mulierum propria in familia principatum teneat.

Quinto, quia vt inquit D. Thomas 4. contragent. cap. 124. num. 2. In „ omni animalis specie, in quo patri in- „ est aliqua solicitudo de prole, vnus mas „ non habet nisi vnam fœminam: sicut „ patet in omnibus avibus, quæ simul nu- „ triunt pullos: non enim sufficeret vnus „ mas auxiliũ præbere in educatione pro- „ lis pluribus fœminis. In animalibus au- „ tem in quibus maribus nulla est solicitu- „ do de prole, indifferenter mas habet „ plures fœminas, & fœmina habet plu- „ mares: sicut in canibus, in gallinis, & „ huiusmodi. Cum autem masculo inter omnia animalia sit magis cura de prole in specie humana, manifestum est, quod naturale est homini, quod vnus mas

vnam

vnam fœminam habeat, & econverso.

Sexto, quia inter Virum, & vxorem debet esse vera, & liberalis amicitia; amicitia autem in quadam æqualitate cõsistit; si autem liceret viro habere plures vxores, non esset liberalis amicitia vxoris ad virum, sed quasi servilis, & hęc ratio (inquit D. Thom.) experimento comprobatur; quia apud viros habentes plures vxores, vxores quasi ancillæ habentur.

Denique quia vt ait idem D. Tho. amicitia intensa non habetur ad multos, vt patet per Philosoph. Ethic. 8. si igitur vxor habet vnum virum tantum, vir autẽ plures vxores, non erit æqualis amicitia ex vtraque parte: non ergo erit amicitia liberalis, sed quodammodo servilis.

Sed Mahumetani se protegunt exẽplo Patriarcharum, quos constat habuisse multas vxores. Hanc difficultatem copiose, & erudite tractat Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 1. de matrimon. c. 11. Ex quo respondeo, sententiam esse Scholasticorum communem Patriarchis antiquis licitum fuisse, ex divina dispensatione plures vxores simul habere. Et vt declarat Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divort. nulli vnquam fuit licitum sine divina dispensatione plures simul vxores habere. Et ita Chrisostomus homil. 56. in cap. 30. Genes. dicit consuetudinem plurium vxorum habendarum fuisse malam, & ideo à Christo abolitam, sed Patribus antiquis fuisse licitã, quia à Deo permissã.

Rationem autem cur Deus cum Patriarchis antiquis dispensaverit, reddit optimam Alphonsus à Castro lib. 11. adversus Hęreses verbo, nuptiæ. Nam sicut pro „ varietate temporum statuta etiam humana variantur, ita Deus pro varietate „ temporum varias condidit leges, & varias etiam eiusdem legis fecit dispensa„ tiones. Ab initio enim mundi (vt Salvator noster ait) masculum, & fœminam „ fecit eos Deus, & matrimonium inter „ solos duos constituit, vt essent tantum „ duo, & non plures in carne vna. Et si illi „ primi parẽtes in iustitia perseverassent, „ semper in toto tempore sine defectu matri„ monii inter duos tantum, prout à prin„ cipio conditum erat, celebraretur. At „ cum postea hominum malitia adeo creuisset, vt fere omnes idolis servirent, & „ falsos Deos colerent, paucissimis in cul„ tu Dei permanentibus, decrevit Deus „ viros servos suos pluribꝰ fœminis per ma„ trimonii copulare, vt cultores veri Dei „ multiplicarentur, & sic Angelorũ ruinę „ citius repararẽtur. Benignẽ igitur in hac „ dispensatione fecit Deus in bona volun„ tate sua cum humano genere, vt sic cito „ ex hominibus tanquã ex vivis lapidibꝰ „ reędificaret muros cęlestis Hierusalem, „ qui peccantibus Angelis rupti fuerant. „ Innocent. III. in illo cap. *Gaudemus* de di„ vort. dicit illos Sanct. Patriarchas plu„ res accepisse vxores, propter revelatio„ nem divinam de hoc illis factam.

At Christus Dominus, qui legẽ novã tanquã perfectissimus legislator mũdo dedit, & verbis, & exemplis homines abstraxit à carnalibus desiderijs, à terrenis affectibus, & ab occupationibus circa sensibilia, & caduca, eosque induxit ad spirituales affectus, ad actiones internas, & ad virtuosas occupationes, matrimoniũ reduxit ad eam puritatẽ, & rectitudinẽ, in qua à Deo institutũ fuerat, nimirum vt vnus vir vnã dumtaxat posset habere vxorẽ, & omnem dispensationẽ circa vxorũ pluralitatẽ omnino abstulit: quia vxorum pluralitas magnũ impedimentum erat ad eam perfectionem, quam lex nova intendit. Constat enim quod quanto quis ad carnalia magis sensualiter, ac fervẽter afficitur, tanto plus à spirituali, atque divino amore, atque ab omni virtutum perfectione impeditur. Certum est autẽ, nihil ita animũ virilẽ ab arce virtutũ deijcere, nihil ita cor viri effœminare, nihil ita mentẽ humanũ dẽprimere, & absorbere, inebriare, ac tandẽ infatuare, sicuti irrefrenatus facit cõcubitus, frequensque mulierũ amplexus. Merito ergo Christus illam pluralitatẽ vxorum penitus abstulit. Iam enim post eius adventũ cessavit ratio dispensandi; cũ enim Sol iste divinus mundũ vniversum illuminaverit, & errorũ, & idololatriæ tenebras expulerit, verique Dei cultũ per Apostolos suos in vniversas orbis partes invexerit, nõ erat conveniens vt cuiquã liceret titulo propagandi cultores veri Dei plures simul vxores habere.

Sed dicent Mahumetani Deum dispensasse cum Mahumeto, & cum omnibus sectatoribus suæ Religionis, vt plures possint habere vxores. Sed cõtra, quia Mahumetus ipse in Alcorano Azora, seu c. 12. ait: *Deũ cõmisisse Euangeliũ Christo Mariæ Filio, & Euangeliũ esse lumen, ac confirmationẽ, & castigamen veteris testamenti, ac rectã viã timentibus Deũ.* Et c. 13. ait: *Deum tradidisse Christo Mariæ Filio animam mundam, ac benedictam, quæ cæcum natum, atque leprosum curavit, & mortuos suscitavit, eumque edocuisse librũ, & sapientiã, & Euangeliũ, & testa-*

testamentum. Ergo cum Christus in Evangelio penitus abstulerit pluralitatem vxorum tanquam legislator supremus à Deo datus hominibus; consequens est, esse insigne mendacium, quod Deus cum Mahumeto, & eius sectatoribus dispensaverit. Sed Mahumetus ipse, quia carnalissimus, & turpissimus fuit, talem legem suis dedit. Illa namque vxorum pluralitas fovet in viris concupiscentiæ ignem, libidinis vehementiam, sensualitatisque irrefrenationem: quanto enim concupiscentia carnis cum plurib⁹ personis exercetur, tanto plus sævit, nec suis terminis coarctatur. Vnde nulla hominum natio minus abstinet à vitijs contra naturam, immò à commixtione cum brutis, quam Mahumetani, quibus illa vxorum pluralitas, non remedium, sed incentivum est, atque adeo viri per illam vxorum pluralitatem efficiuntur libidinosi, atque brutales. Fœminis vero occasionem præbet alienos viros appetendi, & in fœdissima peccata cõtra castitatem labendi; cum enim molles, ac fragiles sint, & suorum virorum exempla videant, qui tam frequenter venere vtuntur: & vnus non sufficiat tot vxoribus satisfacere; necesse est, vt hoc sit eis occasio magna peccata committendi.

Contra secundo; quia cum certum sit Deum instituisse matrimonium inter duos dumtaxat, & nunquam pluralitas vxorum fuerit licita nisi ex dispensatione Dei; consequens est vt lex Mahumeti, omnibus viris licentiam præbens plures vxores simul habendi, non sit dispensatio, sed abrogatio legis divinæ: nam dispensatio non conceditur nisi in quibusdam casibus particularibus, & aliquibus dumtaxat personis. Ergo Deus qui per seipsum legem tulit de monogamia, & in illa dispensavit cum Patriarchis, & paucis quibusdam hominibus: & postea per Christum omnem dispensationem abstulit: non potuit postea legem illam iustissimam, & aptissimam ad perfectionem assequendam per Mahumetum penitus abrogare, condendo novã legem de polygamia.

Contra tertio, quia ratio, propter quam Christus abstulit dispensationem in lege illa demonogamia, seu de matrimonio cum vna dumtaxat muliere ab vno viro contrahendo, militavit non solum in illis sexcentis annis, quibus Christus Mahumetũ antecessit; sed militat etiam nunc & vsque ad finem mundi militabit, vt constiterit patebit. Ergo Christi institutio omnino reddit illicitam pluralitatẽ vxorũ.

Quare Mahumetani solum verum matrimoniũ contrahunt cum prima vxore, reliquæ vero sunt concubinæ, & concubitus cum illis est adulterium, nec coram Deo excusationem habebunt, quia ignorantia, qua laborant, vincibilis est. Hinc quando Mahumetanus, vel alius infidelis polygamus ad Baptismum venit, cogitur ab Ecclesia dimittere vxores omnes præter primam; quod argumento est, solam primam esse legitimam vxorem, reliquas vero esse illegitimas concubinas iure divino omnes obligante prohibitas. Si enim essent veræ, & legitimæ vxores, verumque matrimonium intercessisset inter virum illum & omnes illas mulieres, Ecclesia non obligaret infidelem illum conversum dimittere reliquas vxores præter vnam: quia lex Christi prohibet dirimi vera matrimonia, ac proinde si illa essent vera matrimonia non dirimerentur ab Ecclesia: sed solum præciperetur eiusmodi homini, ne deinceps alias vxores duceret, nisi prius obijssent omnes prius ductæ.

Sed pro complemento huius materiæ inquires, quo pacto Patriarchæ dicantur habuisse plures vxores, quãdo quidem ex scriptura videtur constare vnam tantum vxorem legitimam habuisse, cæteras vero mulieres, quibus adhęserunt, concubinas eorum fuisse. Siquidem Gen. 25. dicitur, *Dedit Habraham cuncta, quæ possederat Isaac: filijs autem concubinarum largitus est munera*. Respondeo ex Bellarmino, veras, & legitimas vxores aliquando vocari concubinas, & ipsas concubinas dici vxores. Nam Genes. 16. Agar dicitur vxor Abrahæ: & Genes. 25. Cethura dicitur etiã vxor: & paulo post tam ipsa, quam Agar dicuntur concubinæ. Et Iudic. 19. vxor vera & legitima, immò, & vnica cuiusdam Lævitæ nunc vxor, nunc concubina nominatur.

Ait ergo Bellarminus fuisse duo genera vxorum, tùm apud Hebræos veteres, tùm apud Gentiles: quasdam, quæ ducebantur, non solum ad procreandos liberos, sed etiam ad societatem omnium bonorum, & totius domus gubernationẽ; atque harum tantum filios esse hæredes, & has tantum dici matres familias. Quasdam vero fuisse etiam legitimas vxores, sed non admissas ad societatem bonorum, & domus gubernationem: & has nequaquam matres familias appellari solitas, neque earũ filios hęredes institui; & indifferenter appellatas fuisse, tùm vxores, tùm concubinas.

§. II.

§. II.

Facilitas repudiandi vxores, quam Mahumeti lex concedit, clarè ostendit eam non habere Deum Authorem.

LEGEM repudij introduxit Mahumetus ad occultandam iniquitatem, qua Zeidinum servum suum iam adoptatum in filium propria vxore, quæ pulcherrima erat, expoliavit. Deum enim in Alcorano introducit sic loquētem in Azora, seu capitulo, quod inscribitur *Elazeb*, „ Quia Zeidinus rixatus est cum vxore „ sua, eamque repudiavit; Ego, qui sum „ Deus vester, eam tradidi in vxorem ve„ stro Prophetæ, & mea voluntas est, vt „ quilibet vir in posterum repudiare pos„ sit vxorem suam sine peccato. Et vt testa„ tur Carthusianus pag. 478. tricesimo „ quinto Alcorani capitulo datur lex de „ vxorum repudio, ita vt liceat maritis „ suas repudiare vxores, & eas rursus reci„ pere vsque ad tertiam vicem, sic vt qua„ ternarium numerum non excedat in re„ pudiando, & recipiendo,

Hanc autem legem hoc pacto in praxim deducūt. Primo vt Mahumetanus possit licitè vxorem repudiare, & matrimonium contractum dissolvere, debet solvere repudiatæ dotem, quam ei promisit, cum eam duxit. Secundò, qui semel vxorem repudiavit, potest iterum cum ea de novo matrimoniū contrahere, & potest secundo, & tertio repudiare, & secundo, & tertio cum ea nubere; si tamen per tres vices illam repudiavit, non potest quarta vice cum eadem vxore repudiata nubere, nisi prius alius vir eam cognoverit. Vnde antequam illam quarta vice recipiant, vocant hominem cæcum, vel aliam personā vilem, & illi pecuniam aliquam exhibēt, vt cum ea congrediatur: hac autem præmissa diligentia, eam in vxorem recipiūt. Ita refert Luppus de Obregon. Tertio licet apud ipsos vir possit repudiare mulierem, mulier tamen non potest repudiare virum: & hoc repudium debet fieri coram Alfaquino, seu Sacerdote. Et quamvis à repudiandis vxoribus sæpè abstineant ob timorem consanguineorum mulieris repudiatæ, non tamen ob timorem Dei, vel ad fugiendam culpam, quia hoc licitum sibi existimant. Tempore autem famis, vel cum annonæ caritas vrget, Mahumetani facile vxores domo pellunt, & matrimonium dissolvunt, vt testantur Christiani, qui in Algerio commorati sunt.

In primis clarè cernitur Mahumetum ad palliandam suam iniustitiam, & carnalitatem finxisse in Alcorano, Zeidinum voluntarie repudiasse vxorem suā, constat enim ex sect. 15. pag. 652. non voluntarie, sed coactè ob violentiam sibi illatam à Mahumeto hoc fecisse. Secundò clarè cernitur barbaram, & iniustam esse legem, quæ ad recipiendam vxorem iam per tres vices repudiatam exigit tanquam conditionem, quod illa cum alio viro prius commisceatur.

Antequam vero argumentis probem illam legem repudiandi vxores, & dissolvendi matrimonia esse iniquam, & contrariam iuri divino, & naturali, suppono inter Christianos repudia esse irrita, & esse veritatem Catholicam definitā in Tridētino session. 24. Can. 6. & 7. Sacramentum matrimonij quoad vinculum esse indissolubile: siquidē ibi Concilium anathema dicit ijs, qui sentiunt matrimoniū quoad vinculum vlla de causa solvi posse.

Suppono secundo, certum esse inter Catholicos, coniugium infidelium solvi posse etiam quoad vinculum, si alter coniugum convertatur ad fidem, & alter nolit cohabitare sine iniuria Creatoris. Id constat ex doctrina Pauli 1. Corinth. 7. *Si infideles discedit, discedat, &c.* Et ex doctrina Ecclesiæ. 28. quæst. 2. cap. *Si infideles*, & cap. *Quanto*, cap. *Gaudemus* de divortijs. Nec obstat illud Christi Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Nam hoc matrimonium non dirimitur ab homine, sed à Deo, cuius interpretem habemus Apostolum Paulum. Nec etiam obstat illud, *Qui dimiserit vxorem excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, mœchatur.* Nam vt docet Augustinus lib. de adulterinis coniugijs cap. 1. & 2. Christus loquitur de matrimonio inter fideles, quod quia est Sacramentum est omnino indissolubile quoad vinculum, licet possint coniuges ob fornicationis causam separari quoad torum, & cohabitationem. Paulus vero loquitur de matrimonio inter infideles, quod non est Sacramentum; cuius matrimonij vinculum dissolvendi potestatem fecit Deus coniugi, qui convertitur ad fidem; si alter converti noluit. Quamvis enim Paulus consulat coniugi converso, vt permaneat cum infideli, si alter cohabitare velit sine iniuria Creatores, id est, quin infidelem ad infidelitatem pertrahere tentet, quia spes affulget quod sancta sua conversatione infidelem convertet ad Christum: tamen ad hoc non obligat, quia consulit, non

præcipit ; vt probat cum Augustino Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. de matrimonio cap. 12. § *Sed neque.*

Neque demum obstat, quod propter Hæresim non dissolvatur vinculum matrimonij : nam matrimonium contractum inter Hæreticos post Baptismum, verum Sacramentum est ; ac proinde est indissolubile ; vnde si alter coniugum convertatur ab Hæresi, non propterea potest qui convertitur transire ad alias nuptias ; sed cohabitare debet cum coniuge Hæretico, si iste velit cohabitare sine iniuria Creatoris, & non sit periculum vt coniux Catholicus pervertatur ab Hæretico: si autē adsit periculum, separari debent, nullus tamen vivente alio potest ad alias nuptias transire.

His suppositis probo illam legem Mahumeti esse iniquam. Primo, quia est contra Evangelium Domini nostri Iesu-Christi, cui Mahumetus iubet credi, vt vidimus supra pag. 580. Probatur assumptum : nam apud Marcum cap. 10. sic ait Christus: *Quicunque dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Et apud Lucam c. 16. hc inquit : *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur : & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Redditque rationem Christus cur non liceat dimittere vxorem. *Quia qui fecit hominem abinitio*, masculam & fœminam creavit eos, & dixit ; *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ego Deus coniunxit, homo non separet.* Math. 19. & cum Pharisæi, replicassent, *Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere ?* Respondit Christus : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Quæ verba exponens Hieronymus inquit : *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, vt aliud ante iusserit, & sententiam suo nouo frangat imperio ? Non ita sentiendum est : sed Moyses eum videret propter desiderium secundarum coniugum, quæ vel ditiores, vel iuniores, vel pulchriores essent primas vxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseuerare.* Notatque Chrisostomus hom. 33. operis imperfecti in Math. Christū dixisse, quod Moyses permiserit, non quod præceperit dimittere vxorem : *Quod enim præcipimus semper placet ;* quod autem permittimus, nō placet, sed permittimus illud, quamvis sit malum, ad maiora mala vitanda. Bene itaque Moyses permisit illud, quod erat malum, nempe repudium ; quia permisit malum repudij ad vitandum maius malū homicidij. Si enim Moyses non permisisset Iudæis vxores dimittere ob causā adulterij commissi, illas occiderent, vt ad alias nuptias transirent.

Notat autem Alphonsus à Castro lib. 11. columna mihi 744. tria in hoc negotio intervenire, quorum primum Deus prohibuit, secundum permisit, tertium præcepit. Prohibuit quidem dimittere vxorem sine causa. Permisit dimittere vxorem ex causa turpitudinis, si illa turpis fuisset, & contra maritum deliquisset. Præcepit dare libellum repudij, si illam dimitteret : vt per illius libelli donationē averteret eos ab eiusmodi vxorum dimissione. Nam dato libello repudij, non poterat amplius ad illam vxorem redire, nec poterat vxori postea reconciliari, vt habetur Deuteronomij 24. In donatione libelli, quæ erat præcepta, non erat peccatum. In dimissione autem vxoris, quæ erat permissa, committebatur peccatum, quia solvebatur vinculum matrimonij, quod ex lege naturæ erat indissolubile. Hæc Castro ; idque tenet communior sententia Theologorum cum Magistro in 4. dist. 33. cum D. Bonaventura, Ricardo, & Soto ibidem : nimirum repudium Iudæis concessum illicitū semper fuisse, sed permissum tamen vt impunè fieret ratione maioris mali evitandi, ac proinde coniugium contractum post repudium vnius vxoris cum alia, non tam coniugium, quā adulteriū coniugij nomine tectum, fuisse.

Tamen Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 17. pro bilissimum putat post repudium vxoris Iudæis à Deo concessum, matrimonium de novo initum permissum fuisse à Deo vt licitum, & non tantum vt minus malum. Et pro ea sententia præter Scotum, Dutandum, Paludanum, & Eckium, citat S. Thom. qui in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. eam appellat probabiliorem. Cæterum S. Doct. 4. contrag. cap. 23. in fine videtur sequi oppositam, ait enim, *Permissum fuisse minus malum ad excludendum maius malum.* Sed tamen Christus hanc concessionem Iudeis factam apertissimè revocavit Math. 5. *Qui dimissam dixerit mœchatur*, & Math. 19. *Abinitio non fuit sic. Et quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et Marc. 10. *quicunque*, &c.

Qua-

Quarè repudium inter Mauros vſitatum, illicitum, & malum eſt, ſive dicamus licitum fuiſſe Iudæis ex permiſsione divina repudiare vxores; ſive dicamus nũquam fuiſſe licitum; ſed ſolum permiſſum fuiſſe, vt fieret impunè tanquam minus malum, neceſſarium ad vitanda maiora mala, quæ committerent Iudæi ob duritiem cordis ſui, ſi lex non permitteret dimittere vxorem adulteram, & tranſire ad nuptias cum alia. Nam ſi adhuc poſt permiſsionem erat in ſe illicitum illud repudium inter Iudæos: ergo à fortiori erit illicitũ inter Mahumetanos. Si autem poſt permiſsionem erat licitum, etiam ſequitur eſſe illicitum repudium Maurorum. Nam apud Iudæos ſolum erat permiſſum repudium ob fornicationis cauſam: & ſemper fuit illicitum inter ipſos repudiare vxores pro voluntate ſua, & ad nutum. Mauri autem repudiare ad nutum poſſunt vxores, quamvis ſervaverint integrè matrimonij fidem; nullaque alia cauſa requiritur in eorum lege ad repudium, quàm quod maritus velit; dummodò enim tribuat dotem promiſſam, ad nihil aliud obligat lex. Præterea apud Iudæos qui dimittebat vxorem, non poterat amplius cũ illa contrahere matrimonium; quod Deus diſpoſuit, vt Iudæi rarius dimitterẽt vxores. At inter Mauros poteſt quilibet poſt repudiatam vxorem prima, ſecunda, & tertia vice, illam denuo recipere, novum cum illa contrahendo coniugium; & hæc conditio legis facilitat repudia, ac proinde eſt iniuſtiſsima eiuſmodi lex. Potiſsima autem ratio cur repudium ſit illicitum eſt, quia matrimonium ex natura ſua debet eſſe perpetuum niſi Deus iubeat dimittere vxorem (vt iuſsit Abrahamo, vt enim inquit Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 17. *Abraham iubente Deo repudiauit Agar, quam duxerat in vxorem*) vel ſaltem permittat, diſpenſando cum marito vt poſsit dimittere vxorem ob aliquam gravem cauſam, qualis eſt cauſa adulterij: & hoc modo ſecundum ſententiam S. Thomæ, Scoti, & Durandi, Deus permiſit Iudæis dimittere vxores ob fornicationis cauſam, & ad alias nuptias tranſire, Chriſtus autem omnem eiuſmodi diſpenſationem abſtulit, & reduxit matrimonium ad eam puritatem, quam ex ſe habuit ab initio. Vnde poſt adventum Chriſti eſt ſemper illicitum repudiare vxorem, ita vt diſſolvatur matrimonium, ſolumque eſt licitum divortium ob cauſam fornicationis, vel aliam gravem; divortium autem non ſolvit vinculum matrimonij, nec reddit vxoratos habiles ad contrahendum cum alijs, ſed ſolum aufert obligationem cohabitandi cum conſorte.

Nunc probandum ſpecialiter eſt, repudium illud vſitatum apud Mahumetanos eſſe illicitum. Et imprimis quod illud ſit contra rationem, ſuadetur à poſteriori, quia etiam apud Ethnicos, vbi morum diſciplina vigebat, nulla fiebant repudia. Scribit enim Tertullianus in Apologetico cap. 6. Romæ per annos ferè ſexcentos vrbe condita nullum ſcriptum fuiſſe repudium. Poſtea vero everſa diſciplina, cũ alijs vitijs etiam repudia introducta.

Secundo probatur ratione naturali. Nam vt obſervat D. Thomas 3. contra gentes cap. 122. licet in animalibus, in quibus ſola fœmina ſufficit ad prolis educationem, mas, & fœmina poſt coitum nullo tempore commaneant, vt patet in canibus: Tamen quæcumque animalia ſunt, in quibus fœmina non ſufficit ad prolis educationem, mas, & fœmina ſimul poſt coitum commanent, quouſque neceſſarium eſt ad prolis educationem, & inſtructionem: ſicut patet in quibuſdam avibus, quarum pulli non ſtatim poſtquam nati ſunt, poſſunt cibum ſibi quærere. Cùm enim avis non nutriat lacte pullos (quod in promptu eſt velut à natura paratum, ſicut in quadrupedibus accidit) ſed oporteat, quod cibum alienum pullis quærat, & præter hoc in cibando eos foveat, non ſufficeret ad hoc ſola fœmella; vnde ex Divina Providentia eſt naturaliter inditum mari in talibus animalibus, vt commaneat fœmellæ ad educationem fœtus. Manifeſtum eſt autem, quod in ſpecie humana fœmina minimè ſufficeret ſola ad prolis educationem, cum neceſsitas humanæ vitæ multa requirat, quæ per vnum parari non poſſunt. Eſt igitur conveniens ſecundum naturam humanam, vt homo poſt coitum mulieri commaneat. Et hac ratione probat ibi S. Doctor ſimplicem fornicationem eſſe peccatam, & matrimonium eſſe naturale. Quia ſi indifferenter poſſet quis ad quamcumque accedere, & ſtatim abſcedere, vt faciunt fornicantes, id eſſet contra educationem prolis. Ex hoc autem naturali principio poſtea cap. 123. probat matrimonium debere eſſe indiſſolubile; quia ſi ſolicitudo patris de filio, cauſat etiam in avibus commanentiam maris, & fœminæ, ordo naturalis requirit quod in ſpecie humana ſo-

cie-

cietas, & commoratio maris, & fœminæ; quam matrimonium appellamus, non tantum sit diuturna, sed etiam quod sit per totam vitam. Nam possessiones ad conservationem vitæ ordinantur; & quia naturalis vita, quæ conservari non potest in patre perpetuò, quasi quadam successione secundum speciei similitudinem conservatur in filio secundum naturam, est conveniens vt in ijs, quæ sunt patris, succedat & filius: naturale est igitur vt solicitudo patris ad filium maneat vsque ad finem vitæ suæ.

Secundo probatur, quia vt docet idem D. Thomas, necesse est, vt cætera omnia in homine ordinentur ad id quod est optimum; quare coniuncto maris, & fœminæ in specie humana non solum sic est ordinata legibus secundum quod ad prolem generandam pertinet, vt est in animalibus: Sed etiam secundum quod cõ„venit ad bonos mores; quos ratio recta „disponit; vel quantum ad hominem se„cundum se, vel quantum homo est pars „domesticæ familiæ, aut civilis societa„tis. Ad hos autem bonos mores perti„net individua coniunctio maris, & fœ„minæ: sic enim fidelior amor vnius ad „alterũ erit, dum cognoscunt se indivisi„biliter coniunctos; erit etiam vtriusque „solicitior cura in rebus domesticis, dum „se perpetuo commansuros in earundem „rerum possessione æstimant. Subtrahũ„tur etiam ex hoc discordiarum origines, „quas oporteret accidere, si vir vxorem „dimitteret, inter eum, & propinquos „vxoris. Et sit firmior inter affines dile„ctio: tolluntur etiam adulteriorum oc„casiones, quæ darentur, si vir vxorem di„mittere posset, aut è converso: per hoc „enim daretur via facilior solicitandi „matrimonia aliena.

Quarè lex Mahumeti tantam facilitatem dimittendi vxores concedens, est turpissima; & innumerabilium peccatorum incitamentum, & occasio. Cum enim iuvenes sint ad opera carnis proclives, si quis videat puellam pulchram, & sibi placentem, finget se velle cum ea coniugium fixum contrahere, vt sic eius amplexibus fruatur; quamvis habeat animum eam repudiandi postquam eam defloraverit, & in flore iuventutis ea vsus sit. Vnde si repudium licitum sit, coniugium nihil aliud erit quam quædam fœminarum delibatio, & probatio: cum enim connaturale sit vt fœminæ fastidium afferant viris postquam illis aliquo tempore vsi sunt, & illæ pulchritudinem amisserunt, hinc dabitur occasio viris, vt alias fœminas adolescentes, & pulchriores quærant, si licet abijcere eas. Estque lex illa contra rationem naturalem, quæ non patitur, vt fœmina, quæ annos iuventutis consumpsit inserviendo marito, & filios ei pariendo, & educando, postea si absque culpa sua de formis fiat, aut in morbum incidat, à viro deseratur, & dimittatur.

Probatur tertio, quia si ob aliquam causam esset licitum vxorem dimittere, præcipuè foret ob fornicationem, & adulterium, & in favorem innocentis, ne scilicet consors innocens cogeretur matrimonium continuare cum adultero. At hoc est falsum. Ergo nunquam est licitum matrimonium dissolvere. Probatur minor. Quia si liceret parti innocenti in causa fornicationis non solum divortiari à parte nocẽti, sed aliud matrimonium inire; vel id quoque liceret nocenti, vel non. Neutrum autem potest dici. Non primum, quia sic adulter commodum ex peccato suo reportaret; vnde sæpè viri dedita opera adulterium committerent, vt possent ab vxore sibi fastidiosa liberari, & aliam sibi gratã ducere. Non secundum. Quia si pars innocens ad alias nuptias transire potest, hoc ipso dissolvitur prius matrimonium; ac proinde pars nocens manet soluta à vinculo matrimonij: ergo poterit etiam matrimonium inire novum.

Quarto, quia vt argumentatur Bellarminus, si esset licitum eiusmodi coniugium vivente altero coniuge, aperiretur aditus infinitis repudijs etiam iniustis. Vbi enim coniuges sciunt debere se aut cœlibes vivere, aut prioti cõiugi reconciliari, non facilè ad divortium adducuntur; at si scirent mox repudiata vxore posse aliam duci, facillimè divortia fierent, & quærerent occasiones aliquando dissidiorum, & criminum.

Quinto, quia hæc repudiorum licentia in magnum vergit filiorum detrimentum. Vel enim filij cum patre manẽt, vel matrem dimissam sequuntur. Si primum, pro matre novercam coguntur accipere, à qua alieni indignè tractantur, & proprij totum ad se rapiunt matris affectum. Si secundum, aut educatione, & auxilio proprij patris carent, aut pro patre vitricum reperiunt.

„ Sexto, quia vt arguit S. Thomas: Na„turalis quædam solicitudo in est homi„nibus de certitudine prolis; quod prop„ter hoc necessarium est, quia filius diu-

turna

„ turna patris gubernatione indiget: quæ-
„ cumque igitur certitudinem prolis im-
„ pediunt, ſunt contra naturalem inſtin-
„ ctum humanæ ſpeciei. Si autem vir poſ-
ſet mulierem dimittere, vel mulier virum,
& alteri copulari, impediretur certitudo
prolis, dum mulier à primo cognita, poſt
modum à ſecundo cognoſceretur. Eſt igi-
tur contra naturalem inſtinctum ſpeciei
humanæ, quod mulier à viro ſeparetur:
Ergo non ſolum diuturna, ſed individua
debet eſſe in humana ſpecie maris, & fœ-
minæ coniunctio.

Septimo, quia vt inquit idem San-
ctus Doctor, amicitia quanto maior eſt,
tanto debet eſſe firmior, & diuturnior: in-
ter virum autem, & vxorem maxima ami-
citia eſſe videtur: adunantur enim non ſo-
lum in actu carnalis copulæ, quæ etiam
inter beſtias quandam ſuavem amicitiam
facit: ſed ad totius domeſticæ converſatio-
nis conſortium; vnde in ſignum huius ho-
mo propter vxorem patrem, & matrem
dimittit, vt dicitur Geneſ. 2. & vt inquit
Chriſtus Math. 19. v. 6. *Iam non ſunt duo,
ſed vna caro.* Ergo coniugium debet eſſe
perpetuum, & ſola morte alterius poteſt
diſſolvi. Vir enim, & vxor inter ſe legiti-
mo matrimonio coniuncti debent eſſe ſi-
cut anima, & corpus; quia vt ſuprà vidi-
mus ex Maldonato, verba Chriſti ſignifi-
cant virum, & vxorem non eſſe duos ho-
mines, ſed vnum; virque ſe habet vt ani-
ma, & vxor vt corpus. Ergo ſicut vincu-
lum inter animam, & corpus tàm arctum
eſt, vt ſola morte diſſolvatur; ita vinculum
matrimonij tantum taleque debet eſſe, vt
ſola morte viri vel vxoris diſſolvatur.

Ex dictis conſtat legem Mahumeti,
quæ tam amplam repudijs ianuam ape-
ruit, eſſe contra ius divinum, contra ius
naturale, contra ius polyticum, contra bo-
nos mores, & innumerabilium peccatorum
radicem; inventamque fuiſſe à Mahume-
to ad palliandam effrenem libidinem.

SECTIO XVII.

*Demonſtratur nullam ex proprietatibus legis
Domini aſſignatis à Davide conuenire
legi Mahumetanæ.*

PROPHETA Regius Pſalm. 18. v. 8. legem divinam deſcribens, eiuſque proprietates ob oculos ponens, inquit: *Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis.* Dicitur immaculata, id-
eſt, ſine vlla macula, & fœditate, non ſo-
lum quia nihil iniuſtum, & malum præ-
cipit, ſed quia nullum peccatũ permittit,
vt permittunt leges humanæ, & vt expli-
cat Bellarminus dicitur convertens ani-
mas, quia nimirum illas convertit ad ſe
amandam, eaſque rapit conſequenter ad
Deum tam pulchræ legis Authorem.
Eadem lex Domini dicitur teſtimonium,
vt exponit Bellarminus, quia teſtificatur
hominibus, quæ ſit voluntas Dei, quid à
nobis requirat Dominus, quas pœnas præ-
varicantibus, & quæ præmia obſervan-
tibus preparaverit. Ait igitur *teſtimonium
Domini fidele*, tũ quia lex Domini nihil fal-
ſum docet, tum quia certiſsimè bonos
præmijs, & malos ſupplicijs afficiet. Sa-
pientiam præſtans parvulis, ideſt homini-
bus parvulis ſenſu dat lumen prudentiæ,
vt ſciant bona opera facere, & peccata
vitare. Parvulos enim, inquit Bellarminus,
vocat in hoc loco Propheta homines, qui
non pollent iudicio ſpirituali, quales ſunt
omnes amici huius ſæculi: & per ſapien-
tiam intelligit prudentiam ſpiritualem,
quæ corrigit mores, & formar ad præ-
ſcriptum divinæ legis. Dilucide, & brevi-
ter explicat hæc verba Pſalmi S. Tho-
„ mas 12. q. 91. art. 4. corp. Lex Domini
„ immaculata, ideſt nullam peccati tur-
„ pitudinem permittens: convertens ani-
„ mas, quia non ſolum exteriores actus,
„ ſed etiam interiores dirigit: teſtimonium
„ Domini fidele, propter certitudinem
„ veritatis, & rectitudinis: ſapientiam
„ præſtans parvulis, in quantum ordinat
„ homines ad ſupernaturalem finem, &
„ divinum.

§. 1.

*Oſtenditur legem Mahumetanam non eſſe
immaculatam, quia multa iniuſta præcipit;
& multa turpiſsima, vt licita
permittit.*

IMPRIMIS aſſumptum probatur, quia lex Mahumetana Polygamiam, & repudium, vt licita permittit; cum tamen ſint iure divino, & naturali prohibita; vt vidimus ſectione præcedenti.

Secundo, quia reddit licitam ſimpli-
cem fornicationem, contra id quod Deus
præcipit Deuther. 23. *Non erit meritrix
de filiabus Iſrael, nec fornicator de filijs Iſ-
rael.* Et contra id quod Chriſtus Math.
15. v. 19. declarat. Vbi inter opera coin-
quinantia animam poſt adulteria ponit
forni-

„ fornicationes: De corde exeunt cogita-
„ tiones malæ, homicidia, adulteria, for-
„ nicationes, & hęc sunt quæ coinquinant
„ hominem. Et contra id quod Apostolus
„ docet ad Galatas 5. v. 19. manifesta sunt
„ autem opera carnis: quæ sunt fornicatio,
„ immunditia. Et 1. Corinth. 6. neque for-
„ nicarij, neq; adulteri, neque molles, &c.
„ Regnum Dei possidebunt. Circa quod
videndus est S. Thomas 3. contra gentes
cap. 122. & 2. 2. q. 154. art. 2. vbi probat
rationibus simplicem fornicationem esse
illicitam. Idque Philosophi ipsi Gentiles
cognovere. Et ideò volens Demosthenes
cognoscere Laydem meretricē pulcherri-
mam, cum illa prætium ingens turpitu-
dinis prius petiisset, respondit: *Ego tanti*
pœnitere non emo. Ipsaque naturalis vere-
cundia, quæ homines docet quærere latibu-
la ad vacandum veneri, probat simplicem
fornicationem esse peccatum. Quod
Mahumetus licitam faciat simplicem for-
nicationem, patet; quia lib. 4. Alcorani c.
9. & secundum aliam editionem, in qua
totum volumen Alcorani ponitur sine di-
stinctione librorum, capite 32. inquit:
Castitatem observate, nisi cum proprijs vxori-
bus, aut sibi subiectis, & ancillis: inde enim
nulla fiet quærimonia. Vnde cū ancillis vel
pretio emptais vel bello captais licitum
esse coire docet.

Rursus in capite, seu Azora, quæ in-
„ titulatur Elmir, seu Lux, inquit: Nulli
„ mulieri vim inferatis; cæterùm si illa
„ voluntariè consenserit, sine metu, & ti-
„ more peccati potestis cum illa dormire.
„ Et in capite Elmetaren, quod idem so-
„ nat ac excommunicatio, inquit: Deus
„ omnipotens, & misericors concedit om-
„ nibus vobis, qui erga Mahumetum de-
„ voti estis, & eius legem observatis, quod
„ positis cōmunicationē carnalē cū vestris
„ ancillis, ac cum vestris vxoribus habere.
Quam legē Mahumetus publicavit, quando
ab vxoribus suis deprehensus est adul-
terium committens cum ancilla Iudæa,
quam illi præsentaverat Rex Iacobitarum,
vt suprà narravimus sect. 15. pagina. Et
hinc constat Mahumetum non solum fa-
cere licitum coitum inter solutum, & so-
lutam, sed inter vxoratum, & solutam,
imò, & vxoratam, dummodo sit ancilla
bello capta, vel pretio empta: ac proinde
non solum facere licitam simplicem for-
nicationem, sed adulterium.

Mahumetani vero legem illam con-
cedentem sibi facultatem cognoscendi so-
lutas, ita intelligunt; vt non solum sit ne-
cessarium, quod illæ non resistant; sed li-
bentes consentiant, sed quod eis exhibea-
tur aliquod *turpitudinis prætium.* Vnde
priusquam commisceantur, dicit mulier,
batyl; batyl, ideſt, da pretium vt sine pecca-
to possis me cognoscere.

Tertio, Mahumetus licitam facit
venerem præposteram cum proprijs vxo-
ribus, & ancillis. Nam in capite Almera-
„ ren nuper citato dicit: Communicatio-
„ nem carnalem cum ancillis vestris licite
„ habere potestis sicut cum vxoribus, &
„ vtriſque potestis vti prout libuerit, quia
„ vestræ sunt, prędium vestrum sunt: vnus-
„ quisque autem suum prædium, suam ve
„ terram vt libuerit arare, & seminare po-
„ test. Idque præter alios testatur etiam
„ S. Petrus Paschasius pag. & num. 36. vbi
„ ait: legitur in libris Maurorum, quod
„ aliqui illorum Mahumetum interroga-
„ runt, si licitum illis esset, & concessum
„ relicta concipiendi natura, vti suis mu-
„ lieribus ad nutum voluntatis ipsorum;
„ Et respondit Mahumetus: Vestræ mu-
„ lieres sunt, seminate vbicumque vobis
„ placuerit. Vnde ipsemet Mahumetus in
„ diebus mēstrualibus vtebatur illis va-
„ se præpostero. Vide quæ narravimus
„ suprà pag. 654.

Quarto, Mahumetus licitam facit
pollutionem. Vt enim refert S. Petrus Pa-
schasius pag. 37. num. 40. cum quidam suo-
rum sectatorum dixissent, maximum vi-
deri peccatum, quod vir semen effundat
extra vas connaturale vxoris, quia impe-
ditur generatio; respondit Mahumetus;
„ Non ex tota aqua, vel semine eget, vel
„ generabitur filius, & quando Deo ali-
„ quid creare placuerit, nullus est, qui pos-
„ sit illi impedire. Et alio loco dixit: Non
„ dubitetis spargere, vel effundere vestrū
„ semen, quomodo volueritis; nam nulla
„ anima potest ab esse suo impediri, &
„ privari, si talis anima esse habere de-
„ beat.

Quinto, licitam facit Sodomiam vi-
„ ri cum viro, contra illud Levit. 18. Cum
„ masculo non commiscearis coitu fœmi-
„ neo, quia abominatio est. Et contra il-
„ lud Pauli, neque molles, neque masculo-
„ rum concubiteres Regnum Dei pos-
„ sidebunt. Et contra ipsum lumen ratio-
nis. Assumptum probatur: nam in Alcora-
no in capite, cuius titulus est, *de Vacca*, sic
inquit: *Sarraceni carnaliter non maculentur*
cum infidelibus donec credant. Hinc infert
Mahumetani, quod quamvis licitum non
sit carnaliter commiscere pueris alienæ

Re-

Religionis; licitum tamen eſſe cum pueris Mahumetanis. Vnde ortum duxit infernalis illa conſuetudo, quod Turcarum Imperator non ſolum in ſuo Palacio habeat ducentas, vel trecentas vxores, & cõcubinas ad explendam ſuam libidinem; ſed alia in domo aſſeruantur ducenti, vel trecenti pueri formoſi, quibus nefande abutitur barbarus ille Mahumeti diſcipulus, & in Imperio ſucceſſor. Idemque proportione ſervata faciunt Magnates, & Proceres regni, vt ſuprà ſect. 16. pag. 659. diximus de vxoribus. Et in celebrioribus vrbibus Monarchiæ Turciæ extant Domus publicæ, in quibus pueri eiuſmodi cinædi proſtituuntur, vt nefandi pædicones præpoſtera vtantur venere: vt teſtatur Thomas Bozius deſignio Eccleſiæ ſigno 56. fol. 544.

Sexto, Mahumetani, vt teſtatur ibidem Bozius licitum putant carnaliter coire cum beſtijs, dummodò ſint ſub proprio dominio. Quia enim Vbequar Mahumeti ſocer, & ſecundus poſt ipſum Sarracenorum Alcalifa legem ſtatuit, vel edictum promulgavit, in quo vicebatur: *Quemlibet Sarracenum poſſe licitè vti rebus quæ ſunt ſub eius dominio, & poteſtate, eo modo, quo ipſe maluerit*: hinc Mahumetani intulerunt, licitum eſſe Mahumetanis communicationem carnalem habere non ſolum cum ancillis, ſed etiam ſervis, & mancipijs, non ſolum quando ſunt eiuſdem Religionis, ſed quamvis ſint diverſæ Profeſsionis, & etiam licitum eſſe coire cum beſtijs, quia ratio legis eſt vniverſalis, & vt ipſi exiſtimant, extẽditur ad vſum in ordine ad venerem etiam nefandã, & beſtialem. Quod natura ipſa abhorret; & ſeverisſimè à Deo prohibetur Levit. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum illo.*

Et quamvis Mahumetus expreſſe non permiſſerit tanquam licitum coitum nefandum viri cum viro: tamen certum eſt, non præcipiſſe, vt hoc ſcelus graviter puniretur. Vt enim teſtatur S. Petrus Paſchaſius pag. 37. num. 38. loquens Mahu-
„ metus de peccato ſodomiæ, ait: Si vir
„ cum alio viro in ſodomiæ peccato con-
„ venerit, in talique culpa inventus, com-
„ prehenſuſque fuerit, ſtatim reprehen-
„ dantur, & corrigantur; & ſi doluerint,
„ & pœnituerint, nõ ideò puniantur, nam
„ Deus pius, & miſericors eſt, & pœni-
„ tentiæ acceptator. Hinc merito infert Sanctus Martyr, propterea Mahumetum non impoſuiſſe pœnam acerbiſsimam mortis pro tam horrendo crimine, quod Deus tantopere execratur, vt illud puniverit igne de cœlo emiſſo in ſodomitas, & in Leviticо cap. 18. v. 29. dixerit: *Peribunt de populo ſuo omnem animam, quæ fecerit abominationem eiuſmodi*: quia videlicet Mahumetus ab illo ſcelere purus non erat. Quod cõprobat ex teſtimonio, quod contra ipſum dederunt Axa, & Maymona vxores eius, vt vidimus ſuprà ſect. 16. pag. 658. teſtaturque hoc crimen valde dominari in Mauris, & poſſe abſque dubio præſumi, quod Sarraceni illud à Mahumeto acceperunt, & ad exemplum eius deinceps operati ſunt.

Hinc deducitur non eſſe Dei legem eam, quæ tantam abominationem impunitam relinquit. Cum enim ſodomia ſit horrendum crimen, quod Deus vehementer execratur; impunitatem illi indulgere, eſt anſam præbere, vt frequenter committatur, vt cernimus inter Mahumetanos; evinciturque zelũ Dei non habere Rempublicam illam, ſeu Profeſsionem, in qua ſeverè ſolum puniuntur furta, & alia peccata, quæ immediatè ſunt contra proximum; impunita vero relinquuntur alia graviora peccata, quę naturam humanam magis maculant, & gravius Deum offendunt. Idque contingit in ſecta Mahumetana. Quare colligitur illam non eſſe ſanctam: è contra vero Religionem Chriſtianam, quæ flammis hanc maculam expiat, eſſe ſanctam, & immaculatam, & Deum habere Authorem.

Rem comprobemus exemplo, quod in hunc ſcopum adducit P. Franciſcus Arias noſtræ Societatis tom. 1. de Imitatione Chriſti, tract. 6. cap. 3. quem edidit anno Chriſti 1598. In Vrbe Valentiæ, vbi Sanctæ Inquiſitionis Tribunal peccatum nefandum ſeveriſsimè punit, Sacerdos de hoc crimine convictus publicè degradatus eſt in ſpectaculo Fidei, quod ibi habitum eſt; ad illud eductus eſt Apoſtata Mahumetanus, qui cum eſſet Mauri neophyti filius, Baptiſmum in infantia ſuſceperat, poſtea vero pertinaciter Mahumetanæ ſectæ adhæſit; & quia illam abiurare noluit ſententia capitis in eum lata eſt. Comitabatur hunc perfidum Mahumetanum ad ſupplicium Religioſus è Societate Ieſu, & in carcere, & per viam, & in loco ad publicè legendam ſententiam delinquentibus deſtinato, multum laboravit, vt ad Religionem Chriſtianam eum pertraheret. Sed in caſſum: quia aures ſuas obturaverat, & obſtinatiſsimè decreverat in Religione ſuorum maiorum vitam fi-

ni-

nire. Sed quod Pater persuadere non potuit, persuasit solemnis illa Sacerdotis degradatio, quæ in tabulato coram omni populo facta est. Attonito similis perfidus Mahumetanus Episcopum degradantem, & Sacerdotem degradatum attentè inspiciebat. & interrogavit à Patre Societatis qui ei adstabat, quid hoc rei esset? Aut cur ille Sacerdos ita puniebatur? Responsum est, illum commisisse peccatum nefandum, & propter hoc peccatum execrabile flammis comburendum; prius tamen denudari ornamentis, & insignibus Sacerdotalibus, vt iudici sæculari puniendus traderetur. Tunc enim vero Maurus mirari cœpit tàm severè puniri inter Christianos delictum, quod inter Mahumetanos passim impunè committitur: & Deo tangente cur illius cognovit, non posse non esse sanctam, & veram legem Christianã, quæ tàm severè punit eiusmodi delicta: è contra verò falsam, & impuram sectam Mahumetanam, quæ tàm nefanda scelera impunita relinquit; & solum animadvertit in peccata, quæ vtilitati hominum nocent; ad hoc enim proprium commodum movet; punire vero horrẽda crimina, quæ nihil nocumenti temporalis afferunt, solum quia sunt contra Deum, & naturam rationalem dedecent, non nisi verus Dei zelus efficit. Sic illuminatus vocat Patrẽ, & palam profitetur se velle mori Christianum, & sectam Mahumetanam abiurat, & execratur: interrogat Pater huius subitæ mutationis causam; ille id quod narratum est, exponit. Quia Baptizatus iam fuerat, necesse non fuit illum Baptizare; sed generalem confessionem totius vitæ instituit, & peccata omnia cum dolore, & compunctione expoluit; & accepta sacramentali absolutione, sæpè repetita fidei Christianæ professione, & deplorata præterita cæcitate, & elicitis ferventibus actibus contritionis, fidei, spei, charitatis, & resignationis, paulò post vltimo supplicio affectus est.

Septimo, vt testatur S. Petrus Paschasius pag. 37. num. 39 à Mahumeto suis Sectatoribus concessa facultas, & licentia „ est: Quod si duo homines habeant vnam „ tantum ancillam, non solum vnicuique „ debet in domesticis ancilla servire, sed „ etiam in lecto, & coitu, quem mulier „ cum viro habere solet: & sic concessit „ illis, quod multi vnam tantum mulierem „ habere possint. Hoc autem est contra prima iuris naturalis principia: etsi enim aliquando Deus dispensaverit, vt vnus vir plures vxores habeat; nunquam tamẽ dispensavit, vt vna vxor plures viros habere possit: imò neque dispensare potest, vt probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Matrimonio capite XI. in secunda propositione, quia polygamia vnius fœminæ cũ multis viris pertinet ad prima principia iuris naturæ, neque per vllam mutationem circunstantiarum potest fieri bona, quia repugnat omnibus finibus matrimonij. Quatuor enim possunt distingui fines matrimonij. Primus, & primarius est susceptio, & educatio prolis. Huic autem fini opponitur pluralitas maritorum respectu eiusdem vxoris, cùm enim semel tantum in anno possit mulier parere, ab vno viro sufficienter fœcundatur: si autem pluribus cõmisceatur, potius impeditur quam iuvetur generatio; & ideò meretrices infœcundæ esse solent. Deinde, quia vt inquit D. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 23. „ num. 3. Naturalis quædam solicitudo in „ est hominibus de certitudine prolis; „ quod propter hoc necessarium est, quia „ filius diuturna patris gubernatione indiget: quæcumque igitur certitudinem „ prolis impediunt, sunt contra naturalem „ instinctum humanæ speciei. Hæc autẽ certitudo prolis impeditur per pluralitatem virorum respectu eiusdem fœminæ. Nemo enim illorum certus esse posset, an proles esset sua. Ergo illa pluralitas virorũ respectu eiusdem fœminæ est contra prima iuris naturalis principia.

Secundus finis matrimonij est domestica societas, & cõmunicatio operum, quæ ad vitam necessaria sunt; vt enim docet Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 12. vir & vxor non coniunguntur solum ad procreandum, vt animalia cætera, sed vt simul familiam regant, & domestica officia inter se partiantur. Contra hunc finem autem est, quod vna fœmina plures viros habeat; essent enim plura capita respectu eiusdem corporis: vnde sicut non potest idem servus duobus dominis recte servire; ita neque eadem fœmina duobus maritis subiecta esse.

Tertius finis est, vt sit coniugium in remedium concupiscentiæ: coniugium vero vnius fœminæ cum multis viris non solum remedium non adhiberet contra concupiscentiam, sed etiam iras, rixas, & discordias implacabiles excitaret inter rivales; quas fœmina compescere non posset, cum ei competat subijci, & obedire, non præesse, & dominari.

Quartus finis matrimonij est, vt sit Sa-

Sacramentum Chriſti,& Eccleſiæ. Huic autem fini maximè opponitur pluralitas virorum reſpectu eiuſdem fœminæ. Vnus enim eſt Deus,cui Eccleſia iungitur, non multi:nec poteſt Eccleſia,ſive anima quævis multis Dijs coniugi,niſi fornicando.

Quarè vt obſervat D. Auguſtinus lib.3.de Doctrina Chriſtiana cap.12. & lib.de bono coniugali cap.17. licet inveniantur quidam ſancti viri,qui plures vxores habuerint;nulla vnquam extitit ſancta fœmina, quæ multos ſimul viros habuerit.

Octavo, Mahumetus, vt teſtatur S. Petrus Paſchaſius pag.21.num.18.aſſerit licitum eſſe exterius profiteri fidem falſam, & veram negare; ſic enim ait in Alcorano: Qui Deum coactus,& compulſus negaverit, ſi corde non negaverit, quamvis ore neget,illi non imputabitur ad culpam; ſi autem corde ſimul, & ore negaverit,Dei ira venit ſuper eum.Sed hic eſt error manifeſtus, vt docent omnes Chriſtiani Theologi cum S.Thoma 22. q.3.ar.2.aliquando enim datur obligatio gravis profitendi externè fidem veram, quam quis in corde habet; potiuſque ſubeunda eſt mors,quam negare Deum Vt enim inquit Chriſtus Math.10.*Qui negaverit me coram hominibus,negabo eum coram Patre meo*,qui in cœlis eſt. Vnde Martyres elegerunt potius crudeliſsimam mortem, quam externe negare Chriſtum,& idola venerari.

Nono, docet eſſe licitum iuramentum falſum,& vanum; & ſolum prohibet falſitatem iuramenti promiſſorij Vt enim teſtatur S.Petrus Paſchaſius pag.34.num. 33. Sic Muhumetus ſuis ſectatoribus dixit: Vos non arguet Deus de veſtris iuramentis vanis, & mendacibus: ſed arguet vos de iuramentis promiſſorijs, & de peccatis inter vos cum iuramento factis. Hæc doctrina eſt error manifeſtus:quia adducere Deum in teſtem mendacij,eſt peccatum graviſsimum. Et ideo Deus Levit. 19. v. 12. Non periurabis in nomine meo,nec pollues nomen Dei tui. Et Exodi 20.v.7. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtrà. Quæ verba ex diametro opponũtur verbis Mahumeti.Et Chriſtus Math.5.v.34.Ego autẽ diço vobis non iurare omnino,&c. ſit autem ſermo veſter, eſt,eſt;non,non; quod autem his abundantius eſt,à malo eſt.Et Propheta Hieremias cap.4.ponit tres conditiones iuramenti, vt ſit licitum; in veritate,iudicio,& iuſtitia.

Decimo docet, vindictam eſſe licitam, tantumque ab eſſe vt illicitum ſit inimicos odio habere, vt potius qui inimicum occiderit, ob hoc ipſum paradyſum mereatur. Et lib.1. Alcorani cap.2. hæc habet: *Eis, qui vobis iniurias, & moleſtias intulerint, alias æquales, & maiores inferte.* Vt teſtatur Lupus de Obregon in ſuo libro contra Alcoranum. Qui eſt error contra doctrinam Dei Deuteron. 32.v.35.quam expendit Paulus Rom.12. v.20. *Mihi vindicta, & ego retribuam,dicit Dominus.* Contra doctrinam Chriſti Math.5.v.39.& 44. *Diligite inimicos veſtros*, &c.Et contra illud Spiritus Sancti Eccleſiaſtici 28. *Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam.* Conterat Chriſti miniſter tenebras cum luce,ſpiritumMahumeti cũ Spiritu Chriſti, vt cognoſcant Mahumetani virum illum non Dei, ſed Diaboli ſpiritum habuiſſe.

Vndecimò docet,licitum eſſe alienas occupare terras, & ditioni ſui imperij quaſcumque ſubiugare provincias,& prædari ſine alio titulo, quàm prædandi; ſeu prædari vt prædaris, debellare vt debelles. Sic enim ait in Alcorano Azora 34. & Azora 71. O bona gens, ego vobis oſtendam optimum commercij genus, quod vos liberet à maximo malo. Vt nimirum credatis non eſſe niſi vnum Deũ, & Mahumetum eſſe eius Prophetam;& hoc pacto procedatis in nomine Dei ad diripiendum,ad prædandum, & debellandum, in hoc opere vires, & divitias inſumite, huic vitas ipſas impendite; notum enim vobis facio,ſi ſapitis,& vobis providere vultis, nihil vobis poſſe vtilius contingere,quàm prædari,regna debellare,vrbes expugnare:in premium enim huius facinoris, vobis Deus veſtra peccata remittet, & in paradyſo vobis retribuet habitationes amœniſsimas, & omnibus affluentes delitijs; & inſuper vobis concedet, quod magna cum voluptate vindictam ſumatis de hoſtibus veſtris, & imperium orbis adquiratis. Hanc doctrinam ita amplexantur Mahumetani, vt licitum ſibi putent quaſcumque Provincias aggredi,quaſcumque vrbes diripere, & Chriſtianorum regna invadere, & quotquot poſſunt Chriſtianos in captivitatem redigere.

Duodecimo docet, licitas eſſe ſuperſtitiones,& divinationes,licita auguria,& veneficia. Vt enim inquit S. Petrus Paſcha-

§, chasius pag. 28. num. 23. Maurorum le-
„ gire libros, in quibus reperietis, Mahu-
„ metum vti superstitionibus, coniuratio-
„ nibus, & exercitiuis vanis, & futilibus,
„ sicuti vetulis contingere solet, oscitan-
„ do, expuendo, aliaue signa, & figuras fa-
„ ciendo. Vnde vna ex orationibus, quibus
„ Mahumetus vtebatur, hæc erat: Nostræ
„ terræ pulvis, salivaque aliquorum no-
„ strorum infirmitates aliquorum sanat,
„ Dei nostri indulgentia, & remissione. Et
„ observabat omnia, & auspicia, fidem-
„ que dabat somnijs: & quando aliqui
„ suorum ad eum confluebant, vt illis ape-
„ riret somnia, docebat illos, quemodo
„ deberent illa cognoscere, qualeque som-
„ nium esset fœlix, qualeque infaustum.
„ Et de hoc Mauri magnum, & copiosum
„ tractatum habent, & hoc tanquam fide
„ credunt, ab illeq; summopere ducuntur,
„ & reguntur. Vnde inter Mauros nō est
„ prohibitum omina, & auspicia obserua-
„ re, sortibus, & coniurationibus dæmo-
„ num vti, incantationibus, & diuinatio-
„ nibus initi, & assentiri: & multi isto-
„ rum diuinorum à suo maledicto pro-
„ pheta exemplum sumentes, quando di-
„ uinaturi sunt pro asse, vel nummo tan-
„ tummodo vno, in terram iaciuntur, &
„ prosternuntur; dicuntque, quod tunc il-
„ lis demonstratur, & manifestatur illud,
„ quod scire, & diuinare volunt, dum ia-
„ cent tanquam obsessi, ore simul, & ocu-
„ lis incertis: & nec rubore afficiuntur,
„ quando dicunt sic contigisse prophetæ
„ suo, quando diuinare, & prophetizare
„ volebat.

Idque docuisse Mahumetum constat ex Alcorano in Azora Elaraph, vbi sic
„ loquitur: Præcipio omnibus Sarracenis,
„ vt vtantur augurijs, & diuinationibus,
„ & incantationibus: & qui aliter non
„ potuerit diuinare, saltem diuinet per sci-
„ suram digiti.

Facile est euincere non esse legem à Deo datam, quæ hæc docet. Nam Deus oppositum omnino præcepit Leuitici 20.
„ 6. Anima, quæ declinauerit ad ariolos,
„ & magos, & fornicata fuerit cum eis,
„ ponam faciem meam contra eam, & in-
„ terficiam illam de medio populi mei.
„ Et Leuit. 20. v. 27. Vir siue mulier, in
„ quibus pythonicus, vel diuinationis fue-
„ rit spiritus, morte moriatur. Lapidibus
„ obruent eos: sanguis eorum sit super
„ illos.

Facileque est comprobare Magos, & ariolos infœlicem mortem obijsse. Nam Zoroaster magiæ inventor, vivus fuit cōbustus à Diabolo, quem consulebat, vt refert D. Clemens in libro Recognitionum. Simon Magus quem Dæmones in sublime egerant, in terram præcipitatus, fractis cruribus obijt plenus ignominia, & dolore. Iezabel, quæ etiam magiam exercebat, à canibus devorata est. Henricus Cornelius Agripa morti propinquus à se abiecit Diabolum familiarem, qui sub forma canis eum comitabatur, dicēs: *Abi mala bestia, tu me perdidisti.* Faustum insignem in Germania maleficum Dæmō quadam nocte è lecto extraxit, & suffocavit, flexa in dorsum facie, & vetulam maleficam, & sagam Dæmon coram omnibus vivam rapuit, vt refert Polidorus Virgilius. Idemque alijs multis accidit; præsertim insigni Malefico de quo refert Franciscus Picus, quod cum vellet ad vivum coram Principe curioso Troiæ destructionem repræsentare, vivus raptus est à Diabolo, & amplius non comparuit. Alter vero, qui contra Diaboli præceptū manum extraxit è circulo magico ad cōtrectandam amasiæ effigiem, quæ illic obiecta est, illisus est parieti a Diabolo, & miserè perijt. Alij quoque iuvenes, qui cōtra Dæmonis præscriptum pedem extra circulum moverunt, ab eodem suffocati sunt. Hæc omnia probant, Mahumetum, qui suis consuluit magiam dæmoniacam, maleficia, anguria, incantationes, coniectationes, & vanas observationes, non fuisse Dei Prophetam, sed hominem nequissimum, & Diaboli discipulum.

§. II.

Demonstratur legem Mahumeti non esse immaculatam, quia Virginitatem prohibet; & omnibus imponit obligationem nubendi, cum ad vigesimum quintum annum peruenerint.

PHILIPPVS Lonizerus lib. 2. Historiæ Turciæ cap. 12. & Theatrum vitæ humanæ verbo, castitas, referunt, esse præceptum in Alcorano, quod omnes, sive viri, sive fœminæ, cuiuscumque sint conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ, coniugium ineant, cum attigerint annum vigesimum quintū. Quod præceptum ita interpretantur Turcæ, vt sibi persuadeant, non posse homines sanctos esse, & Deo placere si non nubant. Aiuntque, sicut arbores fructiferi præstāt sterilibus, & infructuosis, ita homines

vxo-

vxuratos; & incumbentes generationi filiorum excedere celibes, & continentes.

Facile eſt convincere legem prohibentem Angelicam Virginitatis virtutẽ non eſſe à Deo, ſed ab homine carnali ortum duxiſſe; ex Diaboli ſuggeſtione; quãvis enim matrimonium ſanctum ſit, & neceſſarium ad conſervationem vniverſi; virginitas tamen, & perpetua caſtitas multo magis Deo placent. Chriſtus enim, & Beata Maria eius Mater Virgines fuerũt, teſte ipſo Alcorano, & eximia ſanctitate floruerũt: ergo poſsũt homines maximè Deo placere ſervando perpetuam Virginitatẽ.

Secundo, impugnatur illud iniquum præceptum, quia Virginitas apud omnes Nationes venerationem meruit, & admirationẽ. Inter Hebræos Virgines fuerunt Elias, & Eliſæus viri ſanctiſsimi, & multi Prophetarum filij. Inter Græcos Sybillæ illuſtri ſanctitatis fama floruerunt, & dono prophetiæ illuſtrari meruerunt, quia caſtitatẽ ſemper coluerunt, vt ſentit Varro citatus à D. Hieronymo lib. 1. adverſus Iovinianum. Tantique fecerunt Virginitatem Græci ſapientes, tanquè in pretio caſtitatem habuerunt, vt Deas ſuas Dianam, & Minervam Virgines fuiſſe confinxerint; & inter duodecim cœli ſigna vnum appellatur Virgo.

Inter Romanos eam æſtimationem habebant Virgines Veſtales, vt illis per vicos, & plateas tranſeuntibus, omnes lococederent, & gradum ſiſterent, etiam Cõſules, & Imperatores ipſi, & qui triumphum agebant, vt viam tranſeuntibus ſine offendiculo relinquerent; vt teſtatur ibidem S. Hieronymus. Inter Iapones, & Sinas Bonçij, qui ſunt veluti Monachi, & Religioſi, ob prærogatiuam caſtitatis, quam creduntur ſervare, magnæ ſunt veneration omnibus.

Sed quid de Republica Chriſtiana loquar, vbi virtus caſtitatis, & virginitatis excellentia viros, & fœminas eximia reddit laude dignos. Plena eſt Eccleſia Chriſti Virginum choris. Etiam in ſtatu matrimonij inventi ſunt multi, qui imitantes puritatem Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & Ioſephi virginitatem cum coniugio iunxerunt. Tales fuerunt Eduardus Angliæ Rex, & eius vxor: Henricus primus huius nominis Imperator, & Chunegundes Imperatrix. Talis fuit Editrudes Angliæ Regina, quæ cũ trib⁹ viris ſucceſsivè nupſiſſet, tamẽ ſemper virgo permãſit. Talis etiam fuit Emericus Elelavoniæ Dux, & Filius Stephani Vngariæ Regis cum vxore ſua. Talis Boleslaus, cognomine Caſtus, Poloniæ Rex cum Cyoge coniuge ſua. Talis Catharina Sueca ex Regia ſtirpe, & Petrus Vrſeolus Venetorum Dux. Alphonſus ſecundus Caſtellæ Rex. Eleazarus Ariani Comes cum vxore ſua Delphina. Pulcheria Theodoſij minoris ſoror, & Imperatoris Marciani vxor.

Sed quid dicam de Imperatore Valentino, qui reliquos triumphos contemnens, de hoc vno triumpho gloriabatur; quod ſcilicet illibatam Virginitatem ſervavit. Vt enim de illo ſcribit Hieronymus Epiſt. 49. Valentinus Imperator „octogenarius adhuc virgo, cum au„diret die fati ſui triumphorum præco„nia recoli, quibus frequentiſsimus erat; „ait vna ſe tantùm gloriari victoria, & „requiſitus qua? Reſpondit, quod inimi„corum nequiſsimum devici carnem „meam. Quid de illis Anglis virginibus (de quibus mentionem facit Bocius tom. 2. ſigno 93. num. 18.) quæ facies ſuas pulcherrimas fadaverunt, ſibi ipſis amputantes nares, ne in poteſtatem Barbarorum venientes, virginitatem amitterent? Quid de Caſimiro Poloniæ Rege, qui gravi preſſus infirmitate, mori potius, quàm caſtitatis facturam ex Medicorum conſilio ſubire conſtanter decrevit, generoſa illa præferens verba: *Nullam aliam vitam noui, niſi cœleſtem illam, incontaminatam, immortalem, ob quam eligo virgo mori.* Candidiſsimam cuſtelam arpinam imitatus, quæ à venatoribus luto obſeſſam viam qua fugere poſſet, animadvertens, ne candidam pellem maculet, ſe capi ſinit, & opere ipſo dicit: *Malo mori quam fadari.*

Quid de ingenti Sanctarum Virginũ agmine dicam, quæ mille martyria potius ſubire, quã virginitatem amittere maluerunt? Quid de Agnete, de Cicilia, Agatha, Catharina, Lucia? quid de inclyta Tecla, quæ cũ nuda leonibus diſcerpẽda obijceretur, in illis pudoris cuſtodes invenit. Nã pedes Sanctæ Virgines oſculantes, oculis in terram demiſsis corpus nudũ neque tãgere, nec aſpicere auſi ſunt, opere illo docentes, quid facere deberent homines, vt eleganter expendit Ambroſius: *Docuerũt Religionẽ, dum adorant Martyrem docuerunt etiam caſtitatẽ, dum Virgini nihil aliud niſi plantas oſculantur; demerſis in terrã oculis quaſi verecundantibus ne mas aliquis, vel beſtia Virginem nudam videret.* Iuſſa eſt poſtea vel Dijs ſacrificare, vel ad lupanar duci, vt ibi Virginitatem amitteret. Oravit Sancta Virgo cœleſtem ſponſum, vt

sibi in tanto periculo opem ferret. Tulit tanè, nam cor Christiani militis movit, vt domum illam infamem ingressus, vestes cum Tecla commutaret, quibus dissimulata periculum amittendæ castitatis evasit. Quid tandem de Sancta Vrsula, & vndecim mille socijs eius dicam, quæ ne fidem, & castitatem amitterent, vitam libentissimè amisserunt?

Quid quod Mahumetani ipsi operibus ipsis testantur virginitatem præterendam matrimonio, dum Morabitos suos venerantur quia castitatem creduntur servare. Et ne legi suæ contradicant, dicere debent, Deum dispensasse cum Morabitis illis in illo præcepto nubendi. Sed revera illi casti non sunt; nam ad tempus abstinent, vt postea effrenatius veneri indulgeant.

Quarè vt inquit S. Gregorius super illud Genes. 19. In monte salvum te fac: „ virginitas altus mons est, ad quam An„ gelus hortatur: sed qui videt se non pos„ se ascendere, maneat in Segor, ideſt in „ legitimo matrimonio, quia melius est „ mediocri bono vti, quam per abruta li„ bidinum præcipitari.

Quantum Deo placeat virginitas constat ex Apocalypsis cap. 14. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, &c. Et cantabant quasi canticũ nouum. Hi sunt qui cum mulieribus nũ sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.* Vt autẽ Viegas, & Alzar exponũt, hac phrasi nihil aliud significatur, quàm quod Agnus virginibus mirè delectetur, ita vt eos à suo latere nunquam velit discedere, sed eum comitentur, & sequantur quaqua versum; perinde ac Reginam Virginem, & Sponsam comitantur Virgines primariæ, & nobilissimæ, iuxta illud Psalmi 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestituto deaurato, circumdata varietate. Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ eis afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis.* Sicut enim Regina omnem suam voluptatem, colloquium, & consolationem habet in suo puellarum gynæceo, & quod perpetuò eam stipat instar chori ita eandem habet Christus in suo Virginum cœtu. Rursum, sicut musici sequuntur principem, miroque concentu eum demulcent, eique sunt in delitijs; ita Virgines Christo. Denique, sicut Sponsa Sponsum; ita Virgines sequuntur Christum; sunt enim Sponsæ Christi, vt ait Apostolus 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro Virginem castã exhibere Christo.* Christ' ergo amat Virgines, ijsque oblectatur, vti Sponsus Sponsa.

Quod P. Cornelius à Lapide in eum locũ Apocalypsis explicat exemplis, ad quæ vult respicere S. Ioannem in eo loco. Nã S. Clemẽs Pontifex Domitiani Imperatoris cognatus, perpetuam virginitatem coluit, vti docet S. Ignatius epistola ad Philadelphos. Idẽ eandẽ mirè extulit, alioſque docuit, vt patet ex eius epistolis, & testatur Epiphanius hæresi 30. Quapropter eius hortatu S. Flavia Domitilla, neptis & ipsa Domitiani, quam Aureliano despõsam, S. Clemens Virginem Deo consecravit, Euphrosina, Thedora, & aliæ nobilissimæ Virgines illustre pro fide, & Virginitate martyrium obierunt. Quo circa Clemens à Trajano Imper. in Chersonam relegatus, cùm plurimos Christianos eò pariter ad metalla damnatos, & inopia aquæ laborãtes inveniſſet, pro ijs preces fundens, vidit agnum stantẽ, qui dexterum pedẽ levavit, velut S. Clementi locũ fontis indicans. Ergo Clemens ad locũ in quo Agnus stabat accedens, parvoque ictu locũ, qui erat sub pede Agni pulsans, mox fontẽ pulcherrimum elicuit: qui magno impetu effusus fecit fluviũ: ex quo omnes Christiani tũc, & deinceps sitim levarunt. Quo miraculo Gentiles indigenæ ad fidem Christi conversi sunt. Ita habet eius vita, & Baronius anno Christi 100. Vnde, & in officio Ecclesiastico S. Clemẽtis antiphonas has legimus: *Orante S. Clemente apparuit ei Agnus Dei.* Et, *Vidi supra montem Agnũ stantem, de cuius sub pede fons vivus emanat: fluminis impetus lætificat civitatẽ Dei.* In Sancto ergo Clemente adhuc vivente impletũ est illud Apocal. 7. v. 17. *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Fuit enim ipse Agni Dei aſſecla, ideſt Virgo, & ob Virginitatem Martyr paulò postquam hæc scripsit Ioannes, vt ad eũ hic alluſisse videatur. Imò sub Clemente Pontifice, & hæc quæ dixi inchoãte, scripsit Apocalyp. & hæc ipsa S. Ioannes. Videtur ergo Domitillã, & alias Virgines tunc florentes, & pro Virginitate martyriũ obituras, ad hoc fortiter obeũdũ, hac visione, & hisce encomijs Virginitatis animare, & roborare voluisse.

Ita sub idẽ tempus S. Petrus S. Praxedem, & S. Potẽtianã. S. Paulus S. Tleclã, & plurimas alias. S. Math. S. Iphigeniam Regis Æthiopũ filiã ad Virginitatẽ Deo vovẽdã excitarunt: qua de causa S. Math. ad arã sacrificãs ab Hirtaco Regis fratre, qui Iphigeniã conjugẽ ambiebat, occisus, Virgini-

ta-

tatis factus est victima, vt ait Hippolytus lib. de duodecim Apost. Paulus quoque à Nerone truncatus est, quod Virgines Christianas suæ libidini subtraheret, & Deo dicaret, vt testatur Chrisostomus.

Ita S. Agnes post mortem laureata apparuit cum Virginibus radiantibus, & splendidissimè vestitis sequens Agnum, vt testatur S. Ambrosius lib. 5. Epist. 34. & habetur in Breviario Romano, die 28. Ianuarij. Ita Agnum secuta est B. Catharina Senensis, cui hoc datur elogium:

Transijt ad sponsum tribus ornata coronis.

Et illud:

Dulce signum charitatis,
Dum amator castitatis
Cor mutat in Virgine.

Quæ proinde ex hoc corde Christi igneo in suis epistolis ardentes Christi flammas in omnes eiaculatur, atque in omnibus non aliud facit, quàm vt Pontifices, Cardinales, Prælatos, Principes, vrbes, Doctores, &c. ad quos scribit, inflammet amore Christi, ad eiusque perfectam sequelam incitet, & exitimulet: quem proinde crebrò agnellum nuncupat, ideoque singulas epistolas incipit pariter, & concludit: *In Iesu dulci, Iesu amore.*

Denique suis ipse verbis ad Christum Agnum ad cœlum evocavit S. Ioannes Sanctum Eduardum Regem Anglorum, anno Domini 1606. vt scribit in eius vita Alredus Abbas Cisterciensis, qui „ floruit, anno Domini 1164. Sanctus „ Eduardus (inquit) nulli petenti nomi„ ne Sancti Ioannis Evangelistæ, aliquid „ denegabat: hunc enim post Apostolo„ rum Principem arctius diligebat. Vnde „ cõtigit, quod quidam peregrinus absen„ te eius ærario, in nomine Sancti Ioannis „ Evangelistæ importunè eleemosinam „ postularet. Cui Rex pretiosum annulum, „ cùm nihil aliud in promptu haberet, de„ dit. Accidit post hæc duos Anglicos ad „ adorandum Salvatoris sepulcrum Hie„ rosolymam proficisci. Qui die quadam à „ publica strata declinantes, devia quæ„ que sectati sunt; & sola ruente, nox obs„ cura adducta est. Et cum nescirent quid „ agerent, quò se verterent, apparuit eis „ senex quidam venerandus, qui eos ad ci„ vitatem reducit. Susceptis autem hos„ pitio mensa paratur, lautissimèque refe„ cti dant mẽbra quieti. Mane autem fa„ cto egressis illis de civitate, ait senex: „ viri fratres, cũ summa prosperitate vos „ repatriaturos non dubitetis; quoniam „ prosperũ iter faciet vobis Deus; & ego „ ob amorem Regis vestri in omni via hr„ mabo super vos oculos meos. Ego enim „ sum Apostolus Christi Ioannes, qui regẽ „ vestrum ob meritũ castitatis summa di„ lectione compleet. Hunc ergo annulũ, „ quem mihi in habitu peregrino apparẽ„ ti tribuit, reportare, denuntiantes ei obi„ tus sui instare diẽ, quem infrà sex menses „ visitãs visitabo, vt mecum sequatur Ag„ num quocunque ierit. His dictis dispa„ ruit: & illi ad patriã prosperè redeuntes, „ quæ viderant, Regi seriatim retulerunt.

Addit Ioannes in laudem virginum: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Empti dicũtur, quia pretio sanguinis Christi acceperunt hanc perfectam corporis, & animæ puritatẽ, vt hominibus altiores cœlestem hic agerent vitam. Ideoque Deo, & Agno sunt *primitiæ*, ideſt selectissimi, & gratissimi fructus, & oblationes, quales in veteri testamento erant primitiæ frugum, & hominũ. Sicut enim primi fructus sui novitate sapidissimi, & gratissimi sunt; ita & virginitas Deo, & sicut per primitias frugũ Deo oblatas, reliquæ fruges omnes censebantur Deo oblatæ, ac ab eo benedictæ; ita pariter per Virgines, quasi per primitias Deo oblatas, Deus totis earum familijs, totique Ecclesiæ benedicit, & benefacit. Vnde præclare S. Hieronymus contra Iovinianũ, qui matrimonium æquabat virginitati: *Si Virgines* (inquit) *primitiæ Dei sunt: ergo viduæ, & in matrimonio continentes erunt post primitias, ideſt in secũdo, & tertio gradu: nec prius perditus populus saluari poterit, nisi tales Hostias castitatis Deo obtulerit, & immaculatũ Agnum purissimis victimis reconciliauerit.*

Ex dictis constat, quam carnalis, & fœda sit Mahumeti lex quæ cœlestem virginitatis virtutẽ prohibet. Ideo autẽ prohibuit Angelicam istã virtutem, quia impossibilem iudicavit. Sic enim ait in secundo Alcorani capitulo. *Nocturnos cũ mulieribus coitus Deus communiter nobis permittit, cũ huiusmodi abstinentiã tùm difficilem, tùm impossibilẽ esse agnoscat.* Quam vero falsum sit, impossibilẽ esse abstinentiam à rebus Venereis, constat exemplo tot Virginum, quot habet Ecclesia Christi, & eorum qui in matrimonio castitatẽ servarunt. Mahumetus ex se alios iudicabat; cum vero ipse esset turpissimus, impossibile censebat sine commixtione fœminarum vitam agere.

§. III.

Ostenditur Alcoranum non esse legem, & testimonium Dei, quia testimonium Domini fidele: Alcoranum vero plenum est erroribus, mendacijs, & fabulis.

VT hoc evincam, discurram per errores contra Historiam, contra Mathematicam, contra Philosophiam, contra rationem naturalem, & contra Divinam Scripturam; pauca seligens ex multitudine errorum, quibus Alcoranum scatet.

Errores Alcorani contra Historiam.

Alcoranum lib. 3. capite 1. affirmat Beatam Virginem Mariam Matrem Domini nostri Iesu-Christi fuisse illam Mariam sororem Aaronis, & Moysis, æquivocans vnam Mariam cum altera Maria, cum tamen manifestè constet inter vnam & alteram Mariam intercessisse vltra mille, & quinquentos annos. Nam à nativitate Moysis, ad Nativitatem Christi transierunt 1598. anni. Hunc errorem notarunt Ioannes Andræas in suo tractatu contra sectam Mahumetanam cap. 4. & Cardinalis Cusanus in cribatione Alcorani lib. 1. cap. 4.

Glossatores Alcorani respondent, sicut Deus miraculosè fecit, quod Sara sterilis pareret, ita miraculosè conservasse Mariam sororem Moysis, vt esset Mater Christi. Sed hæc fabula facile falsitatis convincitur ex ipso Alcorano lib. 2. capite 1. vbi mentionem facit Conceptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis: dicitque fuisse in Templo præsentatam, & Sacerdotes Templi sortitionem fecisse, quis eorum curam habiturus esset illius Virginis, & sortem cecidisse supra Zachariam: quæ in Mariam sororem Moysis cadere non possunt. Vnde manifestè deprehenditur falsitas, & contradictio Alcorani. Deinde Maria Christi Mater fuit, *omnibus viris, & mulieribus splendidior, mundior, atque iucundior*, vt testatur ipsum Alcoranum cap 5. talis autem non fuit Maria soror Moysis, & Aaronis, nam quia contra Moysem locuta est, Deus immisit illi lepram Num. 12. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix: separataque est septem diebus extra castra.*

Secundo capite 55. Alcorani confundit Regem Pharaonem, qui regnabat, quando Moyses eduxit filios Israel de Ægypto, cum eo qui regnabat, quando Moyses natus est, & educatus in domo Pharaonis; cum constet fuisse diversos. Textus Alcorani, ita habet: Cum „ Moyses Pharaoni dixisset, vt filios Is„ rael secum de Ægypto egredi sineret, „ Pharao respondit: Nonne tu es, quem „ nutrivi puerum: & nobiscum per annos „ moratus es. Illudque perpetrasti (occi„ dendo scilicet Ægyptum) vnde malus „ reus factus est. Cæterum Mahumetum deceptum fuisse æquivocatione nominum, & falsum narrasse, constat manifestè ex Scriptura. Cum enim Deus misit Moysem ad Pharaonem Exodi 4. v. 19. dixit ei: *Vade, & revertere in Ægyptum; mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Quare Pharaon iste ad quem missus est Moyses, alius fuit ab eo cum quo Moyses habitavit, & sub quo in Ægypto vixit: siquidem Moyses Exodi 2. v. 15. ob occisum Ægyptum fugit in terram Madiam, & ibi commoratus est quadraginta annis: & dum ibi commoraretur mortuus est Rex Ægypti, vt dicitur Exodi 2. v. 23. & postea quando missus est in Ægyptum regnabat alius Rex eiusdem nominis.

Tertio, Mahumetus in Alcorano (vt testatur S. Petrus Paschasius pag. 31. num. 29.) asserit, Zachariam patrem Baptistæ tribus tantum diebus, & tribus noctibus mutum fuisse in pœnam incredulitatis suæ, quia nimirum Angelo annuntianti, Elisabeth parituram ipsi filium, credere noluit. Cum tamen ex Luc. cap. 1. v. 20. constet fuisse mutum vsque dum Elisabeth peperit. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant.* Illa autem narratio habetur in Alcorano capite 5.

Quarto, in primo Alcorani capitulo scriptum est: *Deus suos ad se benevolos, nequaquam hostes & erroneos adduxit.* Hoc autem assertum esse falsum, clarè probatur, cum multos idololatras, & vitiosissimos homines Deus converterit: quemadmodum Isaias cum Deo loquens dicit „ cap. 55. Ecce gentem, quam nesciebas, „ vocabis: & gentes, quæ non noverunt „ te, ad te current. Hinc Dominus per „ Oseam loquens, inquit cap. 2. Vocavi „ non plebem meam plebem meam, & nõ „ dilectam dilectam. Et in Psalmo inquit: „ Populus quem nõ cognovi, servivit mi„ hi, in auditu auris obedivit mihi.

Quinto, in tertio Alcorani capitu-

tulo tribuit Saul Regi factum Gedeonis: ſic „ enim ait: Saul cum exercitibus ſic acce- „ dens ait: Vos rivos viſuri nihil niſi quan- „ tum manus ſimul hauſit guſtatis: quod „ quidem transgrediens de meis viris eſſe „ deſiſtet. Omnes vero præter paucos præ- „ ceptum potando tranſgreſſi ſunt. In iis verbis videtur Mahumetus tangere hiſtoriam quam habet Scriptura Iudic. 7. v. „ 5. vbi ait: Cumque deſcendiſſet popu- „ lus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeo- „ nem: Qui lingua lambuerint aquas, ſicut „ ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeor- „ ſim: qui autem curuatis genibus bibe- „ rint, in altera parte erunt. Fuit itaque „ numerus eorum, qui manu ad os proji- „ ciente lamberant aquas trecenti viri: „ omnis autem reliqua multitudo flexo „ poplite bibit. Si autem illud dictū Al- corani intelligatur de Saule, quando inſe- quebatur Philiſtæos, tūc enim adiuravit populum Iſrael, ne manducarent donec vlciſceretur de inimicis ſuis: ſi, inquam, hæc narratio ſic intelligatur, eſt fabuloſa; hoc enim præceptum omnis populus ob- ſervavit præter Ionatam filium Saulis, qui illud ignoranter tranſgreſſus eſt, guſtan- do parum mellis, quia ſcilicet illud præ- ceptum non audivit. Vt conſtat ex 1. „ Reg. 14. v. 14. Et adiuravit Saul popu- „ lum, dicens, Maledictus vir, qui co- „ mederit panem vſque ad veſperam do- „ nec vlciſcar de inimicis meis: & non „ manducavit populus panem, &c.

Sexto, in quinto capitulo, ſic in- „ quit Alcorani liber: Chriſtus ſciens Iu- „ dæos in ſua incredulitate pertinaces, „ dixit: Quis in Dei nomine me ſeque- „ tur? Viri quidam albis veſtibus indu- „ ti dixerunt: Nos in Dei nomine te ſe- „ quentes in Deum credimus. Et dixe- „ runt: O Creator nos huic libro adhibeu- „ tes fidem, legatumque tuum imitan- „ tes fidelibus adſcribe. Vbi per vi- ros indutos veſtibus albis intelligit Apo- ſtolos, per legatum intelligit Chriſtum, & per librum Evangelium litteris viſi- bilibus ſcriptum. Et hæc fabuloſa ſunt, quia nec Apoſtoli veſtibus albis indu- ti incedebant, neque Chriſtus librum Evangeliorum à ſe ſcriptum, & com- poſitum oſtendit Apoſtolis, ſed ore tan- tum docuit, & poſt eius aſcenſionem in Cœlum & Spiritus Sancti miſsionem Sancti quatuor Evangeliſtæ divinitus inſ- pirati diverſis locis, & temporibus Evan- gelium ſcripſerunt.

Septimo, in duodecimo Alcora- ni capitulo fabuloſe narrat hiſtoriam Sa- crificij Abelis, & Caini. Sic enim ait: „ Illis (ſcilicet Cain, & Abel) holocau- „ ſtum Deo igni ſuppoſito facientibus, „ alterius holocauſtum minime Deo col- „ lectum eſt. Vnde alteri (ſcilicet Cain) „ dicenti fratri ſuo, ego te interficiam, „ alter reſpondit: licet manum tuam ad „ inferendam mihi mortem extenderis, „ ego nequaquam manum meam ad te „ extendam. Hæc narratio fabuloſa eſt. Nam Geneſ. 4. v. 5. legimus, quod obtu- „ lit Cain de fructibus terræ munera „ Domino: Abel quoque obtulit de pri- „ mogenitis gregis ſui, & de adipibus „ eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, „ & ad munera eius; ad Cain vero, & „ ad munera eius non reſpexit. Porro vbi „ nos legimus, reſpexit Dominus ab „ Abel, &c. Theodotio tranſtulit: In- „ flammavit Dominus ſuper Abel, & ſu- „ per munera eius. Circa quod vniformiter docent Doctores, quod Abel offe- rente ignis de Cœlo veniens oblationem eius incendit: quemadmodum 1. Parali- pomen. 7. v. 1. de Oblatione Salomo- nis, & 3. Reg. 18. v. 38. de Oblatione Eliæ ſcriptum eſt. Non itaque Abel, & Cain ignem ſuppoſuerunt oblationi- bus ſuis: ſed illis offerentibus, Deus ig- nem de Cœlo miſsit ſuper oblationem Abelis, & non ſuper oblationem Caini. Rurſus, quod dicit de colloquio inter fra- tres illos fabuloſum eſt: nam ex ſcriptu- ra conſtat, quod Cain dixit doloſè fra- tri: *Egrediamur in agrum; cumque eſſent in agro occidit eum.* Si autem prius minatus fuiſſet mortem, non egredetur Abel cum illo in agrum.

Octavo, in decimo ſexto Alcorani ca- pitulo ſignificat, peccatum Angeli fuiſſe, quia noluit ſe humiliare, & proſternere co- rā Adamo, vt Deus præcipiebat. Sic enim „ Deum loquentem introducit: Ego præ- „ cepi, vt Angeli patri veſtro (ſcilicet Adę) „ ſe humiliarent, præceptoq; meo omnes, „ excepto Beelcebud, paruerūt. Quod ſæ- pe repetit in Alcorano, nā alio loco aſſe- „ rit, Deū Angelis præcipiſſe vt ſe in ter- „ rā proſternerent coram Adam. Sed iſtud nō conſonat ſcripturis, in quibus aliæ cauſæ ruinę Angelorum docētur, vt Iſai. 14. Ezechielis 28. Deinde ſi vnus dumtaxat Beelcebud inobediēs fuit, vnus tantū eſſet Diabolus, ſiquidē Angeli boni poſt adim- pletionē præcepti, ſtatim beatificati ſunt: cōſtat autē Diabolos eſſe in magno nume- ro. Nam Marci 5. Chriſtus ab vno obſeſſo

legionem Dæmonum abstulit. Et Iob 4. asseritur, quod Deus in Angelis suis reperit pravitatem. Et in Apolipsi draco dicitur traxisse secum tertiam partem stellarum, quia nimirum Lucifer tertiam partem Angelorum decepit.

Addit præterea in eodem capitulo: „ Deo autem illum, scilicet Beelzebud, „ interrogante, qua de causa non obediret, respondit: Ego factus de igne, illi „ de terræ limò plasmato prævaleo. Cæterum hoc esse mendacium non solum contra Historiam, sed contra Philosophiam constat, nam vt docent Averroes, Avicena, & omnes Peripatetici Philosophi cum Aristotele, intelligentiæ, seu Angeli carent materia, & sunt substantiæ spirituales, & immateriales.

Nono, in eodem capite 16. dicit: „ Quod Deus præcepit Noe, vt hominibus persuaderet, vnum solum invocare „ adorareque Deum, & quod ei plurimi „ contradixerunt, quasi multorum deorum cultores, quos idcirco Deus submersit. Sed hæc narratio fabulosa est, constat enim in prima mundi ætate, quæ duravit ab Adam vsque ad Noe, idololatriam non fuisse. Et Genes. 6. dicitur Deũ immisisse diluvium, non ob peccatũ idololatriæ, sed ob nefanda carnis scelera: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* In illa namque prima mundi ætate propter recentem creationis mundi memoriam, vnum dumtaxat Deum mundique creatorem homines adorabant. Idololatria autẽ post diluvium à Nino Rege cœpit, vt tangitur sapientiæ 14. v. 15. Acerbo enim „ luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi „ homo mortuus fuerat, nunc tanquam „ Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia. Vel vt dicunt alij, idololatria cœpit à Nemroth.

Decimo, eodem capite fabulose narrat miracula Moysis per virgam facta: ait „ enim, quod cum serpens Moysis devorasset serpentes Magorum Pharaonis, „ omnes Magi superati genua sua coram „ Moyse flectebant, confitentes se Deo „ Moysis subiacere. Idcirco Pharao indignatus dixit eisdem: Manibus vestris, pedibusque abscisis suspendam vos. Hanc narrationem esse fabulosam constabit legenti cap. 7. 8. & 9. Exodi.

Vndecimo ex dictis eiusdem capitis manifestè evincitur Mahumetum has Historias imperitè, & sine luce veritatis Alcorano inseruisse. Nam ibidem sic legi„ tur: Homines Pharaonis dixerunt ad eũ, „ si Moysem, & Fratrem eius terram tuam „ sic vastare, tuamque gentem sibi allice„ re dimiseris, idolum tuum, & te prorsus „ negligendo dimittent. Respondit que „ Pharao: Ego fortis, & potens super eos, „ eorum infantes occidam, fœminasque cu„ stodiam. Hic manifestè cernitur Mahumeti imperitia, & ignorantia. Constat enim ex capite decimo Exodi, occisionem masculorum infantum, & custodiam, seu reservationem fœmellarum, cœpisse antequam Moyses natus esset; & illum Pharaonem, qui eam occisionem præcepit, alium fuisse ab eo, coram quo Moyses miracula operatus est.

Addit Mahumetus in eodem capite 16. quod *postquam filij Israel* mare rubrum miraculose transierunt, submersis Ægytijs, *inuenientes homines idolorum cultores, præcati sunt Moysem, vt eis similiter imagines constitueret.* Sed hoc fabulosum esse, facile evincitur. Constat enim ex cap. 13. Exodi, quod filios Israel de Ægypto eductos non duxit Deus per terram Philistim, quæ vicina erat, sed circumduxit per desertum, vsque ad montem Sinaì, quin in toto illo itinere civitatẽ aliquã, vel populum invenerint: constatque eos vitulum conflatilẽ adorasse propè mõtem Sinaì, & ob peccatum occisa fuisse viginti tria millia hominum: & non deveniisse ad terras habitabiles, & ad gẽtes idolatras nisi post multum temporis. Et incredibile est, quod filij Israel statim post transitum maris rubri, in quo tam diram Dei vltionem contra idolatras viderant, petivisse à Moyse, vt ipsis constitueret idola.

Decimo tertio, ex eodem capite deprehenditur alius error Mahumeti contra veritatem Historiæ: ait enim, quod „ Loth increpavit gentem suam, vide„ licet sodomitas, ob scelus inauditum à „ nemine prius perpetratum. Constat enim ante diluvium hoc peccatum fuisse commissum ab hominibus; vt enim dicitur Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.*

Quarto decimo, in eodem capite affirmat, Moysem reliquisse Aaronem, tanquam sui Vicarium, & cum primum in montem Sinaì ascendit, instanter Deum orasse, vt ostenderet sibi faciem suam, Deũ „ vero ipsi respondisse: Me non vide„ bis, si mons à te visus loco suo perma„ neat: eo autem montem ascendente, ip„ sum montem in minimum atque minutũ

„ pul-

„ pulverem redactum eſſe: vnde Moyſem „ quaſi mortuum cecidiſſe, poſtquam au„ tem curatus eſt, dixiſſe: Deus ego tuus „ ſum, & primus inter credentes. Verum hoc fabulorum eſſe conſtat ex cap. 33. Exodi, in quo legimus, poſt tabularum digito Dei ſcriptarum collationem, & vituli aurei confractionem, legiſque latione, Moyſem hoc modo Deum oraſſe: *Oſtende mihi faciem tuam.* Falſum eſt ergo quod Mahumetus narrat, nempe illum hoc poſtulaſſe antequam legem, & tabulas ſuſciperet.

Præterea ex ſcriptura 2. Exodi 19. conſtat, Deo in montem deſcendente, montem ipſum fumaſſe, & terribilem apparuiſſe, veruntamen integrum permanſiſſe. Moyſemque ſæpè in illum aſcendiſſe, & ex illo deſcendiſſe; abeuntibuſque filijs Iſrael, montem integrum fuiſſe relictum. Et dato, quod in pulverem fuiſſet redactus, veriſimile non eſt, Deum voluiſſe, vt Moyſes vir ſanctiſsimus, ita læderetur; cum poſſet illum in aere ſuſtinere, ſicut tenuit filios Core, igne patrem eorum deglutiente, Num. 26. vel ſaltem illum cadentem præſervare à læſione, ſicut in novo teſtamento aliquos ſanctos ab alto ruentes ab omni læſione ſervavit immunes. Quis deinde non videat, eſſe inſigne mendacium, quod Moyſes fuerit primus in Deum credens, cum ante illum Abraham, Iſaac, Iacob; & multi alij in ipſum crediderint.

Quinto decimo, in eodem capite 16. affirmat, auream ſtatuam à filijs Iſ„ rael conflatam, ſonitum quaſi ſtertenn tis emiſiſſe; filios autem Iſrael ſonitum „ illum audientes, confeſſos fuiſſe, ſe erraſſe „ ſe, & ſtatim dixiſſe: Niſi Deus miſeri„ cordiam fecerit, nos perdendis annu„ merabimur. Hanc narrationem eſſe falſam conſtat ex capite 32. Exodi, vbi dicitur, *quod* cum Moyſes de monte deſcendit, & appropinquavit ad caſtra, vidit vitulum, & filios Iſrael ducentes choros in honorem idoli. Non ergo pœnituerant antequam Moyſes de monte deſcenderet.

Decimo ſexto, in eodem capite narrat Moyſem reverſum multa commotum iracundia increpuiſſe filios Iſrael propter peccatum vituli, *& Fratrem ſuum arripuiſſe cum capillis.* Et addit: *Illi qui taurum adorauerunt, pœnituerunt.* Verum ex textu Exodi 32. v. 26. conſtat iubente Moyſe occiſos fuiſſe viginti tria millia hominum ex ijs qui vitulum adoraverant; & altera die oraſſe Dominum vt parceret populo ſuperſtiti.

Decimo ſeptimo, Mahumetus in eo capite de ſeipſo teſtatur *ſe Nunciam Dei* eſſe legendi, & ſcribendi neſcium, ſuit tamen mentionem reperiri in teſtamento veteri ac novo, ibique eſſe prænuntiatum: ſic enim habet Alcorani textus: „ Imitatores Nuncij atque Prophetæ „ ſcribendi neſcij, cuius nomen atque „ mentio reperitur in teſtamento, ac „ Evangelio. Ex his duobus primum eſt verum, Mahumetum fuiſſe legendi, & ſcribendi neſcium. Et propterea, quia fuit omnino imperitus, non aliam habuit notitiam Hiſtoriarum veteris, & novi teſtamenti, niſi eas, quas à Iudæis, & Chriſtianis accepit, & ideo illas confuſè percipiens, mille fabulis fœdavit.

Quod autem dicit, ipſum fuiſſe prænuntiatum in veteri, & novo teſtamento, & tanquam Prophetam Dei promiſſum, eſt inſigne mendacium, vt ſupra oſtendimus ſectione 11. pagina 622. Verum tamen eſt Mahumetum in ſcriptura fuiſſe prænuntiatum à Chriſto Ma„ thæi 24. dicente: Surgent multi „ Pſeudo Prophetæ, & ſeducent multos. „ Et Luc. 21. Hieruſalem calcabitur à „ gentibus, donec impleantur tempora „ nationum. Et Cornelius à Lapide ex„ ponens verba illa Apocalypſis 6. 8. Et „ ecce equus pallidus, & qui ſedeb bat ſuper eum, nomen illi Mors, & in„ fernus ſequabatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ „ interficere gladio, &c. Cum Ioachimo Seraphino Firmano, Pannonio, & Pereirio, ait per equum pallidum intelligi ſectam Mahumetis, Turcas, & Sarracenos, infenſiſsimos, & celebertimos iam à mille annis hoſtes Chriſtianorum.

„ Hi enim (inquit) poſt Gothos, Ar„ rianos, alioſque priſcos hæreticos mox „ Eccleſiam graviſsimè infeſtarunt, & „ iugiter infeſtant: eſtque hæc quaſi „ quarta ætas Eccleſiæ. Hæc ſecta re„ ctè comparatur equo: quia planè irra„ tionalis eſt, brutalis, & carnalis. Hic „ equus eſt pallidus, quia reſpondet Seſſo„ ri ſuo; Seſſor enim eius eſt pallida „ mors. Rurſus pallor ſignificat Sarra„ cenorum invidiam, livorem, & odium „ in Chriſtianos, eorumque nequitiam, & „ malitiam, inſuper libidinem: in hac enim

„ suis præcelluit Mahomet; eamque lege
„ sua permisit, imò promisit: vnde & po-
„ lygamiã induxit. Libido enim spiritus,
„ & sanguinem exhaurit; itaque facit pal-
„ lidos, & luridos. Denique pallor notat
„ eorundem avaritiam, vti videmus Tur-
„ cas auri esse cupidissimos, ideoque apud
„ ipsos auro venialia iura. Avari enim ob
„ curas, & metus congerendi, & conser-
„ vandi opes, pallescunt. Quo circà argutè
„ Diogenes rogatus, cur aurum pelleret?
„ Quia multos, inquit, habet sibi insidian-
„ tes, & insidiantes; teste Laertio lib. 6.
„ Huius sector est Mors; ideſt Mahomet;
„ qui deficiente secta Arrij, mox ortus est
„ regnante Heraclio Imperatore, suam-
„ que sectam propagavit gladio, nimirum
„ omnes sibi resistentes occidendo: hoc
„ enim erat Mahumetis symbolum, quod
„ quotidie Sarraceni in suis moskæis sive
„ fanis vsque ad ravim inclamant: Nõ est
„ Deus nisi vnus, & Mahomet Apostolus
„ eius. Quicumque hoc recipere, & profi-
„ teri nolebant, necabantur ab eo; qui ve-
„ ro recipiebant, servabantur, ideoque di-
„ cti sunt Muselmanni, ideſt servati & li-
„ berati à morte (â radice schalam, quæ
„ Hebraicè, & Arabicè significat, esse sal-
„ vum, incolumem, prosperum) sed hi pe-
„ iore, scilicet spirituali, morte ab eo occi-
„ debantur: sequitur eũ infernus, ideſt An-
„ ti-Christus: est enim ipse præcursor An-
„ ti-Christi, qui erit vitiorum abyssus, &
„ quasi infernus; illique viam præparat;
„ putatur enim secta Mahumetana dura-
„ tura vsque ad Anti Christum, ait Fir-
„ manus; adeoque Ioannes Annius, & alij
„ putarunt, ipsum Mahumetum esse An-
„ ti Christum. Rursum, totus infernus,
„ omnesque Dæmones ad invandum Ma-
„ hometem, eiusque sectam propagan-
„ dam videntur concurrisse. Tertiò pro-
„ priè sequitur eum infernus, quia plurí-
„ mos ipse præ Gothis, alijsque hæreticis
„ ad infernum detrusit. Ipsius enim secta
„ victorijs plurimis non tantum Trape-
„ zuntinum, & Cõstantinopolitanum, duo
„ Orientis Imperia, sed & maiorem or-
„ bis partem occupavit, & plura in dies
„ occupat; adeò vt nuper subacta ma-
„ iori Hungaria, & Transilvania, iam
„ Germaniæ, Italiæ, & Poloniæ immi-
„ neat, idque per Christianorum prin-
„ cipum dissidia; hisce enim crescit; &
„ Christiani quasi excæcati id non vi-
„ dent, aut non curant. Vnde dicitur hic
„ per quatuor partes terræ grassata; huic
„ proinde datum est interficere gladio,
„ fame, morte, & bestijs terræ incolas or-
„ bis. Hæ enim sunt quatuor plagæ
„ Dei, de quibus ait Ezechiel capite 14.
„ 21. Si quatuor iudicia pessima, gla-
„ dium, & famem, ac bestias malas, &
„ pestilentiam (quam Ioannes vocat mor-
„ tem) immisero in Hierusalẽ, vt interfi-
„ ciam de ea hominem, & pecus. Sarra-
„ ceni enim multos Christianos gladio,
„ alios fame, alios ærumnis, indeque con-
„ sequente peste, alios alijs generibus
„ mortis, alios etiam leonibus, vrsis, alijs-
„ que bestijs obijciendo occiderunt. Hactenus P. Cornelius.

Decimo octavo Mahumetus in ca-
„ pite 20. Alcorani, ait: Quod Deus
„ præcepit Noe fabricare arcam, non
„ prædicendo incredulos, ac iniustos,
„ quatenus mergerentur. Hoc constat
esse falsum; quia omnes Doctores tam Christianorum, quam Hebræorum sanctique Patres concorditer dicunt, Deum per Sanctum Noe hortatum fuisse peccatores ad pœnitentiam; eisque minatum fuisse diluvium, nisi vitam emendarent. Et cum certum sit ex capite 6. & 7. Geneſis Noe in fabricandâ arca centum, & amplius consumpsisse annos; dubitari non potest, interrogatum fuisse à plurimis toto illo tempore ad quid arcam fabricaret; & virum Dei eis veritatem aperuisse, & toto illo tempore præconem fuisse Divinæ Iustitiæ imminentis. Quod Christi prædicator facile amplificare poterit; præsertim cum semper fuerit consuetudo Dei in veteri testamento prædicere homines de futuro supplicio, nisi à peccatis desisterent, & pœnitentiam agerent.

Decimo nono, in eodem capite 20.
„ sic ait Mahumetus: Noe in arcam
„ conscendens filium suum ex alia par-
„ te stantem advocans ait: fili nobiscum
„ equita, ne sis vltra incredulus. Qui res-
„ pondit: ad montem, qui ab aqua me
„ proteget, proficiscar. Cui Noe: Ni-
„ hil nisi cui Deus misericordiam fece-
„ rit, hodie salvari poterit. Eos ita collo-
„ quentis vnda disgregavit. Sed hoc fa-
bulosum esse, convincitur ex scriptura testimonio Genes. 7. vbi ait: *Et ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius*, & vxores filiorũ eius cum eo, *in arcam, propter aquas diluuij*. Constatque ex cap. 6. v. 31. Noe tres tantum habuisse filios, Sem Cham, & Iapheth, & hos omnes cum illo ingressos, & egressos fuisse ex arca Genes. 7. v. 18.

Vi-

Vigeſimo, in eodem cap. 20. hæc habet in Dei perſona: *Abraham meis nuncijs ſibi miſsis gaudium, atque ſalutem afferentibus vitulum attulit ſaginatum: ſed illis manum non apponentibus, hic ſtupidus, & timidus factus eſt.* Loquitur hic Mahumetus de tribus Angelis, qui venerunt ad Abrahã. Conſtatque evidenter hanc narrationem eſſe fabuloſam: nam Gen 18. dicitur: *Tuliſſe Abrahamum vitulum tenerrimum, & coxiſſe illum: tuliſſe quoque butyrum, & lac, & poſuiſſe coram eis.* Additque textus verſ. 9. *Cumque comediſſent, dixerunt ad eum, &c.* Ergo falſum eſt, non comediſſe, nec appoſuiſſe manum; & fabula eſt, quod Abraham ſtupidus factus, quia illi comedere noluerunt.

Vigeſimo primo, in eodem cap. 20. ait Alcorã: *Tres illos Dei nuntios Abrahamum admonuiſſe, ne cauſam Sodomorum vlterius tractaret.* Verum hoc quoque conſtat eſſe falſum. Nam eo cap. 18. v. 23. dicitur, Abrahamum obſecraſſe Dominum vt parceret Sodomitis, ſi inter eos invenirentur quinquaginta iuſti: & id obtinuiſſe; & rurſus obſecraſſe, vt parceret propter quinquaginta quinque: & tertio, vt parceret propter quadraginta: & quarto vt parceret propter triginta. Quintò, vt parceret propter viginti. Sexto, vt parceret propter decem, ſi ibi inuenirentur. Et his omnibus vicibus exoraſſe, quod oraverat. Quis non videat Habrahamum Virum Sanctiſsimũ non toties, & cum tanto charitatis ardore oraturum fuiſſe pro Sodomitis, ſi Angeli id prohibuiſſent?

In eodem cap. aſſerit Mahumetus, Angelos dixiſſe Loth, vt egrederetur cum tota gente ſua *Præter vnam mulierem, id, quod cæteri, paſſuram.* Significans Loth non aduxiſſe ſecum vxorem ſuam. Quod conſtat eſſe falſum. Nam Angeli apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & filiarum, & eduxerunt eos. Et poſtea vxor Loth converſa eſt in ſtatuam Salis, quia reſpexit retro Gen. 19. v. 26.

Vigeſimo tertio, in capite vigeſimo primo Alcorani narrat Mahumetus hiſtoriam de ſomnio Ioſeph, quod refertur Gen. 37. perſecutionem, quam paſſus eſt à fratribus, eius venditionem, & reliqua, & innumera miſcet mendacia contra id quod textus ſacer habet. Carthuſian⁹ enumerat in narratione huius hiſtoriæ Ioſephi prout habetur in illo cap. Alcorani triginta mendacia, & fabulas. Inter alia dicit Mahumetus, Deum manifeſtaſſe Iacobo filium ſuum eſſe poſitum in ciſterna, quod conſtat eſſe falſum: quia ſi ſciret, operam daret, vt eum liberaret.

Secundo dicit, mulierem emptoris Ioſephum reperiſſe in ſuo thalamo, ipſumque præcatam eſſe vt ſecum concũberet. Conſtat autem ex cap. 39. Gen. verſ. 7. & 11. id eſſe falſum. Tertio dicit, Ioſephum à domina ſua ſolicitatum parum abfuiſſe à conſentiendo; *Fere tamen vtriuſque conſenſus fuit*, inquit Mahumetus; licet poſtea à Deo inſpiratus fugerit. Sed ex cap. 39. v. 8. conſtat ab initio acriter ipſam reprehendiſſe. Quartò dicit, mulierem illam quando fugientem Ioſephum ſequabatur apprehendiſſe ſubuculam eius, eamque rupiſſe, quaſi ille nudus è lecto ſurrexiſſet ad arripiendam fugam. Conſtat tamen ex textu, non tunicam interiorem, ſed pallium exterius apprehendiſſe: nam ille *relicto in manu eius pallio fugit.* Mitto alia fabuloſa, quę hic interſerit. Chriſti prædicator, ſi aliquem Mahumetanum Alcorani peritum inveniat, poſtulet ab eo, vt hiſtoriam Ioſephi prout in illo libro legitur, enarret, & mendacia facile redarguet.

Vigeſimo quarto, in cap. 27. Alcorani dicit Mahumetus. *Deus Alexandro Regi omnium rerũ ſcientiã dedit.* Hoc fabuloſum eſſe conſtat; quia Alexander Ariſtotelem habuit præceptorem, & quamvis multa ab illo didicerit, multo plura ignoravit; & paſsim ab illo interrogabat, quę ipſe neſciebat. Conſtatque Alexandrum idolatrã ambitioſum, & libidonoſum fuiſſe: quomodo ergo à Deo omnium rerum ſcientiam accepit?

Vigeſimo quinto, in cap. 28. ait: *Deus dixit ad Zachariam, habebis filium nomine nunquam ante cuiquam impoſito*, videlicet Ioannem vocandum. Sed hoc eſt apertè falſum, quia nomen Ioannis frequens erat apud Hebræos. Ibidem ait: *Iſmael fuit Propheta.* Quod tamen confictum videtur. Nam Gen. 16. v. 12. de eo dixit Angelus: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.*

Vigeſimo ſexto, cap. 46. Alcorani aſſerit, quod Abraham ducens filium ſuum ad immolandum dixit ei: *O fili mihi in viſione nuntiatum eſt, quod te decollarem;* ſed hoc eſt contra textum Gen. 22. v. 7. nam Iſaac dixit patri ſuo. *Ecce ignis, & ligna, vbi eſt victima?*

Mitto alia dicta Alcorani, quę manifeſtè contradicunt Hiſtorijs Sacris; quorum aliqua in ſuperioribus ſectionibus attingimus; vt mendacium illud, quod Chriſtus non ſit crucifixus. Duo tamen in-

ſig-

ſignifora mẽdacia circa Anuntiationem, & partum Virginis ſeorſim confutanda ſunt.

§. IV.

Confutatur fabula Alcorani aſſerentis, Angelum Gabrielem apparuiſſe B. Mariæ Virgini diſcedenti è domo parentum in terram orientalem, & tunc illi anuntiaſſe Chriſti miraculoſam Conceptionem, ubi recenſentur laudes, quæ in Alcorano de B. Virgine dicuntur.

SEIPSVM Mahumetus Prophetam ignorantem appellavit; ſiquidem in ca. 16. Alcorani *Seipſum vocat Nuncium Dei legendi, ſcribendi vè neſcium.* In eo, quod ſeipſum Prophetam appellavit mentitus eſt, in eo autem, quod ignorantem dixit, veriſsime pronuntiavit: nam cum Hiſtorias Sacras ſolum ex relatione Chriſtianorum confuſe noſſet, eis poſtea immiſcuit mille mendacia, dum tanquam ſibi revelatas ruſticis Arabibus propoſuit. Vt inter alia cernitur in hiſtoria Anuntiationis, & Nativitatis Chriſti, de quibus nunc agendum.

Igitur Pſeudo Propheta iſte ſic in cap. 28. Alcorani rem narrat: introducit „ Deum ſic loquentem: Mariæ verſus lo„ cum orientalem à ſua gente diſcedenti „ ſpiritum noſtrum, id eſt, Angelum miſ„ ſimus. Cuius viſu illa pavefacta, Deum „ rogat, vt ſe ab illo tueatur. Quam ſpi„ ritus ille affatus eſt, nihil niſi Dei nun„ tius ſum, qui tibi puerum optime creſ„ centem promittit. Reſpondit ipſa, cum „ virum non tetigi, puerum quomodo „ habebo? Ait ille: Hoc Deo leve eſt at„ que poſsibile.

Verum ex Evangelio Lucæ conſtat Beatam Virginem fuiſſe intra domum, cum illi Angelus apparuit: id enim ſatis aperte oſtendunt verba Lucæ cap. 1. v. 26. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem, &c. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit, &c.* Vt enim ponderat Venerabilis P. Petrus Canſius. lib. 3. de Maria Deipara Virgine cap. 1. ſignificanter dixit Evangeliſta, *Ingreſſus Angelus ad eam*, vt palam nobis indicet, Virginem tuo decoro ſervientem, id eſt, non foris vagantem, ſed domi potius latitantem, privatimque ſua curantem, & factis vacantem ſtudijs. Hinc Maldonatus hunc locum exponens merito reprehendit audaciam Hæreticorum, qui dubitant, an Maria fuerit in ſecreto domus ſuæ, cum eam Angelus ſalutavit, & credere malunt eam fuiſſe apud cognatum aliquem ſuum cum ancillis laborantem, dicitque illos Iudaico eſſe ingenio. Itaque „ non magis (inquit) illis, quam apocrypho „ illius Protoevangelij Authori, quod Ia„ cobi nomine circunfertur, credendum „ eſt, vbi ſcriptum eſt, B. Virginem for„ ſam ad auriendam exiſſe aquam, cum il„ li Angelus apparuit. Vtrumque enim, & „ Evangeliſtæ, & antiquis omnibus repug„ nat Authoribus. Nam & Lucas cum „ Angelum ad eam ingreſſum dicit, ſine „ dubio ſignificat eam intra domum fuiſ„ ſe, & id Ambroſius, Euſebius Emiſſenus, „ & Andræas Hieroſolimitanus, & Beda, „ & Bernardus affirmant. Sunt etiam qui „ putant clauſo domus oſtio, Angelum „ ad Beatam Virginem penetraſſe, quod „ & quia Angelo, cum ſpiritus eſſet, opus „ non fuit aperire, & quia ad ſanctitatem, „ puritatemque pertinebat Virginis, clau„ ſo eſſe oſtio; valde credibile iudico.

Certiſsimumque eſt Angelum miſſum fuiſſe ad Civitatem Nazareth: non ergo Maria diſceſſerat à ſua gente, vt Mahumetus fabulatur. Maria enim, non ſolum erat deſponſa, ſed verè nupta Ioſepho, cum Chriſtum concepit, vt probat Maldonatus in cap. 1. Math. v. 16. Præcipua enim cauſa, cur Spiritus Sanctus voluerit Chriſtum ex nupta naſci, hæc ab omnibus fuiſſe creditur, vt Virginis honori conſuleretur: atqui non eſt conſultum, ſi deſponſa tantum non dum nupta concepit. Dicit autẽ Evangeliſta Angelum miſſum ad Virginem deſponſatam, & non dixit miſſum ad Virginem nuptam, non quod nupta non eſſet, & cum Ioſepho tanquam cum marito habitaret, ſed quia vt Chriſoſtomus adnotavit, non magis à viro cognita, quam ſponſę, quæ nondum nuptæ ſunt. Itaque cum B. Virgo Chriſtum concepit, iam verum erat matrimonium inter Ioſephum, & Mariam, vt probat Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 9. & lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia cap. 11. & tenent, *aut omnes, aut optimi Theologi*, inquit Maldonatus. Ergo fabula eſt, quod Maria diſceſſerat à ſua gente, cum Chriſtum concepit: quomodo enim Virgo Sanctiſsima virum ſuum relinqueret? Quod autem B. Virgo Sanctiſsima fuerit, teſtatur ipſe Mahumetus in Alcorano in cap. 5. & in cap. 74. nam ibi introducit Angelum ſic loquentem. *O Maria cunctis viris, fœminiſque præclarior, ſoli Deo*

perfe-

perſeueranter ſtudens ! Et rurſus ab eodem dicitur : *O Maria Deus vtique elegit te, & purificauit te, elegit te claram ſuper mulieres ſæculorum* ! Iterum vero : *O Maria, Deus annuntiauit tibi Verbum ex ipſo : nomen eius Ieſus Filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc ſæculo, & in futuro.* Quid autem eo luculentius? *Maria ſe dirigendo nihil malitiæ, aut prauitatis operata eſt: vnde noſtram ei animam inſuſtauimus.* Sic in perſona Dei loquitur Mahumetus, & in propria perſona de eadem loquens inquit : *E viris multi perfecti fuerunt, nulla autem ex mulieribus vnquam perfecta fuit niſi Maria Mater Ieſu.* Ita refert Caniſius lib. 3. de Deipara cap. 20.

Et ſanè S. Lucas quæ ſcribit de Annũtiotione Angeli ad Mariam, ab ipſa Virgine accepit, vt probat Maldonatus, in cap. 1. Lucæ num. 8. *Quædam enim ſcribit, quæ nemo præter Virginem ex ijs à quibus Lucas audire poſſet, quale eſt illud de mirabili Conceptione, & ortu Baptiſtæ, & iſtud de Annuntiatione Angeli.*

§. V.

Annuntiationem factam eſſe in Domo Virginis, probatur contra Mahumetanos ex miraculoſa illius traſlatione in Lauretanum.

FALSITATIS convincitur illa narratio Alcorani ; nam domum B. Virginis propter ſtupendum opus Incarnationis Verbi, quod Deus in ea operatus eſt, illuſtravit Dominus maximis miraculis, vt enim inquit Spondanus in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos num. 26. Domus „ illa, in qua de Verbi Incarnatione ſan„ ctiſsima Virgo cœleſte accepit nuntiũ, „ adhuc magno miraculo non tantum in„ tegra perſeverat, ſed Angelorum mini„ ſterio ab infidelium manibus vindicata, „ in Dalmatiam primum, inde in Italiam „ tranſlata eſt in agrum Lauretanum Pi„ ceni Provinciæ, quod per inſigne, ac no„ biliſsimum, vetuſtatis monumentum to„ tus Chriſtianus Catholicus orbis vene„ ratur, ac colit. Quę verba ſumpſit ex Ba„ ronio tom. 1. ad an. 9. num. 1. De hac miraculoſa traſlatione domus B. Virginis agit latè P. Caniſius lib. 5. de Deipara ca. 25. & fuſiſsime P. Horatius Turſelinus noſtræ Societatis libris quinque ea de re conſcriptis.

Rem narrat Caniſius ex probatiſsimis Authoribus eo cap. 25. nimirum ex Blondio Hiſtoriographo, & rerum Italicarum peritiſsimo, ex Baptiſta Mantuano ſui quidem ſeculi Theologo, & Poeta laudatiſsimo ; & ex Hieronymo Angelica Reipublicæ Recanetenſis à ſecretis, viro valde ſincero, & rerum ad præſentem hiſtoriam pertinentium diligentiſsimo exploratore, in libello de hiſtoria B. Virginis Lauretanæ, quem Summo Pontifici nuncupavit, & ex Leandro Alberto Hiſtoriographo Italico. Summa hiſtoriæ eſt: *Non eſſe mirandum* ſi Lauretana Ædes ingentem apud omnes obtineat authoritatẽ: eo enim loco Beatiſsimę Virginis cubiculum contineri, in quo eadem, & nutrita, & poſt modum ab Angelo ſalutata, adeoque Spiritu Sancto obũbrabata Chriſtum in vtero conceperit, & conceptum magna ex parte educarit. Hoc Sacrum cubiculum primum in Nazareth Gallileæ opido conſtructũ, poſt Chriſtum vero in Cęlos receptum, in domum orationis, ſive ſacellum ab Apoſtolis commutatum, & divinis vſibus conſecratũ, deindeque à Chriſtianis reverenter habitum eſſe, quoad Paleſtina demũ ſub Coſdroa Rege immaniſſimo Chriſtianis adẽpta in Agarenorũ poteſtatã devenit: Poſtea vero Angelorũ miniſterio ad Illiricos propè Caſtellum, cui nomen eſt *Flumen*, tranſlatum eſt. Deinde anno 1294. decima die Decembris Bonifacio Octavo Pontifice Maximo, miro modo ex inde Angelorum manibus traſvectum ſuper æquora, in agro Recanatẽſi conſedit, in medijs nemoribus nobiliſsimę cuiuſdam mulieris eius civitatis, cui nomẽ fuit Laureta.

Nec fides huius hiſtoriæ labaſcit, quod mirabilis, & iuxta naturam impoſsibilis hæc traſlatio fuerit: vt enim rectè Baptiſta Mantuanus ait : Mirum id ſanè, atque adeo incredibile non immerito videretur, ſi virtutem Cęleſtem excluderemus, quæ & Habacuc Prophetam Dan. 14. ex Paleſtina in Babilonem tranſtulit, ac eundem incolumem ſuis illico reſtituit. Vnus Angelorum centum octoginta Aſſiriorũ millia ſine armis, ſine copijs, nocte vna perculſit, poſtravit, extinxit 4. Reg. 16. Rurſus Angelico miniſterio effectum eſt, vt Philippus Chriſti Diſcipulus, velut per aera deportatus, nobili Eunocho conſociaretur, eoque baptizato ad ſuos in Azotum confeſtim rediret, longis itinerum ſpacijs breviſsimo tempore confectis, vt omnes ſubitam illam tranſlationem, atque reſtitutionem eiuſdem hominis admirarẽtur. Actor. 8. Quid vero magis prodigioſum ſumſum videatur, quam Eliam 4. Reg. 2.

ex

ex hominum conspectu subito rapi, & curru igneo excipi, & in loca remotissima deveh, ac demũ post multa sæcula in Palestinam reverti, & in maiestate quadam conspici postquamvero in monte Math. 17. cum Christo de futuro eius excessu collocutus esset, statim rursus evanescere. Nec defuerunt, qui cum Gregorio Neocæsariensi tanta fide excelluerint, vt rupes & montes ingentes oratione sola moverint, atque in alium locum transtulerint. Quo circa cum divinæ virtuti nihil possit resistere, & similibus miraculis refertæ sint veteres historiæ, quas nullus in vniversum, nisi perfrictæ frontis homo abijcere possit, certè non adeo incredibile videri debet, Mariæ quoque domunculam Deo factam, cum male neglecta iaceret, impijs ademptam esse cultoribus, & invisibili quadam virtute ad locum honestiorem tandem demigrasse, vbi ad verum, & salutarem Christianæ gentis vsum, & fructum converteretur. An non omnia propter electos? Quibus & Angeli Sancti, vtpotè spiritus administratorij, sive (vt loquitur Cyprianus serm. de Nativit. Christi) salutis nostræ ministeriales, in ijs præsertim rebus propense serviunt, quæ ad Christianæ fidei, ac pietatis profectum magis, ac magis in pijs animis excitandũ, fovendumque spectant. Quis autem non videat hoc Mariæ cubiculum, non modo propter personę quõdam in habitantis nobilitatem nos ad amorem, & honorem quendam rapere, verum etiam velut pulcherrimum quoddam esse symbolum, quo parvi, & magni semper, multumque cõmoneantur de Sanctissimæ Virginis vita, & conversatione iam olim in eo loco transacta, deque Christi Domini, & Matris eius domestica, & per quam suavi familiaritate ibidem habita, sed & de proprio Christiani hominis officio per hanc velut imaginem adumbrato? Nihil enim nobis in omni vita, si sapimus, diligentius curandum, ac elaborandum est, quam vt nostros animos, velut sedes virgineas, & domos spirituales hospiti Christo præbeamus, eiusque mysticæ matres post MARIAM, & naturalem & spiritualem Domini Matrem efficiamur. Id vero fiet pulcherrimè, si ad voluntatem Dei præstandam nos die nocteque componamus, illumque Christi sermonem intimis animi sensibus complectamur: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in Cœlis est, ipse meus frater, soror, & Mater est.* Math. 12.

§. VI.

Exploditur fabula Alcorani affirmantis, B. Mariam Christum peperisse, cum iuxta palmam consisteret; & alia fabulosa narrantis.

MAHVMETVS in Alcorano cap. 28. hæc habet: Maria imprægnata cum puero concepto in locum remotum aufugit, tandem mensiruo partum præcedente destillante, cum iuxta palmam consisteret, dixit: vtinam morti, oblivionique succumberem, antequam hoc mihi contigisset. Christus autem subsistus egressus est: ipsamque consolans, ne timeas, inquit: ego enim tecũ hic assideo: deinceps Deus ipsam allocutus iniunxit, vt palmam excuteret, atque de eius fructibus decidentibus vesceretur, atque roboraretur. Additque eos qui eam videbant gestantem puerum, & cognoscebant eius parentes esse iustos, & sanctos, ei exprobrasse vitam turpiter actam cum suorum dedecore, & quasi culpabilem, ac fornicariam reprehendisse; ipsam vero, vt suam innocentiam defenderet, ab eis rogasse, vt infantem illum de veritate interrogarent: tunc vero infantulũ in hanc vocem erupisse: *Ego sum Dei minister, qui mihi librum tribuens me Prophetam constituit.* Concludit Mahumetus: *Hoc est de Christo Mariæ filio Verbum Verax.* Dicere debuisset, *Verbum mendax, & fabulosum.* Hæc enim narratio plura cõtinet mẽdacia quam clausulas. Imprimis manifestum est, Prophetas antiquos anuntiasse, Christum nasciturum in Bethelem, vt constat ex Micheæ 5. & ita respondetunt Sacerdotes Herodi interroganti Math. 2. v. 6. *Et tu Bethelem terra Iudà nequaquam minima es in Principus Iudà: ex te enim exiet dux, qui rogat populum meum.* Deinde clarè constat Christum natum esse in Bethelem, vt narrat Mathæus cap. 2. *Cum natus esset Iesus in Bethelem, &c.* idque mundo publicavit adventus Magorũ, qui ducti ab stella ingressi sunt Hierosolymam dicentes, *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? &c.* Illumque ducti ab stella quæsierunt, & invenerunt in Bethelem, & adoraverunt, offerentes ei aurum, thus, & mirrham Math. 2. v. 11. Constat etiam ex occisione innocentium; nam Herodes *occidit omnes pueros, qui erant in Bethelem, & omnibus finibus eius à bimatu, & infra* Math. 2. 17. supponens, Christum ibi natum esse. Constat tertio ex Lucæ 2. cap. Mariam ascendisse cum Iosepho

in

in Bethelem ob edictum Cæſaris, & ibi impletum fuiſſe tempus pariendi, & peperiſſe, & reclinaſſe infantem in præſepio: & Paſtores ex admonitione Angeli veniſſe, *Et inueniſſe Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Fabuloſum ergo eſt, quod B. Virgo in locum remotum aufugerit, quaſi ad vitandam infamiam fornicationis, quam ei imputabant. Certum enim eſt, Beatam Virginem matrimonium contraxiſſe cum Ioſepho, & Chriſtum reputatum fuiſſe filium Ioſephi ab omnibus, qui myſterium ignorabant: nam propter honorem Mariæ, ne ſcilicet putaretur mulier fornicaria, Spiritus Sanctus diſpoſuit, vt Chriſtus naſceretur de Virgine nupta. Ergo falſum eſt, quod tanquam inhoneſta fuerit reprehenſa. Falſiſſimum etiam eſt, hanc Virginem puriſſimam profluvium ſanguinis in partu paſſã fuiſſe: ſicut enim ſine opera viri, & ſine delectatione concepit, ita peperit ſine dolore, immo cum ingenti ſpiritus ſui gaudio, & ſine alijs imperfectionibus, quibus aliæ fœminæ obnoxiæ ſunt. Hæc eſt enim Virgo illa, de qua Iſaias cap. 66. v. 7. prædixit: *Antequam parturiret peperit*, id eſt, antequam dolorem pariendi ſentiret: *Antequam veniret partus eius, peperit maſculum*, id eſt, antequam veniret dolor ex partu peperit Chriſtum. *Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic ſimile?* Partus nanque iſte fuit miraculoſus. Et infans ille, quamvis corporis quantitate eſſet infans, iudicij tamen, ac ſapientiæ perfectione erat vir, iuxta prophetiam Hieremiæ cap. 31. *Nouum fecit Dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum*, id eſt in vtero geſtabit Chriſtum, qui erit plenus ſapientia in vtero perinde, ac ſi foret iam grandævus vir.

Nec illud dictum, *Vtinam morti, obliuioniq; ſuccumberem antequam hoc mihi contigiſſet*, concordat cum ſumma perfectione, quam de B. Virgine prædicat Mahumetus, vt vidimus paulo ſupra §. 4. Nec cum illo privilegio, quod conceſſum fuiſſe ſoli Chriſto eiuſque Matri affirmat liber *Alkoã* magnę authoritatis apud Mauros, & Turcas Diſcipulos Mahumeti: in illo enim libro ſic legitur: *Nullus ex filijs Adam naſcitur, quem non tangat Satan: & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter Mariam, & Filium eius.* Vt refert Caniſius lib. 3. de Deipara cap. 20. Hinc enim ſequitur Beatam Virginem, neque peccatũ originale contraxiſſe, neque actuale commiſiſſe. Si autem res ita ſe habuit, quomodo in illa impatientię verba erumperet? Si virgo concepit, & virgo permanſit in ipſo partu, vt fatentur Mahumetani, vt conſtat ex ſect. 3. pag. 548. non ergo menſtruum paſſa eſt. Denique fabuloſum eſt, quod Chriſtus infans locutus ſit: etſi enim poſſet, voluit tamen aliorum infantũ conditionem naturalem ſubire. Quod autem narrat infantem dixiſſe, ſibi à Deo datum librum; ſi intelligatur de libro materiali Evangeliorum, fabuloſum eſt: nam Evangelia Apoſtoli ſcripſerunt poſt Chriſti Aſcenſionem.

§. VII.

Error Alcorani Mathematicam.

IN Alcorano (ſecundum quod illo vtebantur Mauri cum diſtinctione librorum) lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 19. & lib. 4. cap. de *Dominatione*, dicitur, ſtellas eſſe in primo cœlo. Cum tamen conſtet ex Mathematica eſſe in octavo. Liber Sunę, qui eſt paris authoritatis cum Alcorano (vt vidimus ſect. 2. pag. 535.) affirmat illas alligatas eſſe cœlo, ab ipſoque pendẽtes catenis aureis: & maximam ſtellarum non excedere magnitudinem magni montis. Idque ipſum narrat Mahumetus in Alcorano; quando depingit fabuloſam ſuam Aſcenſionem in Cœlum, nimirum lib. 2. cap. 11. aſſeritque Dæmones aſcendere in Cœlum ad audienda ſecreta divina; ſtellas vero, cum primo eos vident, concitato curſu, & aſſumpto titione ignito, illos fugare. Quę omnia ridicula, & fabuloſa ſunt, cum ſtellæ corpora ſint inanimata, & cęlo ipſo infixa, & tantæ magnitudinis, vt minima ſtellarum firmamenti ſit quater ſupra ſexagies maior globo aquæ, & terræ, vt docet P. Riciolus inſignis Mathematicus.

Deinde liber Sunæ affirmat, Deum fundaſſe terram ſupra tauri cornua; & terremotus tunc contingere, quando taurus ille movetur. Sed quis illi tauro herbam porrigit, vt alatur? Deinde ſi cornibus terrã ſuſtinet, vbinã figit pedes? Certe neceſſe eſt vt pedes habeat ſurſũ verſus Cęlũ, & capud deorſum, quia gravia deorſum gravitant. Hæc deliria refert Ioannes Andræas in ſua confutatione ſectæ Mahumetanę cap. 5. & cap. 8.

Deinde Mahumetus ſępè in Alcorano docet, ſeptem tantum eſſe cœlos; ſed tamen lib. 2. cap. 11. ponit octavum Cœlum, in quo Deus exiſtit. Cęterum vera Mathematica prętet ſeptem cœlos Planetarum, & octavum Cœlum in quo exiſtunt

stunt stellæ fixæ, ponit nonum cœlum, quod dicitur primum mobile, & præterea Empireum.

In cap. 63. Alcorani dicitur, *Appropinquavit hora Lunæ quæ bipartita est*, in hoc loco dicunt Mahumetani alludi ad miraculum sui Prophetæ. *Aiunt enim Mauri*, (inquit S. Petrus Paschasius num. 154.) *Lunam ad Mahumetum venisse, illamque in suo sinu accepisse, & in duas partes diuisisse, & postea illas inter se iunxisse.* Rem vero sic narrant cæci Mahumetani. Dicunt enim quod cum quadam die esset cum Discipulis suis, illi ab eo postularunt, vt faceret coram ipsis aliquod miraculum; tunc vero Mahumetum digitis versus Lunam concrepasse; hac vero digitorum percussione Lunam in duas partes fuisse diuisam & medietatem illius cecidisse supra montem *Elicer*, qui ad latus Mecccæ situs est, alteram vero medietatem supra montem rufum, qui situs est è regione ad latus oppositum: Mahumetum vero collegisse illas duas Lunæ partes, & illas intromisisse per manicas subuculæ, & inter se coniunxisse, & compegisse. *Hinc Turcæ veneran-tur Lunam, illamque in vexillis castris præferunt*, vt inquit Cornelius à Lapide in Apocal. pag. 218. Quis hæc audiens risum continere possit, & non miretur homines rationis compotes hæc credere? Globus Lunæ maior est, quam ingens regnum; quia saltem complectitur decimam nonam partem globi terræ, & aquæ: quomodo cadere potuit, quin totam Arabiam opprimeret? Quomodo in manicas tantæ molis corpus potuit Mahumetus intromittere? Quomodo rem tam insolitam, & tam sensibilem, & palpabilē nullus scriptor memoriæ tradidit, sicut tradidere eclypsum Solis, quæ in morte Christi accidit?

§. VIII.

Errores Alcorani contra Philosophiam naturalem.

LIBER Alcorani cap. 24. in persona Dei sic loquitur: *Hominem de terra & luto plasmauimus, Diabolo prius ex igne pestifero creato.* Hoc est contra veram Philosophiam, quæ docet Angelos esse immateriales, & incorporeos. Rursus est contra Sacram Historiam, quia prius Deus Angelos creavit, quam elementum ignis formaverit. Siquidem Angelos creavit prima die simul cum cælo. Elementum vero ignis postea.

Rursus lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap. cuius titulus est, de *Quo gnerat*, dicit animalia bruta resurrectura in die iudicij, & taurum cornupetā, qui alios boves ferijt, huius facti rationem redditurum. Et similiter arietes, qui oves facto impetu contuderunt. Præterea Mahumetus in libro Sunæ affirmat, omnes arietes, quos Mauri in suo paschate iugularunt, resuscitaturos in die iudicij, & preces fusuros ad Deū pro ijs, qui ipsos sacrificarunt: & quando S. Michael in statera animas appenderit, accursuros arietes illos, & seipsos collocaturos in ea parte staterę, in qua bona opera ponuntur, vt oppositæ parti malorum operum pręponderet. Et hac de causa Mahumetani multos in paschate occidunt arietes, quamvis ex præcepto legis vnum tantum teneantur iugulare. Et hinc sequitur animalia bruta in die iudicij premio vel pęna afficiēda. Hæc refert Ioannes Andræas in confutatione Alcorani cap. 4. quæ sunt planè ridicula: nam certum est animas brutorum non esse immortales; nec esse capaces peccandi, cum iudicio rationis, & libero arbitrio careant: & inter animalia solum hominem capacem esse resurrectionis, quia constat anima immortali, quæ non perit simul cum corpore, vt animæ brutorum pereunt, quia sunt materiales, & corporeæ.

Affirmat etiam Mahumetus, quando Abraham in procinctu erat ad iugulandum filium suum Isaac, & illum immolandum Deo, adventasse Archangelū Gabrielem, & portasse arietem, qui per quadraginta continuos annos in Paradyso pascuerat, vt eum loco filij Abraham sacrificaret. Cum hanc fabulam Ioannes Andræas retulisset, per iocum à Mahumetanis rogat, numerent quot excrementios globulos aries ille in Paradyso e ventre egessit.

Præterea lib. 3. Alcorani cap. 9. affirmat Mahumetus formicam quandam ita vocem extulisse, quod illam Salomon audierit à tribus milliaribus distantiæ.

§. IX.

Errores Alcorani contra Dei misericordiam.

IN octavo capitulo Alcorani inquit Mahumetus. *Male operantes neque ante mortem, sed in ipso mortis articulo digredi volentes, & similiter incredulos morientes Deus abhorrens pœnis afflixit.* In quibus verbis affirmat eandem fore sortem hominū peccatorum, qui vtque ad horam mortis pœnitentiam differunt, & in illa hora à pec-

peccatis digredi volunt, & de illis pœnitentiâ agunt, ac de incredulis, qui in fidelitate moriuntur, qui abſque dubio damnantur. Hoc autem eſt error contra Dei miſericordiam, qui per Ezechielem cap. 18. vniverſaliter promiſit: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatū eius non recordabor.* Et homines in deſperationem præcipitat.

Præterea c. 9. docet Deum non remittere peccata graviora, ſed dumtaxat minora. Ita enimim inquit: *Deus ſumme criminalia peccata, videlicet cæteris maiora, ſed minora, cui vult condonat.* Quis ita cæcus, qui non videat hoc aſſertum iniurioſum eſſe Dei miſericordiæ, quę cum ſit infinita nulla peccatorum gravitate poteſt vinci. Et ſanè ſicut non eſt magna laus medici, quod medeatur infirmitatibus ordinarijs, & exiguis: ſed quod morbos penè deſperatos curet; ita &c. Quis non videat hanc Mahumeti cogitationem præludēdo ianuam veniæ magnorum criminum, aditum recludere alijs maioribus, in quæ homines deſperantes devenia primi peccati gravioris concitato curſu ruent. Eſt præterea hoc placitum contra promiſiones divinas veteris & novi teſtamenti, in quibus generaliter veniam offert omnibus peccatoribus, quibuſcunque irretiantur delictis, dummodo peccata dimittant, & pœnitentiam agant. Immo iuxta doctrinam Apoſtoli Romano 6. tanta eſt Dei pietas, vt frequenter vbi abundavit delictum, abundet & gratia.

Eſt etiam hæc doctrina contra id, quod in ſcriptura legimus, nempe Deum ſæpè remiſiſſe ingentia crimina; qualia fuerunt crimina Regis Manaſſes, quæ Deo propter pœnitentiam dimiſit, vt conſtat ex 2. Paralypom. cap. 33. & ex 4. Reg. 21. Quæ maiora crimina, quam peccatum idololatrię, blaſphemiæ, occiſionis Prophetarum, & ſimilium? quæ tamen propter pœnitentiam dimiſſa eſſe à Deo, in ſcriptura legimus. Multique ex Chriſti crucifixoribus veniam propter pœnitentiam impetrarunt. Hoc argumentum facile amplificare poterit Evangelicus prędicator.

Item cap. 12. Alcorani dicitur. *Homines prauos ad viam rectam Deus minime dirigit.* Hoc non ſolum eſt contra divinam miſericordiam, ſed contra experientiam, & cōtra id quod ex ſcriptura conſtat. Sanè Mahumetus ipſe aliquando fuit idolatra, & ipſe fatetur ſe miſericorditer à Deo vocatum fuiſſe ad amplectendam veram fidē. Saulus crudelis fuit Chriſti hoſtis, & Chriſtianorum inimicus, & mirabiliter à Chriſto converſus eſt Actor. 9. & per Iſaiam cap. 42. Deus ipſe loquitur dicens: *Deducam cæcos* (id eſt vitijs obtenebratos) *in viam quam neſciunt.* Denique ſi homines pravos ad viam rectam Deus non dirigit, in via prava ſemper neceſſario manebūt: quia nec à Diabolo, neque à ſeipſis ſine Dei auxilio, & directione, educentur à via prava ad rectam.

§. X.

Error Alcorani contra Dei prouidentiam trahentem homines ad veram fidem, & pietatem per miracula.

CAPITE 19. Alcorani dicit Mahumetus: *Conſtat nihil cœleſtium, ſiue terreſtrium, neque miracula, ſeu virtutes incredulis quidquam proficere.* Cur hoc dixerit, facile cernitur; quia enim ipſe miracula facere non valebat, ea quaſi inutilia reiecit. In primis Mahumetus ipſe in ſequenti capitulo ſupponit miracula vtiliſſima eſſe ad convertendos infideles, ac proinde ſibi ipſi contradicit. Nam cap. 20. hæc habet: increduli dixerunt ad Huth: *Nos propter verba tua nequaquam refutabimus, quod adoramus; cum tu minime cum miraculis, & virtutibus ad nos accedas.* Id autem ideo Mahumetus dixiſſe creditur, ne ipſe ſolus inter Prophetas ac nuntios videretur abſque miraculis adveniſſe. Eſtque error manifeſtus, quod miracula nihil proſint ad converſionē infidelium. Conſtat enim Deum dediſſe Apoſtolis poteſtatem patrandi miracula in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, vt infideles traherent ad fidem. Et cum Divus Petrus curauit claudum à nativitate in nomine Ieſu, occaſione huius miraculi quinque millia hominum converſi ſunt, vt dicitur Actor. 4. v. 4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum crediderūt, & factus eſt numerus virorum quinque millia,* & vt narrat idem Lucas in ſuo Evangelio cap. 23. Centurio videns miracula, quę in morte Chriſti acciderunt, nimirū, quod tenebræ factę ſunt ſuper vniverſam terram ab hora ſexta vſque ad nonam, & quod Chriſtus voce magna ſpiravit dicēs: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meū, glorificauit Deum dicens, vere hic homo iuſtus erat, & omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.* Martyreſque paſſim & conſtantia in

in

in tormentis, & miraculorum virtute multos ad fidem Christi infideles converterunt, vt legimus in Breviario Romano 5. Februarij in Actis Sanctorum Faustini, & Iobitæ, & in Actis S. Ianuarij Episcopi die 19. Sept. & in Actis S. Martinæ Virginis die 30. Ianuarij, & sic de alijs, & Christus Dominus Ioann. 14. planè testatur miracula ad conversionem incredulorum multum conferre. *Nisi signa* (inquiens) *& prodigia videritis, non creditis.*

§. XI.

Error Alcorani contra Dei providentiam permittentem, vt amici sui in hac vita tribulationes patiantur, vt in alia coronentur.

MAHVMETVS in capite duodecimo Alcorani hæc habet: *Vos Iudæi, & Christiani, si Dei Filij, suique dilecti estis, prout vos dicitis, cur vobis culpas, & peccata gerentibus pœnas, & malum infert?* Quæ verba non nisi ab homine totius spiritualis sapientiæ experte proferri potuerunt, sunt enim insciticæ plena. ad providentiam namque Dei spectat filiorum suorum adoptivorum, & amicorum peccata hic punire, ne in alia vita durius puniat: hic per flagella eos corrigere, & admonere, vt resipiscant, & rectam virtutis semitam sectentur, & per adversos casus premere, ne rebus caducis nimium inhærentes æterna fastidiant: & tribulationibus quasi stimulo pungere, vt ad patriam cœlestem concitatu cursu tendant. Hinc Deus Apocal. 3. v. 19. inquit: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Et Paulus ad Hebræos duodecimo v. 6. *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Et Angelus Raphael Sancto Tobiæ cap. 12. v. 13. dixit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et Salomon Prov. 3. v. 11. inquit: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit, Dominus corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Et Sanctus Iob cap. 5 inquit: *Beatus homo, qui corripitur à Domino.* Et per Hieremiam ca. 30 ait Dominus: *Castigo te in iudicio, vt nō tibi videaris innoxius.* Atque in 2. Mach. cap. 6. v. 13. Spiritu Sancto dictante scriptum est: *Et enim multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vt ionas adhibere magni beneficij est indicium.* Estque manifestum reprobationis signum, quando homines graviter peccant, & tamen in hac vita à Deo non puniuntur; cū enim Deus sit summe iustus, nullum peccatum relinquit omino impunitū. Vnde si in hac vita non punit vt pater ad correctionē, puniet in alia vt iudex ad vindictā, & exterminationem. Vnde de reprobis loquens Deus per os Davidis Psalm. 80. inquit: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis.* Et similiter Paulus ad Hebr. 12. *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis.* Quare Deum nic non punire peccatores, licet videatur miseratio, est maxima indignatio, vt ponderat Bernardus serm. 42. in Cant. expendens verba illa Isaiæ cap. 26. „ num. 10. Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra Sanctorum iniqua „ gessit, & non videbit gloriam Domini. „ Audi Bernardum: Misericordiam hanc „ ego nolo: super omnem iram miseratio „ ista sepiens mihi vias iustitiæ. Satius pro„ fecto mihi, iuxta Prophetæ consilium, „ apprehendere disciplinam, ne quando „ irascatur Dominus, & peream devia „ iusta: volo irascaris mihi pater misericor„ diarum, sed illa ira, qua corrigis devium, „ non qua extrudis de via. Hinc per Prophetam Ezechielem terribiliter minatur Deus cap. 16. v. 42. *Auferetur Zelus meus à te: & quiescam, nec irascar amplius.* Solo auditu contremisco, inquit Bernardus ibidem postquam recitavit hæc verba: *Vides quia tunc magis irascitur Deus cum non irascitur? Si te zelus deseruit, amor: & nec eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris.* Certè dum maritus vxorem zelat, & reprehendit; amat adhuc, & secum retinet: cæterum postquam illi libellum repudij concessit, nihil amplius de illa curat, nec propter adulterium castigat. Sic ergo se Deus gerit cum reprobis, quos hic non castigat. Quod alia similitudine explicatur: nam quando medico spes affulget de futura infirmi salute, prohibet illi nocitura, quæ appetit, quando autem nihil infirmo vetat, sed omnia eius voluntati permittit, iam res deplorata est. Sic ergo &c.

Non ergo ideo debuit putare Mahumetus se à Deo delectum, quia in hac vita Deus illum non punivit, sed prosperitatem ei indulsit: quia potius hinc evincitur, illum abominabilem coram Deo fuisse, siquidem in hac vita eum vt pater non correxit, in alia castigaturus tanquam severissimus iudex. Vt enim 2. Machab. cap. 6. v. 14. de magnis, & cæcis peccatoribus dicitur, *Dominus patienter expectat, vt cum iudicij dies adunerit, in plenitudine peccatorum puniat.*

Nec

Nec gloriari poſſunt Mahumetani, quaſi Deo placeant, quia prævalent Chriſtianis eoſque ſæpè opprimunt. Dei enim mos eſt vti malis, & infidelibus vt inſtrumento, & tanquam virga ad flagellandum fideles, atque electos ſuos, correctis autem & caſtigatis filijs virgam illam proijciet in ignem. Vt conſtat ex ex verbis Dei per Iſaiam cap. 10. *Væ Aſſur* (id eſt Regi Aſſiriorum) *Virga furoris mei, & baculus ipſe eſt.* Vtitur infidelibus, & peccatoribus tãquã malleo, & incude ad efformanda prætioſa vaſa; quibus dona ſua in æternũ cõmittat; & quæ in Cęli abaco reponantur. Id explicat optime Michael de Medina lib. 1. dereta in Deum fidæ fol. 6. & 7. „ Nullum certe populum tot tantiſque af„ flictionibus oppreſſum accepimus, quam „ Iſraeliticum populũ, cum tamen vt cun„ que inter omnes mortales Deum coleret: „ contra verò nullis tam applauſit fortuna, „ quam prophanis illis nationibus, Babilo„ nijs, Aſsirijs, Ægyptijs, Philiſtinis, Ro„ manis, &c. Admirandũ profecto divinæ „ prodentiæ cõſilium, vt cum & vetere illo „ ſæculo duos populos habuerit, idolatra„ rum vnum, & veræ Religionis expertẽ; „ Religioſum alterum, iuęque ſaltem cog„ nitionis participem, illum tanta rerũ af„ fluentia, tantoque bellorum ſucceſſu, cõ„ trà hunc tantis, & internis, & externis „ cludibus, & calamitatibus fuerit proſe„ cutus, vt cum hic infœlix apud omnes fi„ nitimas gentes ſit habitus, ille in toto or„ be fęliciſsimꝰ iudicari potuerit. Hoc pro„ fecto non alio conſilio factum eſt, quam „ quod ad populi ſui peccata coercenda, ſa„ tellitibus, non quibuſcunque, ſed ſuma „ virtũ humanarũ potentia præditis, Deus „ indigeat. Nec enim principes, in vindi„ ctã malefactorum inermes, & imbelles „ miniſtros aſſumunt, ſed ingenti illos, & „ hominum, & armorum potentia circũ„ dant, vt in peccatores, quantumvis po„ tentes, intrepidi irruant. Non ergo infi„ delis populi fęlicitatis, & fortunæ ap„ plauſus inde provenit, quod eorũ Reli„ gio ſit vera, noſtra contra falſa, ſed quod „ vellit populũ ſuum, in diſciplina conti„ neri, qua ratione virga furoris Aſſur, & „ exercitus Domini Romani vocãtur, quod „ voluntatẽ eius quaſi miniſtri iuſtitię exe„ quendo perficiant. Inundante igitur pec„ catorũ diluvio, neceſſe eſt miniſtrorum „ Dei potentiã exarefcere. Atq; id quidẽ li„ cèt totiꝰ aliquãdo populi fidelis peccatis „ contingat, potiſsime vero Regũ, & Prę„ fectorũ vivendi licẽtia, provenire docę„ mur; nunquã enim non eſt verum illud. *Quidquid delirant Reges plectuntur Achiui?*

„ Id non modo peſsimorum Regum, „ Ieroboã, Achab, Ochozię, Ioram, Achaz, „ Manaſis, Hoſiæ, Ioachim, &c. ingenti „ Iſraelitici populi malo, docent hiſtorię, „ ſed nõ minus atrocibus exemplis Eccle„ ſiaſtici annales. Totum certe Eccleſiaſti„ cum Imperiũ, quod olim ab occidente „ in orientẽ, & à ſeptemtrione in meridiẽ „ extendebatur, Romanorum, & Conſtã„ tinopolitanorum principum tyranis, & „ licentia vivendi perdidit, & infidelibus „ prodidit, Hiſpaniã nobiliſsimã Europæ „ Provinciã Vitigis, & Roderici Regum „ Gothorũ criminoſa vita, poſt enormem „ totius regionis vaſtitatem, Sarracenis tradidit.

Et ſanè quod hæc duo rectè cohæreant, nempe aliquẽ eſſe eximiè ſanctũ, & dilectum Deo, & tamen in hac vita multa mala temporalia pati; negare non poteſt Mahumetus, qui confitetur Chriſtum Dominum, & Beatam Mariam eius Matrem homines fuiſſe ſanctiſsimos, & omnis peccati expertes: conſtat enim Chriſtũ Dominum à Iudęis paſſum fuiſſe calumnias, perſecutiones, ludribria, verbera, & mortem ignominioſiſsimũ; & eius Matrem gladio compaſsionis fuiſſe transfixam, & dum in Ægyptum fugit cum puero Ieſu multos ſuſtinuiſſe labores: ergo ſtat optime populũ Chriſtianum eſſe Deo dilectum, & tamen multas temporales calamitates perpeti.

§. XII.

Error Alcorani contra prouidentiam Dei permittentem homines fideles à Diabolo tentari.

CAPITE 21. Alcorani ſic loquitur Mahumetus: *Impoſsibile Diabolo quidquam facere niſi incredulis.* Hic eſt error manifeſtus contra Dei providentiam, quæ permittit Diabolum tentare fideles, iuſtos, & ſanctos. Sic permiſsit, vt tentaret Chriſtum, vt enim inquit Mathæus cap. 4. *Ieſus ductus eſt in deſertum ab ſpiritu, vt tentaretur a Diabolo.* Quod de Spiritu Sancto intelligendum eſſe, probat Maldonatus, & Chriſtus Dominus Luc. 22. verſ. 31. dixit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Hinc Chriſtus docuit Diſcipulos ſuos Math. 6. verſ. 13. vt orarent, dicentes, *Ne nos inducas in tentationem*; poſtulando, vel ne nos permittat à Diabolo tentari,

vel vt nobis conferat gratiã, qua tentationem vincamus, & Matth. 26. v. 41. dixit: *Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem.* Et Apostolus Petrus Epist. 1 c. 5. fideles hortatur: *Sobrij stote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Sane Iob Vir Sanctissimus erat, & tamen Diabolus multa illi intulit mala temporalia: & S. Antonium Abbatem, aliosque Sanctos Viros, permittente Deo ad maius ipsorũ meritum variis molestijs & plagis affecit. Quid quod ipse Mahumetus in c. 21. Alcorani narrat persecutiones, quas Ioseph Patriarcha, quamvis iustus, passus est; & dicit Iosephum in carcere detentum esse, quia suggerente Diabolo quando principem pincernarum rogavit, oblitus est nominare nomen Dei. Certumque est Diabolum potissimũ suis tentationibus aggredi fideles, & iustos, vt à recta salutis via avertens, ad infernum trahat. Et Christus Luc. 8. testatur, quosdam ad tempus credere, & in tempore tentationis recedere. Cum enim vera fides sit primum salutis fundamentum, Diabolus enixe conatur, homines à vera fide avertere, & ad falsam trahere. Et hinc clarissimum argumentum formatur ad probandam veritatem Christianę Religionis, & falsitatẽ sectę Mahumetanæ, quia Diabolus homines tentat, ne Christiani fiant; vel à fide Christi deficiant: nunquam autem Mauris persuadet, vt à sua secta discedant. Assumptum variis exemplis comprobari potest: insigne est illud Theophili Presbiteri, qui tempore Iustiniani Imperatoris chirographum signatum Diabolo tradidit, *Quo negabat Christum, eiusque Matrem*, quia Diabolus ei promisit suam opem ad obtinendum Officium Ecclesiasticum, à quo per invidiam detrubatus fuerat, sub conditione, quod Christum, eiusque Matrem abiuraret. Quod exemplum habes in magno speculo exemplorum part. 1. dist. 14. exemplo 24. desumptum ex speculo historiali Vincentij lib 21. cap. 69. & 70. illud etiam celebre, quod legitur in vita S. Basilij in vitis Patrũ & habetur in eodem speculo magno exẽplorum dist. 8. exemp. 86. de quodam iuvene, qui vt nobilem virginem matrimonio sibi copularet, ad maleficum accessit, & ab illo instructus, Diabolo scriptum fecit, in quo fatebatur se Christo, & Baptismati & Christianæ Religioni abrenuntiare: & sic matrimonio illius virginis potitus est. Postea vero pœnitentia, & orationibus S. Basilij à Deo obtinuit, vt Diabolus scriptum restitueret, & ab eius insidijs liberatus est.

§. XIII.

Confirmatur doctrina præcedens exemplo recẽti Mahumetanæ fœminæ, quam à suscipiendo Baptismo Dæmon ei apparens deterrebat.

ANNO 1671. publicas conciones habuimus P. Ioannes Gabriel Guillem, & ego ad Mahumetanos Xera, Gadibus, Portu Sanctę Mariæ, Sanlucar de Barrameda, & alijs Civitatibus: non pauci in illis conversi sunt: solemnique põpa Baptismus illis administratus est: Xera, & Gadibus in publico foro erectum est ingens tabulatum, in quo Cathecumeni cũ patrinis, & viris primarijs, tum Ecclesiasticis, tum Secularibus assidebant: in Portu autem erectum est intra Templum. Gadibus Illustrissimus Episcopus Cathecumenos Sacro fonte tinxit: Xera, & Sanlucar Vicarius Illustrissimi Archiepiscopi Hispalensis. Erat in Portu pius, & nobilis Ecclesiasticus, qui habebat ancillam Mahumetanam, cuius conversionem ardenter desiderabat, & enixè à Deo postulabat: eius pertinaciam in concionibus publicis expugnare nõ potuimus: bonus eius herus suam sortem deplorabat, seque infelicẽ dicebat, quandiu eius ancilla Christi fidem non amplecteretur: illam ferventer sæpe allocutus est; cessit tandem huius fœminę obstinatio, & se Christianam esse velle palam professa est, cum ingenti domini sui consolatione. Dilatus est Baptismus solemnis per aliquod tẽpus, donec Cathecumeni bene in rebus fidei instruerentur. Vt hanc instructionem perficerem, ego redij è Civitate de Sanlucar; in qua æstivo tempore eo anno commorati fuimus, ad Portũ Sanctæ Mariæ. Iam omnia parata erant ad solemnẽ Baptismum. Diabolus moleste ferens illius Mahumetanæ conversionẽ, quadam die, dum illa sola existeret, in triclinio domini sui ei sub forma fœdissimi æthiopis apparuit, & terribilibus oculis eam aspiciens; minis terruit, & imperavit, ne Baptismum susciperet; & quia dies solemnis appropinquabat, in quo Cathecumeni abluendi erant, vt illa erubesceret cum alijs ad Ecclesiam in solemni processione procedere, illi forciculam obtulit, præcipiens, vt crines detonderet, sperans fore, vt denudata capillis non auderet in publicum prodire: renuit illa; tunc Diabolus ferocioris vultu minas ingeminans

ita

ita illam terruit ; vt honore perculſa, & ingenti metu conſternata quaſi ex anguis in terram corruerit: & ne formato Crucis ſigno illũ fugaret, ita brachia eius retro contorſit,& manus atque digitos ita inter ſe implicuit, vt nulla humana induſtria id contingere potuerit. Advenit ea tempeſtate herus; ancillam reperit humi iacentem, oculis ſcillantem, & præ terrore fatiſcentem, brachia contorta habentem, & faciem pallore exangui contectam: monet vt nomen Ieſu invocet, & ſigno Crucis ſe muniat, & cũ illa brachia movere non poſſet, devotus Sacerdos aqua benedicta eam aſpergens, & Dei opem implorans, brachia, & manus ancillæ expedit, & illa ſignum Crucis formans, & nomen Ieſu, & B. Virginis invocans, in ſe rediit. Et omnia, quæ acciderant hero ſuo narravit. Indeque non parum in fide confirmata eſt, & ardentius Baptiſmum deſideravit: ſic apud ſe diſcurrens: Diabolus ſaluti hominum inſidiatur, & illos ad infernum ducere vult; ſi ergo à Religione Chriſtiana ſuſcipienda me vult amovere, ſignum eſt, quod illa vera eſt, & certa ad Cœlum via. Sic confirmata alacriter Baptiſmum cum alijs triginta ſeptẽ in templo ſuſcepit.

§ XIV.

Error Alcorani contra Dei iuſtitiam, & miſericordiam.

IN capite 28. Alcorani hæc habet Mahumetus: *Sciendum neminem eſſe, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandauit, proficiſcatur: Vbi corporaliter etiam incredduli perſeuerabunt : timentes autem Deum ſaluabuntur.* Non loquitur Mahumetus indifferenter de igne Purgatorij, & de igne inferni damnatorum, ſed determinate de hoc, ad quem increduli deferuntur. Eſt autẽ error manifeſtus,& enormis,cõtra Dei iuſtitiam, & miſericordiam, quod omnes homines in ignem inferni Deus proijciat ; cum plurimi iuſti, & ſancti ex hac vita decedant, quos Deus in ignem damnatorum non proijcit,ſed ignem Purgatorij, ſi in hac vita pro reatu ſuorum peccatorum plenè non ſatisfecerunt ; vel in Cœlum ſtatim eos evehit, & viſione beatifica donat, ſi omnino putificati decedunt. Rurſus certum eſt, pueros qui in lege nova ante vſum rationis cum Baptiſmo decedunt, ſtatim ad Cœlum evolare, & pueros decedentes cum circunciſione in lege veteri ante vſum rationis in ſinum Abrahæ deportatos eſſe,vbi nulla erat pœna ignis. Immo pueri decedentes cum ſolo originali non detrudũtur in infernũ damnatorũ,in quo pœna ignis vrit, ſed in Lymbum, in quo pœnã damni tantum patiuntur; æquitas enim, & miſericordia Dei nõ patitur, eos pœna acri ignis torqueri, qui propria voluntate nullum peccatum commixerunt. Et quamvis ex adultis homines iuſti in peccata venialia labantur; exploratum tamen eſt, multos ex hac vita ita puros decedere, vt ſtatim in Cœlum volent, Sic enim S. Anton. Abbas animã S. Pauli primi Eremitæ vidit ab Angelis in Cœlũ deferri, & S. Severinus animam S. Martini, & S. Benedict. animã S. Germ.

Rurſus error eſt, eos qui in infernũ ſemel labuntur damnatorũ, inde vnquam extrahendos : nam ex Sacris Litteris conſtat pœnam inferni nunquam finiendam, vt ex illo Iſaiæ vltimo, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorũ non extinguetur.* Et ex illo Chriſti Math. 25. *Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Et Marci 9. ter in vno orationis contextu docuit pœnas inferni eſſe perpetuas illis verbis: *Mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem cõſtat ex Iudith 6. & Eccl. 7. & Apocal. 14. & 19. & ex verbis Baptiſtæ Math. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et Daniel. 12. Sicut enim ad miſericordiã, & iuſtitiã remunerativã Dei pertinet, quod merces bonorũ ſit æterna; ita pertinet ad iuſtitiam punitivam Dei, quod pœna impiorum ſit æterna; cum enim animæ ſint immortales, & tempus viæ, ſit finitum, duratio præmij & pœnæ debet eſſe æterna, vbi enim locus non eſt merendi, & demerendi, debet eſſe locus vel præmiũ accipiendi, vel pœnam ſubeundi.

§. XV.

Quomodo Mahumetani fabulentur Mauros ab inferno extrahi.

EXISTIMAT cæci Arabes, animas ſuorum defunctorum ab inferno extrahi, quia poſtquam corpora defunctorũ humata ſunt elargiantur Alfaquino ſuo, qui eſt veluti Parrochus eorum, octo dragmas elemoſynæ titulo, vt animam defuncti Deo cõmendet. Ille vero non aliud ſuffragiũ, nec aliud ſacrificium pro illa offert, quã legẽ Alcorani illis diebus legere; arbitrãtur enim tantum valere apud Deũ illam Alcorani lectionẽ, vt vi illius anima omnino mundetur; & Mahumetus illã ab inferno extrahere teneatur: quod illũ præſtare exiſtimant, quia ſe coram Deo vultu

triſti ſiſtit; tunc vero ab illo Deo rogat, *Cur triſtis es Mahomete, & illo reſpõdet, quomodo triſtis non ſim, ſi in inferno eſt Maurus?* Tunc vero Deo Mahumeto, *Vade* (inquit) *& Maurum ab inferno educito.* Mahumetus vero accidens verticis crine apprehenſum Maurũ diducit ab orco, & ſecum in Paradyſum vehit: & ideo Mahumetani in vertice puſillum comæ nutriunt, reliqua abraſa, vt illo extrahantur ab inferno. Quaſi vero, vel anima crines habeat, vel Mahumetus in continuo futurus ſit motu deſcenſus, & aſcenſus; vel continuo ſimulaturus ſit illam vultus triſtitiam. F. Antonius del Caſtillo in ſuo Itinerario Hieroſolymitano lib. 3. cap. 3. affirmat, Hieroſolymis ſupra portã *Auream* extare duo ſacella, in quibus credunt Mauri Chriſtum, & Mahumetũ futuros in die iudicij, quando venerit Chriſtus ad iudicandum mundum; Mahumetũ tamen futurum in ſacello dextro. Dicunt inſuper. Chriſtum tunc dicturum Gentilibus: *Ite in infernum, quia fidem non habuiſtis*, Iudæis vero, *Ite in infernum, quia me voluiſtis occidere*: Chriſtianis; *Ite in infernum, quia veſtram legem non obſeruaſtis.* denique Mahumetanis: *Ite in infernum, quia peccaſtis.* Tunc vero Mahumetum rogaturum pro ſuis Mauris, & Chriſto dicturum: *Propter me, & mei amorem iſti in infernũ mittendi non ſunt; ſi autem eos illuc miſeris, amici non erimus*: Chriſtum vero his precibus exoratum, reſponſurum: *Propter Mahumetum omnes Mauri in Cœlum eant.* Tunc autem Mahumetum convertendum eſſe in magnum caprum lanæ vellere contectũ; animas vero Maurorum convertendas in pulices, & inſinuatas velleri illi deportandas à Mahumeto in Paradyſum. Quis hãc fabulam audiens, riſum teneat?

§. XVI.

Perniciosus alius Alcorani error contra Dei iuſtitiam affirmantis homines per confeſsionẽ Mahumetanæ ſectæ ſine bonis operibus, & cum magnis criminibus fore ſaluandos.

MAHVMETVS *in Alcorano* (vt teſtatur S. Petrus Paſchaſius num. 135. & num. 153.) *Mauros de ſua propria ſalute certos, & ſecuros reddit, ſi in mortis hora in vnũ crediderint Deum, & quod Mahumetus ſit eius nuntius.* Aſſerit, quod quamvis in die iudicij in vna ſtatera lance ponantur innumera, & graviſsima peccata; ſi tamen in alia reponatur fragmen papyri longitudinem atque latitudinem digiti non excedentis, in quo ſcripta ſint hęc verba: *Leylehe ylla, Alla, Mahomad, Arraculu, Alla, hoc eſt, non eſt niſi vnus Deus, & Mahumetus eſt eius nuntius, & Propheta*: ſtatim hæc pars alteri præponderabit.

Sed hic eſt error manifeſtus contra Dei iuſtitiam; quis enim non videat, æquum non eſſe, vt Dominus ſervum rebellem, & in obedientem non minore prẽmio afficiat, quam ſervum obedientem? Certe ſi aliquis famulus erga herum ſuum hoc modo ſegereret, vt palam fateretur; *Agnoſco te eſſe Dominum meum legitimum, nolo tamen mandatis tuis obedire*; is dignus ſupplicio foret: ergo dignus ſupplicio eſt, qui credit in Deum, & tamen quod Deus præcipit opere exequi non vult. Vnde Chriſtus Dominus Math. 7. verſ. 21. veriſsimè pronuntiavit, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.* Quia vt inquit Apoſtolus Iacobus cap. 2. 26. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Ac proinde animã in vitam æternam ducere nequit.

§. XVII.

Errores alij Alcorani contra lumen rationis.

MAHVMETVS vt ſupra vidimus ſect. 3. §. 3. pag. 551. docet: *Vnumquenque ſaluari in ſua lege, Iudæos, Chriſtianos, Turcos, &c.* Et docet vltimam hominis fœlicitatem conſiſtere in delectationibus guſtus, & tactus, & vtrunque eſt error manifeſtus contra rationem; vt ibidem, & ſect. 4. à pag. 573. oſtendimus.

Sed nunc verba Alcorani proferamus: igitur in primo capite ſic ait: *Sciendum generaliter, quoniam omnis rectè viuens, ſiue Chriſtianus, ſiue Iudæus, ſeu lege ſua relicta in aliam tendens, indubitanter diuinum aſſequatur amorem.* Quod perinde eſt, ac aſſerere vnumquenque ſalvari poſſe in quacunque lege dummodo ſecundum præcepta illius vitam inſtituat. Sed præter quam quod hoc eſt cõtra evidentem luminis naturalis rationem vt ibi demonſtravimus, Mahumetus ſibi ipſi aperte contradicit. Nam in tertio capite hæc habet in Dei perſona: *Tuam legem propter aliam mutans, & in ea manens, hic, & in alio ſæculo reus igne indeficiente perebit.* Et cap. 6. inquit. *Chriſtiani volentes imitatores legis Mahumeti ad ſuam conuertere legem efficiunt eos, qui antea boni fuerunt, malos.* Alia adduximus ſupra ſect. 13. pag. 647.

§. XVIII.

§. XVIII.

Error Mahumetanorum circa corpora, & animas defunctorum.

IOANNES Andræas ſæpè citatus in ſuo libro contra Mahumetanos cap. 5. teſtatur eſſe articulũ fidei inter Mahumetanos, quod ſtatim poſtquam corpus defuncti ſepelitur, adveniunt ad eius ſepulchrum duo Angeli nigri, quos Arabice vocant, *Munquiri, Guanequir*, alterq; eorum affert ſecum clavam ferream, alter vero vncinum, & corpus illud in ſepulchro ſedere faciunt, vel geniculari, & corpus illud induit animam extrinſecus, ſicut tunicam interiorem, ſeu ſubuculam induimus, cæterum vſque ad renes tantum. Et ſtatim Angeli illi interrogant, an credat in Mahumetum, eiuſque legem, ſeu an credat Mahumetum eſſe Dei Prophetam, & eius legem eſſe à Deo latam? an in hoc mundo bona opera fecerit? nimirum an fecerit Zalà (quod eſt preces quaſdam ad Deum fundere) an ieiunium *Romadam* obſervaverit, an decimas ſolverit, & elemoſynas dederit. Si bonam rationem reddit, abeunt inde Angeli nigri, & veniunt duo Angeli nive candidiores, qui corpori illi ſe comites adhibent, vſque ad diem iudicij, alterque eorum ipſius capiti, alter vero cruribus brachia ſupponit. Si vero malam rationem reddit defunctus, Angelus clavam tenẽs tanto impetu illud percutit, vt ſeptẽ ſtadia deſcendere cogat; alter vero vncino ferreo ſtatim extrahit: primus iterum percutit, & deijcit; ſecundus iterum extrahit, & ſic viciſsim deſcendere, & aſcendere cogunt vſque ad diem iudicij.

Hac de cauſa ſepulchra nimis profunda faciunt, & concava relinquunt, ea tegendo tabulis, vel lateribus, ne terra immediate corpus tangat: & vt remaneat in tumulo ſpatium vacuum vt defunctus poſſit ſedere, vel genuflectere. Et eadem de cauſa pedes, & caput cadaveris ſoluta ab omni vinculo relinquunt, vt poſsit aſſurgere. Ob timorem Angeli malleatoris, & Angeli vncinatoris quotidie poſt Zalà primæ auroræ recitant orationem quandam, cuius ſubſtantia eſt hæc: *Libera nos Domine ab interrogatione duorum Angelorum, & à tormento ſepulchri, & a viapraua. Amen.*

Quis non rideat tam craſſum, & fabuloſum errorẽ? Nam ſi anima decedit in peccato, ſtatim ad infernũ detruditur, & nõ reddit ad locum corporis, quouſque in die iudicij cum illo reuniatur. Si autem ab omni reatu lebera è corpore ègreditur, ſtatim ad cęlũ convolat, & inde ad corpus nõ regreditur, quouſque illud glorioſum reddat. Rurſus quomodo vivificare poteſt corpus prout oportet vt tormenti capax ſit ſi illud interne non informat, & ſolum extrinſecus veſtit? Deinde cum certum ſit corpus in pulverem reverti, quomodo poteſt vſque ad diem iudicij in ſepulchro illam pęnam pati deſcendendi, & aſcendendi? Vt Mauri hunc errorẽ deponant, monendi ſunt, vt aperiant monumenta defunctorum, & comperient ridiculam eſſe fabulam illam quam credunt.

§. XIX.

Error Alcorani affirmantis Diabolos credentes Mahumeto fuiſſe ab inferno liberatos.

MAHVMETVS In Alchorano lib. 4. cap. 9. quod intitulatur *Elgam* id eſt de Dæmonibus, affirmat turmam quandam Dæmonum audiviſſe quadam die ipſum Mahumetum legentẽ Alcoranum Mauris, & hac lectione maxime delectatos fuiſſe, quia animadverterunt ſe poſſe ſalvari, ſi in Mahumetũ crederent, & Mahumetani fierent: & ita factos fuiſſe Mahumetanos, & ab inferno liberatos eſſe. Hic eſt error manifeſtus cõtra ſcripturas, ex quibus conſtat pœnam Dęmonum eſſe ęternum, vt vidimus §. 14. & inde facile evincitur eſſe fabulam; quia ſi aliqui Dęmones ab inferno liberati ſunt, quia crediderunt Mahumetum eſſe Dei Prophetam, & eius legem ſuſceperũt, cito infernus vacuus maneret; quia omnes Dæmones vt ab illis pœnis liberarentur; hoc ipſum facerent.

§. XX.

Error Alcorani circa durationem inferni.

MAHVMETVS in Alcorano lib. 1. cap. 13. affirmat, infernum non duraturum vltra mille annos; eoque temporis ſpatio finito omnes damnatos ab inferno extrahendos. Qui etiam fuit error Origenis. Richoldus libro de Turcarum moribus cap. 21. affirmat Mahumetanos exiſtimare, poſt diem iudicij Mahumetum ob ſuam magnã authoritatẽ & potentiã eductu rum ab inferno omnes damnatos, cuiuſcunq; ſint conditionis. Sed hic eſt error manifeſtus contra ſcripturas veteris, & novi teſtamenti, vt conſtat ex §. 14. huius ſectionis.

§. XXI.

Error Alcorani contra Dei sanctitatem, & hominis libertatem.

MAHVMETVS in Alcorano cap. 34. docet Deum ab æterno ita præstituisse, & prædeterminasse quidquid homines in tempore facturi sunt, vt liberũ non sit homicidæ homicidium vitare, nec adultero adulterium, quia omnia hominum opera ita subiacent Dei voluntati, vt nihil facere possit homo, nisi illud ad quod fuerit à Deo destinatus fatali quadam necessitate. Quod hoc sentiat Mahumetus, testatur Doct. Martinus de Vivaldo in eruditis glosis marginalibus quibus illustravit librum, cui titulus, *Zelus Christi contra Iudæos, & Sarracenos*, compositum a Doct. Petro de Cavalleria: nam numero marginali 853. inquit: *Decimotertio Mahumetus tollit liberum arbitrium.* Ex hoc errore consequens est alius, quod nimirum Deus homines ad peccandum impellat; quem errorem docuisse videtur Mahumetus in Alcorano Azora, seu cap. 22. Nam vt testatur Æneas Silvius (postea Papa Pius Secundus) lib. 1. Epistolarũ Epist. 396. hæc verba habentur in eo capite: *O Deus quibus vis bonam, & quibus vis malam vitam præbes.* Et hoc ipsum testatur Theatrum vitæ humanæ tom. 1. fol. 5. & Catheeism. Patriarch. lib. 1. Dialog. 15.

Et hunc errorem satis indicant Mahumetani; nam cum eis dicimus: *Heus tu Amete, heus tu Haly, vis Christianus fieri?* Respondent: *Quando Deus voluerit.* Quasi dicant iam à Deo statum est, an futurus sim Christianus, an non. Si statum est, infallibiliter Christianus fiam. Si non est statum, infallibiliter non ero, quia Deus non volet, vt ego Christianus sim: si autem Deus non vult, quomodo sine eius voluntate ego potero Christianus fieri? Vt ego sim Christianus, requiritur quod Deus id velit: Deus autẽ non vult vt modo sim Christianus, quia si vellet, quomodo ego possem non esse Christianus? Quod si Deꝰ non vult vt ego modo convertar ad fidem Christi, quomodo ego potero velle quod Deus non vult? Expectemus, ergo, vt Deus velit me petere Baptismum, & tunc ego petam.

Hunc errorẽ renovavit Calvinus l. b. 3. institutionũ cap. 21. §. 7. 1. vbi ait: *Dicimus, æterno, & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutẽ, quos rursum exitio devovere.* Et c. 23. §. 8. *Non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatẽ, atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit.* Contra hunc errorem agunt late Doctores Catholici. Est enim contra lumen rationis; quia vt inquit August. lib. 3. de lib. arbit. cap. c. 18. *Quæcunque ista causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei cedit ur: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Et vt idem inquit lib. de duab. anim. cap. 12. *Peccati reũ teneri quenquã, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est atque insaniæ.* Et vt ait idem S. Doct. in lib. de vera Religione c. 14. *Tam certum, & omnibus manifestũ est, neminem peccare in eo quod necessitate facit, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorũ turba dissentiat.* Et lib. de duab. animab. contra Manichæos sic scribit: *Nonne hoc cantant, & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliotecis, & Magistri in scholis, & Anthistetes in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Idque constat manifestissime ex Sacris Litteris, vt ex illo Eccles. 15. 14. *Nam Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Vnde Dominus Caino Gen. 4. 7. *Nonne si bene egeris recipies, sin autem male statim in foribus peccatum tuum aderit? Sub te erit appetitus eius* (peccati scilicet) *& tu dominaberis illius* (appetitus scilicet, quo ad peccatũ propẽdes, & alliceris.) Et Deut. 15. *Cõsidera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortẽ, & malum, &c.* Et infra: *Testes hodie invoco Cælum, & terrã, quod posuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam vt vivas, & diligas Dominum Deum tuum.* Et Iosue 24. 15. *Si autẽ malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet.* Et 2. Reg. 24. 12. *Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex ijs, vt faciam tibi.* Et Eccl. 31 *Erit illi gloria æterna, quia potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et Math. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Estque impium, & blasphemũ Deum facere Authorem peccati, vt enim inquit David Psal. 5. *Quoniã non Deus volens iniquitatem tu es.* Et ibidem. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et sapient. 14. 9. *Similiter autem odio sunt impius, & impietas eius.* Et Hieron. 19. 5. *Ædificauerunt excelsa Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Evidentique ratione concluditur Deũ non esse Authorẽ peccati: nam cum Deus dicat, *Non mœchaberis, non occidas, non futurum facias*; nequit velle vt homines inpiẽtur, furentur, & occidant; sic enim vellet vt agerent cõtra eius voluntatem, & sibi ipsi repugnaret. Impossibileque est, vt Deus efficaciter velit homines facere id quod serio prohibet

ab

ab hominibus fieri: at prohibet peccata fieri ab hominibus: ergo non vult efficaciter, vt homines peccata faciant. Tertio quia impoſsibile eſt, vt homo peccet dum adimplet Dei voluntatẽ, & id facit, quod Deus vult efficaciter, vt homo faciat. Quarto, quia Deus nequit ad infernũ detrudere homines, quia fecerunt eius volũtatẽ; hoc autẽ contingeret, ſi Deus homines ſuo decreto efficaci antecedẽti adigeret ad peccandũ. Quinto, quia Deꝰ nequit hominem damnare, quia non fecit aliquid impoſsibile: impoſsibile autem eſt hominem evitare peccatum ad quod perpetrandum à Deo neceſsitatur: & certũ eſt Deũ damnare hominem, quia peccavit: ergo certum eſt hominẽ non neceſsitari à Deo ad peccandum.

§. XXII.

Quomodo perurgendi ſunt Mahumetani, qui interroganti, quando convertendi ſint ad fidem Chriſtianam? Reſpondent: Quando Deus voluerit. *Vbi exemplis, & aptis ſimilitudinibus explicatur, prædeſtinationem, & præſcientiam Dei non auferre noſtram libertatem.*

CVM in hac reſpoſione ſupponant errorem illum nuper relatum, vrgendi ſunt exemplo lepidiſsimo, quod ex Cęſareo refert Becanus in Manuali controverſiarum lib. 3. cap. 4. num. 4. vt convellat perniciosiſsimum dilema, quo homines perditi ſequentes errorem Calvini de decreto divino antecedente adigente homines, vel ad bona opera, vel ad prava, miſere cruciantur, & in deſperationem aguntur, ſic enim diſcurrunt: *Vel abæterno ſum prædeſtinatus vel reprobatus*: ſi prædeſtinatus, neceſſario ſalvabor, etiamſi peſſime vixero; ſi reprobatus, neceſſario damnabor, etiamſi vellim bene vivere. Quo dilemate miſere cruciantur miſeri, dum ſe expedire nequeunt, & refert Auguſtinus lib. de bono perſever. cap. 15. quendã monachum ſui Monaſterij, eò fuiſſe adductum hac argumentatione, vt tandem deſerta vita religioſa ad ſæculi voluptates reverſus ſit, & perierit. Qui eſt fructus illius impiæ doctrinæ, quam cum Mahumeto ſectatur Calvinus. Vt hoc pernicioſum dilema convellat Becanus, loco citato hoc exemplum refert.

Ludovicus Landgravius, propter deploratam vivendi licentiam à Viris Religioſis correptus, ac graviter monitus, vt ad bonam frugem rediret, antequam in opina morte prævenireturꝰ pro excuſatione hoc adferebat: *Si prædeſtinatus ſum, nulla peccata poterunt mihi regnum Cœlorum auferre: ſi reprobus, nulla bona opera conferre.* Item illud: *Cum venerit dies mortis meæ, certo moriar. Illum nec bene viuendo potero extendere, nec male viuendo prævenire.* Quid factum? Incidit in gravem morbum: Medicum ad ſe vocat. Is, vt erat vir prudens, & verborum Landgravi memor: Domine mi, inquit, fruſtra me vocas. Nam ſi venit hora mortis tuæ, certo morieris, nec poſſum te iuvare. Si non venit, non indiges mea ope. Quid ita vero, ait Landgravius? Quin iuvame antequã mors adrepat. Tum Medicus: ſi putas vitam corporis conſervari poſſe adhibita medicina; cur ſimiliter non credis, vitam animæ iuvari poſſe pœnitentia, & contritione? Hoc verbo victꝰ Medicus, & Landgravio perſuaſit.

Ratio vero eſt, quia cum Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nullum hominẽ efficaciter deſtinat ad pœnas inferni niſi ſub conditione quod homo ipſe cõtra Dei voluntatem malè operetur, & divina tranſgrediatur præcepta: vnde nunquam habet decretum abſolutum, & efficax damnandi, & detrudendi ad flammam æternam ignis, quouſque ex altiſsima æternitatis ſuæ ſpecula videat hominem pro ſuo libito, & contra Dei voluntatem peccaturum & vitam finiturum in peccato: vnde non ideo malus eſt homo, & perſeverat in peccato, quia Deus voluit illum damnare; ſed potius ideo voluit illũ damnare, quia prævidit malum ex propria electione futurum & perſeveraturum in peccato.

Et dum Deus prædeſtinat ad coronam gloriæ, non deſtinat ad finem ſine mediis, ſed ordinat hominem ad finem gloriæ per medium bonorum operum, quæ relinquit in hominis poteſtate, & præcipit vt homo illa bona opera exerceat, quando habet poteſtatem non exercendi: vnde homo ſic diſcurrere debet: ſi prædeſtinatus ſum, id eſt, ſi à Deo ordinatus ſum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea ſunt poteſtate conſequendã; gloriã cõſequar, ſi illa media adhibuerim: ſi autẽ nõ adhibuerim, non conſequar, quia Deus non me deſtinavit ad gloriã niſi vt conſequendã medio exercitio bonorum operum, quæ relinquit in mea poteſtate. Si ſum reprobatus, id eſt, ſi à Deo ordinatus ſum ad infernum propter mea peccata, quæ libere commiſſurus ſum, certo damna-

bor, si illa peccata committam, vnde ad vitandam damnationem vnicum medium est vitare peccata. Quia cum certissimum sit, Deum neminem sibi obedientem, & sua præcepta observantem, & in bono perseverantem, damnare: & certum rursus sit, non damnaturum peccatorem, qui pœnitentiam in hac vita egerit, & perseveraverit in bono, certè si ego, vt possum, peccata nova evitem, & de præteritis pœnitentiam egero, non damnabor, sed salvus ero.

Id optimè explicat S. Vincentius Ferrerius serm. de prædestinatione, qui habetur ad finem tomi tertij suorum operum „ pag. mihi 531. his verbis: Omnes quales „ sumus, sive prædestinati, sive præsciti, „ debemus conari ad bonam vitam perse„ verantem: Regula est Theologiæ, quod „ quando Deus ordinavit aliquem finem, „ ordinavit etiam media ad illum finem, „ sine quibus non potest venire ad illum „ finem. Etiamsi non dicit, intelligitur „ dixisse, vt paret, quia si Rex facit aliquē „ gubernatorem, intelligit quod faciat iu„ stitiam, etiamsi non ponat in mandamē„ to, &c. Nota, quomodo salvandi scri„ buntur in libro prædestinationis, scili„ cet, *Saluabitur Ioannes per innocentiam*, „ Petrus per pœnitentiam, &c. Ita quod „ non solum scribitur finis sive terminus, „ sed etiam via, sive mediū per quod, &c. „ Idem de præscitis, etsi Papa facit Epis„ copum; intelligitur, quod sit Sacerdos, „ etiamsi non dicit. Idem in natura de plu„ via per nubes, &c. Ita de prædestinatio„ ne. Ideo ibi est triplex defectus in illis, „ qui dicunt, *Quid me oportet operari? &c.* „ Primo est ignorantia, quia quando scri„ bitur in libro prædestinationis, *Talis sal„ uabitur*, ponitur etiam via, & medium „ per quod, quia per humilitatem, vel mis„ sericordiam, &c. Ideo respicere finem „ sine medio, est ignorantia, & talis deficit „ dicendo: *Quid me oportet laborare? &c.* „ Immo certe oportet operari: alioquin „ auferres vnam partem prædestinationis, „ scilicet viam, & medium per quod, &c. „ Ideo Gregor. 1. Dialog. & ponitur 23. „ quæst. 4. cap. *Obtineri*: Ipsa perennis „ regni prædestinatio ita est ab omnipo„ tente Deo disposita, vt ad hoc electi ex „ labore perveniant, quatenus postulando „ mereantur accipere, quod eis omnipo„ tens Deus ante sæcula disposuit donare, „ Ideo si non vis ire ad æternum, remo„ ve viam, & medium, nempe peccatum, „ & non ibis: Isaiæ 3. *Væ impio in malum*, „ Secundus defectus, est stultitia dicere; „ *Quid me oportet facere bonū? &c.* Nota qua„ liter scit Deus omnia futura, scit si hodie „ prandebis, sicut si salvaberis. Si dicis, „ quid me oporteat parare cibū pro pran„ dio? &c. Nullus facit argumentū de prā„ dio, & arguit de anima. Idem, si est infir„ mus, quid me oportet vocare medium? „ quia iam scit Deus, si ero curatus, &c. „ Si debes sanari, via est per medicinas, „ &c. Item, scit Deus, si hoc anno habe„ bitis bladum (id est agrorum fructus) „ quid ergo oportet arare? &c. Respon„ quia illa est via. Item scit Deus, si Rex „ habebit victoriā de inimicis, quid opor„ tet habere gentes armorum? Respon„ quia illa est via ad victoriam, &c. Ter„ tius defectus est error maximus. Vnde „ negare Trinitatem, error est contra vnū „ articulum solum, & sic de alijs: sed di„ cere, quod prædestinati non debent fa„ cere bona opera, est error contra omnes „ articulos, quos destruit: v.g. quare Deus „ voluit incarnari? Respondeo, vt homi„ nes ascenderent in Cœlum. Et numquid „ sciebat Deus, an homines salvarentur? „ Quid oportebat ipsum incarnari? Et sic „ de alijs. Item de quo servit fides, Bap„ tismus? &c. Quia ante ista Deus scie„ bat, qui essent salvandi, &c. Magnus est „ error sumere finem sine medio. Modo „ ergo finalis conclusio est, vt dicit thema, „ *Manete in me*, scilicet per bonam vitam, „ *Et ego in vobis* per gratiam. Ideo 2. Per. „ 1. Fratres satagite vt per bona opera „ certam vestram vocationem, & electio„ nem faciatis: Hæc enim facientes non „ peccabitis aliquando. Sic enim abundan„ ter ministrabitur vobis introitus in æter„ num regnum Domini, & Salvatoris no„ stri Iesu-Christi. Hactenus Sanctus Vincentius.

Est ergo stulta illa responsio Mahumetanorum, *Vel Deus statuit vt ego sim Christianus, vel non, &c.* Deus enim statuit vt tu sic Christianus, si tu volueris admittere doctrinam fidei, illamque audire, & expendere: statuit, vt sis Christianus, si auferas impedimenta fidei Christianæ, nēpe pluralitatem vxorum, & ritus Mahumetanos: & vult vt admittas doctrinam fidei, quia in hunc finem sua admirabili providentia disposuit, vt captivus traheteris ad terras Christianorum, & vt tibi fides vera anuntiaretur: in hunc finem sæpè interne te vocat, vt iugum Christi suscipias. Deus non trahit homines ad fidem necessitando, sed suadendo, & alliciendo:

tibi

tibi autem ſuadet, vt Chriſtianus fias; quia tibi proponit rationes efficaciter perſuadentes, Fidem Chriſti eſſe veram, & ſectā Mahumeti eſſe falſam: & voluntas manifeſta Dei eſt, quod homines deſerant fidem falſam & amplectantur veram: ſicut voluntas Dei eſt, quod homines non furentur, non mœchentur, non iniuria afficiant proximos. Vnde ſicut ſtultum eſſet dicere: *Si Deus vellet vt ego non furarer, ego furtum non feciſſem*: ita ſtultum eſt dicere, ſi voluntas Dei eſſet, vt ego Chriſtianus ſim, ego Chriſtianus fierem. Conſtat enim homines per Dei voluntatem non ſemper efficaciter trahi ad id quod Deus vult, quia voluntas Dei eſt, vt homines à vitijs abſtineant, & virtutem ſectentur, & tamen frequenter à vitijs non abſtinent, nec virtutem ſectantur. Et ratio eſt, quia Deus vult vt homines hæc opera liberè exerceant, illoſque relinquit in manu conſilij ſui, & ideo ipſi ſæpiſsimè Dei voluntati reſiſtunt, ſicut Stephanus dixit Iudæis: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Vnde ſicut ſtultè reſponderet Maurus fur, & adulter, ſi interroganti: *Quando deſines furari & adulterari?* Reſponderet. *Quando Deus voluerit.* Ita ſtulte mihi interroganti: *Quando convertendus es?* Reſpondes: *Quando Deus voluerit.* Iam enim Deus vult, vt convertaris ad Chriſtum: & ſuam voluntatem tibi exponit per lumen rationis, quo cognoſcis ſectam Mahumetanam eſſe falſam, & Religionem Chriſtianam eſſe veram: Deus tamen te non cogit, neque tibi neceſsitatem infert; quia vult vt convertaris liberè & cum merito; tu autem huic voluntati Dei reſiſtis, cum nō vis relinquere ſectam Mahumetanam; ſicut reſiſtis voluntati Dei, dum non vis deſerere vitia.

Quomodo autem ſcientia & prædeſtinatio Dei libertatem non tollat creaturæ aptè explicabo hac ſimilitudine, qua vtitur S. Vincentius Ferrerius in ſermone illo de prædeſtinatione. Exiſtit ſpeculator in alta turri, vnde intuetur duas vias, & exitus illarum; alteram initio aſperam, ſed ſecuram; alterum initio delectabilem & planam, ſed periculoſam & latronibus plenam: ex illa ſpecula detegit, eos, qui tendūt per viam delectabilem & planam, quæ à ſiniſtris eſt, tādem cadere in quoddā præcipitium: eos vero, qui tendunt per viam initio aſperam, quæ eſt à dextris, tandem pervenire ad locum fœlicitate plenum. Deſiderans vero, vt viatores omnes perveniant ad locum illum fœlicem, clamat è turri, Amici, viatores, deſerite viam ſiniſtram, & carpite dextram: quia ſiniſtra, quæ delectabilis &, plana eſt, ducit ad præcipitium & mortem; dextra vero, quamvis aſpera appareat, ducit ad locum fœlicem. Plerique vero ex viatoribus ſiniſtram ingrediuntur, quia delectabilis & plana, & per illam gradiuntur: ſpeculator vero ex altitudine turris intuetur eorum præcipitium. An in hoc caſu viſio ſpeculatoris detegentis præcipitationem & perditionem eorum, qui gradiuntur per viam ſiniſtram, eſt cauſa cur illi præciperentur? minimè. Neque enim ideo illi præcipitantur, quia ſpeculator videt; ſed potius ſpeculator videt, quia illi præcipitantur. Vnde potius illi ſua voluntaria præcipitatione ſunt cauſa, quod ſpeculator videat, & non è converſo. Nec illa ſpeculatoris viſio illis libertatem adimit, ſed qui præcipitantur, libere præcipitantur, & quia volunt: quia ſi viam dextram carperent, & illi inſiſterent, efficerent, vt ſpeculator videret oppoſitum.

Sic ergo res ſe habet in noſtro caſu. Exiſtit Deus in alta ſuæ æternitatis ſpecula, vnde omnia tanquam præſentia deſpicit quæ in tempore fiunt. Duæ ſunt viæ, altera ſpatioſa & lata, quæ ducit ad perditionem: altera aſpera, quæ ducit ad vitam. Clamat Deus per os Prophetarum, & Apoſtolorum, & per internas inſpirationes: *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrā.* Iſai. 30. 21. ideſt neque amore proſperitatis temporalis, neque timore adverſitatis deſeratis viam rectam mandatorum Dei, quæ ducit ad vitam: omnibus hominibus præſtat auxilia neceſſaria ad ambulandum per viam rectam, ſed illi ob difficultatem viæ huius, arripiunt viam latam, per quam tendunt ad perditionem. Deus ex alta ſpecula æternitatis infœlicem eorum exitum proſpicit; & tamen hac ſua ſcientia nō eſt cauſa cur ipſi pereant: neque enim ideo illi præcipitantur, quia Deus videt, ſed potius ideo Deus videt, quia illi præcipitantur. Vt enim inquit Hieronymus in caput 26. Heremiæ, non quia Deus ſcit futu-
„ rum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed
„ quia futurum eſt, novit Deus, qui præ-
„ cius futurorum. Et vt ait Origenes lib. 7. in Epiſtol. ad Romanos explicans illud,
„ quos præſcivit: Non propterea erit ali-
„ quid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia
„ futurum eſt ſcitur à Deo antequam fiat.
Et vt loquitur Damaſcenus in Dialogo
„ contra Manichæos pag. 562. Prævidens
„ Deus ea, quæ à nobis ſponte futura erāt;

vi-

„ videlicet, quæ in noſtra ſunt poteſtate, „ virtutem dico & vitium, prædeſtinat „ ea, quæ nõ ſunt in noſtra poteſtate. Præ„ ſcientia Dei vera eſt, & aliter quam ipſa habet, res fieri nequit; ſed ipſa non eſt „ cauſa, cur quod futurum eſt, omnino „ fiat; ſed quia hoc vel illud facturi ſu„ mus, ideo prænoſcit: prænoſcit autem „ multa, quæ ipſi non placent, ſed horum „ cauſa non eſt. Et vt ait Auguſtinus lib. „ 5. de civitate cap. 10. Neque enim ideo „ peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſcivit; imò ideo non dubita„ tur ipſum peccare, cùm peccat, quia il„ le, cuius præſcientia falli non poteſt, ip„ ſum peccaturum eſſe præſcivit; qui ſi „ nolit, omninò non peccat; ſed ſi peccare „ noluerit, etiam hoc ille præſcivit. Et ita loquuntur alij Patres apud Faſolum tom. 2. pag. 47. & apud Leſsium in opuſculo de gratia efficaci cap. 3.

En ergo apertiſsimam rationem, cur prædeſtinatio divina licet infallibilis ſit, non auferat noſtram libertatem: quia prædeſtinatio ſecundum Auguſtinum nihil aliud eſt, quam *præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumque liberantur*; ac proinde duo includit, nempe voluntatem divinam conferentem ea beneficia & dona, quibus homines de facto liberantur ab æterno interitu, & vitam conſequuntur æternam: & præſcientiam, per quam Deus videt, quod homines illis donis & beneficijs bene vſuri ſunt. Ex ijs duobus primum nequit auferre libertatem, quia Deus dat auxilia, & dona prævenientia, quæ neceſsitatẽ nõ inferunt, ſed talis ſunt naturæ vt eis poſsit voluntas creata *diſſentire ſi velit, eaque abijcere*, vt definit Tridentinum: vel *illis reſiſtere*, vt definit Senonenſe Concilium: præſcientia autem Dei, qua prævidet arbitrium creatum benè vſurum illis donis, nequit officere libertati, quia non eſt cauſa noſtri operis, ſed potius noſtrum opus eſt quaſi cauſa illius præſcientiæ. Neque enim ideo homo rectè operabitur, & perſeverabit in bono, quia Deus ſcit; ſed è contra ideo Deus ſcit, quia homo ſic perſeverabit.

§. XXIII.

Demonſtratur Alcoranum non eſſe teſtimonium Dei, quia fabulis ridiculis plenum eſt.

ASSVMPTVM probatur primo, ex dictis in tota ſectione præcedenti. Secundo, ex dictis ſectione 14. pagina 646. Tertio, quia teſte Ioanne Andræa c. 8. ſui libri, Mahumetus in Alcorano lib. 2. cap. 11. narrat, ſibi Almedinæ commoranti apparuiſſe Angelum Gabrielẽ ſeptuaginta alarum paribus, ſecumque adduxiſſe brutum quodam nive candidius, nomine *alborach*, & iuſsiſſe, vt in illud conſcenderet, brutum vero equitem admittere noluiſſe, niſi facta prius ſponſione, quod ipſum in paradyſum eſſet adducturus; Mahumetum vero ita ſpondiſſe; & ſic equum illum ſe facilem præbuiſſe; & confeſtim conſcendiſſe; & Angelo dextrante perveniſſe citiſsimè in Templum Sanctum Hieruſalem; & ibi in occurſum eius proceſſiſſe Prophetas omnes, illumque tanquam maximum Dei Prophetam ſalutaſſe, ad fores autem templi appoſitam eſſe ſcalam, quę cœlum contingebat; & per eam conſcendiſſe ad primum cœlum, & poſt illud alios ſex penetraſſe; primum cœlum eſſe argenteum; ſecundum aureum, tertium, quartum, quintum, & ſextum ex varijs lapidibus pretioſis, ſeptimum vero lucis; in primo cœlo ſtellas ſuſpenſas eſſe ex catenis aureis, & maximam illarum eſſe ſicut montem, qui iuxta Almedinam extat. In primo cœlo inveniſſe Adamum, qui eum arctè complexus eſt, & gratias Deo egit, quia talem filium ei donare dignatus eſt: in ſecundo inveniſſe Noe: in tertio Abrahamum: in quarto Ioſephum: in quinto Moyſem: in ſexto Ioannem Baptiſtam: in ſeptimo Chriſtum. In omnibus his cœlis affirmat ſe vidiſſe varios Angelos diverſis muneribus deſtinatos: ſed ſpecialiter narrat, ſe in ſeptimo cœlo vidiſſe Angelum, qui ſeptuaginta millia capita habebat; & in ſingulis capitibus ſeptuaginta mille linguas, & ſingulis linguis ſeptuaginta mille voces formabat; quibus Deum laudaret.

Deinde dicit, manente Angelo comite in ſeptimo cœlo, ſe ſine ſocio ad octavum cœlum aſcendiſſe, & immenſæ altitudinis iuga ſuperaſſe, & invenille nives, & pluvias, & iam prænimio frigore pene defeciſſe; tunc vero audiſſe vocem dicentem ſibi: *Amplius appropinqua Mahomete, & creatorem tuum ſalute*: hac autem voce cõfortatum prope Tronum Dei aſcendiſſe, Deum vero manum ſuam ſuper humeros eius poſuiſſe, illam vero ita frigidam fuiſſe, vt præ nimio frigore eius contactum vix ferre poſſet. Hic Deum magna ipſi ſecreta manifeſtaſſe, & præcepta dediſſe. Poſtea redijſſe ad ſeptimum cœ-

cœlum,& Angelum, qui eum comitabatur eum duxiſſe ad videndum paradyſum, quem Deus Mauris præparaverat. Hæc deliria referre ſufficiat, quia illa quivis poterit impugnare.

Quarto, teſte eodem Ioanne Andræa in capite 5. ſui libri 1. Mahumetus lib. 3. cap. 9. (ſecundum Alcoranum, qui legitur ſine diſtinctione librorum, eſt caput 36.) narrat Salomonem cum exercitibus ſuis tum Dæmonum, tum hominum, tum aviũ perveniſſe propè *fluvium formicarum*. Et cum adhuc per leucam diſtaret, audiviſſe vocem cuiuſdam formicæ, quæ cæteris præcipiebat vt ſe reciperent in antra ſua, ne conculcarentur ab exercitu Salomonis. Et in illo itinere locutum fuiſſe cum vpupa, quæ illi multa dixit de Regina Sabà, & cum vpupa illa epiſtolam miſiſſe ad Reginam. Cum vero ſciviſſet, Reginã Sabà in occurſum ipſius à ſua curia iam proceſiſſe, Dæmonem coegiſſe, vt palatiũ ipſum Reginæ Sabà in ictu oculi illuc tranſportaret: idque Dæmonem præſtitiſſe; atque ita Reginam à Salomone in ſuo ipſius palatio fuiſſe exceptam, & propterea potentiam Salomonis fuiſſe admiratam.

Quinto, lib. 3. Alcorani cap. 14. (teſte Ioanne Andræa) affirmat, quod Salomõ habebat plures Dæmones in ergaſtulo catenis & compedibus ligatos: & cum morti appropinqua vit præcepit, vt cadaver ſuum vnguentis condirent, & medi caminibus præſervatum in Sella Regia collocarent, vt quaſi vivus timeretur. Ita vero fuit executioni mandatum. Cæterum in ipſius dextera virga appoſita eſt, cuius extremitas terræ infixa erat: à qua egrediens vermis virgam corrodit; & ſic Salomon in terram corruit; & hoc pacto Dæmones cognoverunt, eum eſſe mortuum, & ſic à pœnis liberati ſunt.

Et cap. 43. Alcorani in perſona Dei ſic loquitur: Davidi divitias abundanter „ contulimus, & montes ac aves illi pa„ rere fecimus: ferrumque molliri præce„ pimus: ipſum quoque loricas bonas ex „ inde texere iuſsimus. Salomoni quoque „ ventos, & pluvias veſpere ac manè pa„ rere fecimus, ſuæque manui mineralia „ auri & Diabolos opifices, vt illi pro „ velle ſuo aras & imagines, & paropſi„ des, ac amphoras fabricarẽt ſubiecimus. „ Hac tamen fabuloſa eſſe facile conſtabit legenti libros Regum, & Paralipomenon.

Item cap. 47. hæc habet: *Pharao iuſſit ſibi ædificium vſque ad cœleſtium attactũ portarum parari, vt ſic Moyſis Deum conſpiceret.* Hæc & alia multa fabuloſa habet in Alcorano, quæ libens omitto. Duas tamen hiſtorias vel potius ridiculas fabulas præterire non poſſum, quas Mahumetus ſcriptas reliquit, in reſponſione ad quaſdam quæſtiones, quas illi propoſuerũt tres Rabini Iudæorum, de quibus ſuprà mentionem feci ſect. 14. pag. 645. Inter has quæſtiones vna fuit, cur ſepulchrum Moyſis ignoretur? Vt huic reſponderet, ſequentem fabulam compoſuit, & ijs verbis re„ citavit: Moyſes cum ſolus per deſertum „ vagaretur, forte ſepulchrum apertum „ vacuumque invenit rectè ad quantitatẽ „ ſuam effoſum: quod admirans cœpit ad „ propriam ſtaturam metiri. Interea An„ gelus mortis venit ad interficiendum „ Moyſem. Quem cum cognoviſſet Moy„ ſes, quæſivit: ad quid veniſti? Reſpondit: „ Miſſus ſum pro anima tua. Cui Moy„ ſes, quomodo ergo putas eam eripere? „ Per os enim non poteris, quo locutus „ ſum cum Domino: neque per aures, qui„ bus vocem Dei audivi: neque per ocu„ los, quibus faciem Dei vidi: neque per „ manus, quibus donum Dei recepi: neque „ per pedes, quibus montem Sinaì aſcen„ di. His auditis abijt Angelus Domini. „ formaque mutata, attulit pomum de „ paradyſo, quod cum olfaciendo porri„ geret, recepit Moyſes; cumque naribus „ apponeret, arripuit eum Angelus per „ nares, per quas tanquam emungens, ani„ mam eius extorxit; quo facto, manſit „ corpus eius in ſepulchro nunquam re„ perto. Planum eſt hæc ridicula, & fa„ buloſa eſſe. Veritas conſtat ex capite vlti„ mo Deuteronomij. Alia quæſtio, ſeu in„ terrogatio fuit, cur caro porcina edi non debeat? Vt huic interrogationi ſatisfaceret Mahumetus ſequentem fabulam conte„ xuit: Ieſus Chriſtus (inquit) dum roga„ retur à Diſcipulis, vt modum arcæ Noe, „ habitumque ſuperſtitis in eo generis „ humani exponeret, rogãtes audiens for„ mulam ex luto inter manus ſuas confe„ ctam proiecit humi, & ait: ſurge in no„ mine patris mei, & ſurrexit homo ca„ nus: cui Chriſtus: tu quis es? Reſpondit: „ Ego ſum Iaphet filius Noe. Cui Ieſus, „ ita ne canus mortuus es? Reſpondit: Ne„ quaquam, ſed in hac ipſa hora putans „ me ad diem iudicij ſurgere, metu canus „ effectus ſum. Præcepit ergo Ieſus Ia„ phet, vt omnem hiſtoriam arcæ Diſci„ pulis rogantibus exponeret. Tunc ille „ rem omnem à primordio narrans, per„ venit ad locum vbi cum domus ſeceſſus

pon-

„ pondere, inquit, egestionis arcam inclinaret, timuimus velde. Consuluit itaque „ Pater Noe Deum: cui Deus; adduc, inquit, elephantem, & verte posteriora „ dorsi eius super locum, & fecit sic. At „ vbi elephas fimum suum hominū egestioni iniecit, surrexit sus grandis: quæ „ cum massam omnem disperderet conceptum insuetis naribus edidit murem: „ qui cum tabulas roderet, consulto Domino, percussit Pater Noe in illicò leonem in fronte: percussus leo concitus, „ flamine anxio catum naribus eiecit. Satis ne ergo videtur causæ Abdia, vitandi animal immundum? Hucusque Mahumetus; qui similes fabulas, & ineptias adinbuit in responsione ad multas alias interrogationes, quas Iudæus Abdias, & alij duo Rabini ei proposuerunt.

SECTIO XVIII.

Ostenditur legem Mahumeti non esse à Deo, quia lex Domini conuertens animas, à quo procul abest lex Mahumeti.

CVM finis legis Dei sit animas ad Deum ducere, & veram sanctitatem procurare, qua anima coniungitur Deo, illique placet; nequit esse lex divina illa, quæ vitia non cohibet, & virtutes promovet, & media ad generandam veram sanctitatem non habet. Talem autem esse legem Mahumeti, facile est probare ex dictis; cum illa proponat tanquā articulos fidei, & veritates salutares mille errores; & præcipiat, vel consulat, vel saltem vt licita permittat multa fœda & illicita; & hominum corda sursum nō elevet, sed potius rebus terrenis, & delectationibus corporis, & bonis sensibilibus immergat. Sed nunc breviter hoc ipsum ostendendum est, tum à posteriori, tum à priori. A posteriori quidem, quia nullus fuit vnquam inter Mahumetanos homo verè sanctus, cuius sanctitatem Deus mūdo ostenderit per signa illa & virtutes, quibus in Ecclesia Christi in omni sæculo Deus multorum sanctitatem ostēdit, tam virorum, quam fœminarum. Hoc assumptum Christi prædicator amplificare poterit in medium producendo ea quæ sinceriſsime & veriſsime narrat Fr. Antonius del Castillo è Seraphica Familia, qui inter Turcas diu versatus est, in suo *deuoto peregrino*, seu *itinerario* Hierosolymitano lib. 3. cap. 6. vbi describit vitam & mores eorum, quos Turcæ vt sanctos venerantur, & *Morabitos*, *Turlacos*, vel *Truncos* appellant.

§. I.

Quales sint Mahumetanorum sancti.

EST doctrina inter Mahumetanos recepta, homines ieiunādo, eleemosinas largitudo, à delectationibus carnis abstinendo, & pœnitentiam agēdo initio vitæ suæ, tandem adquirere naturam Angelicam, & impecabiles reddi, & in præmium vitæ anteactæ posse iā quidquid libuerit deinceps facere, & quancūque delectationē capere. Audiamus Thomam Bocium tomo 1. de signis Ecclesiæ lib. duodecimo cap. 20. pagina 543. vbi hæc scribit: Est inter Turcas quotundam, qui religioſiſsimi habentur, secta. Vocantur hi Turlachi. Mos est istis palam per obscœnitatem spurciſsimam coire cum quibusvis, ipsis etiam belluis, præcipue vero cum asinabus, quibus ipsi vehuntur: & quo fidentius hæc ij perpetrarint, eo sanctiores existimantur. Id ego, si in vno, aut altero scriptore legissem, nullo modo inducere in animum possem, vt crederem: sed omnes, qui Turcarum mores latius describunt, id constantiſsime affirmant, in his Ioannes Antonius Menavinus Genuēsis, Theodorus Spanduginus Cantacuzenus, Bellonus Gallus, Ioannes Leo Africanus; qui quidem è Mahumetanorum sanguine ortus Mahumetique diu addictus, cum fuisset à Nostris captus, Romamque Leone X. Sedente adductus, Christo se dedidit, & Africæ descriptionem, moresque suæ Gentis proprio libro diligentiſsime notatos nobis reliquit. Adijcit hic aliud longe obscœniſsimum, solitos huiusmodi homines, vbi eos impetus libidinis arripuerit, violare mulieres obvias, quas potuerint in medijs vijs, nisi obstiterint illæ, præ naturali, qui reliquus est humanæ menti, pudore. Quod vero est in saniſsimæ mentis, & ad præsens argumentum spectat tanta superstitione defixi populi tenentur, vt credant, hos homines diviniſsimos, mulieres vero, quæ compressæ fuerint ab istis, ex hoc facto quasi consecratas, ac sanctiores effectas. Secundum sit illud. Siquis inter Mahumetanos, ac præcipue Turcas, inciderit in amentiam, ac mentis stuporem, pro sancto habetur, & honore præcipuo, cœlestique acunctis colitur, quamvis furioſos ipsi constringāt,

&

& cædant. Refert idem Ioannes Leo, à Rege Tunetano exædificatas fuisse non ignobiles ædes, bonaque assignata satis opulenta stupido cuidam, vnde alebantur illius sectatores,& cognati multi. Ex his iudicare possumus reliqua istorum. Qui vult legere ridenda multa ad hoc pertinentia,videat itinerarium Ludovici Barthenæ cap.5.& seq.lib.2.

Addit Ioannes Leo Africanus lib.3. Historiæ Africanæ cap.43. se vidisse vnũ ex his Morabitis, seu Turlachis publicè aggredi in platæa Babyloniæ, seu Cayri fœminam nobilem egredientem ex balneo, & cum illa coram omnibus coivisse: peracto autem turpissimo concubitu, statim certatim omnes confluxisse ad tangendas in venerationis signum vestes illius fœminæ, quas iam sactas arbitrabantur; maritum vero illius,re cognita, mille gratias egisse Deo ob fœlicem sortem suam; & ad manifestandam cordis sui lætitiam publicum parasse convivium,fortunatum se existimans,quia Propheta Mahumetus sub specie delectationis capiendę vxorem suam divinis voluit sanctificare favoribus. Idẽque testatur Fr.Antonius del Castillo. Persuasum enim habent cœci isti homines Propheram Mahumetum has turpissimos congressus inspirare illis Morabitis, vt quasi nomine illius, & personam ipsius agentes commisceantur fœminis, vt illis ipsarumque domui insignia conferat beneficia:& hinc oritur,quod mulieres illas à Morabitis cognitas vt rem sacram, & à Mahumeto sanctificatam venerentur.

Quis non videat turpissimam, & abominandam esse legem, quæ tales fructus producit, animasque non ad Deum convertere, sed in bestias transformare. Conferat hic Christi prædicator puritatem Religionis Christianæ cum hac impuritate: & in medium proferat vitam & gesta eorum,quos Sancta Ecclesia,vt Sanctos colit:discurrat per singula sæcula, & breviter enumeret celebriores sanctos,qui in singuli floruerunt,vt Mahumetani oculos aperiant,& lucem veritatis videant. Vt autem prę oculis habeat sanctos famosiores, qui singulis sæculis floruerunt, legat Cardinalem Bellarminum in tomo concionum sec.6.de fide, vbi breviter & dilucidè eos proponit: & Patrem Franciscũ Arias nostræ Societatis tom. 1. de Imitat. Christi, tract. 5. à cap.23. vsque ad 37.vbi copiosè & erudite rem tractat.

§. II.

Ostenditur legem Mahumeti carere medijs perueniendi ad sanctitatem. Et primò de Maurorum Zalà, seu oratione.

MIRVM non est, quod lex ista homines non ducat ad sanctitatem; quia cum sanctitas à Deo prouenire debeat medijs instrumentis ab ipso designatis, & ad generandam sanctitatem aptis,eiusmodi instrumentis carent. Vniuersale instrumentum est oratio, & obsecratio (qua à Deo aliquid petimus ob eius misericordiã,& ob Christi merita) vt enim inquit Chrisostomus lib.1. de orando Deo, *oratio* est instar clavis cuiusdam, per quam omnes Dei thesauros possumus aperire,& ex illis accipere quidquid nobis commodum videtur ad æternã salutem consequendam. Et ideo Christus Math.7. & Luc.12. ad orationem hominęs hortatur dicens: Et ego dico vobis „ petite & dabitur vobis: quærite & in„ venietis:pulsate & aperietur vobis: om„ nis enim qui petit accipit & qui quærit „ invenit, & pulsanti aperietur. Quod Christus explicat similitudine ab humanis ducta: Si enim vos, cum sitis mali, „ nostis bona data (quæ non à vobis habetis, sed aliunde accepistis) dare filijs „ vestris, quanto magis Pater vester de „ cœlo dabit spiritum bonũ petentibus se?

Hoc instrumento vniversali ad omnia saluti opportuna facilè obtinenda carent Mahumetani: etsi enim sæpe repetãt formulã orandi,quã *Zalà* vocant,in ea nihil petũt:dicũt enim solũ hęc verba: *Deus magnus est.& Mahumetus à dextris Dei existit. Benedictus sit Deus*. Quę verba cũ magnis cęremonijs proferunt,quandocumque faciunt *Zalà*.Faciem enim versus meridiẽ vertunt, vt testatur S. Petrus Paschasius num.84.& iam oculos in cœlum attollũt, iam caput vsque ad terram demittunt; oculos vtraque manu abstergendo,& quasi lingendo, & maxillas contrectando. Quinquies autem in die faciunt hanc orationem,seu *Zalà*;nimirum 1. prima aurora: 2. *meridie*: 3. quasi hora quarta post meridiem:4.cum sol occidit: 5.hora & dimidia à prima nocte. Habent etiam sua rosaria satis longa, quæ nimirum centum globulis constant; quæ percurrunt, & in singulis globulis hæc tantum dicunt,verba,*Bismila*,ideſt,*nomen Dei*. Et hæc rosaria recitare,sæpe repetendo illam vocem,

Bis-

Bismila, seu *nomen Dei*, esse existimant magnum suffragium ad extrahendas animas defunctorum ab inferno. Conferat Christi prædicator hanc formulam orandi cum formula orandi, qua Christiani vtuntur, dum orationem dominicam, & salutationem Angelicam proferunt; & exponat petitiones septem, quam Pater noster continet, & preces, quas continet *Salue Regina*: atque laudes B. Virginis, quas continet salutatio Angelica, & salutarem petitionem: vt Mahumetani hæc inter se comparantes, veritatem agnoscant.

§. III.

De Mahumetanorum lotionibus, & lauacris.

MAHVMETVS in Alcorano cap. 12. hæc habet: Viri boni cum oratum surrexeritis facies vestras, ac manus & brachia vsque ad cubitum, & pedes vsque ad tibias abluere, & capillos revolvēdo abstergere, & post coitum mulierum, vos balneari oportet. Infirmi autem & in itinere positi, ab egestu, aut mulierum coitu venientes, & aquam minimè reperientes, facies suas, & manus terræ mundæ pulvere tergāt: Deus namque vestram mundiciam diligit. Idem repetit cap. 9. his verbis: Post coitum, & egestionem, & antequam orent abluantur, &c. Et si aqua non adsit, terræ mundæ pulvere, quasi aqua tergendo mundentur. Verum hæc vana & superstitiosa esse, & à perfidis Iudæis desumpta, facile est probare. Deus enim mūdiciem interiorem animæ præcipuè quærit, & hanc præcipit. Anima autem non inquinatur egestione, quæ opus naturale est, neque coitu cum vxore legitima, quādo vxoratus ad consortem accedit ex desiderio prolis ad obsequium Dei educandæ, vel ex fine honesto reddendi debitum, vel se liberandi à periculo incontinentiæ: ergo superstitiosè tunc præcipitur lotio illa. Si autem coitus sit illicitus, macula, quam anima ex illo opere contraxit, non ablutione exteriori corporis, sed animi contritione, & veniæ petitione, & feruenti oratione ad Deum fusæ, obtinenda est. Vide Christus Matth. 15. 19. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasfemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Quod à Iudæis illas ablutiones sumpserit Mahumetus, probari potest: nam vt Marcus testatur cap. 7. 3. Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro laverint manus non manducant, tenentes traditionē seniorum. Et à foro (scilicet venientes) nisi baptizentur non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & aramentorum, & lectorum, in quibus scilicet ad mensas accumbebant. Quia enim in foro omne genus homines versabatur, Iudæi, & Gentiles, mundi & immūdi; cum ex foro redibant Iudæi se totos in aquam immergebant, ne quid in corpore immunditiæ remaneret: & omnia, quæ contrectaturi prandentes erant, ne eorum attrectatione, si forte immunda essent, cōtaminarentur, prius eluebāt. Sed hæc tam crebra lavatio inutilis, & superstitiosa erat, & tempus ad alia vtiliora consumebat.

Diabolusque miseros Mahumetanos decipit, dum eis persuadet, eis ablutionibus animā lavari à maculis peccatorum, cum tamen ad hoc nullam virtutem habeant. Sicut habet ablutio Baptismalis; nam Christus applicat meritum suæ passionis Baptismo, & dum corpus exterius abluitur, Deus interiùs gratiam infundit virtute illorum verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, gratia illa anima emundatur à sordibus culpæ. Conferat Christi minister vanitatem horum ablutionum, quibus vtuntur Mahumetani cum efficacia quam habent ad mutanda corda hominum Sacramenta à Christo instituta; & in hunc scopum legat P. Franciscum Arias tom. 1. de Imitatione Christi, tract. 5. cap. 49. & 50. vbi appositissima narrat exempla ad hanc rem persuadendam.

§. IV.

De Mahumetanorum ieiunio.

MAHVMETVS in Alcorano capite secundo ita loquitur: Tota die ieiunate, nocte ieiunium solvite, & tunc comedentes & bibentes quantum libuerit, ferè vsque ad principium horæ, quæ solis ortum antecedit. S. Petrus Paschasius n. 85. de hoc ieiunio loquens inquit: Mauri statim ac dies lucescere cœpit ieiunare incipiunt, & nihil comedunt, neque bibunt, neque cū mulieribus coeunt; sed post solis occasum, cūm nox iam suas tenebras super terram

terram

Iudæi obmurmurabant, Mahumetum non esse Prophetam, quia non habebat potestatem faciendi miracula, vt diximus, sect. 2. pag. 535.

Vt æstimationem tamen apud suos lucraretur aliqua dese confixit, quæ refert Ioannes Andræas cap. 10. sui operis contra Alcoranum: ne tamen de falsitate conuinceretur, ea confinxit quæ testes non habuerunt, vel quæ coram testibus iam mortuis narrabat facta.

1. Est illud de pectore sibi aperto, & gutta nigra extracta: de quo supra sect. 15. pag. 651.

2. Quod cum esset septemdecim annorum, & camelos domini sui duceret, Deus miraculosè illum protexit nube ne à nimio solis ardore vreretur.

3. Quod illum in spelunca sæpe Angelus Gabriel visitaverit.

4. Quod ipsum redeuntem ex colloquio cum Angelo arbores, lapides, & aves salutabant.

5. Quod cum calore solis premeretur, vocavit arbores procul existentes, vt sibi vmbram facerent; & illæ statim accurrerunt.

6. Quod se iter agente, & incontemplatione Dei abstorto, magnus truncus arboris per medium scissus est, vt pergenti viam præberet.

7. Quod cum ab ipso patruus eius, & alij (qui iam obierant, quando hoc primũ narravit) postularent, vt coram ipsis miraculum faceret, lunam divisit, vt habes supra sect. XVII. pag. 686.

§. I.

Miracula, quæ de Mahumeto narrant Sarraceni.

HÆC enumerat P. Cornelius à Lapide in Caput XIII. Apocalyp. pag. 218. Primum, quod sine dolore prodierit ex vtero matris, circumcisus, & hilaris. Secundum, quod in eius natali omnia idola per totum orbem corruerint. Tertium, quod Lucifer arreptus ab Angelis, tunc immersus sit in profundum maris. Quartum, quod venti, aves, & nubes de eius educatione decertarint. Quintum, quod alsina voce humana eum vocaverit *sygillum Prophetarum*. Sextum, quod nubes atra semper, etiam cœlo sereno, eius capiti incubuerit. Septimũ, quod lunam bipartito divisam coniunxerit, & compegerit; hinc Turcæ venerantur lunam, illamque in vexillis castris præferũt. Octavum, quod Angelus sit ei locutus. Nonum, quod arbor fici ab eo evocata, ei se humiliter inclinaverit. Decimo, quod bos & agnus ei tanquam maximo inter nuncios Dei locuti sint. Quo circa asserunt Mahumetis nomen fuisse ante mundi creationem in conspectu Dei: & quod nisi fuisset, nequaquam mundum condidisset.

SECTIO VLTIMA:

Aliqua obseruanda circa praxim conuertendi Mahumetanos.

§. I.

Quantum expediat publicas ad Mahumetanos conciones habere.

IMPRIMIS vtilissimum est publicas conciones ad Mahumetanos habere in vrbibus, & oppidis, vbi illorum considerabilis est numerus, vt sunt Malaca, Portus Sanctæ Mariæ, Gades, Hispalis, Xera, Calpe, S. Lucar de Barrameda, Velezmalaga, Granata, & alia oppida Bæticæ Provinciæ, item Matritum, & aliæ ciuitates maritimæ in Hispania prope mediterraneum. Harum concionum multiplex est fructus. 1. ipsorum Mahumetanorum conversio, qui his sermonibus publicis non parum commoventur; vt constat ex dictis in hoc tractatu: & sanè concurrente fidelium multitudine ad has cõciones, ardens desiderium in ipsis excitatur de Mahumetanorum reductione, illamque à Deo enixe postulant, & sæpe obtinent.

Secundo, cum multi sint occulti Iudæi in magnis vrbibus, vbi viget comercium, vt in ciuitatibus maritimis; & cum non possimus directè conciones in Hispania habere contra Iudæos, qui non nisi occulti & incogniti habitare in his regnis possunt; oportet vt hæ conciones contra Mahumetanos publicè habeantur; nã ad illas venire non renuunt Iudæi; & saltem curiositate ducti conueniunt. Et cum plurima ex argumentis, quæ contra Mahumetanos fiunt, militent contra pertidos Iudæos; vna opera omnes conuincuntur, & Christi minister sub titulo prædicandi Mahumetanis potest contra Iudæos discursus & argumenta dirigere. Et ita ego præstiti Hispali, & maximè optavi vt cõciones istæ fierent in Ecclesia Cathedrali, vel propè illam, quia illuc sine nota, & sine in-

„ terram fundere cœpit, comedunt, & bi-
„ bunt, & cum mulieribus coeunt.

Habent autem ieiunium continuatum per integrum mensem lunarem, quod *Ramadan* appellant. Nũ habet vero fixam anni stationem, sed iam vno, iam alio tempore incidit: & sæpe incidit in æstate, quando messes colliguntur tantoque rigore illud observant, vt quamvis sitis pereãt, nec fauces quidem aqua humectare liceat, quia si aliquis deprehenderetur ieiunium solvisse, illicò suspenderetur.

Hoc tamen ieiunandi præceptum à Deo non esse, neque aptum disponere homines ad sanctitatem, nec ex temperantia, sed ex superstitione procedere, facilè probatur; vt enim testantur Spanduginus, Cambinus, Nicolaus è Nicolais, ac Petrus Bellonus apud Bocidum tom. 2. de signis Ecclesiæ signo 46. cap. 3. cùm Turcæ hæc ieiunia agunt, licet vsque ad noctem cibũ non gustent, tamen vbi advesperascit, sic insatiabili aviditate corripiuntur, vt totas noctes vorando, & bibendo consumant. Et vt scribunt viri Religiosi qui diu inter Mauros captivi detenti sunt, postquam Mauri initio noctis voracissimè comedit sive ex piscibus, sive ex carnibus, & cubitum eunt, media nocte procedit per vicos homo, quasi publicus præco clavam gerens, qui fores percutiens alta voce clamat: *Surgite Mauri ad comedendum, & bibendum, & gignendos filios contra Christianos.*

Et sanè cum naturalis ratio dictet, vt de cibo & potu nõ plus sumatur quam vtile sit naturæ ac expediens animæ ad bene agendum: & tota penè nocte ad libitum epulari valdè gravet naturam, & animam impediat ab exercitijs virtuosis; lex ita comedendi post ieiunium est divinæ atque naturali legi contraria. Secundo, quia cum lex divina iubeat, vt sensualitas reprimatur, & sub rationis dominio ferveat, nequit esse à Deo lex, quæ consulit, vel saltem tanquam licitum permittit tot horis ad libidem comedere, & bibere, & sensualitati fræna laxare. Tertio, quia cum finis ieiunij sit vitia comprimere, passiones frænare, pro culpis præteritis satisfacere, mentem elevare, & ad contemplationem divinorum disponere, nequit Deum habere Authorem lex illa quæ post ieiunium licentiam præbet se ingurgitandi per totam noctem: quia hoc ipso ea admittit, quæ impediunt omnia illa bona, quæ per ieiunium intenduntur.

Conferat Christi prædicator hoc ieiunium cum ieiunio Christianorum, & illam Mahumeti doctrinam cum doctrina Christi sic præcipientis Luc. 21. *Videte ne grauentur corda vestra crapula, vel ebrietate, aut curis huius seculi.* Et Luc. 6. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Et cum doctrina Petri Epistol. 1. cap. 4. sic monentis: *Charissimi abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Et Paul. Rom. 8. dicentis: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

§. V.

Concluditur ex dictis, quam impudenter Mahumetus dixerit, suam legem esse supra omnes.

IN cap. 18. Alcorani sic legitur: *Nunc cum sum*, videlicet Mahumetum, *cum via recta, lege que bona Deus misit, vt ipsam manifestet & super omnes leges extollat.* Verùm hoc esse mendacium imprudenter confictum à Mahumeto, constat evidenter ex dictis in tota hac disputatione: & ex dictis in his postremis sectionibus constat nullam ex conditionibus legis Dominio conuenire legi Mahometi. Hic Christi prædicator facile potest probare, omnes proprietates legis Dei convenire cum summa perfectione legi Christianorum.

SECTIO XIX.

Quamuis Mahumetus in Alcorano dicat, sibi non esse datam à Deo potestatem faciendi miracula: tamen aliqua testibus carentia in sui commendationem fixit.

IN capite 15. Alcorani introducitur Deus sic loquens cum Mahumeto:
„ Tu nequaquam ad incredulos cum
„ manifestis Dei miraculis venies, quoniam
„ ea velut otiosa atque contraria reputa-
„ rent: Nisi sciremus, eos tibi non credi-
„ turos, sicut nec alijs crediderunt, dare-
„ mus tibi signa atque prodigia. Incredu-
„ licet omnes virtutes, omnisque Dei vi-
„ derent miracula, nunquam nisi tecũ dis-
„ putatione facta crederent: cùm dicant
„ hæc nequaquam fieri nisi per prævias
„ incantationes. Hæc astutè confixit Mahumetus, vt declinaret ignominiam, & dedecus, quod ex publica obmurmuratione Iudæorum contra ipsum, resultare ipsi poterat apud sui sectatores: palam enim Iu-

cionator ab illis rogaret ; vt loco illo decederent, quia periculum erat vt aqua vsque ad interiora penetraret: ab ipsis impetrare non potuit, vt locum illum desererent, nec vt paterentur, concionem intertumpi per aliquod temporis intervallum. Tanta enim cum voluptate concionesillas audiebant, vt indignum iudicarent ob vllum temporale incommodum hoc bono privari.

Quinto, his vtilitatibus accedit, quod cum fideles vident aliquem ex Mahumetanis argumentis convictum, publicè Baptismum petere, lætiam continere non possunt, Deum laudant, & ei ex intimo cordis affectu gratias agunt, quia cor illius infidelis tetigit, ab eo præcantur vt ei constantiam, & perseverantiam largiatur : illumque arctè amplexantur, & alia charitatis signa ei exhibent ; & multarum virtutum actus exercent : & hic publicus plausus, & conclamatio infideles accendit, & emollit, & fideles maxime consolatur. Id ego sæpissimè expertus sum, præsertim Malacæ, Hispalis, Xeræ, Gadibus, Calpe, & Matriti.

Sexto, non exigua est vtilitas, quod his concionibus instruuntur Christiani perspicacis ingenij, & bono intellectu præditi, vt cum Mahumetanis servis possint de Religione disputare, & illos ad Christianismum adhortari, & veritatem Religionis Christianæ argumentis ostendere, quæ à concionatore audierunt. Ipsique Mahumetani quamvis tunc non convertantur, ex concionibus colligunt fidei semina, quæ postea suo tempore fructum faciant; vt constat exemplo illo, quod narravi sect. 3. pagina 557. Et alijs duobus, quæ illi adiunxi eadem sectione, & ex ijs, quæ ibi dixi §. XI. pagina 571.

§. II.

Quomodo Mahumetani conuocandi sunt ad has conciones publicas audiendas.

VT has conciones vtiliter audiant, curandum est, vt non tam vi cogantur, quam rationibus, & benevolentiæ signis adducantur : & vt libentes veniant, providendum imprimis illis est pecunia, quam singulis diebus pendere solent dominis suis: cum enim arceantur propter concionem ab operis, in quibus mercedem diurnam lucrantur, quia solvunt heris suis vectigal diurnum ; de quo conventum est inter illos: debet aliunde merces illa compensari. Servi namque Africani plerumque pascisci solent cum heris suis, & quotidie pendant in tributum drachmas aliquas, donec libertatem acquirant; & tributum illud lucrantur sudore vultus sui, & ex mercede diurna partem reservāt ad propriam sustentationem, partem ad solvendum tributum dominis suis. Vnde vt sine violentia ad conciones adducantur, vel heri remittere debent illius diei vectigal ; vel illis donandum est, vnde solvant. Libenter autem veniunt si sciant, post concionem eis tribuendum esse tantum pecuniæ, quantum possent lucrare, vel onera portando, vel agros colendo, vel alio modo laborando. Vnde optimus modus eos congregandi est, pecunias quærere, quibus solvant vestigal illius diei. Scientes enim se tantundem lucraturos audiendo concionem, quantum lucrarentur tota die laborando, libenter accedant. Hoc modo vsi sumus Hispali anno 1672. Nam quamvis primò Dominus Archiepiscopus in Paræcijs edictum publicari iusserit, quo monebat, vt heri suos servos & ancillas adducerent in Domum Professam Societatis, & huius rei executionem impensè commendavisset Vicario Domini Assistentis, seu Proprætori, qui Ministros iustitiæ distribuens per vicos, seu vicinitates civitatis, eos cogeret in vnum, postea tamen meliori initio consilio, epistolium scripsi ad Dominum Michaelem de Mañara equitem Calatravensis militiæ, præstantis sanctimoniæ virum, & amore Dei, & zelo animarum flagrantem, qui Præfectus erat, vel Frater Maior Sodalitatis *Charitatis*, quæ Hispalensi nobilitate constat; fetè ,, sub hac forma: Domine mi, Deus Chari-,, tas est, & qui manet in Charitate in Deo ,, manet: nisi Charitas hoc munus suscipiat congregandi Mahumetanos, nihil ,, agemus, quia barbari isti si compellan-,, tur à Satellitibus Domini Assistentis, ,, non lubentes, sed coacti audient ; ac ,, proinde sine fructu. Rogo ergo te, vt ,, rem hanc commendes Sodalibus Chari-,, tatis. His acceptis litteris, congregavit Sodales, & re inter ipsos consulta, decretū est, vt huius Sodalitatis equites inter se partirentur vicos, & Paræcias civitatis, & singuli curarent Mauros congregare, qui in suo vico, vel Paræcia degebant : Sodalitasque ipsa in se sumpsit onus solvendi Mahumetanis præ-

tium

tium illud, quod illi lucrari poterant; & in hoc inſigni charitatis opere expendit ſexcenta ſcuta; quia ſingulis Mahumetanis venientibus ad concionem, ea finita, donabatur certa pecuniæ ſumma, vnde ea die ali poſſent, & heris ſuis tributum ſolvere. Mirum eſt qua diligentia, quo zelo, & charitatis ardore Dominus D. Michael de Mañara & reliqui huius nobiliſsimæ Sodalitatis alumni converſioni Maurorum operam navaverint. Eos ſecum adducebant ad concionem, non vi, ſed amore, & in ipſa concione inter ipſos ſedebant, & verbis ardentibus adhortabantur, vt Baptiſmum peterent; preces ad Deum fundebant, eleemoſinas, ieiunia, flagellationes, & alias mortificationes Domino offerebant pro eorum cõverſione. Et huic *charitatis Hiſpalenſis nobilitatis* inſigni pietati debetur fœlix exitus harum concionum, in quibus quadraginta quatuor converſi ſunt, quorum octo ſupra triginta vna die ſolemniter baptizati ſunt à Domino Archiepiſcopo, vt in epiſtola dedicatoria huius operis inſinuatur, & late narratur in hiſtorica Relatione, quæ de hoc ſolemni Baptiſmo typis mandata eſt. Certe non alium ſolemniorem triumphum habuit vnquam Hiſpalenſis civitas poſtquam à Sancto Ferdinando debellata eſt, quam illum, quem illa die ſpectavit. Inſtituta eſt ſolemnis proceſsio in qua ducebãtur triumphantium more cathecumeni à Domo Profeſſa Societatis in Eccleſiam Cathedralem, in qua erectum erat ingens theatrum in eo ipſo loco in quo in hebdomada ſancta collocatur celebre illud *Monumentum*, quod omnibus admirationi eſt, vt in editiori loco adminiſtratus Baptiſmus poſſet ab omnibus ſpectari. Proceſsionem præibat *Imago crucifixi*, quæ eſt inſigne *Sodalitatis charitatis* proprium: Sanctam Imaginem præaccenſis cereis immediate ſequabantur triginta ſex pauperes, quos Sancta Sodalitas veſtivit: ſubinde cathecumenos ipſos comitabantur Charitatis Sodales, qui trecentorum numerum implebunt, & Religioſi Societatis; alij à dextris, alij à ſiniſtris cathecumenis aſſociati. Et ſic peractus eſt Baptiſmus ea pompa, & maieſtate, quæ in ea Relatione deſcribitur.

Quantum Deo placuerit cura illa quam Sancta Sodalitas Charitatis ſuſcepit donandi Mauris prætium, quo tributum diurnum ſolverent, manifeſtavit eventus ſingularis anno præterito 1679. in quo Miſsionem repetens in illa civitate, conciones quoque publicas ad Mahumetanos habui. Rogavi Dominum D. Michaelem de Mañara vt nunc eandem curam ſuſciperet Sodalitas Charitatis circa Maurorum converſionem, quam prius ſuſceperat anno 1672. hoc munus libentiſsimè amplexa eſt: cæterum cum tota illa provincia annonæ penuria laboraret, ſiquidem trium librarum panis quinque drachmis emebatur: & Sodalitas Charitatis ingentem pecuniæ ſummam quotidie alendis pauperibus inſumeret, non habebat Sancta Sodalitas vnde ſolveret denarios illos diurnos Mauris donandos: & rè maturè inter Sodales deliberata, decretum eſt non poſſe eleemoſinas à fidelibus collatas ad pauperum ſuſtentationem, & ægrotantium curationem in alios vſus quantumvis pios converti; & huius decreti Author præcipuus fuit Dominus D. Michael de Mañara; qui tandem concluſit, ſibi vt Fratri Maiori Sodalitatis incumbere onus induſtriè quærendi pretium donandũ Mauris. Sequenti die illum de hac re nihil cogitantem convenit civis Hiſpalenſis, quem antea non noverat; qui in hunc modum eum allocutus eſt: hic affero, Domine D. Michael, mille ſcuta in eos pios vſus expendenda, in quibus ſancta Charitas ſolet eleemoſinas ſibi erogatas expendere. Tunc ille omnino immemor Maurorum, ſatius erit, inquit, vt mihi deſignes opus, in quo vis hanc pecuniam expendi: vix hac verba protulerat, cum recordatus eſt pretij Mauris donandi, nihil tamen exterius pronuntiavit: illius autem eleemoſinæ largitor quaſi cogitationem Domini D. Michaelis legeret, illicò adiecit, meæ voluntatis eſt, vt hanc pecuniam expendas in eo opere pio, quod nunc in tua cogitatione voluis: & cum tunc cogitatione volueret eleemoſinam elargiendam Mauris, miratus eſt ſingularem Dei providentiam, quam in ſe confidentibus exhibet. Hunc mirabilem ſucceſſum mihi narravit Dominus D. Michael paucis diebus antequam incideret in morbum, quo ingenti cum luctu totius Hiſpalenſis civitatis & vberrimis pauperum lachrimis ſublatus eſt die 9. Maij anno 1679. Et cum ego eventum mirarer, alios mihi tunc mirabiliores narravit, quos ſæpe expertus eſt. Huius præclari viri vitam & geſta in lucem hoc anno edit R. P. Ioannes de Cardenas noſtræ Societatis Exprovincialis, ſatis ex ſuis

scriptis orbe, & civitati Hispalensi ob pietatem notus. Ego sanè id sanctè obstetari possum, sæpe hanc cogitationem animum meum subijsse, fore vt aliquando Dominus Michael de Mañara in altaribus collocaretur: sæpe cum illo de rebus divinis locutus, ardentis in Deum amoris in illo manifesta signa deprehendi: cum de Deo loquebatur, totus ardebat, & quasi extasim passus extra se veluti rapiebatur: nihil aliud quærebat, nihil aliud cogitabat quam maiorem Dei gloriam, & proximorum salutem, pauperumque & ægrotorum levamen. Epistolam apud me habeo Patris Cardenas, in qua testatur, huius viri corpus post septem menses effossum integrum & incorruptum repertum esse. Et sanè quamvis mihi diceretur eum mortuos suscitasse, nihil mirarer. Nam mihi eius vitam & mores contemplanti, sæpè occurrit, non aliter vixisse, quos Ecclesia in altaribus veneratur.

Quod si Sodalitas charitatis provinciam hanc non sibi vendicasset; illam absdubio amplexus fuisset Illustrissimus pauperum P. Dominus Archiepiscopus D. Ambrosius Ignatius de Epinola & Guzmam, quia vltra quingentorum ducatorum millia tempore famis in alimonia pauperum expēdit. Et sanè hoc opus dignissimum est Episcoporum largitate. Vbi autem Episcopi non fuerint, vel sodalitates aliæ similes Hispalensi charitati (si fortè in toto orbe Christiano perfectè similem habet illustris illa sodalitas) quærenda est eleemosina inter divites populi. Vbi autem Mauri non de proprio vivunt, sed heris suis tanquam famuli ministrant, monendum est, vt domini illos ad conciones adducant; idque illis iniungendum est à Prætore vrbis præconis voce, si opus fuerit. Et cura huius rei committenda est Sacerdotibus pijs, alijsque personis devotis, qui invigilent, ne vllus Mahumetanorum à concione absit. In ipsa autem concione expedit, vt Mahumetanæ fœminæ à Mahumetanis viris separentur; ne illas volentes petere Baptismum cohibeant: & ne se mutuo impediant infideles inter miscendi sunt cum Christianis, viri cum viris, & fœminæ cum fœminis. Experientia enim docet, quod vbi Mahumetani inter se coniuncti sedent, obdurati & pertinaces detinent dociles, ne Baptismum petant.

§. III.

Quod pro Maurorum conuersione preces, eleemosinæ, ieiunia, & alia pia opera à Christianis exercenda sunt, vt prædicatio effectum sortiatur. Vbi singularia huius rei exempla ab Hispalensibus exhibita recensentur.

CVM infidelium conversio non sit opus hominis currentis, sed Dei miserentis, quia vt ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: non solum concionator debet enixè à Deo postulare, vt internè illuminet quos ipse externè admonet: sed à Christianis auditoribus rogare, vt intimo cordis affectu postulent à Deo illorum conversionem; & pro illa impetranda elemosinas, ieiunia, & alias mortificationes Deo offerant. Idque initio singularum concionum debet impensè commendare. Et hac in re reliquæ Christiani orbis civitates imitari possunt insignem pietatem, & religiosum fervorem Hispalensium, qui vix cognoverunt, Missionarios Societatis. Publicas velle ad Mahumetanos conciones habere anno 1672. cum ad expugnandam eorum perfidiam, Deo pro eorum conversione obtulerunt communiones, Missas, ieiunia, pœnitentias, & mortificationes in magno numero. Persona nobilis obtulit pro singulis qui converterentur quinquaginta Missas: alia obtulit, inservire pauperibus hospitalis feria sexta nudis pedibus & cruribus. Alia pro singulorum conversione corpus suum cilicio cingere, & exosculari vlcus fœtidius pauperum in hospitali iacentium (& hic fuit D. Michael de Mañara.) Alia persona vovit Domino abstinentiam perpetuam à carnibus, si emolliret cor cuiusdam obstinati Mahumetani, cuius conversionem vehementer desiderabat; conversus est ille, & ipsa votum suum religiosè adimplet. Puer decennis à parentibus Mahumetanis genitus, & in prima infantia baptizatus miram ostendit pietatem; nam à primis annis totam doctrinæ Christianæ summam diligenter didicit, & ab vsu rationis suorum parentum conversionem sitiens pro illa preces ad Deum fundebatur, & fervenser ipsos hortabatur vt Christiani fierent, in hac autem occasione, in qua Mauris prædicabamur, coram multis se

pro-

provoluit ad pedes obſtinati patris, illoſque exoculatus, cum lachrimis rogavit, vt duritiem illam deponeret, & Baptiſmum peteret; qua pietate omnium oculos & amorem in ſe convertit. His diebus, quibus conciones habebantur, puer iſte aquam afferebat ijs, qui in tanta gentium præſura ſitiebant: & ex eleemoſinis, quas ipſi viri pij erogabant ob hanc pietatem, octo drachmas congregavit, quas tradidit Sacerdoti vt quatuor Miſſas Deo offerret pro converſione ſuorum parentum.

Sodalitas charitatis Deo promiſit, tot pauperes in integrum veſtire, quot Mauri converterentur: id quod cumulatiſsimè adimplevit. Primariæ nobilitatis fœminæ inter Mahumetanas ſedebãt, eiſque plena charitatis viſcera oſtendentes, verbis ardentibus, affectibus ardentioribus ad Chriſtum trahere conabantur. Inter has eminuit Princeps fœmina inter Hiſpaniæ Proceres ſanguine clariſsima, quę non ſolum fœtidis Mahumetanis aſſidebat, eaſque arcte complectebatur; ſed flexis genibus integram concionem, audiebat, quæ plerumque per horã cũ dimidia, & quãdoque duas protrahebatur; Deo offerens hanc pœnitentiam, vt illarum duritiem emolliret. Quandoque neceſſarium fuit ſedilia ab vno in alium locum mutare: tanta autem devotione has conciones Hiſpalenſes equites audiebant; vt cum adeſſent ſervi & famuli, quibus hoc imperarent, ipſi ſuis manibus ſubſellia, & ſedilia tranſportabant. Omnibus his concionibus adfuit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, qui Africanos, qui Baptiſmum petierant ſpirituali gaudio plenus arctiſsimè amplectebatur, eos verbis ſuis in fide confirmans, & ad ardentius deſiderandum Baptiſmum inflãmans. Huic Hiſpalienſiũ pietati poſt Deum debetur tam numeroſa Maurorum converſio, cũ pro magnitudine civitatis exiguus ſit numerus eorũ mãcipium, qui Hiſpali degunt, quia vix attingit trigeſsimam partem eorum, qui Gadibus, in Portu Sanctæ Mariæ, & Malaca commorantur.

Charitatem & pietatem Hiſpalenſium animadvertentes Africani nõ minus illa, quã concionibus ipſis movebantur ad fidem amplectendam: quã aliqui eo ardore ſuſceperũt, vt prædicatores effecti alios ad Chriſtum traherent. Maurus quidam vxoratus eam lucem in cõcionibus ã Deo accepit, vt domum ſuã reverſus vxori ſuæ prædicare cœperit eam adhortans, ne hãc occaſionem amitteret lucrandi æternam animæ ſalutem: & quia eam obſtinatam vidit, ei omnem ſuam ſupellectilem, & pecuniã donans, & nihil ſibi reſervans, Chriſto contentus, eam dimiſit, nolens amplius cohabitare cum muliere, quæ fidẽ Chriſti amplecti nolebat; idque ipſum alius præſtitit, dimiſit enim vxorem, ſibi nimis charã, quia converti noluit: vtrumque tamen poſt aliquot dies Dominus conſolatus eſt; quia mulieres illæ exemplo maritorũ permotæ, Chriſtum agnoverunt, & marito eas cum ingenti lætitiæ admiſerunt.

Turca quidam tanto cum fervore fidem Chriſti profeſſus eſt, vt quamvis haberet ſufficientem pecuniam ad ſui redemptionem; maluerit illam pecuniam alteri Africano, qui ipſius admonitione & exemplo cõverſus fuerat, donare, vt libertatem emeret, quã propria libertate frui. Vno ex ijs diebus, in quibus Mahumetanis prædicabatur, accepit litteras Africana ancilla ab Algerio, quibus monebatur, eius redemptionem peractam eſſe, facta commutatione inter ipſam, & civem Hiſpalenſem, qui captivus in Algerio detinebatur: quibus generosè reſpondit malle ſe captivam in Hiſpania inter Chriſtianos commorari, quàm cum libertate ad perfidiam Mahumetanam redire.

Fuit inter Hiſpalenſes cives non nullus, qui tanto gaudio affectus eſt ob converſionem mancipij ſui, vt ſtatim ipſum libertate donaverit, quamvis bonis fortunæ non abundaret. Multi ex Patrinis fervorem eorum, quos in Baptiſmo tenuerunt, videntes, eorum libertatem emerunt.

§. IV.

Singulare exemplum puellæ ſexennis orantis pro Mahumetanorum converſione.

PRÆFATIS exemplis aliud adiungo; quod abundè probat quãtum apud Deum valeant ferventes orationes iuſtorum pro impetranda Maurorum cõverſione, inter familias nobiles, quæ Malacæ morum integritatem & præclaram pietatem cum ſanguinis claritate coniungunt, non poſtremum locum obtinet familia Domini D. Ioſephi Azedo del Caſtillo. Habebat eques iſte filiam ſexẽnem, Marianam nomine, cuius certe intelligentia erat ſupra ætatem, pietas atque devo-

tio ſupra naturam; nemo illam alloqueba-tur, qui non miraretur tam vividas ratio-nis ſcintillas, ita vt mihi dubium non fue-rit, eam in illa ætate iam capacem eſſe ſuſcipiendæ Euchariſtiæ; quia tam ratio-nis compos erat, eoque iudicio pollebat, quo vix aliæ pollent in nono vel decimo ætatis anno. Habebant parentes eius an-cillam Mahumetanam, cuius converſionē deſiderabant, eam vero à Deo impetra-vit virguncula illa ſexennis, nam ingenua coram altari provoluta magno devotionis affectu vitam ſuam Deo obtulit pro con-verſione ancillę: *Obſecro Domine* (inquiens) *vt nobis concedas conuerſionem huius ancillæ; vt illa Chriſto viuat, ego libenter moriar: ego vitam meam tibi offero pro eius ſalute.* Non potuit non maximè Deo placere huius Angeli oratio: & ita quod poſtulavit ob-tinuit, nimirum cōverſionem ancillæ, quæ ob amorem huius puellæ Mariana appel-lata eſt; cuius reductione remuneravit Deus Chriſtianam curam, quam adhi-buerunt parentes illius puellæ in ipſius educatione; pietatem enim apijs parenti-bus hauriens, non prius incæpit vivere, quàm devotionem oſtendere, & orationes recitare. Accidit caſus iſte ad extremum anni 1669.

§. V.

Quantum expediat quod Mahumetani ad Fidem conuerſi magna cum ſolemnitate baptizentur.

RATIO & experientia docent, mul-tum omnino referre quod Mahu-metani, & Iudæi, qui inter Chri-ſtianos convertuntur, cum ſolemni appa-ratu ducantur ad ſacrum fontem, & quod ſi fieri poteſt ab Illuſtriſsimis Epiſcopis, vel Archiepiſcopis cum ingenti pompa baptizentur. Primo, quia cum homines rudes res ſpirituales inſeipſis attingere nō poſsint, manuduci debent per hæc exte-riora ad ipſarum cognitionem. Et ideo Chriſtus Dominus Sacramenta novæ le-gis in ſignis exterioribus, & ſenſibilibus inſtituit. Vt enim inquit D. Thomas 4. contra gentes cap. 56. *Sicut cæteris rebus, ita etiam homini Deus prouidet ſecundum eius conditionem, eſt autem talis hominis con-ditio, quod ad ſpiritualia & intelligibilia ca-pienda naturaliter per ſenſibilia deducitur: oportuit igitur ſpiritualia remedia hominibus ſub ſignis ſenſibilibus dari.* Et propterea S. Eccleſia tot ſacras ceremonias inſtituit in adminiſtratione Baptiſmi, vt illius mira-biles effectus his ſignis declaret. Secundo, quia tam infideles, quam fideles dum ſa-cras illas ceremonias ſpectant, & ſolem-nitatem conſiderant, qua confertur, mag-num aliquid ibi apprehendunt, ſicut reve-ra eſt; quod ſane non facerent, ſi ſolum viderent homines exterius ablui. Tertio, quia infideles contemplantes hilaritatem cathecumenorum, & ſpirituale gaudium fidelium, & authoritatem Epiſcopi admi-niſtrantis, hinc moventur ad veneratione Baptiſmi, & ſæpe excitantur ad illud pe-tendum, vt ſequentibus exemplis conſta-bit.

Quando ad finem anni 1669. Mala-cæ conciones publicas habui ad Mahume-tanos, aderat tunc puella Mahumetana duodecim annorum, arguta valde & perſ-picacis ingenij, quam paucis antea menſi-bus captivam abduxerant ex Oràn: erat illa in ſecta Mahumetana pertinaciſsima; eiuſque converſionem fruſtrà ſæpè tenta-verat pia fœmina, cui vt ancilla inſervie-bat: & quamvis quadam curioſitate ducta memoriæ mādaverat quatuor primas ca-theciſmi orationes, quas ſæpè repetebant famulæ illius domus; eius tamen cor lon-ge erat à credendo, quod ore profitebat. Triſtitia maxima, & impotenti rabie af-ficiebatur, quando aliquis Mahumetano-rum Baptiſmum petebat; & quadam die tam acerbè tulit converſionem Mahume-tanæ fœminæ, cuius cor in concione Deus emollivit; vt faciem propriam vnguibus fœdaverit præ doloris & impatientis fu-roris æſtu; ſecundum cōſuetudinem illius barbaræ gentis, apud quos fœminæ in oc-caſionibus magnæ triſtitiæ vnguibus fa-ciem lacerant. Huius tamen puellæ cor Deus mirabiliter mutavit, ea die, qua Il-luſtriſsimus Epiſcopus triginta tres ca-thecumenos, cum magna ſolemnitate ſa-cro fonte luſtravit, vt diximus ſupra ſect. 3. pag. 550. Petivit illa à domina ſua fa-cultatem ad ſpectandam ſolemnem pro-ceſsionem cathecumenorum, qui à Colle-gio Societatis ad Cathedralem Eccleſiam ducebantur, vbi eos expectabat Illuſtriſ-ſimus Epiſcopus, qui erigi mandavit ingēs tabulatum iuxta ſacri Templi fores, vt ſacra illa functio libere ab immenſa po-puli multitudine ſpectari poſſet. Specta-vit puella quaſi ſtupefacta hilaritatem, quam vultu præferebant cathecumini, ſpirituale gaudium Chriſtianorum, mag-nificam illam pompam, & devotionem, qua tota nobilitas cathecumenos comita-

ba-

batur, omnibus alta voce cantantibus noſtræ fidei myſteria : irrupit per mediam multitudinem, vt in tabulatum aſcenderet, & ſacras ceremonias intueretur : & intus accenſa, exterius feruorem ſpiritus promebat, veniebat honeſte cooperta ſubtili pallio, ſeu nebula ſerica; & faciem, caputque diſcooperiens, hilaritate vultus, & verborum feruore ardorem internum prodens, alta voce ab Illuſtriſsimo Epiſcopo Baptiſmum petit: ille benigne ad ſe vocans, & in viſceribus charitatis recipiens, eius vocationem explorat, & motivum petendi Baptiſmum inquirit, & cognito virgunculæ feruore, me interrogat an puella illa poſſet tunc cum alijs baptizari quamvis non eſſet inſtructa eo pacto quo adulti ante Baptiſmum inſtrui debent; quia propter ætatis teneritudinem videtur poſſe, inquit, vt parvula reputari; & aliunde periculum non eſt perverſionis, quia exiſtit in domo devotæ fœminæ, omnino ſeparata à Mahumatanorum commercio, & intra breves dies poteſt integre inſtrui eiuſque feruor hoc præmium poſtulat vt cum alijs baptizetur; mæſtitia enim non exigua illi erit ſi Baptiſmus differatur. Prudentiſsimæ rationes iſtæ Illuſtriſsimi Epiſcopi mihi perſuaſerunt poſſe illi tunc Baptiſmũ adminiſtrari; omniſque ratio dubitandi ablata eſt, cum cõpertum eſt, eam memoria tenere ſymbolum : & ſufficienter capere myſterium Trinitatis, & Incarnationis, & reliqua quorum fides explicita exigitur ab adultis. Itaque dum alij baptizabantur, breviter eam ibi inſtruximus, & poſt alios ibidem ſolemniter baptizata eſt cum feſtivo omnium plauſu, & cum maxima conſolatione Illuſtriſsimi Epiſcopi, qui vehementer admirabatur ingentem lætitiam quam vultu præferebat propter beneficium ſuſcepti Baptiſmi,

Similem eventum expertus ſum Xera anno 1671. erat ibi Turca adoleſcens, corporis, & erroris elegantia conſpicuus, & qui potius Matriti, quam in Africa educatus videbatur conceperat ille aliquando propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, & iam orationes didicerat, & myſteria fidei ſufficienter noverat. Sed perfidus Mahumetanus, qui magnæ erat authoritatis apud ſuos, eum ab hoc propoſito deturbabit; illumque omnino decepit; vt in Mahumetana ſecta perſiſteret; & latagebat ne conciones audiret, quas ibi prædicavimus. Permanebat adhuc in ſua perfidia toto illo tempore quo miſsio Xeretana duravit, nempè tempore quadrageſimæ. Cæterum poſt aliquot menſes ſolemniter baptizati ſunt Mahumetani, qui cõuerſi fuerant. Non enim ibi potuimus remanere tempore illo, quod neceſſariũ erat ad Cathecumenorum inſtructionem. Vrgebat enim Miſsio Gaditana, quam enixe Illuſtriſsimus Epiſcopus poſcebat, & civitas deſiderabat, ob igentem cladem, quã ingens ventorum procella intulerat, naves in Portu ſubmergens, & domus non paucas ſubvertens, & ædificia quatiens; vrgebat etiam miſsio Portuenſis, quam excelentiſsima Duciſſa de Medinaceli imperabat. Poſt has Miſsiones peractas, & poſt Miſsionem habitam in Civitate de Sanlucar, Xeram migravimus ad Baptiſmum ſolemnem in quo quindecim Mauri Sacro fonte expiati ſunt. Erectum eſt ingens theatrum in maximo foro, vulgo *Arenal*, confluxit innumerabilis hominũ turba, Cathecumeni ſtipati equitibus, & Religioſis Societatis in proceſsione ducti ſunt ad locum Baptiſmi, ſicut Malacæ factum fuerat.

Adoleſcens ille Turca hoc ſpectaculum contemplans, & Sacrum apparatum intuens ita commotus eſt, vt alta voce medio in foro clamare cæperit. *Volo Chriſtianus eſſe, & cum cæteris baptizari* : locum date, vt poſsim theatrum conſcendere : & per cõfertam multitudinem perrumpens, tandem aſcendit, & magno feruore Baptiſmum petijt. Illum ego examinavi, & inveni ſufficienter inſtructum in myſterijs fidei, quæ aliquando didicerat: & quanta potui celeritate diſpoſui, vt Baptiſmo cũ reliquis tingeretur à Vicario Domini Archiepiſcopi : ſuo feruore, & vultus elegãtia omnium oculos inſe rapuit, & ſummo cum gaudio Baptiſmum ſuſcepit.

Tertio anno 1670. tempore Pentecoſtes celebratus eſt ſolemnis Baptiſmus Matriti in noſtro Collegio Imperiali, in cuius capaciſsimo templo ingens tabulatum erectum, & orantum erat prout ſacra hæc functio poſtulabat : ibique inſpectante Hiſpania nobilitate, vndecim vel duodecim Cathecumeni, qui perfidi Mahumeti ſectam deſeruerant, convicti argumentis, quæ adverſus illam confecimus in noſtra domo Profeſſa, ab Illuſtriſsimo Epiſcopo Archadiæ (nam eminentiſsimus Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus D. Paſchalis de Aragon, vel defectu integre valetudinis, vel alijs curis, & negotijs legitimè impeditus, per ſeipſum hoc munus exequi nõ potuit) Sacro fonte luſtrati ſunt. Egreſſa eſt proceſsio Cathecumenorum à domo

mo Professa eos stipantibus à dextris, & à sinistris Dynastis, & Regni Proceribus. Adolescens Mahumetanus hanc solemnitatem admiratus à Deo in hoc itinere illuminatus est in tota via oculos avellere nõ poterat à Cathecumenis, & quamvis sæpè vi repulsus sit ne illis appropinquaret; eius tamen perseverantia obtinuit, vt per mediam turbam perrumperet, & tabulatum ascenderet; vbi alta voce Baptismum petit: qui tamen tunc ei administratus non est, quia non erat adhuc instructus in rebus fidei. Hi casus manifeste probant, convenientissimum esse eiusmodi Baptismata cum põpa, & magno apparatu celebrari.

§. VI.

Quomodo expugnanda sit obstinatio Mahumetanorum, qui Veritatem Religionis Christianæ cognoscentes, Baptismum susceperè detrectant, vel differunt.

QVANDO Christi prædicator agnoverit, intellectum Mahumetanorum convictum quidem esse, cęterum voluntatem adhuc revellem existere; minas Dei ingeminet, novissima ponderet, severitatem divini iudicij, & terribilitatem pœnarum inferni expendat; & effigiem animæ damnatę è pulpito ostendat. Cum in secunda Missione Hispalensi primo ad Mahumetanos verba fecimus, post aliquot conciones, animat vertens prædicator duram obligationem quorundam; de inferno sermonem instituit; effigiem hominis damnati ostendit; & ad extremum ad parietem, vel columnam, cui suggestum innitebatur, conversus, & sudorem, quo madebat frons eius, manu emundans, æstu quodam fervoris abreptus, manum sudore madidam, columnæ marmoreæ impegit alta voce inclamans, *Columnæ, parietes, audite verbum Domini, & testes mihi estote, quod Veritatem huic obduratæ genti prædicaverim.* Et ad Mahumetanos faciem vertens, & minacia verba proferens, *Ego, ego in Dei* (inquit) *iudicio vester Fiscalis ero, ego vestram duritiem coram supremo iudice accusabo sudor iste testis erit locupletissimus; ignorantiam ibi allegare non poteritis; luce meridiana clarius vobis ostendi, Mahumetum non Dei Prophetam, sed Seductorem nequissimũ fuisse, & extra Christi Religionem salutem non esse: satis arbitror vester intellectus victus est; sed rebellis adhuc voluntas existit. O bone Deus frange horum lapidum duritiem, & ex illis filios Abraæ constitue!* Hæc & alia terribilia verba fulminavit. Et adspirante divina gratia, cuiusdam obstinatissimi duricies tandem fracta est; extorsere terrores, quod elicere rationes non potuerant: siquidem ad Baptismum ijs minis tractus est. Solent obstinati Mahumetani, dum quid respondeant, non occurrit, ad hanc responsionem confugere: Pater meus Maurus, avus meus Maurus, proavus Maurus, & ego quoque Maurus vsque ad mortem. Sed hanc esse stultam responsionem, facile convincitur, sicut stulta, eadem responsio posita in ore Gentilis idolatræ, vel obstinati Hebrei iudaizantis. *Pater meus idolatra, avus meus idolatra, &c.* Et sicut stultum esset dicere: Pater meus in inferno est, avus in inferno, &c. Maiorum vita prava non est imitanda, sed deserenda; eorum præcipitium fugiendum, non quærendum est, &c.

Quid expectas vt convertaris? An quod Deus miraculum aliquod faciat ad te convertendum. Sed Deo mos non est miracula sine necessitate facere. Iosue 5. v. 2. *Deficitque manà postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltra cibo illo filij Israel.* Stella, quæ apparuit Magis, & eos duxit in Hierusalem; cum illuc pervenerunt, disparuit; quia enim iam ibi non erat necessaria vbi Christi notitia aderat; voluit Deus ne existeret otiosa, & ideo Iob cap. 5. dixit: *Nihil in mundo sine causa fit.* Ideo Christus noluit miracula coram Herode facere, quia otiosa erant, & solum ad curiositatem quærebantur. Luc. 23. 3. Certe tentare Deum petendo miraculum, non est medium aptum vt convertaris: nec vt ad Christum venias bona dispositio est, expectare vt tibi miraculose appareat.

Sanè si tu fidem non habes ijs, quæ conscientia tua tibi dictat, nec ei, quod probant miracula, quæ Christus fecit in confirmationem suæ doctrinæ: nec miraculis, quæ fecerunt Apostoli in confirmationem suæ prædicationis: nec credis mirabili mundi conversioni; nec innumerabilium Martyrum præconio, qui sanguinem suum fuderunt in defensionem veritatis, quam ego vobis prædicavi: nec Christianus fies, quamvis ipse Christus tibi appareat. Luc. 16. *Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis surrexit credent.* Chrisostom. Gen. 9. in Lucam: *Si sciuisset Deus, quod mortui excitati viventibus essent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantum lucri præteriisset.*

qui

qui cuncta nobis profutura procurat. Lazarus, & Christus surrexerunt, & nec Lazaro, nec Christo crediderunt perfidi Iudæi.

Dum autem moras nectunt, & in tempus futurum prospiciunt, vrgendi sunt verbis illis Spiritus Sancti: *Nec tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diē, subito enim veniet ira illius.* Si bonum est, Christianum esse: hoc bonum non est differendum. Si modo non vis fieri Christianus, forsam veniet tempus, quando velis, & non possis: vt enim inquit Augustinus serm. de verbis Apost Petri, & Pauli: *Cum vult non potest, quia quando potuit noluit, ideo per malum velle perdidit bonum posse.* Et lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud, quo bene vti noluit, cum sine vlla difficultate posset, si vellet: id est, vt qui sciens recte non facit, amittat scire, quod rectum est; & qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit.* Hinc Gerson tractatu de paruulis ad Christum trahendis: *Plerunque fit iusto Dei iudicio, vt qui gratiam Dei, vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis Dei, & talentis summi Patris familias, in primo ætatis vigere dum fas erat, postmodum ad eam veniendi, nequaquam recursus habeatur.*

Narret hic Christi prædicator exemplum illud quod legitur in speculo Magno exemplorum part. 2. dist. 9. exemplo 215. de illo peccatore, qui pœnitentiā, cum posset agere, protrahens; in hora mortis constitutus clamabat, *O pœnitentia, pœnitentia, vbi es, quod te inuenire non possum? Iusto Dei iudicio nunc pœnitere non valeo, quia cum potui noluit, & hoc dicens mortuus est.* Item illud, quod ex Cardinali Petro Damiano narrat idem speculum dist. 1. exemplo 94. de illo peccatore, qui pœnitentiam protrahens vsque ad mortem; in illo articulo constitus, cum de alijs rebus sermo miscebatur, vigil attendebat; cum autem ei de pœnitētia agenda monebatur, statim ob dormiebat; & raptus in infernū à Diabolo est &c. In hunc scopum potest ponderari illud 1. Reg. 26. 12. *Omnes dormierant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Super quod Salvianus: *Sopor infunditur, vt perditio sequatur.*

Possunt in hoc assumptum expendi verba illa Proverb. 1. 24. *Quia vocaui, & renuistis, &c.* Et illa Psalmi 17. 42. *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Item illa Iob 27. 9. *Num quid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore?* Demum illud Christi Math. 25. 11. *Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait: nescio vos.*

Cum ego Mauris Malacæ prædicavi ad finem anni 1669. honestus, & valde spiritualis Sacerdos, nomine Domin⁹ Christophorus Brito, habebat servū Mahumetanum, cuius conversionem vehementer desiderabat: eum de hac re sæpè allocutus est, sed irrito: adduxit illum ad conciones, sed neque prædicatio, neque exempla aliorum illi persuadere potuerūt: denique vt nihil intentatum relinqueret, illum ad me adduxit initio anni 1670. vt privatim illi veritatē manifesta rem: quantum potui laboravi, vt illum ad Christum traherem, sed frustra. Cito eius duritiem Dominus punivit: nam cum essem in nostro Complutensi Collegio de Iesus del Monte, accepi litteras illius Sacerdotis subscriptas die 19. Augusti anni 1670. in quibus hęc formalia verba continebantur: *Miserabilis ille Maurus fratris mei servus infœliciter obijt, violenter occisus; idque tam celeriter, vt post inflicta vulnera statim mortuus corruerit, sic Deo castigante duritiem cordis eius: nobis manet dolor, quod infœlix ille. Noluerit Doctrinam in sermonibus auditam ad animæ suæ salutem conuertere, sicut alij conuerterunt.*

§. VII.

Quid consulere debeat Christi prædicator Mauris, quibus persuadere non potuit vt Baptismum peterent.

CVRET Christi minister Mauros pertinaces, quos sermonibus flectere non potuit, blande, & charitative alloqui, illisque consulere, vt lucem à Deo petant, vt cor illorum tangat, ad Christi fidem amplectendam, si illa sit ad salutem necessariam, & ad deferendam Mahumeti legem, si verum sit quod Christiani credunt, eam esse certam ad æternam perditionem viam. Legatur in hunc scopum consilium, quod dedit P. Ignatius de las Casas Corduvę Mahumetano ęgroti tanti, supra sect. 3. pag. 560. in fine, vt scilicet ex toto corde dicant illam orationē, quæ in Alcorano legitur: *Doce nos Domine viam rectam, & bonam.* Et quod ego dedi Fatimæ Malacæ, vt supra pag. 555. & quod dedi Hispali Ioanni Baptistæ pag. 560. initio.

Refert Cardinalis Baronius tom. 2. ad

ad anno 130. apparuisse senem venerabilem Sancto Iustino Philosopho, & Martyri, cum adhuc esset idolatra, eique dixisse, *Veram Philosophiam non posse nisi in schola Christi reperiri*, & addidisse: *At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri postula: neque enim ab aliquibus percipiuntur aut intelliguntur præter quam si Deus, & Christus eis concesserit intelligentiam.*

Insuper admoneat Mahumetanos, quod si velint à Deo lucem impetrare ad cognoscendam veritatem, non solum debent eam à Deo petere, sed vitia fugere, & peccata vitare: hæc enim sunt impedimentum, & quasi murus, ne lux de Cœlo veniens animam illuminet. Vt enim inquit Hieremias ca. 5. 25. peccatoribus loquens: *Peccata vestra prohibuerunt bonũ à vobis.* Et vt ait Isaias c. 59. 2. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deũ vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Et Sophonias c. 1. 17. *Ambulabũt vt cæci, quia Domino peccaverunt.* Et David Psal. 39. 13. *Comprehẽderunt meæ iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Ideo Christus Ioan. 7. 16 *Mea doctrina, nõ est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatẽ eius facere cognoscet de doctrina, vtrũ ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Et Spiritus Sãct. Ecclesiast. 1. 33. *Fili concupiscens sapientiã conuersa iustitiã & Deus præbebit illã tibi.* Itẽ David Psal. 83. 13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Et Ecclesiasticus cap. 2. 20. *Qui timetis Deum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

Consulendũ etiã illis est vt in hunc finẽ impetrandi à Deo lucẽ aliquas elemosynas secundũ suã possibilitatẽ pauperibus erogent: & ad hoc persuadendũ narretur ipsis, quod S. Lucas Act. 10. refert de conversione Cornelij Cẽturionis, quã media oratione, & eleemosynis impetravit: siquidẽ Angelus dixit ei: *Orationes tuæ, & elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei.* Act. 10. 4. Proferat etiã in medium exẽplũ S. Casildæ filiæ Almenonis Mauri Regis Toletani, quæ propter eleemosynas, quas Christianis Captivis largiebatur, à Deo meruit illuminari, & baptizata ad magnã pervenit sanctitatẽ, vt scribit Mariana lib. 9. histor. Hispan. c. 3. Aliud exẽplũ admirabile refert Bar. to. 7. ad an. Christ. 537. cuiusdã fœminę Gẽtilis, quę propter eleemosynã, quã pauperi laqueo se suspendere volẽti dedit, quo illũ à suspẽdio liberavit, miraculosè meruit baptizari, & à turpi vita revocata est, & ęternam salutem obtinuit.

Item, quando quidem B. Virginem vt eximie sanctã venerantur; consulendũ ipsis est, vt ab ipsa præcentur, vt si vera sunt, quę Christiani de filio eius credunt, quod scilicet sit verus Deus, à Deo ipsis impetret lucem ad suscipiendam fidẽ Christianam; sin vero in sua Religione moriantur.

Denique si aliquem Mahumetanum invenerit Christi prædicator, qui libros Hispanica lingua cõscriptos legere sciat, vt ego inveni, ei consulat, vt libros devotos legat. R. P. Ludovicus Granatensis in Prologo 2. part. symboli refert, quos Maurus captivus nomine Hamete habebat apud se librum eiusdem Authoris de oratione, & meditatione, & in eo frequenter legebat: & cum famuli eiusdem familiæ ob hoc riderent, ipsumque quadam die interrogassent, *Quid tu hic legis?* Ille respondit, *Sinite me*: ego scio quid faciam: tandem lectionem continuando meruit ab illo illuminari, qui Eunuchũ reginę candacis legentem Isaiam illuminavit Act. 8. & Baptismum petijt.

§. VLTIMVS.

Insinuantur Verba Scripturæ, quæ pro themate concionum contra Mahumetanos seligi possunt. Et quomodo ex dictis expleri possint.

PRIMVM Thema: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ad Heb. 11. 6. nequit dari arbor sine radice, neque domus, vel ædificium sine fundamento: neque salus æterna animæ rationalis sine vera fide: est enim fides fundamentum spiritualis ædificij, in quo in hac vita hospitari debemus Deum intra animas nostras, vt in alia vita ipse hospitetur nos in suo Cœlo: spes est veluti parietes, & charitas est quasi tectũ, vt docet August. Fides autẽ generatur in anima audiendo prędicatores, qui Verbum Dei annuntiant. Vt enim inquit Apostol. Rom. 10. 17. *Fides ex auditu, auditus autẽ per Verbum Christi, id est, auditus credentium est per Verbum prædicatorum, quod est Verbum Christi*, ita D. Thom. explicat verba hæc.

Hic explicare debet prædicator, Sanctissimam Christi Religionem docere, & præcipere neminem violenter cogendum esse ad fidem suscipiendam; quia fides vera, quę sit salutis æternæ fundamentum, debet esse libera, & voluntaria adulto credenti: posse tamen incredulos cogi ad audiendum: quia credere non possunt nisi audiant, & audire nequeunt sine prædicante, vt inquit idem Apostolus: *Quomodo credent ei, quẽ non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Loquiturum Deus hominibus per os hominum,

quos

quos ad prædicandã mittit; ſicut loquutus eſt Nimvitis per os Ionæ, & Hebræis atq; Ægyptijs per os Moyſis: & ſicut loquutus eſt filijs Iſrael per os Prophetæ Iſaiæ, Hieremiæ, & reliquorũ; & ſicut loquut⁹ eſt mundo per os Chriſti, & poſt Chriſtũ per Apoſtolos ab ipſo miſſos in vniverſum mundũ ad prædicandũ Evangeliũ. Etenim ſicut frenæticũ nolentem manus medici admittere, poſſumus ligare, & cogere, vt ſinat medicinã ſibi applicari: ita quia Chriſtiani certi ſumus, & tanquã fidei articulum tenemus neminẽ extra fidẽ Chriſti ſalvari poſſe; iure merito poſſumus infideles cogere ad audiendam prædicationẽ veræ fidei. Sed quamvis poſſemus vos, ò Mahumetani, cogere ad audiendas conciones; nolumus tamen neque ad hoc ipſũ violentia vti; ſed rogamus, & obſecramus, vt veniatis; & vt excuſationẽ nõ habeatis, operã dedimus, vt nihil emolumẽti tẽporalis amittatis dum ad concionem venitis. Itaque nullum damnũ vobis accidere poteſt ex ijs concionib⁹: ſiquidẽ illis auditis, liberũ vobis erit, vel Chriſti fidẽ amplecti, vel in veſtra perſeverare. Poteſt autẽ ex eiſdem maximũ vobis commodum accreſcere: ſi enim verum eſt, quod vobis prędicabo, vt veriſimũ eſſe certo credim⁹ Chriſtiani, veſtra æterna ſalus hinc pẽdet. A vobis hoc vnũ propter magni Dei reverentiã poſtulo, vt attendatis ad ea, quę dixero: ſanctè enim obteſtor me in hac prædicatione nihil aliud intendere quam ęternã ſalutem veſtram, quã diligo ſicut propriã; & pro qua paratus ſum vitã meã ponere. Si vera vobis non apparuerint, quæ dixero, manete in veſtra Religione: ſi autem vera eſſe cognoveritis, debetis illã deſerere, & Chriſtianã amplecti. O Pater miſericordiarum! O Deus totius cõſolationis! qui neminẽ vis perire, ſed omnes vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illumina mẽtes horum hominũ, quos tanquã proximos propter te diligo, & quibus æternã fœlicitatem ex animo deſidero, vt cognoſcant *te verum Deũ & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Loquere Domine intus ad cor eorum, dũ ego externe loquor ad aures; ſcio Domine, neminẽ poſſe *venire ad Chriſtũ, niſi tu traxeris eum*: trahe ergo Domine eos ad filiũ tuũ. Et vos ò Chriſtiani, viſcera charitatis oſtẽdite erga hos proximos veſtros, date veſtris orationibus efficaciam verbis meis; petite ex toto corde converſionẽ iſtorum fratrũ à Deo: offerte illi pro illorũ ſalute Miſſas, comuniones, elemoſynas, ieiunia, pœnitentias, & alia pia opera: probè noſtis, quã verũ ſit, quod ſũma veritas Chriſtus dixit Ioan. 12. *Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datũ à Patre meo*: rogate ergo illum vt det donum fidei his fratrib⁹ noſtris, & vos ò chariſſimi, & dilectiſſimi Mahumetani, quando quidem Deũ Cœli, & terræ Dominũ colitis, rogate impenſe in cordibus veſtris, vt ſi ego prædicator veritatis ſum, ab ipſo vere miſſus, vobis ſupernè mittat lucẽ, qua veritatẽ cognoſcatis, & robur, vt veritatem cognitam profiteamini: ſi autem ſeductor ſum, vos ab errore, & falſa fide liberet. Quid hac petitione æquius? Quid rationabilius?

Hoc exordio præmiſſo, & in hunc modũ captata benevolentia Mahumetanorũ, ſermonem inchoet à prima demõſtratione propoſita ſect. 3. pag. 549. remque amplificet, & ſermonẽ finiat in medium proferendo aliquod exemplũ ex ijs, quæ ſupra habentur à pag. 557. & in fine concionis in brevem epilogũ reducat, quę fuſe dicta ſunt in eius decurſu, & vehementiâ affectuum cõmovens, auditores hortetur ad petẽdum Baptiſmũ publicè, & confitendũ Chriſtũ coram hominibus, vt ipſos ille confiteatur cotã Angelis Dei. Fideles cõmoveat vt hoc inſtanter à Deo precentur, & cum illis aliquã fervẽtẽ orationẽ vocalem ad Deum, & B. Virginem fundat ad impetrandam illorum cõverſionem. Parata habeat Roſaria: & ſi aliquis auditorũ Baptiſmũ petat, & ſit vir, iubeat, vt ad pulpitũ adducatur, ibique eum arctiſſimè amplectatur & roſarium collo eius imponat in teſtimonium fidei. Si autẽ ſit fœmina, ei roſariũ porrigat, cęterũ propter honeſtatẽ ab amplexu abſtineat: & hoc munus amplexandi mulieres converſas committat alicui fœminę nobili ex circunſtantibus. Hanc praxim concionandi ego ſervavi.

Secundum Thema. Si non crediderit is, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Ioan. 8. 24. horum verborũ explicationem quære in diſp. de divinitate Chriſti ſect. 2. n. 4. pag. 508. Quia primũ fundamentũ fidei Chriſtianę, in quo diſcriminamur à Iudæis, & Mahumetanis, eſt credere quod Chriſtus eſt Filius Dei naturalis, verusque Deus; oportet vt Chriſti prędicator coram Mahumetanis vnã, vel duas conciones inſtituat de Chriſti divinitate. Ad hoc autem aſſumptũ explendum proferat argumenta in illa diſputatione à me expẽſa. Item diſp. vlt. ſect. 5. 6. & 7. à pag. 579. ad 599. *Tertium Thema*. poteſt etiam ad prædicandũ de Chriſti divinitate aſſumi hoc thema. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verũ Deũ & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Ioa. 17. 3. cuius explicationẽ habes ibidem pag. 508. num. 4.

Quartum. Lex Domini immaculata convertens animas. Pſalm. 18. 8. vide explicationẽ huius thematis ſect. 17. p. 667. habes copioſã materiã ibidem à pag. 667. vſque ad 676. item à pag. 692. vbi deſcribitur vita Morabitorum. Item huc ſpectat impetus eius Paradyſus ſect. 4. à pag. 573.

Sextum. Teſtimonium Domini fidele. Pſal. 188. vide ad hoc explendũ à pag. 676. ad 700.

Septi-

Septimum. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt; quoniã multi Pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum. 1. Ioan. 4. vel hoc: *Multi Pseudo Prophetæ surgent & seducent multos.* Math. 24. 11. vel illud: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Math. 7. 16. ad probandũ Mahumetũ non fuisse Dei Prophetã, expende contradictiones Alcorani sect. 14. à pag. 644. vsque ad 650. Item eius impuram vitam sect. 15. à pag. 651. Item modum quo sectam suam invexit à pag. 536. vide alia in indice verbo *Mahumetus.*

Octavum. Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & ij tres vnum sunt. Ioan. 8. ad probandum contra Mahumetanos primo pluralitatẽ personarũ in Deo, vide sect. 6. à pag. 587. Item sect. 7. à pa. 592. vide thematis explicationem pag. 604. & inde pete argumenta ad probandam Trinitatẽ Personarum in Deo. Præcipuè vero arguè ex miraculis, & revelationibus expensis sect. 9. à pag. 599. Item ex dictis pag. 640. quia Arriani nunquã claruerunt miraculis Huc spectat col. loquium, quod habui cum Hamete Solymam à pag. 608. vsque ad 615.

Nonum. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad illudendum, & crucifigendũ, & tertia die resurget. Math. 20. Convincatur falsitatis Mahumetana secta ex eo, quod negat mortẽ Christi ex sect. 12. à pa. 625. vsq; ad 633. & ex disp. 44. sect. 4. à pa. 525. vbi probatur Christi Resurrectio.

Decimum. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 92. vide huius thematis explicationẽ pag. 532. n. 102. Lex vera debet habere evidentia argumenta credibilitatis, quibus demonstretur illam esse à Deo datam: hæc autem argumenta non habet lex Mahumeti, vt probatur sect. 3. n. 2. demonstrat. pag. 550. & convincitur ex impura Mahumeti vita, & ex peruersis dogmatibus, & erroribus eius, & ex modo illam introducendi. Christi aute lex habet evidentia credibilitatis signa. Ea breviter recensentur sect. 5. pag. 587. expendatur argumentũ petitum à constantia, & alacritate Martyrum, quam spectantes Gentiles conversi sunt, vt habes pag. 570. & pag. 643. item 531. n. 96. Item argumentũ petitũ à mirabili mundi cõversione pag. 527. & ex permanentia Ecclesiæ pag. 529.

Vndecimum. Interrogate, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. Hierem. 4. hic expendatur quanta sit obligatio Mahumetanorũ inquirendi, an sua lex sit à Deo. Vide ad hunc scopum sect. 14. §. 3. à pag. 649. & §. 4. pag. 650. Convincatur non esse viam bonam sectam Mahumeti, ex impura vita Mahumeti: quia iniusta præcipit; quia pluralitatem vxorum, & liberam eas repudiandi licentiam licitam facit: quia sodomiam, & bestialitatem licitas facit: quia euidenter fabulatur Evangelia esse corrupta, vide à pag. 633. vsque ad 644.

Duodecimum. Testimonium fidele sapientiam præstans parvulis. P. 18. ostendatur legem Mahumeti sapientiam non præstare parvulis. 1. quia non ordinat homines ad supernaturalem finem, & divinum, in quo iuxta S. Thomam consistit, quod præstet sapientiã parvulis pag. 573. Secundo, quia proponit vt res veras fabulas ridiculas, vide à pag. 698. Tertio, quia cõtra evidentissima testimonia Evangelij, & omnium hominum, fabulatur circa Annunciationem, & Partum B. Virginis, vt constat ex pag. 682. vsque ad 685. Quarto, quia non habet orationem, sacrificia, & alia media elevantia hominem ad Dei contemplationem, & amorẽ, vide à pag. 692. Quinto, quia eos, quos Mahumetani vocant sanctos, brutales, & bestiales facit. Afferat hic prædicator Christi exẽpla sapientiæ, quam Religio Christiana tribuit pueris innocentibus: v.g. Iusto, & Pastori, quam tribuit Agneti, Catherinæ, Ceciliæ, Theresiæ, Teclæ, & alijs.

Decimum tertium. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Mar. vlt. conferat Christi prędicator modũ, quo lex Christi introducta est in mundo per pauperes piscatores, contradicẽtibus orbis Principibus, cum modo, quo invecta est secta Mahumetana, & convincet illam esse veram, & hanc falsam. Ad hoc explendum thema legatur disputatio de divinitate Christi sect. 9. & 10. à pag. 527. vsque ad 533. Item legatur disputatio præsens à pag. 704. expendat miracula, quibus floruerunt in omni sæculo Sectatores Christi, vt breviter, & dilucide facit Cardin. Bellarm. in tomo concionũ concione 6. de fide, & impotentiam faciendi miracula, quam de seipso fatebatur Mahumetus, & miracula ridicula, quæ in sui cõmendationem confinxit, vt constat ex pag. 704. & ex pag. 535. n. 8. & 9. & ex sect. 2. à pag. 536. vsque ad 541.

Decimum quartum. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Ioan. 12. 35. ad expugnandam duritiem Maurorum, qui auditis concionibus nolunt ad Christum venire, quam vis veritatem cognoscant, vide sect. vltim. §. 6. & 7. à pag. 716. Item ad impugnandam illam communem excusationem, *Conuertar quando Deus voluerit*, vide à pag. 694. vbi impugnatur error Mahumetanorum asserentium Deum destinare homines ad malum, & omnia ex necessitate evenire.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM

LITERA P. PAGINAM, N. VERO NVMERVM SIGNIFICAT.

ABDALA Serralle primus Mahumeti Secretarius, p. 538. n. 13. Eum vt impostorem deserit. pag. 538. num. 13.

Absolutio.

Absolutione à mortalibus tollitur totus reatus æternæ pœnæ, at à venialibus non tollitur totus reatus pœnæ temporalis, pag. 115. num. 34.

Absolutio est constitutivum intrinsecum Sacramenti Pœnitentiæ, p. 407. n. 2.

Absolutio reo absenti collata, nec licita est nec valida, pag. 410. num. 2.

Absolutio collata reo præsenti, qui per litteras absens exposuerat sua peccata Confessario, licita est, p. 410. n. 5. & seq.

Absolutio ista non debet conferri extra casum necessitatis, pag. 411. n. 8.

Absolutio potest conferri cognito pœnitentis dolore etiam per testium depositionem, pag. 411. num. 10.

Absolutio nequit conferri moribundo etiam probatæ vitæ, qui nulla dedit pœnitentiæ signa, pag. 417. num. 16.

Absolutio nequit conferri moribundo, de quo dubitatur an dederit pœnitentiæ signa, pag. 420. num. 50.

Absolutio potest conferri reo de quo dubitatus an habeat vsum rationis, pag. 420. num. 51. & 53.

Absolutionis verba non verificantur, quando non adest dolor generalis pa. 423. num. 15.

Absolutionis forma supponit peccata vere à pœnitente commissa, p. 434. n. 4.

Absolutio tendit ad omnia peccata, nec potest dimidiari, pag. 476. num. 60.

Abstractum.

Abstractum significat naturam, qua aliquid est tale, pag. 328. num. 43.

Non omne abstractum exigit facere contretum pag. 334. num. 71.

Acceptatio.

Acceptatio nequit dare condignitatem operibus, pag. 212. num. 2.

Acceptatio an fuerit debita ex iustitia operibus Christi, pag. 224. num. 26.

Accidens.

Accidens suapte natura postulat vt eius operationes tribuantur substantiæ, p. 266. num. 42. & pag. 272. num. 60.

Accidens potest simul cum vnione ad subiectum terminare creationem p. 315. num. 37.

Actio.

Actio spirativa in divinis non supponit Filium, cui tribuitur, ibid.

Actiones non possunt tribui alicui toti vt distincto à substantia, p. 266. num. 42.

Actio eductiva accidentis identificatur cum eiusdem inhærentia, p. 301. num. 1.

Actio creativa non est subsistentia, pag. 305. num. 5.

Actio connaturalis termino potest ipsum vbique comitari, pag. 306. num. 7.

Actio termino connaturalis (non sic subsistentia) exigitur à natura, p. 307. n. 8.

Actio creativa Angeli potest componi cum vnione hypostatica, p. 309. num. 15. & pag. 310. num. 20.

Actiones sumt singulariū, p. 359. n. 28.

Actiones quomodo sint suppositorum, num. 29. & seq.

Actus.

Actus immediate essentialiter liber libertate solius cōtradictionis nequit à Deo imperari, pag. 17. num. 59. & 60.

Actus charitatis infinite intensus esset con-

condigna satisfactio pro mortali, pag. 49. num. 92.

Actus perfectę charitatis est forma sanctificans, pag. 183. num. 65.

Non simpliciter, sed secundum quid, pag. 185. num. 76.

Actus charitatis, qua ratione est ordinis superioris, pag. 194. num. 10.

Actum deberi ex iustitia non tollit ab eo rationem meriti, & dignitatem vitæ æternæ, pag. 239. num. 8.

Actus non est liber, vbi agens non habet potestatem ad faciendum ne talis actus prodeat ab ipso, pag. 365. num. 8.

Actus primus potest constitui per aliquid non essentialiter requisitum ad illum pag. 368. num. 20.

Actus ob quem tristitia de peccato imputatur voluntati, quinam sit, p. 371. n. 3.

Adamus.

Adamus non potuit agere omnium nomine sine pacto transfusionis voluntatum, pag. 55. num. 23.

Non tamen necesse fuit Adami consensum expectare, pag. 55. num. 24.

Debuit Adamus nosse voluntatem illam Dei, vt posteri in ipso Adamo peccarent, pag. 56. num. 25.

Quid sit Adæ peccatum pprseverare moraliter in ordine ad parvulos, pag. 60. num. 43.

Adæ peccatum suapte natura non habet vim merendi posteris privationem iustitiæ, pag. 69. num. 18.

Non est certum Adamum vi pacti accepisse iustitiam trasfundendam in B. Virginem, pag. 84. num. 30.

Pactum cum Adamo inclusit omnes etiam præfinitos ex meritis Christi vt passibilis, pag. 99. num. 41.

Adamus ante peccatum habuit revelationem Christi venturi, pag. 245. num. 29. & occasione illius revelationis gratiam auxit, ibid.

Adamo non peccante adhuc Christus veniret, 145. num. 33.

Alcoranus.

Alcoranus non fuit scriptus oratione soluta, sed ligata, pag. 543.

Alcoranus compactus fuit ab Hozmen genere Mahumeti, sine ordine vllo capitum, vel Zoaratum, p. 545. & part. 552.

Alcorani capita, & divisiones, & de quibus rebus agat, pag. 546.

Alcorani doctrina nequit esse à Deo missa, pag. 552. & pag. 698.

Alcoranus negat Trinitatem, & Christi divinitatem, ibid.

Alcoranus fatetur posse homines in Christiana Religione salvari, pag. 553.

Alcoranus iubet Mussimis, vt libris Moysis, Christi, Apostolorum, & Prophetarum firmam fidem verè adhibeant, pag. 580.

Alcorani liber est mendax, & Dæmonis sugestione compositus, pag. 588. & pag. 633. & pag. 698.

Alcoranis manifestæ contradictiones, pag. 744.

Alcoranus cur tot contradictiones habeat, pag. 648.

Alcorani errores contra historiam, pa. 676.

Alcoranus ait: Virginem Matrem fuisse Mariam illam sororé Aaronis, & Moysis, ibid.

Fabulosè narrat Anuntiationem Beatæ Mariæ factam de Incarnationis mysterio, pag. 682. Et item Beatæ Mariæ Virginis partum, pag. 684.

Alcorani errores contra Mahumeticam, pag. 685.

Quid desideribus fabuletur Alcoranus, ibidem.

Alcorani errores contra naturalem Philosophiam, pag. 686.

Angelos ait ex igne creatos, ibidem ait animalia bruta resurrectura in die iudicij, & suorum operum rationem redditura, ibid.

Alcorani errores contra Dei misericordiam, ibid.

Contra Dei providentiam trahentem per miracula ad veram fidem, pag. 687.

Peccat item contra Dei providentiam permittentem vt amicis suis in hoc mundo accidant adversa, pag. 688. & vt tententur à Diabolo, pag. 689.

Alcorani error contra Dei iustitiam iniustos tantum punientem, pag. 691. & 692. Alcorani errores contra lumen rationis, ibid.

Alcorani error circa corpora defunctorum, circa libertatem à pœnis inferni Diabolis in Mahumetum credentibus cõcessam, & circa inferni durationem, pag. 693.

Alcorani error contra libertatem nostram, & sanctitatem Dei, pag. 694.

Alphonsus.

Illustrissimus Alphonsus à Sancto Thoma Episcopus Malacensis, pag. 550. 558. & 572. item sect. vltim. §. 5. pag. 714.

Aduertentia.

Aduertentia ad Deum non est ratio for-

formalis gravificandi ofenſam, pag. 33. num. 24.

Affinitas.

Affinitas, & conſanguinitas quomodo diverſificent incæſtus, pag. 450. num. 10.

Ambroſius.

Illuſtriſsimus Ambroſius de Eſpinola Archiepiſcopus Hiſpalenſis, pag. 559. item 714. eius miſericordia erga pauperes pag. 708.

Amor.

Poſsibilis eſt amor honeſtus, qui à Deo præcipi non poſsit, pag. 17. num. 61.

Omnis amor liber reducitur ad amorem neceſſarium, pag. 18. num. 64.

An omnis amor ſit velle bonum, pag. 123. num. 55.

Amor Dei amicabilis pugnans cum odio immicitiæ quale ſit, pag. 147. n. 29.

Amor ſuperomnia appræciativus in quo conſiſtat, pag. 389. num. 19.

Amor iſte componi nequit cum peccato veniali actuali ibid.

Amor Dei non facit, vt quis magis deteſtetur aliena, quam propria, licet leviora peccata, pag. 390. num. 24.

Quo diſtet amor amicitiæ ab amore concupiſcentiæ, num. 25.

Amor amicitiæ ex terminis ſuis debet ſupra ſe reflectere, num. 26.

Amor amicitiæ nequit deſiderare amico felicitatem incompoſsibilem cum amicitia, num 27.

Amor Dei ſuper omnia non debet deteſtari peccatum ſupra pœnas inferni, p. 391. num. 31. immo nec poteſt, n. 32.

Amor efficax finis nequit imperare actum, quo amans eligat carere in perpetuum fine, pag. 392. num. 36. Vide *Actus.*

Angelus.

Angelus vnitus humanitati non teneretur illam regere, pag. 261. num. 23.

Angelus nequit elevari ad concurrendum cum humanitate ad omnes iſtius actus num. 24.

Agelus in nullo genere cauſæ poteſt ſuſtentare naturam humanam, pag. 262. num. 27.

Angelus eſt nomen officij, num. 29.

Angelus nequit alienam ſuppoſitare naturam, quin amitat rationem perſonæ, pag. 265. num. 37.

Angelus non fieret homo licet eius ſubſiſtentia terminaret humanitatem, p. 272. num. 61.

Anima rationalis.

Anima rationalis proprie non ſubſiſtit, pag. 305. num. 5.

Anima rationalis per quid conſtituatur in ratione per ſe exiſtentis, pag. 315. num. 37.

Anti-Chriſtus.

Antichriſtus non edet vera miracula, p. 515. n. 34.

Apoſtoli.

Apoſtolorum, & aliorum vita Sanctorum Chriſti divinitatem probat, pa. 531. num. 95.

Apoſtoli vt Viri Sancti coluntur in Alcorano. p. 554.

Argumenta.

Argumenta à paritate alicuius opinionis probabilis an reddant probabilem in moralibus opinionem, pro qua afferuntur, pag. 482. num. 68. pag. 487. n. 84.

Arius.

Arij error damnatus, pag. 638.

Arium, alioſque Hæreticos admiſsiſſe Evangelia, quæ nunc habet Eccleſia, ſignum eſt ea non fuiſſe corrupta, vt mentitur Mahumetus, pag. 639.

Arianam fidem periiſſe, evidenter probat nun fuiſſe veram, pag. 640.

Attributa.

Attributa divina oſtenduntur magis permiſsis malis, p. 26. n. 93.

Attritio.

Attritio quid ſit, pag. 400. num. 75.

Attritionis motivum ſufficiens eſſe poteſt pœna temporalis, vt à Deo infligenda, num. 77.

Attritio efficax eſt incompoſsibilis cum peccato actuali, num 78.

Attritio elicita à peccatore non ſufficit ad remiſsionem venialium num. 79.

Immo nec elicita à iuſto, num. 80.

Attritio ſufficiens ad iuſtificationem in Sacramento non debet eſſe ex motivo dilectionis Dei, pag. 423. num. 7.

Attritio requiſita in Sacramento Pœnitentiæ debet eſſe generalis dolor, pag. 425. num. 13.

Attritio inſufficiens non eſt idem, ac non complacentia peccati, pag. 468. num. 15.

Attritio in lege veteri non erat ſufficiens ad peccatorum remiſsionem, pag. 498. num. 20.

D. Auguſtinus.

Conſtituit peccatum originale, & perſonale in reatu, pag. 58. ſect. 5.

Quid nomine reatus Auguſt. intelligat, pag. 59. num. 40.

Auguſtinum quid impulerit ad ea creden-

denda quę ratione monſtrari non poſſunt, pag. 606.

Axioma.

Axioma illud *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, quomodo accipiatur, pag. 359. num. 32.

Axioma illud: *Modus operandi ſequitur modum eſſendi* exponitur, pag. 361. n. 38.

B

Baius.

BAII propoſito hęc *Tranſacto actu peccati nihil manet niſi reatus*, quo ſenſu damnata ſit, pag. 107. num. 10.

Balthaſar.

Balthaſar à Loyola primum in Africa Rex ad Chriſti fidem miro modo vocatur, & Societatis IESV miles ſanctiſsime vivit, & moritur, pag. 564.

Baptiſmus.

Baptiſmi ſuſceptio ſolum in ſubſiſtendi conſequentia eſt prior indigna Baptiſmi ſuſceptione, pag. 431. num. 4.

Baptiſmus delet omnia peccata, quæ ipſo actu Baptiſmi terminatur, pag. 432. num. 10.

Baptiſmus in caſu neceſsitatis poteſt fieri aqua roſacea, pag. 452. num. 16.

Baptiſmus ſine dolore ſuſceptus cur validus ſit, pag. 484. num. 76.

Beatus.

Beati retinent in patria habitum pœnitentiæ, licet fidei, & ſpei habitus non retineant, pag. 382. num. 61.

Bonitas.

Bonum finitum adhuc clare cognitum non neceſsitat voluntatem quoad exercitium, pag. 9. num. 32.

Bonum facilius deſeritur, quam cõplectatur malum, pag. 14. num. 48.

Bonitas Dei nequit eſſe ratio formalis conſtituendi aliquem dignum odio inimicitiæ, pag. 32. num. 16.

C

Caluinus.

CALVINVS fatum induxit, noſtram libertatem everſit, reddit Deum Authorem peccati, pag. 694. detegitur error iſte exemplo lepidiſsimo, & rationibus, pag. 695.

Carentia.

Carentiæ non aliud habent diſtinctivum, quam habitum, pag. 6. num. 18.

Carentiæ non habent reſpectum eſſentialem ad finem, ibid.

Captiuitas.

Captivitas diuturna Iudæorũ ob quod crimen fuerit à Deo inflicta, pag. 520. num. 52.

Catholica.

Catholicę fidei veritas contra Mahumetanos probatur, pag. 549. cum multis ſequent. ſtabilitur ex converſione mirabili multorum ſpectantium tormenta Martyrum, & horum patientiam, p. 570. & ſequent.

Catholica fides, quibus notis ab alijs diſtinguatur, pag. 587.

Probatur divinis teſtimonijs viſionum, & miraculorum, pag. 599.

Ex mirabili mundi converſione, & permanentia ipſius, & ex alijs capitibus, diſp. 46.

Charitas.

Charitatis perfectio quomodo cadat ſub præceptum, pag. 347. num. 21.

Charitas quomodo feratur in bona extrinſeca quæ amat Deo, pag. 385. n. 74.

Charitatis motivo nequit quis vnum peccatum deteſtari, quin omnia ſimul deteſtetur, pag. 395. num. 48.

Immo, nec vnum veniale, quin omnia deteſtetur ſimiliter, pag. 396. num. 52.

Charitas erga proximum vrgentius quandoque obligat, quam charitas erga ſeipſum, pag. 403. num. 13.

Charitatis actus non debet præcedere infuſionem habitus, pag. 425. num. 15.

Charitatis ſodalitas Hiſpalenſis inſignis pag. 706. & ſequentibus: eius Præfectus eximiæ virtutis vir, pag. 707.

Chriſtianus.

Chriſtiani aliqui cur apud Mauros deſerant veram fidem, pag. 556.

Chriſtus Dominus.

Chriſtum præfiniri vt Redemptorem, nequit virtualiter identificari cum permiſsione peccati, pag. 90. num. 4.

Chriſtus nequit præfiniri vt Redemptor ante abſolutum peccati prævisionem, pag. 90. num. 6. & ſeq.

Chri-

Christus non fuit præfinitus, vt Redemptor in remedium peccati Adami solius, sed etiam posterorum, pag. 95. num. 27.

Christus fuit præfinitus, vt Redemptor in actu primo, seu vt Medicus ob morbum imminens, ante permissionem peccati, pag. 103, num. 53.

Christi satisfactio integra est, nec supponit partem debiti remissam, pag. 190. num 98.

Christi satisfactio independenter ab acceptatione divina habuit condignitatem ad redemptionem generis humani, pag. 212, à num. 1.

Quod intellige in actu primo: nam in actu secundo illa indiget, & qualis ea sit, pag. 214. num. 10.

Vnde & quomodo habeat infinitatem Christi satisfactio, pag. 215. à num. 6.

Christi satisfactio, an habeat omnes conditions strictæ iustitiæ, pag. 217. à num. 1.

Christi satisfactio num ex iustitia obligaverit Deum ad acceptationem, p. 224. num. 26.

Christus satisfecit obligatus ex iustitia, pag. 240. num. 16.

Christus fuit præfinitus ante permissionem peccati, pag. 244. num. 23.

Veniretque Adamo non peccãte, p. 245. num. 33.

Potuit Christus præfiniri ante omnes creaturas, & nihilominus non venire, nisi peccante Adamo, pag. 146. num. 38.

Christus veniret ex vi præsentis decreti ob ob solum peccatum originale quamvis nullum actuale futurum esset in posteris, pag. 248. num. 42.

Veniret etiam sub hypothesi, quod non esset originale peccatum, si tamen actualia viderentur inficere naturam, pag. 248. num. 44.

Cur in Christo non sit persona creata, pag. 256. num 7. pag. 258. num. 13.

Christus quo sensu sit persona composita, num. 15. & 268. num. 48.

In Christo datur compositio *Huius ad hoc*, non tamen *Huius ex ijs*, pag. 258. num. 15.

Christus quatenus homo est minor seipso, vt Verbum est, pag. 267. num. 43.

Christus est homo eiusdem speciei nobiscum, pag. 288. num. 39. pag. 32. num. 90.

Christus quatenus homo dumtaxat est prædestinatus, pag. 297. num. 70.

Christus quatenus homo (non tamen quatenus hic homo) prædestinatus est, vt esset Filius Dei, pag. 299. num. 79.

In Christo datur aliud, & aliud, non tamen alius, & alius, pag. 304. num. 8.

Christus vero absolute non est aliud, & aliud, num. 9.

Christus vt homo reduplicative non est persona, pag. 336. num. 2. & pag. 258. num. 14. & pag. 268. num. 47.

Nec Filius Dei naturalis, pag. 338. num. 12.

Christus vt homo quatenus sit subsistens, pag. 339. num. 16.

Christus adæquate sumptus est quid extensive maius Deo secundum se, pag. 340. num. 19.

Christus habuit præceptum non impediendi, immo & acceptandi positive mortem, pag. 341. num. 1.

Exponitur eius præcepti natura n. 4.

Christus in omni instanti suæ vitæ, præter vltimum, potuit petere dispensationem à præcepto, pag. 342. num. 6.

Præceptum Christo impositum potuit illum obligare pro aliquo instanti, in quo esset impossibilis eius libera observatio, pag. 343. num. 8. & num. 12. cum seq.

Christus in instantibus ante instans penultimum potuit nec acceptare, nec petere dispensationem præcepti; in penultimo vero alterum è duobus eligere tenebatur, pag. 344. num. 10. & 11.

Christo fuit impositum præceptum positivum, pag. 345. num. 16.

Christo fuisse impositum præceptum eum obligans quidem, sed non ad liberam mortis positionem, an posset defendi, pag. 346. num. 20. & seq.

Christus ex ipsa præcepti natura cognovit se infallibiliter obtenturum dispensationem, si eam postularet, pag. 347. num. 24.

Christus fuit capax voti, & obligationis ex illo ortæ, pag. 348. num. 2.

Christus quomodo vrgente passione dicere potuerit verba illa *Pater si possibile est, &c.* pag. 349. num. 30.

Christus non habuit obligationem naturalem redimendi nos, pga. 350. n. 33.

Christus (si præceptum sit indispensabile) obseruavit illud libere, quia principia proxima fuerunt indifferentia, pag. 351. num. 1.

Sed tunc humanitas haberet antecedẽtem potestatem ad impediendam vnionem hypostaticam, pag. 351. num. 2. & seq.

Christus ob libertatem humanitatis potuit carere denominatione obseruantis præceptum; non potuit tamen habere denominationem non obseruantis, pag. 356. num. 17. & 18.

Christus est incapax libere omittendi actum præceptum, non est tamen necessitatus ad illum ponendum, ibid.

Christus vt intelligatur indifferens quomodo supponi debeat existens, pag. 363. num. 5.

Christus impolito præcepto prout à Thomistis exponitur non tenetur liber, p. 364. num. 14.

Christi voluntas pro priori ad intimationem præcepti non intelligitur proxime expedita ad actum specialis obedientiæ, pag. 316. num. 12.

Christus potuit obligari à Patre ad acceptandam mortem ex actu specialis obedientiæ, p. 366. num. 12. & 15.

Christus est liber ad obediendum potentia consequenti notitiam præcepti, p. 367. num. 17.

Christus potens omittere actum indispensabiliter præceptum, non minus quam purus homo (id ipsum potens) esset potens peccare, pag. 368. num. 21. & seq.

Christus nequit moueri ad acceptandam mortem à cognitione præfinitionis talis actus pro eodem instanti, pag. 369. num. 26.

Christus instanti in quo obseruavit præceptum vidit præfinitionem talis obseruationis, non tamen pro priori ad ipsam, p. 370. num. 30.

Christus non est subiectum Pœnitentiæ pag. 382. num. 59.

Christi diuinitas breuiter ex veteri testamento probatur, pag. 507. num. 1.

Christi diuinitatem probare quantæ sit vtilitatis, pag. 508. n. 6.

Christi miracula sunt ab ipso præcipuè facta in testimonium suæ diuinitatis, pag. 510. num. 13.

Christi miracula vera fuerunt, pag. 516. à num. 38.

Christi Discipuli nullo modo potuerunt fingere quod eorum magister miracula edidisset, pag. 517. num. 41. & pag. 534.

Christi diuinitatem probat vindicta, quam Deus sumpsit de Iudæis ob eius necem, pag. 518. à num. 47.

Idem probat noui testamenti cum veteri correspondentia, pag. 522. num. 62.

Idem probat admirabilis eius resurrectio, pag. 525. num. 71.

Idem probat mundi miranda conuersio pag. 527. num. 82.

Christus non potuit Petro promittere ædificationem, & permanentiam Ecclesiæ, nisi foret verus Deus, pag. 529. num. 88.

Christus nisi Deus esset, non poterat post mortem trahere ad se hominum corda, pag. 531. num. 98.

Christi diuinitatem probat tot, tamque sapientium virorum fides, pag. 532. num. 102.

Christi diuinitas probatur, vel ex dictis Alcorani, p. 579. & seq.

Christus in Alcorano appellatur Verbum, Apostolus, & Nuntius Dei, p. 580.

Christi diuinitas valide probatur scripturæ testimonijs, pag. 581. & seq. & pag. 559.

Christi diuinitas ex dictis Alcorani probatur, pag. 583. & seq.

Christus edidit signa, quæ nullus vnquam Propheta ediderat, pag. 585.

Christum esse Filium Dei, licet Deus non habeat vxorem, contra Mahumetum declaratur, pag. 592. cum seq.

Christus non est caro, & Verbum loco animæ, nec caro, & anima sensitiua, & Verbum loco animæ rationalis p. 596.

Christi corpus non est substantiæ Cœlestis pag. 598.

Christus non est vna natura ex duabus permixta ibid.

In Christo non datur duplex persona, ibidem.

Christi diuinitas ex apparitionibus, & miraculis comprobatur, pag. 599.

In Christo cur non dicatur habita diuinitas ab humanitate, sed è contra, pag. 613.

In Christo duplex quidem natura de Verbo prædicatur; sed vna tantum in concreto, altera etiam in abstracto, pag. 613.

Christus quomodo dicatur non soluisse legem cum tamen post ipsum cessauerit, pag. 619.

Christi lex, vtpotè perfectior lege Mahumeti, non potuit ab ista abrogari, pag. 623.

Christus vere in Crucem actus est, non Iudas pro eo, vt fingit Mahumetus, nec Cyrinæus, vt ait Basilides, nec Diabolus, vt Manichæus testatur, pag. 625. cum seq. veritatem hanc probant Crucis miracula, pag. 627.

Christum cur oportuerit esse passibilem, pag. 631.

Chri-

Christi Incarnationem quam fabulose narret Mahumetus, pag. 682.

Christi etiam nativitati plura fabulosa immiscet, pag. 684.

Circunstantiæ.

Circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non sunt exponendæ in confessione ex obligatione, pag. 448. num. 4.

Circunstantię, quibus ex capitibus aggravari possint, pag. 449. num. 5.

Circunstantiæ notabiliter minuentes intra eandem speciem non sunt ex obligatione exponendę in confessione, pag. 449. num. 8.

Circunstantia plurium occisorum vno ictu, an debeat exponi, pag. 450. n. 12.

Circunstantiam omittens notabiliter aggravantē ex probabiliori opinione, nec peccaret, licet revera foret pręceptum illas exponendi; nec exhibet materiam probabilem tantum, sed certam, p. 452. num. 17.

Circunstantię etiam mutantes speciem quando possint omitti, pag. 557. n. 30.

Conditio.

Conditiones essentialiter requisitæ quomodo dignoscendæ sint ne cum constitutivis confundantur, pag. 407. n. 3.

Condonatio.

Deus nequit condonare peccatum, quin cedat iuri puniendi, pag. 121. num. 49.

Adhuc admissa extrinseca condonatione, nequit Deus remittere mortale quoad reatum culpæ, quin etiam remittat quoad reatum pœnæ, pag. 136. num. 27.

Cognitio.

Cognitio non dirigit immediate, sed mediate in executionem externam, pag. 4. num. 12.

Cognitio, & complacentia boni quomodo possit indirecte movere voluntatem pag. 15. num. 51.

Cognitio de peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita est experimentalis, & essentialiter vera, pag. 407. num. 5.

Complexum.

Complexum ex Deo, & creatura est maius secundum quid, Deo secundum se accepto, pag. 340. num. 20.

Nihilominus complexum ex verbo, & humanitate est minus verbo, ibid.

Compensatio.

Compensatio includit quidem de obliquo peccati pręexistentiam; atqui illam amat, non amat propterea peccatum, pag. 381. num. 57.

Concordia.

Concordia impeccabilitatis Christi cū libertate, pag. 341. n. 3.

Concilium.

Concilium approbans assumptum, non propterea approbat rationem, qua probatur, pag. 359. num. 29.

Concilia cum determinant alicuius Sacramenti materiam, virtualiter aliam excludunt, pag. 432. num. 10.

Conciones, Concionator.

Quantum expediat publicas conciones ad Mahumetanos habere pag. 704.

Quomodo ad illas audiendas convocādi sunt Mahumetani pag. 706.

Themata assumenda ad has conciones, & quomodo explenda sint â pag. 714. ad 716.

Quomodo se gerere debeat concionator cum Mahumetanis, â pag. 704. ad 716.

Concretum.

Concretum omne supponit pro habente formam, p. 259. num. 19. & p. 277. n. 1.

Concreta accidentalia multiplicantur ad multiplicitatem subiecti, pag. 278. num. 4.

Concretum accidentale quo differat à substantiali, pag. 279. num. 6.

Concretum accidentale non dicit formam vt inhærentem, sed vt præsciſſe vnitam subiecto, p. 285. num. 28.

Concreta substātiva sumunt vnitatem, vel multiplicitatem à forma, quando ista importatur in recto, pag. 289. num. 41.

Vel quando constitutio est connaturalis substantiæ, num. 42.

Concretum.

In concretis adiectivis numerus afficit subiectum, in substantivis prędicatum, pag. 294. num. 51.

Concreta accidentalia sumunt differentiam specificam à forma, numericam à subiecto, pag. 288. num. 39. & pag. 301. num. 88.

Confessarius.

Confessarius, cui constaret totum reatum pœnæ fuisse remissum, adhuc deberet pœnitentiam imponere, pag. 116. num. 37.

Confeſſarius licite poteſt abſolvere reũ præſentem, qui grauẽ ex cauſa litteris expoſuerat abſens peccata, p. 410. n. 5.

Confeſſarius poteſt abſolvere ſi cognoſcat pœnitentis dolorem etiam per teſtium depoſitionem, p. 411. n. 10.

Confeſſarius non poteſt abſolvere moribundum etiam probatæ vitæ, qui nulla dedit pœnitentiæ ſigna, p. 417. n. 36.

Confeſſarius quale poſsit facere iudicium de peccatis, ſi à pœnitente taceantur circunſtantiæ notabiliter aggravantes, p. 449. n. 6.

Confeſſario interroganti conſuetudinem peccati tenetur pœnitens reſpondere, p. 449. n. 9.

Confeſſarius tenetur conformari cum opinione certo probabili pœnitentis, p. 453. n. 18.

Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem omittentem circunſtantiam aggravantem intra eandem ſpeciem, pag. 453. num. 18.

Confeſſarius quomodo debeat interrogare rudes, præſertim, vt illis animum ad plenè confitendum adijciat, pag. 465. num. 5.

Confeſſarius non potens abſolvere cõfeſſionem, quia pœnitentis conſcientia eſt nimis implexa, qua arte vti debeat ad faciendum, vt pœnitens redeat ad abſolvendam inceptâ confeſſionem, pag. 466. num. 7.

Confeſſarius tenetur aperire pœnitenti obligationem confitendi omnia peccata, quæ habebat cum ſacrilege faſſus eſt, pag. 474. num. 47.

Confeſſarius, nec in mortis articulo, nec vrgente præcepto recipiendi Euchariſtiam poſſet abſolvere eum, qui peccata culpabiliter tacuit, & non vult confeſſionem reiterare, pag. 475. num. 47. & 48.

Confeſſarius non poteſt vnum peccatum remittere, quin omnia remittat, pag. 479. num. 58.

Confeſsio.

Confeſsio quatenus debeat dirigi ad Confeſſarium, pag. 413. num. 16.

Confeſsionis ab abſolutione diſcrimen quoad hoc quod eſt poſſe fieri inter abſentes per litteras, pag. 414. num. 22.

Confeſsioni obligatur qui exiſtimabat ſe peccaviſſe, etſi poſtea voluntarie deponat tale iudicium, pag. 439. num. 19.

Confeſsioni non obligatur, qui prudenter iudicat ſe peccatum non commiſiſſe, pag. 441. num. 24.

Confeſsioni tenetur, qui minus probabili fundamento iudicat ſe non peccaſſe ſi ſimul contrariũ iudicet probabiliori fundamento, pag. 442. num. 26.

Confeſsionis obligatio non debet, nec poteſt poni in poteſtate peccatoris, n. 27.

Confeſsioni obligatur, qui rationibus æque pro vtraque parte ponderantibus dubius manet, pag. 443. num. 32.

Confeſsioni ſubijcienda ſunt ea peccata, quæ ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ confitenda erant coram Deo per veram contritionem, pag. 444. n. 37.

Confeſsionem iterare debet de peccato iam certo ille, qui antea confeſſus illud fuerat vt dubium pag. 446. n. 48.

Confeſsionis præceptum quando obliget certum de peccato, dubium tamen de confeſsione, à num. 49.

Confeſsionis obligatio ceſſet ne in eo, qui certus eſt ſe peccaſſe, licet non ſit certus ſe taſſum fuiſſe, pag. 447. num. 54.

Confeſsio generalis in ingreſſu Religionis facta præbet ſufficiens fundamentum ad iudicandum fuiſſe confeſſa peccata, de quibus poſtea occurrit dubium, num. 56.

Confeſsio eſt formaliter integra quando nihil culpabiliter omittitur, pag. 454. num. 21. & ſeq.

Confeſsio non eſſet reipſa invalida ſi pœnitens circunſtantiam prudenter omittat, licet reipſa daretur præceptum illam confitendi, pag. 457. num. 30.

Confeſsio, in qua pœnitens omitteret ſufficientem diſcuſsionem, licet exiſtimaret bona fide adhibitam fuiſſe, quomodo poſsit dici ſacrilega pag. 462. n. 44.

Confeſsio hoc ipſo quod ſit invalida, eſt iteranda, pag. 467. num. 12. Vide verbo *Pœnitentia*.

Confeſsionem iterare tenetur omnium, etiam quæ faſſus eſt, peccatorum, qui præ verecundia mortale ſiluit, pag. 464. tota diſp.

Confeſsio eadẽ, quæ aſsignatur vt pars Sacramenti, aſsignatur vt inſtrumentum ad obtinendam gratiam, pag. 476. num. 51.

Confeſsio non integra formaliter, non eſt pars Sacramenti, pag. 477. n. 52.

Confeſsio qua ratione ſit pars eſſentialis Sacramenti, pag. 478. num. 55.

Confeſsio ex malitia dimidiata non proportionatur abſolutioni pag. 479. num. 60.

Confeſsio ſacrilege mediata non poteſt Deum peccatori reconciliare, p. 480. n. 62. & 64.

Con-

Confeſsionem ſine dolore factam eſſe validam, poſt Tridentinum defendi non poteſt, p. 482. n. 71.

Confeſsionem, in qua quis præ verecundia peccatum mortale ſiluit, eſſe validam, poſt bullam Innocentij XI. cuto dici, aut practicari non poteſt, p. 492. n. 101.

Confeſsio ſine dolore efficaci, nec fructuoſa eſt, nec valida, p. 495. n. 9.

Confeſsionis iterandæ ſolicitudo quatenus debeat anxios tenere fideles, p. 501. n. 28.

Confeſsionis valide factæ aliqua indicia, p. 501. n. 28.

Confeſsionis nullæ indicia aliqua, pag. 502. n. 33. cum ſeqq.

Coniugatus.

Coniugatus peccans cum coniugata non ſatisfacit dicendo in confeſsione ſe commiſiſſe adulterium, p. 463. n. 49.

Conſcientia.

Conſcientiam peccati non habet, qui prudenter iudicat à ſe minime fuiſſe commiſſum, p. 441. n. 25.

Conſcientiam peccati habet qui ob fundamentum minus probabile iudicat, ſe non peccaſſe, ſi tamen probabiliori fundamento iudicet oppoſitum, p. 442. n. 26.

Conſcientiam peccati habet qui pari rationum pondere manet in ſuſpenſo, pag. 443. n. 33.

Conſcientiæ diſcuſsio qualis debeat eſſe, p. 505. n. 6.

Conſilium.

Conſilia, & ſuaſiones per ſe tendunt ad conſiliatum, p. 9. n. 30.

Conſuetudo.

Conſuetudo non eſt à pœnitente apetienda ex obligatione, p. 465. n. 51.

Contritio.

Contritio ſi ſit forma ſanctificans, eſt etiam condigna ſatisfactio pro peccato proprio, p. 170. n. 2. & hoc licet tantum Deo non placeat quantum diſplicuit offenſa, p. 170. n. 31.

Contritio perfecta eſt forma ſanctificans, p. 183. n. 65. ſecundum, quid non ſimpliciter, p. 185. in 76.

Contritio ſi ſit forma ſanctificans, per ſe formaliter tollit maculam venialem, independenter ab acceptatione, p. 205. n. 6.

Contritio ſimul mœretur novam coronam, & tollit per ſe maculam venialem in genere cauſa formalis, p. 208. n. 19. & 20.

Contritio non eſt forma incompoſsibilis cum peccato veniali, p. 209. n. 26.

Contritione non ſatisfacto iuſtus pro peccato veniali, p. 212. n. 35.

Contritionis duplex ſpecies, pag. 386. num. 1.

Contritio perfecta debet eſſe ex motivo charitatis, n. 3.

Contritio perfecta debet eſſe efficax deteſtatio peccati, p. 387. n. 8.

Contritio non eſt voluntas efficax carentiæ peccati, p. 388. n. 9.

Contritio perfecta ſtat ſine ſummo conatu n. 12.

Cõtritio perfecta debet eſſe amor ſummus appretiative, n. 13. amoris huius natura exponitur, p. 389. n. 19.

Contritio nõ debet deteſtari peccatum ſupra pœnas inferni, pag. 391. n. 31. Immo nec poteſt, n. 32.

Contritio eſt amor Dei formalis, pag. 396. n. 55.

Contritio ſupponit amorem Dei formalem, n. 56.

Contritio virtualis ſufficit ad peccatorum remiſsionem, p. 396. n. 58.

Contritio perfecta ſine expreſſo propoſito de cætero non peccandi ſolum per accidens poteſt ſufficere ad remiſsionem peccati, p. 397. n. 63. & 64.

Contritio ad peccatorum remiſsionem ſufficiens non petit neceſſario eſſe de omnibus peccatis in particulari, p. 398. n. 66.

Contritio quatenus ab attritione differt, p. 409. n. 75.

Contritionis præceptum non obligat ſtatim, p. 402. n. 2.

Contritionis, & reſtitutionis diſcrimen, n. 3.

Contritionis præceptum vt obliget, an mortis periculum requiratur? p. 404. n. 15. & 17.

Contritio an poſsit omitti abſque novo contemptu etiam interpretativo divinæ amicitiæ, p. 405. n. 21.

Contritio redditur ſenſibilis per confeſsionem, & externam compunctionem, p. 409. n. 12.

Cõtritionis obligatio in veteri lege debita tranſlata fuit ad obligationẽ confitendi, p. 444. n. 38.

Contritio nõ poteſt ſupplere confeſsionis defectum, vbi hæc fieri poteſt, pag. 435. n. 47.

Contritio qua ratione ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ, p. 478. n. 55.

Contritio, quam Concilium petit ad Sacramẽti valorem, qualis ſit, p. 498. n. 19.

Contritionis motus, qui omni tempore fuit neceſſarius ad impetrandam peccati veniam, eſt contritio efficax in communi, p. 498. n. 20.

Con-

Contritio perinde est necessaria ad valorem Sacramẽti sicut integra confessio, p.500.n 26.

Contritio ad valorem Sacramenti requisita talis debet esse quæ excludat voluntatem peccandi,p.500.n.27.

Conuersio.

Conversio mundi per homines illiteratos firmum est testimonium divinitatis Christi,p.527.n.82.

Conversiones virorum doctissimorum ad nostram fidem,omnibus sectis expensis, Religionis Christianæ veritatem probat, p.616. Cõversiones mirabiles Maurorum in hora mortis,à p.557.ad 564.conversio mirabilis Regis de Fez.565.

Correctio.

Correctio fraterna quando obliget, p. 403.n.9.

Creatio.

Creatio animæ reddit illam præscindentem à dependentia, vel independentia à Verbo,p.314.n.34.

Creatura.

Nulla creatura haberet vim flectẽdi voluntatem divinam, nisi ipsa ex se esset inclinata ad se communicandum, pag.167. num.43.

Crux.

Crucis ingentia miracula ostendunt cõtra Mahumetum, Christum in ea fuisse mortuum,p.627.

Culpa.

Culpa est vnica forma reddens hominem pœna dignum,p.133.n.18, vide *peccatum.*

D

Daniel.

DAnielis Præphætia exponitur ad convincendam Iudæorum insaniam in expectatione messiæ, pag.524. num.67.

Debitum.

Debitum remotum,& proximum peccati originalis quid sit, p.78. tota sect.debitum comparatur ad peccatum originale sicut peccatum actuale ad habituale,pag. 82.n.18.

Decretum.

Decretum permissivum peccati non est connexum cum existentia peccati,p.158. num.68.

Decretum infligendi pœnam ordinatam ad fruitionem summi boni non est odium inimicitiæ, p.177.n.37.

Decreta libera sint ne priora,vel posteriora personalitatibus divinis, pag.360. num.33.

Decretis liberis libere amant Filius, & Spiritus Sanctus,n.34.

Deipara.

Deiparæ preces fundant probabilitatem doni petiti, p.161.n.14. & p.166.n. 38.vide *Maria Virgo.*

Detestatio.

Detestatio peccati super omnia in quo consistat,p.391.n.29.

Detestatio peccati non debet esse supra pœnas inferni,num.31. immo nec potest, num.32.

Detestatio vnius peccati propter infernum est virtualiter omnium detestatio, p. 394.num.45.

Detestatio mortalis ex motivo charitatis nequit reperiri sine virtuali detestatione omnium mortalium,p.395.n.48.

Detestatio peccatorũ virtualis quænam sit,p.396.n.57.

Detestatio virtualis sufficit ad remissionem peccatorum,p.397.n.58.

Deus.

Deus potuit purè omittere decretum creandi aliqua,quæ sunt creata, pag.254. num.90.

Deus magis complacet in coronis Martyrum, quam in peccatis Tyrannorum displiceat,p.31.n.9.

Deus non magis potest cogi per existentiam peccati ad aliquid destruendum quam ad aliquid producendum,pag.139. n.7.& p.179.n.50.

Deus necessario diligit iustum, p.152. num.45. peccatorem autem non necessario odio habet,p.156.n.63.

Deus saltem ex suppositione necessitatur moraliter ad aliqua,pag.160.à n.9. & hoc reddit nos securos eventuum, qui causis naturalibus sunt annexi, pag.162. à num.17.

Deus habet inclinationem manifestandi sua attributa,p.164.n.24.

Deus cogi potest à creatura ad non revelandum,p.155.n.54.

Deus non displicet in peccato displicentia propriè consequenti, p.180.n.51.

Deus vel nullam potestatem obligare potest ex iustitia,vel potest obligare absolutam,p.226.n.5.immo ordinatam vt ab absoluta distinctam obligare non potest, num.7.

Deum ex iustitia obligari non est cõtra eius dominium, p.231.n.29. inferret tamen iniuriam si ex suppositione obligationis rem denegaret,p.232.n.34.

Deus acceptavit Christi satisfactionem ex iustitia, p. 235. n. 49.

Deus sufficienter dat invitus in actu peccati, et ille dicitur propriè Dei iniuria, p. 237. n. 3.

Deus potest præcipere voluntati quin præcipiat vt dominus proprietatis, p. 238. num. 6.

Deus, qua ratione, & quo sensu dicatur homo, p. 277. &c.

Hoc nomen *Deus* sine restrictione prolatum supponit pro singulari communi tribus personis, p. 282. n. 17.

Si vero addiungatur *genere* aut aliqua particula restrictiva potest supponere pro persona, n. 18.

Nomen *Deus*, non est nomen suppositi, & quare, n. 19. & seqq.

Nomen Deus, non significat hanc naturam, & aliquod suppositum vage, pag. 284. à n. 23.

Deus vt supremus Dominus potest à Christo exigere actiones vt liberas, pag. 348. n. 26.

Deus non tenetur conferre naturæ, quæ nudat proprietate, perfectionem supernaturalem indebitam, p. 359. n. 27.

Deus potuit Christo præcipere vt mortem acceptaret ex speciali titulo obedientiæ, p. 360. n. 121. & 125.

Deus nequit nomine deputare æternos ignibus ad ostendendum præcelle supremum dominium, p. 393. n. 38.

Deus nequit facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ, p. 511. n. 17. & fusius, p. 512. à n. 20.

Deus concurrit vt causa vniversalis ad ficta miracula, p. 514. & 533.

Deus factus homo quantum promoveat Theologales virtutes, p. 532. n. 101.

Deum esse Trinum & vnum ad hominem contra Mahumetanos ostenditur, p. 550.

Deus nequit esse Author doctrinæ falsæ, p. 552.

Deum esse Trinum, & habere Filium ostenditur contra Mahumetum ex ipsius Alcorano, p. 587. cum seqq.

Deum habere Filium, quamvis non habet vxorem contra Mahumetum declaratur, p. 592. cum seqq.

Deus debet habere perfectiones, quas mens humana naturaliter attingere non potest, p. 604. & p. 607. & p. 616.

Deus tantam authoritatem non tribueret Canonicis libris, vt credi vellet, quæ in eis continentur, p. 606.

Deus per Incarnationem quomodo dicatur factus homo, pag. 611.

Deus magis, aut minus dicitur vniri creaturæ, secundum quod in ea magis, aut minus suam virtutem ostendit, p. 612.

Deus cur sit factus homo, pag. 629. & seqq. & p. 657.

Deus cur fieri voluerit homo passibilis, & in Cruce mori, p. 631.

Deus non quam permittit vt Seductores ita suas falsas sectas velliant specie veritatis, vt falsitas detegi non possit, p. 648.

Deus ab dubio traheret ad fidem Christi infideles, si ipsi naturalem legem servarent, p. 649.

Deus cur permittat in hac vita suos amicos tribulari, p. 688.

Deus prædestinans cur necessitatem non inducat, aut fatum, p. 695. & seqq.

Diabolus.

Diabolus non potest edere vera miracula, p. 511. n. 19.

Diabolus cognoscere potuit evidenter Christum ex ipsis miraculis, nisi fuerit speciali Dei providentia impeditus, p. 513. n. 27.

Diabolus cur persuadeat esse Deos, aut Prophetas homines flagitiosissimos, pag. 656. Diabolus, Catechumenæ apparens à Baptismo suscipiendo deterret, p. 692. Christo renunciare persuasit Theophilo, p. 690. Diabolos, qui in Mahumetum credidernnt, à pœnis inferni liberatos fuisse credunt Mauri, p. 693.

Dignitas.

Dignitas pœnæ post transactum actum peccati inducit deputationem ad ipsam pœnam, p. 59. n. 4.

Dignitas pœnæ est posterior peccato actuali, non autem habituali, p. 62. n. 55. Nec est proprietas habitualis peccati, p. 63. n. 57.

Dignitas quæ est in instanti A, sufficit vt quis privetur gratia in instanti B, pag. 73. n. 35.

Dignitas radicalis pœnæ nec virtualiter distinguitur à culpa, p. 127. n. 19.

Dilectio.

Dilectio perfecta tantum Deo nō placet quantum peccatum displicuit, pag. 182. n. 60.

Dilectio Dei super omnia sine expressa contritione sufficit ad delenda peccata, p. 397. n. 17.

Dilectio Dei super omnia sufficit in homine justo ad remissionem venialium sine expressa contritione, p. 398. n. 69.

Dilectio ista etsi non deleat formaliter mortalia, delet tamen venialia formaliter, p. 399. n. 71.

Di-

Dilectio,quæ est dispositio ad iustificationem in Baptismo adultis collato, qualis esse debeat,p.424.n.12. Vide *amor,contritio.*

Dispensatio.

Christus potuit obtinere dispensationem præcepti,p.341.n.4. Et potuit illam petere in omnibus instantibus, vnico excepto vltimo vitæ,p 342.n.6.

Distantia.

Distantia Angeli à Deo qua ratione dicatur infinita,p.38.n 43.

Diuinitas.

Divinitas Christi, vide Christus.

Diuortium.

Divortia quatenus inter Mahumetanos permittantur,p.663.

Divortia in lege Christi quomodo sint prohibita,& irrita,p.664.

Dolor.

Dolor de peccatis ingreditur Sacramentum pœnitentiæ vt constitutivum illius,p.407.n.2.& seq.

Doloris extensivi defectu non potest fieri Sacramentum validum informe,pag. 428.num.10.

Dolor idem,qui requiritur vt remittantur peccata,requiritur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, p.428.n.12. & 495. num.10.

Dolor requisitus ad Sacramentum pœnitentiæ debet esse generalis,p.429.n.13. & p.480.n.63.

Dolor vniversalis redditur sufficienter sensibilis,quamvis non omnia peccata manifestentur,p.430.n.21.

Dolor requisitus ad Sacramentum pœnitentiæ debet esse dolor de peccato vere commisso,p 434.n.5.

Dolor qui quâtum est ex se non sufficit ad veritatem formæ Sacramenti,non sufficit ad Sacramenti valorem,p.480.n.63.

Dolor quem sacræ litteræ ad peccatorum remissionem requirunt, qualis esse debeat,p.479.n.14.

Dolorem fuisse efficacem quibus signis manifestetur,p.501.n.28.

Doloris inefficacis signa, p.502. n.33. cum seqq.

Dominium.

Dominium extenditur ad vsum rei etiam sub hypothesi impossibili,pag 229. num.20.

Dominium Dei an lædatur obligatione ex iustitia,p.227.n.10.

Dominium penes duos in solidum repugnat,p.230.n.25.

Dominij proprij vsum potest alteri quis debere, pag. 232. num. 27.

Ecclesiæ Catholicæ permanentia firmiter probat Christi divinitatem, p.529. num.88.

Ecclesiam Catholicam etiam post adventum Mahumeti sanctitate, & miraculis florere, signum est non fuisse â lege Mahumeti(vt ipse mentitur) abrogatam, pag.623.

Ecclesia Dei eadem habet Evangelia antea,& post adventum Mahumeti, pag. 637.Vide *Fides lex.*

Dubium.

Dubium proprie acceptum quid sit, p. 436.num.1.

Dubium quot modis contingat,n.2. & p.437.num.8.

Dubium negativum pure physicum de peccato non inducit obligationem confitendi,p.436.n.4.

Dubium quo distet ab ignorantia,ibid.

Dubium quantum distet ab assensu formidoloso,p.438.n.9.

Dubius de peccato,quia rationes æquale pondus vtriusque partis faciunt, tenetur illud confiteri,p.443.n.32.

Dubio delicto quando possit pœna certa imponi,p.446.n.46.

Dubium peccatum confessus, si postea comperiat esse certum,tenetur iterũ confiteri peccatum vt certum,p.446.n.48.

Dubius de confessione, & certus de peccato, quando teneatur confiteri, à num.49.

E

Ecclesia.

Ecclesia Catholica nec nos vult cito credentes, nec duros corde in credendo,p.509.n.11.

Effectus.

Effectus nequit postulare vage ad sui existentiam alterum è duobus contradictorijs,p.334.n.68.Vide *actio.*

Episcopus.

Episcopus tenetur admonere eum qui non est baptizatus,sed bona fide se baptizatum credit, vt Baptismum suscipiat, p. 475.num.47.

Error.

Error sufficiens ad non faciendam cõfessionem sacrilegam,non propterea sufficit ad faciendam illam validam,pag.458. num.34.

Error trahens ortum à negligentia peccaminosa, non est ignorantia invincibilis,p.462.n.44.

Essentia.

Essentia divina non est,suppositum , & quare,p.283.n.21.

Euangelistæ.

Evangelistæ nulla ratione credi possunt finxisse ea,quæ de Christo narrant,p. 417.n.41.

Evangelistæ nec cum primo Evangelia scripserunt,nec postea ea adulteratunt, pag.641.

Euangelium.

Evangelij perfecta doctrina cur antea non fuerit à Deo revelata?p.620.

Evangelium non esse adulteratum,contra Mahumetum ostenditur , p.633. & p. 636.& p.640.& seqq.

Eucharistia.

Eucharistia susceptа cautius non incedere,est signum nullitatis confessionis, p. 504.num.37.

Eucharistiæ proprius effectus,ibid.

Examen.

Examinis peccaminosa negligentia,an & quando confessionem nullam reddat, p.460.à n.38.

Examinis negligentia non peccaminosa,nec sacrilega, nec infructuosam reddit confessionem,p.505.n.4.

Examen conscientiæ ad confessionem requisitum quantam diligentiam petat, num.6.

Exemplum.

Exemplum puellæ sexennis orantis pro ancillæ Mahumetanæ conversione,p.712. Exempla singularia Hispalensium ad impetrandam Maurorum conversionem disp. vlt.sect.vlt.§.3. pag 708.

Exemplum pueri neophiti solicitantis parentum suorum conversionem,ibid. Exemplum Mauri obstinatissimi , qui tamen in hora mortis Baptismũ petijt,557. aliud pag.561.

Exempla alia Mahumetanorum, qui in hora mortis conversi sunt, 558. vsque ad 561.

Exemplum conversionis Regis de Fez. 554.

Exemplum Cathecumenæ,quam à suscipiendo Baptismo Diabolus deterruit,ei visibiliter apparens,pag.691. Exemplum Theophili;& alterius iuvenis,quibus Diabolus persuasit,vt singraphum scriberent, in qua Christo renuntiarent,p. 690.col.1. Vide verbo,*Mahumetus,Hispalis.*

Extrema Vnctio.

Extrema Vnctione quænam peccatorũ reliquiæ tollantur,p.117.n.43.

Extrema Vnctio an possit conferri homini,qui nunquam actualiter peccavit,p. 435.num.8.

Extrema Vnctio in casu necessitatis, potest conferri oleo benedicto ab Episcopo,p.452.num.16.

F

Fatum.

INducitur à Mahumete , & Calvino, pag 694. Deridetur exemplo lepidissimo,& rationibus,p.695.

Fideles.

Fideles quatenus oporteat anxios esse confessionis iterandæ,p.501.n.28.

Fideles non minuebantur , sed imò potius crescebant ob diras persecutiones cõtra illos exortas,p.642.

Fideles post mortem Apostolorum,non potuerunt corrumpere Evangelia,p.643.

Fideles, & amicos cur permittat Deus in hac vita tribulari,p.688.

Fideles quanto cum solatio , aviditate, & vtilitate audiant conciones habitas ad Mahumetanos,p.705.

Fides.

Fides de vno mysterio est virtualiter fides de reliquis,p.393.n.42.

Fidem qui amisit, tenetur quam primũ hæresim retractare,p.402.n.6.

Fidei actus cur debeat præcedere habitus infusionem,p.425.n.15.

Fides Incarnationis est de necessitate medij.p.508.n.4.cum seqq.

Fidei meritum non minuit expendere motiva credibilitatis, p.508 n.7. & seqq.

Fidei assensum debet præcedere fundamentum prudens ad credendum mysteriũ esse revelatum,p.509.n.9.

Fidei propagatio quam fuerit in re, & in modo mirabilis,p.527.n.83.& seq.

Fidei Christianæ veritas contra Mahumetanos ostenditur,p.549.

Fides,& Religio vera vnica tantum debet esse , & quæ signa eam à falsis distinguant,p.550.

Fidem Christi nullus adhuc in hora mortis deservit , vt ad Mahumeti sectam migraret,p.555.

Fidem Christi nullus adhuc ita deservit vt patriam relinquens,divitias,aut regna , ad Mahumetanos appelleret eorum errores sectaturus,p.562.

Fidem Christi probat Divina providentia,quam Author expertus est in Maurorum conversione,p.571.

Fidei Christianæ maiestas,p.577.

Fidei Christianæ veritas quibus notis dignoscatur,p.587.

Fidei myſteria qualiter credenda ſint, pag. 605.

Fidei myſteria, etſi poſſint ratione à cõtrarijs argumentis defendi, non poſſunt tamen ratione naturali probari, p. 615.

Fidei myſteria quomodo debeant infidelibus à miniſtro Evangelico ſuaderi, pag. 615.

Fidei Catholicæ veritatis ſatis probabile argumentum, p. 631. & ſeq.

Fidem veram qua via quærere debeat, qui cõtrarijs auditis doctrinis, anceps manet, quænam earum vera ſit, p. 649.

Filius.

Filius, vide Verbum, non eſt de ratione Filij Dei quod ſit perſona, p. 339. n. 15.

Filius liberè amat per decreta libera, p. 360. n. 54.

Filius Dei duplicem habet naturam, p. 612. Quomodo Filius Deo conveniat, ſine vxore, explicatur contra Mahumetanos, p. 592. Generatio Filij in divinis exponitur, p. 610.

Finis.

Finis non poteſt indirecte retrahere ab actu oppoſito, quin per prius inclinet ad ſe voluntatem, p. 8. n. 27. cum ſeq.

Finis à pœnitentia intentus differt à finibus cæterarum virtutũ, p. 377. n. 35.

Finis poteſt movere, aut vt ſit, aut quia eſt, p. 394. n. 44.

Finitum.

Finitum additum infinito nec maius facit, nec perfectius, p. 265. n. 38.

Finitum nequit componere cum alio finito, & manere ſuppoſitum, p. 266. n. 41.

Fons.

Fons mirabilis, quem Mahumetus ponit in ſuo paradyſo, p. 574.

Forma.

Forma à ſolo Deo producta non exigit aliquas in ſubiecto diſpoſitiones, p. 140. num. 38.

G

Gaudium.

Gaudium neceſſarium beatorum, non eſt de viſione, ſed de Deo, p. 9. n. 32.

Gratia.

Sine ſpeciali gratia non poteſt homo inſtatu naturæ lapſæ diligere Deum ſuper omnia, p. 184. n. 71.

Gratia habitualis.

Gratia habitualis quæ poſt componi cum proxima potentia ad peccandum, componi poteſt etiam cum peccato, pag. 138. num. 2. & ſeqq.

Gratiæ infuſio nequit eſſentialiter preſupponere carentiam peccati, pag. 139. num. 10.

Gratiæ infuſio, non eſt impeditio peccati actualis, p. 140. n. 11.

Adhuc ſuppoſita infuſione gratiæ, poteſt Deus parare concurſum indifferentem, quin propterea ſit cauſa peccati, p. 143. n. 25. & p. 151. n. 40.

Primarius gratiæ effectus exponitur, p. 145. n. 22.

Gratia prout de facto infunditur, ſupponit carentiam peccati actualis, non tamen habitualis, p. 146. n. 26.

Gratia eſt perfecta ſanctitas, licet non ſit incompoſsibilis cum peccato actuali, p. 146. n. 28.

Gratia cur magis pugnet cum habituali peccato, quam cum actuali, p. 148. n. 31. & n. 32. tota ſect.

Gratiæ ſubiectum eſt anima ſecundum ſuam entitatem, p. 150. n. 39. & 40.

Gratia habitualis vni inhærens, non conſtituit alium dignum gloria, pag. 199. num. 34.

Gratia habitualis collata in inſtanti A, non ſupponit voluntatem in poſterum obtemperaturam præceptis divinis, p. 357. num. 21.

Gratia infuſa perſonæ peccabili ſecum affert habitum pœnitentiæ, p. 382. n. 60.

H

Habitus.

HABITVM fidei, & ſpei præcedit actus, non tamen habitum charitatis, pag. 425. num. 15.

Henricus.

Henricus Quartus cur hæreſim abiuraverit, p. 553.

Hæreſis, Hæreticus.

Hæreſes præcipuæ contra Trinitatem, & Incarnationem, p. 637. & ſeqq.

Hæretici nunquam vera miracula ediderunt, p. 640.

Hiſpalis.

Hiſpalis in Maurorum Baptiſmo triũphanti ſimilis, p. 707.

Sodalitas charitatis Hiſpalenſis quam pie ſe geſſerit in fovenda Maurorum converſione, ibid. Quamque id Deo gratum fuerit, exemplo demonſtratur, ibid.

Hiſpalenſium inſignis pietas, & fervor in Maurorum converſione promovenda, p. 709. Quantumque Hiſpalenſium charitas Mauros moverit ad petendum Baptiſmum, ibid.

Puella sexennis enixe orat pro ancillæ conversione, vitam suam Deo offert pro eius salute, obtinetque quod petebat, ibid.

Homar.

Homar Mahumeti socer regno potitus plures suo imperio provincias adiungit, Christianis favet, ob quod erat Mauris infensus, p. 545.

Homicida.

Homicida vno ictu plures occidens, an teneatur pluralitatem occisorum in confessione exprimere, p. 450. n. 12.

Homo.

Homo per peccatum, non necessitat Deum, vt ipsum odio habeat, pag. 152. num. 45.

Homo purus potest per actum perfectæ charitatis (si tamen sit forma sanctificans) satisfacere pro peccato proprio quoad culpam, p. 170. à n. 1.

Homo duplici obligatione ligatur in ordine ad Deum, p. 181. n. 59.

Homo in statu naturę lapsæ, non potest sine speciali auxilio diligere Deum super omnia, p. 184. n. 71.

Homo purus potest absolute satisfacere pro peccato mortali proprio quoad culpam, non tamen integre, p. 187. à n. 87.

Secus pro peccato mortali alterius, pag. 193. à num. 2.

Cuius remissionem ne condigne quidem mereri post, p. 201. Tota disp. Quod verum esset, etsi posset quis alteri mereri præservationem à peccato, p. 202. n. 11.

Immo etiam si haberet gratiam capitalem, p. 203. n. 13.

Homo significat idem ac habens humanitatem, p. 277. à n. 1.

Homo significat humanitatem vt habitam, præscindendo à distinctione, vel identitate cum habente, p. 284. n. 26.

Hic *homo*, nõ significat hanc determinate humanitatem, & aliquod suppositum vage, ibid. à n. 24.

Homo vnivoce prædicatur de Petro, & de Verbo, p. 387. n. 37.

Homo idem significat postea, ac ante Incarnationem, p. 388. n. 38.

Homo quidem prædestinatus est vt esset Filius Dei, non tamen hic homo, pag. 300. n. 84.

Hominis rario multiplicaretur pro multiplicitate personarum assumentium, p. 227. n. 1. p. 203. n. 1.

Homo purus dicit in recto naturam, de obliquo carentiam vnionis ad substantiam digniorem, p. 332. n. 61.

Homo non convertitur perfecte ad Deum, nisi illum respiciat vt finem *cui*, p. 387. num. 7.

Hominis beatitudo nequit in carnalibus delectationibus consistere, p. 575.

Hominis ratio, quæ in via pro virtute pugnat, beatitudine privari non debet, p. 576.

Hominis beatitudo qualis esse debeat, p. 577. & seqq.

Hominis miser status post primum lapsum, p. 629.

Honor.

Honor cur sit magis in honorante, p. 45. num. 71.

Humanitas.

Humanitas per peccatum, non impediret, sed supponeret impeditam vnionem hypostaticam, p. 155. n. 57.

Humanitas in Christo, non est principium *quod*, p. 218. n. 5.

Humanitas an reddatur subsistens personalitate Verbi, p. 251. n. 14. & pag. 330. num. 49.

Humanitas in Christo cur deficiat à ratione personæ, p. 253. n. 21. & p. 613.

Humanitas in Christo habet modum existendi similem accidenti, p. 260. n. 21. & p. 303. n. 3. & p. 330. n. 51.

Humanitas Christi, non existit sub omnibus alijs vt subiectum prædicationis p. 764. n. 34.

Humanitas assumpta nequit propriam subsistentiam retinere p. 307. n. 11. quod si posset, nunc de facto retineret. pag. 309. num. 17.

Humanitatis dependentia à verbo qualis sit pag. 313. num. 31.

Humanitati non deficit aliquod substantiale complementum quod suppleatur à Verbo pag. 316. num. 40.

Humanitas nequit vniri Verbo, quin in illo subsistat pag. 318. num. 49.

Humanitas per hoc præcisse quod non sit vnita digniori substantiæ, est habens se ipsam, adeoque subsistens pag. 328. n. 43.

Humanitas nequit exigere modum subsistentiæ pag. 329. num. 44.

Humanitas non exigit constituere hominem, pag. 334. num. 70.

Humanitas etsi sit ens completum, potest facere vnum per se cum Verbo, pag. 335. num. 72.

Humanitas in Christo, nec est persona, nec personam constituens pag. 336 n. 4.

Humanitas Christi (si præceptum Christo impositum indispensabile sit) habuit potentiam antecedentem ad impediendam vnionem cum verbo pag. 351. num. 2. & seq.

Humanitatem peccare eſt poneret aliquid connexum connexione antecedenti cum vnionis hypoſtaticę çarentia,p.352. n.3.& ſeqq.

Quare ſi neceſsiteretur ad habendam vnionem cum Verbo,neceſsitatur ad non ponendam carentiam actus præcepti,pag. 354.num.12.

Humanitatem non obſervare præceptum,non eſt Chriſtum, ſed humanitatem peccare,p.356.num.17.

Humanitas non poſt per peccatum deſtruere vnionem hypoſtaticam, pag.356, num.19.

Humanitas Chriſti qua ratione ſit impeccabilis,p.358.n.24.

Humanitas vt operetur non exigit ſubſiſtentiam,tanquam requiſitum,pag.358, num.27.

Humanitas Chriſti quomodo poſsit impedire tum vnionem hypoſtaticam,tum viſionem beatam,p.362.n.33.

I

Idiomatum communicatio.

COmmunicatione idiomatum quænam prædicata convenire poſsint Verbo,p.300.n.84.

Communicatio idiomatum declaratur, pag.613.

Ignitio.

Ignitionis cum Incarnatione comparatio,p.614.

Ignorantia.

Ignorantia quando ſit peccaminoſa, p. 458 num.33.

Ignorantia invincibilis, qua quis neſciret debere exponi circumſtantias mutantes ſpeciem,non ſufficeret, vt fieret integra formaliter confeſsio,p.458.n.34.

Ignorantia quænam ſit craſſa, & ſupina,p.461.n.41.

Ignorantia invincibilis de ſufficienti examine excuſat à ſacrilegio, non tamen confeſsionem validam reddit, pag.461. num.42.

Ignorantia craſſa reducitur ad naturam actus,p.488.n.87.

Ignorantia, quam habemus de multis rebus,quas manibus contrectamus,nos docet eſſe credenda fidei myſteria, licet ea non poſsimus ratione comprehendere,p. 616.

Ieiunium.

Ieiunij obligationis,quæ certa eſt, quomodo dicatur ſatisfacere qui iuxta opinionem probabilem ieiunat,p.447.n.53.

Ieiunium Mahumetanorum quomodo ab ipſis obſervetur,& quam ſit cõtra Dei, & rationis legem,p.703.

Imago.

Imago in ſpeculo conſpicua cur non ſit Filius eius qui ſe ipſum in ſpeculo intuetur,p.593.

Imperfectio.

Imperfectio moralis indirecte tantum reſpicitur à pœnitentia,p.384.n.70.

Impoſsibile.

Impoſsibile(ſicut, & neceſſarium) triplici ſenſu poteſt accipi,p.159.n.1.

Incarnatio.

Incarnationis motivum, an fuerit peccatum Adæ,vt impendens,an vero vt iam in poſteros transfuſum, p.77.n.11. & 122.

Incarnatio eſt moraliter neceſſaria Deo ſaltem vage acceptæ,p.164.n.24. Nec id minuit Dei libertatem.p 166.n.35.

Incarnationis fuerit ne duplex decretum,primum ante, ſecundum poſt prævisum abſolute peccatum?p.243.n.20.

In Incarnationis Myſterio vnitas, vel multiplicitas cõcreti *homo* petenda eſt ex vnitate, vel multiplicitate perſonæ aſſumentis,p.278.n.5.

Incarnatio non eſt idem cum actione productiva humanitatis,p.311.n.23.

Incarnationis Myſterium late explicatur,p.611.cum ſeqq.

Incarnationis Myſterium varijs ſimilitudinibus explicatur, p.614.

Incarnatio comparatur inſitioni, ignitioni,& animationi,ibid.& p.615.

Incarnationis Myſterium fidelium corda in Dei amorem accendit,p.623. Vide *Vnio. Subſtantia.*

Incæſtum.

Incæſtum cum conſanguinea in primo gradu differt ſpecie à reliquis, non tamen iſti inter ſe,p.450.n.11.

Incæſtum cum matre differt ſpecie ab incæſto cum alia conſanguinea in primo gradu,ibid.

Indulgentia.

Indulgentiarum vſus quantum proſsit, p.117.n.41.& ſeqq.

Infamatio.

Infamatio vera,ſpecie differt à falſa, p. 450.n.12.

Infernus.

Inferni electio etiam ob peccatum vitandum eſſet actus turpis,p.392.n.33.

Infideles.

Infideles non poſſunt cogi ad fidem recipiendam: bene tamen ad audiendum Verbum Dei,p.714.& ſeq.

Infinitum.

Infinitum ſimpliciter in aliqua ratione; non poteſt in ea creſcere, p. 32. n. 12.

Infinitum perfectionis in ea ratione qua eſt infinitum caret termino extrinſeco, pag. 36. num. 38.

Inhærentia.

Inhærentia accidentis in ſubiecto, eſt eiuſdem accidentis eductio, p. 305. num. 1.

Iniuriæ.

Iniuriæ magnitudo, non æſtimatur ex malo, quod inferretur ſub hypotheſi impoſſibili, p. 43. n. 74.

Inſitio.

Inſitionis cum Incarnatione comparatio, pag. 614.

Integritas, Confeſsionis.

Integritas formalis confeſsionis non petit, vt exponantur circunſtantiæ notabiliter intra eandem ſpeciem aggravantes, pag. 448 num. 4.

Integritas formalis confeſsionis qualis ſit, p. 454. n. 21.

Integritas formalis, non petit vt exponantur peccata, quæ rationabiliter poſſunt, aut debent omitti, pag. 457. num. 3. & pag. 459. num. 36.

Integritati formali, non ſatisfacit qui in indagenda conſcientia negligens eſt graviter culpabiliter, pag. 461. num. 41.

Integritatis defectus ex verecundia proveniens valde diſtat ab eo qui ex ignorantia etiam vincibili provenit, p. 488. num. 86. Vide *Confeſsio.*

Intellectus.

Intellectus Angeli, & hominis quatenus conveniant, & diſcrepent ſpecie, pag. 301. num. 88.

Intellectus neceſsitatur quoad ſpecificationem aſſentiri probabilioribus, pag. 441. num. 24.

Intentio.

Intentio Miniſtri eſt conſtitutiva Sacramenti pœnitentiæ, p. 408. n. 7.

Intimatio.

Intimatio præcepti ita eſt requiſita ad actum ſpecialis obedientiæ, vt pro priori ad illam non intelligatur voluntas expedita ad iſtum, p. 366. num. 12.

Ioannes.

Ioannis Baptiſtæ (viri vel apud Mahumetanos ſummæ venerationis) præconia Chriſti divinitatem contra Alcoranum probant, pag. 584.

P. Ioannis Gabriel Guillem elogium, pag. 597.

Ioſephus.

Ioſephi Scriptoris Iudæi teſtimonium inſigne de operibus Chriſti, pagin. 518. num. 46.

Iudex.

Iudicis arbitrio nō ſubiacet reatus ad pœnam, p. 207. num. 15.

Immo nec pœna ipſa, vbi delictum aliquam determinate meretur, p. 207. num. 17.

Iudex poteſt efficaciter velle honeſtatem punitionis, quin velit vt exiſtat peccatum, p. 382. n. 58.

Iudex non poſt adiucare maioratum Petro, ad quem probabiliter iudicat pertinere, ſi probabilius eſt deberi Paulo, pag. 440. num. 22.

Iudæus.

Iudæorum nullus auſus eſt Chriſti miracula ab Evangeliſtis narrata falſa dicere, p. 518. num. 46.

Iudæi quot mala paſsi ſint ob necem Chriſti, num. 48.

Iudæi cur hucuſque puniantur ob necem Chriſti, p. 520. n. 56.

Iudæi converſionem obtinuit argumentum ex eo deſumptum quod nunc Iudæi non immolent idolis, p. 522. n. 60.

Iudæorum cæcitas in expectatione Meſſiæ convincitur, p. 523. n. 66.

Iudæorum ſedulitas in occultanda reſurrectione Chriſti, p. 526. num. 76.

Iudæi cur poſt adventum Chriſti non habeant Prophætas, p. 623.

Iudæi nec antea nec poſt advēntum Chriſti veſtus teſtamentum corruperunt, p. 634.

Iudæi quanta religione coluerint libros ſacros, p. 635.

Iudæorum ſuperſtitio in lotionibus, & lavacris, p. 702.

Ius.

Ius ad odium inimicabile in Deo eſt ius ad infligendam pœnam æternam damni, & ſenſus, p. 60. n. 44.

Quod ſi hæc iura diſtinguantur, non ſunt confundendi reatus ad odium, & reatus ad pœnam, p. 174. n. 27.

Et licet poſsint ſeparari iura illa in humanis, ſecus autem in Deo, p. 177. num. 40.

Ius ad rem ſtare poteſt ſine rei dominio, p. 231. num. 29.

Et habenti tale ius, ſi res denegetur, fit iniuria, p. 232. num. 34.

Iuſtificatio.

Iuſtificatione peccatum mortale æquivalenter tranſit in veniale, quando manet reatus ad pœnam Purgatorij, p. 137. n. 16.

In iuſtificatione tollitur adæquate macula mortalis in quantum eſt privatio gratiæ poteſt tamen manere vt motivum indignationis levis, p. 135. n. 23.

Iustitia.

Iustitia vnius nequit denominare alium iustum, p. 63. n. 60.

Ad rationem iustitiæ sufficit distinctio personarum, licet suppositum sit idem, pag. 218. num. 6.

Contra tamen distinctio personarum, non sufficit, si natura eadem est, num. 7.

Iustitia cõmutativa, non exigit, vt debitor ipse satisfaciat, sed vel debitor, vel alius pro eo, p. 223. num. 24.

Iustitia stricte talis reperitur in Deo, pag. 231. num. 29.

Iustus.

Iustus ratione venialis dimissi nequit manere dignus omni offensione divina, quam peccando promeruit, pag. 121. n. 50. & 51.

Immo nec potest manere dignus aliqua offensione divina, aut pœna, si peccatum sit adæquate remissum, pag. 119. num. 48. & seqq.

Iustus decedens cum veniali, non satisfacit per actum charitatis, p. 209. n. 26.

Iusti quomodo possint vere dicere se malle pati pœnas inferni, quam peccare, pag. 392. num. 34.

L

Lazarus.

LAZARI Resurrectio maximum fuit ex miraculis quæ Christus edidit in confirmationem suæ divinitatis, pag. 510. num. 14.

Legislator.

Legislator tenetur proprijs legibus, pag. 348. num. 25.

Lex.

Leges vniversales habent imbibitam hanc conditionem tacitam, nisi Legislator dispenset cum aliquo, pag. 67. num. 11.

Discrimen inter legem externam obligantem in conscientia, & legem comminativam pœnæ, p. 67. n. 13.

Lex vniversalis debet attendere ad ea, quæ frequenter accidunt, pag. 449. num. 7.

Lex Moysis quomodo per Christum fuerit adimpleta, & abrogata, p. 619.

Lex Moysis, & lex Christi non comparantur inter se, tanquam duæ leges, specie diversæ, ibid.

Lex nova comparatur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum, p. 620.

Lege nova adveniente, cessat antiqua, sine Dei mutatione, p. 621.

Lex Christi, non potuit abrogari per legem Mahumeti, ibidem, & seqq.

Lex repudij quomodo apud Mahumetanos serveturp. 663.

Lex castitatem prohibens, non potest esse à Deo, p. 673.

Lex Mahumeti, non est lex convertens animas, pag. 700.

Caret medijs quibus ad sanctitatem pervenitur, p. 701.

Lex vera debet habere signa evidentia credibilitatis, pag. 716. Vide Fides.

Libertas.

Libertas perfectissima debet magis propendere in id quod est perfectius, pag. 167. num. 39.

Libertas evertitur qualibet suppositione antecedenti inimpedibili, & connexa cum vno extremo, pag. 353. num. 10. cum seqq.

Libertas Christi evertitur impositio ei præcepto, vt à Thomistis exponitur, p. 364. n. 4. cum seqq.

M

Macula.

MACVLA peccati mortalis illo deleto, manet vt macula levis, pag. 125. num. 62.

Qua ratione macula illa sit divisibilis, p. 126. num. 65.

Magus.

Magorum quorundam ignominiosæ mortes, p. 672.

Mahumetus, Mahumetani.

Mahumeti lex graphice descripta, pag. 533. num. 1.

Mahumetanorum errores, num. 2. Eorum mores, & instituta, p. 548.

Mahumeti vita, & fraudes, pag. 534. à num. 5.

Mahumeti de Christo iudicium, num. 6. & p. 537. n. 10. & p. 554.

Mahumetus de seipso quid dictitaret, p. 535. num. 8.

Mahumeti Regis iam facti decreta, num. 9.

Mahumetus quo tempore floruerit, & quot annos vixerit, p. 535. n. 9.

Mahumetanæ sectæ introductio, pag. pag. 536. n. 10.

Mahumeti nativitas, parentes, & iuventutis officia, ibid.

Mahumeti de Virgine Maria iudicium, num. 11.

Mahumetus solitariam vitam incipiens, quomodo à Dæmone sit deceptus, n. 12.

Male fert ab vxore sua Cadixa irrideri, p. 538 num. 12.

Mahumeti in fingendis revelationibus callidita, ibid. & p. 539.

Mahu-

Mahumetus à Sergio seductus contra divinitatem Christi incipit prædicare, pag. 539.

Ob seditionem Mechæ ortam contra ipsum fuga Almenidam petit, ibid. Aiebat Deum cum ipso dispensasse vt plures quam quatuor vxores haberet, ibid.

Per scalam quandam in cœlos ascendens videt fabulosum paradysum, p. 540.

Renunciatur Rex, ibidem. Subigit Almedinam, & Iudæorum multos trucidat, ibidem.

Iugulatis Mechanensibus Equitibus, Mecham expugnat, & sub capitis pœna se Præphætam coli iubet, ibid.

Mahumeti historiam quomodo narrent Arabes, p. 541.

Mahumetus quas virtutes habuerit, pag. 542.

Mahumeti mors, ibid. Eiusdem ingentia vitia, p. 544.

Mahumetani resurrectionem à suo falso Prophæta prædictam expectantes, tandem fatigantur, & fœtidum corpus sepeliunt, ibid. & pag. 545.

Mahumeti legem deserunt plures, se deceptos dolentes, ibid. & p. 545.

Mahumeti successores in regia dignitate, ibid.

Mahumeti latus voravere canes, p. 547.

Mahumetanam sectam falsam esse demonstratur, pag. 549. & pag. 552. & pag. 553.

Mahumetana secta, vel ex eo falsa appareat, quod de ea disputare Alcoranus prohibeat, pag. 551.

Mahumeta secta contraria manifeste asseverat, p. 554.

Mahumeti sectam multi in hora mortis deserunt, pag. 555.

Cuius rei exempla ponuntur, p. 557. 558. 559. 560. & 561.

Mahumetani, qui patriam, divitias, vxores, immo, & regna vltro deserverunt, & ad Christianorum terras, vt veram fidem amplecterentur, appulere, probant sectam Alcorani falsam esse, p. 562.

Exempla ponuntur, ibid. & p. 563. 564. 568. & 569.

Mahumetus posuit hominis beatitudinem in carnalibus delectationibus, p. 573.

Mahumetus quot vxores habuerit, quot etiam suis in paradyso promiserit, pag. 575. & pag. 652.

Mahumetanorum sapientiores fatentur suum Prophætam erasse constituendo hominum fœlicitatem in carnis delectationibus, ibidem.

Mahumetus negans Christi divinitatem, convincitur falsitatis ex ijs quæ in Alcorano inservit, pag. 579. & seqq. item, pag. 588. cum seqq.

Mahumetus irridetur eo quod negaverit Deum habere Filium, quia non habet vxorem, p. 592. cum seqq.

Mahumetus stulte negat Trinitatem personarum eo quod ratione nequeat demonstrari, p. 604.

Mahumeti cum Simone Mago comparatio, pag. 605.

Mahumetus qui nihil credi vult, nisi demonstretur ratione, sine ratione vlla credi vult se esse Prophætam, ibid.

Mahumeti lex non successit legi Christi, sicut lex Christi successit legi Moysis, p. 618. & p. 621. p. 623.

Mahumetus falso asserit Evangelia fuisse adulterata à Christianis, p. 618. p. 622. pag. 636. cum seqq.

Mahumetus mentitur in Alcorano dicens se fuisse promissum à Præphætis, & ab ipso Christo, p. 622.

Mahumetus negat Christum fuisse crucifixum, sed alium hominem Christo similem, pag. 625. Impugnatur hic error pag. 626.

Mahumeti errores iam ante ipsius adventum erant ab Ecclesia Catholica damnati, pag. 637.

Mahumetani non possunt dicere Arrianorum fidem, quam ipsi partim sectantur, veram esse, pag. 639. & seqq.

Mahumetum non esse Prophætam ostendunt contradictiones manifestæ, quas inservit in Alcorano, p. 644.

Mahumetus cur suis vinum interdixerit, pag. 646.

Mahumetus iubet, & occidi incredulos, & nulli vim propter legem inferri, pag. 647.

Mahumetus cur tot contradictiones in Alcorano posuerit, p. 648.

Mahumetus pro temporum oportunitate contrarias ad invicem revelationes fingebat, pag. 648.

Mahumetani qui errores, & contradictiones Alcorani legunt, & eam legē nihilominus amplectuntur, inexcusabiles sunt, p. 649. & seqq.

Mahumetanus quidam suum de Alcorano, & Mahumeto iudicium aperit Patri Ignatio de las Casas Societatis Iesu, p. 650.

Mahumeti vita satis apertè monstrat, eum non fuisse Prophætam, p. 651.

Mahumetum mundat Angelus aqutta nigra, ideſt peccati fomite (inquit ipse) p. 651.

Mahumetus fingit, sibi permisisse Deũ vt omnes fœminas, etiam ancillas, aut cognatas, quæ placuerint, sibi adiungat, p. 652.

Mahumetus ob nimiam intemperantiam bis ad necem petitur, pag. 652. & seqq.

Mahumetus in adulterio deprehensus, periurium etiam adulterio addit, & Mauros scandalizat, p. 654.

Mahumetus de turpi libidine sese iactabat, p. 655.

Mahumeti doctrina, quam suis credendam proposuit, qualis sit, ibid.

Mahumetum esse virum sanctum cur Dæmon Mauris persuaserit, p. 656.

Mahumetus non habuit à Deo dispensationem ad nubendum cum pluribus vxoribus, pag. 662.

Mahumeti lex falsa ostenditur ob facilitatem quam in repudiando vxores permittit. Et cur eam repudij legem induxerit Mahumetus, p. 663.

Mahumeti lex non est immaculata, pag. 667. Reddit licitam simplicem fornicationem, ibid. & pag. 668. & pollutionem, ibid. & sodomiam, ibidem; imò & bestialitatem, pag. 669.

Mahumetus concessit quod multi possent vnam tantum mulierem habere, p. 670.

Mahumeti lex dicit licere veram fidem exterius negare, pag. 671. Permittit periuria, vindictam, alienas terras occupare, superstitiones, auguria, & veneficia, ibid. Prohibet virginitatem, & iubet omnes nubere cum vigesimum quintum annum attigerint, ibid. & seqq.

Mahumetani suos Morabitos ob castitatem, quam lex ipsis prohibet, venerantur, pag. 674.

Mahumetus ideo castitatem prohibuit, quia alios ex se iudicans eam obseruare impossibile existimavit, p. 675.

Mahumetus quot errores contra historiam in Alcorano invexerit, pag. 676. & seqq.

Confundit Matrem Dei cum Maria sorore Moysis, ibid.

Confundit Pharaonem regnantem tempore quo Moyses puer erat, cum eo, qui regnabat cum populus Israel liber iussu Moysis evasit, ibid.

Mahumetus tribus tantum diebus ait mutum fuisse Zachariam, p. 676.

Confundit factum Gedeonis cum facto Saulis, p. 677.

Historiam Abelis, & Caini fabulose narrat, ibid. Sicut & Angelorum peccatum, ibidem. Angelos fingit ex igne factos, pag. 678. Causam dilubij fuisse idolatriam, ibidem. Exodi Historiam quot fabulis respergat, ibidem.

Mahumetus in Scriptura prænuntiatus est, non quidem nomine Prophætæ, vt ipse mentitur, sed nomine Pseudo-Prophætæ, pag. 679.

Mahumetus est sessor equi pallidi, cui nomen mors, p. 680.

Mahumetus Noemi historiam fabulis fœdat, ibidem. Errat etiam in factis Abrahami, Loth, & Iosephi, p. 681.

Alexandro Regi ait dedisse Deum omnium rerum scientiam, ibid.

Angeli Anunciationem ad Mariam Virginem quomodo narret, pag. 682. Quam item fabulose narret B. Virginis partum, pag. 684.

Mahumeti errores contra Mathematicam, & quid de sideribus senserit, pag. 685.

Ait item terræ globum inniti cornibus tauri, & huius motione contingere terræ motum, ibidem. Quem numerum cœlorum ponat, ibidem.

Mahumetus miraculose lunam dividit, duas eius partes abscondit in manicis subuculæ, & postea inter se illas coniungit, vt fabulatur ipse, pag. 686.

Mahumetus ait bruta etiam resurrectura in die iudicij, & taurum cornupetam sui facti rationem redditurum, arietes vero mactatos in die Paschatis futuros preces pro ijs, qui eos iugulaverunt, ibidem. Loco Isaac suffectum ait arietum, qui per quadraginta annos paverat in Paradyso, ibid.

Mirabilem inducit formicæ vocem, quam à tribus milliaribus audivit Salomon, ibid.

Mahumetus divinam lędit misericordiam asserens Deum non remittere peccata magna, nec pravos ad rectam viam perducere, pag. 687.

Mahumetus, quia miracula facere non poterat, falso aiebat, nihil ea prodesse ad infidelium conversionem, ibid.

Mahumetus quantum erret contra Dei providentiam, dicens Deum amicis suis in hac vita non permittere tribulationes, pag. 688. Nec à Diabolo tentari, p. 689.

Mahumetani cur non tententur à Dæmone, vt deserant suam sectam, p. 690.

Immo quam id Dæmon molestè ferat, recenti declaratur exemplo, ibid.

Mahumeti error contra Dei iustitiam, impios tantum punientem, p. 691.

Mahumetus quomodo suos extrahat ab interno, ibid.

Mahumetani, quamvis peccata multa commiserint, dummodo in Deum, & Mahumetum credant nulla pœna puniuntur, p. 692.

692. Resurgunt statim ac spelliuntur, & in ipso sepulcro vsque ad diem iudicij permanent, p.693.

Mahumetus liberat ab inferno Dæmones, qui in eum crediderant, ibid.

Mahumetus fatum inducit, nobis libertatem adimit, & Deum facit Authorem peccati, p.694.

Mahumetanorum stulta responsio: *Christianus ero cum Deus voluerit*, multis reijcitur, pag.695.& seqq.

Mahumetus Angelo duce Hierosolymam vehitur, excipitur à Prophætis, ascendit per scalas in cœlos, & alia deliria, pag.698.

Multas circa Salomonem, Davidem, & Moysem fabulas texit, pag.699. Carnis suinæ prohibendæ quam dederit rationem, p.700.

Mahumeti legem non esse à Deo ostenditur eo quod animas non convertat, pag.700.

Mahumetanorum sancti, quos Morabitos, aut Turlachos vocant, quam turpes sint, ibid.

Mahumetani bonis aliquot operibus plenissimam peccandi licentiam acquirunt, ibid. Habent in honore amentes, ibid.

Mahumeti lex caret medijs quibus ad sanctitatem pervenitur, pag.701. Caret oratione, nam suam Zalà oratio non est, ibid.

Mahumetanorum lotiones, & lavacra quã superstitiosa sint, pag.702.

Mahumetanorum ieiunium, quamque illud sit à Dei, & naturali lege alienum, pag. 703.

Mahumetus quot de seipso miracula narret, p.703.& seqq. Quot item de ipso narrent Sarraceni, p.704.

Quæ sint obseruanda in conversione Mahumetanorum, p.704. Publicas conciones ad illos haberi plurimum expedit, ibid. Quomodo ad istas conciones vocandi sint, pag. 706.

Preces, eleemosinæ, ieiunia, & alia pia opera à fidelibus Deo offerenda pro Maurorum conversione, & de exemplis, quæ ab Hispalensibus exhibita sunt pro opere tam pio, pag. 708.& seqq.

Quantum ea exempla Mahumetanos moverint, p.709. Puella sexennis enixe orat pro ancillæ conversione, vitam suam pro eius salute Deo offert, & à Deo exauditur, ibidem, & seqq.

Mahumetanos ad fidem conversos expedit magna pompa baptizari, pag.710.

Mahumetana puella in sua secta tenacissima viso apparatu quo alij baptizabantur, & eorum lætitia, Baptismum petit, ibidem. Alia eiusdem rei exempla, pag.711.

Mahumetanorum perfidia, qui postquam veritatem cognoverunt, eam amplecti detrectant, quomodo sit emolliendæ, pag.712. Eorum moræ quomodo rumpendæ, pag. 713.

Mahumetanis, quarum duritiem flectere nequit, quid debeat Christi prædicator consulere, pag.713.& seqq.

Pro concionibus ad Mahumetanos habendis themata aliqua, pag.714.& seqq.

Mahumetani cogi possunt ad audiendum Verbum Dei, licet non ad recipiendam fidem, ibid.

Mahumetani tenentur inquirere, num sua lex à Deo data sit, p.716.

Maiestas.

Maiestas divina non retrahit Deum à sui communicatione, p.165.num.30.

Malitia.

Malitiam non constituit omne illud quod movet ad odium, p.33.num.20.

Malitiam esse essentialem actioni malæ specioſa ratione suadetur, p.34.n.23.

Malitiam peccati ne quidem in obliquo constituit bonitas Dei, p.34.num.26.

Malus.

Mali sunt instrumentum, quo Deus vtitur, vt corrigantur boni, & electi, pag.689.

B. Maria V.

B. V. Maria non aliter potuit liberari à peccato originali contrahendo, quam si fuerit excluſa à pacto, p.70.num.22.

Non stat Virginem Mariam peccasse in Adamo, & non contraxisse peccatum originale, ibid.tota sect.

Si V. Maria inclusa fuit in pacto, peccavit in primo instanti sui esse, & sic in illo non potuit liberari, p.71.num.29.

Si V.Maria peccasset in Adamo, quomodo per merita Christi præservata fuerit ab originali culpa, p.75.tota disp.

V.Maria postquam fuit electa in Matrem Dei non debuit subijci communi pacto, pag. 76.num.4.

B.Virgo nec peccavit in Adamo, nec debitum peccati contraxit, pag.81.tota sect.

Maior indecentia foret Virginem fuisse dignam privari gratia, & gloria, quam de facto illa privari, p.81.num.16.

Nec minus debuit à debito præservari, quam à fomite, p.83.num.21.

B.Virgini sunt concedenda ea privilegia, quæ negata fuisse efficaciter non convincitur, pag.83.num.22.

B.Virgo non comprehenditur sub propositionibus generalibus, p.84.n.26.

V.Maria potuit comprehendi sub lege de transfundenda iustitia, quin comprehenderetur sub lege de transfundendo peccato, p.85.num.31.

Ex quo B. Virgo fuerit subiecta morti, non sequitur ipsam peccasse in Adamo, pag. 86. num. 37.

Vt B. Virgo fuerit redempta satis est, quod ob merita Christi fuerit excepta à pacto, pag. 86. num. 41.

B. Virgo fuit redempta redemptione præservativa, pag. 87. num. 42. & seqq.

Modus excipiendi Virginem à peccato originali propter merita Christi inventus à Card. de Lugo, pag. 101. num. 46.

Defenditur speciali via sententia Cardinalis, pag. 101. num. 47.

Alia via excipiendi Virginem à peccato, pag. 102. tota sect.

Præservatio Deiparæ licet antecedat mortem Christi materialiter sumptam, subsequitur tamen ad prævisum meritum passionis, pag. 103. num. 55.

V. Maria est subiectum pœnitentiæ, pag. 382. num. 60.

B. Mariæ Virginis laudes habet Mahumetus in Alcorano, pag. 537. num. 10. & 11.

B. Mariæ virginitas post partum etiam cõservata probat Christi divinitatem, p. 583.

B. Mariam esse Dei Matrem probant innumera miracula in huius doctrinæ confirmationem edita, p. 601.

B. Mariæ Virginis Cæsaraugustanæ miraculum insigne refertur, pag. 601.

B. Mariæ facta fuit Anunciatio in domo sua contra Alcoranum, p. 682. Eius laudes in Alcorano repertæ, ibid.

B. Mariæ factam Anunciationem in domo sua probat miraculosa eius in Lauretanam translatio, pag. 683.

B. Mariæ Virginis partum quam fabulose narretur in Alcorano, pag. 684.

Martyres.

Martyrum constantia firmum est argumẽtum divinitatis Christi, pag 531. num. 96. & pag. 643.

Martyrum numerus quantus sit, ibidem, & pag. 570.

Martyrium.

Martyrium subiturus non potest sibi persuadere se à Deo damnandum esse, si mortem eligat magis quam eum offendere, pag. 392. num. 36.

Materia prima.

Materia prima proprie non subsistit, pag. 305. num. 5.

Matrimonium.

Matrimonium secundum, vivente prima vxore est nullum, pag 659. Etiam vbi prima propter adulterium dimittitur, pag. 659.

Matrimonij contractus esset iniustus, nisi vir æque traderet vxori potestatem corporis, sicut vxor eam viro tradit, pag. 660.

Matrimonium non dissolvitur adhuc facto per fornicationem repudio, pag. 666.

Matrimonij fines quatuor enumerantur, pag. 670.

Medium.

Media quando necessario amentur, posito amore finis, pag. 26. num. 4.

Memoria.

Memoriæ occurrit id etiam de quo prudenter dubitamus, pag. 444. num. 34.

Meritum.

Meriti valorem non constituit omne illud quod movet ad remunerandum, p. 33. n. 20.

Meriti rationem non tollit quod opus sit alias debitum, p. 223. num. 21.

Messias.

Messias Iudeis promissus futurus erat Deus, pag. 585.

Messias futurus erat salvator à miserijs spiritualibus, p. 586.

Michael.

D. Michael de Mañara insignis sanctimoniæ vir, pag. 707. Quid Deo promiserit pro cuiusque Maurorum conversione, pag. 708.

Miles.

Miles cadens in pugna quomodo possit absolvi, si nulla tunc exhibeat pœnitentiæ signa, p. 419. num. 48.

Minister.

Minister tenetur quandoq; sub gravi culpa in cõficiendo Sacramento aliquid apponere, quod ad eius substantiam non pertinet, pag. 451. num. 14.

Minister Sacramenti non potest ponere materiam dubiam, & incertam, relicta tutiori, pag. 452. num. 16. Secus in casu necessitatis, ibid.

Minister Sacramenti pœnitentiæ, nequit vnum peccatum remittere, & aliud retinere, pag. 478. num. 58.

Miraculum.

Miraculum quid sit, pag. 510. num. 12.

Miracula à Christo facta eo fine sunt facta præcipue, vt eius divinitatem ostenderent, num. 13.

Miraculum est opus solius Dei, pag. 511. num. 17.

Miracula fieri non possunt in confirmationem doctrinæ falsæ, pag. 517. num. 20. & seqq.

Miraculum est sygillum Dei ad confirmãdam rem, cui confirmandæ fit, pag. 513. num. 24.

Miracula vera qua via possint discerni à falsis, pag. 515. num. 35.

Miracula, quæ facta prædicantur, cur modo non fiant, p. 529. num. 86.

Miracula quæ à Deo facta sunt, vt V. Maria Mater Dei esse cognosceretur, eam esse Dei Matrem ostendunt, p. 601.

Miracula signo Crucis facta probant Christum in ea mortuum fuisse, p. 627. & seqq.

Miracula quantum prosint ad infidelium conversionem, p. 687.

Miracula Mahumeti, pag. 703. & 704.

Miracula, non fiunt à Deo sine necessitate, pag. 712.

Missionarius.

Missionarius quid agere debeat, vt vsus cõfessionem generaliũ, in ijs qui peccata tacuerunt, facilitetur, pag. 465. num. 3.

Missionarius quomodo debeat infidelibus probare mysteriorum nostræ fidei veritatem, pag. 615.

Missionarius quid agere debeat ad cõvertendos Mahumetanos, p. 704. Quãtum interfit publice ad illos conciones habere, ibid.

Missionarius quomodo debeat emollire duritiem eorum, qui veritatem agnoscẽtes, eam amplecti detrectant, p. 712. Obstinatis quid consulere debeat, pag. 713.

Modus.

Modus cum re cuius est modus non facit aliud, sed rem constituit aliter se habentem, pag. 270. num. 54.

Modus essendi quomodo sequatur modum operandi, pag. 361. num. 38.

Morabiti.

Morabiti, qui Sancti inter Mauros habentur, quam turpes sint, pag. 700.

Motus.

Motus definitio exponitur, p. 250. num. 9.

Moyses.

Moysis sepulchrum cur ignoretur, exponitur à Mahumeto, pag. 699.

Mundus.

Mundi huius, vel illius productio est moraliter necessaria Deo, pag. 164. à num. 24.

Cur non sit moraliter necessaria multiplicis mundi productio, pag. 164. num. 27.

N

Natura.

NATVRA connectitur cum modo perfectatis à se non exacto, p. 270. n. 55.

Natura non eget subsistentia propria ad operandum, pag. 271. num. 57.

Nec ad id exigit vage propriam, vel alienam subsistentiam, ibid.

Natura dupliciter terminari dicitur, pag. 273. num. 67.

Natura divina (non tamen creata) exigit positivam personalitatem, pag. 333. num. 65.

Natura quomodo petat esse suppositum ad operationem, pag. 334. num. 67.

Necessitas.

Necessitas proveniens à suppositione non libera, & constituens actum primum est necessitas antecedens, pag. 368. num. 19. & 20.

Negligentia.

Negligentia in discutienda conscientia si gaviter sit culpabilis, quomodo dici possit probabile esse non reddere confessionem invalidam, pag. 488. num. 89.

Nestorius.

Nestorianæ hæresis dilucida explicatio, p. 250. num. 11.

Nolitio.

Nolitio quandoque est odium, quandoque non, pag. 22. num. 36.

Nomen.

Nominis substantivi vnitas, vel pluralitas quando attendatur secundum formam significatã, p. 289. n. 41. & seq. & p. 190. num. 45.

Notitia.

Notitia præcepti est necessaria ad posse obedire, pag. 365. num. 4.

Notitia, & intimatio præcepti constituit proximam potẽtiam ad actum specialis obedientiæ, pag. 366. num. 12.

Notitia præcepti movet ad eliciendum actum, pag. 368. num. 20.

Numerus.

Numerus in concretis substantivis afficit prædicatũ, in adiectivis subiectum, pag. 294. num. 51.

O

Obedientia.

OBEDIENTIA quando est imperfecta, pag. 348. num. 27.

Obedientiæ perfectioni non derogat, si se submittat, qui facile poterat ab imperio se eximere, pag. 348. num. 27.

Obedientiæ actus liber non est, vbi agens non potest facere, ne talis actus prodeat ab ipso, pag. 365. num. 8.

Obiectum.

Obiectum materiale virtutis pœnitentiæ, pag. 383. num. 65. & seqq.

Obligatio.

Obligatio ex iustitia non statim dat ius creditori ad quosvis vsus, p. 234. num. 46.

Obligatio ex iustitia Dei dominium non lædit, p. 231. num. 29.

Obligatio præcepti potest extendi ad instans, in quo eius observatio libera sit impossibilis, pag. 343. num. 8.

At quia fuit immediante libera in instantibus antecedentibus, pro eo instanti est saltem mediate libera, p. 346. n. 18.

Obligatio nos redimendi non fuit in Christo naturalis, p. 350. num. 33.

Obſequium.

Obſequium quando debeat habere æqualitatem cum iniuria ad hoc vt ſit condigna ſatisfactio, p. 172. num. 11.

Quænam obſequia poſsit exigere Deus à peccatore ob culpã admiſſam, p. 173 à n. 14.

Odium.

Vnum Dei odium, quomodo dicatur maius alio, p. 43. num. 62 & p. 122. num. 52.

Quid ſit odium inimicitiæ, quo Deus odio habet peccatorem, pag. 120. num. 49. & pag. 123. num. 56. pag. 175. n. 30.

Odiũ abominationis Diuinæ non reſpicit peccatorem, ſed peccatum, p. 122. num. 53.

Huius odij natura exponitur, ibid.

An omne odium ſit velle alicui malum, pag. 123. num. 55.

Odium peccati præteri nõ elicitur, ſed imperatur à pœnitentia, p. 379. num. 42.

Offenſa.

Offenſam eſſe in offenſo falſo aliqui Ariſtotelis adſcribunt, p. 44. num. 71.

Offenſæ ſubiectum morale an ſit Deus, pag. 44. tota ſect.

Offenſa cur participet à Deo ſuperioritatem ordinis, non infinitatem, p. 47.

Offenſa Dei vnde habeat eſſe in ordine ſuperiori, p. 47. num 80 p. 196. num. 37.

Vnde deinde limitetur ne ſit infinita, pag. 47. num. 83.

Offenſa eſt maior per hoc præſciſſe quod cum maiori cognitione eliciatur, p. 48. n. 86.

Offenſa creſcit ad dignitatem perſonæ offenſæ geometrice, nõ aritmetice, p. 48. n. 87

Omiſsio.

Omiſsio pura quomodo accipiatur, p. 1. n. 1

Omiſsio actus inſtante præcepto, eſſet peccatum, pag. 1. num. 2. & pag. 12. num. 41.

Omiſsio pura peccaminoſa repugnat, pag. 3. num. 8.

Omiſsio pura vnius rei nequit eſſe amor alterius, pag. 3. num. 10.

Omiſsio nequit dari ſine motivo omittentis, pag. 4. num. 13.

Omiſsio non eſt determinata, vt oriatur ab omni fine ad quẽ deſeruire poteſt, p. 5. n. 16.

Omiſsiones non multiplicatur ob finium multiplicitatem, p. 6. num. 18.

Omiſsionem procedere ab hoc motivo, nõ eſt voluntatẽ ex cõplacentia illius finis omittere, nõ omiſsurã ſi non præcederet cognitio, & cõplacentia talis finis, p. 7. n. 21. & 4. ſeqq.

Omiſsio pura peccaminoſa repugnaret, etiamſi poſsibilis foret pura omiſsio libera, pag. 9 num. 31.

Omiſsio vt ſit honeſta debet habere motivum honeſtum, p. 10 n. 34.

Omiſsio intenſionis actus poteſt eſſe pura, licet nõ poſsit eſſe pura actus præcepti omiſsio, pag. 10. num. 35.

Omiſsio intenſionis actus nec eſt peccaminoſa, nec honeſta, pag. 10. num. 36.

Omiſsio intenſionis actus eſt imperfectio moralis, licet non præcedat cognitio talis imperfectionis, p. 10. num. 37.

Omiſsio vt ſit peccaminoſa petit, vt omittens cognoſcat malum eſſe ſic omittere, ibid.

Omiſsio intenſionis præceptæ eſſet peccaminoſa, p. 10. num. 38.

Omiſsio pura, ſi ſit poſsibilis, ea nec debet eſſe honeſta, nec peccaminoſa, pag. 11. num. 39. & ſeqq.

Omiſsio pura, non eſt poſsibilis pro eventu in quo voluntas habet libertatem contrarietatis, pag. 13. num. 45.

Omittẽs pure omiſsione peccaminoſa odio haberet ſuam felicitatem, p. 14. num. 49.

Omittens omiſsione peccaminoſa directe movetur complacentia boni, ob quod omittit, pag. 15. num. 52.

Omiſsio libera quibus caſibus ſit poſsibilis, pag. 19. num. 66. & ſeqq.

Omiſsionis puræ peccaminoſæ impoſsibilitas noua ratione ſtabiliter, p. 20. n. 70.

Ad omiſsionem purã non requiritur, quod ponatur in volũtate cognitio reflexa de actu, & eius omiſsione, pag. 21. num. 75.

Omittens pure amorẽ, non propterea operatur intendens carentiam boni proprij, ibid.

Omiſsio libera non peccaminoſa probabiliter ſtatuitur, p. 25. num. 89.

Deum poſſe pure omittere, non evincit id poſſe creaturam, p. 26. num. 65.

Quid ſentiat D. Thomas de pura omiſsione peccaminoſa, p. 27 tota ſect.

Omiſsio rei debitæ eſt in Deo vſus poteſtatis abſolutæ, pag. 226. num. 7.

Omiſsio actus præcepti ſuppoſito præcepto, eſt coniunctio omiſsionis cum præcepto, pag. 369. num. 24.

Omittens aliquod peccatum ſcienter cur nullam faciat confeſsionem, p. 430. num. 20.

Opera.

Quodlibet puri hominis opus compenſatur ad æqualitatem per donum longe inferius, quam ſit perſeverantia, p. 195. num. 13.

Opera Chriſti merentur omne præmium poſsibile, pag. 216 num 7.

Opinio.

Opinio de peccato commiſſo, licet cum formidine partis oppoſitæ, parit obligationẽ confitendi, p. 438 num. 10. & p. 139. num. 15.

Opinio de non commiſſo peccato, licet cũ formidine partis oppoſitæ, talem obligationẽ non parit, pag. 138. num. 10.

Opinio probabilis, relicta probabiliori, ſe

tutiori qualis in praxim deduci posit, posito quod liceat, pag. 440. num. 22.

Opinio probabilior in rebus moralibus sufficit ad generandam moralem quandam securitatem, pag. 441. num. 25.

Opinionis probabilis vsus in conferendis Sacramentis relicta tutiori, quo sensu ab Innocentio XI. damnetur, pag. 451. num. 14.

Opinio exiguæ probalitatis non potest ad praxim deduci, pag. 492. num. 101.

Opinio minus tuta quãdo possit ad praxim deduci ibid.

Oratio.

Oratio est vniversale instrumentum ad sanctitatem, pag. 701.

Quomodo ea vtantur Mahumetani, ibid.

Originale.

Originale peccatum quid sit iuxta varios Authores, pag. 50. à num. 1.

An & quomodo debeat esse voluntarium parvulis, pag. 52. à num. 9.

Cur dicatur peccatum naturæ, p. 53. n. 14.

Consistit in reatu, pag. 58. sect. 5.

Error Pelagij circa peccatum originale, pag. 61. sect. 7.

Peccatum originale propagatione, non imitatione trasfunditur, pag. 61. num. 51.

Inest vnicuique proprium, p. 62. num. 52.

Peccatum vnius potestalium peccatorem denominare, pag. 63. num. 60.

P

Pactum.

QVale pactum Deus iniverit cum Adamo pag. 55. num. 21.

Fuit vero necessariũ pactũ ad transfusionẽ, seu iustitiæ, seu maculæ, pa. 55. n. 22.

Sed ad pactum necesse non fuit expectare consensum Adami, pag. 55. num. 24.

Pactum hoc involvebat decretum efficax privandi iustitia, gratia, & gloria ipsum Adamum, & posteros sub conditione violationis præcepti, pag. 70. num. 22.

Paradysus.

Paradysus à Mahumete suis promisus rationalem naturam dedecet, & quæ bona in eo collocet, pag. 573. cum. seq. & p. 577. & seq.

Pars.

Pars non dicitur habere totum, sed è contra, pag. 612.

Partes autem in sese, & habere, & haberi dicuntur, ibid.

Parvuli.

Parvulos in Adamo peccasse quid sit, p. 52. num. 9. & 14. cum seq. pag. 79. num. 7.

Parvulorum volũtates quomodo sint transfusæ in Adami voluntatem, pag. 54. num. 17.

Id ipsum declaratur exemplis, p. 54. n. 18.

Parvuli à peccato Adami denominantur digni privari gratia, & gloria, pag. 63. n. 58.

Parvuli peccando in Adamo contrahunt debitum proximum maculæ originalis incurrendæ in primo instanti suæ existentiæ, pag. 66. num. 8. & pag. 71. num. 30.

Nascuntur ergo digni privari gratia. & sic non possunt pro posteriori illius instãtis iustificari, pag. 72. num. 33.

Secus vero pro instanti sequenti, & inter vtrumque instans rationes diversitatis assignantur, pag. 73. num. 35.

Non omnes parvuli intelliguntur peccare pro eo signo, quo ipse Adam peccavit, pag. 101. num. 47.

Pater.

Pater cur non dicatur subsistere per spirationem activam, pag. 319. num. 52.

Pater non dicit ex suo concepto esse personam, pag. 339. num. 15.

Patres.

Patres antiqui quomodo adventum Christi postulaverunt, pag. 166. num. 47.

Peccator.

Peccator peccans in alio, non debet intelligi indifferens in eo signo in quo intelligitur proxime capax, pag. 102. num. 50.

Peccator meretur per peccatum privationem omnis gratiæ possibilis, p. 196. à n. 20.

Peccator absque nova culpa non potest cõcipere propositum efficax differendi contritionem vsque ad mortis articulũ, p. 405. n. 26.

Peccatum.

Peccatum non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, ratione singulari monstratur, pag. 29. à num. 4.

Peccatũ nequit à Deo permitti nisi ratione boni, in quo magis cõplaceat, quã in peccato displicebat, pag. 30. num. 4. & sequent.

Peccatum nihil intrinsece includit infinitè displicens Deo, p. 31. num. 11.

Peccati malitia crescit, crescente conatu voluntatis, & claritate cognitionis, pag. 31. num. 12.

In peccato nequit distingui malitia desumpta per ordinem ad Deum à ratione offensæ, pag. 32. num. 14.

Peccatum non ita gravificatur in ratione offensæ à Maiestate divina, sicut opera Christi dignificantur in ratione meriti à suppositio divino, ibid.

Peccatum nec in ratione Deo displicẽtis, nec in ratione offensæ, (quod perinde est) cõstituitur per infinitam Dei maiestatem vt est in se, pag. 32. num. 13.

Et alioqui etiam veniale per eandem constitueretur, pag. 34. num. 26.

Neque merita Christi superarent gravitatem offensæ, pag. 35. num. 30.
Vnio moralis, quã aliqui fingunt, Dei cum peccante non facit maiorem offensam, immo nec vnio physica, pag. 35. n. 32. & 33.
Si peccatum sit infinitum, tollitur peccatorum inæqualitas, pag. 36. num. 37.
Peccatorum inæqualitas etiam in ratione offensæ suadetur, pag. 37. num. 39.
Peccatũ si sit infinitũ in ratione offensæ est infinitum in ratione malitiæ, p. 39. num. 46.
Peccatum non est simpliciter infinitum in ratione demeriti, pag. 39 num. 49.
Vnum peccatum maius supplicij meretur, quam aliud, ibid
Nullum peccatum meretur pœnam sensus infinite intensam, pag. 40. num. 50.
Peccatum mortale quo sensu sit supra satisfactionem creaturæ pag. 41. n. 56.
Peccatum non potest mereri omnem pœnã possibilem, quin mereatur summam, infinitãque offensionem Dei, pag. 42. num. 61.
Peccatum veniale proprie est offensa Dei, pag. 43. num. 65.
Peccatum mortale, & veniale analogice conveniunt in ratione peccati, ibid.
Deus nec affective subijcitur mortali offensæ, pag. 45. num. 74.
Peccati offensa trahit à Deo superioritatẽ ordinis, non tamen infinitatem, p. 46. num. 76.
Peccatum mortale plus supplicij meretur, quam meretur præmij actus charitatis infinite intensus, pag. 49. num. 92.
Peccatum habituale an possit amari à Deo, ex aliqua suppositione, 56. n. 27.
Peccatum habituale distinguitur ab actuale moraliter perseverante, pag. 58. num. 33.
Peccatũ nequit à Deo remitti, quin remittatur æterna pœna dãni, & sensus, p. 60. n. 45.
Peccatum habituale personale quid sit, pag. 64. num. 61.
Peccatum habituale non consistit in privatione gratiæ, pag. 73. num. 37.
Peccatum habituale potius explicari debet per reatum pœnæ, quam per dignitatem odij, pag. 74. num. 40.
peccatum veniale nequit esse adæquate remissum manente reatu ad aliquam pœnam, pag. 104. tota disp.
Sequitur hoc ex sententia explicante peccatũ habituale per reatũ, p. 105. n. 2. & 5.
Vnde nec peccatum mortale potest remitti ad huc de potentia absoluta, manẽte reatu ad æternam pœnam, pag. 16. num. 7. pag. 118. num. 45. & pag. 177. n. 38.
Immo, nec est adæquate remissum manente reatu ad pœnam Purgatorij, pag. 109. num. 17. & pag. 127. tota disp.
Neque opponitur hoc Tridentino p. 111. à num. 22.
In peccato mortali distingui debet aversio à Deo, & conversio ad bonum commutabile, pag. 328. num. 7.
Peccatum mortale potest manere in ratione peccati, quin maneat in ratione mortalis, pag. 134. num. 20.
Discrimen inter mortale, & veniale quoad hoc quod est tolli maculã ab vtroque relictã, pag. 136. n. 25. & seq.
Peccatũ nequit essentialiter supponere cognitionem supernaturalem, p. 144. n. 28.
Peccatũ habituale vt habituale, nõ ita actuale, à solius Dei voluntate pendet, p. 149. n. 35.
Peccato quoad culpam delecto, non manet ius in Deo ad exigendam vlteriorem satisfactionem pro culpa, pag. 174. num. 23.
Peccato essentiale non est constituere hominẽ dignũ carere Redemptore, p. 190. n. 99.
Peccatũ est stricta iniuria Dei, p. 237. n. 2.
Peccatum super omnia detestati quid sit, pag. 391. num. 29.
Peccata in instanti Baptismi terminata non pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, sive obicis sint, sive alia, pag. 432. num. 10.
Peccata existimata non sunt sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, p. 434. num. 2.
Peccata negative dubia confitenda sunt, pag. 443. num. 32.
Peccata certo commissa, de quibus tamen dubitatur an sint confessa, quando sint ex obligatione confitenda, pag. 446. num. à 49.
Peccatum habens circunstantiam mutantẽ speciẽ, est equivalẽter multiplex, p. 453. n. 18.
Peccatum vnum remitti nequit, quin omnia remittantur, pag. 479. num. 58.

Pœna.

Pœna debita actuali peccato respondet in inferno habituali, & non alia nova, p. 57 n. 33.
Pœna æterna nequit à Deo infligi, sive ea sensus, sive damni sit, ob peccatum iam dimissum, pag. 136. num. 28.
Pœnę inferni necessitant moraliter ad peccandum, pag. 184. num. 70.
Pœnarũ inferni electio, etiam ad vitandũ peccatũ, foret actus turpis, p. 391. n. 32. & 33.
Pœna temporalis quomodo possit esse motivum sufficiens attritioni, p. 400. num. 77.

Pœnitens.

Pœnitens nõ potest adducere materiã probabilẽ Sacramẽti, relicta tutiori, p. 453. n. 19.
Pœnitens in articulo mortis non potest voluntarie accedere ad confessionem cum sola attritione cognita, pag. 454 num. 21.
Pœnitens potest omittere circunstantiam notabiliter intra eandem speciem aggravantem adhuc post Bullam Innocentij Vndecimi p. 455. n. 24.

Pœ-

Pœnitens omittens per ignorantiam invincibilem circunſtantiam mutantem ſpeciem, non faceret cõfeſsionem formaliter integram pag. 458. num. 34.

Idem eſt ſi omittat ſufficientem conſcientiæ diſcuſsionem, licet bona fide crederet adhibitam, pag. 461. num. 42.

Pœnitentem qui omiſsit culpabiliter examen debitum conſcientiæ, quo ſenſu ſit probabile, facere confeſsionẽ validã, p. 487. n. 85.

Pœnitens quando habeat fundamentũ ad exiſtimandum ſe non feciſſe validam confeſsionem, pag. 502. num. 32. cum ſeq.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Pœnitentiæ Sacramenti partes quot ſint, pag. 407. num. 2.

Pœnitentiæ Sacramentum, quam coniunctionem petat inter materiam, & formam, pag. 412. num. 15.

Pœnitentiæ Sacramentum quo differat à Sacramento Baptiſmi quoad hoc quod eſt cõferri poſſe ægroto ſenſibus deſtituto, pag. 417. num. 40.

Pœnitentiæ Sacramentum obtinet ſuum effectum, etiamſi attritio quam reus habet non ſit ex motivo dilectionis Dei, p. 423. n. 7.

Pœnitentiæ Sacramentum, quomodo reddat contritum ex attrito, pag. 425. num. 18.

Pœnitentiæ Sacramentum petere in attrito motivum dilectionis, quomodo poſſet defendi, pag. 425. num. 19.

Pœnitentiæ Sacramentum nequit fieri validum, & informe, pag. 428. num. 9.

Pœnitentiæ Sacramentũ conſtituitur tanquam ex parte ex illo dolore, (& non alio) qui ſufficiat ad peccatorum remiſsionẽ, n. 12.

Pœnitentiæ non ſubduntur peccata actu Baptiſmi terminata, pag. 432. num. 10.

Pœnitentiæ non eſt materia ſufficiens peccatum exiſtimatum, pag. 434. num. 2.

Pœnitentiæ Sacramento cõmutatur obligatio antiqua eliciendæ veræ conſtitutionis, in confeſsionem, pag. 444. num. 38.

Pœnitentiæ Sacramento conficiendo non ſufficit dolor inefficax, etſi bona fide efficax reputetur, pag. 465. num. 9.

Pœnitentia Virtus.

Pœnitentia eſt proprie virtus, p. 371. n. 1.

Pœnitẽtia eſt virtus ſpecialis, p. 372. n. 10.

Pœnitẽtia eſt virtus ſpecialis in omni actu ſuo peccatum ab ipſo pœnitente commiſſum ſupponens, pag. 375. num. 26.

Pœnitentię quam ſpecialem honeſtatem reſpiciat, pag. 376. num. 27.

Pœnitentia virtutis exercitium ſolum conditionate neceſſariũ eſt, vt quis perfectus evadat, pag. 376. num. 30.

Pœnitentiæ finis differt à finibus cæteratũ virtutum, pag. 377. num. 35.

Pœnitentia qualem compenſationem pro peccatis reſpiciat, pag. 379. num. 45.

Pœnitentiæ actus quomodo ſit neceſſarius ad impetrandã veniam peccatorũ, p. 380. n. 49.

Pœnitentia imperat dolorem de præteritis & propoſitum non peccandi de cætero, pag. 380. num. 51.

Pœnitentia virtus ſpecialis ſit ne vna, an multiplex, pag. 381. num. 52. & ſeq.

Pœnitentia virtus non eſt in Chriſto, pag. 382. n. 50. eſt tamen in B. Virgine, num. 60.

Pœnitentia manet in Patria, p. 382. n. 61.

Pœnitentia manet in peccatore pro ſtatu peccati, pag. 383. num. 62.

Pœnitentiæ materialia obiecta breviter explicantur, num. 66. cum ſeq.

Pœnitentia non reſpicit originale peccatũ, pag. 384. num. 69.

Pœnitẽtia non reſpicit peccata aliena, n. 71.

Pœnitentia eſt virtus moralis, num. 72.

Pœnitentia non reſpicit Deum, vt finem cui, num. 73.

Pœnitentia quam medietatem conſtituat, pag. 385. num. 76.

Pœnitentia non eſt Religio, nec iuſtitia vindicativa, nec pars ſubiectiva, ſed tantum poteſtativa commutativę iuſtitiæ, n. 77. & ſeq.

Perſona.

Perſonarum pluralitas in Deo contra Mahumetanos, pag. 587. & pag. 599. quomodo Filius proprie Deo conveniat ſine vxore contra eoſdem, p. 592. Vide Verbo *Trinitas*.

Perſona divina refundit infinitatem in opera Chriſti, pag. 215. num. 6.

Perſona Verbi quomodo ſupplet munus ſubſiſtentiæ humanitatis, p. 252. n. 17.

Perſonæ definitio, pag. 253. num. 20. & pag. 329. num. 45.

Incommunicabilitas propria perſonæ non eſt per vnionem, ſed per prædicationem, pag. 253. num. 20. & pag. 329. num. 46.

Perſonę increatis (ſecus in Deo) non multiplicantur multiplicata perſonalitate, & ratio diſcriminis, p. 253. n. 22. & 23. & p. 337. num. 8. & pag. 338. num. 11.

Perſonæ infinitæ proprium eſt alienã poſſe ſuppoſitare naturam, pag. 254. num. 1.

Perſona creata importat in recto naturã, n. 2.

Non poteſt vniri ſubſtantialiter alteri quin amittat ratipnem perſonæ, pag. 255. num. 5.

Non retinet conceptu perſonę quod exiſtit tanquam pars in toto num. 6.

Si tres divinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem forẽt tres homines, p. 277. n. 11.

Tres perſonę divinæ non ſunt tres habentes deitatem, pag. 280. num. 11.

Si tres perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, Pater non eſſet idem numero homo cum Filio, p. 284. n. 23.

Tres

Tres personæ tunc essent tres homines numero, non specie distincti, p. 301. num. 87.
Si vna persona assumeret tres humanitates esset vnus homo, pag. 303. num. 1.
Esse personam non intenditur per se à natura in creatis, pag. 332. num. 59.
Persona licet sit substantia potest involvere de obliquo negationem, pag. 333. n. 62.
Personæ divinæ cur sint tantũ tres, p. 611.

Personalitas.

Personalitas Verbi non reddit humanitatem subsistentem, pag. 251. n. 14.
Personalitas Verbi non personat humanitatem eodem sensu quo propria personalitas personat, p. 252. n. 18. & p. 330. n. 50, 51. & 52.
Personalitas Verbi non reddit humanitatẽ incommunicabilem alteri vt supposito. n. 19.
Personalitas supponit naturam, vt quo, pag. 263. num. 31.
Personalitates divinæ quomodo terminent divinam naturam, pag. 274. num. 67.
Personalitas Verbi non supplet munus propriæ subsistentiæ humanitatis, p. 330. n. 52.
Personalitas creata quatenus sit participatio personalitatis divinæ. pag. 333. num. 64.
Personalitates positivę cur à natura divina & non à creata exiguantur, p. 333. num. 65.

Polygamia.

Polygamia iure divino prohibita est, pag. 658. permittitur in Alcorano, ibid.
Polygamia est prohibitã etiam cum prima vxor ob adulterium dimittitur, p. 659.

Possessio.

Possessio quando faciat meliorem possidẽtis conditionem, pag. 445. num. 43.

Potentia.

Potentia constituitur proxime expedita ad actũ liberũ eisdẽ cõprincipijs, quibus redditur potens ad actus omissionem, p. 366. n. 12.
Potentia ad transgrediendum præceptum per quid constituatur, pag. 368. num. 21.
Potentia ad omissionem supposito præcepto, est potentia ad coniungendam omissionem cum præcepto, pag. 369. num. 24.

Potestas.

Potestas ministri est constitutivum intrinsecum Sacramenti, pag. 408. num. 9.

Præceptum.

Præceptum de non impedienda morte fuit Christo impositum, pag. 341. num. 1.
Quomodo componatur Christi impeccabilitas cum libertate ad obseruãdum præceptum, pag. 342. num. 6.
Præceptum Christo impositum tacitam conditionem habebat, pag. 343. num. 7.
Præcepti obligatio potest extendi ad aliquod instans in quo eius libera obseruatio sit impossibilis, n. 8 & n. 12. cum seq. licet sit libera mediate, p. 346. n. 18.
Præceptum Christo impositum fuit positivum, pag. 345. num. 16.
præceptum hoc non fuisse de morte libere acceptanda, an dici possit, pag. 346. num. 20.
Præceptum Christo impositum quas habuerit vtilitates, pag. 349. num. 29.
Non est præceptum naturale p. 350. n. 31.
Præceptum Christo impositum tolleret libertatem, prout explicatur à Thomistis, etiã eam non tolleret physica prædeterminatio, pag. 364. n. 4.
Præceptum contritionis non obligat statim, pag. 402. num. 2.
Præceptum contritionis vt obliget quale periculum requiratur, pag. 404. n. 15. & 17.
Præceptum imperfectæ contritionis an obliget quoties peccata occurrunt mẽti peccatoris, pag. 406. num. 27.

Prædestinatus, prædestinatio.

Prædestinatus debet dirigi per prædestinationem ad acceptandum aliquod beneficium supernaturale, pag. 296. num. 65.
Esse prędestinatum vt sit Dei Filius, quatenus Christo conveniat, pag. 297. num. 70.
Prædestinatus debet saltem ratione præcedere terminum prędestinationis, p. 299. n. 76.
Prædestinatio quomodo ab hominibus cõsiderari debeat, ne ipsis, aut desidiæ sit, aut desperationis occasio, pag. 695. cum seq.
Prædestinationis forma declaratur exemplis, pag. 696.
Prędestinatio quomodo libertatem non tollat, declaratur exemplo, pag. 697.

Prædicatores.

Prædicatores Catholici, in oris præcipuè Africæ finitimis, debent populo ostende motiva, quibus Catholica fides initur, p. 705.

Princeps.

Princeps quomodo dicatur ligatus legibus, p. 348. n. 25.

Principium

Principiũ sufficiens ad obediendum includit notitiam præcepti, 364. num. 6.

Priuatio.

Privatio gratiæ, aut gloriæ non est peccatum parvulorum, pag. 48. à num. 34.
Privatio quid requirat ad hoc vt sit malum æquale bono quo privat, p. 197. num. 26.

Productio.

Productio humanitatis non est idem cum Incarnatione, pag. 311. num. 23.
Productio termini cum alio vniendi non potest identificari cum vnione, num. 24.
Productiones in divinis numerandæ sunt per actionũ immanentium numerum, p. 611.

Propheta.

Propheta verus quomodo possit à falsis dignosci, pag. 651.
Propheta Mahumetanorum non tenentur lege

lege communi de non ducēdis plusquam quatuor vxoribus, sed quot voluerint ducere possunt, p. 653.

Propositum.

Propositum elicitum à pœnitentia supernaturali essentialiter supponit spem veniæ, pag. 377. num. 35.

Propositum contritionis non debet pertinere ad eandem virtutem, ad quam pertinet contritio pag. 380. num. 46.

Propositum efficax est necessarium saltem ad fructū Sacramenti Pœnitentiæ, p. 493. n. 1.

Propositum efficax est necessarium etiam ad Sacramenti valorem, pag. 497. num. 15.

Pura omissio.

Pura omissio libera. Vide omissio.

Purgatorium.

Purgatorij veritatem vnde probent Doctores, pag. 114. num. 31.

Purus homo.

Purus homo quid sit, pag. 251. num. 14. Vide verbo, homo.

Q

Quantitas.

QVantitas Eucharistica in ratione per se existentis constituitur per actionem creativam in recto, & carentiā vnionis ad substantiam de obliquo pag. 315. n. 37.

Quasi.

Quasi particula cur adita sit in Tridentino cum assignant materiam Sacramenti Pœnitentiæ, p. 377. n. 52.

R

Reatus.

REatus pœnæ quid sit, pag. 59. num. 40. Reatus pœnæ an maneat remissa culpa pag. 104. tota disp.

Reatus culpę venialis tollitur per tollerantiam pœnarum Purgatorij, p. 106. num. 6. & pag. 110. num. 21.

Qua ratione sit divisibilis iste reatus, pag. 116. num. 38.

Reatus ad pœnam nequit adæquatè remitti manente culpa, p. 123. num. 57.

Reatus pœnæ temporalis manens dimissa culpa mortali an & quomodo sit macula quędam levis, pag. 125. tota sect.

Reatus ad pœnā non subiacet iudicis arbitrio, p. 207. n. 15.

Relatio.

Relationes divinæ non sunt tres habentes deitatem, p. 280. n. 11.

Relationes Patris, Et Filij non possunt cōstituere idem numero rectum Spiratoris, pag. 293. n. 53.

Religio.

Religionis munus quodnā sit p. 385. n. 78.

Religiosus.

Religiosus satisfacit in cōfessione dicendo se habere votū castitatis. & contra eum peccasse, nec tenetur exprimere se esse Religiosum, pag. 462. num. 47.

Religiosus peccās cum religiosa debet exprimere circunstantiam proprij, & alieni voti, pag. 463. n. 49.

Religiosi Mahumetānorum quomodo viuant, p. 548.

Remissio.

Remissio peccati qua ratione sit tam bona, quam fuit malum ipsum peccatū, p. 202. n. 7.

Remissio an sit beneficium maius, quam præservatio à peccato, p. 203. n. 11. & 12.

Repudium.

Repudium an etiam in lege antiqua fuerit illicitum, pag. 664.

Repudium est contra rationem, pag. 665.

Repudium quot mala offerat, pag. 666.

Restitutio.

Restitutio quo distet à satisfactione, p. 181. num. 57. pag. 219. num. 12.

Restitutio non fit Deo, pag. 219. num. 13.

Restitutionis præceptum an sit positivum, pag. 345. num. 16.

Restitutionis leges diversæ sunt à legibus contritionis, pag. 402. num. 3.

Resurrectio.

Resurrectio Christi divinitatem eius clare probat, pag. 525. num. 71.

Resurrectionē Christi celandi quanta fuerit Iudæorum sedulitas, p. 576. num. 76.

Resurrectionem Christi non potuerunt Apostoli fingere, pag. 527. num. 81.

Resurrectionis carnis veritatem pulchrè probat Augustinus, p. 528. num. 83. & seq.

Revelatio.

Deus potest cogi à creatura ad non producendam aliquam revelationem, p. 155. n. 56.

Revelatio antea facta quomodo potest nūc impediri, p. 357. n. 22.

S

Sacerdos.

Sacerdos, qui peccavit contra votum castitatis, non debet in confessione exprimere se esse Sacerdoeem, sed sufficit si dicat, se peccasse contra votum, pag. 462. num. 46.

Sacerdos non accepit à Christo potestatē absolvendi eum, qui sine vllo efficaci dolore accedit, licet bona fide aliud pœnitens iudicet p. 501. n. 31.

Sacramentum.

Sacramentum informe quodnam sit; pag. 426. in proœm.

Sacramentũ Pœnitentię informe varijs modis ponitur ab Authoribus, qui omnes modi reijciuntur, pag. 477. num. 34. & 5.

Sacramentum Pœnitentię esse validum, & informe non potest, pag. 428. num. 9.

Sacramentum non conficitur, vbi non verificantur verba formæ, pag. 429. num. 15.

Sacramentum nequit in validum reddi per voluntariam omissionem eius quod non constituit Sacramentum, pag. 430. num. 19.

Sacramenti Pœnitentiæ necessitas vnde probetur, pag. 444. num. 36.

Sacramentorum minister non potest ponere materiam dubiam, aut incertam relicta tutiori, pag. 452. num. 16.

Secus in casu quo non esset copia materiæ certæ, ibid.

Sacramenti Pœnitentię institutio non indicat obligationem confitendi circunstantias intra eandem speciem nobiliter aggravantes, pag. 455. à num. 26.

Sacramentum Pœnitentiæ non conficit, qui integre formaliter non confitetur, pag. 474. num. 45.

Sacramentum Pœnitentiæ per eundem dolorem constituitur in ratione remissivi culpæ, & pœnæ, per quem in ratione Sacramenti, pag. 485. num. 79.

Sacramenti Pœnitentiæ ab humano iudicio discrimen, pag. 490. num. 97.

Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore efficaci nequit esse fructuosum, pag. 493. n. 1.

Immo nec Sacramentum, pag. 495. n. 9.

Sacramenta Reliqua discrepant à Sacramento Pœnitentiæ, quoad hoc quod est posse esse valida, & informia, pag. 501. n. 30.

Sacramenta novæ legis sine vlla Dei mutatione fecerunt vt cessarent veteris legis Sacramenta, pag. 671.

Sanctitas.

Sanctitas increata cur non æquæ sanctificet humanitatem, ac Deum, pag. 36. n. 34.

Satisfactio.

Satisfactio. Vide *Christus.*

Satisfactio an fiat propter aliquam culpã manentem dimisso mortali, pag. 128. n. 5.

Satisfactio pro peccato proprio est possibilis puto homini, si contritio sit forma sanctificans, pag. 170. num. 2.

Satisfactio condigna exponitur, pag. 171. num. 8.

Satisfactio Christi non supponit remissam aliquam debiti partem, pag. 189. num. 92.

Satisfactio decrescit ex eisdem capitibus ex quibus crescit offensa, pag. 195. num. 12.

Satisfactio pro peccato proprio non indiget acceptatione; secus si fiat pro alterius peccato, pag. 206. num. 7. & 8.

Satisfactio pro culpa non distinguitur à satisfactione pro pœna, pag. 206. n. 11.

Satisfactio quo differt à merito, pag. 214. num. 1.

Satisfactionẽ ex iustitia non impedit quod fiat ex bonis, quæ subiacent dominio creditoris, si simul debitoris dominio subiaceant, pag. 220. num. 15.

Nec item eam impedit gratia creditoris dantis debitori aliquid quo lucretur, vt satisfaciat, pag. 221. à num. 18.

Neque quod opus sit alias debitum, pag. 233. num. 21.

Nec quod alter pro altero satisfaciat, pag. 223. num. 24.

Satisfactio Christi an obligaverit Deum ad acceptationem, pag. 224. num. 26.

Satisfactio pro peccatis est prorsus impossibilis, nisi vere hominem de illis pœniteat, pag. 379. num. 45.

Satisfactio Deo exhibenda potissimũ consistit in actu interno, pag. 380. num. 46.

Satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, pag. 467. num. 2.

Satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, pag. 478. num. 54.

Satisfactionem esse partem Sacramenti idẽ est, ac esse medium ad remissionem pœnæ temporalis, p. 478. n. 57. & p. 500. n. 25.

Scientia sensus compositus, & divisus.

Sensus compositus, & divisus quomodo explicentur à Thomistis, pag. 364. num. 3.

Scrupulosus.

Scrupulosus qualia peccata teneatur confiteri, pag. 439. num. 18.

Sergius

Sergius Monachus, Nestorianæ Hæresis Mahum. impler. pag. 543.

Seruitus.

Quam servitutem contrahat peccator ob culpam, pag. 174. num. 16.

Servitutem qui patitur nihil sibi, sed totum domino acquirit ibid.

Signum.

Signa doloris quænam sufficiant ad conferendum licite absolutionem, pag. 416. n. 33.

Signa doloris vbi nulla sunt, non debet absolvi moribundus etiam probatæ vitæ, pag. 417. num. 36.

Signa valide factæ confessionis quænam sint, pag. 501. num. 28.

Signa nullitatis confessionis, p. 502. n. 34. cum seq.

Signa quibus vera miracula à fictis discerni possint, pag. 115. num. 35.

Spes.

Spei actus cur debeat præcedere infusionem habitus, pag. 425. 15.

Spiratio spirator.

Spirator non est suppositum, p. 268. n. 74.

Spirator supponit pro aliquo individuo singulari communi Patri, & Filio, p. 291. n. 48.

Spirator cur deficiat à ratione suppositi, num. 49.

Ratio spirantis vt *quod* non multiplicatur pro multiplicitate suppositorum spirantium, num. 50.

Spirandi virtus non est Paternitas, & Filiatio, pag. 293. num. 54.

Spiratio activa convenit immediate essentiæ divinæ, num. 55.

Spiratio activa dimanat ab essentia concomitanter cum Paternitate, p. 294. num. 56.

Spiratio passiva licet ab vnico principio procedat, petit tamen distinctionem Patris à Filio, pag. 195. num. 62.

Discrimen quoad hoc inter spiratorem, & Creatorem, num. 63.

Spiratio passiva non tãtum cum Spiratore, sed etiam cum Patre, & Filio opponitur relative, pag. 296. num. 64.

Spiratio activa licet tribuatur Filio, illum tamen non supponit, pag. 359. num. 29.

Subsistens.

Subsistens in natura divina non est suppositum, pag. 282. num. 20.

Subsistentia.

Subsistentia Verbi non supplet munus propriæ, pag. 252. num. 17. & p. 287. n. 36.

Subsistentia relativa quo sensu sit subsistentia naturæ divinæ, dag. 254. num. 23.

Subsistere in pluribus naturis quid significet, pag. 259. num. 19.

Subsistere pluribus modis dicitur, p. 264. num. 35.

Subsistentia non est stricte proprietas naturæ, pag. 270. num. 56.

Eius reluctantia à natura solum potest impediri per vnionem ad Verbum, n. 55.

Subsistẽtia nõ est necessaria vt natura operetur, pag. 271. num. 57.

Subsistentia creata nequit duplicem naturam terminare, p. 273. n. 64. & p. 275. n. 71.

Subsistentia creata quomodo dicatur terminare naturam, pag. 273. num. 67.

Subsistentię divinæ multiplicitate multiplicantur suppositа, non tamen multiplicatione subsistentię creatæ, pag. 286. num. 34.

Subsistentia non consistit in actione creativa, pag. 305. num. 5.

Subsistentia humanitatis nequit componi cum vnione ad Verbum, pag. 307. num. 11.

Subsistentia propria, vel essentialem, vel nullam habet oppositionem cum vnione hypostatica, pag. 308. num. 14.

Subsistentiæ propriæ effectus, p. 310. n. 19.

Subsistentia supponit quidem naturam humanam, non tamen hominem, pa. 317. n. 45.

Ideoque licet foret modus, non foret accidens, ibid.

Subsistentia cõsistit in negativo, p. 321. n. 8.

Subsistentia non est media inter naturam, & existentiam, pag. 322. num. 13.

Alia munera subsistentiæ tribui solita impugnantur, ibid. cum seq.

Subsistentia si aliquid positivũ foret, exigeretur à natura, pag. 329. num. 44.

Subsistentia non est requisitum ad operandum, pag. 358. num. 27.

Substantia.

Substantia vt principalior est habens, & suppositum, pag. 267. num. 43.

Substantia omnis non est essentialiter incompleta, pag. 361. num. 40.

Superioritas.

Superioritas ordinis in quo consistat, pag. 195. num. 13.

Suppositum.

Suppositum significatur vt totum, vt hoc aliquid, vt scilicet non alterius, pag. 256. n. 9.

Quid sit supponere aliquam naturam, p. 259. num. 18.

Suppositum alicuius naturæ debet esse principium intimum operationis illius, pag. 260. num. 26.

Suppositum subest quidem diversis accidẽtibus, non diversis naturis, p. 266. n. 41.

Suppositum quid importet in recto, pag. pag. 269. num. 53. & 54.

Suppositum creatum non posset alienam terminare naturam, etsi subsistentia creata foret quid absolutum, pag. 274. n. 70.

Suppositum quid sit, & quid distet à persona, pag. 320. num. 1. & 2.

Suppositum creatum nihil positivum addit supra naturam, pag. 324. num. 23.

Suppositorum esse actiones quomodo intelligatur. pag. 359. num. 29.

T

Templum.

TEmpli Hierosolimitani desolatio fuit in vindictam necis Christi, pag. 18. num. 48.

Testis.

Testis depositio sufficit vt moribundus, qui iam nulla potest dare signa pœnitentiæ, absolvatur, pag. 410. num. 5. & seq.

Nec requiritur præsentia ipsius testis tempore absolutionis, pag. 415. num. 30.

Testamentum.

Testamenti veteris variæ translationes quando, & à quibus factæ sint, p. 634. & seq.

Testamenti novi cum veteri correspondẽ-

tia probat Christi diuinitatem, p. 122. n. 62.
Testamentum vetus cur diuina dispositione fuerit versum ex Hebræo in Græcum ante aduentum Christi, pag. 523. n. 65. & p. 634.
Testamentum vetus adulteratum non esse, sicut nec novũ, ostenditur, p. 633. 634. & 636.

D. Thomas Aquinas.

D. Thomas quid sentiat de pura omissione peccaminosa, pag. 27. tota sect.
D. Thomas sentit supposítum creatum nihil addere positivum supra naturam, p. 324. num. 24. item pag. 611.

Totum.

Totum ex Verbo, & humanitate resultans non est quid perfectius Verbo secundum se, pag. 257. num. 10.
Immo est quid minus perfectũ, p. 258. n. 15.
Totum ex Angelo, & humanitate foret intensive perfectius Angelo, pag. 269. n. 50.
Totum ex humanitate, & Verbo resultans non est persona, pag. 336. num. 2.

Tribunal.

Tribunalis forensis, & pœnitentiæ discrimina, pag. 445. num. 44.

Trinitas.

Trinitas personarum apparitionibus, & miraculis comprobatur, pag. 599.
Trinitas personarum contra Mahumetum probatur, pag. 603.
Trinitas personarum probatur, vel ex ipso Alcorano, 603.
Trinitas similitudinibus quibusdam explicatur, pag. 608.
Trinitas explicatur quibusdam congruentiæ rationibus, pag. 609. & pag. 610.
Cur in Deo non sint plures, quam tres personæ, ibid.
Trinitas à quibus præcipuè Hæreticis fuerit oppugnata, pag. 637. & seq.

Tristitia.

Tristitia de peccato cur voluntati imputetur, pag. 371. num. 3.

Turca.

Magnus Turca, quot soleat vxores habere, quot item Dynastæ, pag. 658.

Turlachus.

Turlachi, qui Sancti inter Mauros habentur, quam sint immundi, & turpes, p. 700.

V

Veniale peccatum.

VEniale peccatũ non relinquere maculã, potest impune dici, pag. 17. num. 11.
Venialis macula nõ deletur formaliter per dilectionẽ Dei super omnia, p. 124. n. 60.
Venialia an deleantur in instanti mortis per actum charitatis, pa. 132. n. 24.
Venialia cum quibus iustus decedit quomodo remittantur, pag. 210. num. 8.
Veniale an relinquat maculã, p. 210. n. 11.
Veniale peccatum extra Sacramentum nũquam remittitur sine formali, vel virtuali cõtritione. pag. 399. num. 74.

Verbum Diuinum.

Verbum suscipit denominationem intrinsece vniti sine aliqua sui mutatione, pag. 250. num. 8.
Verbum quomodo naturam assumpserit, non personam, pag. 250. num. 10.
Verbum non existit in Christo tanquam pars in toto, pag. 257. num. 11.
Verbum sustentat humanitatem sicut substantia accidentia sustentat, sublatis imperfectionibus, pag. 260. num. 22.
Verbum supponitat vt quod naturam humanam, pag. 263. num. 30. & 32.
Verbũ qua ratione dicatur sustentare humanitam, pag. 276. & pag. 314. n. 32.
Verbum cur nõ sit humanitas, p. 229. n. 6.
Verbum est subiectum denominationis relate ad humanitatem, pag. 285. num. 29.
Verbum non debet habere aliquam specialem causalitatem circa productionem humanitatis, pag. 312. num. 26.
Verbum non supplet aliquod complementum substantiale humanitatis, pa. 316. n. 40.
Verbum nequit vnire sibi humanitatẽ quin illam sustentet, pag. 318. num. 49.
Verbum est tenens humanitatẽ, licet actio humanitatis productiva non sit ipsius vnio cum Verbo num. 50.
Verbum cur nõ dicatur subsistere per Spirationem activam, pag. 319. num. 52.
Verbum assumpsit humanitatem cum omni eius proprietate, pag. 325. num. 30.
Verbum, etsi completum, potest facere vnũ perse cum humanitate, pag. 335. num. 72.
Verbum oriretur ab aliquo creato, si Christus vt homo esset persona, pag. 336. num. 3.
Verbi Divini processio ad captum Mahumetanorum exponitur, pag. 593.
Verbum Divinum cur præ creato Verbo sit Filius, pag. 595. vbi alia vtriusque Verbi discrimina.
Verbum non assumpsit carnem solam, neque solam animam sensitivam, pag. 596.
Verbum cur non dicatur ab Evangelista factum homo, sed caro, pag. 597.
Verbum Divinum duplici naturæ subijcitur alteri quidem in concreto, alteri etiam in abstracto, pag. 613.

Verbum mentis.

Verbum mentis cur non sit Filius intelligẽtis, pag. 593.
Verbum mentis cur dicatur proles, & partus, p. 594.

Verecundia.

Verecundia non eſt virtus, pag. 371. num. 5. & ſequent.

Verecundia eſt efficax circa ſuum obiectum, pag. 372. num. 8.

Verecundia cum ſit timor infamiæ ob turpe factum, provenit ex affectu erga propriã æſtimationem, ibid.

Verecundia magna ſufficiens cauſa eſſe poteſt exponendi peccata confeſſario in ſcripto, pag. 411. num. 9.

Vir.

Vir, & vxor quo ſenſu dicantur eſſe duo in carne vna, pag. 659.

Virgo.

Virginis defloratori, ſi illa vltro conſentiat, ſatisfacit in confeſsione ſe de ſimplici fornicatione accuſans, pag. 463. num. 50.

Virgines quanto in prætio habeãtur, quam que venerentur apud omnes nationes, pag. 673. Virginitas quam ſit Deo grata, p. 674.

Virtus.

Virtutis definitio, pag. 371. num. 1.

Virtuti vnicuique conuenire non poteſt dolor de peccato contra ipſam, pag. 373. num. 11. ſaltem ex motiuo vniuerſali, n. 12.

Virtutes diſtinguuntur pro diuerſitate honeſtatum, quas reſpiciunt, pag. 376. num. 27.

Virtus poteſt exigere præceſsiſſe ſuum cõtrarium, pag. 376. num. 29.

Virtus inclinans ad finem ſub conditione medij, non debet ad medium inclinare, n. 31.

Virtutis eiuſdem eſt illæſio iuris, & læſi reſtitutio, pag. 377. num. 34.

Virtus licet non ſit neceſſaria ad alicuius finis aſſecutionem, non propterea conuincitur inutilis, pag. 380. num. 47.

Virtus vt Theologica ſit quid requirat, pag. 385. num. 75.

Viſio.

Viſio beata quomodo poſsit componi cum proxima potentia ad peccandum, pag. 362. num. 34.

Viſio beata in Chriſto non fuit principiũ omnium actuum honeſtorum, ibid.

Vita.

Vita Chriſtiane peracta non eſt ſufficiens confeſsio ad valorem Sacramenti, niſi ſigna alia doloris præcedant, pag. 418. num. 45.

Vnio.

Vnio hypoſtatica ſi ſit compoſsibilis cum potentia proxima ad peccandum, non poteſt eſſe impeditiua peccati pro eo inſtanti, pag. 140. num. 12.

Vnione hypoſtatica qua ratione meretur priuari venialiter peccans, pag. 16. n. 76.

Vnio hypoſtatica quid ſit, & quomodo facta, pag. 248. num.

Declaratur exemplis, pag. 249. num. 5.

Vnio hypoſtatica intrinſeca Verbo, p. 250. num. 8.

Vnio hypoſtatica ſuſtentatur etiam in humanitate, pag. 318. num. 47.

Vnio hypoſtatica, licet ſit ſupra, non eſt tamen contra exigentiam naturæ, pag. 328. num. 44.

De vnione hypoſtatica quid contra Neſtorium damnent concilia, pag. 331. num. 51.

Vnionis hypoſtaticæ carentia mere comitanter ſe habet ad hoc vt natura dicatur principium quod, pag. 334. num. 68. & 69.

Vnionis hypoſtaticæ terminus exponitur pag. 337. num. 5.

Vnio hypoſtatica potuit impediri ab humanitate, ſi præceptum Chriſto impoſitum ſit indiſpenſabile, pag. 351. num. 3.

Vnio hypoſtatica eſt indeſtructibilis per peccatum, pag. 356. num. 19.

Vnionis hypoſtaticę collatio ſupponit ſcientiam de obſeruatione mandatorum Dei pro toto vitæ decurſu pag. 357. num. 21.

Vnio hypoſtatica petit vt non dentur humanitati alia auxilia, niſi quæ ſunt prævisa efficacia, pag. 357. num. 23.

Vnio Dei cum creatura eſt maior, aut minor, ſecundum quod Deus magis, aut minus virtutis in ea exercet, pag. 612.

Vocatio.

Vocationes mirabiles Mahumetanorum ad Chriſti fidem, pag. 532. & ſeq.

Vocatio Regis de Fez, poſtea Balahaſaris à Loyola Societatis Ieſu, pag. 554.

Vocationes ad Chriſti fidem à Iudaiſmo, & Gentiliſmo, pag. 569. & ſeq.

Voluntas.

Voluntati in ſenſu compoſito indifferentię ad purè omittendum, num poſsit Deus præcipere actum eliciendum, pag. 12. num. 42.

Vt voluntas ceſſet ab actu, ſatis eſt malum apparere in elicientia actus, licet in obiecto nihil mali appareat, pag. 24. n 86.

Voluntas præparans concurſum ad peccandum non eſt voluntas deſtruendi conditionate gratiam, pag. 138. num. 5.

Voluntas obligandi ſe ad rem exequendam non eſt velle rem exequi, 230. n. 27.

Voluntas, etiam vt potentia peccandi eſt à Deo, pag. 237. num. 4.

Voluntatis dominium circa ſuos actus eſt ſubordinatum Deo, pag. 238. num. 5.

Voluntatis concurſus in actionem liberam nequit ab alio ſuppleri, pag. 261. 24.

Res pendens à voluntate diuina in conſeruari, non prius intelligitur conſeruata, quam intelligatur diuina voluntas, pag. 343. n. 7.

Voluntas poteſt impedire omnem ſuppoſi-

Penitentiæ cum actu, pag. 353. num. 6.
Voluntatem habere potentiam proximam ad peccandum an possit stare cum eiusdem voluntatis impeccabilitate, pag. 357. n. 23.
Voluntas satisfaciendi Deo pro peccato, non est eiusdem detestatio, pag. 379. nu. 41.

Votum.

Voti, & obligationis ex illo ortæ capax est Pontifex, immo & Christus Dominus, p. 348. num. 25.
Votum seu desiderium confitendi, nisi exterius manifestetur non sufficit ad valorem Sacramenti, pag. 418. num. 45.
Votum, aut desiderium hodie conceptum de confitendo hora mortis non est hodie sensibiliter dolere de peccatis; pag. 419. n. 46.
Votum Sacramenti non habet locum, vbi adest oportunitas Sacramenti suscipiendi, p. 475. num. 48.

Votum Religionis.

Votum de ingrediendo Religione stricta potest manere secundū differentiam subalternam, sublata differentia specifica, pag. 134. num. 20.

Vxor.

Vxorum pluralitas non solum Christianis, sed etiam infidelibus est prohibita, pag. 658.
Vxor, & vir quo sensu dicantur duo in carne vna, pag. 659.
Vxorū pluralitas quot secum adferat mala, pag. 660.
Vxor non subditur viro vt famula, sed vt socia, ibid.
Vxorum pluralitas cur Patriarchis antiquis permissa sit à Deo pag. 661.
Vxores Patriarcharum cur aliæ vocentur concubinæ, aliæ vero vxores, pag. 662.
Vxores repudiare quatenus licitum sit Mahumetanis, pag. 663.
Vxores non possunt apud Mahumetanos repudiare maritos, pag. 663.
Vxorem vnam plures habere viros est contra rationem naturalem, pag. 670.

Z

Zalà.

ZAlà seu Maurorum oratio qualis sit, & quibus ceremonijs fiat, 701.

Zeidin.

Zaidim servus Mahumeti eum primus tanquam Prophetam veneratur, p. 538. n. 14. à Mahumeto manumittitur ibid.

FINIS.